PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.



SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,


SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE ET TRECENTIS FRANCIS SEXAGINTA ET DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CCIII.


D. PHILIPPUS DE HARVENG, ABBAS BONÆ SPEI.



EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1855

8043



SÆCULUM XII

D. PHILIPPI

ABBATIS BONÆ SPEI

SACRI ORDINIS PRÆMONSTRATENSIUM AUCTORIS DISERTISSIMI

ET

D. BERNARDO CLARÆVALLENSI CONTEMPORANEI

OPERA OMNIA

JUXTA EDITIONEM QUAM ANNO 1621 IN URBE DUACENSI PRELO SUBJECIT NICOLAUS CHAMART, ABBAS BONÆ SPEI

ACCURANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS UNICUS

ALMA COLLEGE
208.1
LIBRARY
M588
Alma, California

VENIT : 8 FRANCIS GALLICIS

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT-MONTROUGE

1855

8043

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CCIII CONTINENTUR.

PHILIPPUS DE HARVENG ABBAS BONÆ SPEI.

	Col.
Epistolæ.	1
Commentarius in Cantica.	189
Moralitates in Cantica.	489
De somnio Nabuchodonosor.	585
De salute primi hominis.	593
De damnatione Salomonis.	621
De institutione clericorum.	665
Vita S. Augustini.	205
— S. Amandi.	233
Passio SS. Cyrici et Julitæ.	1303
— S. Salvii martyris.	1311
Vita S. Foillani martyris.	1325
— S. Gisleni confessoris.	1337
— S. Landelini confessoris	1349
— B. Odæ virginis.	1359
— S. Waldetrudis.	1375
Passio S. Agnetis.	1388
Carmina varia.	1391

1.30-2
8872M

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

EPISTOLA DEDICATORIA.

Alberto Austrio archiduci, Brabantiæ duci, Belgarum principi serenissimo ac clementissimo.

Philippum hunc nostrum, Serenissime Princeps, e tenebris (quod ei pridem promiseram) ut, quam antea nunquam viderat, lucem aspiceret, ubi primum sustuli, id fecit, ut mihi quidem visum est, quod omnino faceret is, cui longa ac prope æterna retro nocte damnato cœlum semel intueri concederetur, qui profecto non in minorum astrorum aliquod aciem oculorum conjiceret, sed in solem ipsum innata luce minoribus illis ignibus communicata tantum rutilantibus præfulgeret. Ita noster hic, situ pene confectus licet, simul ac meis exceptus est manibus, nocte velut cum pulvere detersa statim ut cœpit enitere, non in aliquem e tuis te minorem, sed in ipsum te aspectum defixit, postulare visus tutelarem ad hoc, ut in illa luce quam adeptus erat posset perpetuum retineri.

Ego quidem quoties illum legi, diem qui videret, longe dignissimum toties judicavi, verum ut sub tam augusti nominis tutela tam angustus prodiret vehementer optavi. Quod ergo promiseram, jam præsto. Ingens aliquid accipere est, quidpiam donare posse magnis, neque illi minus beneficii conferunt, si dignantur capere, quam si donent. Itaque summum hoc beneficium a me meisque, innumeris aliis in nos a Serenissima Celsitudine Vestra derivatis annumerabitur, quod cum ille sis princeps, quo neque domi, neque foris, neque bellicæ virtutis, neque justitiæ, pietatis, mansuetudinis gloria clariorem ætas ulla viderit, parva nostra tamen, quæ devotis animis suppliciter ac solemniter offerimus, non adspernere. Nobiscum equidem nostræ commoditates, aræ, altariumque ornamenta deberi sese tibi profitentur. Ita quidquid a nobis ad te venit, eo certe nomine suscipiendum venit, quod sit tuum, quoniam nisi tuis manibus ac humeris esset suffulta nostra Bona-Spes, omni spe pristini decoris, fulgorisque recuperandi penitus exciderat. Siquidem posteaquam immanis perduellium furor in hos nostros longe lateque, ut et vicinorum agros calamitosissimam induxisset vastitatem, domumque hanc atque sacram ipsam ejus ædem igni succendisset, omnis (quaquaversum quæreremus) præsidii perierat exspectatio.

Ast ubi clementiæ suæ oculis quod fragmentorum ex ejus ruinis superat Vestra conspexit Celsitudo, tum nos ad instaurandam illam excitavit, et ad extremum, ut id possemus ad quod hortabatur, munificentiæ suæ, quæ in religiosas personas locaque pia solet esse largissima, opem contulit. Quota vero hæc est ejus in nos portio beneficiorum? Ea omnia quoties ipse vel recogito mente, vel cum meis usurpo sermone, vehemens in me persentisco desiderium rationis alicujus nanciscendæ, qua testata prodeat animi mei, meorumque omnium erga illam gratitudo.

Obsecrationes equidem nostræ, invictissime Princeps, vota nostra prope continua, pro te ac tuis, pro tui imperii tranquillitate, pro tuæ fortunæ prosperitate, pro vita, pro salute tua, totiusque patriæ cœlum ferunt, superosque sollicitant, et hoc ita de tua summe admirabili humanitate fortiter spero. Mihi lux illa tuæ liberalitatis affulget. Annues esse satis

Ast esto: nostra illa pro te pietas quamvis magis magisque semper effervescet accrescendo, novis tamen non est satis, nisi statuere possimus haberi nos tanto principi non ingratos. Quare in finem illum liber hic Serenissimæ Vestræ Celsitudini dedicatur, ut omnes intelligant illam ipsam spei nostræ basim esse, nullo tempore collapsuram.

Auctorem vero habet Philippum illum, B. Bernardo synchronum, ac hujus monasterii nostri præsulem secundum, cujus modestia, pietas, religio, cæteræque velut non hominis, sed beati cujuspiam animi, mortalium inter cœtus commorantis virtutes quantæ fuerint, a me non dicentur. Fuerunt visæ nulli, cui summæ non fuerunt admirationi. Stylo fluit ejus scriptio leni quidem, sed quam pia, tam alta, docta, profunda suaviter exprimente. In quo rarum hoc invenitur, quod auri bene tersæ grata sit et dulcis, quod paribus fere periodorum numeris deducta similiter cadat oratio. Quo genere dicendi ac scribendi delectatum illum esse non admirabitur, qui noverit in ejus vita moribusque, nihil unquam dissonum exstitisse. Quo minus illud quoque fit mirum, eumdem, cum esset in vivis, viros et nobilitatis et doctrinæ pariter titulis perillustres, familiarissimos atque amicissimos habuisse. Sapiunt enim vel ejus characteres singuli nescio quid, quo percepto, legentis animus eum fuisse qui utrosque jure optimo sibi demereretur haud difficulter persentiscat. Ut verbo omnia dicam, Norbertum illum instituti nostri, nostræque domus fundatorem ubique redolet, eique non ordine modo ac gradus officii in prælaturam, verum etiam egregiæ meritæ sanctitatis est proximus, imo hinc magis quam

inde proximus. Igitur quicunque erga primum illum magna quæpiam est animi propensi devotione, dubio procul, idem etiam in hunc benevola mentis inclinatione devolvetur. Deus immortalis! quam speciosa nobilitas est quæ speciosa redditur sanctitate! Utraque in Norberto summa fuit, si prior non a genere tantum, sed et a personæ dignitate generosa singulariter attendatur. Ab eo Philippus quin hæres utriusque sit censendus, nemo dubitarit. Quocirca opusculum ab eo religionis doctrina insignitæ monimentum augusto illius nomini sacratum venio, qui quoniam Norbertum, singularem ut patronum orat atque veneratur, Philippum non potest non amare. Spem inde hanc, atque hinc inde firmissimam concepi, futurum, ut qui nostra perculsa, diruta, prostrata serenissimis oculis non tantum aspexerit, sed et jacentia ea quæ salva malæ sortis elusa vi permanserunt, propriis opibus excitarit, non aliter sit adspecturus. Hanc etiam spem juvat ipsius operis præcipua quædam consideratio, quod ex parte potiori, Canticorum explicatione contineatur. Vixerit ille quidem, cui hæc dicata veniunt, patriæ nunquam satis, ut naturæ satis aliquando; nunquam serius huic quam illa optaverit. Velim ergo ut quæ ipsius mens felicissimorum inter spirituum cohortes est aliquando concentura, Philippus præcinuisse videatur. Esto, sit exiguus; minus tanto patrocinio dignus, modo quos naturæ communis conditio reddit necessarios, alterius vitæ faustos tutori suo prænuntiet eventus. Tu ille eris, Serenissime Princeps, ea tuus decantabit animus in cœlum evocatus (tarde quidem si Deus nos audiat), sed revocatus tamen aliquando.

Verum et nunc is eris ex cujus nulli alteri comparanda bonitate clementiaque consequar, ut cum his aliquot Philippi laboribus, ego meique omnes tibi devoti simus atque videamur.

Deus interea Opt. Max., Serenissime Princeps, Celsitudinem Vestram multos in annos nobis conservet incolumem, a malis omnibus tam animæ quam corporis custodiat, tandemque ad gloriæ cœlestis, Norberti patrocinio, unicam laborum pro reip. Christianæ defensione susceptorum mercedem perducat, quod obsecrans permittit

Serenissimæ Celsitudinis vestræ observantissimus cliens

F. Nicolaus Chamart,

Monasterii Bonæ-Spei humilis abbas.

PHILIPPI ABBATIS BONÆ SPEI

VITA.

(LEPAIGE, *Bibliotheca Præmonstratensis ordinis*, Parisiis 1633, fol., p. 508.)

Venerabilis Philippus Harvengius, cognomento Eleemosynarius, monasterii Bonæ-Spei Præmonstratensis ordinis, Cameracensis diœcesis, abbas secundus, vir disertissimus et mirifice doctus, pius et sanctus, et sancto Bernardo Claræ-vallensi familiaris, originem traxit ex mediocris fortunæ parentibus. Sic enim de seipso epistola decima tertia loquitur : « Ne nobiliori plebeius videar adulari, et magis verbo quam opere gratiam tuam aucupari, etc. » A pueritia sua litteris admodum deditus, quadam infirmitate, licet per intervalla, correptus est; cujus molestias ut minus præsentiret, quam propulsasset facilius, lectioni ardentius insistebat. Puer grandiusculus episcopo suo se ultro præsentavit, a quo clericali indutus veste, et coronæ titulo summum capitis insignitus, a conditione laicali ad clericalem professionem est annumeratus. Egressus fines adolescentiæ suæ, dum velut interiori domo juventus ejus tenera versaretur, divina gratia, quæ potentior est quam natura, colaphum timoris repentinum ei incussit, et de manibus ejus ludicra pristinæ vanitatis, et spem sæculi fallacem, quam avidus amplectebatur, excussit; movens, imo cogens eum, ut qui gaudebat clericum profiteri, diutius non differret clericalis religionis legibus cohiberi. Grata igitur violentia tractus, obedire monitis non refugit. Sicque valefaciens sæculo, abjecit quidquid in illo seductus ambiebat, habens multa contemptui, quæ ante plurimum dilexerat. Mox ad Odonem Bonæ Spei abbatem, vitæ sanctitate et asperitate celebrem, se contulit, ut ad arctam et sublimem perfectionis viam eo magistro ac duce uteretur. A quo habitu Præmonstratensis religionis in Bonæ Spei ecclesia assumpto, ibidem claustrali diversorio se reclusit. Ubi cum et de præteritis veniam postularet, et pro posse mala præsentia declinaret, ad hæc illi locum et exemplum suffragari plurimum sentiebat, et invento portui non mediocriter aggaudebat. Per annum fere integrum ibidem conversatus est, antequam ad sacros ordines promoveretur, et antequam ad ministrandum altari ullatenus admoveretur. Quibus postmodum initiatus, prior suæ Bonæ Spei Ecclesiæ eligitur constituiturque. Quo in munere, quamvis multa ad fratrum suorum instructionem et consolationem spectantia dixisset luculenterque scripsisset, eisque per octodecim fere annos sanctissime præfuisset, quorumdam nihilominus invidia ac livore oppugnatus, gravem persecutionem summumque conflictum, ut ex binis ejus subjunctis litteris liquet, passus est. « Deploranda certe est, inquiebat, temporum nostrorum injuria, ac hominum præsertim religiosorum seu Deo dedicatorum assueta, obstinataque nequitia, qui status vocationisque obliti, livoris ac invidiæ spiritu excæcati, plerumque viros magis litteratos ac idoneos, magisque pios ac religiosos acerrimo persequi odio, injuriarum procellis obruere, ac omni qua possunt via, facta eorum et opera bona, vel tollere, vel oblitterare cæca et audaci mente consilioque non verentur. » His præsertim rerum adversarum conflictibus agitatus venerabilis Philippus, immobilis perstitit, pietasque ejus ac patientia inconcussa, probataque toti mundo patuit et effulsit. Noverat quippe, quod *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem; spes autem non confundit* (*Rom.* v, 3, 4). Proinde quo magis oppugnabatur, tanto humilior se jejuniis et orationibus exercebat, ac rerum cœlestium meditatione, vim lacrymarum profundens, fruebatur; atque patientis animi mansuetudine omnia feliciter hilariterque sufferendo, charitatis officia æmulatoribus suis, quacunque ratione posset, exhibere nunquam prætermittebat. De quibus sicut et de nonnullis ordinis primatibus epistola nona, quæ est ad Bartholomæum Laudunensem episcopum, et epistola duodecima, ad Eugenium papam tertium, conqueritur.

Vir beatus sanctitatis et doctrinæ claritate non solum Præmonstratensem ordinem illustravit, sed toti Ecclesiæ Dei luxit. Ea quippe divini ingenii sui monimenta posteris, magna Ecclesiæ Dei utilitate, reliquit, quibus fidei catholicæ veritas et cœnobitica clericalisque disciplina illustratur, vitia profligantur, et piæ fidelium mentes ad Dei amorem, et cœlestis patriæ desiderium mirabiliter inflammantur. Odoni ejusdem Bonæ Spei primo abbati suffectus, monasticam disciplinam ibidem fratrum discordia utcunque collapsam, mirifice restituit, atque sibi commissos in spiritu lenitatis sanctissime ac piissime rexit. Ad culmen tantæ erga pauperes et inopes liberalitatis et charitatis ascendit, ut Eleemosynarii nomine insigniri meruerit. Tandem sanctitatis laude conspicuus et multis virtutum titulis gloriosus, cum præfecturæ suæ munus fideliter religioseque annis circiter viginti septem administrasset, illudque jam senex in Adventu Domini anni 1182, reliquisset, in Quadragesima sequenti, sicut vitam suam ad Christi Salvatoris exemplum direxerat, sic ad ipsum, exuto corpore, recto cursu migravit.

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA.

(FABRIC., *Biblioth. med. et inf. Lat.*, IV, 292.)

Philippus de Harveng, abbas secundus Bonæ Spei ordinis Præmonstratensis in Hannonia Cameracensis diœcesis, dictus ab Eleemosyna sive Eleemosynarius, cujus vita ex ejus epistolis et aliis lucubrationibus descripta exstat in Joannis Lepaige Biblioth. Præmonstratensi, pag. 508-513, clarus ab A. 1159, et qui inter alia epitaphium panxit Urbano III, defuncto A. 1187. Scripta ejus junctim edita a Nicolao Chamart (1) Bonæ Spei abbate, Duaci 1621, fol. Sunt autem : *Epistolæ XXI*, quarum decima objurgatoria ad S. Bernardum Clarævallensem. Commentarius mysticus *in Cantica Canticorum*, *Moralitates* in eadem Cantica, *De somnio Nabuchodonosoris*, *De salute primi hominis*, *De damnatione Salomonis*, *De institutione clericorum* tractatus VI : 1 de clericorum dignitate, 2 scientia, 3 justitia, 4 continentia, 5 obedientia, et 6 silentio.

Vita sancti Augustini, Hipponensis episcopi.

Vita sancti Amandi abbatis et episcopi Trajectensis et in Actis Sanctor., tom. I, Februar. 6, pag. 857-872.

Passio sanctorum Cyrici et Julittæ.

Passio sancti Salvii martyris.

Vita sancti Foillani.

Vita sancti Gisleni confessoris et abbatis. Confer Carolum Lecointe ad A. 651, tom. III, pag. 303 seq.

Vita sancti Landelini abbatis Crispinensis in Hannonia.

Vita sanctæ Odæ virginis et in Actis Sanctor., tom. II, Aprilis 20, pag. 773-780.

Vita sanctæ Waldetrudis virginis.

Passio sanctæ Agnetis virginis et martyris, carmine elegiaco.

Varia carmina, Epitaphia et Logogryphi. Ex epitaphiis illud in Ivonem habetur etiam in Actis Sanctor., t. V, Maii 23, p. 248. Cætera sunt in Anselmum Cantuar., Petrum Abælardum, Wilelmum de Conchis, Bernardum Clarævall., Urbanum III, etc.

(1) His addenda *Epistola* qua A. 1159 Alexandro tertio gratulatur evecto ad papalem dignitatem; edita a Dacherio tom. II *Spicileg.*, pag. 453 (tom. III edit. novæ, pag. 527).

PHILIPPI DE HARVENG

INCLYTI MONASTERII BONÆ SPEI ABBATIS

EPISTOLÆ.

1 EPISTOLA PRIMA.

PHILIPPI AD WEDERICUM.

Quærit de operibus sex dierum, an simul aut successive ea Deus patraverit, et de tempore creationis angelorum atque lapsus primorum parentum.

Petis, et instanter petis, ut, quia cernis apud te duos ab invicem dissentire, dum unam sententiam alter altero melius æstimat se sentire, scribam tibi, cui potissimum debeas consentire. Miror quare hujusmodi a me judicium tam instanter inquiris, quare, ut alios prætermittam, avunculi tui scientiam super hoc non requiris; qui et tuo religioso studio religiosius congauderet, et tibi sciscitanti gratius et prudentius responderet. Est enim ille, sicut religiosis moribus insignitus, sic etiam apprime litteris eruditus, ut tibi et formam præbere condignæ valeat sanctitatis, et nihilominus impertire doctrinam veritatis. Sed, quia tibi placuit id a me non solum sciscitari, verum instanter et humiliter sciscitari, tandem utcunque tibi conabor respondere, ne me tui æstimes contemptorem, si elegero penitus reticere.

Quæris utrum Deus cuncta simul creaverit, an sua post invicem opera fecerit, ut secundum moram et ordinem sex dierum, mora et ordo intelligatur et operum. Et quod legitur Deus fecisse primo illud, postmodum aliud, sic recipiat intellectus gratiam spiritalis, ut tamen non debeat excludi litteralis.

Quæstio hæc nimirum obscura et difficilis est; unde nonnulli priorum certavere diu et adhuc sub judice lis est. In Scripturis enim divinis quædam inveniuntur tam diversa, ut sibi invicem videantur adversa, dum alibi Deus sua quasi post invicem opera fecisse ostenditur, alibi vero simul omnia creasse manifestius invenitur. Sed, quia non est fas, ut divina Scriptura quidquam dicere contrarium asseratur, ne repugnans sibi ipsi, rea esse mendacii convincatur; restat ut per omnia verax esse et sibi consona cognoscatur, si adjutus gratia prudens lector intelligentiam consequatur. Huic autem lectori sicut difficile est ejusdem Scripturæ abscondita intellectu congruo penetrare; si eadem penetrata multo difficilius verbis sufficientibus explanare: quia, etsi verba sua plana satis et aperta videntur A disserenti, plerumque tamen obscura et difficilia videntur audienti. Hinc est quod ea de qua quæris sententia, nobis satis lucida non videtur, et quod de ea potissimum possimus affirmare, certum nobis fixumque non habetur; quia scilicet tam obscura est, quod eam quoque priores nostri ad liquidum non viderunt; vel potius quia eam verbis minus sufficientibus exploserunt, vel (quod verius dici potest) quia desidia et hebetudine opprimimur nos lectores, et ad capiendum quod legimus caligante sumus ingenio tardiores.

Etsi ergo illi, qui nos tempore, et scientia præcesserunt, eamdem sententiam prout decuit perviderunt, et eam exponendo satis, ut eis visum est, lucidam reddiderunt: [nobis tamen eorum expositio expositione altera videtur indigere, nobis, inquam, 2 qui desides ad legendum, et hebetes ad intelligendum, vix etiam levia possumus obtinere. Videntur enim plerisque in locis vel contraria dicere, vel potius tam diversa, ut a nobis non facile discernatur cujus eorum assertio rectius eligatur: cum unusquisque in suo sensu abundans recte sibi sentire videatur, nec alter ab altero falsitatis apertius arguatur. Sic quippe divini tractatores eloquii sensum suum nituntur approbare, ut tamen non præsumant alterius improbare: nisi forte illum a fide sana cognoverint deviare, vel ei circumstantiam lectionis manifestius obviare. Sciunt enim quia divina Scriptura plerisque in locis parit varios intellectus, quorum nullus dignus est reprobari, quamvis alter altero possit amplius approbari. Et ideo plerique sic alterum eorum eligunt et commendant, ut tamen eos qui aliter senserint errare non contendant. Diversis ergo modis intelligunt quod scriptum est: « In principio creavit Deus cœlum et terram (*Gen.* 1), » et cætera quæ sequuntur. Quorum diversitatem, et longum est in præsenti ad medium revocare, et superfluum præsentes litterulas talibus onerare: præsertim cum tu non petieris ut quid super hoc singuli sentiant tibi per ordinem recenserem, sed ut e duobus, quæ proposuisti, quid mihi videretur potissimum, responderem. Si ergo scirem quid divinæ scriptor historiæ Moyses in his verbis intelligi voluerit, id et ego potissimum ju-

dicarem, id nimirum ambiguitate postposita, præferendum cæteris affirmarem : quamvis, etsi alius aliter senserit non debeam reprobare, si tamen illud constiterit a veritatis regula nequaquam deviare. Potest enim idem spiritus, qui famulo suo Moysi ad scribendum verba sua dictavit, qui eorumdem verborum sensum ei congruum inspiravit, potest, inquam, et alii in eisdem verbis intellectum alterum demonstrare, et utrumque tamen a cognitione veri minime defraudare. Est autem verisimilius ut in his quæ Moyses scripsit, quidquid posteri ejus videre veraciter potuerunt, qui nimirum diversi diversis modis ea intellexerunt, ipse quoque Moyses ad liquidum intellexerit, et hanc ei dignatus sit Deus gratiam impertire ut verbis suis non adversos, sed diversos intellectus viderit convenire.

Quia vero longum est hanc diversitatem seriatim colligere, conabor, ut postulas, quæ potiora videntur, eligere : quæ doctores ecclesiasticos amplius invenio commendasse, quos æstimo secreta Scripturarum diligentius et subtilius penetrasse. « In principio (ait) creavit Deus cœlum et terram (*Gen.* I). » Principium est Dei Verbum, Dei sapientia, in qua David perhibente (*Psal.* CIII), fecisse Deus creditur omnia quæ nimirum creatrix est, non creata, per quam tam spiritalia quam corporalia sunt creata. Cœli quidem nomine Scriptura signare voluit naturam spiritalem, per terram vero, creaturam signavit corporalem : quas Deus in principio, id est, pater in Filio, vel in ipso operandi creavit exordio. Sic enim quod dictum est, in principio, convenienter potest intelligi, ut exordium signetur operandi, quo scilicet Deus, ea quæ apud se prædestinaverat ab æterno, cœpit exsequi realiter operando. In hoc autem operandi exordio naturam creavit spiritalem, rationalem, intellectualem, quam ideo cœli nomine voluit designare, quia eam cœlestibus desideriis voluit inhiare : ut terrenis affectibus libera, Creatori suo, amoris nexibus inhæreret, et illi soli subdita, cunctis irrationabilibus supereminens præsideret. Hujus naturæ spiritalis sive rationalis sunt angeli, sunt et animæ humanæ, quorum angeli simul, et semel a principio sunt creati : animæ vero humanæ processu temporis et creatæ sunt et creantur, et usque in finem sæculi creabuntur. Sed, quamvis quotidie novæ animæ creentur, nova tamen fieri natura non dicitur : quoniam animarum spiritalis rationalisque est natura, et jam a principio in angelis hujus naturæ præcessit creatura.

In hoc etiam principio, id est, in eodem operandi exordio, creata est terra, id est, informis quædam et confusa materia, de qua terra facta est, id est quidquid corporeum est : non solum scilicet ea quam terram usitato nomine nuncupamus, sed et aqua, aer, cœlum, quæ corporea distinctis vocabulis nominamus. Cum autem creata est informis illa et confusa materia, de qua postmodum facta sunt omnia ; omnia quodammodo facta sunt, quia in illa non inconvenienter jam dicunt existere, unde ea materialiter constat procedere.

Quia ergo Deus in principio creavit cœlum et terram, id est, incorpoream et corpoream creaturam, non incongrue simul omnia creasse affirmatur, cum omne quod creatum est, vel incorporeum vel corporeum habeatur. Quod attendens quidam sapiens, cum ipsum vellet Creatorem excellenter et breviter, collaudare; hanc ejus creationem verbis satis evidentibus visus est commendare : « Qui vivit, inquit, in æternum, creavit omnia simul (*Eccli.* XIX). » Simul quippe omnia sunt creata, cum in principio, et natura spiritalium, et materia corporalium est creata : nec deinceps aliquid vel creari dicitur, vel oriri, cujus, vel similitudo, in angelis, vel origo in informi materia non possit inveniri. Sed, cum simul eo modo quo dictum est, creata sint omnia, tamen, sicut alibi scriptum 3 est. « prior omnium creata est sapientia (1); » non illa quidem quæ Deo Patri coæterna est et consubstantialis, sed quæ creatura est non creatrix, natura scilicet rationalis. Quæ ideo sapientia dicitur, quia divinæ] sapientiæ capax efficitur : et ejus est vocabulo non incongrue nominata, cui per intellectum similis est creata. Est autem creata prior omnium, non temporis antiquitate ; sed causa potius et dignitate. Non enim tempus erat quando creata est : et ideo non est prior omnium tempore, quæ non est creata sub tempore. Sed causa prior est omnium, quia omnia facta sunt propter ipsam, et omnia referuntur ad ipsam : et secundum ipsam omnia creata sunt quæ cum ipsa in præjacenti materia creata sunt. Quia vero ista facta est rationalis, reliqua autem creatura facta est irrationalis, ista, ut Deo, cui per rationem similis facta erat, prudenter obediret, illa vero ut isti propter quam facta erat, humiliter deserviret : ista procul dubio prior est omnium dignitate conditionis, quæ prælata est omnibus merito rationis.

Est et aliud propter quod prior omnium non inconvenienter posse dici videtur : quia scilicet, cum ista invisibilis, et illa visibilium rerum materia pariter crearetur : ista quidem formata, creata est non informis, illa vero non formata creata est, sed informis. Sic enim præjacens illa materia facta est de nihilo, ut creata fere comparabilis sit nihilo : et nisi ad formam postmodum et speciem veniretur, quid sibi vellet informis illa confusio, nesciretur. Natura vero rationalis sic creata est, ut præjacentem materiam non haberet, sic ab ipso creationis exordio distincta personaliter, ut eam permista confusio vel confusa permistio non teneret : sic formam sortita conditioni congruam, ut formari deinceps non egeret, sic quidquid ad discretionem et numerum

(1) De isto ecclesiastico loco vide B. Thomam I, p. q 44, art. 3 ad 4, ubi et de creata et de increata sapientia illum accepi posse declarat.

pertinet assecuta, ut in his nihil minus debito posA sideret. Est quippe illi naturaliter insitum et innatum, ut haberet immaterialem substantiam, personalem distantiam, rationalem intelligentiam, tam liberam arbitrii potestatem, ut ad bonum vel ad malum posset inflectere propriam voluntatem : ad bonum quidem non coactam sed adjutam gratia præcedente, ad malum vero non impulsam, sed elapsam eadem gratia deserente. Est illi naturæ concreata immortalitas uniformis, acuta subtilitas, perfectio multiformis : discernendi vigor Creatori conformis, et ideo merito dicenda est non informis.

Quia ergo natura angelica formata creata est, et quod est illi esse, hoc est quodammodo formatam esse, dum ex quo habet esse, ex eo et sic esse; omnia vero visibilia sic constat quasi imperfecte B creari; ut prius in materia esse habeant quam formari; recte sapientia prior omnium esse creata memoratur, cujus creatio formatione ingenita non post additæ consummatur. Verumtamen juxta aliquid eadem informis creata judicatur, pro eo quod sua ei creatio non quidquid est necessarium largiatur : in qua, cum multiplicem senserit largitatem potentiæ creatricis, restabat ut acciperet gratiæ beneficium adjutricis. Erat quippe necessarium, ut ad eum quem suum noverat Creatorem, datum arbitrium converteret per amorem : et ei cooperante gratia eligeret imo diligeret adhærere, in quo, et cum quo, dona quæ acceperat posset in æternum feliciter possidere. Hac enim conversione et dilectione sufficienter formaretur, et hac formatione stabiliter firmaretur : nec ultra posset ab eo, vel in modicum dissentire, postquam semel diligendo eligeret obedire. Hæc autem conversio (2), id est, forma in sua creatione naturæ est angelicæ non collata sed oblata : ut si eam eligeret, in meritum verteretur, si vero se averteret, æterno juste supplicio puniretur. Eo igitur modo creata est, etsi multa percipiens, non tamen sibi sufficiens sed informis, conversa vero ad amandum veram lucem, omnino ei prout decuit fit conformis : pars autem quæ averti voluit non solum mansit vel permansit informis, sed oblatam lucem abjiciens, tenebrosa facta est et deformis. Sic decuit rationalem fieri creaturam ut quæ habenda erant non haberet omnia per naturam : sed per intelligentiam et D liberum arbitrium quæ sua ei creatio conferebat, et videret et assequi prævaleret quod suus ei Conditor offerebat : et ad id non sine suo merito perveniret, et ab eo non nisi voluntate spontanea resiliret. Creata igitur statim nullo spatio mediante convertitur, et eum, a quo erat, amore complectitur : et cum per liberum arbitrium vel in melius vel in deterius posset ferri, aspexit et dilexit quod dignum fuerat anteferri. Voluntatis quippe libertas quæ illi naturaliter adfuit, sub otio vel ad modicum vacare non potuit, quin sine dilatione ad aliquid volendum verteretur, alioquin nescio quomodo recte voluntas diceretur.

Si enim nihil vellet, voluntas non esset : cum nisi a volendo voluntas non dicatur, quamvis quid volendum sit, non hoc nomine discernatur.

Cæterum cum voluntatis sit velle : quid nisi bonum vel malum econtrario potest velle? Velle autem est voluntatis : velle bonum vel malum hoc erat libertatis. Et quid aliud erat velle bonum, quam ad Deum converti : velle malum, quid aliud quam ab eo averti? Creata igitur natura angelica, quia liberam habuit voluntatem. Et voluntariam libertatem, statim et voluit voluntate, et quid vellet, elegit libertate : et pars eorum altera, Deum voluit, quem suum creatorem et novit et amavit, pars vero altera, libera nihilominus voluntate, ad volendum aliud declinavit. Et illa quidem in proposito confirmatur gratia et merito liberæ voluntatis, et ab eo quem voluit, accipit gratiam firmitatis : ut quæ erat mutabilis per naturam, pro eo scilicet quod de nihilo facta est, jam non possit mutari per gratiam, quia bono incommutabili voluntate spontanea conjuncta est. Nec ideo tamen libertas arbitrii dicenda est injurias sustinere, si non potest ulterius malo, sicut primitus, adhærere : imo nunc proprius et convenientius liberum nominatur, cum dono gratiæ ab omni tam miseria quam timore miseriæ liberatur. Pars autem ista, quæ liberam quoque, ut dictum est, habuit voluntatem, ad seipsam mox conversa, eam perdidit in qua facta fuerat dignitatem : et quia sibi, non Deo, perverse voluit adhærere, nec in eo, C quod erat, potuit permanere. Lapsa igitur et in profundum tenebrarum dimersa, æterno supplicio cruciatur, et cruciauda in diem judicii reservatur : cum adjunctis omnibus qui eam pertinaciter imitantur, illi vermi vivaci et igni inexstinguibili pariter deputantur. Sed, quia in his quæ diaboli sunt non multum delectabiliter immoramur, his omissis, ad bonos angelos revertamur.

Creati sunt angeli mutabiles quidem per naturam, quia facti de nihilo mutari potuerunt, sed non mutati per gratiam, quia ei a quo facti sunt, adhæserunt : eique adhærentes manserunt et permanserunt æterni, quamvis Creatori æterno nullatenus coæterni. Illius quippe æternitas neque initium noverat, neque finem, istorum vero æternitas initium habuit, sed non finem : quia dum illi ardenti desiderio se impressit, ab illius firmitate dono gratiæ non recessit. Hinc ergo dulcissimæ contemplationi delectabiliter inhærendo, et suam mutabilitatem illius firmitate stabili cohibendo, vicissitudines variosque temporum motus nescit, sed quidquido transitorium est, supergressa, in illius æternitate æternaliter requiescit. In qua æternitate nunc hoc, nunc aliud quod est temporis, non habetur, sed simul et semel beata identitas vel eadem beatitas possidetur : in quam mutatio vel vicissitudinis obumbratio non incurrit, quæ per diversa et varia, diverso modo et variabili non discurrit. Propter hanc æternitatem

(2) Stabilem intelligit, de qua paulo ante, hoc est, gratiam confirmationis, seu ut infra loquitur *firmitatis*.

qua Deo constat angelos cohærere, et Deum in angelis nihilominus æternaliter permanere, eosdem angelos domum æternam Apostolus nominavit, cum ad sperandam cœlestem mansionem fidelium animos invitavit : « Habemus, inquit, domum non manu factam, æternam in cœlis (*II Cor.* v). » Illa quidem domus et nostra et Dei est, nostra, quia ad ejus mansionem speramus nos venire, si Deo voluerimus vel potuerimus lege debita deservire : et Dei est, quia Deus in ea dignatur habitare, et habitans decore eam venustare. Quem decorem David adhuc in terra positus jam videbat, et visum fervens spiritu diligebat : et quia nulli ejusdem mansionis gaudium invidebat, perceptam gratiam sub silentio non premebat. « Domine, inquit, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ (*Psal.* xxv). » Hoc est, cœlum, sive cœli, in quo vel quibus Deus et esse dicitur et sedere, et suam voluntatem diligit adimplere : sicut et in oratione Dominica commendatur, et in Psalmis multoties prædicatur. « Pater, inquit, noster, qui es in cœlis (*Matth.* vi), et : » Dominus in « cœlo sedes ejus (*Psal.* x); » et : « Deus noster in cœlo omnia quæcunque voluit, fecit (*Psal.* cxiii). Et quoniam non solum ante hoc cœlum, sed nec in ipso cœlo vicissitudo temporis invenitur, quia et in sua beatitudine nil amittit nec futurum aliquid temporaliter operitur : ideo cum factum legitur, silet de temporibus, silet de diebus Scriptura, quia omnem temporis creaturam ista supergreditur creatura. Et recte in ejus creatione nulla fit mentio temporis vel diei, in qua nulla invenitur varietas temporariæ speciei : quia ubi nunc hoc, nunc aliud non deprehenditur variari, tempus vel dies non debet nominari. Ipsa etiam terra cum facta esse in principio memoratur, in ejus creatione nullum tempus vel dies nominatur : quia illa rerum corporalium præjacens materia, quæ terræ nomine designatur, sine forma vel specie, sine distinctione congrua fuisse declaratur. Ubi autem forma vel species, ordo, mutatio vicissitudo nulla erat, tempus procul dubio vel dies nondum erat : quia mutabilium variæ formæ rerum, exerunt vices temporum vel dierum. Sed hæc informitas in eadem materia non dicitur permanere, imo etiam tam cito creator voluit removere : ut cum ipsam creationem formatio sequeretur, tamen inter utramque nullum intervallum temporis haberetur. Prius quidem materies est creata, posterius est formata : sed illud prius, hoc posterius tempore non præcessit, quia inter utrumque nulla, ut dictum est, mora temporis intercessit. Simul ergo utrumque factum est quod post invicem fieri dictum est : quia uno eodemque momento temporis materies ejusque species ad esse prodierunt, quæ tamen nequaquam unum et eumdem ordinem vel originem habuerunt. Prior enim materies quam species, non tempore, sed origine fuit : quemadmodum sonus cantum, flamma lucem, corpus umbram nullo temporis intervallo præcedit, sed originis ordine veraciter antecedit. Hoc est quod noster ille Augustinus in Confessionum libro XIII (cap. 32) dicere videtur : « De creata, inquit materia, qui ejus informitatem sine temporis interpositione formasti, nam, cum sit aliud cœli et terræ materies, aliud cœli et terræ species; materiem quidem de omnino nihilo, mundi autem speciem de informi materia simul tamen utrumque fecisti : ut materiam forma nulla more intercapedine sequeretur. Vides quod, sicut hic datur intelligi, mundi materiam et ejus speciem sive formam Creator simul fecit, quia inter utramque nullum spatium temporis interjecit : et tamen illa prior, ista posterior esse non dubitatur, sicut idem Augustinus in libro Confessionum XII (cap. 19) protestatur. « Verum est, inquit, omne quod ex informi formatur : prius esse informe, deinde formatum. » Cum ergo sit, ut vides, omnis informitas anterior, formatio vero ejus, posterior, et sic ipsa mundi materia sit primæva, ut tamen ei sua forma vel species sit coæva : restat queri cujusmodi fuerit hæc species quæ suæ materiæ sic dicitur inseparabiliter cohæsisse, ut inter utramque, nullam constet temporis intercapedinem incurrisse.

Quidam volunt quod sic informis illa materia continuo sit formata, ut quatuor elementa sint ab invicem separata : et sicut nunc videmus locis congruis assignata, et cunctis quæ in eis sunt, tam animantibus quam inanimantibus adornata, quæ describuntur in Genesi sex dierum numero consummata. Videtur enim eis, quod non satis conveniat Creatori, ut in operandi exordio quidquam fecerit imperfectum, et processu temporis illud duxerit ad perfectum. Cum sicut potens fuerit de nihilo creare materiam præjacentem, sic ex ea formare potuerit mundum sine mora temporis consequentem.

Est ergo illa sex dierum enumeratio, juxta litteram non tenenda, sed in eis mystica interpretatio requirenda : cum sicut ex istorum intelligimus documento, omnia quæ illic describuntur, Deus consummaverit in momento. Juxta hunc sensum non solum homo a principio cum angelis est creatus, sed et cætera omnia, quibus conditis est prælatus : et hæc subita et perfecta exhibitio, dicitur forma rerum, quam dicit Scriptura consummatam intervallo et numero sex dierum. Contra hujusmodi sententiam quivis sapiens non præsumit faciem obfirmare, ne videatur divinam velle potentiam infirmare, si hoc non posse fieri contentiose perstiterit affirmare : cum non possit, quod asserit, aperto scripturarum testimonio confirmare. Verum et aliter fieri posse, Scriptura negare non videtur, imo quasi obmurmurat, si in ea juxta litteram nil tenetur : præsertim cum propter homines se esse scriptam veraciter arbitretur, et indignum non judicet, si eorum intelligentiæ condescensione congrua famuletur.

Recte ergo illa distinctio sex dierum ad litteram posse intelligi non negatur, et sua Deus opera perfecisse per intervalla temporum æstimatur : nec in hoc tamen omnipotenti ejus potentiæ derogatur, quia hoc non ejus imbecillitati, sed voluntati po-

tius assignatur. Potuit quippe alio modo facere si voluit, sed eo forte modo facere voluit, quem rationali creaturæ convenire potius prævidebat : propter quam mundum et ea quæ mundi sunt faciebat. Fecit itaque Deus informem illam materiam quam Scriptura modis variis nominavit, propter quasdam similitudines, quas inesse illi non incongrue judicavit : ut cum homo audiret eam tam diversis nominibus nuncupari, sciret eam nihil horum fuisse proprie sed per similitudinem sic vocari. Vocatur enim terra, et terra invisibilis et incomposita : vocatur et abyssus cujus facies tenebris premebatur, vocatur et aqua super quam spiritus ferebatur. Vocatur terra invisibilis, propter obscuritatem : incomposita, propter deformitatem : invisibilis, quia luce nondum erat illuminata : incomposita, quia nondum formis congruis adornata. Vocatur abyssus, propter occultam profunditatem : aqua vero, propter facilitatem : abyssus, quia ejus profunditas non se præbet humano perviam inspectori aqua vero, quoniam ad formandum præbet se facilem Creatori. Sicut enim ex humore aquoso habent gigni omnia quæ gignuntur, sic ex illa informitate Deo dicente omnia formata producuntur. Dicente illo « fiat lux, facta est lux » (*Gen.* 1) : qua lucente illius materiæ statim informitas est formata, sed non statim rerum omnium forma vel species consummata. Nec te moveat quod noster ille Augustinus dicit, (3) quia Deus cœli et terræ materiem et cœli et terræ speciem simul fecit : et formam a materia, nulla temporis interjectio separavit, sed utramque sine mora media velox manus artificis copulavit. Alibi quidem cum de eadem informi materia disputaret et eam grano vel semini, ex quo arbor nascitur, compararet : dixit in illa informitate posse cuncta invisibiliter inveniri, sed ex ea in lucem per moras temporum exoriri. « Sicut, ait (4), in ipso grano invisibiliter erant omnia simul quæ per tempora in arborem surgerent, ita ipse mundus cogitandus est, cum Deus omnia simul creavit, habuisse simul omnia quæ in illo, cum illo facta sunt potentialiter atque causaliter, priusquam per temporum moras ita exorirentur quomodo nobis jam nota sunt. »

Vides quia illa primæ conditionis opera ad unguem non subito perducuntur, sed per moras temporum oriuntur : et cum illa informitas sit omnium mater rerum, forma tamen vel species intervallo perficitur sex dierum. Et hæc quidem Augustinus secundum diversas diversorum sententias est locutus, ne alteram videretur reprobare, si solam esset alteram prosecutus : sciens quia creatori omnium injuria non infertur, si in rebus dubiis, nunc ista, nunc altera pro captu disputantium antefertur. Et tamen ipse in hanc mihi videtur sententiam potius declinare, qua dicitur intervallo sex dierum sua Deus opera consummare : et quod ait cœli et terræ materiem, et speciem Deum simul fecisse, non impugnat id, quod ait per moras temporum perfecisse. Aliquoties enim dicitur esse factum, quod tamen nondum penitus est peractum : Habens quantum rei convenit inchoatæ, nondum habens quidquid habendum est consummatæ. Sic nimirum cum nascitur germen de semine, et profertur arbor de germine : statim ut educta de tenebris in auras luminis evocatur, cunctis intuentibus species arboris demonstratur. Dicit qui inspicit : Non hoc est terra, non lapis, sed arbor ; dicit et forte cujus generis arbor : Et tamen nondum est illic umbrosa diffusio ramorum, non multiplicitas innumerabilis foliorum : nondum illic florum varietas speciosa, non denique pomorum suavitas fructuosa. Hæc autem omnia, etsi nondum ex illa vel cum illa nova arbore videntur exoriri, possunt tamen in illa non realiter, sed causaliter et potentialiter inveniri : quæ quamvis exinde non eliciat manus curiosa cultoris, elicit tamen vis naturaliter insita per potentiam Creatoris. Sic profecto cum illa mundi materia tenebrosa, dicente Deo « fiat lux » facta est luminosa : cœpit in ea cœli et terræ, imo quatuor elementorum species sublucere, sed nondum singula locis singulis, et proprietatibus pleniter eminere. Prius vero quam diceret Deus [fiat lux] illa materia sic informis erat, ut nec visibilis nec tractabilis haberetur, etiam si esset qui id facere conaretur : sed hanc informitatem Deus aliquatenus mox formavit, cum eam luce facta illuminans, principales mundi partes aliquantula specie declaravit.

Ad hoc enim lux illa facta est, ut illud chaos incompositum illustraret, ut latentem in eo mundum fulgore prævio demonstraret : ut cum singularum partium plenaria distinctio sequeretur, id in luce non in tenebris ageretur. Et hoc « vidit Deus quod esset bonum (*Gen.* 1), » scilicet ut lux fieret, quæ quamdam speciem quatuor elementis infunderet : cujus munere quæ cuique daretur proprietas cerni posset, sine qua quid invisibilis contineret materia, nullus nosset. « Et factum est vespere et mane dies unus (*Gen.* 1), » id est lux illa ab ortu vergens ad occasum, et ab occasu, circuitu mobili revertens ad ortum, spatium diei complevit, quæ splendore suo illius informitatem materiæ, sic delevit : ut ultra jam informis non esset, et tamen consummata ejus formatio nondum esset. Secundo quippe die, id est secundo lucis hujus circuitu, fecit Deus firmamentum quod cœlum nominavit, id est a cæteris eum elementis distinctione plenaria separavit : et proprium assignans ei locum, in motu eum volubili confirmavit, et quidquid naturæ illius congruebat sic et disposuit et dispositum voluit firmiter stabilire, ut illud non inveniatur a lege tunc imposita usque in finem sæculi resilire. Tertio die, id est, tertio lucis prædictæ circuitu, quæ sub cœlo erant aquæ sunt congregatæ, et propriis trachonibus sive alveis assi-

(3) Lib. XIII Confess., c. 32.

(4) Lib. V de Genes. ad litteram, c. 23.

gnatæ : et arida, quæ et terra vocatur, apparuit, quæ cæteris gravior et immobilis locum inferiorem obtinuit. Inter cœlum superius et inferiorem terram, locum aer medius occupavit, quem eodem die operosa manus artificis serenavit : dum aquas quæ ab ipso cœlo usque ad terram diffusæ erant spissitudine nebulosa, congregatas susceperunt terrarum receptacula spatiosa. Hæc quæ prædicta sunt in tribus primis diebus facta sunt : in quibus sic est sufficienter mundi machina constituta, ut singulis ejus elementis locus esset proprius, ordo, forma, vel species attributa. In his tribus lege perpetua mundus est ordinatus, in tribus sequentibus, creaturis variis adornatus : ne quasi inutilis et superfluus haberetur, si factus solummodo propter se videretur. Cœlum igitur quod cæteris elementis prius esse conditum invenitur, quarto die, sole, luna, stellisque variis insignitur : quorum sol jubetur splendore ingenito diem illuminare, luna vero et sidera per noctem coruscare. Prius enim, etsi operante luce illa quam diximus, dies sine dubio fuerunt, tamen tanti luminis non fuerunt : et ad hoc novi solis major claritas instauratur, ut ejus ministerio dies in posterum expleatur. Quinto die, aer volatilibus, aqua natatilibus adornantur, sexto die in terris animalia, bestiæ, reptilia, procreantur, novissime vero eodem sexto die Deus hominem de limo terræ plasmavit, plasmato animam inspiravit : quem, quia ad imaginem 7 suam fecit, non corporis forma, sed excellentia rationis, inter omnia et super omnia quæ in mundo fecerat, gradus voluit esse dignioris. Ipse est propter quem, mundum et quæ mundi sunt Deus fecit, et ideo cunctis quæ ante eum et propter eum fecerat, sic præfecit : quemadmodum fructus arbori, judicio cultoris antefertur, cum in illius cultura nisi propter poma ejusdem cultoris diligentia non affertur. Homo igitur propter quem mundus factus est, ipsius mundi quodammodo fructus est, causa quidem et utilitate prior, quamvis posterior tempore, sicut pomum longe utilius, etsi posterius procedit ex arbore.

Et forte non incongrue is qui post omnia factus est homo non arbori sed ipsi potius comparandus est pomo : quia sicut arbor sexto profectu pomo gratius ornatur, sic mundus sexto die quasi sexto sui profectu facto tandem homine venustatur. Post illud quidem granum vel semen quod supra diximus arborem invisibiliter continere, ipsa radix primum proficiendi locum videtur obtinere : secundum vero truncus, tertium rami, quartum frondes, quintum flores, sextum et ultimum fructus. Sic nimirum post informem illam mundi materiam quæ facta primitus invenitur in creatione temporalium, sexto die ad hominem pervenitur : ut in illo sua Deus opera inveniretur consummare, quem quasi fructum omnium præ cæteris volebat sublimare. Usque ad hunc ergo mundi formatio videtur accepisse profectum, in hoc vero adducta est ad perfectum : Et in ipso mundo novum deinceps nil formatur, quia quidquid fit postea, factum antea judicatur. Sic mundus processu temporis est perfectus, cum omne genus rerum pleniter est adeptus ; cum sexto die quasi excelsior vel excellentior factus est propter hominem digniorem sicut dies sexta hora gradum obtinet altiorem. Cum enim in crepusculo matutino noctis caligo resolvatur, et nocte abeunte, dies sine intervallo temporis oriatur : infuso terris novo sole procul dubio dilucescit, sed tamen statim dies meridiano lumine non clarescit. Nox quæ fuerat, jam recessit, et lux aliquantula jam accessit : nondum habens quidquid habitura est luminis, vel caloris, cum sol pervenerit ad cœli medium altioris. In prima quidem hora tenebrosa caligo discutitur, et quædam rerum subobscura facies aperitur, progrediente vero sole augmentum accipit claritudo, tandemque sexta hora perficitur claritudinis ejusdem plenitudo. Cum enim per intervalla sex horarum ad centrum meridianum sol ascendit, ipsam diem naturaliter sic illuminat et accendit : ut illa in utroque plena et perfecta sufficienter habeatur, et ultra jam non proficere, sed defluere videatur. Sic informis illa mundi materia, quasi nox fuit, cum invisibilis et incomposita facta fuit, sed dicente Deo : fiat lux, quasi sol matutinus refulsit, per quem illi materiæ quædam claritas mox illuxit : cujus præsentia et tenebras nullo dubitante removit, et tamen eamdem materiam ad perfectionem debitam non promovit. Hæc autem promotio, sensim per intervallum facta est sex dierum, sexto vero die consummata est omnium forma rerum : cum perfectis omnibus, quæ non dignitate, sed tempore sunt priora, novissime factus est homo, ejusdem diei, ut dicitur sexta hora. Sic mundus et dies videntur quodammodo convenire, et ad perfectum pariter in senario pervenire : dum mundus, ut dictum est, sexto die hominem accipit cæteris digniorem, et dies sexta hora gradum obtinet altiorem.

Hæc opera sex dierum qui sic intelligit, erroris non damnatur, nec huic intellectui quisquam sane sapiens reluctatur : quia, etsi in his quæ dicta sunt, mysterium multiplex continetur, illud tamen litterali sensui contrarium non habetur. Sic enim plerisque in locis Scripturarum profunditas invenitur haberi, ut constet in ea multa et profunda mysteria contineri : nec tamen ab ea litteralem intelligentiam removeri, et eo gratius ad fructum intimum pervenitur, quo non solum verbis frondosa, sed et veritate fructuosa litteræ superficies invenitur.

Convenienter igitur potest credi quod homo non a principio cum angelis sit creatus, sed postmodum sexta die de limo terræ, sicut legitur, sit plasmatus. Et accepta anima immortali et incorporea per naturam, dignitate ingenitæ rationis, omnem excesserit irrationabilem creaturam. Denique vir quidam nostri temporis, religionis habitu et moribus insignitus, et litteris tam divinis quam sæcularibus non mediocriter eruditus, qui nobis ingenii sui non parva reliquit monimenta, in quibus inveniuntur non contemptibilia sanæ fidei documenta : quodam loco cum de

illo primo homine disputaret et corpus ejus de limo, animam vero de nihilo creatam affirmaret, sic ait (5) : « Fides catholica hoc potius eligit, et veritati magis consentaneum judicavit, ut credamus animam primi hominis quando facta est, non de præjacenti aliqua materia factam, sed de nihilo creatam, neque factam a principio quando angeli facti sunt, sed postea, cum corpus ipsum cui infundenda erat formatum est ab ipso creatore, simul et factam et corpori sociatam. » Vides quia isto asserente fides catholica elegit, et veritati magis consentaneum **8** judicavit : ut credatur animam hominis non a principio cum angelis factam esse, sed postea formato corpore, et factam, et eidem pariter corpori junctam esse : ut humanæ animæ sit coævum, et tamen sive illa, sive illud creatis a principio angelis non æquævum : nec moveat si dicitur quod Deus imperfectum nil fecerit (*Deut.* II), cum tamen sua post invicem opera fecerit; quia sic in suo genere singula quæque fecit, ut perfectum faceret, quidquid fecit. Verbi gratia cum dixit Deus : « Fiat lux, » facta est lux subito tam perfecta, ut non matutina, sed quasi meridiana videretur : ut nullas in proficiendo morulas pateretur : quod nec secundo, nec tertio, nec ulli deinceps diei collatum perhibetur. Post illum enim primum diem, omnis dies subobscurum ortum accipit in crepusculo matutino : et per horarum momenta usque ad sextam incrementum accipiens, et exinde paulatim deficiens tandem clauditur vespertino. Ille vero unus dies, etsi tenebras habuit vespertinas, non tamen habuit matutinas ; sed in ipso ortu tantæ perfectionis lumen illius est inventum, ut nullum ei meridies, lucendi conferret incrementum. Sic etiam, cum dicitur quia firmamentum Deus fecit (*Gen.* I), sciendum est quia perfectum illud fecit : non a summo incipiens, ut processu temporis ad imum perduceret faciendo, sicut mulier telam texit cum prius eam inceperit ordiendo. Hoc et de cæteris elementis æstimo sentiendum : quod eo die vel tempore consummantur, quo facta memorantur. Similiter, cum natatilia, vel volatilia, dicitur Deus creavisse, non eorum creationem, ab ovo credendus est incœpisse : ut scilicet ovo, congruis fomentis animato, novellorum fetuum, produxerit parvitatem, et eosdem processu temporis, enutritos, tandem ad debitam perduxerit granditatem. Non sic illa facta sunt, et hunc ortum, vel profectum penitus nescierunt : sed quæ cuique perfectio competebat; in ipso sui exordio, protinus acceperunt. Item, cum animalia, bestiæ, reptilia in terra creata sunt, non a conceptu, vel partu, sicut nunc agitur, inchoata sunt, sed remota ea, quam novimus, nutritoria tarditate, creata sunt, qualia, nunc videmus perfecta robore, vel ætate. Frutices quoque et arbores, non ab informitate seminis, vel teneritudine germinis inchoantur, ut processu temporis in ramos, et folia diffundantur : sed in ipsa creatione, et steriles, robore debito, ramis, frondibus venustantur, et fertiles pomis etiam congruis onustantur. Denique illa paradisus quæ a principio, plantata memoratur, ab eo, inquam, principio quo terra herbis, et arboribus adornatur diversorum pomorum, copia replebatur; quæ, etsi ex arboribus procedere videbatur, non tamen illis, interventu temporis, posterior habebatur. Eapropter cum fieret primus homo, in eodem pomerio positus perhibetur, ut scilicet, illa plenitudine fructuum, victus ei sufficiens conferretur : excepto, quod lignum scientiæ boni et mali, tangi, summa diligentia prohibetur, non quia malum esset; sed ut ejus obedientia probaretur. Non enim illum hominem Deus formare cœpit a puero, sicut ex tunc, et deinceps formatur in utero : in quo necdum pomis, vel indiget, vel prævalet sustentari, nec adhuc est idoneus, novis mandatorum fascibus onerari. Sed illum Deus talem fecit, ut statim, et maturitatem haberet pubertatis, et rationis capax obedire posset legibus sanctitatis : et ideo crescendi et multiplicandi benedictione muneratur, et a prædicto fructu, augendi gratia meriti revocatur.

Verum, ille angelus qui in principio creatus erat, qui aversus a Creatore, diabolus factus erat : cum illum hominem in collata justitia stantem attenderet, et felicitati ejus irreparabiliter perditus invideret : non prævalens eum opprimere per violentiam, insidiis molitus est circumvenire, ne unde lapsus fuerat, illuc ille posset obedientiæ merito pervenire.

Nec mirum, si homo, diaboli fraudibus prævenitur, quorum ille in principio; iste vero sexto die, conditus invenitur : ille fervens malitia, jam consueverat melioribus invidere : iste simplex et rudis (6), necdum didicerat, hostiles insidias præcavere. Si autem sex dierum opera, ut quidam volunt, nullo ab invicem intervallo temporis secernuntur, et simul creati homo et diabolus asseruntur : tamen quomodo iste ab illo subverti potuerit, cum uterque simul creatus sit, necesse non est quæri : et si quæratur, potest facile responderi. Illa nimirum quæstio, quam in quodam libello, te dicis invenisse, sed quis ejusdem libelli auctor exstiterit, asseris te nescisse, non est magni pendenda, nec debet quempiam permovere, cum ejus tendiculas possit festina solutio removere.

« Quomodo, inquit, homo diabolica persuasione cecidit, cum in eodem momento uterque creatus sit? » Et adjungit : « Diabolus simul creatus et lapsus est; homo vero de hora sexta usque ad horam nonam in sua obedientia fuit. » Si, ut iste asserit, magis consonat veritati, ut homo et angelus pariter sint creati,

(5) Hugo de S. Victore, l. I De sacramentis, parte VI, cap. 3.

(6) Rudem dicit, hoc est inexpertum; quo fere sensu legitur in homilia de Adam et Eva apud Chrysost. tom. I, quæ tamen non est Chrysostomi, sed auctoris cujusdam Latini eo posterioris : « Tanta fulgebat in ruditate, id est, in simplicitate et inexperientia primi hominis gratia, ut nomen illi imponeret, et futura prophetaret.

et angelus statim cecidit male secutus propriam veritatem: homo vero a sexta usque ad nonam injunctæ obedientiæ tenuit sanctitatem; nunquid non intra hoc spatium, videlicet a sexta usque ad nonam, diabolus potuit insidias homini machinari, et homo tandem per easdem insidias supplantari? **9** Major ut video quæstio, multoque perplexior oriretur, si quemadmodum simul creatus et lapsus angelus perhibetur, sic etiam homo creatus, cum angelo lapsus quoque pariter diceretur: quia non est perspicuum, quomodo cum persuasore corruere persuasus veraciter asseratur; cum malu persuasor corruisse, non incongrue antea videatur. Cum vero a sexta usque ad nonam homo in sua obedientia manserit, et angelus creatus statim ceciderit; quis dubitet, quomodo iste ab illo male suadente subverti potuerit, cum ille tantum spatium persuadendi habuerit? Quamvis ex eo quod a sexta usque ad nonam, homo in sua obedientia mansisse affirmatur, oriri mihi alia quæstio videatur, quæ potest, et ad quærendum quosvis parvulos permovere, et ad solvendum nonnullos forte grandiusculos exercere. Si enim angelus in principio factus est, quod a nullo qui recte sapiat, dubitatur, et cum eodem angelo, sicut isti placet, homo esse conditus affirmatur; quare a sexta usque ad nonam, et non potius a prima usque ad nonam, fuisse obediens prædicatur, cum sexta hora, nisi quinque præcesserint, veraciter non dicatur? illud autem principium quinque horæ nullatenus præcesserunt: Et hora quæ omnes reliquas antecedit, non sexta, sed prima tropice nominatur, et ideo a prima, non a sexta, recte hominis obedientia commendatur. Sed, quoniam de hac hora, nihil certum in Scripturis canonicis recolo me legisse, et quota hora factus sit homo, non illas audeo definisse: hujus rei judicium, illi debemus commendare, qui hominem et factum cum angelis, et factum sexta hora nititur affirmare: qui miratur, quo modo diaboli persuasione homo dicendus sit corruisse, cum ille lapsus statim ceciderit: iste vero a sexta usque ad nonam in sua videatur obedientia permansisse. Illud sine reprehensione potest veraciter affirmari, quod invenitur Scriptura canonica protestari: quia videlicet homo, propter quem mundus est creatus, sexto die cæteris posterior animantibus est plasmatus. Cui assertioni, etsi intellectus congruit spiritualis, non tamen est absonus litteralis: ut cum in ea mysticum aliquid subtiliter vestigetur: tamen juxta litteram posse accipi non negetur.

Ad id quod quæsisti, utrum simul, an post invicem sua Deus opera fecerit, hæc existimavi fuisse respondenda, tuo prudenti committens judicio, utrum tenenda sint, vel forte respuenda. Ad id vero quod quæsisti: utrum alii, quam ei cui semel commissus est, quivis grave suum facinus debeat confiteri, paratus illius judicio et digne flere quod actum est, et digna inposterum observantia cohiberi: pace tua frater, in præsenti supersedeo responde- A re, hujusmodi responsionem multiplici verborum copia, consideraus indigere. Disputanti enim super eo cuilibet, tam multa possunt opponi, et opponentibus tam multa e converso reponi: ut mihi longum et difficile videatur, prosequendo ad unguem, omnia definire, et, ut verum fatear, difficultatem hujusmodi, vires meæ non sufficiunt expedire: hic igitur hæc mea responsio terminetur: ne prolixitate inutili legenti fastidium generetur. Vale.

EPISTOLA II.

PHILIPPI AD HERVARDUM.

Docet tria necessaria esse legenti Scripturas sacras; quærit et solvit quomodo Christus contraxerit originale peccatum ab Adamo, et tamen in eo fuerit contentus secundum carnem. B

Solebas mihi litterulas simplices mittere, et ego tibi simili forma rescribere, in quibus nil nisi vel dilectio mutua signabatur, vel aliquid nullius, aut parvi ponderis, habeatur. Non vero longe alias mihi litteras delegasti: quibus meam parvitatem non mediocriter aggravasti: dum in eis quæstionem satis difficilem posuisti, cujus solutionem a me diligentius requisisti. Hanc autem quæstionem, ut ais, in tuorum doctorum auribus, quam sæpissime distillasti, quorum scientia pelli tuam ignorantiam æstimasti: ad quorum responsionem dum quasi penderes, intentus sermo eorum, ut ais, verbotenus disputans ad hujus rei enodationem, quam indignus, tam inefficax est inventus. In quo etiam dicto videris quodammodo ejusdem quæstionis gravedinem C exaggerare, et meipsum ex obliquo amplius aggravare: dum quasi temeritatis me asseres arguendum, si quod tui doctores non sufficiunt enodare, ego præsumpsero procaciter attentare. Sed forte hoc te sensisse nec etiam debeo suspicari, et quod simpliciter dictum est, astutiæ non convenit imputari: ne argutior inveniar ad accusandum simplicitatem tuæ locutionis quam ad enodandum perplexitatem propositæ quæstionis. Hoc igitur omisso, sic tentabo respondere tibi diligentius inquirenti, ut tamen non præjudicem melius sentienti: quia etsi non possim tibi satisfacere dubitanti, non invideo subtilius et efficacius disputanti.

D Dubitas quidem et quæris, cum Christi caro in lumbis fuerit Adæ, sicut et nostra: quomodo non inde et ipsa peccatum contraxerit sicut et nostra? Et ne forte verba tua tibi exciderint, ea breviter recensebo, et ad ea postmodum quod Christus ipse dederit, respondebo. Cum dicimus, inquis, omnes fuimus in Adam: hæc universitas, ita suæ dictionis complexu humanæ propaginis **10** seminario derivatos homines colligit, ut et Christum una nobiscum retineat. Cum vero dicimus, « Omnes peccavimus in Adam, » hæc universitas jam curtati amplexus, parcioris circuli, minoris continentiæ ita circa humani generis fines coarctatur: ut incorruptæ naturæ Christum vereatur amplecti. Constat tamen et irrefragabiliter verum est: quia quam

nostræ, tam et carnis Christi una caro Adæ peccando corrupta materies præcessit. Cum igitur caro Adæ peccato inobedientiæ suum immortalitatis decorem exuerit, aut semiplene corrupta est, aut plene et tota. Quomodo autem caro Adæ, sicut nec mea peccato concupiscentiæ semiplene potuit corrumpi, non legi ; non intellexi : non etiam, ut arbitror, possem doceri. Si autem plene et tota corrupta est, quomodo caro Christi quæ a lumbis peccatoris Adæ, defluxit, illæsa servabitur? legi, non intellexi : non dico non possem, sed non possum doceri.

Hæc est tuæ continentia quæstionis, hoc est unde dubitas, unde me consulis. Gaudeo ergo, quod divinis studes litteris erudiri, sed in eis volo te docibilem inveniri : ne vel studium tuum crassa infatuet hebetudo, vel agilitatem ingenii præpediat tumoris ægritudo. Divinarum quippe lectori Scripturarum tria ut æstimo valde sunt necessaria, sine quibus earumdem Scripturarum, non acquiritur perfecta scientia, videlicet studium, ingenium, humilitas. Studium est, ut tu etiam nosti, diligens assiduitas legendi. Ingenium vero naturalis agilitas capiendi. Humilitas autem est animi depressio, sive cum datur, sive cum non datur gratia intelligendi. Studium quidem adeo necessarium est ei qui divinas litteras optat scire, ut illas, sine illo non facile queat scire : quia tam immensum, tam profundum pelagus non nisi laboriosa lectoris assiduitas apprehendit, qui vel otio ignavum et negligentem animum non intendit, vel infructuoso et sæcutari negotio studium non impendit. Ea enim quæ necesse est sciri, uno in loco, non possunt omnia reperiri : et ideo necesse est legendo frequentius multa revolvi, ut frequenti lectione possit ignorantiæ caligo resolvi. Denique apud litteras sæculares dicit quidam : quod quis sapiens esse non poterit, nisi multa legerit. Ideo et Apostolus cum Timotheum instrueret : « Attende, inquit, lectioni (*I Tim.* IV). » Et ne brevis legendi attentio sufficere putaretur, subjungit : « In his meditare, in his esto (*ibid.*). » Si ergo Scripturas scire desideras, in his oportet te versari, in his esse, in his assiduitate congrua, meditari : quia quod fastidioso et negligenti occluditur, studioso et instantius pulsanti aperitur. Ingenium quoque non mediocriter necessarium est lectori, sine quo frustra quis operam litterario dat labori : quia nullam, vel paream assequitur scientiam assiduitate legendi, nisi adsit gratia capiendi. Unde et Paulus de quibusdam, ait : « Semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes (*II Tim.* III). » Hoc autem ingenium non est situm in arbitrio humanæ voluntatis, sed divinæ solius est beneficium largitatis, quæ sicut hominibus dat vel nasci, vel vivere prout vult, sic eisdem, intelligentiæ dona dividit prout vult. Orandus est ergo Deus, ut competentem intelligentiam largiatur, ne discendi appetitus, obserato aditu repulsam patiatur : quia, etsi lima studii necesse est ingenium acui cum habetur ; tamen nisi eo dante quod possit acui, non habetur.

Propter quod Apostolus cum dixisset Timotheo : « Intellige quæ dico, » statim subjunxit : « Dabit enim tibi Dominus intellectum (*II Tim.* II), » satis liquido manifestans, quia intelligendi mensura non est sita in hominis voluntate, sed in Domini gratuita largitate. Quam largitatem et Isaias prædicat, dicens : « Dominus Deus aperuit mihi aurem (*Isa.* L). » Et Lucas evangelista : « Aperuit, inquit, illis sensum, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV). » Vides quia Dominus Timotheo dat intellectum, aurem aperit Isaiæ, sensum apostolis, ut Scripturas intelligant ; qui, econtra, claudit eis de quibus Apostolus : « Non intelligentes ait, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant (*I Tim.* I). » Cum vero tam studium quam ingenium sibi quis viderit abundare, et occulta Scripturarum mysteria cœperit penetrare, necessario etiam humilitatem adjungere festinabit, sine qua pro nihilo cætera congregabit. Hæc autem humilitas, non solum necessaria est ei, cum secreta Scripturarum panduntur, verum etiam cum eadem absconduntur : ne vel intelligens, in se potius, quam in Domino glorietur, vel non intelligens, non suam tarditatem, sed scripturam potius reprehensibilem arbitretur. Plerique enim cum ea, quæ legunt, intelligunt, superbe gloriantur, cum vero non intelligunt, superbius stomachantur : extimantes dignum penitus reprehendi, quidquid viderint humana ratione non posse comprehendi.

Cæterum prudens lector, cum quid intelligit, debet non in se, sed in Domino gloriari, et id quod non intelligit, humiliter venerari : sciens verum esse quidquid Scriptura canonica protestatur, quamvis non ab omnibus æqualiter capiatur. Ob hoc autem nonnulla occultantur, ut diligentius inquirantur, inventa strictius teneantur : et (si forte inventa non fuerint) ea, lector humilitate debita veneretur, magisque nonnunquam repulsus humiliando proficiat, quam si nullum **11** omnino repulsam pateretur. Quia ergo tibi et studium et ingenium adesse non ignoro, restat ut utrumque, humilitatis gratia muniatur : sicque de eo quo intelligis gaudeas, ut id quod non intelligis, non tamen tibi absonum videatur, nec difficultatem intelligendi doctorum disputationi, sed tuæ tarditati humiliter imputa, occlusumque ostium, noli blasphemiis lapidare ; sed debita veneratione saluta. Miraris, cum in Adam Christus fuerit, sicut et nos : cur non inde peccatum, et ipse contraxerit, sicut et nos. Cum enim dicitur : « Omnes in Adam fuimus, » in hac universitate continetur et Christus : cum vero dicitur : « Omnes in Adam peccavimus, » ab hac universitate excipitur Christus. Neque enim in Adam peccavit, qui nusquam, vel nunquam peccavit : « de quo Scriptura, Qui peccatum, inquit, non fecit. » Cum ergo, de Adam loquens, Apostolus dicit : « In quo omnes peccaverunt (*Rom.* III), » etsi Christum ibidem non excipit, eum tamen debere

excipi, alibi manifestat, ubi de eo dicit : « Eum qui non noverat peccatum (*II Cor.* v). » Unde constat quia non omnes in Adam peccaverunt, qui tamen in Adam fuerunt (7). Sed illud veraciter dicitur, quia omnes qui peccaverunt, in Adam peccaverunt. Sicut enim omnes qui nascituri eramus de Adam, fuimus in Adam : sic omnes qui peccatores nascituri eramus de Adam peccavimus in Adam. Ubi primo videndum est quomodo in Adam fuimus : qui eo tempore nondum fuimus. Sicut enim nondum sunt, qui post multos annos nascituri sunt : sic nos qui modo sumus, tempore Adam nondum fuimus. Sed i eo fuisse dicimur in illo, quia existendi originem sumpsimus ab illo : in quo fuit et creante Deo natura seminalis, et peccato exigente concupiscentia carnalis : a quibus propagatio generis humani exordium sumpsit, quas quisque nostrum sibi tempore suæ conceptionis assumpsit. Facto quidem primo illo homine, vel primis hominibus dixit Deus : « Crescite et multiplicamini, et replete terram (*Gen.* i). Ex quo intelligitur, quia factos illos Deus voluit multiplicari, et ex iis alios homines propagari : quos processu temporis consummatos, virtute meritorum transferret ad cœlestia, imminutum supplere numerum angelorum. Erat ergo jam tunc in Adam seminarium posteritatis, quo gignere filios potuisset nutu liberæ voluntatis : qui et sine impulsu libidinis se gremio uxoris maritus infudisset, et illa sine damno integritatis concipiens, maturo tempore sine gemitu peperisset. Et quoniam generantes, nil præter carnem ad genitos transfudissent, et geniti nil præter carnem a generantibus accepissent : secundum eam solam in parentibus fuisse filii veraciter dicerentur, a quibus solius ejusdem carnis originem sortirentur. Verum antequam id accideret mandatum Dei, primi homines transgrediuntur, et prævaricationis rei, tali sententia feriuntur : ut qui Deo superiori noluerunt obedienter adhærere, inferioris sui, id est, corporis contumacem rebellionem cogerentur miserabiliter sustinere. Infligitur enim concupiscentia membris eorum quæ genitalia nominantur, sentiuntque in eis motum, unde merito confundantur : quia, cum ante peccatum voluntatis arbitrio, sicut cætera, subderentur, post peccatum, velint, nolin sti, illa instinctu libidinis commoventur. Eadem vero membra, et ante peccatum genitalia quidem erant, sed pudenda non erant : quia nulla in eis concupiscentia, nullus indecens appetitus, nulla repugnantia, nulla prorsus erat inquietudo, sed honestas, munditia, tranquillitas, obediendia, sanctitudo. Post peccatum merito pudenda nominantur : quoniam adeo spiritu relu-

(7) Vide col. 22, 23 passim.

(8) Hæc contraria videntur esse iis quæ Luc. i, v. 15, leguntur dicta angelo ipsi Zachariæ, quibus promittitur filius qui replebitur Spiritu sancto adhuc ex utero. Quibus tamen lectis, Augustinus epistola 57, ad Dardanum; S. Thom. III p., q. 27, articulo sexto, et beatus Bernardus epist. 174, dubii manent de sanctificatione, id est justificatione sancti Joannis in utero; nam potuit esse repletus Spiritu sancto, ad hoc nimirum ut faceret id quod legitur Lucæ i, v. 41, sicut ipsa S. Elisabeth dicitur ibi repleta Spiritu sancto, et Zacharias similiter v. 67; quam tamen repletionem nemo dixerit intelligendam esse ipsam justificationem. Est ergo repletus S. Joannes Spiritu sancto, sicut Jeremias fuit sanctificatus, id est electus ad munus propheticum quod est sanctum, imo se esse jam prophetam spiritu prophetiæ donatum accruit dum *Exsultavit infans in utero* (*Luc.* i, 41).

A ctantur, ut ad generandum, non nisi libidine moveantur. Hoc est unde Adam filios suos sic infecit, sic quasi in radice posteritatis suæ seriem tabefecit : ut quoniam in generando, non solum caro sed et concupiscentia carnalis operatur, quicunque gignitur eo modo, ejusdem reatu concupiscentiæ teneatur. Licet enim virum et feminam jungat non adulterina copula, sed potius conjugalis, licet non luxuriandi, sed generandi gratia celebretur complexus maritalis; licet Abraham centenarius, et Sara nonagenaria ad generandum promissum Isaac copulentur (*Gen.* xviii; *Luc.* i); licet Zacharias et Elisabeth in generando præcursorem Domini, prænuntianti angelo quodammodo famulentur, tamen justi parentes
B justum filium non possunt generare, quia sine concupiscentia non possunt generare. Eget ergo tam Joannes, quam Isaac medicamento circumcisionis ad abolendum generationis contagium (8), quoniam a quibus accipiunt ut sint homines, ab illis accipiunt ut injusti sint homines : cum ab illis trahunt, non solum carnis substantiam, sed et carnis concupiscentiam. Secundum hoc autem in parentibus dicuntur fuisse, quod eos a parentibus certum est accepisse : unde et in illis quodammodo peccasset judicantur, per quorum concupiscentiam generantur. Ideo Apostolus, cum ad Hebræos de Levitico sacerdotio loqueretur, et quantum illud a Christi sacerdotio differat, ostendere conaretur : dixit, quia cum Abrahæ sacerdos Melchisedech obviavit, in eodem
C Abraham Levi, qui in lumbis ejus erat, quodammodo decimavit (*Hebr.* vii). In lumbis quidem Abrahæ Levi erat, secundum id quod de illo erat processu temporis accepturus, secundum rationem seminalem **12** qua per complexum concupiscentialem, de matre erat longo post tempore nasciturus : secundum quem modum, et ipse Abraham de lumbis parentum suorum fuerat propagatus, unde tam ipse, quam Levi, congrue est a Melchisedech decimatus. Decimatio illa qua Melchisedech non decimatus est, sed potius decimavit, medicinam illam signat, qua Christus non sanatus est, sed sanavit : qui nimirum sumpsit a nobis, unde nobis misericorditer mederetur, cum suscipiens carnem nostram, non sibi, sed nobis potius nasceretur. Levi quippe, vel Abraham, imo
D nos omnes egemus salubri medicina, qui lethalem morbum in generationis nostræ contraximus officina : in qua, quia concupiscentiæ carnalis efferbuit appetitus, nullus inde prodiit qui non esset eidem concupiscentiæ maculis irretitus.

Omnes ergo, qui eo modo tam incommodo sumus nati, originalis culpæ sumus vinculis obligati : imc

antequam in hanc lucem veniamus, in ipso concepti, morti sumus miserabiliter destinati, et licet non actuali, tamen originali peccato condemnati. Quod peccatum ob hoc originale merito nominatur, quia æstu concupiscentiæ per quam generandi opera consummatur, illi primi homines, exigente inobedientia primitus inflammantur ; a quibus cæteri homines, ducta concupiscentialiter origine propagantur. Vel forte ob hoc originale non immerito dicitur, quia ille motus indecens, vel prurigo, nostræ carnis quasi quoddam vitium est et origo : dum per complexum maris et feminæ nullus penitus generatur, nisi primum caro seminantis impulsu libidinis excitatur. Quia ergo prius caro concupiscit, et postmodum generat, recte non tam caro quam concupiscentia ejus, nostra debet origo judicari : et ideo peccatum, quod per illam nobis dicitur irrogari, non inconvenienter originale meruit nominari. Hoc peccato ab Adam usque ad Christum, omnes procul dubio vinculantur, quia omnes per concupiscentiam generantur : et ideo necesse habent a Christo decimari, id est, ejus sacramentis salutaribus expiari ; Christus vero nulla expiatione indiguit, quia sic accepit carnem de Virgine, ut illa complexus viriles non sentiret, nec aliquam in concipiendo concupiscentiam præsentiret. Cum enim nullus nostrum, sine complexu maris et feminæ generetur, idem autem complexus, non nisi per concupiscentiam consummetur; ob hoc sine accessu et semine patris sumere voluit Christus carnem in utero matris, ut omnem prorsus concupiscentiam relegaret, et originem carnis suæ, originalis macula non fœdaret. Traxit ergo de matre non fervorem libidinis, quem illa in concipiendo, nec suum, nec alterius experitur, sed carnis materiam, quæ pura et tranquilla, et nullo commota turbine reperitur : sancti Spiritus in eam abundantiore gratia descendente, et ab ea omnem, tumultuosæ libidinis immunditiam repellente. « Spiritus, inquit, sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc.* I). » Superveniet quidem, ut tanquam rubus inviolabiliter accendaris (*Exod.* III), obumbrabit vero, ne carnalis æstum concupiscentiæ patiaris. Superveniet, inquam, ut efficiat novo quodam et mirabili genere te fecundam ; obumbrabit vero, ut eamdem fecunditatem nullius reddat libidinis appetitus immundam. Voluit quidem et potuit, qui omnia quæcunque voluit fecit, sic in utero Virginis incarnari, ut eadem caro, non a carnali concupiscentia originem duceret sicut nostra, sed a Verbo : ut in hoc recte caro illius a nostra differre judicetur, quod longe diversam originem habere perhibetur. Nostræ etenim carni, ut paulo ante dictum est, concupiscentia carnalis originem ministravit, quæ parentes nostros cum ad gignendum accederent, inflammavit : unde et eadem concupiscentia

A mater nostra, in Scripturis plerumque nominatur, de cujus gremio nostra carnalitas propagatur. « Pater, inquit, meus et mater mea dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit me (*Psal.* XVI). » Pater noster diabolus fuit, mater vero concupiscentia, quia illo suggerente, et ista blandiente concipimur, et nascimur in peccatis, et tam diu obnoxii morti sumus, donec sic genitos regeneret divinæ gratia pietatis. Regenerati vero, jam originali vinculo non tenemur, sed in carne tamen fomes concupiscentiæ remanet, quo ad augendum meritum exercemur : non ut deinceps nobis officiat (si tamen præscriptis legibus refrenetur) : sed ut posteros inficiat, si quis tamen per eamdem concupiscentiam generetur. Pulchre Melchisedech, quem nosti Christi figuram tenuisse,
B « sine patre, sine matre, sine genealogia, » ab Apostolo (*Hebr.* VII) introducitur exstitisse: quia constat Christum, nec eo modo genitum, nec eo modo quempiam genuisse. Neque enim in sua genitura nostrum tenuit ordinem, neque a carnali concupiscentia carnis suæ duxit originem : quia matrem ejus in concipiendo, libido non prævenit, sed ut conciperet spiritalis in eam infusio supervenit. Propter quod ait : « Ecce venit princeps mundi, et in me nihil inveniet. » Nihil utique suum. Concepit enim Virgo de Spiritu, et concepti origo ex Verbo est, sicut angelo testante perhibetur, et nostræ fidei confessio profitetur : « Quod enim, inquit, in ea natum est, de Spiritu sancto est (*Matth.* I). » Meus ille Augustinus (9) : « Ratio, inquit, conceptionis ejus non a
C 13 semine virili, sed longe aliter ac desuper venit. » Hilarius, catholicæ fidei prædicator orthodoxus : « Non enim, inquit, Maria corpori originem delit, licet ad crementa partumque corporis omne quod sexus sui est naturale contulerit. » Et infra : « Caro, inquit, non aliunde originem sumpserat, quam ex Verbo. » Et longe infra : « Cum natus sit, inquit, lege hominum, non tamen lege hominum conceptus est : habens in se et constitutionem humanæ conditionis in partu, et ipse extra constitutionem conditionis in origine. » Et iterum : « Origo, inquit, non hominis est : nato eo de conceptione Spiritus sancti. » Vides quia cum Dei Filius incarnatur, non carnalis illecebra, sed Dei Spiritus operatur, matris integritas virili complexu nullatenus violatur :
D nulla concupiscentia, sed sola carnis substantia ministratur. Qui ergo non a carnalibus desideriis, more nostro, sed desuper originem carnis traxit, profecto in conceptione originale vitium non contraxit : quia non aliunde cuilibet nascenti peccatum ascribitur, quam quod ei per parentum concupiscentiam, seminali ratione, transcribitur. Si enim et ego sine parentum concupiscentia concipi potuissem, forte (10) originalibus vinculis obstrictus non fuissem : quia nil ab eis præter carnis sub-

(9) De Genesi ad litt., lib. X, cap. 20.

(10) Dicit *forte* ; nam, *si miraculose fieret, ut actualis* concupiscentia *seu libido totaliter removeretur, coitu manente, tamen, nihilominus proles contraheret peccatum originale*, ait B. Thom. q. 4, *de malo*, art. 6 ad 16. Secus, si aliquis ita sine parentum concupiscentia conciperetur, ut materialiter tantum nasceretur de illis, et non seminaliter D. Thom., art. 7 et 1,-2, q. 81, art. 4.

stantiam accepissem : per quam homo tantum, non homo perditus exstitissem. Sic etiam, quia Virgo sancto plena Spiritu, de carnali concupiscentia non concepit, et ex ea præter carnem Dei Filius nil accepit : non immerito idem Christus immunis est a peccato, utpote qui nec natus, nec conceptus est in peccato. Sive ergo Levi dicatur in Abraham decimari (*Hebr.* VII), sive in Adam ejus posteritas reatu prævaricationis obligari : nihil horum ad Christum pertinere veraciter perhibetur, quamvis in lumbis illorum fuisse non negetur. Fuit enim in illis secundum id tantum quod traxit de illis : nihil autem aliud traxit de illis, quam quod traxit de matre, nec aliquid præter carnem traxit de matre, nec aliquid præter carnem traxit de matre ; fuit ergo in illis secundum carnem tantum, quæ Dei bona est creatura : non secundum concupiscentiam, qua nostra omnium inficitur genitura. Qui autem fuit in illis secundum carnem tantum quæ bona est, non secundum concupiscentiam quæ mala est : constat quia nec est in Adam prævaricatus, et ideo nec in Abraham decimatus. Sicut enim non fuit in Adam, qui nihil traxit de Adam, sic nullus fuit in illo, nisi secundum id quod traxit de illo : nec aliud quisquam de illo traxit, quam quod in conceptione de parentibus suis traxit. Nos ergo qui de parentibus nostris carnem et concupiscentiam traximus, secundum utramque in illis fuimus : et ob hoc in Adam non solum fuisse dicimur, sed et peccasse, quando scilicet ille unus homo peccavit, a quo per successionem nostra omnium origo concupiscentialiter emanavit. Sic nimirum convenienter dicitur : Et omnes in Adam fuimus, tam nos scilicet, quam Christus : et omnes in Adam peccavimus, sed nos tantummodo, et non Christus : quia sicut in illo fuimus omnes qui fuimus, sic in illo peccavimus omnes qui peccavimus. Tale est illud quod dicitur : « Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I) ; » omnem scilicet qui illuminatur. Et « qui vult omnes homines salvos fieri (*I Tim.* II) : omnes scilicet qui salvantur. Fuimus quidem in Adam, fuit et Christus, sed nos duplici modo, simplici vero Christus, quia nos secundum carnem et concupiscentiam ; Christus vero secundum solam carnis substantiam.

Ditiores itaque nati sumus quam Christus, secundum id duntaxat quod de parentibus traximus : quia nos duo quædam, Christus vero unum quid solummodo traxit de matre : et vox nostra illa est : « Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (*Psal.* L), » quæ nimirum a Christo longe est aliena. Utinam tales divitias non haberem ! utinam non essem tali involucro præpeditus ! utinam per angustam virtutum semitam, paupertatis et nuditatis beneficio currerem expeditus ! Pulchre Christi paupertas et nuditas commendatur : ad quas etiam nos invitans : « Qui mihi, ait, ministrat, me sequatur (*Joan.* XII). » Ut quia non possumus, vel eum præcedere, vel ei aliquatenus æquari : studeamus saltem eum, etsi a longe, sequendo tamen utcunque imitari. Beata quippe Christi paupertas, quæ nostrarum divitiarum aculeos noluit experiri : quæ voce sua clamans ad Dominum meruit exaudiri. « Iste, inquit, pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum (*Psal.* XXXIII), » pauper a crimine, pauper a vitiis, pauper non deponens, sed nunquam assumens gibbum camelorum : pauper suos æmulos beans, quia « vestrum, inquit, est regnum cœlorum (*Matth.* V). » Beata etiam ejusdem nuditas, quæ nostris non est panniculis involuta, imo ab omnium delictorum maculis absoluta : quæ sibi tunicam Adæ pelliceam non assumit, sed in nobis eam, sua simplici puritate, consumit. Tunica pellicea, quæ fit de mortuo animali, mortem peccati signat qua natura nostra quasi superinduitur, cum carni nostræ concupiscentia superinfunditur : cum juxta Pauli vocem (*Rom.* VIII), propter peccatum corpus mortuum judicatur, etsi spiritus propter justitiam videre videatur. Hoc indumento peccati, hoc corpore mortis idem Apostolus se vestiri dolebat : et quis eum inde liberaret, lacrymabiliter inquirebat : « Infelix, inquit, ego homo ; quis me liberabit de corpore mortis hujus ? » (*Rom.* VII.) Mortis, inquit, 14 hujus. Cujus ? Ejus scilicet de qua prædixerat : « Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati (*ibid.*). » Et attendens quia nullus inde sufficit liberari, nisi ei divina gratia velit suffragari : respondet : « Gratia Dei per Jesum Christum (*ibid.*). » Igitur de corpore mortis hujus, cujus Apostolus involucro gravabatur, per Jesum Christum, sive ille, sive nostrum quilibet liberatur : quia per eum divina nobis gratia ministratur, ut quod idem jubet Apostolus impleatur. « Mortificate, inquit, membra vestra quæ sunt super terram : fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam (*Coloss.* III). » Hæc sunt membra hujus corporis ; hæ sunt species hujus mortis ; hæc est ipsa mors quam necesse est multo, et continuo labore mortificemus, non ut in præsentiarum penitus non sit, sed ut prævalere non possit : ut scilicet cum in nobis genuinus peccandi monetur affectus, nullus ei relaxetur effectus. Neque enim, dum hic vivimus incentivum peccati potest à nobis radicitus exstirpari ; sed per divinam potest gratiam refrenari : ut ejus tumultum spiritus viriliter roboratus, compescat, et illud inefficax, velut exstinctum sub cinere delitescat. Hanc peccati mortem, et hujus mortis mortificationem Joannes Baptista figuraliter ostendebat : cum lumbos suos zona pellicea præcingebat (*Marc.* I). Quia enim per lumborum parentalium concupiscentiam conceptus fuerat, et ab illis non solum corpus, sed corpus mortuum propter peccatum contraxerat, necesse fuit ut eamdem mortem rigore disciplinæ mortificaret : ne carnalis illecebra quam parentes in eum transfuderant, suis cum blanditiis enervaret.

Apte ergo lumbos suos zona pellicea circum-

cinxit, quia carnis lasciviam loro continentiæ sic astrinxit : ut nullam illi evagandi licentiam relaxaret, sed in ipso fonte, caput serpentis mortificationis malleo conquassaret. Qui etiam cum a turbis Christus propter vivendi excellentiam putaretur, ne super hoc falsa diutius opinio vulgaretur : respondit : « Non sum, ego Christus (*Joan.* I). » Non sum, ait, Christus qui non solum ex carnis, sed etiam ex peccati traduce sum conceptus, et ideo immunditiis originalibus sum infectus : mundationem quarum etsi circumcisionis beneficio sum adeptus, tamen dum hic vivo, propter nativæ concupiscentiæ reliquias veraciter judicor imperfectus. Christus vero, qui præter morem nostrum sine virili conceptus est semine, sine concupiscentia natus de virgine, zona pellicea non cingitur, quia pellicea tunica non vestitur. Qui enim in ingressu hujus vitæ nullius concupiscentiæ involucro præpeditur, et ideo in ejus lumbis lex repugnans spiritui non sentitur : profecto nulla districtione cinguli communitur, quia, quod in illo constringi egeat, nihil penitus invenitur. Quem ergo zona pellicea cinctum videtis, Christum esse nullatenus æstimetis : quia etsi vobis excellere videor merito sanctitatis, illi tamen comparari non possim, qui nec natus, nec conceptus est in peccatis. Sic Joannes plurimum se a Christo differre voce et habitu declarabat : cum se originalibus obstrictum vinculis, illum vero peccata mundi tollere proclamabat : « Ecce, ait, qui tollit peccata mundi (*Joan.* I). » Recte ergo dicitur Christus et in Adam fuisse, et tamen ab illo nullam maculam contraxisse : quia sic in utero matris potuit carnem sine concupiscentia sumere contra carnis jura, sicut potuit nasci de Virgine mirabili et nova genitura.

Sed, ne videar justo amplius verbosari, responsioni meæ calcem ponam, et tibi forte gaudenti brevitate lectionis divinæ gravedinem non imponam : quamvis ipsum quod dictum est jam prolixitatis argui mereatur, si tamen quæstionis tuæ insufficiens judicatur. Si autem a veritatis regula non defecit, et tuæ sollicitudini satisfecit : facilius et justius veniam excursus prolixior consequetur, cum legendi morula, utilitatis beneficio relevetur. Quod si verbis multiplicibus, necdum satis quæstionis perplexitas expeditur, tamen nec sic venia neganda est, ubi disserentis voluntas promptior invenitur : quem constat studioso lectori nullatenus invidere, et, si quid intelligere potuit, ex industria non tacere. Ut autem verum fatear tuæ dilectioni, hujus rei veritatem æstimo expeditius me sentire, quam verbis prævaleam expedire : et ideo ad extremum excusandi suffugium mea impossibilitas illud propheticum exclamabit : « Generationem ejus quis enarrabit? » (*Isa.* LIII.) Ejus enim generationem non solum divinam, sed etiam humanam, vel impossibile, vel difficile est enarrari, et ideo humilitas necessaria est, quæ, si quid ei clauditur, non novit indignari : sed vel ampliorem gratiam ad consequendum id quod desiderat promeretur, vel non consequens, rea tamen præsumptionis et contumaciæ non habetur. In hac ergo humilitate et tua inquisitio, et mea responsio consummetur : ut si quid illis deerit, imo quia deerit, hujus plenitudine compensetur. Vale.

EPISTOLA III.

PHILIPPI AD HEROALDUM.

Reprehendit nomen Fortunæ. Docet Christianos non debere immorari in ethnicorum libris, sed ad sacras Scripturas festinare. Laus Parisiensis academiæ.

Litteras quas affectu memori tua mihi misit dilectio, ut lethargum meum, et gravem somnolentiam quodam quasi vigili curares pulsorio, scito me et legisse diligenter **15**, et lectas gratanter accepisse ; quia tuum discentis profectum in eis mihi videor percepisse. Etsi enim testa in quibusdam adhuc odorem servat quo anterius est imbuta, liquet tamen in cæteris cujusmodi nectare sit posterius delibuta : quia et ea nondum taces quibus fumat ethnicorum seductibilis officina, et ea simul loqueris quæ divinæ lectionis tibi serenior contulit disciplina. Neque ut arbitror indigne feres si colaphum tibi fideliter incutiam, quo incusso, velut tenenti nuces excutiam : ut excussis quæ puerilia sunt et plena vanitatis, solummodo teneatur codex maturior honestæ veritatis. Cum dicis, quod fortunæ arridenti nonnulli diligunt arridere, et cum illa quemvis irriserit, irrisum et ipsi pariter irridere : hujusmodi verborum superficies aures sanas aliquantulum verberat et offendit, quia sensum imo insensatam eorum significantiam fides ecclesiastica reprehendit. Deus quippe, qui creare et potuit et voluit universa, pro sua voluntate apponit et disponit nobis prospera vel adversa : et discreto sic ordine ordinatoque regimine omnia moderatur, ut in eis non fato, non fortunæ locus, vel efficacia relinquatur. Quod ille ethnicus : Fortuna inquit, in omni re dominatur. Et alius (11) :

Si fortuna, inquit, *volet, fies de rhetore consul*,

et quidquid simile inveneris, tam erroneum et inconsentaneum judicatur : ut nobis super hoc asseren o veritatis majestate silentium indicatur. Unde, etsi quibusdam verbis licite utimur, quibus occultum quid vel dubium dicimus designari, videlicet forte, fortuito et hujusmodi aliis quæ a fortuna, vel a quibus fortuna videtur derivari : eo tamen verbo quod est, fortuna (12), uti nos pari modo loquendi regula non permittit, quia diversum et perversum ejus significatum veritas non admittit. Putat enim error gentilium quod fortuna dea est, et rotam volubilem circumducit, et potenti voluntate hunc deducit ad miseriam, hunc reducit : et cum Marius nova gaudet potentia, tunc arridet, cum vero Sejanus unco ducitur, tunc irridet. Quod quia sentire cum illis non est catholicum, profecto et dicere cum illis, non est

(11) Juvenal, satyra 7.

(12) Confer S. Austini, l. I Retract., c. I.

veridicum : et cum certum habeam veritatem fidei te sentire, volo ut inveniatur vera sentienti sermo serius consentire. Habes in Psalmo cui certius hoc assignes. « Hunc humiliat, inquit, et hunc exaltat. (*Psal.* LXXIV.) » Quis ? « Calix, inquit, in manu Domini, et inclinavit ex hoc in hoc. » Et Anna : « Dominus, inquit, deducit ad inferos, et reducit : Dominus pauperem facit, et ditat (*I Reg.* I.) » Cum ergo in manu sit Dei tam grata prosperitas, quam adversitas importuna, certum habe quod in eis non fatum operatur aliquid, non fortuna ; sed hoc fictitium errore delusa vario gentilitas adinvenit, cum sibi deos quærens, Deum verum misera non invenit. Denique legisti in titulo Psalmi, « Intellectus Asaph, » et in Psalmorum titulis « Asaph » frequentius invenisti, de quo et in tuis mihi loqui litteris voluisti : tenens scientia quod cum ille torcularis angustia sit detentus non acinum imo vinum, non amurca, sed oleum est inventus. Hoc est quod in tuis mihi dixi litteris placuisse, quia scilicet divinæ lectioni videris operam impendisse : in qua Asaph et Ydithum, et hujus formæ cæteri non mediocriter commendantur, qui suo et aliorum labore vel studio ad obtinendum vitam juste compositam commendantur. Quorum, si commendabilem assecutus fueris intellectum, si transire, imo si transilire de profectu elegeris in profectum : si arte, corda, manu, concordem morum composueris harmoniam, profecto coram arca fœderis gratam divinis auribus, et tu concines psalmodiam. In quo velut gymnasio (ut mihi tuæ immuunt litteræ) jam luctaris, et voluntario humero pressuram sustines torcularis : forte saporem illum veterem sæcularis vitæ et scientiæ velut acinum relicturus : et in novum tam sciendi, quam vivendi dulcorem agilitate strenua transiturus.

Quid enim aliud divinæ, quibus intendis personant lectiones ? ad quid aliud elaborant litteralis hujus exercitii tunsiones : nisi ut quem assumpserint, reddant graviter eruditum, et eruditionis malleo ad incudam melioris vitæ semitam expeditum ? Nosti aliquos tam tardis, tam lethargicis moribus elanguere, ut nullam vel parvam ad sciendum velint diligentiam adhibere : alios vero tam rudem, imo tam hebetem habere intellectum : ut cum semper discant, nunquam tamen veniant ad perfectum. Sic plerique in populo, rusticana quadam hebetudine adeo sunt inertes, ut quanti vinum vendatur, existant penitus inexpertes : superfluum ducentes, si ad hoc perscrutandum eorum fuerit mens intenta, quæ cisterna sive lacu, sive aquis præterfluentibus est contenta. Alii vero melioris, ut putant, propositi cum intra suum nolint se tugurium retentare, plateas, fora, compita, et majorum conventicula diligunt frequentare : et prætergredientes agnoscunt in taberna significante circulo vinum esse, et forte præconis testimonio sciunt idem etiam bonum esse. Cæterum cujus scientiam usu tantum, vel auditu extrario perceperint, non statim et dulcorem gustu intimo persenserunt : eisque nil salubre confert scientia quæ præcurrit, si præcurrenti gustus experientia non succurrit. Etsi enim quis ad hoc promovetur, ut assumpto præconis officio in plateis, et vicis velit, et valeat 16 clamitare, et quanta sit eliquati musti jucunditas, quæ aviti meri suavitas, buccis concrepantibus jactitare, quidquid tamen in hunc modum miscet cæteris et propinat, si non et ipse gustu perceperit sua propinantis intima non saginat ? Quorum formam tu pari aut hebetudine, aut negligentia non secutus, sed meliori consilio prudenter institutus, sepone illius fabulosi saporem aquaticum Heliconis, et introduci satage in cellam veram et vinariam Salomonis : neque hoc ut de vino aut vinea Soreth uberius et clamosius verboseris, sed ut haustu avido gustuque plenario debrieris.

Ob hoc autem nolo te fieri ebriosæ hujus plenitudinis inexpertum, quia Heliconis fecundi calices nunquam facient te disertum : sed eo potius vino eris veræ scientiæ non ignarus, imo scies, quia et senties, « inebrians calix Domini quam præclarus (*Psal.* XXII). » Hic enim dicitur verum scire, cui conceditur et sentire : cum id quod in Scripturis vitale et saluberrimum invenitur non legentis claudit memoria, sed gustantis aviditas experitur. Unde Propheta : « Gustate (*Psal.* XXXIII), » inquit, et alius : « Amici, ait, bibite et inebriamini (*Cantic.* V). » Qui vero male sobrius ebrietatis hujus calicem non degustat, cujus fauces abstemias languor et sitis arida coangustat : constat eum veram Scripturæ scientiam non habere, cujus etsi verba meminit, sensum non meruit obtinere. Sensum non obtinet, qui, etsi carnes vel corium quærens potuit invenire, nondum tamen ad vitalem ejus spiritum pervenire : qui spiritalem Scripturæ dulcedinem nondum sentit, qui auditæ lectioni affectu mentis applicito non consentit : qui, etsi legendi studio memoriter verba capit, palato ejus stupido interna illius suavitas nondum sapit : ideoque, etsi apud homines magnus vice Apollinis jam putatur, ejusdem Scripturæ testimonio in nihilum reputatur. « Si quis, ait, consummatus erit inter filios hominum, si abfuerit ab illo sapientia tua : in nihilum reputabitur (*Sap.* IX). » Et infra : « Vani sunt, ait, omnes homines, in quibus non est scientia Dei (*Sap.* XIII). » Vides quia Scriptura quam sapientiam eamdem et scientiam dicit esse, vel alteram alteri tam concordem, tam consimilem prorsus esse : ut quisquis hujusmodi tam scientia, quam sapientia non donatur, vanitatis argui et reputari in nihilum mereatur. Nam scientiam Dei dicit, qua Deus scitur, qua sentitur, qua ejus dulcedinem in Scripturis affectuosa mens legentium experitur : quam devoti legentes hauriunt de cella vinariæ plenitudinis inexhausta, quam ipse largitor ejus, plusquam offerentium diligit holocausta. « Volui, ait, scientiam Dei plusquam holocausta (*Ose.* VI). » Quod autem scientiam Dei velit intelligi, non quæ famæ seu verborum ejus foliis est contenta, sed quæ Deum sentiens, et degustans ex-

plendis ejus voluntatibus est intenta ; consequenter per oppositum innuit, dicens eos in transgressionis præcipitium devolutos, quos vult intelligi non esse Dei scientiam assecutos. « Volui, ait, scientiam Dei plusquam holocausta. Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum. » Cum deberet dicere : ipsi autem quam volui scientiam Dei nequaquam habuerunt, dicit, quod non habentes Dei scientiam, consequenter facere voluerunt : ut per id quod fieri patenter perhibetur, quæ causa efficiens antecedat probabiliter intimetur. Et pulchre, « sicut Adam, inquit, transgressi sunt pactum, » Adam cum in paradiso ad tangendum vetitum se extendit, non naturæ violentia, non mentis ignorantia sic ostendit, sed enervi mollitie gerendum esse morem femineæ decernens passioni, prudens et conscius inobediens exstitit rationi. Qui si Deum prædicta scientia, id est præsenti experientia gustu, sensu, sententia tenuisset, non voluntate, non contemptu pactum quod acceperat, præterisset : quia, quem eo modo quisque sentiens gaudet scire, ei consequenter diligit etiam obedire.

Recte ergo, qui sicut Adam prudenter peccare pactumque transgredi non verentur, scientiam non habere, sed laborare inscitia perhibentur : cum augmentum sciendi sit, non si qui de Scripturis multa et veracia volubiliter eloquuntur ; sed si percepto earum sensui, consensu morum affectuosius obsequuntur. Neque ideo credideris, ut divina lectio digne superflua judicetur, quod scilicet non omnis ejus lector ad hunc sensum et consensum legendo promovetur : nec habet in se illa vim tam vividam vel effectum, ut lectorem quemlibet reddat necessario sic affectatum. Sola quippe gratia donat profectus hujus invisibiliter incrementum, sed exterior lectio non mediocre adhibet adjumentum : dum lectorem blando sinu excipiens ad docendum, docet multifariam quomodo sit vivendum : et quo meritis vitæ præcedentibus veniendum. Quæ, dum sensus mysticos et morales clausos involucro litterali, dum testam litteralem dicit esse vino prælitam spiritali : dum ejus vini quasi ostentat colorem, dum commendat saporem, dum prædicat utilitatem, ad bibendum illud, auditorem, hortatur et instigat, et hoc ille hortamento, commendata curiosius pervestigat. Dumque bibit commendantis instantia gratanter lacessitus, acuitur interior bibentis appetitus : et quod parum vel nihil videbatur utile non bibenti, fit jucundum et salubre plenius haurienti. Gustus enim appetitu, et appetitus gustu gratum accipit incrementum, et **17** proficiens interiori homini confert sondius alimentum, ut hic ille velut pane robustius iuvalescat, vel tanquam vino primo eleganter ebrius hilarescat.

A Illa quippe spiritalis scientia, sive, ut expressius dixerim, vitalis sententia quæ in divinis litteris tunc sentitur, cum earumdem auctor devoto lectori uberiorem gratiam impertitur, et panis dicitur quo ille habet homo interior roborari, et vinum quo in excessum mentis proficiens debriari. Panis est, cum invictam ille fortitudinem conceditur adipisci ; vinum viro, cum cœlestibus inhians terrenorum et visibilium oblivisci. Panis cum quæque adversantia viriliter sustinet et retundit ; vinum vero, cum, non quærens quæ sua sunt, totus in illo Dei sanctuario se abscondit. Quod attendens Zacharias : « Quid bonum ait, ejus, et quid pulchrum ejus est nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? » (*Zach.* IX.) Quid bonum, inquit, in B Scriptura, nisi panis seu frumentum, a cujus edulio canes removens impudicos, eos admittit solum quos dignanter Christus eligit in amicos : qui abhorrentes porcorum siliquas et inanes paleas jumentorum, affectu delicato pasci appetunt frumentea similagine filiorum? Quibus per Salomonem, « Comedite, inquit, amici (*Cant.* V). » Et quid pulchrum in Scriptura nisi vinum? quo qui poti fuerint in quamdam velut exstasim rapiuntur, et tumultu vigilum relegato, quiete mentis placida sopiuntur, habentes quæcunque somno huic obstrepunt sic invisa, ut eis valefacto, Christum sequantur integritate spiritus indivisa. Cujus integritatis merito esse etiam virgines perhibentur, quia scilicet affectu vitiorum vario C non tenentur, sed spretis lenociniis, quibus carnales quique nullo corrumpi sanctitatis intuitu pertimescunt, in solius Christi amplexu casto, vel accubitu requiescunt. Quod pulchre adolescens ille in Evangelio præsignavit, qui Judæis frementibus eumque tenere volentibus, sindonem resignavit, eligens nudus fugere (*Marc.* XIV), et quietam puritatem spiritus experiri, quam pannosa malitia tumultuantium irretiri. Quem volentem, ut aiunt (13), uxorem ducere Christus a proposito revocavit, et supra pectus suum, cum cœna fieret, reclinavit (*Joan.* XVIII), quia eos venustat integra puritate spiritus virginalis, quos admittit familiarius ad scientiæ profunda spiritalis. Et recte is, cui datur supra Christi pectus in cœna recumbere, cui spiritalem scientiam ube- D rius voluit Christus infundere, recte, inquam, adolescens et virgo fuisse prædicatur, ut hic duplex gratia grato consortio commendabilior habeatur. Nam, cum nonnulli eo velut ætatis gradu, solutis pudicitiæ legibus diligunt effrenari, prudens quisque satagit virginea verecundia refrenari, attendens quia illa est adolescenti utilis fortitudo, cui superducitur virginalis verecundiæ pulchritudo. Denique quidam comicus (14), *Decet*, inquit, *verecundum esse ado-*

(13) Bene dicit *ut aiunt*. Ita enim opinati sunt quidam ex præfatione in Joannem quæ sub Augustini titulo circumfertur ; eam vero Augustini non esse, tum ex styli diversitate, tum ex tract. ult. in Joan. certum est. Sanctum autem Joannem nunquam attentasse nuptias, ex Ignatio, Hieronimo et Epiphanio recte probat Baron. tomo I Annal., ad an. Christi 31. Nuptias vero Joannis cap. II relatas fuisse Simonis Chananeæ judicat Nicephorus l. VIII, c. 3.

(14) Plautus.

lescentem. Et Joannes : « Scribo, inquit, vobis, adolescentes, quia fortes estis, et vicistis malignum (*I Joan.* II). » Quoniam adolescens proprio quodam impetu ad obtinendum suos vehementer æstuat appetitus, amore quorum tenero fortiter fuerit irretitus, recte per eum vehemens fortitudo, vel fortis vehementia designatur, quæ huic ætati, imo huic voluntati familiariter assignatur. Cui fortitudini, quædam necesse est integritas verecundi spiritus adjungatur, quæ illam non vanis et noxiis immergi desideriis patiatur, sed a forensi negotio et strepitu revocans platearum, versari scenm faciat in conclavi florido Scripturarum. In quo, cum hi duo affectus indiviso fœdere copulantur et in modum Joannis acclines in Christi pectore soporantur (*Joan.* XIII), nusquam legentium tali potest otio quidquam fructuosius inveniri, vix tali negotio quidquam serenius quid vel jucundius experiri. De quo Isaias : « Habitabit, inquit, juvenis cum virgine (*Isa.* LXII). » Cum enim lectorem Christus sua dignatur gratia visitare, et ut legens intelligat et intellecta diligat, castum ejus et vehemens desiderium inflammare, fit quædam juvenis et virginis cohabitatio gratiosa, et non consensu carnalium, sed profectu spiritalium fructuosa. Hujusmodi robustos et virgines, id est fortem integritatem spiritus virginalis, juxta supradictum Zachariam, parit vel germinat Scripturæ scientia spiritalis, cum aut studiosus lector velut panem comedit in sudore, aut eo provectior velut vinum haustu percipit leniore. Quod nimirum illius Asaph, et scire et sentire jam gaudet intellectus, qui dono gratiæ ad obtinendum hoc beneficium est provectus, ut vinum eliquatum forti prælo divinæ lectionis, defæcatum hauriat in illius quieto cellario Salomonis. Ad quod, sicut multo venisse comitatu regina legitur Sabæorum, ut quorum famam de longe hauserat, certiora sibi visu redderet oculorum (*III Reg.* X), sic et tu amore ductus scientiæ Parisius advenisti, et a multis expetitam optato compendio Jerusalem invenisti. Hic enim David decachordum psalterium manu tangit, hic tactu mystico psalmos pangit ; hic Isaiæ legitur, legendo detegitur prophetia ; hic prophetæ cæteri diversos modulos concordi proferunt melodia. Hic sapiens Salomon erudiendos convenas operitur ; hic ejus promptuarium studiosis pulsantibus aperitur ; hic ad pulsandum tantus concursus, tanta frequentia clericorum, ut contendat supergredi numerosam multitudinem laicorum. Felix civitas, in qua sancti codices 18 tanto studio revolvuntur, et eorum perplexa mysteria, superfusi dono spiritus resolvuntur, in qua tanta lectorum diligentia, tanta denique scientia Scripturarum, ut in modum Cariat sepher merito dici possit civitas litterarum. In hac instar Gothoniel volo te non tam litteraliter, quam spiritaliter erudiri, sic Scripturas capere, ut internam illarum dulcedinem diligas experiri ; psalteriumque musicum sic sonare, ut inveniatur et assumpta cithara consonare : « Psalterium (enim ut legisti) jucundum cum cithara (*Psal.* LXXX). » Vale.

EPISTOLA IV.

PHILIPPI AD ENGELBERTUM.

Studium litterarum ad interiorem hominis spiritualem perfectionem esse referendum.

Sicut nosti grammaticos dicere, vir dicitur a virtute, eo scilicet quod animum habere debeat non mollem, non elumbem, non, ut ita dixerim femininum, sed fortem et constantem invictoque robore masculinum ; qui prosperitatis arridente affluentia inaniter non grandescat, et adversitatis urgente molestia muliebriter non facescat. Si ergo perfectum proficere vis in virum, vel potius si te recolis esse virum, age, viriliter, et robustius confortare, nec recuses dicendi gratia, quidquid grave occurrerit tolerare. Sicut enim miles palmam non accipit, qui molli desidia consopitur, qui laboris impatiens, umbra, plumis, uxorio complexu assidue delinitur, sic non nisi labore et studio ad excelsa scientiæ pervenitur. Ideo nimirum et clericali nomine vides passim plurimos insigniri, et profectu congruo raros admodum erudiri, sed eos difficultate qualibet repercussos vel manere penitus idiotas, vel fonte labra proluere caballino, ut sic repente prodeant in poetas. Quod utrumque diligentius vitare studuerunt quicunque litterati et dici et esse veraciter voluerunt ; qui philosophiæ non parvi mora temporis asseclæ vel ministri, ad hoc usque profecerunt ut aliorum fierent et magistri. Quorum Plato Atheniensium civis, cum jam Græcas ad unguem litteras doctus esset et in auditorio Socratis suis longe condiscipulis major esset, adhuc tamen amore sciendi exæstuans in Ægyptum descendit, et inter exteras et barbaras nationes non parvam scientiam apprehendit. Audierat forte quod Moyses, qui in Ægypto natus fuerat et nutritus, omni sapientia Ægyptiorum, sicut divina refert pagina, fuerat eruditus ; et super hac sapientia idem Plato, non mediocriter curiosus, ad investigandum eam factus est studiosus. Hac autem investigatione non contentus, inde Italiam requisivit, et inter Pythagoricos multam quoque scientiam acquisivit ; talique studio deditus ad annum ætatis octogesimum primum venit, in quo finem studii nisi cum vitæ termino non invenit.

Socrates magister Platonis nonaginta novem annis perhibetur vixisse, et eosdem in assiduo labore litterario consumpsisse. Themistocles, cum centum et septem annorum numerum explevisset, et imminere sibi vitæ terminum præsensisset, conquestus est, ut aiunt, quod eo tempore de vita egredi cogeretur in quo sibi primum incipiens sapere videretur. Cato censorius, cum ætate matura provectus et inter Latinos videretur scientia jam perfectus, juvenili tamen alacritate ad discendum Græcas litteras incandescit, et Latinorum doctor Græcorum discipulus fieri nullatenus erubescit.

Cum igitur hos et hujusmodi viros non fregerit laboris asperitas, non provectæ revocaret ætatis longævitas, quin studio litterali tantam diligentiam

impertirent, ut amore sciendi occurrentia quævis incommoda non sentirent, non est consilii, ut propter ingruentem febriculam tua strenuitas emarcescat, et, infirmato corpore, virilis pariter animus elanguescat. Non enim Parisius fuisse, sed Parisius honestam scientiam acquisisse honestum est. Non itaque tibi sufficiat, si musas, si fontem Heliconium tu vidisti, si de illius rivulo guttam modicam tu hausisti, si videas illius rore tenuissimo te perfundi, ejus autem adhuc affluentiam tibi plenius non infundi. Denique ipsa philosophia quæ proponit studentibus fontem lucidum Heliconis, non satis esse judicat solum hujus beneficium visionis; et cui acre et acutum ingenium dat Platonis, cui flores et ornatam eloquentiam Ciceronis, cui largitur illius tui Socratis documenta, cui Aristotelis revelat manifestius argumenta, eum profecto vult gutta vel rore modico non aspergi, sed ejus fonti vivido diutius incumbere vel immergi. Quæ autem vel divitiæ temporales, vel deliciæ corporales possunt huic scientiæ comparari, cum quivis stultus, et illis affluere nonnunquam videatur, et hanc sibi acquirere nullatenus mereatur? Unde Scriptura divina : « Quid prodest, inquit, stulto divitias habere, cum sapientiam emere non possit? » (*Prov.* XVII.) Non itaque divitiæ Crœsi, non Alexandri potentia, non Polyphemi horrida magnitudo, non invicta Herculis fortitudo, non admiranda Nerei pulchritudo, non hujusmodi cætera ex æquo litterali scientiæ conferuntur, sed illis procul dubio elegantes litteræ merito præferuntur. Cum ergo ad nos, Deo volente, sanus redieris, et non tam pecuniam quam litteralem scientiam tecum retuleris, ego te, ut verum 19 fatear, etsi naufragum, non tamen pauperem extimabo, sed honestis mercibus onustatum, et pretiosis divitiis honestatum recta sententia judicabo, quamvis eæ divitiæ non primariæ, sed secundariæ videantur, imo diligentius intuenti, nec divitiæ veraciter habeantur; si non illis divitiis religiose et humiliter famulentur, quæ a solis vere divitibus spiritaliter obtinentur. De quibus Scriptura divina : « Redemptio, inquit, animæ viri, propriæ divitiæ (*Prov.* XIII). » Propriæ viri divitiæ fides, spes, charitas, et cæteræ virtutes sunt, quibus ad cœlestem gloriam pervenitur, quibus quisquis caruerit, stultus apud Deum et inglorius invenitur, cum ab ipso Deo cognitore vere sapientium reprobetur, etsi a vobis ut Socrates, Plato, Aristoteles approbetur. « Nonne stultam, inquit Apostolus, fecit Deus sapientiam hujus mundi? » (*I Cor.* I.) Et iterum : « Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum (*ibid.*). » Et Dominus : « Perdam, inquit, sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo (*ibid.*). » Nulla ergo prudentia, nulla scientia, nulla litteraturæ affluentia satis digna est commendari, quæ non studet superducto virtutum propugnaculo cumulari, imo illarum divitiis, ut compedibus alienis graviter deprimuntur, qui non virtutum meritis tanquam propriis divitiis redimuntur.

Ob hoc autem propriæ divitiæ virtutes asseruntur, quia vere divites reddunt eos quibus gratuito conferuntur, dum illis et in præsenti conferunt proficientem gratiam meritorum, et in futuro indeficientem gloriam præmiorum. Cum igitur quisque prudens, quasi ad luctandum in scholari gymnasio se denudat, cum vigilat vel abstinet, alget etiam vel desudat, considerandum est ei diligentius quo intendat, vel intentioni suæ, et labori litterario quid prætendat. Non enim decet ut in præsenti labore spe ventosa et vacua confortetur, tanquam animal quod vento et aura vivere perhibetur, ne scilicet in eo quod studiis litteralibus exercetur, apud se quandoque inaniter glorietur. Quæ gloriandi causa, cum scholares miseros ad discendum provocat et inducit, eos grato lenocinio supplantat penitus et seducit; dum illis et sciendi insatiabilem dat affectum, et tamen nunquam eos scientiæ adducit ad perfectum, de quibus Apostolus : « Semper, inquit, discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes (*II Tim.* III). » Veritatis est scientia Deum scire, sciendi beneficio illum plenius et sentire, non sicut dæmones, qui scientes eum sua scientia torquebantur; sed sicut boni angeli, qui sciendi merito cherubim appellantur. « Scimus, aiunt dæmones, qui sis Filius Dei, quid venisti ante tempus torquere nos? » (*Matth.* VIII.) Cherubim autem interpretantur *plenitudo scientiæ*. Sciunt ergo Deum illi, sciunt et isti, sed illi ut sentiant iratum punitorem, isti ut gratum et gratuitum protectorem; sciunt illi ut ab eo fugere desiderent et exposcant, isti ut familiarius sequantur propitium et cognoscant. Quos imitatus Osee : « Sciemus, inquit, sequemurque ut cognoscamus Dominum (*Ose.* VI). » Te quoque eo intuitu volo scire, multam litteris diligentiam impertire, ut litterarum adminiculo Deum scias plenius et sequaris, et sequendi instantia tandem facie ad faciem cognoscere merearis. Utinam omnes qui mancipantur labori litterario sic studerent, eo fine multiplices scholarum angustias sustinerent, ut scilicet oculus eorum interior infuso scientiæ collyrio mundaretur, et ad videndum Deum promptior et defæcatior redderetur. Vale. Eos qui tecum sunt socios tuos, amicos meos vice mea plurimum saluta.

EPISTOLA V.

PHILIPPI AD JOANNEM.

Defendit libros B. Hilarii de Trinitate et exponit duas difficiles sententias illius : 1. Mariam non dedisse originem corpori Christi. 2. Corpus Christi fuisse impassibile; quorum dictorum catholicum ostendit intellectum.

Vestram erga me dilectionem, non solum nunc ex litteris vestris, sed ex operibus jampridem intelligo, et ego, ut verum fatear, diligentes me diligo, et : Qui vigilant ad diligendum me, (diligentem) inveniunt me. Sed in hoc vestra dilectio major est, quia me prius dilexistis, et diligens diligi meruistis, et sic vestra quod suum est agit gratuito, mea vero utcunque respondet ex debito. Scio autem vestram

non latere prudentiam, quia dilectio nutrit fiduciam qua dilectus ad loquendum, quamvis pulvis et cinis sit, confortatur, cum diligenti non deesse patientiam arbitratur. Loquar igitur ad dominum meum cum fiducia, et vos, quæso, audite cum patientia, et hanc et illam, hinc et inde dilectio mea complectatur; ut ab ejus latere, nec ad modicum deflectatur. Neque enim vel fiducia, vel patientia commendabilis invenitur, nisi cum dilectionis nexu indissolubili devincitur, imo sine dilectione et fiducia in superbiam elevatur, et per iram patientia supplantatur, et sic demum pax illa radicitus exstirpatur, quæ inter servos Dei prima et præcipua commendatur. Lectis litteris vestris, quibus meam, ut dicitis, fraternitatem cautiorem reddere voluistis, fluctuantem eam et magis dubiam reddidistis : dum ab eo quod antea extimabam quasi prudenter me sentire, compulistis aliquantulum dissentire. Librum etenim Athanasii, quem, sicut rogastis et mandastis, vobis miseram ad legendum, non putabam penitus respuendum, **20** sed sic eum legebam, ut quæ in eo intelligere poteram hilariter amplexarer, quæ vero non poteram, tanquam secreta et abscondita humiliter venerarer. Vestram quoque æstimabam divinis in Scripturis scientiam tam prudentem, et prudentiam tam scientem, ut sicut in eis nil præter veritatis regulam sentiretis, ita et ipsius veritatis occulta intellectu lynceo videretis. Quia vero prædictum librum multa loqui falsa de Christo affirmatis, et ob hoc eum hæsitatione postposita reprobatis, hebetudo mea plus quam dici valeat obstupescit, et cujus potius assensum præbeat, pace vestra dixerim, adhuc nescit. Hactenus quidem et illum, vel aliqua vel tanta loqui mendaciter non putabam, et vestram scientiam apud me non mediocriter commendabam : nunc cum alter alteri tam aperte contrarius habeatur, in neutro sum securus. Et cum simul utrumque commendare non possim, necessario sum alterum electurus. Quod si, Deo revelante, vestram esse cognovero sententiam per omnia veriorem, gaudebo consecutus scientiam ampliorem, vestræque perspicaciæ grates non modicas exhibebo, per quam hujusmodi beneficium obtinebo. Si autem certum habuero quod ille, non tanta de Christo mendaciter protestetur, vestram sententiam mea per omnia parvitas non sequetur, et in hoc, quæso, vestra excellentia non gravetur : si apud quemcunque veritas inventa fuerit, tenenda judicetur. Nimirum cum attendo quia in claustro sacras ab infantia litteras didicistis, et in earum scientia non mediocriter profecistis, approbandum in eis extimo quod probatis, et suspectum habeo quod e contrario reprobatis. Cum autem considero quod librum illum Athanasius scripsisse memoratur, et Athanasii sana fides et profunda scientia solemniter commendatur, videor mihi ipsi arguendam incurrere levitatem, si cito credam illi libro hæreticam inesse falsitatem. Denique meus A Augustinus librum quem Athanasius contra hæreticos scribit, invenitur magnopere commendare (14*) ; et hunc esse scriptum contra hæreticos, et prælatus titulus, et ipsius operis prosecutio videtur demonstrare. Quod si vestra prudentia istum ab illo commendabili Athanasio scriptum esse nullatenus arbitratur, et tam ejus titulus quam nostra æstimatio reprobatur, in hoc vobis contentiose nec volo nec debeo refragari, cum certum documentum mihi super hoc ad præsens non inveniam suffragari. Quisquis ergo eum scripserit, verba ejus sunt diligentius intuenda, et in eis intelligentiæ competentis veritas requirenda, ut nec scriptoris auctoritas commendet vel excuset inventam falsitatem, nec præsumpta lectoris agilitas depravet occultam veritatem. B In illo quidem libro cum eum legerem, scio me invenisse quamplura, quæ meæ parvitati visa sunt tam obscura, ut vix possem ad eorum intelligentiam pervenire, sensumque auctoris, vel ob difficultatem sermonis, vel ob mendositatem codicis invenire.

Sunt et alia quæ me, ut verum fatear, permoverunt, et propter sui aliquantulam novitatem, mihi non satis placuerunt, sed eam quam mihi offensam intulerunt, non sum ausus imputare protinus falsitati, sed malui meæ potius ascribere tarditati. Quia enim esse non merui perfectus in Scripturis, non præsumo præproperam ferre sententiam de Scripturis obscuris, ne temere damnans ea in quibus mea cæcitas offendit, jure perdam cætera quæ meus intellectus utcunque comprehendit. Ea ipsa igitur diligentius relegens, tandem mihi visus sum invenire cujus modi sensum videretur illorum obscuritas operiri : C quem etsi verbis multiplicibus nititur expedire, mihi tamen nisi pulsanti noluit aperire. Eapropter, ut jam æstimo, auctor hujus libri non est erroris arguendus, neque idem liber prudenti judicio respuendus, si tamen et quod sentio debet commendabile judicari, et hoc illum sensisse potest veraciter demonstrari. Ut enim alia prætermittam quæ nominatim exprimere noluistis, ea quæ dicis in decimo hujus operis libro pertinaciter et mendaciter prædicari, quæ tam Bedæ quam cæteris orthodoxis pluribus videntur adversari, si paulo diligentius attendere vestra prudentia voluisset, vel commodare, vel D saltem tolerare sine damno fidei potuisset. Prædicat quidem, sicut asseritis, quia Christus initium corporis non sumpsit ex Maria, sed quasi ex Spiritu sancto, et quia in passione, nec tristis fuit, nec doluit; cujusmodi prædicatio non est, ut dicis, audienda, sed ei qui hæc ex voluntate sine peccato egit, gratiarum actio referenda.

In prædicto libro auctor ejus intendit ostendere quod caro Christi miram et inexpertam nobis habuerit genituram, et ideo miræ et nobis inexpertæ fortitudinis fuerit per naturam, ut, sicut in conceptione contra humanum morem nullum peccatum exstitit, sed pura sanctitudo, ita illum hominem conceptum

(14*) Epist. 48, ad Vincentium.

et genitum naturalis quædam supra humanum morem obtinuerit fortitudo. Hoc ostendere liber ille conatur, in hoc totus versatur, retundens quosdam hæreticos, qui præsumebant Dei Filium blasphemare, pro eo quod homo factus humanas angustias non potuit evitare. Commendans igitur corpus illud quod Verbum Dei legitur assumpsisse, dicit illud non a peccati contagio initium vel originem accepisse, dum et Mater ejus **21** prægnans carnaliter invenitur, et tamen ad concipiendum nulla carnis concupiscentia prævenitur. Etsi enim Maria Evæ filia non negatur, tamen sicut Eva concepisse a nullo qui recte sapiat affirmatur, quia Eva sic suo conceptui ministrare carnis materiam comprobatur, ut effectus ministrandi præcedentem concupiscentiam prosequatur. Ex quo Eva Deo per inobedientiam contradixit, carni ejus divina ultio æstum libidinis sic inflixit, ut postmodum ad effectum concipiendi nullatenus perveniret, nisi carnis concupiscentiam tam suæ, quam alterius præsentiret. Et quoniam cum ad gignendum carnaliter pervenitur, caro gignentis prius carnali concupiscentia delinitur, non incongrue eadem concupiscentia potest nostræ carnis origo vel initium appellari, sine cujus prævio blandimento nostra generatio non potest consummari. Et hi quidem, qui ad gignendum nos carnis suæ materiam infuderunt, ejusdem etiam in nos carnis concupiscentiam transfuderunt: et hæc transfusio nostram omnium naturaliter inficit genituram, quia vitium quasi conversum dicitur in naturam. Propter quod Apostolus, tam nos quam cæteros, « natura filios iræ » dicit (*Ephes.* II), quia videlicet per illam sumus concupiscentiam generati; per illam originalibus vinculis obligati. Inde etiam idem peccatum, quo quisque nostrum antequam boni quidquam vel mali faciat naturaliter obligatur, originale non incongrue nominatur, quia ab illo caro nostra originem quodammodo videtur accepisse, et ei hoc initium generatio carnalis intulisse. Sed hanc originem, sive initium Christo Maria non donavit, quæ tamen eum carnaliter generavit, quia et ad gignendum eum sementivam carnis suæ materiam ministravit, et inter ministrandum nullo præventu libidinis æstuavit. Hoc est quod Athanasius dicit : « Neque enim, ait, corpori Maria originem dedit, licet ad crementa partumque corporis, omne quod sexus sui est naturale contulerit. » Dicit Mariam corpori Christi originem non dedisse, et tamen omne quod sexus sui naturale est contulisse, in quo ostendit eam, et quod matris est proprium, id est carnis materiam, impendisse, et tamen nullam originalis vitii maculam intulisse. Hoc prædicat, hoc replicat, hoc diversis modis inculcando liber iste multiplicat : quod scilicet corpus Christi, quamvis nostro simile naturaliter habeatur, a nostrorum tamen contagio vitiorum nullatenus inchoatur. De quo ait quod « licet sexus sui officio genuerit, tamen non terrenæ conceptionis suscepit elementis; » et infra : « Non terrenis inchoatum corpus elementis. » Et quid terrena elementa, vel terrenæ conceptionis elementa velit intelligi, paulo post videtur ostendere, cum nostrorum corporum initia breviter invenitur describere. « Quod si terrena corpora, inquit, id est secundum elementa communium carnarum initiata. » Communes igitur causas, quibus concurrentibus corpora nostra initiantur, elementa dicit terrena, id est vitiosa, propter quæ et corpora nostra vocat terrena, non materiam designans, sed vitia quæ ipsorum corporum sunt quædam initia, quia post peccatum Adæ, nisi parentes nostri concupiscentiæ vitiis æstuarent, nullam profecto sobolem carnaliter generarent. De quibus vitiis alibi dicit : « Christus etiamsi vitiorum nostrorum origine esset conceptus. » Quod si Christus vitiorum nostrorum origine conceptus non est, unde conceptus est? De Spiritu sancto. Supervenit quippe Spiritus sanctus in Virginem, et operatus est conceptionis hujus originem : ad hoc replens Virginem, ut in concipiendo carnis suæ materiam impertiret, ad hoc obumbrans ei, ut æstum libidinis non sentiret. Cum ergo dicitur vel Virgo de Spiritu concepisse, vel Christus a Spiritu carnis originem accepisse, non intelligitur quod divina substantia in carnem transierit, vel conceptionis hujus causa materialis exstiterit, sed adventus ejus in Virginem, et mira operatio designatur, per quam Virgo generat, et Christus mirabiliter generatur. Nostram quidem conceptionem operatur conjunctio maris et feminæ, illam vero Verbum Dei, vel Spiritus manens in Virgine : et ideo hujus ratio de deorsum venire comprobatur, illius vero longe aliter ac desuper venire commendatur. De qua meus Augustinus in libro De Genesi ad litteram (cap. 20) : « Ratio, inquit, conceptionis ejus, non a semine virili, sed longe aliter ac desuper venit. Quod est rationem hujus conceptionis longe aliter ac desuper venisse, hoc esse æstimo, a Verbo Dei, vel Spiritu originem accepisse, quia et Verbum Dei de sinu Patris veniens mansit in Virgine, et « Spiritus, inquit, sanctus superveniet in te (*Luc.* I). » Ideo Athanasius dicit : « Caro non aliunde originem sumpserat quam ex Verbo. Et infra de Christo : « Ipse, inquit, corporis sui origo est. » Et iterum : « Originem, inquit, ejus ex supervenientis in Virgine sancti Spiritus aditu testatus est. » Et infra : « Quod ex conceptu, ait, Spiritus sancti Virgo progenuit. » Et multa hujusmodi.

Sive ergo Verbum Dei, sive Spiritus hanc originem dicatur operari, non debet absonum vel contrarium æstimari, quia et « Sapientia ædificavit sibi domum (*Prov.* IX), » id est Filius Dei corpus suum; et : « Quod in ea, inquit, natum est, de Spiritu sancto est (*Matth.* I). » Cum autem seu Verbo, seu Spiritui hæc operatio assignatur (15), non tamen egisse Maria quod suum est abnegatur, imo certum est illam carnis suæ **22** materiam præstitisse, et hujus

(15) Explicat verba S. Hilarii ex l. x De Trinit.

conceptionis causam materialem exstitisse. Spiritus vero sanctus, sicut vestra optime scripsit prudentia, in conceptione Christi non fuit materialis causa, sed efficiens. Et quid, quæso, causa materialis profuisset, si non causa efficiens adfuisset : quæ miro et inusitato modo virginem sterilem fecundavit, dum sementivam ejus carnem sine virili opere in corpus filii transformavit? Recte ergo ille Filius dici potest originem accepisse a Spiritu, quia de eo conceptus est, et nihilominus originem ex Maria, quia ex muliere factus est, ut ille causa efficiens, ista causa materialis sit, et vera mater veri hominis sit. Sicut enim ille verus homo, sic illa vera mater fuit, quæ ex carne propria illum progenuit, quod Eutiches et qui cum eo erant negare præsumpserunt, et eum nil accepisse ex carne Virginis contenderunt. Dicebant quippe quia, etsi in utero Virginis fuerat incarnatus, non erat tamen ex illius semine procreatus, forte ne illi injuriam inferre viderentur, si ex tali materia eum esse genitum faterentur. Erroneam quorum sententiam Beda ille venerabilis, ad quem me remisistis, molitur evertere, et eos, imo eorum similes ad fidem convertere, asserens quia ille carnem sumpsit non de nihilo, non aliunde, sed ex proprio Virginis semine (15*), « alioquin, ait, nec vere filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. » In quo non extimo eumdem Bedam Augustino, vel Athanasio contraria dicere vel sentire, neque illos econverso ab hujusmodi sententia dissentire, cum iste loquatur de materia corporis sementiva, ille vero de operatione divina. Quia enim desuper venit hujus conceptionis ratio, non incongrue dici potest inde originem accepisse conceptio, quia vero carnem traxit ex virgine, recte et originem habuisse perhibetur ex homine. Istud Beda contra Eutichem studuit approbare, illud Athanasius multipliciter commendare, nec in hoc alter alteri mihi visus est repugnare, sed suos quisque adversarios viriliter expugnare. Neque Beda ignorat, ut æstimo, desuper venisse conceptionis hujus rationem, neque Athanasius negat Mariam præbuisse sementivam sui corporis portionem, sed Beda id ad probandum suscipit quod quasi secundarium famulatur, ille vero quod primum et præcipuum operatur. Loquens autem ille de ratione conceptionis, quæ prima et præcipua non immerito judicatur, non tacet de Maria quæ, remota concupiscentia, quod matris est reliquum operatur, sed fatetur eam et ex seipsa filium genuisse, et non nisi a Deo eumdem suscepisse. « Virgo, ait, non nisi ex sancto Spiritu genuit quod genuit, et quamvis tantum ad nativitatem carnis ex se daret, quantum ex se feminæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent, » et cætera. Et alibi : « Cum prædicemus, inquit, ut vere Dei Filius verus hominis filius natus sit. » Et infra : « Officio, inquit, usa materno sexus sui naturam in A conceptu, et partu hominis exsecuta est. » Et iterum : « Genuit, inquit, ex se corpus, sed quod conceptum esset ex Spiritu. »

In his verbis satis aperte, et illam vere matrem, et illum vere filium hominis confitetur : quod minime posset dici, si non ex carne ejus veraciter nasceretur. Sed quia ille a vitiis nostræ originis, vel a nostris originalibus vitiis exordium non accepit, dum ejus præjacentem materiam carnalis concupiscentia non infecit, recte ejus originem Athanasius et mirabilem commendat, et commendabilem admiratur, quam novo genere descendens in Virginem Verbum Dei, vel Spiritus operatur. Unde et ipse, qui sic a Verbo Dei est susceptus, de Spiritu est conceptus, et si novit cæteris hominibus humanæ substantiæ veritate consimilem, dicit tamen naturali quadam virtute longe dissimilem, ut sicut in conceptione nil pertulit contrarium sanctitati, sic postmodum in anima vel corpore nil sufferret suæ contrarium voluntati. Nos nimirum quia per parentum concupiscentiam generamur, et in ipsa origine peccatorum nexibus obligamur, nati quidem conditioni tam miseræ subjugamur, ut, quamvis inviti, pœnarum tamen angustias patiamur. Sic in ipso conceptu nostra natura vitiatur, sic prævalente culpa inevitabiliter infirmatur, ut, velit nolit, accidentibus angustiis affligatur, et quam in Adam ante peccatum acceperat, firmitatem perdere compellatur. Et quia a quoquam nostrum hæc infirmitas, utpote jam ingenita, non potest evitari, usurpative natura meruit appellari. Jam ergo naturaliter infirmi sumus, jam naturaliter timore et tristitia, fame et siti, calore et frigore, flagellis et vulneribus affligimur, ita ut hæc incommoda nec possimus penitus removere, nec possimus, cum acciderint, non dolere. Hic est ille sudor, in quo post peccatum panem nostrum miserabiliter manducamus; hæc est illa infirmitas, in qua naturaliter laboramus; hæc est natura cujus nexibus exui peroptamus, ut nostræ voluntati tandem nil contrarium sufferamus. Hanc naturam dicit Athanasius in Christo non fuisse; hujus eum infirmitatis non credit exstitisse, ut scilicet invitus quidquam molestiæ vel in anima, vel in corpore pateretur, quamvis ei plurimum inferri videretur (16). Quia enim mater ejus viri consortium ignoravit, quia in concipiendo carnalis eam concupiscentia non fœdavit : sed Spiritus superveniens, et obumbrans virtus Altissimi **23** fecundavit, illum sic genitum, fuisse dicit naturæ tam potentis, ut posset evitare pœnæ molestias occurrentis. Sicut enim nostra nos vitiosa origo informavit, et ad patiendum et dolendum invitos subjugavit, sic et illum origo sua carens vitio roboravit, et ab ejus voluntate omnem prorsus molestiam relegavit.

Passiones igitur suam in illum non potuerunt naturam exercere, dum ejus voluntati nihil potuerunt

(15*) In Beda, l. IV *in Lucam*, c. 49, sic habetur : *sed materna traxit ex carne.*

(16) Hæc optime explicant varia loca S. Hilarii.

contrarium admovere, et cum ille cuncta videretur occurrentia sustinere, tamen nihil horum adversus eum potuit prævalere. Tantæ quippe fuerat firmitatis, ut privari non posset jure proprio voluntatis; nec primatum in eo naturalis nostra infirmitas, vel infirma necessitas obtineret, sed sua in omnibus voluntas permaneret. Eapropter sicut natus est cum voluit, sic passus est quæ voluit, afflictus ut voluit, non habens naturam, ut sicut nos dolere cogeretur, sed habens voluntatem, ut condolendo nostris doloribus mederetur (16*). Hoc liber iste, de quo nobis sermo est, videtur prædicare, hoc prædicando multipliciter commendare: quod scilicet Christus, cujus omni vitio caruit genitura, ad illatas passiones non doluerit ex natura (17). Neque enim negat quin ille nostri et corporis et animi passiones pertulerit, perferendo doluerit, sed quia hunc dolorem non ei necessitas (18) naturalis intulerit, sed ipse cum voluntate susceperit. Passus est, inquit, Dominus Jesus Christus, dum cæditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur, sed in corpus Domini irruens passio, necnon fuit passio, nec tamen naturam passionis exercuit, dum et pœnali ministerio desævit, ut virtus corporis sine sensu pœnæ, vim pœnæ in se desævientis excipit. Naturam passionis tunc passio videtur exercere, cum patientem, velit nolit, ad dolendum potest compellere, cum juxta modum vel impetum, quo ista superveniens ingravescit, ille coactus vel animo vel corpore contabescit. Verum naturam passionis in Christo, sua passio nequaquam exercuit, dum ejus amaritudo adversus illum prævalere non potuit, quia etsi illi tumultus passionum, gravis et multiplex est inflictus, ille tamen non nisi quando, quantum, quomodo voluit, est afflictus. Unde et id quod sensit, dicit eum quodammodo non sensisse, et vim pœnæ sævientis sine sensu pœnali excepisse, quia videtur non sentire pœnam qui ea non gravatur, et videtur non gravari, qui voluntatis imperio ejus gravedinem moderatur. Virtus, ait, corporis, sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis excipit. Et quia id forte plenum scrupuli videbatur, quod sine sensu pœnæ excepisse vim pœnæ memoratur, qualiter hoc debeat intelligi consequenter evidentius demonstratur, cum illius naturæ hæc quasi insensibilitas assignatur, nisi forte prudentiori aliter debere intelligi videatur, dum tamen constat quod in eisdem verbis veritas habeatur. « Habuerat, inquit, sane illud Domini nostri corpus, doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturæ habeat, ut calcet undas et super fluctus eat. » Neque nostrum corpus ejus esse vult naturæ, cujus corpus Christi est, neque illud econverso cujus et nostrum est, non quia non sit verus homo sicut et nos, sed quia non vitiosus naturaliter sicut nos. Quod apertius in sequentibus monstrat. « Homo, inquit, ille de Deo est, habens ad patiendum quidem corpus, et passus est; sed naturam non habens ad dolendum, naturæ enim propriæ ac suæ corpus est. » Et paulo post: « Habuit enim corpus, sed originis suæ proprium, neque ex vitiis humanæ conceptionis existens. » Et infra: « Species, inquit, et veritas corporis hominem testetur: sed naturas vitiorum ignoret. » Naturas igitur vitiorum ignoravit, quia vitia infirmitatis nostræ non naturaliter, sed voluntarie toleravit. Unde et alibi: « Demonstrati, inquit, non ambiguum est in natura ejus corporis, infirmitatem naturæ corporeæ non fuisse, et passionem illam, licet illata corpori sit, non tamen naturam dolendi corpori intulisse, quia, quamvis forma corporis nostri esset in Domino, non tamen in vitiosæ infirmitatis nostræ esset corpore, qui non esset in origine, quod ex conceptu Spiritus sancti Virgo progenuit, quod, licet sexus sui officio genuerit, tamen non terrenæ conceptionis suscepit elementis. Genuit enim ex se corpus, sed quod conceptum esset ex Spiritu, habens quidem in se sui corporis veritatem, sed non habens naturæ infirmitatem, dum et corpus illud corporis veritas est, quod generatur ex Virgine, et extra corporis nostri infirmitatem est, quod spiritualis conceptionis sumpsit exordium. »

In his verbis ostenditur quod Christus cæteris hominibus virtute naturæ præpolleat, et ejusdem naturæ non sit ut doleat, et causa interscritur, quia scilicet vitiosa nostræ originis elementa nescivit, quæ origo nos miseros et peccato et pœna peccati naturaliter irretivit. Illi neutrum infirmitas naturalis inflixit, nec sibi quævis molestia, vel in animo vel in corpore contradixit, imo sicut sine peccato et nasci potuit et natus permanere, sic pœnarum molestias potuit vel non pati, vel passus, non dolere. Maximus episcopus: « Quod Christus, inquit, esuriebat ut homo, non erat fragilitatis corporeæ, sed cœlestis gratiæ sacramentum. » Et infra: « Video, inquit, illum esurire, et necessitatem in eo non video manducandi. »

24 Quod ergo esuriit vel quidquid aliud sustinuit, non contradictio, non necessitas, non invitum fuit vel animi vel corporis detrimentum, sed cœlestis gratiæ sacramentum. Quia enim propositum ejus fuit hominibus medicinæ remedium impertire, prout eorum languoribus noverat expedire, sic in veritate substantiæ, vel formæ consimilis apparuit eisdem visibilis, ut habens ab origine miram naturæ firmitatem ad patiendum tamen quæ infirma sunt, inclinaret misericorditer voluntatem, habens ex na-

(16*) Nota pro S. Hilarii sensu et mente.

(17) Confer S. Thom., III p., q. 14, art. 2 et 3; Sent. d. 15, art. 2.

(18) Non talis necessitas qualis est in nobis: nam Christus necessitatem, quæ in ejus humanitate fuit, passiones illatas sentiendi, voluntarie assumpsit; potuitque per voluntatem suam tum divinam, tum humanam, quatenus est instrumentum Verbi, avertere passiones, impedire dolorem, prohibere mortem. Secundum hæc intelligendus est Philippus dum explicat S. Hilarium. Vide stellulam circa finem hujus paginæ.

tura ut posset passionibus non gravari, habens ex voluntate ut compatiendo posset infirmantibus suffragari. In hoc quippe corpus ejus vel animus a nostro differebat, quod sua eum infirmitas dolere non cogebat; sed quia ejus dolor nobis necessarius existebat, nobis non sibi dolorem voluntarium sufferebat. Sicut enim potuit non dolere si voluit, sic potuit et dolere cum voluit : voluit autem quando vel quantum nobis necessarium vidit esse, qui non tam dolere venerat quam prodesse. Ille ergo non doluit nisi volens, ego autem doleo etsi nolens; et ideo etsi mihi consimilis propter assumptam humanæ substantiæ veritatem, longe tamen fuit dissimilis, per naturæ, de qua loquor, mirabilem firmitatem. Quam ejus firmitatem et meus Augustinus commendare videtur, cum super Joannem (19) de turbata ejus anima loqueretur. « Non est, inquit, ullo modo dubitandum, non eum animi infirmitate, sed potestate turbatum, nè nobis desperatio salutis oriatur, quando non potestate sed infirmitate turbamur. » Ille ergo potestate, nos non potestate sed infirmitate. Mira distantia, de qua et statim subjungit (20): « Ineffabili, ait, distantia, universum genus humanum animi fortitudine superabat, nunquid eadem prorsus, qua et nos infirmitate corporis laborabat? Imo, ut extimo, sicut animi, ita et corporis fortitudine a nobis differebat, quam differentiam sua ei munda conceptio conferebat, quæ sicut nova exstitit, cursum nesciens cæteris hominibus naturalem, sic ei novo genere firmitatem contulit singularem. »

Infirmum quidem corpus ejus fuit, in eo quod pati potuit et dolere, quam infirmitatem resurrectionis gratia voluit abolere, sed firmum fuit, quia carens natura vitiosa, vel vitio naturali, quam firmitatem ex conceptione traxerat spiritali. Propter illam infirmitatem, quæ tam potestate quam voluntate est assumpta, et gloriosæ resurrectionis beneficio est consumpta, passibilis et mortalis fuisse veraciter prædicatur, et eum languores nostros et infirmitates portasse plagas Isaias propheta protestatur (cap. 53).

Propter illam vero firmitatem, quæ ei accidit ex natura, quam ei non concupiscentialis, sed spiritualis contulit genitura, universum genus humanum superasse ineffabili distantia perhibetur, ita ut super ea expavescens diabolus miraretur. Hanc enim distantiam, sicut Leo papa dicit (21), et diabolus voluit explorare, cum post jejunium, Christus ausus est attentare. « Expavescens, inquit, in eo quadraginta dierum noctiumque jejunium, explorare callide voluit, utrum hanc continentiam donatam haberet, an propriam : ut non metueret deceptionum suarum opera resolvenda, si Christus ejus esset conditionis, cujus et corporis. » Continentiam quippe qua diebus quadraginta Christus, nihil comederat, non sicut Moyses et Elias donatam recens receperat, seb ab origine propriam, id est naturalem habuerat : quæ etsi corporis nostri erat, nostræ tamen conditionis non erat, quia, sicut nihil in origine vitiosum, sic in opere nihil sibi repugnans vel contrarium sentiebat. Verum cum nostram in se certi causa mysterii esuriem recepisset, gavisus est diabolus, quod signum in eo naturæ passibilis invenisset, et putans eum ejus esse conditionis, cujus et corporis, tandem et deceptionum suarum tendiculas procaciter objectavit, sperans posse decipi quem esuries verum esse hominem demonstravit. Cujus spes et deceptio, nil quod speravit est adepta, imo ab eo quem decipi posse credidit, est decepta, quia in quo inventa est affectio esuriendi, in eo nulla inventa est necessitas comedendi, quia, sicut potuit, cum voluit, esuriem sustinere, sic ad eam removendam nullo cibo inventus est indigere. Cognito itaque et illum verum esse hominem qui esuriebat, et non nostræ infirmitatis hominem qui cibo non egebat, admirans diabolus et confusus recessit, et ad ministrandum ei angelorum exercitus lætabundus accessit. Eapropter Athanasius de passionibus Christi loquens, non eas imbecilli naturæ vel naturali imbecillitati, sed potius ascribit voluntati, sciens et firmissime tenens eum et doluisse, et non naturaliter sed voluntarie doluisse. « Pro nobis, inquit, dolet, non et doloris nostri dolet sensu, habens in se doloris corpus, sed non habens naturam dolendi; » et infra : « Non est, inquit, vivificaturi fiere, neque glorificandi dolere, et tamen vivificat qui flevit et doluit. » Hic aperte fatetur eum et flesse et doluisse, quamvis hoc ejus non fuerit, id est, quamvis ex necessitate vel natura non ei acciderit. « Ascribe, inquit, infirmitatem : si illi necessitas est et natura et si ibi vis est (22). In Christi passionibus necessitatem, naturam, violentiam non vult esse, sed quidquid sustinuit, vel doluit, voluntatem, sacramentum, potestatem, triumphum dicit esse. « Quis, rogo, ait, furor est totum hoc ad contumeliam imbecillis rapere naturæ, quod 25 et voluntas est, et sacramentum, quod et potestas est et triumphus? »

Nulla jam dubietas relinqui videtur, quin iste fateatur Christum doluisse, et ex voluntate doluisse, cum nos naturaliter insitum habeamus ut non ex voluntate, sed ex necessitate pœnaliter doleamus. In quo, ut videre videor, cum cæteris sane sapientibus sentit, et ab eo fides recte credentium non dissentit : quæ dicit Christum « virum dolorum » juxta Isaiam (*Isa.* LIII), sicut et vos optime scribitis exstitisse, et cum carne nostra, nostras affectiones sine peccato ex voluntate suscepisse. Quocirca miror summopere quare hujus lectionem esse inutilem extimastis, imo respuendam tanquam fidei contrariam indicastis : quod nequaquam, ut æstimo, tam libere fecissetis, si ei paulo diligentiorem operam dedissetis. Etsi enim ibi aliquid invenitur quod per

(19) Tractatu 30.
(20) Ibidem.
(21) Hom. super Dom. I Quadragesimæ.

(22) Non sic ex naturæ humanæ principiis, quin si voluisset, impedire potuisset.

se consideratum debet forsitan accusari, potest, nisi fallor, consideratis præcedentibus vel consequentibus excusari, et ad condemnandum quemvis librum, non est prætendenda duarum vel unius scrupulositas dictionis, sed consideranda totius series lectionis. Nusquam enim simul omnia possunt dici, et sunt nonnulla quibus singularibus potest merito contradici; sed cum omnia pariter attenduntur, quæ videbantur respuenda, plerumque præsidio circumjacentium muniuntur.

Quod si est illic aliquam sententiam invenire, quæ nullo pacto possit veritatis regulæ convenire, nunquid propter illam liber iste est contemnendus, vel potius ab his qui fissam habent ungulam totus, sicut scribitis, respuendus? Nunquid propter unam falsitatem, quæ vera sunt reliqua debent a lectione prudentium removeri, cum Apostolus moneat legi omnia, quod bonum est teneri? (*I Thess.* v.) Sed neque ille, ut extimo, fissam habet ungulam, qui cum falso et verum novit respuere, sed qui utrumque legens ab invicem novit prudenter discernere. Neque hæc dixi vel scripsi ut præsumerem vos docere, et scabello dignior in hemicyclio residere, sed vestram volo prudentiam humiliter commonere, ut his quæ dicta sunt dignetur diligentiam adhibere. Et si ea veritati posse viderit convenire, dignetur affectu benevolo consentire; si vero cognoverit contra veritatis regulam quidpiam me sentire, ægroto ignoranti vel inscio ægrotanti curet et medicinalem scientiam, et correctionem congruam impertire. Neque enim sic diligo palpationis consentaneæ blandimenta, ut recusem secantis medici ferramenta, sciens meliora esse diligentis vulnera vel cruenta, quam odientis oscula fraudulenta (*Prov.* XXVII).

Ad hæc ergo quæ dicta sunt, volo vos non tacere, sed quod dignum vobis videbitur, respondere, quia, quidquid dixeritis, mea parvitas non lædetur, si tamen illud veritas, veritatem dilectio comitetur. Valete.

Denique postea quam litteras istas composui, et quo claudi solet epistola ultimum Valete apposui, comperi a magistro Gisleberto, Pictaviensi episcopo, quod librum istum, de quo nobis sermo est, scripsit non Athanasius, sicut noster titulus præmittitur, sed Hilarius Pictaviensis, cujus etiam et fides et doctrina commendabilis invenitur. Nudius enim tertius cum essem Parisius, idemque magister et episcopus Gislebertus mihi colloqui dignaretur, inter loquendum protulit de libro illo quemdam versiculum: « Sic, ait, inquiens Hilarius de Trinitate. » Quem versiculum optime recognoscens, statim quæsivi si operis illius, de quo ille versiculus assumptus est, Hilarius veraciter auctor erat, quia nostri codicis titulus Athanasium præferebat. At ille, ne me error tituli redderet dubium, totius principium operis memoriter duxit ad medium, addens et quoto librorum numero clauderetur, et in quo eorum ille, quem dixerat, versus haberetur. Quæ omnia cum hujus operis veraciter esse cognoscerem, addidi quærere si totum idem opus fide dignum debeat judicari et ille: « Quidquid, ait, in eo continetur dignum est commendari. » Sic per illum et error meus est de auctore hujus operis amputatus, et intellectus meus de veritate ejus dogmatis confirmatus. Iterum Vale.

EPISTOLA VI.

PHILIPPI AD JOANNEM

Ejusdem argumenti.

Gaudeo quod etsi aliquid mea parvitas contra vestram prudentiam asseverat: apud vos tamen, ut dicitis, inconcussa nostra dilectio perseverat. Sciro vos volo mihi procul dubio notum esse librum nostrum quem legistis, ab Hilario scriptum esse, sicut audivi postmodum et a nonnullis doctoribus prædicari, et in aliorum codicum titulis prænotari. Super cujus quæ inter nos versatur quæstione quoddam mihi rescriptum transmisistis, et quia illud vobis non sufficere videbatur, alterum addidistis. Quæ utraque uno eodemque die suscipiens, cum illud quod primo scripsistis perlegissem, et in calce sermonis illud apostolicum invenissem: « Si quis vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus (*I Cor.* XI); » proposui, fateor, ad illud nihil penitus respondere, ne quasi contentiosus vobis mererer displicere. Cum vero alterum legens, invenissem etiam in fine: « Hæc, charissimi, considerate, et quid super his vobis videatur, rescribite, » mutato proposito aliquid 26 volui vobis rescribere, ne mandatum vestrum tacendo viderer contemnere.

Miramini, ut dicitis, quod in epistola mea scripsi Apostolum dicere: « Omnia legite, quod bonum est tenete (*I Thess.* V), cum ibi sit « omnia probate (*ibid.*). » Sed hoc pro miro nullatenus duceretis, si Hieronymi ad Pamachium et Oceanum epistolam memoria teneretis. In ea enim » Apostolus, inquit, præcipit omnia legentes, quæ bona sunt retinentes. » Cum autem Apostolus legi mandet omnia, quæ bona sunt teneri, vos tamen librum Hilarii in quo multa dici perfectissime non negatis, respuendum penitus hæsitatione postposita judicatis, pro eo quod eum in aliquibus reprehensibilem æstimatis. Librum etiam quem idem Hilarius super Matthæum scribit, propter quasdam sententias quæ in eo, ut dicitis, vel falsæ vel scrupulosæ sunt, non probatis; ex quo datis intelligi quia, sicut id quod falsum est, sic illud quod scrupulosum est reprobatis. Ad quod apertius demonstrandum subjungitis: « Abundant catholici simplices libri, ut jure scrupulosi propter offensam debeant evitari, cum dicat Apostolus: « Nemo vos seducat in subtilitate sermonis (*Coloss.* II). » Patet quia simplices libros, id est ad intelligendum planos et faciles, vultis solummodo lectitari, scrupulosos vero, id est subtiles et difficiles, evitari, ne scilicet in illam seductionis offensam incurratur, a qua sibi præcavere Colossenses Apostolus vel jubet, vel hortatur. Verum Hieronymus nec ea legi vetat in quibus est aliquid arguendum apertæ falsitatis,

si tamen ibi pariter invenitur utilitas veritatis, imo libros etiam Origenis, quos in multis esse reprehensibiles cognoscebat, et legebat frequentius et legentes nullatenus arguebat. « Origenem, inquit (23), propter eruditionem sic legendum arbitror quomodo Apollinarem et nonnullos ecclesiasticos scriptores, ut bona eorum eligamus, vitemus contraria. » Sed esto. Libri Origenis vel quilibet hujusmodi respuantur, ne falsa pro veris astruendo in errorem simplices inducantur : et quantum juverit eruditio inventæ veritatis, tantum, imo plus noceat non intellectæ seductio falsitatis. Nunquid etiam debent quæ scrupulosa et subtilia sunt evitari, vel forte lecta et non intellecta inconsulto judicio reprobari eisque pro vitio ipsa scrupulositas et subtilitas imputari, et non inde multo potius multoque reverentius honorari? Quis unquam hoc apostolus, quis vir apostolicus vel dixit vel scripsit? ut videlicet libri simplices legantur, scrupulosi vero et subtiles jure propter offensam, ut scribitis, non legantur? Cum in subtilitate sermonis Colossenses non seduci Apostolus præmonebat, nunquid eos ad hoc inducere cupiebat, ut legere scripta scrupulosa et subtilia recusarent, simplicia tantummodo lectitarent? Hoc nimirum non videtur lectionis illius series continere, ut intendat eos a lectione subtilium removere, imo in ea sollicitum se ostendit Apostolus, ut Colossenses plenius instruantur ne quasi rudes et simplices a pseudoapostolis subtiliter loquentibus seducantur. « Volo, inquit, vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis, et pro his qui sunt Laodiciæ, ut consolentur corda ipsorum instructi in charitate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitione mysterii Patris Christi Jesu (*Coloss.* II). » Qui ergo studet eos in omnes divitias plenitudinis intellectus instruere, ut mysterium Dei Patris, quod est « Verbum caro factum (*Joan.* I), » possint agnoscere, non vult eos lectione librorum simplicium esse contentos, sed in his qui abscondita Dei Patris mysteria continent sic intentos, ut hæreticorum possint argumentationibus resistere, et subtiles eorum tendiculas librorum subtilium sententiis fortioribus destruere. Propter quod subjungit : « Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in subtilitate sermonis (*Coloss.* II). » Et paulo post : « Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam (*ibid.*). » Et supra : « Non cessamus, inquit, pro vobis orantes et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus in omni sapientia, et intellectu spirituali (*Coloss.* I). »

Vult Apostolus Colossenses in omni sapientia et intellectu spirituali proficere, legendo et intelligendo subtilia, subtilibus argumentis prudenter resistere, alioquin frustra vel hanc illis, vel alias aliis epistolas scriptitaret, si non scrupulosa et difficilia et legi et intelligi peroptaret. Plerumque etenim tam subtilia scribit, ut non facile nisi a sapientibus et spiritalibus capiantur, plerumque tam scrupulosa, ut

(23) Epistola ad Tranquillinum.

A multi non capiendo, in errorem præcipites seducantur, sicut et ipse ad Corinthios videtur intimare, et in sua Petrus Epistola manifestius demonstrare. Ad Corinthios : « Si quis, ait, videtur propheta esse aut spiritalis, cognoscat quæ scribo vobis (*I Cor.* XIV). » Et Petrus : « Sicut, ait, et charissimus frater noster Paulus, secundum datam sibi gratiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant ad suam ipsorum perditionem (*II Petr.* III). » Si scrupulosa et subtilia jure propter offensam, ut scribitis, evitantur, quare Paulus scribit ea quæ non nisi a sapientibus et spiritualibus cognoscuntur, et in quibus indocti et instabiles erroris scrupulum patiantur?

B Ipse quoque Dominus Jesus Christus in Evangeliis tam subtiliter loquitur, ut nec apostolici capiant sermonis ejus subtilitatem, unde et aliquando aspere illorum increpat tarditatem. « Adhuc, inquit, et vos sine intellectu estis? » (*Matth.* XV.) **27** Tam scrupulose loquitur, ut nonulli exhorrescant, sermonem ejus duritiæ intolerabilis arguentes, et ab ejus consectatu, resiliant objectum explanare scrupulum non valentes. « Multi, inquit, audientes ex discipulis ejus dixerunt : Durus est hic sermo ; et abierunt retro : et jam cum illo non ambulabant (*Joan.* VI). » Et apud Matthæum (cap. XV) : « Scis, inquiunt, quia Pharisæi audito verbo scandalizati sunt? » Licet autem apostolicis et evangelicis litteris tanta C subtilitas, tantus inesse scrupulus cognoscatur, non est tamen consilii ut propter eorum offensam lectio respuatur, imo ei necesse est multo diligentius insistatur, et quærendo et pulsando prudens lector competentem illius intelligentiam assequatur.

Sic et scripta Hilarii, quamvis scrupulosa, quamvis subtilia, non tamen, ut æstimo, debent contemptibilia judicari, eorumque lectio nec a sapientibus, nec a simplicibus penitus relegari, quia utrisque profectum illa non mediocriter ministrabit, dum et sapiens sapienter obscura penetrabit, et simplex foris remanens humiliter eadem salutabit. Unde miror quod eadem scripta condemnare vestra prudentia non veretur, et doctorum tam præcedentium quam præsentium judicio non tenetur ; qui D succedentes Hilario nullius eum hæresis arguerunt, imo eum, prout decuit, dignis laudibus extulerunt. Hieronymus cum in libro De viris illustribus Hilarium ad medium duceret, et quos ille scripserat singillatim libros exprimeret, istius de quo nobis sermo est libri videtur inter cæteros et præ cæteris mentionem fecisse, et nec isti nec cæteris notam hæresis impressisse. « Hilarius, inquit (24), urbis Pictaviorum episcopus, Phrygiam relegatus, duodecim adversus Arianos confecit libros, et alium librum de synodis quem ad Galliarum episcopos scripsit, et in Psalmos commentarios ; est ejus et ad Constantium libellus, et alius in Constantium, et

(24) Vide epistolam ejusdem Hieron. ad Florentium.

liber adversus Valentem et Ursatium, historiam Ariminensem et Seleuciensis synodi continens, et liber hymnorum et mysteriorum alius, et commentarii in Matthæum, et tractatus in Job, et alius elegans libellus contra Auxentium, et nonnullæ ad diversos epistolæ. Aiunt quidam scripsisse eum in Cantica canticorum, sed a nobis hoc opus ignoratur. » Texens Hieronymus catalogum librorum Hilarii, nullum eorum præsumpsit condemnare, qui tamen in eodem libro multorum aliorum opuscula non timet reprehensibilia demonstrare, et istorum notam forte non tacuisset, si indutus vestro sensu, tam detestabilem eis inesse pervidisset. Hunc enim ejus librum quem respuendum sine præjudicio judicatis, sibi ipsi quibusdam in locis esse contrarium affirmatis, quia videlicet dicit et Mariam corpori Christi originem non dedisse, et tamen eidem concipiendo maternum officium impendisse; dicit et ipsum Christum vulnera, crucem, mortem ad ultimum pertulisse, et tamen sine naturali sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis excepisse. Quorum duo media recte fidei dicitis convenire, primum vero et ultimum veritati penitus contraire.

Et quoniam hæc omnia non sibi esse contraria æstimavi, et quomodo veritati conveniant in alia ut potui epistola demonstravi, dicitis quod ejusmodi demonstrationem non feci congruenter, sed scripta falsitatis ad regulam veritatis detorsi violenter. Maria enim, ut scribitis, materialem originem corpori Christi dedit, non vitium, et quasi admirando subjungitis : O quam differunt Maria et vitium! quorum alterum pro altero me dicitis posuisse, dum originem, quam vitium non dedit, Mariam assero non dedisse. Ad hæc ego :

Scio quidem quia satis differunt vitium et Maria, et ego nec Mariam pro vitio, nec vitium posui pro Maria : sed, si lege nostra omnium operaretur vitium in Maria, id operari non improprie diceretur Maria. Quod enim in carne concupiscentia carnalis operatur, operati caro non immerito reputatur; et quod agit caro dum, velit nolit, homo carnalibus concupiscentiis inflammatur, id se homo agere sermone veridico protestatur : « Non enim, inquit Apostolus, quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio (*Rom.* VII). » Constans Apostolus ex spiritu et carne, sic illos diversa videbat operari, ut alterum alteri sentiret obluctari, et agere carnalia se dicebat propter blandimentum ingenitæ voluptatis, et odisse tamen illa, propter spiritalis renisum voluntatis. Quod si suum esse dicit quod caro carnaliter delectatur : cui tamen delectationi spiritus qui melior pars est ejus reluctatur, quanto rectius et proprius suum esse diceret hunc affectum, si eumdem sopito spiritu perduceret ad effectum! Tunc enim proprie possunt carnis opera nostra dici, cum eis non sentimus obviante spiritu contradici, cum conceptæ concupiscentiæ sic habenis laxioribus indulgetur, ut per carnalem copulam, quamvis legitimam, consummetur. Sed non sicut carnalia, sic et spiritualia opera nostra dicere vel possumus vel debemus, quoniam a nobis eadem non habemus, imo Dei donante spiritu, et affectum et effectum spiritualium operum obtinemus. Ideo non tam nostra quam ejus sunt, cujus dono et gratia ea nos obtinere memoriter retinemus.

Quia igitur a conceptione Christi omnis prorsus carnalis concupiscentia relegatur, **28** non incongrue Maria illius carni dedisse originem abnegatur : quam dedisse tunc nimirum proprie diceretur, si ad concipiendum propria concupiscentia duceretur. Et quia eamdem conceptionem superveniens in Virginem Spiritus operatur, recte origo hujus carnis eidem Spiritui assignatur; et ipse non immerito auctor hujus originis affirmatur, cujus dono et opere virgo manens et permanens mirabiliter fecundatur. Sic illi sancto corpori non Maria, sed Spiritus dedit originem, dum et illa in concipiendo naturalem et propriam non sensit libidinem, et iste operando, parituram venit in Virginem; illa virum nesciens nullæ carnis pertulit incentiva, quæ lege miserabili nostrorum sunt conceptuum primitiva; iste largitate mirabili sua illi contulit donativa, naturali cessante vitio, hujus mirabilis conceptus expletiva. Nec tamen per hoc abnegat quin materiam ministraverit sementivam ex qua sibi Dei sapientia ædificavit corporis officinam, ut non aliunde, non de nihilo illam sibi credatur exstruxisse, sed in utero et ex utero Virginis corpus veraciter assumpsisse. In qua assumptione quidam, sicut præsens audivi, scrupulum patiuntur, qui divinis litteris eruditi pro constanti defendere moliuntur quod, etsi Christus in utero, et ex utero Virginis carnem sumpsit, illam tamen particulam ex qua nos alii concipimur, non assumpsit. Horrent enim vel credere vel dicere quod illam carnem liquidam quam physici vel semen vel sperma nominant, in Virgine Christus assumpserit, et non potius aliam sanctiorem vel saltem digniorem in eadem elegerit; tanquam non conveniat corpori tam præcipuæ sanctitatis, ut conceptum sit ex illa communi materia nostræ omnium vilitatis. Denique fides, ut putant, non exigit ut ex semine Virginis Christus conceptus asseratur, sed ex carne conceptum Virginis necesse est eum quisque Catholicus fateatur, multoque credibilius, multo esse convenientius ab illis æstimatur, ut non illam, sed aliam assumpsisse carnis particulam videatur. In qua æstimatione quantum Christo deferunt, tantum Virgini videntur derogare, et matris injuriam certum est in filium redundare, et neutrum eorum dignis possunt laudibus honorare qui alteri non verentur honores ingratos arrogare.

Ex quo illam Virginem angelus Gabriel salutavit, ex quo facta salutatione, « Virtus illi Altissimi obumbravit (*Luc.* I), » tam eam ineffabilis gratia permundavit, totam permundatio mirabilis mirabiliter honestavit. Et sicut nostra caro tam solida quam liquida, peccati et dedecoris accusatur, quia legi spiritus a lege membrorum pœnaliter repugna-

tur, sic posteaquam dictum est Virgini : « Spiritus sanctus superveniet in te (*ibid.*), » illud Salomonis completum est : « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te (*Cant.* IV). » Carnem ergo Virginis sementivam existimo dedecoris nil habere, nil majoris decoris alteram illi proximam obtinere, quin ex ea quæ ad formandos conceptus a principio est divinitus ordinata ædificet congrue domum suam sapientia humanitus incarnata. Propter illam quam accepit materiam ex Maria, dici potest ex ea Christus carnis originem habuisse ; propter operantem in ea Spiritum, recte dicitur non ex Maria, sed ex Spiritu originem accepisse. Unde dictum est : « Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est (*Matth.* I). »

Quod autem in passione dicit eum Hilarius non doluisse, quomodo intelligi debeat in eodem libro multis locis determinat : et ego satis superque in alia epistola notum feci, etsi nondum vestræ prudentiæ satisfeci. Quia enim conceptio illius ab omni tumultu libidinis pacata est et serena, caro ejus a naturæ nostræ vitiis longe est aliena ; et ideo quod nos in peccatis concepti, naturali patimur necessitate, ille, cujus caro nullo tangitur vitio, quia vitioso caret initio, libera patitur voluntate. De qua patiendi voluntate in primo vestrorum quibus nunc respondeo rescriptorum, bene prudenterque sentitis, sed ab eodem sensu ut videtur in altero dissentitis, dum in illo scientiæ Hilarii prout justum est concordatis, in altero vero, nisi fallor, longe contraria prædicatis. In primo enim me pro nihilo dicitis laborare, quod verbis multiplicibus enitor demonstrare id quod in Ecclesia quivis simplicissimus satis novit, et cujus assertio eruditum quempiam non permovit. Unde etiam quasi aliquantulum vos offendo quod pergameni plusquam necessitas sit expendo, dum longis sermonibus hoc ostendo, quod posset intimari plurima non loquendo. Dicitis enim : « Quod autem pergamenum expenditis in docendo, quod non necessitate, sed voluntate passus sit, pro damno vestro dolco, cum quivis simplicissimus in Ecclesia hoc noverit. » Bene vestra prudentia hoc in loco, et intelligit et fatetur quod Christus ad patiendum necessitate coactitia non urgetur, sed voluntate libera sic movetur, ut inde a nullo vel simplicissimo dubitetur. Contra quod si quis sentire præsumpserit, arguetur, sicut consequenter eadem vestra prudentia confitetur. Ait enim : « Cæterum quicunque contra hanc fidem senserunt, seu Augustinus, seu Hilarius, seu quilibet alius, aut errorem ipsum ante mortem correxisse credendi sunt, aut infideles permansisse. »

29 Cum igitur in passione Christi voluntas et non necessitas habeatur, et qui contra hanc fidem senserit sicut recte scribitis reus erroris teneatur, miror quare in alio rescripto contra hanc assertionem venire non timetis assignando necessitatem Christo patientis, quam sic ab eo antea removetis. Dicitis enim : « Nos ergo in Christi passionibus et voluntatem, et sacramentum et potestatem, et triumphum, et ea quæ liber vester vobiscum abnuit, necessitatem, naturam, violentiam, sed hæc etiam voluntaria volumus esse. » Illic dicitis Christum non necessitate, sed voluntate passum esse, hic autem in ejus passionibus necessitatem vultis esse ; quod qualiter sibi conveniat, fateor incognitum mihi esse, nisi forte intelligitis necessitates duas esse, et unam earum illi patienti Christo esse, alteram vero ejus passionibus non inesse. Sed nec sic video quomodo possit stare, quod in hoc versiculo vultis irrevocabiliter affirmare, dum non aliquam aliam quam forte intelligere poteratis, sed eam necessitatem quam liber noster nobiscum abnuit nominatis. Illam quippe necessitatem seu violentiam, de quibus Hilarius loquitur, in Christi passionibus æstimo non fuisse, in quibus voluntatem, potestatem tam idem Hilarius quam vos dicitis exstitisse, quia quod libera Christus pertulit voluntate, non pertulit utique necessitate ; et ad id quod potestatis imperio libens egit, profecto eum violentia non coegit, quia et necessitas voluntati et violentia præjudicat potestati.

Passus itaque sputa, colaphos, vulnera, crucem, doluit quidem voluntate, posuit animam potestate, quia etsi hostes ei ejusmodi contumelias intulerunt, non tamen eum dolere vel mori necessario coegerunt, et ad hæc peragenda non prævaluit impetus injurias inferentis, sed potestas voluntaria sufferentis. Sic etiam perturbationem animæ, sic esuriem corporis potestativa suscepit voluntate, vel voluntaria potestate, habens spiritalis munere conceptionis inolitum, ut posset talibus non gravari contra morem nobis expertum et solitum, nisi id nostra exigere infirmitas videretur, ut verus homo humanis affectionibus probaretur, et cum patientibus patiens, salutaris nobis medicus haberetur.

Quod ergo quadraginta diebus potuit jejunare, non miraculo (25), ut scribitis, sed propriæ virtuti debemus assignare, ne Moysi aut Eliæ parem cum nostra judicet hebetudo, quorum et conceptio longe dissimilis, et humanæ naturæ longe dissimilis fortitudo. Vos quidem illum, et post jejunium necessario dicitis esurisse, et post esuriem, si non comederet, necessario defecisse, nisi forte hæc gravamina vellet miraculi beneficio removeri, cujusmodi miraculum in Moyse quoque et Elia et quibusdam aliis possumus intueri. Dicitis enim : « Vere homo vere doluit, habens naturam ut nisi manducaret, deficeret ; mergeretur si super undas ambularet ; moreretur si crucifigeretur, nisi miraculo id non fieri vellet, quorum quædam in aliis quibusdam ipse quoque operatus est, ut in Elia et Moyse, Petro et Mauro. » Et infra : « Fortitudinem jejunandi diutius Christum non natura, sed miraculo dicimus habuisse ; cessante

(25) Per virtutem Christo extraneam facto. Vide col. seq. Alioquin fuisse miraculum, sed per virtutem divinam Christo propriam factum, non est cur negetur.

enim miraculo statim natura esuriit. » Mirabile istud miraculum, quo donante quadraginta diebus a cibis Christus potuit abstinere, quo cessante non potuit natura diutius inediam sustinere; quin et esuriem infirmitate necessaria pateretur, et esuriens, nisi comederet, deficere cogeretur. Si ergo cessante miraculo statim ut dicitis natura esuriit, quare, quæso esuriens non comedit, vel non comedens non defecit? Legitur enim et post jejunium esurisse (*Matth.* IV) : et tamen esuriens non legitur comedisse, nec invenitur non comedens defecisse. Debuit autem vel post jejunium esuriens comedere, vel non comedens deficere; sed, ut dixi, et esuriens non refecit, et non reficiens non defecit. Necesse est igitur ut dicatis vel miraculum non cessasse, vel ope miraculi Christum nullatenus jejunasse, quia si juvante miraculo jejunavit, et cum esuriret, idem miraculum jam cessavit, fatebimini eum post esuriem necessario defecisse, cum nusquam eum esurientem legatis comedisse. Sed hoc fateri nefas est. Si autem miraculum non cessavit, quomodo eum dicetis esuriem pertulisse, cum nonnisi cessante miraculo naturam ejus dicatis esurisse? Ad evitandum igitur ea quæ possunt inconvenientia sic opponi, vellem mihi melius miraculum hoc exponi, quia tantis mihi videtur obscuritatibus involutum, ut illud non pervideam nisi a vobis fuerit absolutum.

Aliter quidem, ut putabam, Christus, aliter Petrus vel Maurus super undas liquidas ambulavit. Aliter etiam Christus, aliter Elias vel Moyses jejunavit, quia illi natura infirmi et graves nihil tale per se facere potuerunt, et ideo virtute non sua, sed alterius hoc egerunt. Quod ut de illis unum accipiam, Petrus in se, et de se veraciter sentiebat, cum viso super mare Christo, sapienter et humiliter aiebat : « Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas (*Matth.* XIV). » Ac si dicat : Non mea, sed tua virtute, natura mea super mare liquidum ambulabit, eamque non si jusscro, sed si tu jusseris, onus inolitum non gravabit. Illo ergo jubente, iste super illud intrepidus ambulavit, et attendens quis quid ageret, cum videret ventum validum **30** trepidavit. Et infirmatus fide, jam ad ima naturali gravedine descendisset nisi potentem manum Christus illi misericorditer extendisset. Aliter igitur, ut dixi, Petrus, aliter Christus super elementum liquidum ambulavit, quia Petrum impropria, Christum vero virtus propria sustentavit. Quam nimirum virtutem ex eo sibi contraxerat, quod naturam humanam Verbum sibi Deus assumpserat, conceptione quidem spiritali, in utero virginali : cujusmodi assumptionem nec ante, nec postea expertus est alter homo; et ideo nec ante, nec postea inventus est talis homo.

Quia enim illam ejus naturam talentum iniquitatis plumbeum non depressit, sed in nube levi de spiritu conceptus mirabiliter huc accessit, unda maris sub illius vestigio a tenore continuo non recessit, et illum ambulantem hiatu fluido non demersit. Quia enim a regula sanctitatis, illius vel origo vel conceptio non dissensit, nullum Creatoris elementum, dum hic viveret, contrarium sibi sensit, sed tale corpus habuit, ut esset liberæ voluntatis, esset et per omnia voluntariæ potestatis. Potuit ergo si voluit non dolere, potuit, cum voluit, et dolere : doluit autem, cum nobis dolentibus voluit medicinaliter condolere; non doluit, cum voluit suum ingenitæ virtutis privilegium obtinere.

Posse autem dolere, quædam infirmitas est; non posse non dolere, major infirmitas est. Et illa quidem prima nobis cum Christo est communis, a qua et nos et ipse post resurrectionem est immunis, cum jam infirmari nostra, sive illius, non potest valitudo, et hæc impossibilitas non imbecillitas, sed consummata est fortitudo. Hac infirmitate, quæ est posse dolere, Christus et potuit et voluit humanos dolores sustinere : propter quam vir dolorum, et sciens infirmitatem veraci vaticinio prophetatur (*Isa.* LIII), et crucifixus ex infirmitate solemniter ab Apostolo prædicatur (*II Cor.* XIII). Illa vero infirmitas, quæ est non posse non dolere, nobis tantum credenda est naturaliter inhærere : qua pressus et oppressus non potest non gravari quisquis nostrum super terram, vel uno die conceditur demorari. Christus autem, ut æstimo, non debet æstimari quod vivens in hac vita non posset non turbari, quia cui erat incomparabilis et corporis et animi sanctitudo, profecto eorumdem erat et incomparabilis fortitudo. Unde meus Augustinus (26) : « Ineffabili, ait, distantia universum genus humanum animi fortitudine superabat. » Hæc est illa fortitudo, qua a nobis omnibus ineffabiliter differebat, quod eum more nostro inevitabilis turbandi necessitas non tenebat, sed cum vigore naturæ incolumis vitare posset omnes humanos cruciatus, tamen voluntaria potestate pro salute nostra omnium est turbatus. Unde præmittit (27) : « Non est, inquit, ullo modo dubitandum, non eum infirmitate animi, sed potestate turbatum. »

Non vult Augustinus a quoquam fidelium dubitari quod Christus infirmitate animi non compulsus est perturbari, a cujus perturbatione sic animi relegat infirmitatem, ut eidem voluntariam attribuat potestatem. Vos autem, ut juxta sensum vestrum possit ille versiculus expediri, particulam quæ est « tantum » vultis illic incongrue subaudiri, et quod ille dicit « turbatum Christum non infirmitate animi, sed potestate; » vos dicitis non infirmitate tantum, sed etiam potestate. Miror quomodo Augustinus illud « tantum » apponi debere vel non vidit, vel forte viderat, sed invidit, et qui alibi ad exponendum Evangelium in verborum copia plurimum se diffudit, miror quare hic subtrahendo unam particulam, sensum litteræ sic confudit. Sed si diligentius velitis illius seriem lectionis attendere non hoc mihi

(26) Tractatu 60 in Joannem.

(27) Ibidem.

vel ante, vel postea videtur ostendere, sed sicut A nobis perturbandi aufert animi potestatem, et solam infert infirmitatem, sic illi econverso infirmitate sublata voluntariam attribuit potestatem. Cum enim dixisset : « Non est ullo modo dubitandum, non eum animi infirmitate, sed potestate turbatum, » subjunxit : « Ne nobis desperatio salutis oriatur, quando non potestate, sed infirmitate turbamur. » Nonne rum cum hic diceret nos infirmitate turbari non potestate, non addit « tantum » et illic cum diceret Christum potestate turbari non infirmitate, non etiam apposuit « tantum. » Neque hic igitur, neque illic, ni fallor, censuit apponendum, et ideo et hinc et illinc æstimo removendum. Quod si illic vultis apponi, et hic etiam apponendum videtur, et ita non mediocris absurditas orietur, ut sicut illum B turbatum dicitis tam infirmitate quam potestate, ita et nos turbari asseramur tam potestate quam infirmitate. Quod utrumque abnegat Augustinus.

Quod si vobis complaceret utramque illam super Joannem diligentius revolvere lectionem, ubi facit idem Augustinus de Christi perturbationibus mentionem, videlicet cum vel de turbata ejus invenitur anima disputare, vel de turbante semetipsum cum disponit Lazarum suscitare (*Joan.* XI), videretis, ut æstimo, quod a nullo qui recte sapiat dubitetur, quin Christus non infirmitate necessaria, sed potestate voluntaria perturbetur. In illo etiam Maximi versiculo : « Quod Christus esuriebat ut homo, non erat fragilitatis corporeæ, sed cœlestis C gratiæ sacramentum, » ad id quod dictum est, non erat fragilitatis corporeæ, subaudiendum dicitis « tantum » ut illa esuries 31 non sit fragilitas corporea tantum, sed etiam cœlestis gratiæ sacramentum.

Quocirca sicut de Augustino, sic et de Maximo non sufficit admirari, quia illam subtrahendo particulam, intellectum litteræ voluit obscurari, et quomodo præterea contigit in hoc ambos pariter convenire, ut illam unam eamdemque particulam in his vellent versiculis subaudire? Sed nec iste nec ille illud « tantum » vel apposuit vel (ni fallor), censuit apponendum, et ideo nec a nobis, eisdem est versiculis inserendum, quia sicut Augustinus dicit Christum infirmitate animi turbatum non fuisse, sic et D eum non fragilitate corporea dicit Maximus esuriisse; et quoniam esuriit voluntaria potestate ad nostræ omnium salutis adjumentum, dicit illam esuriem esse cœlestis gratiæ sacramentum. Teneo autem et tenui, et in posterum volo memoriter hoc tenere, quod tamen quasi nescium vestra me gratia dignatur edocere, mortem scilicet Christi et cætera quæ testante Scriptura, vel egit humanitas vel voluit sustinere, et vera esse ad litteram et sacramentum nostræ salutis continere, ut nec littera sacramento præjudicet spiritali, nec sacramentum spiritale sensui litterali. Scio igitur quia turbata est anima ejus et turbavit semetipsum; lacrymatus est coram Judæis (*Joan.* XI), videns civitatem Jerusalem, flevit super eam (*Luc.* IX), cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus postea esuriit (*Matth.* IV), fatigatus est ab itinere (*Joan.* IV), exhilaratus est spiritu (*Luc.* X), tristata est anima ejus (*Matth.* XXVI), tentus, crucifixus, mortuus est (*Joan.* XVIII). Sed hæc omnia potestate voluntaria, non, sicut scribitis, necessitate et violentia, non quod non posset sine istis iter vitæ præsentis pertransire, sed quia vidit ista nobis itinerantibus expedire. Non quod eum opprimeret nobis ingenita gravis et noxia naturaliter valitudo, in quo totius divinitatis habitat corporaliter plenitudo (*Coloss.* II), sed ut ei devinciri arctiori dilectionis vinculo studeremus, cum nostras eum voluntarie suscepisse molestias cerneremus. Non quod a nobis ineffabili distantia, tam corporis quam animi fortitudine non differret, sed ne putaretur non misereri nostri, si nostras miserias non sufferret.

Suscepit igitur Deus hominem cum voluit, susceptus homo sustinuit quæ voluit, ita ut iras persequentium plerumque declinaret cum nondum vellet pati, quærentibus se offerret, cum sic esset suæ placitum voluntati. Quod patenter invenitur Origenes super Genesim demonstrare (28), nisi forte vultis hujus testimonium reprobare, vel potius verbis ejus illud « tantum » quod supradictum est subaudire, et subaudiendo, tam in hoc, quam cæteris veritatis planitiem præpedire. « Sapientia, inquit, ipsa sibi ædificavit domum (*Prov.* IX), » et : « Ipse se humiliavit usque ad mortem (*Philipp.* II), » et omnia quæcunque legeris de Christo, non necessitate, sed sponte facta reperies. Videtis, sicut ab incarnatione, sic et a passione Christi, vel cæteris quæ de eo leguntur, necessitatem penitus removeri, et eis voluntatem spontaneam adhiberi : ut certum sit Origenem Hilario, Augustino, Maximo consentire; vos vero tam ab isto quam ab illis plurimum dissentire.

Sed jam huic Epistolæ calcem pono ne vobis ejus mereatur verbositas displicere, et pro damno expensi pergameni, compellam iterum vos dolere, quamvis non tam dolendum sit, si in scribendo pergameni plurimum expendatur, quam si scribentibus digna scribendi peritia subtrahatur.

Hoc propter in clausula diligenter admoneo diligentius vos orare, ut si quid aliter vel sapio, vel sapitis, divina dignetur gratia revelare, dans nobis et sedere sitienter super divinarum fluenta Scripturarum, et sitientibus genas turturis, oculos columbarum. Est enim, fateor, necessaria, non fastidiosa satietas ad profunda lectionis divinæ, non corrupta facilitas crudelitatis adulterinæ, non tumens importunitas garrulitatis corvinæ, sed econverso inexplebilitas aviditatis cervinæ, intemerata castitas fidei turturinæ, modesta humilitas simplicitatis columbinæ. In his quidem et justi scientiam, et sciendi

(28) Homilia 8.

justitiam puto sine debito consummari; sed ne diu vos teneam, tenendo displiceam, hic eam decet epistolam terminari. Vale.

EPISTOLA VII.

PHILIPPI AD JOANNEM.

Ejusdem argumenti.

Meas mihi epistolas, quas vobis miseram, remisistis, sed eas primitus tam crebro glossis marginalibus repersistis, ut quasi transire in colorem alterum compellantur, et jam non esse quod fuerant videantur. Cum enim glossa textui ad hoc soleat superponi, ut possit idem textus non tenebrescere, sed exponi, vestra glossa econverso illas epistolas obscuravit, et tam pergamenum exterius, quam sensum interius deturbavit. Vultis quidem, ut video, non solum quod contra vos, sed etiam quod ad vos dicitur, infirmare, et meum infirmando, vestrum sensum tenaciter confirmare, et ideo pene cuncta corrumpitis mordaci pipere superfuso, sed sufferre diligentis et dilecti vulnera non recuso. Scio enim hoc vos intendere, ut qui recte et salubriter sapere vos putatis, me pauperem et insulsum sapore fructifero condiatis; sed **32** piper vestrum errore aliquantulum amarescit, et, pace vestra dixerim, falsitatis nubilo tenebrescit. Cui si voluero seriatim per omnia respondere, et a meis litterulis quæ objecta vel injecta sunt omnia removere, non potero sufficienter per epistolam hoc implere, sed necesse erit librum, vel libros potius adhibere.

Cæterum quia scio ad faciendum libros idoneum me non esse, mihique nec otium, nec peritiam præsto esse, non omnibus quæ in me dicitis, sed aliquibus respondere tentabo, et vel refellam ea, vel me saltem aliquatenus excusabo. Cum enim me videam a vobis graviter accusari, necesse est accusatum, vel ad modicum excusari, non ut per hoc majoris acquiram meritum sanctitatis, sed ne vos mei causa inconsideratum judicium incurratis. « Qui judicat, inquit, fratrem suum, judicat legem (*Jac.* IV). » Superbiæ et stultitiæ meam arguitis parvitatem, qui tamen cordis mei occultam non satis perspicitis veritatem, et scitis quia quod loro judicii, tam in melius quam in deterius, potest flecti, utile est et sanctum ad melius potissimum id reflecti. Dixi in epistola mea (epist. v) : « Si Deo revelante vestram esse cognovero sententiam per omnia veriorem, gaudebo consecutus scientiam ampliorem : vestræque perspicaciæ grates non modicas exhibebo per quas hujusmodi beneficium obtinebo. » Huic versiculo superposita glossa vestra obloquitur, dicens : « Superba humilitas, » etc. Dico vobis, non est in me tanta superbia ut recusem quæ recta sunt, vel a vobis audire, vel auditis humiliter consentire; si tamen Deus dignetur mihi intelligendi gratiam impertire, sine quo quidquam boni, nec ego, nec quispiam potest scire. Si autem vel modicam scintillam scientiæ vestrum mihi conferret documentum, vestroque labore et merito Deus mihi præberet incrementum, ut verum fatear, pro posse meo vestro beneficio responderem, etsi par pari referre non prævalens, saltem gratias humiliter exhiberem. Neque enim refert, ut extimo, a quo quis accipiat et percipiat utilem veritatem, cum illa recte intelligenti suam per se commendet puritatem, nec tam propter doctorem veritas teneatur, quam propter veritatem doctor commendabilis habeatur. Itaque tam libenter a vobis perciperem doctrinam veritatis, ac si mihi loqueretur majoris quispiam dignitatis, quia nec cathedra sublimior doctrinam reddit commendabilem quæ mentitur, nec inferior eam contemptibilem quæ verax et utilis invenitur.

Quantum recolo, cum scholas junior discendi gratia frequentarem, et vel conferri vel præferri quibusque melioribus præsumptivo more scholarium præoptarem, ab his tamen, qui vel ætate vel gradu quolibet inferiores se credebant, non contempsi et audire et discere quæ sciebant, nec adeo tumui superbia, ut attenderem quis cui loqueretur, dum tantum quod audirem commendabile videretur. Quanto magis nunc, cum religionis habitum gerens jam vel tenuiter incanesco, contra vestram reverentiam non procaciter intumesco, quam ætate, scientia, sanctitate et scio et fateor præeminere, longe infra cujus pedes his tribus gradibus video me jacere. Quod ergo vobis respondeo, scitote non fieri superbia, et studio contendendi, sed sciendi amore et gratia colloquendi, ut cum, ejus quem diligo non fruar vel auditu vel visu corporali, eum saltem et audiam et audito respondeam internuntio litterali. Paulo infra in eadem epistola mea : « Cum attendo, inquam, quia in claustro sacras litteras ab infantia didicistis, et in eadem scientia non mediocriter profecistis, approbandum in eis extimo quod probatis, et suspectum habeo quod econtrario reprobatis. » Super hunc versiculum vestra glossa : « In claustro, inquit, et alibi, in scholis scilicet, didici; nec juxta quorumdam præsumptionem ipse me docui, sed a magistro Anselo didici, quod non dico ut me commendem, sed ut vos tangam. » Pro hoc dicto, ut extimo, displicere vobis non debui, pro hoc tangi moleste non merui, cum per hoc vestræ scientiæ nil dedecoris inferatur, sed commendationis plurimum conferatur.

In claustro enim ubi locus non facile conceditur vanitati, sed præcipue datur opera sanctitati, ubi die et nocte justus divinæ subditus jussioni, vacat hymnis, precibus, silentio, fletibus, lectioni; ibi, inquam, defæcata vitæ sinceritas permundat intellectum, quo mundato, scientia facilius et efficacius adducitur ad perfectum. Vobis autem scientia commendabilis non videtur, nisi scholarum sæcularium tumultu fabricetur, tanquam inter eos quos in scholis forensibus, longo tempore certum est erudiri, nullus error, nulla possit hæresis inveniri. Vos indignamini, quia dixi vos in claustro sacras litteras didicisse, tanquam per hoc videar vobis contumeliam intu-

lisse : et commendabilius extimatis quod Laudunum discendi gratia requisistis, et in magistri Anselli celebri auditorio resedistis. Sed beatus homo, non qui magistrum Anselmum audivit, non qui Laudunum vel Parisius requisivit, sed « Beatus, inquit, homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum (*Psal.* XCIII). » Et : « Audiam, ait, quid loquatur in me Dominus Deus (*Psal.* LXXXIV). »

Utinam in claustro sacras ab infantia litteras doctus essem, ut toto tempore vitæ meæ sacris studiis interessem, in domo Dei nutritus a puero ad similitudinem Samuelis, **33** sciendi æstuans desiderio ad similitudinem Danielis. Quod quia mihi commendabile videbatur, ut scilicet in schola religionis quis a puero nutriatur, ideo non putavi aliquam a vobis mereri læsionem, cum vestram commendans scientiam, claustri potius quam scholarum feci forensium mentionem.

In eadem epistola mea : « Vestram, inquam, æstimabam divinis in Scripturis scientiam tam prudentem, et prudentiam tam scientem, ut sicut in eis nil præter veritatis regulam sentiretis, ita et ipsius veritatis occulta intellectu lynceo videretis. » Ad hoc glossa vestra respondens : « Stulta, inquit, æstimatio de aliquo hujus temporis homine, nedum de me, qui multa adhuc habemus a Deo audire, quæ non possumus portare modo. » Non æstimavi quod omnia nota vobis vel cuipiam præsentium habeantur, quæcunque in Scripturis sub tegumento litteræ multipliciter occultantur, sciens quia multa multi adhuc habent audire, quæ nondum in præsenti conceditur eis scire. Non hoc, inquam æstimavi, neque hoc me æstimasse uspiam affirmavi, neque hoc me affirmasse quispiam poterit veraciter affirmare, si verba mea velit attentius retractare. Non enim dixi quod omnis veritatis occulta, vel omnia veritatis occulta, videretis, sed ipsius, inquam, veritatis occulta videretis. Ipsius inquam, non totius, neque omnia occulta, sed occulta. Quod si alicujus vel aliqua videtis veritatis occulta, profecto constat quia videtis occulta ; et cum videatis veritatis occulta, non solum alicujus vel aliqua, sed ut plus dicam, multæ vel multa, dici non debuit æstimatio mea stulta. Hoc enim pie de vobis debuit æstimari, quod videtur rei veritas demonstrare. Si autem paulo amplius de vobis æstimavi quam rei veritas habeatur, indignum est ut propter hoc, æstimatio mea tam graviter arguatur ; nec stulta, sed forte ignara debuit appellari, quæ, quod satis non noverat, pie voluit arbitrari. Sicut enim de quolibet malum incognitum affirmare est præceps temeritas, sic de justo quidquam perfectius æstimare, pia credulitas : quæ, quem veraciter novit vel justum vel doctum, extollit amplius et honorat, non more invidentium, detractionis caligine decolorat.

Sciebam quidem in Scripturarum scientia plurimum vos valere, et hujus, de qua nobis sermo est, æstimavi notitiam vos habere, et ab æstimando, nec volui nec debui sententiam removere, donec audirem vestram mihi prudentiam respondere. « Lex nostra, inquit Nicodemus, non judicat quemquam : nisi prius audierit ab ipso, et cognoverit quid faciat (*Joan.* VII). Audito igitur quid de hujus Scripturæ involucro sentiatis, cognovi, ut arbitror, non hanc esse regulam veritatis, ad quod tamen confirmandum tam glossas, quam epistolas fabricatis, et odorem semel imbibitum, ut testa lutea, diutius reservatis. Quibus glossis vel epistolis et respondi, et adhuc forte plurima responderem, nisi vestram quam diligo reverentiam pertinerem : quæ, quia me intelligit sententiæ suæ nullatenus assertorem, verborum suorum me clamitat venatorem. Cum enim de regula fidei disputatio inter nos habeatur, et ad reprehendendum verba vestra, mea ut dicitis, locutio deflectatur, non videtur vobis hæc mea deflexio proposito convenire, et ideo non parcitis, objecto illo poetæ versiculo (29), me ferire :

Amphora cœpit
Institui ; currente rota cur urceus exit?

Sed quoniam verbis meis, et vos dignamini respondere, ostendendo quæ quantum veritatis amatoribus debeant displicere, non debetis, si et ego vestris respondeo, succensere, nec mihi venatoris vel figuli vitium intorquere, ne hoc ipsum in vos videamini retorquere. « Beatus, ait, qui non judicat semetipsum in eo quod probat (*Rom.* XIV). » Verumtamen apud me non amphora, sed urceus institui cœpit, et urceus exit, quia non alta sapiens, sed humilibus consentiens, beatum Hilarium non desisto honore debito venerari, cujus doctrinam audio a sanctis doctoribus commendari. Vestra vero amphora, tantæ confidentiæ, tantæ est granditatis, ut eumdem Hilarium arguere non timeat hæreticæ pravitatis, et quia me super hoc suum non invenit assensorem, ejusdem erroris arguit defensorem. Mihi quippe frequenter objicitis, quia hæreticum facit, non errare, sed errorem defendere, ut scilicet non perseverem diutius Hilarium excusare, sed vobiscum sentiens, doctrinam ejus accelerem accusare.

Sed si erroris defensio facit hæreticum, quæ rogo est hæresis damnare Catholicum? « Disperdat, inquit, Dominus linguam magniloquam (*Psal.* XII) », et apud Zachariam invenitur super amphoram impietas residere, quæ magna falso loquentibus dicitur præsidere, et in medio amphoræ paulo post eadem impietas est projecta, et ori amphoræ massa plumbi protinus est injecta (*Zach.* V). Et recte, ne libera diutius feratur impietas, in amphoræ profunda projicitur, unde ne possit egredi, os amphoræ massa plumbi obstruitur, quia sic intra magniloquos plerumque sensus erroneus debacchatur, ut os iniqua loquentium obstruatur. Eadem vero amphora sublata de medio recte confitentium Judæorum, defertur in terram Sennaar inter medium Chaldæorum, quia

(29) Horatii Flacci Ars poet., vers. 21, 22.

cum fides mundaverit fines ecclesiasticæ regionis, lingua magniloqua gratanter requiescit in errore confusæ Babylonis. Vellem ergo ut vestra amphora in urceum verteretur, vestrum grande principium fine humili **34** clauderetur, ne tanta granditas quæ damnare Hilarium non veretur, submota a Catholicis, deputari cum hæreticis mereretur.

Hieronymus, de quo dicitis quia si dignum laude librum Hilarii judicasset, qui laudare nonnullos invenitur, eum procul dubio collaudasset, non solum vestræ sententiæ non consentit, sed de Hilario longe aliud prædicat, aliud longe sentit. Scribens enim ad Paulinum (sub finem) : « Sanctus, inquit, Hilarius Gallicano cothurno attollitur, et cum Græciæ floribus adornatur, longis interdum periodis involvitur, et a lectione simplicium fratrum procul est. » Cum dicit enim Hieronymus et Græciæ floribus adornari et longis periodis involutum Gallicano cothurno sublimari, manifeste judicat scriptis ejus inesse et verborum floridam venustatem, et dignam reverentia occultorum sensuum gravitatem : propter quam et a lectione simplicium procul eadem dicit esse, non quia tanquam reproba indigna sint legi, sed quia tam difficilia, ut a simplicibus non facile possint intelligi. Neque in hoc arguitur scriptoris celsitudo, si scripta cothurnata simplicium non capit hebetudo, sed potius et profunda illius scientia commendatur, et istorum vel probatur humilitas, vel studium excitatur.

Idem Hieronymus ad Amandum presbyterum scribens, hujus libri de quo nunc agimus, non solum non probat lectionem, sed etiam illius facit cum veneratione debita mentionem, admirans quid tam a se exponendum inquiri, quod in illo potest expositum inveniri. « Miror, inquit, te hoc a me quærere voluisse, cum sanctus Hilarius Pictaviensis episcopus undecimum librum contra Arianos in hac quæstione et solutione compleverit. » Inquisitus hujus operis liber undecimus hanc quæstionem, de qua illic agebatur, invenitur diligentius explicare, ad quam iterum explicandum Hieronymus extimat superfluum laborare, ex quo luce clarius innuit, et hoc opus ab Hilario scriptum esse, et idem Hilario dignum laudis meritum non deesse. Meus etiam Augustinus, ne laudes Hilarii tanquam invidus premere sub silentio videatur, in sexto de Trinitate libro (cap. 10), et ipsius Hilarii et hujus operis laudabiliter memoratur. « Quidam, ait, cum vellet brevissime singularum in Trinitate personarum insinuare propria, æternitas, inquit, in Patre, species in imagine, usus in munere. Et quia non mediocris auctoritatis in tractatione Scripturarum, et assertione fidei vir exstitit ; Hilarius enim hoc in libris suis posuit, » et cæter. In secundo hujus operis libro hæc Hilarius verba ponit, quæ satis elegantia satisque difficilia ducens, Augustinus ad medium sic exponit, ut plane pateat ea, et commendatione intelligentium digna esse, et juxta Hieronymum a lectione simplicium procul esse. Hæc autem sibi assumens Augustinus ipsum Hilarium non mediocris auctoritatis, et Scripturarum fuisse tractatorem, et fidei asserit assertorem : quod quantum æstimo non fecisset, si hoc opus esse contrarium fidei cognovisset.

Sed ad quæstionem de qua nobis sermo est redeamus, et quid inde doctores sancti sentiant, et quomodo eidem Hilario consentiant, videamus. Dicit Hilarius necessitatem in Christo passionibus non fuisse, id est eum non sicut nos necessario doluisse, sed dolores nostros ita, cum voluit, suscepisse, ut posset eas non solum divina, sed etiam humana tam animi quam corporis fortitudine pœnaliter non sensisse. Quod contra vos dicitis Christum ejusdem infirmitatis, cujus et nos per omnia excepto peccato naturaliter exstitisse, sed passiones, vel dolores passionum, operante divino miraculo, differre potuisse, cessante autem miraculo post jejunium sicut et nos necessario esurisse, vulneratum necessario doluisse, crucifixum diutius vivere nequivisse. Sicut enim operante divino miraculo quadraginta diebus Moyses jejunavit, operante miraculo super undas Petrus liquidas ambulavit ; cessante autem miraculo, nec ille inediam diu ferre, nec iste grave corpus elemento liquido potuit superferre : ita Christus, ut dicitis, passionum molestiis naturali et propria infirmitate credendus est necessario prægravari, cum in eo divinum miraculum destitit operari.

Ubi non satis diligenter perpenditis, natura humana quem locum in rebus habuisset, si, ut creata fuerat, sine peccati macula permansisset, quomodo humanus animus ad imaginem Dei factus, nec angelis minor vel inferior videretur, sed eo solus Deus major et superior haberetur. Qualem animum suscepit Dei Filius cum voluit humanari, qui animus nullo vitio potuit depravari, propter quem solo Deo minor fuisse prædicatur, propter corpus vero solum paulo minus ab angelis minoratur. Unde Augustinus contra Maximum (lib. III, c. 25) : « Natura, inquit, humana, qualem naturam Christus humanæ mentis assumpsit, quæ nullo peccato potuit depravari, solus Deus major est. » Iste ergo animus, qui nullo potuit vitio depravari, non est credendus humanis affectionibus necessario prægravari ; qui, etsi corpus habuit paulo minus ab angelis minoratum, illud tamen nullo etiam fuit vitio depravatum. Et quia corpus quod peccato corrumpitur, non ejus animam aggravavit, sed totum illum hominem spiritalis conceptio levigavit : idem homo nostras ut nos molestias non creditur coactus pertulisse, sed imperio potestatis, et beneficio voluntatis **35** pro nobis misericorditer suscepisse. Quod in quarto decimo De civitate Dei invenire potestis evidenter, ubi de quatuor animi affectionibus Augustinus satis disputat diligenter : quas inesse nobis insignis ille poeta Virgilius ostendit (30), brevique eas versiculo comprehendit

Hi metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque, ne-
[que auras]
Suspiciunt.

(30) Æneid. lib. VI, vers. 733, 734.

Cum de his Augustinus affectionibus disputaret, et eas etiam in Christo fuisse patenter affirmaret; quomodo et in nobis sint, et in illo fuerint distincte declaravit, et a sensu clare intuentium dubietatis surculum amputavit. « Verum, inquit (cap. 9), ille hos motus certæ dispensationis gratia, ita cum voluit suscepit animo humano, ut, cum voluit, factus est homo. » Et infra : « Habemus, inquit, has affectiones ex humanæ conditionis infirmitate : non autem ita Dominus Jesus Christus, cujus infirmitas fuit ex potestate. » Quid evidentius, quid distinctius potest dici? quis contendat huic dicto posse merito contradici?

Suscepit ille, cum voluit, nostras affectiones certæ gratia dispensationis, habemus eas nos ex infirmitate humanæ conditionis : habemus, inquam, nos ex ea quæ nobis naturaliter ingenita est infirmitate, non autem ita Dominus Jesus Christus cujus infirmitas fuit ex potestate. Habemus itaque nos, habuit et ille, sed aliter nos, aliter ille. Habemus nos, quia sic geniti non possumus non habere ; habuit ille, quia sic genitus, cum voluit, se habentem potuit exhibere. Nec solum has animi affectiones, sed etiam corporis passiones non ex humanæ sicut nos conditionis infirmitate, sed ex misericordiæ pertulit voluntate ; sicut idem Augustinus in quarto De Trinitate (cap. 2) insinuat dicens : « Mors peccatoris veniens ex damnationis necessitate, soluta est per mortem justi venientem ex misericordiæ voluntate. » Et infra in eodem (cap. 13) : « Qui posset, inquit, non mori si nollet, procul dubio quia voluit mortuus est. » Mortuus est, inquit, non quia cessante miraculo, sicut dicitis, vivere non potuit, sed quia mori voluit : voluit, inquam, non solum Deus ut moreretur homo, sed etiam mori voluit ipse homo : Ut facerem inquiens, voluntatem tuam, Deus meus, volui (*Psal.* XXXIX); » et : « Voluntarie sacrificabo tibi (*Psal.* L); » et : « Qui dilexit me, tradidit semetipsum pro me (*Galat.* II). » Tunc autem ex humanæ conditionis infirmitate, mors ejus sicut nostra rectissime venire diceretur, si cessante miraculo lege nostra omnium mori necessario cogeretur; si genitus ingenitum hoc haberet, ut morti resistere non valeret.

Quia vero ex hoc quod homo factus est, habuit ut posset mori, ex eo autem quod sine peccato factus est, habuit ut posset et non mori, recte dicit Augustinus, quia ejus infirmitas fuit ex potestate, et mors ejus venit ex misericordiæ voluntate. Ejus quippe infirmitas, non moriendi necessitas, sed moriendi fuit possibilitas; qui cum posset, quia homo erat, mori, quia homo sine peccato erat, nihilominus et non mori ; eligit ut pro nostra omnium salute moreretur, non ex necessitate sua, utpote qui nullo vitio teneretur. Quod etiam in vicesimo quarto Moralium ostendit (cap. 4) papa Gregorius, dicens : « Ille autem quia nulli admistus est culpæ , nulli ex necessitate succubuit pœnæ. » Videtis necessitatem ab omni pœna ejus penitus removeri, et remotionis causam pariter admoveri : « Nulli, ait, ex necessitate succubuit pœnæ, et hoc, quia nulli admistus est culpæ. »

Non ergo, sicut dicitis, ideo tantum potuit non mori, si mori non vellet, quia Deus qui in illo erat, poterat quidquid vellet. Cum autem sicut in Moyse et Petro cessaret in illo divinum miraculum operari, cogeretur ipse homo morte necessario prægravari sed ideo ex necessitate nulli pœnæ succubuit, quia nulli culpæ admistus fuit, quamvis hoc ipsum quod sine culpa ille homo creatur, non hominis, sed Dei esse beneficium non negatur. Sicut enim quod ambulare fortiter; quod currere possum velociter, rectissime attribuitur corporis sanitati, corporis agilitati, et tamen hoc totum est veraciter Dei donum, a quo est omne bonum, ita Christus quod nulli ex necessitate succubuit pœnæ, ex eo fuit, quod nulli admistus est culpæ, quamvis illa munditia negetur opus esse gratiæ creatricis, et eidem homini tam inseparabiliter assistricis, ut sicut potuit non pati cum nondum pateretur, sic posset et non mori cum non moreretur, si vellet non solum divinitas quæ in illo suaviter omnia disponebat, sed etiam ipse homo qui disponenti personaliter cohærebat.

Quod ergo mihi objicitis illud de Evangelio : « Non sicut ego volo, sed sicut tu (*Matth.* XXVI), » vox est membrorum, vel capitis in persona membrorum, quibus proprie dicitur : « Alius te cinget et ducet quo tu non vis (*Joan.* XXI). » Quod autem objicitis illud de propheta : « Prævaluerunt insidiantes mihi (*Job* XXX) : » insidiantes visi sunt prævalere, cum suam ad effectum malitiam perduxere, cum juxta quod optaverant, Christum occidere potuerunt, et tamen potentiores eo quem occiderant non fuerunt. Non legistis Jacob ad angelum invalere, et abire volentem tanquam invitum aliquandiu retinere? (*Gen.* XXXII.) Et tamen quis nesciat eidem Jacob angelum præeminere, et imbecilli fortiorem affectu spontaneo subjacere? Ita Christus, infirmus quidem voluntaria potestate et affectus potenti voluntate, passioni succubuit non naturaliter, id est non infirmitate coactus naturali, quia non conceptus lege nostra omnium generali. Quod etiam cujusdam nostri temporis, **36** et vidit et scripto commendatur prudens subtilitas ; si tamen vestræ prudentiæ cujusquam modernorum placet auctoritas, qui cum de Christo homine loqueretur, ex quo ait conceptus et animatus exstitit, per unitionem deitatis ab omni peccato et pœna peccati naturaliter mundus fuit, quamvis quasdam peccati pœnas habuerit sua voluntate. Videtis illum hominem non solum ab omni peccato, sed etiam a pœna peccati mundum naturaliter exstitisse : quem tamen sua voluntate quasdam pœnas peccati certum est habuisse. Unde infra subjungit : « Postquam in utero conceptus est, ita divinitas eum omni parte confirmavit, ut omne peccatum et pœnam peccati ab eo naturaliter removerit. » Ecce ab illo homine, et peccatum et pœna peccati naturaliter sunt remota : cui tamen non peccatum, sed pœna peccati, cum

voluit, est admota, quia conceptus sine culpa unito sibi Deo ita est confirmatus ut non nisi voluntate, non nisi potestate fuerit infirmatus.

His et horum similibus acquiescat vestra prudentia documentis, non contendat grossis et ineffi-cacibus argumentis, quia veritas ad hoc plerumque latet sub cujusdam nebulæ tegumentis, ut eam non capiat intellectus grossior imprudentis. Quod propter nonnulli « semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes (II *Tim.* III), » nihil in Scripturis æstimant contineri, nisi quod vident passim ab omnibus obtineri; et quæ latentia vel volunt vel nequeunt intueri, digna putant a fide recte scientium removeri. Vident quidem Adam factum fuisse mortalem, alioquin nequaquam moreretur, et hoc facile potest sciri quod tanta experientia retinetur; sed non vident eumdem factum et immortalem, cum immortalis non mori prædicetur, et mortalem immortalemque simul esse consentaneum non videtur. Sed utrumque simul erat, non necessitas, sed potestatis, non quod ille ad istud sive illud necessario cogeretur, sed quod ejus optioni neutrum negaretur. Qui quoniam per peccatum ad mortalitatem electione libera declinavit, tanta necessitate per peccatum genitos omnes posteros obligavit, ut præsentis vitæ molestiis quæ primo illius meritis irrogantur, isti tam justi quam injusti necessario patiantur. Ideo Propheta, imo omnis justus : « De necessitatibus meis, inquit, erue me (*Psal.* XXIV) » id est non solum a peccato, sed etiam a pœna pro peccato, quam incurri, non sicut Adam electione libera, sed necessitate misera.

Quam precem miserator et misericors Dominus a tempore Abel primi justorum audiens, et fine sæculorum efficacius tandem exaudiens, filium suum voluit incarnari, incarnatum cum hominibus conversari, ita tamen ut sine culpa, sancti Spiritus opere gigneretur, et ideo nullius necessitatis vinculo stringeretur. Peccato enim necessitas debebatur; ipse autem nullo debito tenebatur. Liber autem a debito, id est tam pœna quam peccato, cum posset non mori, non solum si Deo, sed etiam si ipsi homini complaceret, eligit tamen mori, ut æternæ nostræ mortis debitum aboleret. Reddens quippe quod non debuerat, solvens quod non rapuerat, quia elegerat Adam mori, elegit etiam ipse mori, ut par pari referret, sed causa utilitasque differret, dum ille a vita per inobedientiam declinavit, iste se ad mortem per inobedientiam inclinavit; ille moriens æternæ mortis caligine nos involvit, iste moriens ab eodem debito nos absolvit.

Unde grates non modicæ, non solum Deo qui unitus est homini sed etiam ipsi referendæ sunt homini, qui, ex quo Deo personaliter est unitus, ita eidem est voluntate per omnia connitus, ut sicut eum hominem pro nobis voluit Deus pati, ita idem ipse homo pro nobis voluit pati : et assumptus assumenti nec ad modicum obmutiret, sed disponenti suaviter ipse assensu spontaneo fortiter obediret.

A Etsi enim sicut duas naturas, divinam scilicet et humanam, ita duas, ut dicitis, voluntates asseritur habuisse, non tamen Deo quidquam contrarium ille homo credendus est voluisse, sed sicut in unitatem personæ conjuncta est humanitas deitati, ita hujus illius unita per omnia voluntas voluntati, et assumens assumpto in assumendo contulit tale munus, ut cum eo sicut persona, ita et voluntate maneat semper unus. Si vero aut illa caro spiritui suo, aut ille spiritus Deo suo, vel ad modicum obviavit, quid nisi a rectitudine aliquantulum deviavit, et ita fatebimur Christum fuisse divisum, quem teneri vult Apostolus indivisum? (I *Cor.* I.) Quam divisionem etsi omnis per peccatum genitus in se cogitur experiri, non tamen putet eam posse etiam in Chri-B sto inveniri : ne naturam illius secundum nostram nimis carnaliter metiatur, et eum infirmari naturaliter et necessario mentiatur. Quem si infirmatum, passum, mortuum confitetur, (quod quidem non solum nullus fidelium, sed nec infidelis quilibet diffitetur) non est satis si etiam non attendat illum esse conceptum opere spiritali, et ideo naturæ suæ fretum privilegio speciali, ut necessario non gravetur conditionis nostræ privilegio generali. In quo et illius charitas amplior comprobatur, et nostra credulitas amplius commendatur, dum ille cognoscitur et suæ merito puritatis non pati potuisse, et affectu charitatis pro nobis ægrotantibus voluisse. Quod quidem et videre et tenere non mediocris est profectus, si tamen dignum fide perfectorum **37** indicatur intellectus : et ideo tam mihi quam vobis id desidero plenius revelari, ut fidei præsentis merito mereamur Deum revelata facie contemplari. Volo autem ut meo huic desiderio dignemini subvenire; et vos vestro Philippo, quod Paulus suis Philippensibus impertire : « Deus, inquit, meus repleat omne desiderium vestrum, secundum divitias suas in gloria, in Christo Jesu (*Philipp.* IV). » Vale.

C

EPISTOLA VIII.

PHILIPPI AD GREGORIUM.

Non debere religiosum aliis religiosorum ordinibus detrahere.

Si quia, unus Dominus, una fides, unum baptisma, omnium fidelium jure esset cor unum et anima D una, quanto magis eorum qui concessam vivendi latitudinem arctiori proposito supergressi, religionem, vel clericalem, vel monachicam voce et habitu sunt professi? Eos quippe etsi ab invicem locorum secernit longinquitas, sive reddit foris dissimiles habitus vel professionis diversitas : debet tamen unus eos spiritus, una dilectio sic ignire, ut inveniatur spiritalis conflatio diversorum animos counire. Talis illa legitur Ecclesia fuisse primitiva, quæ accipere meruit tanta vehementis spiritus incentiva : ut ab ea procul fieret livor et contentio præsumptiva, et in unum eam manipulum devinciret dilectio collectiva. Felices qui illis in diebus converti meruerunt, imo qui sic et conflari et conflatione mirifica uniri studuerunt, qui abjecta multi-

plicitate pristinæ mansionis, erant, sicut scriptum est : « Omnes unanimiter in porticu Salomonis (*Act.* v). » Processu vero temporis cum ad fidem convolant nonnulli salvandorum numerum supergressi, rite piscatorium Ananias et Saphira sunt ingressi (*ibid.*), ipsamque religionem, voce magis quam opere multi Simones sunt professi (*Act.* viii), quorum illi non parum sibi retinent de pannosa pristinæ consuetudinis facultate, isti vero appetunt gloriari de optata exteriorum munerum sanctitate. Utrique arguendi, utrique falce judiciaria feriendi : nisi forte divina visitante gratia resipiscant, ut juxta Jeremiam (*cap.* xvii) non diem hominis concupiscant. Cum enim sermo evangelicus perfectionis intuitu venundari et dari præcipiat omnia quæ habentur, satis est incongruum si fraudulenter eadem retinentur, si, qui perfectionem vultu et habitu profitentur, eamdem retento, non tam nummorum quam morum sacculo diffitentur. Nec sufficit cuiquam perfectionis gratia pecuniarum contemnere facultatem, si non etiam relinquat morum pelliceam pravitatem, si non, juxta Apostolum, sic se terreni hominis exuat vetustatem ut, deponens mendacium, loquatur veritatem (*Ephes.* iv). Mendacium deponit et veritatem loquitur, qui assumptam professionem probabili conversione morum exsequitur, qui sic, juxta promissum, studet mandatis perfectioribus inhærere, ut non sicut Ananias et Saphira quidquam sibi velit proprium retinere.

Ille etiam promeretur non mediocriter reprehensibilis judicari, qui assumpto humilitatis habitu præsumit inaniter gloriari : qui dona spiritualia, vel quæ optat, vel forte jam meruit obtinere, ad privatæ laudis aucupium tanquam Simon Magus satagit retorquere. Plerique enim cum religionis ingressi fuerint officinam, ut in ea regularem vivendi fabricent disciplinam, proponitur quidem eis velut matoria malleus et incudo, et a quolibet doctiore describitur exsequendi operis pulchritudo, sed vel pressi ignavia, strenuitate debita non laborant, vel hebetes nihil aut parum opus propositum meliorant. Vidisti plerosque et insignitos exterius titulo militari, et animo tamen degeneres nunquam graviter præliari, et innumerabiles clericos in scholarum gymnasio convenire, et eorum tamen raros ad perfectum scientiæ pervenire. De qualibus Paulus : « Semper, inquit, discentes, nunquam ad scientiam veritatis pervenientes (*II Tim.* iii). » Ita et hoc tempore perplures quasi mandatis evangelicis obedimus, dum relinquentes sæculum, claustrale conflatorium introimus ; sed quia illic corda nostra non satis digno charitatis incendio counimus, nimirum, opus assumptum ad unguem nullatenus expolimus. Hinc accidit, ut arbitror, quod ii qui in diversis vel Ecclesiis vel ordinibus conversantur, rupto pacis internæ vinculo, sibi invicem adversantur, et cum deberent in osculo sancto, amplexu mutuo, confoveri, mordentes et consumentes invicem, vix possint ab invicem sustineri.

Qui lenioris habentur propositi, non timent sanctioribus derogare, et districtas eorum observationes, tanquam superfluas adinventiones mordaciter subsannare, qui vero sibi videntur aliquid maturius et districtius actitare, non erubescunt illud, tam apud seipsos quam apud cæteros jactitare, et eos qui aliud agunt, quasi minoris meriti judicare. Quod ideo commemorare volui, ut talium multitudine non ducaris, nec hoc ductu a veritatis tramite seducaris, seductusque in errorem et præcipitium inducaris : unde corde obcæcato, vel forte obdurato, non facile postmodum educaris. Volo enim te non tam vultu et habitu religioso exterius insigniri, quam religiosis moribus inveniri, ut spiritu fervens et simplicitate vigeas columbina, et prudentia nihilominus calleas serpentina. Nam neque religiosus est, qui spiritu **38** non fervescit, nec fervor perfecte commendatur, qui simplicitate amabili non mitescit, nec simplicitas ab insidiis adversantium expeditur, quæ « velut columba seducta non habens cor (*Ose.* vii), » sagaci prudentia non munitur. Non ergo putes sufficere quod te ad justorum consortium transtulisti, quod religionis gratia eorum vultum et habitum assumpsisti, quia parum aut nihil prodest cum justis quempiam conversari, nisi et eorum justitiam diligenter satagat imitari. Denique sicut Lot civis Sodomæ laudis titulum promeretur, sic et Judas Scariotes excusabilis non habetur, eo quod et illum perversitas concivium non inflexit, et istum coapostolorum sanctitas ad vivendum similiter non provexit.

Habeto igitur similitudinem columbæ, ut nulli detrahas, nullum mordeas, nulli noxius habearis, sed dilatato corde omnes affectu benevolo complectaris, non solum eos in quorum vel grege vel ordine, electione propria contineris, sed quoscunque vel esse religiosos, vel religionis præferre titulum intueris. Sicut enim plerumque inferioris est meriti, qui tamen in Ecclesia gradum obtinet digniorem, sic nonnunquam inferior ordine, vitam habet meritis potiorem ; et juxta modum ordinis, vel exterioris cujuspiam dignitatis, metiendum non arbitror interioris meritum sanctitatis. Quocirca ne in fatuitatem columbina simplicitas devolvatur, et seducta non habens cor ignorantiæ tenebris involvatur, habeto et serpentis prudentiam quæ discernit, quæ acuto intellectu, et eligit profutura, et noxia cuncta spernit. Hac si fueris præditus, cum omnes religiosos digno humilitatis obsequio venereris, non tamen ad hoc male credulus induceris, ut simplicitate fatua quidquid omnes egerint admireris, et admiratione erronea imitandum illud, quasi justum sit, arbitreris. « Non est homo, inquit Salomon, qui non peccet (*III Reg.* viii). » Et Jacobus : « In multis, ait, offendimus omnes (*Jac.* iii). » Sicut enim plerumque apud injustum quemlibet dignum laude est aliquid invenire, sic nonnunquam justus agit quod non potest ejus merito convenire ; et sicut illud bonum pro persona simplicitas benevola

non perverlit, sic et illud malum commendatione fatua in bonum sagax prudentia non convertit.

Indiscreti est hominis, et quidquid apud irreligiosum viderit, condemnare, et quidquid religiosus egerit, commendare, cum et Simon Magus crediderit, quod debere fieri prædicator ejus Philippus asserebat (*Act.* VIII), et Simon Petrus simulaverit, quod intelligens Paulus ejus coapostolus arguebat (*Gal.* II). « Væ his, inquit Isaias, qui dicunt bonum malum, et malum bonum; et ponunt dulce in amarum, et amarum in dulce (*Isa.* V). » Si ergo debet virtus, apud quemcunque inventa fuerit, approbari, vitium vero discreto judicio reprobari, omnes religiosos cujuscunque sint ordinis venerare, et affectu benevolo virtutes omnium amplexare. In quibus si forte imperfectum aliquid intellectu lynceo deprehendis, si culpam alicujus, non tam mordaci quam veraci judicio reprehendis, ob hoc tamen apud te, quasi nulla sit, illius religio non vilescat, nec adversus illum tuus spiritus quasi religiosior intumescat. Etsi enim illum in eo quod imperfectus vel forte reprehensibilis est, nec vis nec debes imitari, alia tamen vel aperta vel occulta ejus bona debes humiliter venerari; eum pluris æstimare, te inferiorem meritis arbitrari, te indignum judicare, de altero melius suspicari. Sic nimirum vir religiosus quem ad suas nuptias pater familias voluit invitare, invenitur illius convivii partem ultimam occupare (*Luc.* XIV), et de scabello ad cathedram promotione non sua, sed patrisfamilias honorifice sublimatur; ille autem qui præsumptivo spiritu sublimem locum elegerat, degradatur. Denique « nescit homo, ut scriptum est, utrum odio an amore dignus sit (*Eccle.* IX) » : et ideo non est cuipiam de suo vel merito, vel ordine præsumendum, nec est alteri vel homini, vel ordini detrahendum. Sicut enim de duabus in molendino in tumultu populari, de duobus in agro in exercitio pastorali, sic et de duobus in lecto in quiete claustrali, unus assumetur et unus relinquetur (*Luc.* XVII). Assumetur quidem, qui in suo et loco et ordine elegerit potiora, obliviscens quæ retro, extendens se gnaviter ad priora : qui, juxta prophetam « non contendet, non clamabit (*Isa.* XLII), » et tamen juxta Evangelium servum se inutilem proclamabit (*Luc.* XVII). Relinquetur vero, qui de exteriori habitu glorians religionem sibi verbis magis quam moribus arrogabit, qui sibi falso blandiens, cæteris derogabit : qui laboris fugitans, molli se accubitu reclinabit, qui ad excusationem sui, ad accusationem proximi, cor malevolum inclinabit.

Sed ab istis perfecte desistere, et plenius illis insistere, a vitiis mentem abstrahere, et in habitum virtutes trahere, non omnibus nostri similibus est facultas, imo quibushibet etiam perfectioribus, est non mediocris difficultas. Quamvis cupienti labor nullus difficilis videatur, si tamen laboranti concupitum præmium proponatur, quia dum creditur delectabile quod amatur, præsentis pondus gravedinis amore speratæ dulcedinis levigatur. Quod autem in vinea Domini Sabaoth laborantem fructus dulcissimus prosequatur, si laborans propositum strenue et graviter exsequatur, fortissimus ille Samson eleganti problemate protestatur, quod non a Philistæis, sed a te tuique similibus spiritaliter **39** enodatur. « De comedente, inquit, exivit cibus; et de forti exivit dulcedo (*Judic.* XIV). » Comedit quippe peccator conversus cinerem tanquam panem, cibatur pane lacrymarum, manducat panem doloris cum excessus præteritos humiliter deflere, et fletuum irriguo illos satagit abolere. De hoc autem comedente procedit cibus, quia qui panem comedit humilium peccatorum, meretur pane refici sublimium angelorum : « Panem, inquit, angelorum manducavit homo (*Psal.* LXXVII). » Et : « Ego, inquit, sum panis vivus, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum (*Joan.* VI). » Quia vero gravis et laboriosa est luctuosa comestio peccatoris, dulcis et jucunda refectio Creatoris, cum dixisset Samson : « De comedente exivit cibus, » subjunxit : « Et de forti dulcedo, » quia scilicet qui fortiter in præsenti comederit panem luctus, capiet in sequenti panis angelici dulces fructus.

Neque hoc tibi dico ut per me quasi nescius docearis, qui melius et perfectius a longe melioribus informaris, qui præsto habes vivos codices non superscriptos delebili atramento, sed inscriptos et instructos præclariori sancti Spiritus documento, quorum conversationem, ut prudens lector assiduam lectionem, diligentius intueris, et eorum exemplo ad uniendum similiter plenus edoceris. Non ergo te doceo, sed doctum submoneo ut diligenter recolas quid egisti, quid, quare cum habitum religionis assumeres, incœpisti, sciens quia si permanere laboraveris, imo si laborans permanseris in incepto, laborantem reficiet qui laborem fingere voluit in præcepto. Cui bono tuo et præsenti et futuro scias me non mediocriter adgaudere, tuo laborioso luctui spe futuræ dulcedinis arridere, et quamvis cum flentibus nos admoneat Apostolus Paulus flere (*Rom.* XII), ego tamen, cum rideres, magis coactus sum te deflere. Volo autem ut vicem aliquantulam mihi rependere non graveris, et pro me tui sollicito tu quoque Deum sollicitus depreceris : ut meorum clementer immemor delictorum, recipere me dignetur in numerum electorum. Vale.

EPISTOLA IX.

PHILIPPI AD BARTHOLOMÆUM.

De persecutione sibi injuste illata.

Cum aeris immensitas profundo noctis horrore tenebrescit, si apparentis subito luciferi radius illucescit, intuentis animus non mediocriter hilarescit, etsi adhuc apud eum pleno munere non diescit. Solus quippe sol præsens omnem potest noctis caliginem propulsare, solus tristes animos in gradum pristinum reformare : qui tamen consolari sedentes in tenebris non omittit, cum venire differens, eis

luciferum antemittit. Vestra ergo consolatio vicem mihi luciferi videtur obtinere, quæ etsi non prævalet quidquid in me tenebrosum est removere, tamen lucis plenariæ mihi gratissimam spem infundit, quæ spes vestræ charitatis beneficio non confundit. Cum vero solus jubar plene cornu terræ dignanter se infundet, cum mihi Christus præsens lucis suæ plenitudinem superfundet, jam mihi adversarius graves injuriæ tenebras non offundet, vel meam patientiam prævalente malitia non obtundet. A qua plenitudine dum pro meritis mea parvitas procul jacet, vestra interim mihi visitatio satis placet : quæ et verbo bono, verbo consolatorio me refovit, et ad quantulamcunque fortitudinem mystico munere me promovit. Neque enim vobis sufficere visum est, ut mihi parvulo scriberetis, nisi abundantiore gratia munus etiam mysticum mitteretis : quo multo subtilius, multo frequentius compellor admoneri, ut patiens quid molestum, studeam a patientia non dimoveri. Quem enim premit supereminens altitudo, ei necessaria est mira patientiæ fortitudo, quia etsi illa ad premendum conatu plurimo non utatur, iste tamen inferior intolerabiliter aggravatur. Hinc est quod quædam etiam mulier, cum de summo turris culmine, molaris lapidis fragmen jecit, inferius præliantem regem Abimelech interfecit (*Judic.* IX), et quod illa superior potuit conatu facili propulsare, ille inferior non potuit vitæ constantia tolerare. Quod si regi prælianti ex equo mulierem occurrere contigisset, parum quidem, vel nihil forsitan nocuisset, quia par pari æquis viribus facile restitisset, imo vir feminam regali fastidio contempsisset. Si autem idem rex in præcelso turris munimine resideret, quot, quæso, inferius positas mulierculas opprimere solus prævaleret; imo si multos sibi reges et principes inibi congregaret, quomodo eis adjutoribus solum virum imbecillitatis femineæ conquassaret? Qui si parcentes lapidibus, eum sputis solummodo vellent illinere, multi unum fortes femineum possent opprimere, nec tot sputorum imbribus sufficeret miser resistere, nisi valida manus Dei festinaret dignanter assistere.

Non ergo mirum, si Stephanus martyr occubuit, cum ei gentis suæ multitudo gravis incubuit ; cum enim immeritum unanimo illa spiritu lapidavit, tantum Saulus non lapidans vestimenta lapidantium conservavit (*Act.* VII). Idem Saulus cum Paulus postea factus esset, excitavit etiam adversum se gentem suam, et inimicus factus est vera dicens, et ut fratres suos inviseret, Jerusalem ascensurus audivit, quia illic esset multa et gravia perpessurus. Tollens enim Agabus propheta zonam Pauli, et alligans sibi manus et pedes: « Virum, ait, cujus est zona hæc, sic alligabunt in Jerusalem Judæi (*Act.* XXI). » Et ille accingens fortitudine lumbos suos, audiens dictum ad Job : « Accingere sicut vir lumbos tuos (*Job* XXXVIII), » non solum, inquit, alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum (*Act.* XXI). » Felix Paulus quem tanta cinxerat fortitudo, ut eum non terreret Judæorum adversaria multitudo, qui paratus erat cuncta fortiter sustinere, quæ ab hominibus suæ gentis sibi prænoverat imminere. Forma simili jam depressum, et a principibus populi minus juste plurima jam perpessum, eamdem cum Paulo me habere fortitudinem monuistis, et ne litteræ non sufficerent, munus commonitorium obtulistis. Quod etsi nihil in se pretii vel mysterii contineret, mihi tamen propter mittentis benevolentiam complaceret, quia cujus mihi habetur auctoritas gratiosa, consequenter munera sunt, auctor quæ facit, pretiosa. Nunc vero et munerantis sublimis auctoritas, et muneris oblati moralis utilitas, divina ordinante sapientia pariter convenerunt, et ad me consolandum opportuno tribulationis tempore devenerunt. Zona enim quam vestra dignatio mihi mittere voluit ad cingendum, me convenit, me commonet, ad omnia fortiter sustinendum, ut astrictis sinibus teneris reddar viriliter expeditus, quibus lege solutis invenitur quisque ad currendam viam fortitudinis præpeditus. Denique « indutus est Dominus fortitudinem et præcinxit se (*Psal.* XCII). » Et : « Accingere, inquit, super femur tuum, potentissime (*Psal.* XLIV) : » ut scilicet cum potenti cinctione fuerit graviter insignitus, omnibus innotescat quanta sit fortitudine præmunitus. Ipse tamen cujus fortitudo comparabilis non habetur, cujus velle, posse est, cujus patientia nostris angustiis non tenetur, illos perhibet se multo gravius sustinere, quorum debuerat benevolentiam obtinere; debuerat, inquam, vel quoniam ipse Deus, et ille populus ejus erat, vel saltem quia homo, et de illorum populo natus erat. « Laboravi, inquit, sustinens (*Isa.* I). » Et : « Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem, et abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimus, dux meus et notus meus (*Psal.* LIV). » Et alibi : « Homo, inquit, pacis meæ in quo sperabam, ampliavit super me calcaneum (*Psal.* XL). » Cum igitur homines gentis meæ, homines pacis meæ, in quibus sperabam, amplient etiam super me calcaneum suum pro gratia perperam inferentes, pro bono malum indebitum referentes, vel quia rei veritatem ad liquidum non noverunt, vel forte quia cognitam non satis dilexerunt, quid mirum si mea parvitas ad tam grave piaculum obstupescit, et sub tanto gravamine impar viribus elanguescit? « Nec enim fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est (*Job* VI). »

Jubet Paulus ne patres velint ad iracundiam filios provocare, sed in Dei patientia et doctrina vivendi eis tramitem præmonstrare (*Coloss.* III), ipsi autem (si dici fas sit), mandatum apostolicum prætergressi, me parvulum provocare concordi spiritu sunt aggressi. Et cum lex per Moysen dicat : « Personam hominis in judicio non accipietis (*Deut.* XVI), » ut magnum, ita parvum æqualiter audietis, volens eos pondus et pondus non habere, sed quale majoribus, tale et minoribus judicium exhibere, in me vel pro me isti perscriptam justitiæ regulam respuerunt,

et personam accipientes, me parvulum audire noluerunt. « Lex nostra, Nicodemus ait, non judicat quemquam, nisi prius audierit et cognoverit quid faciat (*Joan.* VI). » Cum autem me inauditum congregati principes judicarent, et pro imperio, potestatis in me sententiam promulgarent, miror quia nullus Gamaliel inventus est qui mutiret, qui libertate spiritus sanum erroneis consilium impertiret, monens scilicet ut ab homine discederent, quem nullius criminis reum ignominiosius arguebant, quem in modum Susannæ ad dedecus gravis infamiæ producebant (*Dan.* XIII). Et si enim forte aliquis ille fuit qui hujus rei exitus non placeret, pro eo quod eotenus quidquam simile velut de Susanna cognitum non haberet, tamen accusantibus judicibus quos non veritas, sed accepta potestas audiri faciebat, non fuit qui refelleret quidquid illorum testimonium asserebat. Cæterum quia Susannam majoris longe meriti quam me noverat Deus esse, motus misericordia ei statim inventus est non deesse, mittens ei Danielem, qui testes reprobos convicit falsitatis, et errorem cæterorum reduxit ad semitam veritatis.

Ego vero tanquam Joseph in infamia sum relictus, tanquam reus adulterii carceri sum addictus (*Gen.* XXXIX), et non decreto legis, sed potius ira regis coactus sum dedecus sustinere, quod verius in alterum posset judicii æquitas retorquere. Sed regina volens humano rea judicio non teneri, nec in se pœnam satis meritam retorqueri, prior in clamorem prorumpere callida festinavit, et retento viri pallio testes sibi servulos convocavit. Ille ergo indiciis non tam veris, quam verisimilibus, et horum testimoniis reginæ plus justo faventibus, quod falsum erat, verum esse rex uxorius æstimavit, et non tam juste quam potenter pœnali virum ignominiæ destinavit. Sic per astutiam accusantis, et ignorantiam judicantis Joseph immeritus pœnas solvit. Et eam quæ meruerat, præsens ruina non involvit, eo quidem judicio, quod nostrum ad liquidum nullus novit, quos Deus adhuc ad **41** suorum secretorum notitiam non promovit.

Sed non miror si rex incredulus vel Ægyptia mulier sic agebat, quorum neuter divinæ religioni vel justitiæ serviebat : quos loco et generē tenebrosa Ægyptius continebat, ad quos parum sive nihil viri salus Israelitici pertinebat. Denique scriptum est. « Oderant autem Ægyptii filios Israel (*Exod.* I). » Cæterum si filii Israel alterutrum gravare dilexerunt, si majores patriarchæ Joseph minorem detraxerunt (*Gen.* XXXVII), Amos propheta, imo sanctus, qui per eum Spiritus loquebatur, ostendit manifeste, quid quare hujusmodi hominibus inferatur : « Væ, ait, qui opulenti estis in Sion, optimates capita populorum, qui separati estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis : qui comeditis agnos de grege, et vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocem psalterii sicut David ; putaverunt se habere vasa cantici bibentes in phialis vinum, et nihil patiebantur super contritione Joseph (*Amos* VI). » Cum propheta iste plura enumerasset, quorum rei principes populi tenebrantur, et propter quæ illud Væ, quod præsumit, justo judicio merebantur, ad extremum intulit : « Et nihil patiebantur super contritione Joseph (*ibid.*), ut plane ostenderet, quia in hoc summa totius nequitiæ consummatur, quod minor frater majoris imperio conteratur : quod illo passo nulla iste misericordia moveatur, quod illo tabescente iste hilarescere videatur. Unde cum majores patriarchæ graves in Ægypto molestias paterentur, cum ad explorandum infirmiora terræ venisse dicerentur ; cum educti de carcere, unum tamen in vinculis relinquere cogerentur (*Gen.* XLII) : nulla magis causa reputant se hæc incommoda promereri, quam quod fratri minimo noluerint antea misereri. « Merito, inquiunt, hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, cum deprecaretur nos, et non audivimus, idcirco venit super nos ista tribulatio (*ibid.*). »

Quod si frater arguitur qui conterit fratrem suum (*Malac.* II), nunquid non et civitas arguenda est conterens civem suum, cum in ea quanto major sapientium multitudo, tanto major debeat esse justitiæ rectitudo ? Si autem civitas non Babylonia, quæ *confusio* nominatur, sed civitas Jerusalem, quæ *pacis* nomine titulatur, civitas, ut scriptum est olim, plena judicii (*Isa.* I), civitas sancti, civitas quam elegit Dominus, ut ei cognitio sui nominis infundatur, ut de Sion exeat lex, et verbum Domini de Jerusalem diffundatur (*Mich.* IV) : si hæc, inquam, civitas indiscrete quidpiam egerit potius quam prudenter, si non juste, si non pie, sed magis pro imperio violenter, quis non stupeat, quis non lugeat, quis sustineat patienter ? « Videns hujusmodi civitatem Jesus, flevit super eam (*Luc.* XIX). » Et alibi : « Jerusalem, Jerusalem, ait, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt (*Luc.* XIII). » Missi quidem sumus ad hanc Jerusalem ut salvemur, ut ea et docente et ducente de Babylonia liberemur, ut cuivis educto, juxta prophetam, cum panibus occurrat fugienti, et cœlestium secretorum aquas proferat sitienti (*Isa.* XXI). Quæ si pro panibus lapides ingerat, pro aquis salubribus venenum offerat, quis non exhorreat, quis non resiliat ab hujusmodi nutrimento, imo tam intolerabili, tam detestabili detrimento ?

Recte Paulus confusionem hujus expertus civitatis, quæ suis infert civibus iram pro spiritu lenitatis, in manus ethnicorum potius vult dimitti, quam ad illam confusam et detestabilem rursus mitti. Confusa quidem erat cum eumdem Paulum eductum extra templum absque misericordia flagellaret (*Act.* XXI), cum in illius mortem insatiabiliter anhelaret, expletura propositum, nisi Lysias tribunus militum festinus adventaret, et de percutientium manibus eum cum vi maxima liberaret. « Nuntiatum est, inquit, tribuno cohortis, quia tota confunditur Jerusalem (*Act.* XXI). » Post biduum autem cum idem Paulus apud Cæsaream teneretur, et astantibus Judæis pro seipso coram Festo præside loqueretur,

ostendens quia neque in templum, neque in legem Judæorum quidpiam deliquisset, et eorum flagella et contumelias injuste pertulisset, Festus volens Judæis accusantibus complacere, loquenti Paulo ita legitur respondere : « Vis Jerosolymam ascendere, et ibi de his judicari apud me? (*Act.* xxv.) » Vis, inquit, ad civitatem regiam proficisci, ut ibi mereris quod justum æstimas plenius adipisci, ubi lex tua viget, ubi gentis tuæ principes conversantur, qui pondus et pondus abhorrentes, examen subdolum aversantur, ubi fons misericordiæ, ubi sedes justitiæ reperitur, ubi juxta Moysen sicut superior, ita et inferior exauditur ! At ille sciens in Jerusalem tale quid non haberi, eamque legis vinculo affectu misericordiæ, justitiæ perpendiculo non teneri, exhorret et recusat illius judicio præsentari, prudenti consilio magis eligens apud exteros judicari. Ad tribunal, inquit, Cæsaris sto, ibi me oportet judicari, Judæis non nocui, nemo potest me illis donare : Cæsarem appello (*ibid.*). Non vult Paulus ascendere Jerusalem ut ibi judicetur, ne cum judicari debeat, potius lapidetur, quia Scribæ, Pharisæi, principes sacerdotum, populi seniores, ad lapidandum quam ad recte judicandum fuerant promptiores. Quorum voluit, sed non prævaluit **42** idem Paulus serenare confusionem, tumultum compescere, solvere pestiferam unionem, reddens tam illis quam cæteris multipliciter rationem, quod nullam templo, legi, populo intulerit læsionem, addensque suam sententiam tot et tantis testimoniis communire, ut propter multam ejus et scientiam et eloquentiam, Festus eum præses diceret insanire : « Insanis, inquiens, Paule : multæ litteræ ad insaniam convertunt te (*Act.* xxvi). » Quod si vir tantus, gentis suæ principes non sedavit, non sermonibus, licet veris ad veritatis lineam revocavit, quis ego sum ut ad cognitionem veri meos possim reducere seniores, et ad parcendum mihi reddere proniores ? Quando vel quomodo ad eorum remotas ab invicem domos potero pervenire, vel eosdem illic sedentes invenire, ut reddens singulis rationem faciam eos aliud quid sentire, et quod evertere voluerunt mutato proposito resarcire? Vel quando vel quomodo eos rursus potero congregare, vel forte congregatos ad audiendum me parvulum inclinare, in quorum consessu, ut multi asserunt, vix aliquis exauditur, nisi pari vel forte ampliori fastigio nominis insignitur? « Dives quippe, ut legistis, locutus est, et omnes tacuerunt. Pauper vero locutus est, et dicunt : Quis est hic? (*Eccli.* xiii.) » Loquenti ergo divîti facile divites accesserunt, et suæ privilegio potestatis absentem pauperem oppresserunt, tanta animositate quod in oculis suis erat placitum exsequentes, et me nullo munitum defensore habenis liberioribus persequentes, ut nec parcerent diei festo : « Ne forte tumultus fieret in populo (*Matth.* xxvi). »

Cum enim dies festus eorum ageretur, et coacto concilio super me consilium haberetur, quidam veteris iræ non immemores tempus adepti præoptatum, me latentem, me a multis ibi præsentibus eatenus ignoratum, suggesserunt, coegerunt in conspectu omnium nominari, et suspensum ad solem cunctis notum, imo notabilem demonstrari. Mira res! Mea in angulo apud se parvitas delitescit, et in eorum concilio mea infamia omnibus innotescit : qui cum soluta statione ad sua singuli recesserunt, quod de me acceperunt, longe lateque ampliato fœnore refuderunt. Sic illis deferentibus, et sinistro rumore cuncta complentibus : dum prolata in me sententia ab eis ventilatur, ubique locorum cognitio mei nominis divulgatur, et quæ angustis finibus eotenus fuerat circumclusa, jam non præconio sanctitatis, sed artificio falsitatis ubique gentium est diffusa. Magna itaque orta est disceptatio in sermonibus diversorum, propter hujus famæ vel infamiæ novitatem sibi invicem adversorum : aliis dicentibus quia bonus est, aliis dicentibus : « Non, sed seducit turbas (*Joan.* vii). » Alii enim æstimant juste mihi dedecus hoc illatum, putantes verum esse quidquid a tantis primatibus audiunt confirmatum : alii vero dicunt, quia inimicus homo zizaniam super triticum seminavit (*Matth.* xiii), et accusator fratrum veritatem mendacio subjugavit. Quorum qui verius sentiant, qui justius eloquantur, qui zelo rectiori eamdem justitiam amplectantur; ille quem nihil latet omnium Judex novit, qui sinceræ notitiam veritatis a cunctis penitus non removit. Nonnullis enim innotuit, et adhuc forte pluribus innotescet, vestræque prudentiæ quandoque plenius elucescet, quia ob hoc illorum iram compellor sustinere, propter quod debueram ampliorem gratiam obtinere.

Si enim denudati Noe verenda nequaquam nota feci, sed in modum Sem et Japhet eis pallium superjeci, quare, quæso, mihi maledictio Chanaan irrogatur, cum Noe bene pro meritis Sem et Japhet, benedictionis munera largiatur? (*Gen.* ix.) Si cum Saul ventrem purgaret, super eum gladium non extraxi, sed in eum irruentes revocavi milites, et retraxi, quare idem Saul gravat et persequitur me pusillum, fortium castra cogit contra pulicem imbecillum? (1 *Reg.* xxiv.) Ut vobis fatear, non liquet plane quare factus sim odiosus, nisi quia ut potui factus sum quibus debui fructuosus, juxta quod ut quasi per somnium recolo, quidam ethnicus pulchre dicit, qui fructiferam arborem loquentem introducit (31) :

Nil ego peccavi, nisi si peccasse vocetur
Annua cultori poma referre suo.

Quia ergo pro bonis mala mihi, quantum arbitror, inferuntur et eadem non sine forti patientia sufferuntur, neque ego Paulus esse merui, qui non solum nullis tribulationibus enervatur, sed in eis spe mercedis, et coronæ glorians gratulatur, vestram quæso dignationem, mihi misericorditer occurratis,

(31) Ovid. elegia de nuce, vers. 5, 6.

et sub fasce laboranti precum vestrarum humeris succurratis, ut cum mea parvitas impari gravamine jam facescat, ad id sufferendum vestris meritis revalescat. Quæso, ut pro puero qui male torquetur, bonum Dominum exoretis, vestroque interventu, centurionis vice, in salutem pristinam reformetis, ut et paralytico optatum remedium conferatur, et laus digna vestræ fidei referatur. Quæso, ut jacentem in lecto ante pedes Jesu per tegulas deponatis, et grata importunitate tardantem medicum inflectatis, ut quem languor ad exitum curvat, ne vel sustineat corpus suum, ille potens erigat, et ambulantem jubeat tollere lectum suum (*Matth.* VIII; *Luc.* V).

43 Quia vero, juxta quemdam ethnicum dulce loqui miseris, paulo diutius sum locutus, meamque miseriam verbis, et si non sufficientibus, tamen pluribus prosecutus, æstimans nonnullum mihi remedium impertiri, si a vestra dignatione merear vel audiri. Si autem abundantiori beneficio mihi rescribere non gravetur, major et efficacior mihi consolatio conferetur, quia vulnus animi quod crudescit gravi tribulantium ferramento, non mediocriter mitigatur verborum consolantium lenimento. In hac ergo loquendi clausula dico et desidero vos valere, et vobiscum cæteros, qui meis non recusant tribulationibus condolere.

EPISTOLA X.

PHILIPPI AD BERNARDUM.

Conqueritur de Præmonstratensi a Cisterciensibus contra voluntatem Præmonstratensium recepto.

Miror si vestra sanctitas dignabitur me audire, et ad finem usque sermonis audiens pervenire, et non magis indignabitur quod audeam vel mutire, vestramque reverentiam vir nullius meriti convenire. Verum instans necessitas materiam mihi et audaciam dat loquendi, et vestra humilitas fiduciam audiendi, quia vir justus, qui se novit sapientibus et insipientibus debitorem, reddere se non gravatur patientem parvulis auditorem. Cum video quid molestum Ecclesiolæ cujus sum filius imminere, et id pacem et silentium illius longiuscule removere, ut vobis fatear non possum non dolere, et in hoc vestræ sanctitati nec me reor, nec mereor displicere. Est enim insensibilitate stupida male sanus, vel belluina feritate non mediocriter inhumanus, qui cum matris viscera concuti perturbationibus intuetur, oblitus decem mensium, non ei compassione debita miseretur. Quæ sit autem perturbationis hujus causa, incognitum non habetis, et utinam incognitum penitus haberetis, quia, ut video, levius illa vidua dolorem suum ferret, si hunc ei vestra reverentia non inferret.

Quæso ne displiceat si vobis refero quid apud se illa conqueritur, imo conquerendo quantum affligitur, quia etsi quare doleat ab alio jam audistis, tamen quantum doleat forte nondum ad liquidum cognovistis. Cum attendit quia non homo inimicus, quamvis qui nostra, inquit, tollit, inimicus est, sed homo tantæ pacis, tantæ sanctitatis, tantæ famæ, qui alias Ecclesias videtur verbo et opere confortare, eam tamen non refugit intolerabiliter aggravare, plusquam dici valeat contristatur, et quando vel ubi hoc a vobis meruerit, incomprehensibiliter admiratur. Et si enim peccando meruit ut eam tribulari permittat justum judicium divinæ voluntatis, apud vos tamen non meruit ut ejus esse tribula gaudeatis, sed sperabat ut, si aliunde incumbens adversitas quidquam ei molestiæ minitaret, vestra quam diligebat plurimum sanctitudo, minitanti misericorditer obviaret. Habebat ovem parvulam, quæ apud eam creverat, de pane illius comedens, et de calice ejus bibens, eratque illi sicut filia (*II Reg.* XII). Quæ, relicto grege suo, inobedientiæ notam gerens, ad caulas vestras venit, ibique pulsans apertum ostium non invenit, quia post illam, pastorem suum Ecclesia nostra misit, et illam ad propria, vestra, prout decuit, delectio tunc remisit. Parvo autem post tempore cum eidem oviculæ morbus iterum vagabundæ levitatis occurrit, rupta denuo resticula obedientiæ, illuc etiam recucurrit, quia et inconstans animus nescit stare, et puerilis oculus gaudet novis plusquam veteribus inhiare. Quia vero quidam vobis hospes novitius supervenit, qui apud vos non parvam gratiam adinvenit, ovem nostram, fratrem nostrum, contra suam tandem Ecclesiam recepistis, dum illius hospitis voluntati satis, ut aiunt, facere voluistis. Inde, Pater reverende, nostra provincia scandalizatur, nostra Ecclesia perturbatur, pusillus ille grex, quem suo Christus in Evangelio consolatur, in hoc vestro opere inconsolabiliter contristatur, nec potest videre quod adversus eum sic agere vestræ placuit sanctitati, quomodo justitiæ, quomodo conveniat charitati. Novit enim bonæ memoriæ papam Innocentium imperasse, et hoc idem imperium scripto memori commendasse, ne sine licentia abbatis et capituli nostri, quisquam fratrum nostrorum a nobis recedere, recedentum quisquam præsumat retinere. Novit etiam quod inter abbates nostri et vestri ordinis est condictum, et pacis gratia conservandæ diligentius interdictum, ne alter alterius fratrem præsumat retinere, nisi ille abbatis sui licentiam potuerit obtinere. Sunt et alia nonnulla quæ inter vestram et nostram Ecclesiam servari debuissent, si vestræ sanctitatis sicut et nostræ parvitatis servanda placuissent. Ad quæ omnia quomodo fratribus nostris, qui ad vos ad repetendum fratrem missi sunt, respondistis per eosdem fratres, et verbo et scripto notum facere voluistis : qui dixerunt **44** quia de scandalo nostræ et provinciæ et Ecclesiæ doluistis, sed tamen ad sedandum idem scandalum fratrem nostrum remittere noluistis. Dicitis, ut aiunt, quia mandatum domni papæ Innocentii nescivistis, cum fratrem nostrum sine capituli sui licentia recepistis : eo autem cognito nullum ulterius recipietis, ne mandato, quod non licet, per inobedientiam obvietis

Sed si culpa est mandato cognito sine abbatis et capituli nostri licentia vos e nostris quemquam recipere, nunquid non etiam culpa est receptum retinere, cum idem mandatum non solum recipi, sed etiam prohibeat retineri? Sic enim habetur in scripto : « Fratrum vestrorum qui stabilitatem et obedientiam promiserunt sine proprii abbatis et capituli sui licentia nullus discedere, discedentem nullus præsumat retinere. » Eidem ergo sententiæ subjacebit et discedens, et qui discedentem sine licentia retinebit, nec majoris culpæ est in recipiendo fratrem, mandatum cognitum non tenere, quam receptum post acceptam mandati notitiam retinere. Ad quid enim apostolicorum vel scripta vel privilegia dicemus invalere, nisi ut eorum munimento cuique liceat quæ sua sunt in pace debita possidere. Et si forte ea vel per violentiam, vel per ignorantiam alter invaserit, celerius restituat cum apostolica scripta cognoverit? Dicitis quemdam venisse ad vos qui dixit, « Quod abbas Præmonstratensis, et noster abbas et alii, nescio qui, prædicto fratri licentia concesserunt, et quem eatenus recipere recusastis probationi vestræ tunc primitus mancipastis. » Sed hoc ipsum, ut nostis, abbas Præmonstratensis, Laudunensis, Breinensis, Stenveldensis, viva voce in vestri præsentia negaverunt, et nec illi licentiam se dedisse, nec istum ad vos nuntium transmisisse constanter astruxerunt, et eorum veritas debuit, ut videtur, sufficiens testimonium perhibere, non cujusquam nescientis, ne dicam mentientis, assertio prævalere. Denique cum quibusdam vestrorum suggerentibus domnus apostolicus abbatem nostrum faceret sibi Parisius præsentari, et eum præsentatum ut daret fratri licentiam dignaretur verbis satis humilibus adhortari, abbas noster, sicut nostis, respondit quia si hæc illi ab eo licentia conferretur, nostræ provinciæ, nostræ Ecclesiæ, toti etiam ordini non parvum scandalum inferretur, et ideo nullo pacto, nullo consilio, hanc ipse licentiam largiretur, nisi forte præcepto inevitabili cogeretur.

Verum domnus papa misericorditer agens, ne videretur vel nostram Ecclesiam, vel nostrum ordinem aggravare, etsi commonuit, tamen noluit imperare; et cum posset oneri esse, ut Christi apostolus, acceptam potestatem noluit exercere, sciens illam non in destructionem, sed in ædificationem nostri ordinis se habere. Bene Deus Ecclesiæ consuluit, cum talem ei pontificem largiretur, qui omnibus omnia fieret, ut omnes lucraretur. Verumtamen, ut dicitis, præcipiens procul dubio præcepisset, si hoc ei vestra reverentia consulere voluisset, fieretque velut necessarium imperio potestatis, quod gratuitum non fiebat affectu consentaneæ voluntatis. Quod ideo, ut æstimo, consulere noluistis, quia non esse consulendum veraciter cognovistis, ne gratiam quam apud eum ampliorem cæteris obtinetis, in nostram parvulorum offensam verteretis. Quid enim refert utrum per suam, an per alterius potentiam quis proximum opprimere moliatur, unde idem proximus scandalum patiatur, cum etsi necesse est ut scandalum oriatur, tamen ei qui vel uni de pusillis istis credentibus scandalum machinatur, expedit magis ut ad collum ejus mola asinaria suspendatur? (*Matth.* XVIII; *Marc.* IX.) « Nonne per potentiam, ait Jacobus, vos opprimunt, et ipsi trahunt vos ad judicia? » (*Jac.* II.) Immeritum proximum opprimere, et ad tribunal eum trahere potestatis, Jacobus non æstimat esse justitiæ, non esse charitatis, cum nec potentior impotenti, nec major molestus esse debeat innocenti.

In hoc proposito non molestandi proximum pusillus ille grex æstimans vos manere, missis quibusdam fratribus humiliter voluit vos monere, ut fratrem suum qui contra vetitum præsumpsit huc venire, ad suam juberetis Ecclesiam, ut justum videbatur, redire. Quibus respondistis, ut aiunt, non esse vestri ordinis ut quemquam semel receptum reddere debeatis, et ad suam Ecclesiam invitum redire compellatis, sed hanc molestiam nitantur æquo animo tolerare, et vos nitemini, si vita comes fuerit, æquipollenti beneficio compensare. Simile quid, ut nostris videtur, respondit quidam fratri suo qui sollicite repetebat, quod repetendi jure patrio competebat : *Teneo*, inquit, *longumque tenebo*. Non est vestri ordinis, ut fratribus vestris, si tamen fratres vestros eos qui nostri sunt ordinis dignamini judicare, velitis quod suum est dilectionis debito resignare, et est vestri ordinis ut eis invitis et contradicentibus reciperetis quod receptum ad augendum eorum scandalum teneretis. Non est vestri ordinis ut pacem mutuam servaretis, et eis etiam qui Deo utcunque servire desiderant, petra scandali non essetis; sed est vestri ordinis, ut quod vobis non vultis inferri, eis potentialiter inferretis, volentes eos ferre quod illatum ab 45 alio non voluntarie sufferretis? Mirus ordo. Mirantur, ut aiunt, nonnulli qui audiunt quis hunc ordinem ordinavit, quis propheta, quis apostolus commendabilem prædicavit, cum in Scripturis sanctis tam excellenter fraterna pax et dilectio commendetur, ut sine illis virtus alia non sufficere judicetur. Quæ ergo vobis utilitas in sanguine eorum dum descendunt in perturbationem, quia vos existimant suam pro nihilo ducere læsionem, et sic quærere unde vestra Ecclesia prosperetur, ut eorum profectui vestra prosperitas adversetur? Quæ rogo utilitas, si cum intolerabiliter affliguntur, illam prophetæ deprecationem fundere compelluntur? « Da eis, Domine (*Ose.* IX). » Quid dabis eis? « Da eis vulvam sterilem et ubera arentia (*ibid.*), » quia scilicet eorum fecunditas in tuorum vertitur ruinam parvulorum, et importuna eorum plenitudo pacem turbare non metuit infirmorum. Et Apostolus, qui in aliorum consuevit perturbationibus contristari, turbatis compatiens similе quiddam cum eis videbitur imprecari: « Utinam abscindantur qui vos conturbant! (*Gal.* V.)

Quod si eos dicitis adversus vos injuste commo-

veri, et quod agere voluistis ab eis nec debere nec posse prohiberi, quia in recipiendo fratrem nostrum domni apostolici assensum habuistis, cui et ipsi non contradicere et vos satisfacere debuistis, sciunt profecto, ut aiunt, quia et vos ad recipiendum domnus apostolicus non impegit, et ipsos ad dandum ei licentiam ea discretione, quæ sua est, non coegit, sed quoniam apud eum meruistis gratiam invenire, non jubendo, sed patiendo vestræ seu vestrorum voluntati videtur consentire. Neque enim hanc nostris, ut aiunt, molestiam inferri pateretur, nisi ad patiendum vestris suggerentibus urgeretur, et hoc sibi putant vestri et affirmant licere quod ita violenter nisi sunt extorquere. Sed esto. Omnia eis licent, nunquid omnia expediunt? (*I Cor.* 10.) « Non sum liber, ait Apostolus, non sum apostolus, non habeo potestatem hoc et hoc faciendi, sicut cæteri apostoli? Et tamen non sum usus hac potestate, ne fratrem meum scandalizem; ne quem vestrum gravaremus, ne quod offendiculum demus (*I Cor.* IX). » Non vult Apostolus id agere ad quod sibi potestativam videt licentiam suffragari, quia hoc idem sentit charitatis legibus refragari, dum in eo invenitur aliorum utilitas impediri, quibus fraternitatis jure debet utilis inveniri. Denique non vult occasionem dare his qui occasionem diligunt delinquendi, qui ex majorum operibus assumunt sibi quasi materiam offendendi, qui veneno malitiæ molestare proximos non verentur, dum solum non intentione intrinseca, sed actione forinseca sanctos qui sunt majoris nominis, imitentur. « Quod facio, inquit, et faciam, ut amputem occasionem eorum qui volunt occasionem ut, in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos (*II Cor.* II). »

Quis malevolus audiens quod, velit nolit nostra Ecclesia, suum recipitis fugitivum, non a vobis concipiat, vel conceptum adaugeat nocendi similiter incentivum : gaudens si conceptam malitiam potuerit adimplere, et glorians in hoc actu quasi vobis similis apparere? Sunt enim plerique religionis habitum prætendentes, non tam paci fraternæ quam turbationi studium impendentes : qui magis gaudent, si de altero monasterio quemquam sibi attraxerint blandimento seductum falsitatis, quam si eum educant de sæculo vel exemplo justitiæ, vel verbo veritatis. Putant quidem se ad honorem maximum pervenire, si in suam coloniam elegerit quis transire; si spreto monasterio in quo hausit religionis quasi lacteum rudimentum, ad ipsos transmigraverit, acceptus quasi majoris ordinis dignius incrementum.

Hujusmodi hominibus non est ea quam desiderant occasio largienda, sed eorum præsumptio prudenti consilio retundenda, et vir benevolus recte manum diligit etiam a licitis revocare, ne, occasione accepta, suam malevolus præsumat illicitis occupare. Illi etiam quos constat non profunda scientia sublimari, non intelligentes quæ a majoribus viderint actitari, quasi exemplo quodam se putant invitari, ut similia jam non timeant operari. Qui cum similia esse quæ cogitaverint, fallaciter arbitrantur, illicita fiducialiter operantur, et cum sic majorum scientia obscuro tramite parvulos anteibit, istorum infirma conscientia deperibit. Sic autem ait Apostolus : « Peccantem in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis (*I Cor.* VIII). » Si vero quod prænonstratur putaverint non esse penitus imitandum, affirmant procul dubio nec etiam esse a majoribus prænonstrandum, et eorum statim judicant libertatem, non intelligentes cordis vel operis veritatem. Et « ut quid, ait Apostolus, libertas mea judicatur ab aliena conscientia? » (*I Cor.* X.) Et iterum : « Commendantes, inquit, nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum (*II Cor.* IV). » Hæc omnia vel sua vel alterius poterit incommoda removere, qui tam ab his quæ non licent, quam ab his quæ non expediunt elegerit abstinere, ab illis, ut seipsum immaculatum ab hoc sæculo tueatur; ab istis vero, ut proximorum infirmitatibus medeatur.

Quod utrumque adeo diligenter condecet observari, ut alterum sine altero non debeat sufficiens æstimari, quia non satis Deo probabilem se ostendit, nisi qui etiam, quantum in se est, proximum non offendit. Ille autem Deo placet, et hominibus est probatus, **46** qui non solum justitiam, sed et pacem fuerit amplexatus, ut Deo studeat per justitiam deservire, per pacem vero proximis convenire. « Regnum Dei est, inquit Apostolus, justitia et pax (*Rom.* XIV), » et : « Pacem sequimini sine qua nemo videbit Deum (*Hebr.* XII). » Et iterum : « Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis (*Ephes.* IV). » Et Zacharias : « Veritatem, inquit, tantum et pacem diligite (*Zach.* VIII). » Hæc autem pax non solum in eadem domo, vel in eodem claustro firmiter est tenenda, sed inter remotos etiam est habenda, ad omnes qui Deo servire desiderant sic esse debet extensa, ut eorum alteri ab altero nulla ingeratur offensa. « Sine offensione, inquit Apostolus, estote Judæis et Græcis, et Ecclesiæ Dei (*I Cor.* X). » Et iterum : « Ut sitis, ait, sinceri et sine offensa (*Philipp.* I). » Et illud : « Nemini dantes ullam offensionem (*I Cor.* VI). »

Quod si nulli fidelium est offensionis quippiam inferendum, quando amplius clericis est a monachis deferendum, ut quorum est quasi cognata religio, eorum cor unum et animam unam efficiat spiritalis dilectio? An monachorum Deus tantum? Nonne et clericorum? Imo et clericorum, quorum unus Deus qui justificat tam clericos quam monachos ex fide et per fidem, non ut inveniatur justificatos iterum zelus et contentio demoliri, sed ut affectu mutuo et profectum continuo ad unguem studeant expoliri. Cum autem tanta pax, tanta concordia, tanta dilectio inter eos debeat esse, qui sive clerici, sive monachi, unius Christi discipuli volunt esse, quibus dicit : « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis (*Joan.* XIV), » et : « In hoc cognoscent omnes

quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem (*Joan.* XIII). »

Mirandum est, Pater reverende, quod videmus in contrarium id converti, et justos pacis terminos sic everti, ut plerique et religionis arcem videantur amplecti, et tamen a pace et concordia proximorum inveniantur deflecti.

Attendens igitur quia religio proficit, hilaresco, sed attendens quia dilectio deficit, contabesco : et utrumque simul considerans, obstupesco, quoniam ad videndum quomodo ista conveniant, nullatenus invalesco. Putavi aliquando ut modernis temporibus impleretur, quod per Isaiam Dominus pollicetur (cap. 28) : Ponam, inquiens, judicium in pondere, et justitiam in mensura, ut scilicet inter religiosos sic alter alterum judicaret, quomodo se judicari ab B altero præoptaret, et quod sibi non vellet fieri, nec etiam faceret alteri. Nunc vero plerique qui laxiore via religionis januam sunt ingressi, illis audent detrahere qui districtius propositum sunt aggressi, et qui sibi videntur paulo religiosius conversari, levioris propositi viros inveniuntur aliquantulum aspernari, nescientes vel potius non tenentes illud Apostoli : « Superiores sibi invicem arbitrantes (*Philip.* II). » Hæc pestis, hæc contagio late serpit, hæc gratos religionis flosculos sic decerpit, ut vix ad fructum spiritus veniatur, in cujus catalogo pax et charitas nominatur. Quis jam ordo sine querela conversatur, quis ordo est qui non de alio ordine conqueratur, dum alter alterum affectu tenero non supportat, sed alter quæ alterius sunt, apportat ? Alter alterius vel C terras vel animus [animum?] nititur occupare, alterius terminos angustans, suos avidius dilatare, instituta sua commendans, alterius famæ vel nomini derogare : quæ alterius sunt imminuens, sibi paulo amplius arrogare.

Nostis quantum veteres monachi qui nigro habitu vestiuntur, qui juxta præcedentium Patrum instituta tritam religionis semitam gradiuntur, de austera novitate Cisterciensium conqueruntur, augmento quorum ipsi, ut æstimant, et fama et numero minuuntur. Nostis quantum ipsi Cistercienses istorum teneritudinem, et molles delicias reprehendunt, et earum [eas?] ad monachos nullatenus pertinere contendunt, qui quoniam parcioris victus et habitus fastigium apprehendunt, non satis, ut dicitur, aliorum infirmitatibus condescendunt. Ab utrisque autem clerici regulares nonnullas, ut aiunt, molestias patiuntur, qui tamen Deo utcunque servire moliuntur, et qui vellent et deberent a monachis collaborantibus adjuvari, conqueruntur plurimum ab eis resistentibus se gravari.

Unde non jam mirandum est, si Ægyptios adversus Ægyptios videmus concurrere quod per Isaiam (cap. 19) Dominus comminatur, vel si impius justiorem se devorat, quod propheta Habacuc (cap. 1) admiratur, cum in populo Israel unusquisque devoret carnem brachii sui, juxta prædictum Isaiam (cap. 9), Manasses Ephraim, Ephraim Manassen, et simul ipsi A contra Judam. Quod quid est aliud quam monachus monachum et simul ipsi contra clericum ? Sed Apostolus : « Si invicem, inquit, mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini (*Galat.* V). »

Hujusmodi morsus in nostro et vestro ordine vellem nullatenus inveniri, et in assumpta religionis semita, neutrum ab altero præpediri, sed utrumque exemplis mutuis humiliter erudiri, et non habitu, sed affectu, non loco, sed spiritu couniri, ut qui religioni curam paulo cæteris ampliorem videntur impertire, studerent etiam honore et amore invicem prævenire. Sic enim vigeret pax mutua et abundaret charitas, profecto refrigesceret multorum iniquitas, et non solum is qui ex adverso est, nihil habens malum dicere vereretur, sed et de illo utroque sic unito recte illud propheticum diceretur : « In pace et æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate (*Malac.* 2). » **47** Multos quippe tam religiosos quam sæculares non mediocriter adjuvaret, si uterque iste ordo in pace et æquitate concorditer ambularet; si cum alter attenderet pœnitentiæ gratia quidquam amplius altero se sufferre, non tamen ex eo præsumeret super alterum se efferre, cum non major corporis passio, sed humilis spiritus, major dilectio, acceptabilis habea ur, si tamen Deus ad acceptandum quod agimus dignanter convertatur. Quis scit, ait Jonas (*cap.* II), si convertatur et ignoscat, et revertatur a furore iræ suæ, et non peribimus ? Si quid ergo vobis licitum æstimatis, videte ne hæc licentia offendiculum fiat infirmis : infirmis, inquam, tam vestris quam nostris. Sicut enim apud nos plures sunt imperfecti; sic apud vos, non omnes, pace vestra dixerim, sunt perfecti, imo quidam eorum cum a vobis id quod licitum vel est vel esse videtur, assumunt, a seipsis pleraque superaddendo præsumunt. Quorum illi qui missi a vobis in nostris partibus demorantur, jactitare in auribus populi gloriantur : quod frater noster, cum monachus factus fuerit, ad eos remittetur, de cujus præsentia et eis erit gloria et nostra Ecclesia rubore cunfundetur. Quæ jactatio, quæ provocatio non a Paulo apostolo est assumpta, sed a seipsis præsumpta : quos idem monet Apostolus, ne popularem gloriam aucupentur, ne proximis suis quidquam molestiæ machinentur. « Non efficiamur, inquit, inanis gloriæ cupidi, invicem provo- D cantes, invicem invidentes (*Gal.* V). » Cum autem hæc et hujusmodi plurima inter eos qui religiosi et videntur et sunt, vel videam vel audiam ventilari, compellor, plusquam dici valeat, contristari : et cum nondum videam quid me possit super hoc consolari, satis congrue possum illud propheticum protestari : « Consolatio, inquit, abscondita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres dividit (*Ose*, XIII). » Unde et quo infernus hic procedat non sufficit admirari, qui dividit inter fratres, quos dicebat amicabili vinculo colligari, maxime cum servire Deo idem non parvo studio moliantur, et Deo servientes invicem diligere jubeantur, et diligentes invicem non morsus amaritudinis, sed pacis osculum largiantur. Utinam hunc

infernum Christus nostræ salutis avidus morderet, imo utinam istam mortem misericorditer absorberet : quæ videtur eos in dissensionis tumulos sepelire, quos deberet vivificans dilectio counire. Unde autem inter fratres ista divisio, vellem scire, sed hoc mihi magnus labor est invenire, quia nundum possum in illud Dei sanctuarium introire, cujus altitudo hujusmodi absconditum videtur operire. Utinam ergo possem vestram gratiam promereri, ut mererer vestris responsionibus edoceri : qui quoniam in cellam Christi vinariam introistis, illic, ut æstimo, et hanc scientiam invenistis. Utinam mihi parvulo dignaremini respondere, et super hoc non me solum, sed et mecum plurimos edocere ! utinam huic responsioni vel parvam dignaremini morulam impertire, cujus est officii nescientes misericorditer erudire ! Si apud vos esse cujusquam meriti me viderem, profecto ad respondendum instantius vos urgerem, et exactor avidus silentium non tenerem, donec a sanctitate vestra id sive opportunius sive importunius extorquerem. Ut enim verum fatear, non parvum gratiæ conferretis, si super hoc mihi, imo nobis ignorantibus aliquid diceretis, quomodo scilicet et ad serviendum Deo inveniamur nonnulli consentire, et tamen sic ab invicem dissentire. Quod si de plenitudine vestræ scientiæ, nostra non meretur ariditas irrigari, vestris saltem orationibus, et volumus et petimus adjuvari, ut det nobis Deus et nil aliud sapere quam oportet, et id plenius sapere quod oportet. Vale.

EPISTOLA XI.

PHILIPPI AD BERNARDUM.

Miratur, crescentibus novis reformationibus religiosorum, non crescere mutuam inter eos charitatem.

Sicut plerosque facit claros eminentia meritorum, dum eorum bona opinio perducitur ad notitiam plurimorum, sic nonnullos quibus non suppetit optabilis virtutum claritudo, nihilominus reddit notos famæ reprehensibilis turpitudo. Cui simile quiddam apud quemdam ethnicum recolo me legisse, qui diversis juvenibus diversa hujusmodi meminit accidisse :

Tam mala, Thersiten prohibebat fama latere!
Quam pulchra Nereus conspiciendus erat (32).

Cum autem me apud vos non commendet Nerei florida pulchritudo, notum quidem efficit Thersitis horrida turpitudo, et cujus corpoream faciem non novistis, sinistro agente susurrio, turpem famam vel infamiam cognovistis. De qua cognitione mea non magnopere parvitas hilarescit, imo, ut vobis fatear, non mediocriter erubescit, quia non sic ambiebam mei notitiam vos habere, ut vestris in oculis vellem sordidus apparere. Neque enim impudentem illum decreveram imitari, qui, cum insatiabiliter affectaret famam suam largius dilatari, nec aliquid posset dignum, aliquid præcipuum operari, invento consilio templum civitatis succendit, et quærentibus civibus quis, quare hujus incendii præsumpserit auctor esse, prosiliens in medium : « Ego, ait, qui volui notus esse. » Cum ergo nullatenus affectarem hujusce titulum pravitatis, mihi tamen impressus est, contra propositum voluntatis, dum impius **48** amicus, ne dicam, inimicus homo, qui me vobis absentem et incognitum nominavit, aversa manu, zizania super triticum seminavit (*Matth.* XIII). Qui quomodo id fecerit, quis sapiens, non admirans vehementius obstupescat, si tamen et liquido rei veritas innotescat, et si diligentius consideret quam veram, quam sinceram, et fratri frater, et filio pater exhibere debeant charitatem, maxime qui religiosam profitentur voce et habitu sanctitatem ? Plerumque autem nullus invenitur ad nocendum, cuivis misero gravius imminere, quam qui ad subveniendum debuerat proximus apparere : præsertim, si qui nocere desiderat, ditior, si potentior habeatur, ut qui sibi credat populum habere mercatur.

Hoc nimirum tempore, imo hac tempestate potest quis rarum admodum invenire, qui juxta decretum Moysi, parvum ut magnum diligat exaudire, qui vel tacens eligat a judicio continere vel ad faciendum illud, dignam diligentiam adhibere. « Parvum, inquit Moyses, ut magnum audietis, quia Domini judicium est (*Deut.* I). Cæterum cum apud Vallem-Claram quidam ex fratribus vestris nostram vobis diceret veritatem, et persona potentior suam ex opposito voluntatem, cui potius aurem credulam vestra paternitas inclinavit, satis rei exitus indicavit. Illo quippe tacente, qui quandoque [salvos faciet filios pauperum et humiliabit calumniatorem (*Psal.* 71),] tacere pariter vestra reverentia non elegit, vel sermone pacifico calumniatorem a proposito non abegit; dum auditas ejus calumnias in veritatem et misericordiam non redegit, sed premi et opprimi suo consilio, suo judicio me coegit. Suo, inquam, nam sicut longe melius nostis, hominis et non Domini esse judicium comperitur, ubi prælata potentis voluntate veritas pauperis non auditur, cum summus ille judex nullius accipiat granditatem, sed solam vultus ejus videat æquitatem. Nec dubito quin vestrum illud judicium protulerit præcipitatio potius putativa quam malitia præsumptiva, quia nihil invidiæ, nihil malitiæ vestræ ascribo sanctitati : cujus simplex æstimatio non prudens obstinatio meæ nocuit parvitati. Verumtamen ne incauta æstimatione, justus ille præceps in aliquem et noxius haberetur, et tam prolatæ sententiæ quam suæ reus ignorantiæ teneretur : « Causam, ait, quam nesciebam diligenter investigabam (*Job* XXIX). » Sed hoc mea miseria, hoc mea meruit injustitia sustinere, quæ cum deficiente gratia, noluit a prohibitis abstinere ; summum illum judicem ad tantam potuit iracundiam commovere, ut nollet a me misero tam graves molestias amovere. Etsi enim in vos vel in eos qui mihi graves fuerunt, nihil me recolam deliquisse,

(32) Ovid. lib. IV De Ponto, epist. 13, vers. 15, 16.

scio tamen in conspectu interni judicis, me tam multipliciter offendisse, ut juste permiserit et meam graviter opprimi parvitatem, et in meam miseriam vestram decipi sanctitatem. Verum, sicut dicere voluistis, ut sub manu caderem opprimente, sic vellem, mutato diceretis proposito, ut liberet Deus pauperem a potente, pauperem, inquam, cui non est adjutor (*Psal.* LXXI), pauperem, ad quem vulnerandum tam graviter potentium desævit multitudo, ut vix spiret vel respiret relicti seminecis lassitudo. Si autem cui nocere voluistis, non vultis eidem et auxilium impertire, dignamini saltem, quæso, ejus ignorantiam erudire, quia non solum inflictorum gravamine vulnerum contabesco, sed et gravi modo imperitiæ nihilominus elanguesco. Potest quidem huic morbo duplici, vestra, nisi fallor, mederi magnitudo, et arentem inopiam vestra dives tergere plenitudo, et nimirum vestra non læsura, sed conveniens usura videretur, si pro damno simplici duplex beneficium redderetur. Quod utrumque tamen si non est possibilitatis vestræ, vel potius voluntatis, volo saltem, ut dictum est, eorum alterum mihi misericorditer impendatis, ut videlicet si non confertis sumptuosam inflictis vulneribus medicinam, convertatis vel lenem calamum ad doctrinam.

Ante triennium quamdam vobis epistolam allegavi, in qua, ut recolo, vos summopere postulavi, ut quod mihi clausum erat, dignaretur vestra sanctitas aperire, sed, ut mihi post dictum est, in manus vestras non meruit eadem epistola pervenire. Ejusdem vero putei adhuc tanta mihi videtur altitudo, ut ad eam pertingere hauritorii mei non possit bebetudo, cum volenti haurire mira difficultatis nebula se offundat, et secretum requisitum profundiori subterfugio se abscondat. Cujusmodi profunditatem non dubito vos plenius, vos limpidius attigisse, cui datum est in cellam vinariam et Domini sanctuarium introisse, cui Leo de tribu Juda et solvere septem signacula et librum voluit aperire (*Apoc.* v), vestroque ministerio turbis discumbentium alimoniam impertire.

Movet me quod nostris temporibus et rengionem video dilatari, et dilectionem fraternam plurimum coarctari : quod plures et ad bene vivendum laudabiliter incandescunt, et tamen a diligendo invicem refrigescunt. Nullis retro diebus religio tantis varietatibus est amicta, non tot vivendi generibus, non tam multis, ut ita dicam, ordinibus est distincta, cum pulso cinere carbones desolatorios, status ille igneus multiplicius reaccendat, et in diversos caminos flamma vehemens avidius se extendat. Unde tam clericorum quam monachorum, et nova monasteria feraci germine coalescunt, 49 et antiqua, resumpto vigore pristino, reflorescunt, et cum non uno habitu, non eisdem videamus eos institutionibus cœrceri, tamen constat eos ad religionis arduæ promoveri. Cum vero, tam in eisdem quam in diversis monasteriis, vincti et juncti amore divino tendant spretis præsentibus ad futura, adeo tamen adversus invicem recalcitrant in junctura, ut tenentes mandatum quo ad diligendum Deum jubentur laudabiliter proficisci, secundum et simile inveniantur reprehensibiliter oblivisci. Tanta quidem pestis, tanta inter eos inquietatio jam versatur, ut et ordo de ordine, et homo de homine non mediocriter conqueratur, et cum alter alteri gravis admodum habeatur, raro cuiquam amor debitus vel reverentia deferatur. Plures autem qui non parvam videntur dare operam sanctitati, voluntati majorum potius quam pauperum defernnt veritati, tenentes quod Antipater Cæsari legitur respondisse, dicens non homini, sed nomini Romano amicum se fuisse. Quibus vero modis clericus monacho, monachus clerico, vel etiam clerico clericus, monacho monachus molestus sit, quia in illa epistola diffusius dixisse me recolo, in præsenti supersedeo recensere, præsertim ne vestram reverentiam verbis inveniar prolixioribus detinere.

Per illum igitur vos deprecor, qui suam vobis scientiam, suam contulit sanctitatem ut super hoc dignemini meam instruere parvitatem. Quomodo scilicet religiosis adest, et in appetitu cœlestium tanta consensio, et ab invicem tanta dissensio, quomodo ad tenendum religionis fastigium sic festinant, et a dilectione mutua sic declinant, quomodo in amorem divinum rectis possint gressibus ambulare, et in fraternum tam reprehensibiliter claudicare? Et « utinam essem vir non habens spiritum, et mendacium potius loquerer (*Mich.* II). » Neque hoc loquor, ut majorum derogem sanctitati, sed ut motus meos vestræ indicem majestati, ut eosdem cognitos, vestra scientia, vestra benevolentia dignetur abolere, nisi forte quia scitis in vermibus paupertatis et sterquilinio me sordere, vermescenti et sordenti dedignamini respondere. Vale.

EPISTOLA XII.

PHILIPPI AD EUGENIUM III PAPAM.

Petit a pontifice subsidium contra persecutores suos.

Si me vobis parum loqui vestra dignatio pateretur, si loquentem me audire vestra patientia dignaretur, tribulationis meæ vobis historiam recenserem, ut vel sola mea relatione, vel vestra pariter responsione solamen aliquod obtinerem. Cum enim quis fasce impari prægravatur, putat se illum ferre levius si loquatur, si auri audienti enarret vel quanta sit imminentis oneris magnitudo, vel sua onerati quam insufficiens fortitudo. Ideo Jeremias, cum civitatem Jerusalem dari videret excidio, et non posset gravem hanc sarcinam patienti ferre silentio, aggressus est rerum miseram seriem verbis lacrymabilibus enarrare, et lacrymosam narrationem scripto memori commendare. Civitati quippe quam tenere diligebat non prævalens subvenire, et in ejus excidio dolorem gravissimum non sentire, rupto silentio convertitur ad lamentum, nullum dolori suo familiarius inveniens lenimentum. Denique vulnus quod dum clausum tenetur periculosius ingravescit, deopertum nonnunquam sanabiliter detumescit, quia sicut ar-

chitectus eam quam non noverit non resarcit ruinam, sic medicus dare nescit operto vulneri medicinam. Hoc propter omnis æger, ut attendo, fert ægre silentium, sed inquirit qualecunque loquendo remedium: qui si forte alium auditorem habere non meretur, ipse tamen sibi soli et relator plerumque et auditor pariter exhibetur. Si vero contigerit auditorem benevolum invenire, qui et velit et noverit solatium mœrentibus impertire: tam suavi, tam condito verborum ejus medicamine refovetur, ut ultra nullo vel modico inflicti dolore vulneris aggravetur. Quodpropter Scriptura divina: « Si videris, inquit, sensatum, evigila ad illum, et limen ostiorum illius exterat pes tuus (*Eccli.* VI). » Et infra: « In verbis, ait, sensati invenietur gratia (*Eccli.* XXI). » Quia ergo sensati verba lego sine gratia non haberi, et eum cui loquor sensatum audio perhiberi, limen ejus pes meus aggredi et ingredi affectat et conatur, et ingressu frequenti exterere nisi (quod absit!) repulsam patiatur. Sed spero quia bonus ille Dei Spiritus et cori meo infundet veritatem, et in corde vestro diffundet charitatem, ut quæ mihi de me nota sunt sine scrupulo proferam falsitatis, et vos quæ vera dixero audire diligatis.

In claustro igitur assumpto vultu et habitu regulari, prænonitus divino Spiritu elegeram conversari, ut forensi tumultu relegato et pompæ fastu vel fastigio sæcularis, me teneret et foveret quies et abjectio salutaris. In quo proposito per annos aliquot fueram conversatus, nullius in Ecclesiam supereminens honore magistratus, nisi quod electione horum quibus obedire decreveram evocatus, per decem fere et novem annos in eo manseram, qui dicitur prioratus. Prior autem etsi non satis congruum sanctitatis fastigium apprehendi, si longe lateque famam meam virtutum meritis non extendi, tamen inter fratres meos vivere sic contendi, pro posse 50 vitarem illis dare formam vel materiam delinquendi. Volui quippe Deo, cui me obtuleram, sic placere, ut nollem hominibus inter quos me contuleram, displicere; sic volui coram Deo dirigi vitam meam, ut attaminari nollem inter homines famam meam. Æstimavi enim honestum et utile, cum me parvulum pauci nossent, si et ipsi de me sinistrum dicere nihil possent, si me ad omnes donante gratia sic haberem, ut tam ab his qui intus quam ab his qui foris sunt bonum testimonium obtinerem. De quo Salomon: « Melius est, inquit, nomen bonum quam divitiæ multæ (*Prov.* XII). » Quod cum in Ecclesia mea, in vicinia mea pro suo modulo mea parvitas adepta videretur, et de me, ut putabam, nullus fere hominum quereretur, ut verum fatear, suscepto inter fratres prioratus eram honore vel onere sic contentus, ut essem ad appetenda majoris prælationis fastigia non extentus.

Credat sanctitas vestra et agnitio veritatis ab omni dubio vos expurget, nullus enim in præsentiarum, ut mentiar, me perurget: credat, inquam, quia malebam sub quieto et humili proposito retineri quam ad eos quibus scio et sciebam me esse imparem honores ecclesiasticos promoveri. Credat sanctitas vestra, si majores mei parvitatem meam affectu tenero susceppissent, si juxta votum meum, sub tegmine alarum suarum a conturbatione hominum abscondissent, maluissem placido sinu tenere diligentiam confoveri quam forensium actionum tumultuosis occupationibus exhiberi. Quod nimirum vidit et invidit ille noster omnium nequam hostis, qui nocendi artifex, sicut vos melius longe nostis, nihil amat amplius quam vel detrimenta vera fidelium moribus irrogare, vel saltem opinioni eorum inventis mendacibus derogare. Attendens ergo diligentius in quo et mihi poterat plus nocere et pluribus cæteris latentius et nocentius imminere, cum veritas non suppeteret proposito ejus perversæ voluntatis, prudenti artificio composuit deceptoriam similitudinem veritatis. Denique cæteris in paradiso animantibus prudentior serpens fuit (*Gen.* III). Iste serpens, iste coluber tortuosus, collectum venenum uno simul vomitu, uno vomente strepitu non effudit, sed, electo vasculo tractu lubrico se infudit, ut, cum illud malitia, mendacio, dolis infectum plenius redderetur, inde longe lateque in multorum perniciem pestis efficacius funderetur. Intellexit, ut arbitror, famam quæ pridem maluerat non facile posse lædi, et impugnanti mendacio nullatenus satis credi, si, quemadmodum ad imitandum illud excogitata verisimilitudine juvaretur, non etiam congruo mendacii perlatore ad augendam fallaciam uteretur. Inventum igitur hominem quem sibi utilem æstimavit, quem assumpta forinsecus religionis specie palliavit, suis eum moribus, suo proposito conformavit, et ad peragendum quod disposuerat primum et præcipuum ordinavit. Ille autem cœpit, ut prædoctus fuerat, murmurare et sinistros de me rumores mordenti susurrio fabricare; aggressusque nonnullos quos nostros vidit ordini præeminere, in auribus eorum pro bonis mala, pro veris falsa studuit suadere. At illi scientes posse hominem multis et variis tentationibus agitari, nullum esse qui non possit, si desit gratia, depravari: quod semel, quod iterum, quod sæpius dictum est, audierunt, et ut se habet humana suspicio, verum esse quod videbatur verisimile crediderunt. Quorum qui rem ipsam sunt diligentius perscrutati, et applicare voluerunt aurem benevolam veritati, quod quo intuitu dictum fuerit cognoverunt, et mihi falsis calumniis impetito gratis, prout justum eis visum est, ignoverunt. Quibus autem veritas rei cito non patuit, vel, si dici liceat, patefacta satis non placuit, sinistris rumoribus paulo tenacius adhæserunt, et per aures plurimorum multipliciter diffuderunt. Sic in brevi suas vires fama, imo infamia, dilatavit, et adulterinum germen vago multiloquio fecundavit, et quæ altas veritatis radices non dederunt, tamen silvescere spuria vitulamina præsumpserunt.

Sed durum forte religioso videbitur auditori quod nimirum et mihi durum videtur relatori, ut scilicet quisquam homo qui propositum religionis assumpse-

rit, assumptumque vultu et habitu, imo et moribus, tenere dilexerit, hujus mendacii primus fuisse seminator vel dici debeat vel putari, cum nesciat vera religio turpi mandacio famulari. Denique scriptum est : « Noli velle mentiri omne mendacium : assiduitas enim illius non est bona (*Eccli.* VII). » Et infra : « Potior fur est quam assiduitas viri mendacis : perditionem autem ambo hæreditabunt (*Eccli.* X). » Cum igitur furto mendacium comparetur, imo furto pejorem assiduitatem mendacii Scriptura protestetur, non præsumo reum mendacii religiosum hominem affirmare, ne offendam religiosos, qui quod de se sentiunt et de aliis diligunt æstimare. Illud pro certo dixerim quod vestram forte reverentiam non offendet, unde quisquam, ut arbitror, me dignum argui non contendet, quia si non fuit ille homo, fuit saltem quasi homo. Sic enim se nequam ille « Satanas in lucis angelum transfigurat (*II Cor.* II), » ut quibus infulserit, eos non illuminet, sed adurat, non est a fide absonum si dicatur se, et in hominem transmutare, cum satagit zizania super triticum seminare. De quo dictum est : « Inimicus homo hoc fecit (*Matth.* XIII). » Iste inimicus cum 51 Christum Deum esse nesciens, purum hominem æstimaret, et cum variis enervare tentationibus affectaret, ut arbitror, in forma illi hominis voluit apparere, sperans hominem hominis consilio facilius adhærere. Non itaque mirum si homo iste nostris quoque se majoribus præsentavit, si me apud illos fictis calumniis accusavit, qui fratrum accusator a diebus pristinis exstitisse (*Apoc.* XII), et cujus invidia mors in orbem terrarum legitur introisse (*Sap.* II). Iste quidem a vera sanctitate, et sancta veritate omnimodo destitutus, qui justa quemdam ethnicum mille nocendi artibus est imbutus, tempus suæ malitiæ congruum assecutus, multis multa multoties de me nequiter est locutus. Nam et quæ nunquam egeram, me egisse pertinaciter affirmavit, et quæ bene gesseram, in contrarium commutavit : ad hoc studens malitiosa figmenta componere, ut maculam mihi et cæteris posset imponere. Unde scriptum est : « Bona in mala convertit insidiator, et in electis imponit maculam (*Eccli.* XI). »

Iste insidiator plurimis fidem fecit, et eos ad credendum procaci instantia sic infecit, ut apud eos locum nuda veritas non haberet, sed sub specie veritatis operta falsitas prævaleret. Quæ velut infans et tenera ex illius ore nequissimi prodivit, sed eundo vires prævalidas acquisivit, cunctisque resistentibus vehemens inimica, ad destinatum finem fronte pertransiit impudica. Nam cum prius inter viros nostri ordinis serpens et lubrica volveretur, et illic ei non tam semita quam via patula præberetur, in his tamen organum male tinnulum non suspendit, sed ad decantandum suum inter cæteros canticum se extendit. Non solum enim monachos et eos qui dicuntur clerici sæculares, sed et turbas rumor iste non latuit populares, dum quod nostris sacerdotum principibus fuerat intimatum, ab eis diffusius tam religiosis, quam sæcularibus est relatum.

Quod vero tot et tanti relatores publice prædicabant, dignum fide auditores plerique æstimabant ; et cujus adhuc plurimi faciem ignorabant, nomen meum gravi cum vituperio ventilabant. De me quidem clerici, de me laici, de me abbates, de me episcopi loquebantur, et rem ad purum nescientes, famam præducem sequebantur ; et quia in Ecclesia mea priorem me esse fama noverant certiore, ubique gentium vel locorum multa erat fabula de priore. Prior, inquiunt, de Bona-Spe, nequiter conversatur, prior religioni et ordini suo contumaciter adversatur : prior mercimonio fratrum suorum benevolentiam acquisivit : prior ambitionis intuitu suam illis gratiam impertivit : prior, inquiunt, violator pacis, litium seminator, proditionis reus, auctor dissensionis, temeravit jura, ordinem confudit, fidem rupit, usurpavit indebita, licitis non contentus ad inconcessa procaciter se extendit.

Hæc et hujusmodi de priore misero dicebantur, et a multis esse verissima credebantur, cum non semper esset præsto qui hæc referentibus obviaret, et audientes ad certam veritatis notitiam revocaret. Noverant quidem scriptum esse : « Non credas omni verbo (*Eccli.* XIX), » et iterum : « Antequam interroges, ne vituperes quemquam ; et cum interrogaveris, corripe juste (*Eccli.* II) : » Et de incertis præceptum : « Nolite judicare (*Luc.* VI ; *Joan.* VII), » de manifestis vero : « Justum judicium judicate (*Zach.* VII). » Noverant, inquam, in Scripturis hæc et multa similia contineri, quibus possent a præcipiti judicio, et inconsiderato vituperio coerceri, sed quia non contemnenda referentium æstimabatur auctoritas, adhibenda videbatur audientium prona credulitas.

Quæ omnia in meam perniciem concurrebant, dum tam illi quam isti quasi ad lapides unanimiter decurrebant ; et qui freti saniori consilio lapidantibus occurrebant, nihil tamen vel parum mihi misero succurrebant. Tanta enim erat persequentium multitudo, imo tanta ejusdem multitudinis fortitudo, ut eis veritatem pro me quisquam dicere vix auderet, et aggressus id audere, apud eos gratiam non haberet. « Et tu, inquiunt, ex illis es : nam et loquela tua manifestum te facit (*Matth.* XXVI). » Denique tantus undarum inundantium cumulo cumulus supervenit, et ad hoc excrescente verborum turbine res devenit, ut dicerent qui me vexabant pacem rebus nullatenus posse dari, nisi de Ecclesia mea ejectus compellerer alias conversari. Cujusmodi consilio noster episcopus assensum non præbuit, imo id fieri auctoritate qua pollebat, valde prohibuit, præsertim cum Ecclesia nostra proprii abbatis providentia tunc careret, et ad eum cura nostri nullo medio pertineret. Sciebat quidem et dicebat me injustius diffamari, et Ecclesiam nostram non recto satis ordine tributari, et se illis

potestative in nos frementibus opponebat, sed eorum prævalido modum fremitui non ponebat. Volens quippe ab illorum calumniis nos absolvi, offerebat satis humiliter illorum pedibus se provolvi, si pacis intuitu ab incepto vellent desistere, et ei quam sciebat veritati non ultra resistere. Eamdem veritatem nonnulli abbates nostri ordinis prædicabant, et ea diligentius exquisita me innocuum judicabant, asserentes quemquam abbatum me mancipata Ecclesia non habere hujuscemodi potestatem, ut educat inde fratres contra suam et sui capituli voluntatem. Verumtamen nec episcopum **52** nostrum nec abbates prædictos, nec plures cæteros nostri principes aut lierunt, sed indefesso studio in eo quod cœperant perstiterunt, non irarum, non minarum tonitrua remittentes, nullam mihi, nullam nostræ pacem Ecclesiæ promittentes, si non ego cum quibusdam fratribus de Ecclesia festinarem exire, cum propter nos videretur ejusmodi tribulatio desævire.

Nonnulli vero qui se mihi forte benevolos spoponderunt, cum super hoc eos consulerem, benigne responderunt : « Frater, inquiunt, oppressores tui abbatibus cæteris et illi nominatissimo cæterorum abbati de Claravalle, episcopis quoque, insuper archiepiscopo de te et tuis absentibus sunt loruti, et pro sua voluntate causam suam in illorum auribus prosecuti, et juxta dictum suum quale voluerunt consilium assecuti, illorum auctoritate in hac sunt pertinacia constituti. Denique episcopus tuus archiepiscopo non resistet, abbati de Claravalle quisquam nostri similis non obsistet ; et quidquid oppressores tui de te asserunt, illi verissimum esse putant, quidquid isti expetunt, illi concedere non refutant. Qui si omnes oppressioni tuæ decernunt insistere, tu quis es qui tantorum conatui possis resistere ? Bonum est itaque ut istorum ad præsens voluntatibus obsequaris, ne forte resistendo durus et contumax videaris, et ut Ecclesia tua, cui perperam inferunt te præsente (si Deus ita disposuerit) pacem recipiat te absente. Simili consilio noster episcopus tandem cessit, et egressum nostrum, quem ante prohibuerat, nunc concessit, et quia eum uti jure proprio incumbens violentia non permisit, quasi projecto clavo in mediis fluctibus nos dimisit. Etsi enim velle ea bonitate, quæ sua est, non omisit, tamen pro nobis contendere fractus adversitatibus intermisit, et attendens conatus suos non proficere, quos præmisit, de se desperans, divinæ deinceps providentiæ nos commisit. Egressi ergo nos septem qui nominatim descripti fueramus, qui majestati principum satis acceptabiles non eramus, eorum claustris velut rei criminum mancipati, sub eorum ditione aliquanto sumus tempore conversati. Nobis autem egressis, inchoata pridem turbatio non quievit, sed magnus in Ecclesia, magnus in provincia nostra tumultus excrevit, ut certum fieret egressum nostrum, non pacem rebus (ut dictum fuerat) contulisse, sed majoris scandali causam vel materiam intulisse. Fratres enim intra monasterium intolerabiliter gravabantur, foris vero sæculares non mediocriter mirabantur quod nostri principes nos vel nostram sic Ecclesiam perurgerent, cum causam perurgendi nisi gravem suæ voluntatis impetum non haberent.

Fratres, cum quibus per viginti et amplius annos fueram conversatus, nullam mihi calumniam inferebant ; exteriores vero bonum satis testimonium deferebant, et in eos vehementius, et, ut putabant, justius succensebant, qui mala passim de me ficta magis quam cognita recensebant. Quibus vero nondum displicuit quod egerunt, nostræ provinciæ potentes et principes adierunt, et eis ad patientiam inflexis majorem nostræ Ecclesiæ violentiam intulerunt, et de me non tacentes, pejora prioribus addiderunt. Mirantibus enim et inquirentibus tam majoribus quam minoribus quid egissem, unde ab Ecclesia violenter expelli debuissem, cum tale quid a nostris aliquando fratribus non audissent, et ipsa antea nullatenus comperissent, isti ut, quod fecerant, possent credibilius excusare, studuerunt me absentem multo gravius, multo deterius accusare. Alius me tale quid commisisse quod nec debebat dici publice prædicavit. Alius me comburi dignissimum in auribus sæcularium judicavit, intendentes eos a dilectione mei ad odium detorquere, quos attendebant mihi melius testimonium perhibere. Quidam vero qui assentandi studio placere nostris majoribus cupiebat, quod negabant illi, negans, quod aiebant, pariter aiebat : quietisque impatiens per nostram vagus provinciam equitabat, et verborum prodigus audita inauditis multo fenore cumulabat. Qui, cum juxta Salomonem malefaciens « in rebus pessimis exsultaret (*Prov.* II), » et de nostra ruina conquerentibus insultaret, a nonnullis reprehensus non se poterat convenientius excusare, quam : « Volo, inquiens, et debeo meum dominum adjuvare. » Dominum suum sacerdotum principem appellabat, cujus patientia et ipse minor dominus imperabat : illique majori minor ipse tam justo quam injusto volebat obsequio deservire, quem et suis voluntatibus attendebat prono satis animo consentire.

Iste viros nostri ordinis quos videbat in hoc negotio nolle a vero deviare, nostrisque majoribus verbis, licet parum proficientibus, obviare, satagebat vel per seipsum, vel per suos nuntios curiosius convenire, blandiens precibus, terrens minis, ne a domino suo præsumerent dissentire. Iste et ei similes tot et tanta de me convenientia prædicarunt, tantis me calumniis, pudore sepposito, diffamarunt, ut etiam sæculares tantum piaculum abhorrerent, admirantes quomodo religionis homines de quovis fratre suo talia dicere sustinerent. Etsi enim Scripturam non noverant dicentem : « Nolite annuntiare in Geth, neque in compitis Ascalonis, ne forte exsultent filiæ incircumcisorum, ne exsultent filiæ Philisthiim (*II Reg.* I) : » etsi hæc, inquam, non

legerant, horum tamen sensum tenere 53 videbantur, et Saul et Jonathæ ruinam nescientes, de me similia loquebantur. « Etsi, inquiunt, illum religionis suæ homines noverant graviter deliquisse, et cujusdam exsecrandi facinoris præcipitium incurrisse, non tamen debuerant in nobis sæcularibus propalare, et ad insultandum lapso procaces forensium animos provocare. Cum enim huic tantum ab eis vituperium irrogatur, toti profecto eorum ordini derogatur, et ob hoc etsi ei excrescente odio deferre noluissent, sibi saltem ipsis parcere debuissent. » Hæc et hujusmodi Ascalonitæ, Gethæi, Philisthæi de nostris Israelitis ad invicem loquebantur, et mirantes cum stupore de religionis hujus interitu querebantur, addentes cum juramento plerique illorum quia, si etiam se in proximo sentirent morituros, non se tamen in istorum coloniam remedii gratiam transituros. Interea in claustro alieno, in quo missus fueram conversari, jusserunt principes me diligentius observari, timentes ne quid novi facerem quod eorum propositum infirmaret, ne quis superveniens quidquam mihi utile nuntiaret.

Verum istos claustrales, inter quos velut custodes carceris conversabar, quos mihi duriores fore propter mandata principum primitus suspicabar, divina mihi voluit benevolentia mitigare, scientes et fatentes me injustius molestias præsentes tolerare. Qui cum mihi et plerique alii humanitatis gratia loquebantur, me pressum consolari affectu sollicito nitebantur, asserentes de meo scandalo plurimum se dolere, et pie adhortantes æquo me illud animo sustinere. « Deprime, aiunt, cor tuum et sustine, et in humilitate tua patientiam habe (*Eccli.* II), » veritas liberabit te. Quæ multorum exhortatio cum mihi non sufficere videretur, præsertim cum promissum res optata non cito sequeretur, fateor mihi frequentius illud occurrisse, quod de re fere simili quidam ethnicus legitur respondisse : « Omnes, inquit, ignoscunt, nemo succurrit. » Mihi quidem satis misericorditer ignoscebant, qui amantes veritatis me injuste opprimi cognoscebant, sed affectum mansuetudinis ad effectum juvaminis non deducebant, dum adversus principes nullum pro me defensionis gladium educebant. Plus videbam illos posse qui me offendere nitebantur, quam qui mecum offensione indebita gravabantur, dum illi et minaciter et efficaciter meis opprobriis insistebant, isti sola veraci voluntate, non etiam audaci libertate opprimentibus resistebant. Ego igitur de die in diem in hoc amplius affligebar, quod inter veri nescios, ut dignus mille mortibus arguebar, et qui magnæ potentiæ, magnæ scientiæ, magni denique meriti non habebar, tamen fama proficiente in pejus ubique gentium cognoscebar. Hoc est, ut verum fatear quod solebam amplius abhorrere, ad quod evitandum majus studium adhibere, et qui pridem in angulo paupertatis sine scandalo pravitatis delitescere cupiebam, nunc per vicos et compita, per urbes et palatia, me nominari reprehensibiliter audiebam.

Sic longe lateque clamoribus liberis falsitas intonabat, veritas autem demisso adhuc vultu rauco murmure susurrabat, cum tandem e diversis mundi partibus abbates nostri ordinis advenerunt, et more solito ad Ecclesiam Prænonstratam colloquendi gratia convenerunt. Quorum plures per nostram Ecclesiam, plures per provinciam transierunt, et diffusi scandali tam ordinem quam originem audierunt, etsi non satis approbantes quæ nobis nostri principes intulerunt, rem discretius pertractandam ad Convenarum commune judicium detulerunt. Ubi tam prioribus quam posterioribus a fundo revolutis, et quæ obscura et dubia videbantur, lucidius absolutis, cognoverunt minus juste nostram Ecclesiam perturbari, et non meo, sed alieno merito me vexari. Veritate autem cognita quamplures eorum de tanto scandalo doluerunt, sed in suos majores vel æquales ferre sententiam noluerunt, decernentes sic nobis qualecunque remedium impertire, ut vellent quæ facta fuerant non punire.

Nos igitur qui de nostra Ecclesia violenter ejecti fueramus, suo jusserunt colloquio præsentari, præsentatos blande et humiliter dignati sunt adhortari, quatenus præteritorum utcunque immemores ad nostram Ecclesiam rediremus, conturbatos fratrum animos paci reddere studeremus. Sciebant enim nec pacem fratribus posse dari, nec forenses graviter excitatos, digno silentio tranquillari, nisi quorum egressus illis in scandalum verteretur, regressu eorumdem qualiscunque tranquillitas redderetur. Et quoniam ante biennium ego pauper in eorum colloquio absens fueram accusatus, judicantibus eis me indignum honore prioratus, nunc in isto colloquio me præsente dignati sunt confiteri, quod falsa relatione adversum me compulsi fuerint commoveri. Dictum est, inquiunt, nobis quod noluerit dignum majoribus obsequium exhibere, et ob hoc dignus fuerit nostram sententiam sustinere ; sed quia nobis nunc innotuit nihil eum perperam commisisse, facile remittimus quidquid creditus fuerat offendisse. Auditis autem omnibus quæ de præsenti negotio decreverunt, quæ in nos, vel pro nobis dicere voluerunt, sicut his quæ videbantur convenientia decuit adgaudere, ita nos oportuit quæ graviora visa sunt, sustinere. Nam quæ nobis vel Ecclesiæ nostræ illata fuerant violenter, decreverunt pro imperio nos ferre patienter, attendentes oppressores nostros ab eo 54 quod cœperant nolle flecti, excepto duntaxat quod ad nostram sustinuerunt Ecclesiam nos reverti. Quod etiam ipsum quidam ex eis non satis lucide voluerunt, sed decreto communi omnium nec obviare, nec resistere voluerunt, intelligentes nihil se apud illos honoris acquisisse, quod ira magis quam justitia præsumpserint nobis violentiam intulisse. Etsi enim quod a paucis factum fuerat ratum esse decrevit multitudo, illud tamen debere fieri, non plane censuit eorum recti-

tudo, imo singillatim quamplures eorum super hac injuria non mediocriter gravabantur, sed, ut dixi, pares suos vel majores offendere verebantur. Ideo pulchre scriptum est : « Dives commotus confirmatur ab amicis, humilis deceptus est, insuper et arguitur (*Eccli.* XIII). » Quæ nimirum vel quanta per prædictum mihi biennium nonnulli eorum arguentes intulerint, quanta de me et absente, et nescio passim protulerint, si vellem seriatim omnia recensere, vester, ut æstimo, non posset auditus sustinere. Quamvis enim contra propositum multa jam in hoc opusculo sim locutus, non sum tamen partem centesimam prosecutus, sciens et eis non placere, si quæ prætermisi scripto memori commendassem, et non parvum volumen confici, si memoriter omnia replicassem. Illud dixisse sufficiat, quia nullam pestem, nullam persecutionem graviorem æstimo posse dici, quam cum illi qui fratres vel domestici putabantur apparent inimici, cum ille me persequitur ad quem refugiens in ejus debuissem gremio refoveri, si forte me vidissem lapidibus forensium perurgeri. Nihil absurdius quam ægrotum gravi manu medici deperire, ubi portus putabatur naufragium invenire, cum, juxta prophetam, leonem qui fugerint ursum periculosius incurrissent : quod prudens ille Tullius sibi conqueritur accidisse (*Amos.* V). Qui locus, ait, quietis et tranquillitatis fore videbatur, in eo maximæ molestiarum, et turbulentissimæ tempestates exstiterunt.

Super quo vestra paternitas, vestra sanctitas, vestra discretio, vestra compassio manum mihi porrigere non gravetur, nec relictum seminecem in stabulum deducere dedignetur, ut quem præterierunt, imo attriverunt sacerdos et levites, vos ei oleum infundatis ut bonus Samarites (*Luc.* X). Etsi enim vestram videre faciem, mea impræsentiarum parvitas non meretur (quod utinam mihi favens divina potentia largiretur !) tamen vestra excellens paternitas, cum verbum bonum, verbum consolatorium respondebit, suam mihi quodammodo gratiam præsentiam exhibebit. Nam si fuissetis hic apud me, « Lazarus non esset mortuus (*Joan.* XI) ; » sed et nunc scio quia quæcunque decreveritis a Deo, dabit illi Deus (*ibid.*). Dicite ergo huic Lazaro, dicite, inquam, potenter, dicite misericorditer ut resurgat, et ut adversus eum mors nefaria denuo non insurgat, quia vestrum et dictum et affectum, justitiæ, misericordiæ, bonitatis perducet ad effectum adjunctæ potentia majestatis. Quod si ea quæ prætermisi vestra dignatio plenius scire curat, si tamen ad hæc ipsa quæ dicta aurem fastidio non obturat, fidelis narrator voce viva longe melius recensebit ; et hic mea parvitas calcem ponens proposito reticebit. Vale.

EPISTOLA XIII.

PHILIPPI AD ***

Disputat pulchre de virtutibus prælatorum.

« Dilectissimo dilectorum, minimus ille suorum. » Quis cui præsentem scribat epistolam præfixus titulus non ostendit, dum nomen utriusque juxta morem solitum non prætendit ? Cujusmodi novitatem si lectoris cujuspiam admiratio reprehendit, causam rei tacitæ nondum satis, ut æstimo, deprehendit. Prius ergo legat, vel si placet perlegat quod in epistola continetur, et conjicere poterit, si tamen prudens fuerit, cur tam meum quam tuum nomen in titulo non habetur. Mira et miranda dispositio Dei, quæ uno more genitos cum in hanc lucem laboriosam profundit, processu temporis largitatis suæ diversa eis charismata sic infundit, ut alii pauperes, alii divites habeantur ; alii timeant, alii timeantur ; alii diligant, nec tamen diligantur, etsi forte quandoque dilecti fuerint, paupertatis suæ merito repellantur.

Cum in scholis ego et tu pueri, discendi gratia versaremur, et ne vagos intempestiva libertas læderet, sub magistrali ferula teneremur, affectu quodam tenero grata nos dilectio colligavit, et diversorum animos in unum quasi manipulum religavit. Et quamvis pueri levitate nativa facile moveantur, et nunc invicem diligant, nunc ab invicem repellantur, nos tamen pueros hæc mobilitas non urgebat, sed inchoata semel dilectio fixa stabilisque manebat. Processu vero temporis, cum annorum puerilia jam cederet et succedens adolescentia grandiores et forte discretiores nos redderet, hujusmodi mutatio tenorem dilectionis mutuæ non inflexit, sed conflatorio fortiori ad diligendum amplius nos provexit. Quo enim de die in diem majoris intelligentiæ existebam, eo tuum erga me affectum diligentius exquirebam ; et quanto eum solidiorem certius pervidebam, tanto diligentem gratius et vehementius diligebam. Præterea **55** quædam inesse tibi morum compositio videbatur, quæ a sane sapientibus diligi merebatur : quæ in cæteris adolescentibus vix potest inveniri, qui se vident generositate sanguinis insigniri. Solet quippe adolescens de prosapia nobili superbire, et eorum quos inferiores viderit, consortium fastidire, indignum judicans familiare minoribus obsequium impertire, cum sibi, ut æstimat, digniori debeant deservire. Tu vero et præpollens generis granditate et nil tamen de supino referens Mæcenate, non solum coæquales, verum et minores affectu benevolo colligebas, et bonæ indolis adolescens, omnibus te amabilem exhibebas. Præ quibus eo tempore mihi unanimo spiritu jungebaris, diligebas ut æqualem, ut majorem etiam verebaris, et qui solo annorum numero inferior aliquantulum habebaris, tanquam et in cæteris te præirem, me præferre nullatenus gravabaris. In me tua dignatio molli se accubitu reclinabat, mihi loqui, me audire non mediocriter affectabat, affectumque tuum mea nec inutilitas, nec imparilitas revocabat, sed ad diligendum me tua te gratis bonitas provocabat.

Iis et multis hujusmodi considerans te meritis abundare, sic meritum, sic amantem non poteram non amare, et quem erga me tam benevolum intuebar, sinceræ quoque dilectionis ulnis interioribus

amplectebar : et bene dilectionis sinceræ. Ut enim verum fatear, non per hanc ditari temporaliter appetebam, nec a te jure amicitiæ quidquam muneris expetebam, etsi multis mea cupiditas indigebat, non tamen te ut ea suppleretur indigentia diligebat. Non me tibi conciliabat pecuniariæ aucupatio utilitatis, sed amandæ facta significatio probitatis : quod in te scilicet morum probitas relucebat, quæ me ad diligendum quodam sui pretio conducebat. Sic quippe et Tullius Cicero (33) veram dicit amicitiam exoriri, et exortam fomentis congruentibus enutriri, eumque amicum veraciter inveniri, qui gaudet amici virtute, non utilitate propria deliniri. Et quoniam sicut ille amicitiæ lineas describebat, sic nos ab invicem diligi mea conscientia sentiebat; putabam nos recte computari inter illa quæ paria dicuntur amicorum, de quibus eo tempore legebamus pariter apud litteras ethnicorum. Et revera magnum mihi tunc temporis et commendabile videbatur, quod inter raros et præclaros dilectores nostra, ut putabam, poni dilectio merebatur, quod sicut Theseus et Pirithous, Pylades et Orestes, Tydeus et Polynices, Patroclus et Achilles, Lælius et Scipio, sic ego et tu dilectione vicaria nectebamur, et nullis causis irruentibus ab eodem proposito flectebamur. Et quia res ut erant diligenter considerans te amplius idoneum sentiebam, tibi magis quam mihi honores maximos ambiebam : quasi pro certo æstimans quod profectus tuus nostrum nullatenus propositum infirmaret, si, me manente in humilitate, præcipuum quævis dignitas sublimaret. Hæc et hujusmodi plurima, in secreto apud me sentiebam versari, quæ tamen eo tempore non curabam in tuis auribus fabulari, ne nobiliori plebeius viderer adulari, et magis verbo quam opere tuam gratiam aucupari. Sic enim et moralis ethnicorum lectio me docebat, et, quod amplius est, ipsa jam ratio suadebat, ut non verbo et lingua exterius se nostra dilectio ventilaret, sed stabili et veritate et opere interiorem magis animum occuparet. In qua diligendi veritate nostra amborum adolescentia se transegit, nullaque importunitas per id temporis ad dissidium nos coegit, quia ipsa dilectio cuncta sibi adversantia sic abegit, ut consensus firmaretur qui in unam quasi animam nos redegit. Quod dum agitur, prior ego fines adolescentiæ sum egressus, et ordine consueto contiguos juventutis terminos introgressus, intra quos posteriora deserens ad anteriora procedebam, et te præterito sequentem itinere præcedebam. Jamque, velut interiori domo juventus mea tenera versabatur, et tua tenerior adhuc velut in vestibulo tenebatur, cum mihi qui diutius vixeram, et forte plurimum offensæ productiore vita contraxeram, divina gratia colaphum repentinum incussit, et de manibus spem sæculi fallacem quam avidus amplectebar excussit. Ergo valefaciens sæculo abjeci quidquid in illo seductus ambiebam, habens multa contemptui quæ antea plurimum diligebam, et ad monasterium fugiens pristinam habitationem exclusi, habitumque religionis assumpto, in claustrali diversorio me reclusi. Ubi cum et de præteritis veniam postularem, et pro posse mala præsentia declinarem, ad hæc mihi locum et exemplum suffragari plurimum sentiebam, et invento portu non mediocriter adgaudebam. Sed quia tu, qui mihi quasi animæ meæ dimidium videbaris adhuc in sæculo, et in his quæ reliqueram tenebaris, prædictus ille portus nondum mihi satis sufficiens putabatur, et inventa quies teneriore tui memoria turbabatur. Prora quidem navis meæ, optata in statione aliquantulum quiescebat, sed fluctibus puppis exposita gravi periculo subjacebat : et quantum ex hac parte securitatis beneficio gratulabar, tantum fere ex alia tristi sollicitudine prægravabar. Quia enim duo amici ex eadem pendere anima perhibentur, cum uno invicem diligenti affectu fortiter colligentur, anima mea eo se vitaliter vivere non credebat, quo te in hujus sæculi pelago naufragoso mortifera Sirenarum dulcedo retinebat. **56** Non ergo se tota anima mea intra meipsum poterat cohibere, nec a se quidquid erat in sæculo penitus removere, cum tui, qui pars ejus non contemnenda eras, cogeretur plerumque reminisci, imo, si credi potest, cogeretur nullatenus oblivisci. Nam sicut non facile potest oblivioni tradere quis seipsum, sic nihilo minus eum quem diligit ut seipsum, cum potius super illo vigilanti sollicitudine sic intendat, ut unione diligendi ex eo se pendere perpendat. Et hanc quidem dilectorum unionem quam in litteris ethnicorum primo didiceram, quibus tecum in scholis, per aliquot annos curam impenderam, divinarum quoque Scripturarum auctoritas prædicare commendabiliter videbatur, quæ prioribus relegatis jam vacanti mihi frequenter legebatur.

Cum Judas patriarcha expressius innuere niteretur quanto dilectionis glutino Jacob pater filio suo Benjamin uniretur, sic ait ad Joseph : « Si intravero ad patrem meum et puer defuerit, cum anima illius ex hujus anima pendeat, morietur (*Gen.* XLIV). » Vides quod ex anima filii et anima pendet patris, quia scilicet erga illum tanto tenetur affectu charitatis, ut illius prosperitas vitale huic conferat lenimentum, et e regione adversitas intolerabile detrimentum. Et ne hunc affectum hujus putetur operari sola connexio propinquitatis, non amandæ et amatæ supradicta significatio probitatis, audi alias quanta inter extraneos dilectio reperitur, quam tenero, quam sincero alter alterius amore devincitur. Cum jubenti regi Saul David adolescentulus de pascuis eductus assisteret, et filius illius Jonathan bonæ indolis pastorem attenderet, « Anima, inquit, Jonathan colligata est animæ David, et dilexit eum Jonathan quasi animam suam (*1 Reg.* XVIII). » Ecce animæ David anima Jonathæ colligatur, et tanquam animam suam alter alterum diligere prædicatur ; in quibus non propinquitas, non æqualitas generis invenitur, sed alter in palatio, alter in pas-

(33) In Lælio.

cuis enutritur. Hæc autem legens vel audiens, alienum a religione nequaquam judicavi quod te diligendum tanquam meam ipsius animam æstimavi, cum sanctus ille David tantopere Jonathan diligentem diligeret, et præ cunctis adolescentibus regis filium citharœdus vel pastor eligeret. Neque nobilitati tuæ debet etiam incongruum æstimari quod minori genere diligendo dignatus es colligari, cum Jonathan regalis dignitas insigniret, nec tamen cytharœdum venientem de pascuis fastidiret.

Cum igitur in claustrali diversorio conversarer, et pro meis meorumque profectibus aliquoties deprecarer, urgebat me tui præ omnibus tanta cura, ut nullum mihi videretur aliquando remedium habitura, quandiu ad optatum dilato esset desiderio perventura. Tui vero sollicitus, divinæ pro te misericordiæ frequenter supplicabam, teque illi die et nocte, prece supplici commendabam, et inter commendandum, ut verum fatear, graviter suspirabam, dolorisque incontinens, lacrymarum profluvio faciem irrigabam. Et quamvis locorum intervallo essemus longe ab invicem separati, diverso jam proposito, diversis et negotiis occupati, te tamen ubique locorum non pede, sed affectu sollicito prosequebar, te absentem præsentialiter amplectebar, et mirum in modum cum me nec videres, nec crederes tecum esse, tamen beneficio diligendi nonnisi poteram tecum esse. Imo, ut mihi potius videtur, tu mecum meo in diversorio versabaris, tu meo non corpori, sed spiritui, quod est amplius, jungebaris, tu mihi nullo teste hominum loquebaris, me loquentem tu audire, etsi jam non obedire sicut antea, videbaris. In secreto cordis mei sedem tibi occultam locaveram, te mihi solitario irremotum illic collegam posueram, tu æqualem illic partem obtinebas privilegio sociali, soli Deo postpositus quem sequi proposueram desiderio principali. In optando salutis beneficium te mihi conferebam, dum quod et quantum mihi, hoc et tantum tibi sine differentia cupiebam : in orando autem, te mihi frequenter præferebam, mei quasi negligens pro te precum hostias offerebam. In omnibus quæ bene agere me credebam, te mecum intuebar, te mihi absentari nec ad modicum patiebar : tuum volebam esse quidquid, si quid Deo placitum, actitabam, nec tamen quidquam damni per hoc incurrere formidabam. Sic enim certum est spiritualia beneficia se habere, ut cum alteri alter ea contulerit, non se tamen per hoc videat indigere : imo quo eis largiore animo proximum fecundabit, eo eis gratius et feracius abundabit. Quidquid ergo salutis meæ causa utcunque conabar operari, in profectum quoque tuum optabam summopere commutari, ut cui, sicut dictum est, in corde meo sedem constitueram amicalem, obtinerem et cum eo jucundius et felicius in cœlestibus æternalem.

In hac autem interim sede cordis mei tu mecum habitabas, tu in ea meum consortium, meum colloquium nullatenus recusabas, tu etsi a nullo præsto mihi adesse videbaris, tamen cunctis mihi proprior, quia cunctis interior, habebaris. Et hoc quidem beneficium meus mihi spiritus conferebat, qui cum quem cæteris mea dilectio præferebat, etsi remotum et nescium, mihi tamen frequentius offerebat, imo ejus absentiam a me penitus auferebat. Potens est enim spiritus sibi eum quem 57 dilexerit, præsentare, et tam volentem quam nolentem virtute quadam memori retentare, miscere colloquia, familiare obsequium exhibere, sollicitare precibus, et ad quævis interiori alloquio commonere. In quo sine intermissione cum per annos aliquot laborarem, et tuam salutem irremisso affectu præoptarem, ecce divinum consilium quod nullus sane sapiens reprehendit, cujus altitudinem « non sapiens, non scriba, non conquisitor hujus sæculi, deprehendit (*I Cor.* I), » te, quem optabam præsentia mundi prospera relegare, ad longe ampliores honores ecclesiasticos voluit sublimare. Fateor, dolui, gemui, flevi, non vel Dei subtile consilium arguendo, vel tuis prosperitatibus invidendo : sed timui ne tuum sic animum præcelsa, ut assolet, dignitas deliniret, ut per hanc humilia religionis et sanctitatis aspera fastidiret. Etsi enim « omnis potestas a Deo (*Rom.* XIII), » nonnulli tamen illecti lenocinio potestatis recusant incurvari ad sufferendam sarcinam sanctitatis : et quo in Ecclesia gradus obtinent digniores, eo a sanctitate excursus faciunt longiores. Inde anxius, inde sollicitus, non potui tuis honoribus adgaudere, quos perfectus amator sanctitatis invenitur, non mediocriter abhorrere, quia scilicet per eos et negotiis exterioribus occupatur, et plerumque, volens nolens, vitiis collateralibus implicatur. Cum autem ad honores divino disponente consilio pervenisti, amicos tibi novos et innumeros collegisti, quia dignitas, quæ plerumque interiorem animum inquietat, eum quem suscipit amicis exterioribus locupletat. Unde apud Salomonem scriptum est : « Amici divitum multi (*Prov.* XIV). » Et iterum : « Divitiæ addunt amicos plurimos (*Prov.* XIX). » Quorum cum obsequiis et frequentia ditareris, et eorum explendis voluntatibus utiliter intentus habereris, aliquantulum relaxasti, imo, ut æstimo (pace tua dixerim) penitus relegasti. Nec mirum. Humanus enim animus cum per multa sparsim dividitur, ad singula minor efficitur ; et cum exterioribus curam eligit impertire, ab interioribus compellitur resilire. Non ergo mirum si novis supervenientibus vetera projecisti, si multis utilibus postponere quiddam inutile voluisti, cum et si dignitatis fastigio pluribus præemineres, tamen ad obtinendum idem fastigium pluribus indigeres. Ego autem sub silentio mihi sedens in angulo paupertatis, non tam mores gerens compositos, quam exteriorem habitum sanctitatis, etsi aliquid assumpsisse mihi videor novitatis in me tamen considero residere plurimum vetustatis. Adhuc enim dilectione tui fateor me teneri, et ab ea teneritudo mea non potest penitus amoveri sed quanto vetustiorem, tanto eam suaviorem gu-

stus interior experitur, ut in divinis litteris dicere quidam Sapiens invenitur : « Vinum, inquit, novum, amicus novus, veterascet, et cum suavitate bibes illud (*Eccli.* IX). » Vinum quippe novum non est dignum penitus reprobari, vinum vero vetus dignum plurimum approbari, quia illud bibi potest, sed aculeo novitatis mordet, exasperatque palatum, istud vero demulcet et indulcat vetustatis beneficio defæcatum. Super quo quidam ethnicus pulchre dicit (34) :

Qui properant, nova musta bibant, mihi fundat avi- [*tum*
Testa merum.

Sicut ergo avitum merum suavius et jucundius degustatur, sic amicus antiquior gratius et tenacius retentatur; et contra per antiquum Scripturæ mandatum delinquit, qui eum quem commendat antiquitas, instabili animo derelinquit. « Ne derelinquas, ait Scriptura, amicum antiquum, novus enim non erit similis illi (*Eccli.* IX). » Quem enim novum potero tui similem invenire, qui tenero me affectu et obsequiis studeat prævenire, in quo, etsi aliqua fortem subluceat significatio probitatis, tamen (ut cætera prætermittam) deest commendatio vetustatis?

Denique sedenti cuivis in angulo quem exterior prosperitas non præcurrit, profecto amicorum facile copia non occurrit, quia sicut plerique graves sibi respuunt inimicos, ita nonnulli quos pauperes viderint non recipiunt in amicos. Cum vero te suscepit amplexu gratuito dives sublimitas, et in ea carnalibus oculis copiosa refulsit utilitas; statim animo tuo amicorum nova copia se infudit, cujus grata infusio foras veterem me effudit; sed licet effusus, tamen te effundentem vice reciproca non effudi. Et pridem infuso nihil oppressorum superfudi, ne videretur mihi levitas reprehensibilis attributa, cum odorem testa diu servet quo recens est imbuta (35). Cum igitur a dilectione tui, ut prædixi, non essem explicitus, sed urgenti affectu pristino, non modice tui sollicitus; frequens mihi voluntas inerat ut te familiarius compellarem, et quod volvebam animo, verbis tibi exterioribus intimarem. Sed unde accessus ad tantæ præsentiam majestatis, ei præcipue quem urget repagulum paupertatis; ei, inquam, qui abjectionis ergastulo coliibetur, ad eum qui multis circumstantibus in palatio continetur? Quomodo posset tot ostia, tot ostiarios pertransire, et ad cathedram magistralem, vel interius cubiculum pervenire, vel te illic potius ad hoc vacuum invenire, ut ei colloquenti vel aliquam velles morulam impertire? Quomodo ejus posses diutius colloquium sustinere, in quo nil esse ponderis, nullum tibi putares commodum imminere, cum plerisque nihil intolerabilius videatur, quam si pauper cum divite loquacitate inutili fabulatur? Quod si forte tibi 58 tanta inesset humilitas, ut loquentem gratanter audire dignaretur, et locutioni tanta utilitas, ut audiri congrue mereretur; majorum tamen adventatio personarum non facile repellenda, vel causarum discussio non sine dispendio differenda; tuam mihi diutius vacare majestatem nullatenus pateretur, et ad eam cura tua, vellet nollet, reflecti cogeretur.

Quod propter in meipsum reversus, in secreto cordis mei proposui tibi loqui, ubi et nullus medius interesset, et brevitas temporis non obesset, ubi vel loquentem vel audientem nullus obstrepens causaretur, ubi causæ majoris incursio non interrumpere niteretur, ubi denique nec tu ipse vel indignans audire recusares vel benevolus occurrentem quamlibet molestiam accusares. Et quoniam animo cupienti plerumque non satisfacit locutio illa interior, nisi ad proferendum quod ille conceperit, sermo jungatur exterior; aliqua de multis non solum corde, sed et stylo quo potui, sum locutus, et te ut præsentem verbo, sic et absentem scripto familiariter allocutus. Hoc enim ipsum est et stylus exsequi qui utcunque non refugit, et nec spatium temporis nec loci convenientia subterfugit, quia sicut possum nullo teste hominum secretaliter plurima cogitare, sic nullo eorum conscio solus aliqua scriptitare.

Scripsi ergo hanc allocutionem meam, ignorans profecto utrum in manus tuas aliquo tempore sit ventura, aut, si forte pervenerit, utrum sit placitura, quia nonnunquam aut non præsentantur quibusque majoribus profutura, aut obviante fastidio respuuntur veluti nocitura. Sed quamvis illa non concedatur, vel ad tuam præsentiam pervenire, vel forte perveniens tuam gratiam invenire; tamen quia potest non soli tibi, sed et cæteris pluribus convenire, non erit incongruum, si præter te, quis alius voluerit hanc audire. Quod si nullus, mihi tamen proficiet quod mea, ut potest, voluntas operatur, dum non solum desiderio, sed et scripto eum quem diligit adhortatur, ut juxta suscepti officii et inventæ mensuram dignitatis habere sibi studeat condignum meritum sanctitatis. Ad quod obtinendum plurimum valet, si seipsum unusquisque prudenter metiatur, si discrete noverit cujus gradus vel ordinis habeatur; si teneat fixum memoria, quod in divinis litteris per Salomonem sanctus Spiritus protestatur, qui desponsatæ sibi animæ terribiliter comminatur: « Si ignoras, inquit, o pulchra inter mulieres, abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos (*Cant.* I). » Audis veritatem in divinis litteris resonare, audis eam parcentem terribiliter intonare, ut certum sit eum mori potius quam dormire, qui obfirmatus duritia inventus fuerit hoc tonitruum audire. Moritur quippe qui non audit, non hac morte visibili quam solam impii pertimescunt, qui invisibilia non videntes solis visibilibus adhærescunt; sed illa terribili, quam Deus primis parentibus prædixit, ne peccarent, et inflixit peccantibus, ut veracem ejus sen-

(34) Horatius.

(35) Horatius.

tentiam comprobarent. « Qua die, inquit, comederitis ex eo, morte moriemini (*Gen.* II). » Et per prophetam Ezechiel (*cap.* XVIII) : « Anima, inquit, quæ peccaverit, ipsa morietur. » Sicut anima corpus vivificat dum ei conjungitur, et ea recedente illud necessario mori compellitur, sic profecto anima moritur cum delinquit, quia eam Deus, qui vita ejus est, derelinquit. Derelicta vero a Deo cum jam ejus vitalibus pascuis non fovetur, post vestigia gregum, id est, post suas ire concupiscentias non arcetur ; et pascit hædos suos, id est mundos cogitatus fovet, diligit, amplexatur, provectuque nequissimo ad effectum operis eos perducere gratulatur. « Abi, inquit, post vestigia gregum, et pasce hædos tuos (*Cant.* I). » Quo judicio? Quo merito? « Si ignoras te (*ibid.*), » inquit.

Ne ergo post vestigia gregum abiens hædos pascat, unusquisque recte sapiens se cognoscat; sciat seipsum, et hæc a se intelligentia non labatur, ut « non equo et mulo, quibus intellectus non est, similis habeatur (*Psal.* XXXI). » Scit autem seipsum qui prudenter intelligit, quid et ad quid factus sit; in quo denique sit gradu vel ordine constitutus, et eidem ordini quis modus vivendi lege obedientiæ attributus. Omnes quippe nos homines facti sumus et ad serviendum ei a quo facti sumus, ut nostrum inferius, ei obediat, quæ nobis est indita rationi, et eadem ratio diligenti sollicitudine divinæ ditioni. Unde propheta Michæas (*cap.* VI) : « Indicabo, inquit, tibi, homo, quid sit bonum; et, quid Dominus quærat a te. Utique facere judicium et diligere misericordiam : et, sollicitum ambulare cum Deo tuo. » Præter hanc autem legem, quæ cunctis hominibus generaliter est indicta, et non tenentibus eam, damnatio competens est addicta quibusdam hominibus, quædam quasi lex indicitur specialis, quibus ordo superior et gradus attribuitur spiritalis. Cum enim omnis fidelium multitudo, in clerum et populum dividatur, minus quidem populo, clero autem quiddam amplius assignatur; neutri quidem aliud quam Deo deservire, sed clero præcipitur majorem servitio diligentiam impertire. In clero autem sacerdotes inferioribus præferuntur, quorum manus sacri liquore Chrismatis perunguntur, ut illud sacrosanctum Christi corpus et sanguinem consecrare, et cætera salutis sacramenta possint jure sacerdotii dispensare. Inter ipsos **59** vero sacerdotes dignitatis ordine principantur, qui assumpto baculo pastorali, vel abbates, vel episcopi nominantur, quorum illi regularem suis claustralibus disciplinam, isti vero tam claustralibus quam cæteris omnibus vivendi debent exemplum et doctrinam. Grandis honor, sed honori huic injungitur gravis cura, et ejus species ferentem non mediocriter est læsura si is quem divina dispositio cæteris gradu honorifico vult præesse, summo eisdem studio non diligit et prodesse. Ob hoc enim » Deo quidam in Ecclesia præponuntur, et eisdem propositis divino alii ordine supponuntur, ut fidelem curam digniores inferioribus impertire, et inferiores dignioribus humilitate debita studeant obedire. Illi paterna sollicitudine ministrent inferioribus doctrinam spiritalem, isti superioribus exhibeant obedientiam filialem, eosque tanquam patres et filios, quorum nomina sunt ad invicem relativa, non carnis propagatio, sed, quod est validius, efficiat charitas conjunctiva.

Denique et abbas a paternitate nomen accepit. *Abba* enim Hebraice, *pater* Latine, et episcopus *superintendens* interpretatur, eo quod non dominandi lenocinio super cæteros sese extendere, sed proficiendi desiderio super curam eorum jubetur intendere, ut super subditos non extentus, sed intentus episcopus habeatur, et erga eos non tyrannica regnandi libidine, sed paterna juvandi sollicitudine teneatur. Unde Apostolus ad Corinthios : « Nos autem, inquit, non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ, quam mensus est Deus, mensuram pertingendi usque ad vos : non enim quasi non pertingentes ad vos superextendimus nos (*II Cor.* X). » Qui autem se non præsumit superextendere, ne quam Deus mensus est videatur mensuram excedere, juxta nomen episcopi paterna sollicitudine superintendit, sicut paulo infra evidenter ostendit : « Instantia, inquit, mea, quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum : Quis infirmatur et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? » (*II Cor.* II.) » Nescit igitur episcopari, qui non superintendere, sed potius diligit dominari, qui assumpta præfulget dignitate, sed eamdem injuncta non munit sanctitate. Huic quippe dignitati comes individua sanctitas assignatur, ut ejus consortio tanquam muro inexpugnabili muniatur, cujus patrocinium si inventa fuerit dignitas non habere, compelletur detrimento, justoque contemptui, subjacere. Sicut enim sanctitas clarior et celebrior efficitur sublimata solio dignitatis, sic nimirum dignitas solidior et dignior munita patrocinio sanctitatis, quamvis sanctitas habeat gratiam, carens etiam extera dignitate, dignitas vero, non solum non prosit, sed et plurimum obsit, si caruerit sanctitate. Nam cum indignus quilibet in sublimi dignitatis solio collocatur, tam ipsi quam cæteris eadem nocere dignitas comprobatur; et quæ debuerat salutarem omnibus proferre disciplinam, detestabilem econverso vertitur in ruinam. Primo quidem eum quem efficit gradu et ordine celsiorem, reddit etiam consequenter, longe lateque cæteris notiorem; et cujus vitam indigna conversatio deprimit et incestat, incestum ejus dignitas quasi prælato lumine manifestat. Quod intuens recte Sallustius (36): «Qui in excelso, inquit, ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales noverunt. » Eapropter non est indigno exterior magnopere dignitas appetenda, inquieta cujus garrulitas non tacet, si qua

(36) In Cæsaris oratione.

noverit arguenda, sed ingerit plurimorum notitiam sub umbra vitiorum latere cupienti, indignans tacendo præstare colludium delinquenti. Qui quanto altiori dignitate exterius sublimatur, tanto magis indignus esse meritis declaratur; et dignitas non eum juxta hoc vocabulum dignorem, sed juxta vitæ meritum famam ejus efficit turpiorem. Super quo prudens ille Boetius (37) : « Collata, inquit, improbis dignitas, non modo non efficit dignos, sed prodit potius et ostendit indignos. »

Nec solum famæ, sed et moribus infert dignitas detrimentum, quæ volenti peccare, explendi non mediocre dat augmentum, dum ei et præsentis licentiæ seductibile blandimentum, et futuræ impunitatis gratum prætendit munimentum. Cum enim dignitate suffultus videt sibi cæteros subjacere, et ut ei complaceant suis illos voluntatibus adgaudere, vel si quid illis displicet, tamen sine reprehensione debita sustinere, ille quidquid libuerit sibi existimat et licere, et hujusmodi licitum præsumptivo spiritu non timet adimplere. Multo iste felicius careret fastigio dignitatis, cujus patrocinio explet nequitiam miseræ voluntatis, qui quo sibi videtur felicior, quia voluntati licentia vel possibilitas acquiescit, eo fit miserior, licenter adimplendo ad quod nequiter inardescit. Quocirca Neroni Seneca (38) : « Pestifera, inquit, vis est valere ad nocendum. » Et Romanorum facundissimus ille Tullius ait de quodam : « O miserum cui peccare licebat. » Sed hæc licenter ab injustis potentibus usurpatur, non justitiæ legibus confirmatur; et quam sibi putat licentiam perversitas miseræ voluntatis, negat esse licentiam lex justissima veritatis. Quod asserens supradictus ille Sallustius (39) : « Ita, inquit, in maxima fortuna minima licentia est; » quia enim eorum, ut ait, facta, qui in excelso ætatem agunt, cuncti mortales noverunt : ideo 60 minimam licentiam eis dicit esse, ne scilicet qui jubentur aliis ordine prælationis prodesse, perversitate operum inveniantur obesse; et eo magis noceat eorum perversitas, quo eam notiorem reddit honoris sublimitas. Et revera sic se habet religiosæ censura veritatis, ut qui majoris in Ecclesia sublimatur solio dignitatis, ei pariter injungatur perfectioris sarcina sanctitatis; et quo sublimior eo esse perfectior jubeatur, et ad juste vivendum, arctioris legis vinculo teneatur.

Vult enim divina justitia ut, cum honore debito ecclesiastica dignitas enitescat, obtinentis merito non vilescat; et cum ejus notitia longe lateque plurimum se diffundat, pravæ opinionis odorem, vel potius fetorem pariter non effundat. Effundit autem, si is qui amat præ cæteris honore sublimari, non timet vitæ merito diffamari; si quibus præest gradu et ordine dignitatis, non satagit et præesse et prodesse splendore congruo sanctitatis. Qui cum nigredine vitiorum attaminaverit vitam suam, et amore peccandi contempserit famam suam, subjectos suos non solum non invitat ad vitam meliorem, sed eisdem peccandi viam aperit largiorem. Quia enim non est sana ejus conscientia, sed ægrescit, lingua profecto ad corrigendum subditos obtumescit : et malum quod in suis amat et multiplicat imprudenter, in aliorum moribus sustinet patienter. Quod si forte sui oblitus in subjectorum mores præsumit intonare, aut exigente loco regiminis justum aliquid prædicare, prædicationem ejus fere omnes recusant audire, vel audientes contemnunt obedire. Sic fit ut cum prælatum non commendat injunctæ meritum sanctitatis, contemptui habeatur ipsius excellentia dignitatis; et quandoque proferens verbum necessariæ veritatis, repellit auditores suæ merito pravitatis. Passim ergo subditi morum corruunt in ruinam, cum prælatus eorum vivendi non tenet disciplinam; et illius occasione ad deterrima prono animo deflectuntur formamque propositam ulnis avidioribus amplectuntur. Et qui suæ solius culpæ merito condemnatur, pro subjectorum quoque excessibus damnabiliter judicatur, suoque non sufficiens, onus portare compellitur aliorum, et de manu ejus sanguis requiretur perditorum. Quidquid enim prælati exemplo committere subditi non verentur, quidquid damnationis, prævalente hujusmodi commisso promerentur, nimirum justus Judex districtius exigit a prælato, qui sic illos vel ad peccatum impulit, vel saltem non repulit a peccato. Quanto ergo is qui præest præ cæteris inferioribus sublimatur, tanto multiplicius tam suis quam aliorum vinculis obligatur; et cum pluribus peccatorum institis fuerit obvolutus, punietur atrocius, in profundiores tenebras devolutus.

Sed ne videatur plus justo minaciter intonare, et tam grave prælati judicium mendaciter affirmare, audi Scriptura divina quam terribiliter comminatur, quæ, sicut minaciter, sic et veraciter hoc testatur : « Judicium, inquit, durissimum in his qui præsunt, fiet (*Sap.* VI); » et : « Potentes potenter tormenta patientur (*ibid.*); » et : « Fortioribus fortior instat cruciatio (*ibid.*). » Sed istorum sensus verborum poterit lucidius apparere, si placuerit seriatim, ipsum capitulum recensere, in quo divina Scriptura prælatos invenitur terribiliter commonere, ut audiant et caveant quod constat eis male viventibus imminere. « Præbete, inquit, aures, vos qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum : quoniam data est vobis a Domino potestas et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur. Quoniam, cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, neque custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis : Horrende et cito apparebit vobis quoniam judicium durissimum in his qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem poten-

(37) Lib. II De consol. Philosophiæ, prosa 6
(38) Lib De clementia, cap. 3.
(39) In Cæsaris oratione.

ter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam Dominus, nec verebitur magnitudinem cujusquam, quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter illi cura est de omnibus. « Fortioribus autem fortior instat cruciatio (*Sap.* VI.). » Audis quia prælatis severa Dei justitia non blanditur, majoribus non parcit, nec eorum perversitatibus assentitur, sed quia fecit omnes, et est de omnibus illi cura, potentes potenter, et fortiores est fortius punitura. Vellem hoc capitulum prælatis omnibus tam notum haberetur ut non facile ab eorum memoria laberetur, imo in ore ipsorum tanta frequentia volveretur, ut non solum sensus, sed et verborum series teneretur. Miror, si posset tam obstinatus vel durus quispiam inveniri, qui hoc conflatorio non cogeretur aliquantulum emolliri, qui ad has minas tam veraces quam terribiles non timeret, et vitiose inolita non timore percitus aboleret. Sed quia non omnes curant, vel forte vacant divinas litteras lectitare, et si quas legerint, nolunt vel nequeunt cuncta memoriæ commendare : provide censura ecclesiastica voluit ordinare, ut nonnulli prælati virgam vel baculum sibi ferrent, in quo velut codice suum sibi commonitorium anteferrent. Denique Joas cum rex fieret, in manu sua librum legis tenendum accepit, quem illi Joiada pontifex mysterialiter offerri præcepit; ut sciret tam Joas quam cæteri, quod divinæ legi rex debeat obedire (*III Par.* XXIII), et ejus testimonio manus suas, **61** id est quidquid egerit, insignire. Sic et ii qui apud nos abbates vel episcopi nominantur, cum divino disponente consilio ad locum regiminis ordinantur, ut habeant assidue quasi prænuntium mysterialem, accipiunt in manibus virgam vel baculum pastoralem. Cujus forma videtur non mediocre mysterium continere, per quod ipsum prælatum, velut codex appositus, non desinit commonere, quantas apud se virtutes debeat obtinere, quanta virtutum gratia foris in subjectorum oculis eminere. Est enim virga illa recta et plana ut in ea non tortitudo, non scrupulus habeatur, sed sine inæqualitatis omni offendiculo teneatur, cujus pars inferior subjuncto aculeo terminatur, pars quæ cælum respicit unco superposito decoratur.

Mira species. Quam quis intuens non mirabiliter obstuperet, nisi ejus notitiam usus frequentior jam haberet. Sed quoniam multæ hujusmodi virgæ frequentius jam videntur, videndi assiduitas tollit videntibus ne mirentur : formamque mirabilem quæ multis multoties se ostendit, videt quidem plerusque, sed cum stupore debito non attendit. Verumtamen ejus lator eam attente præcipitur intueri, multoque attentius quod in ea constat mysterium contineri, ne, sicut Urias (*II Reg.* XI) tulit litteras in quibus nescientis mors ejus habebatur, sic et iste improvidus ferat unde feriri mereatur. Si enim prudenter intelligat, principatum stabilem obtinebit, juxta illud Salomonis : « Intelligens gubernacula possidebit (*Prov.* I); » si vero non intelligat, flagellum nullatenus evitabit, sicut apud Osee scriptum est (*cap.* IV) : « Non intelligens vapulabit. » Denique ad hoc in manu ejus virga ponitur, ut possit non latere, latet autem quod constat eum intellectu debito non videre : et qui intellectum vel cor intelligens convincitur non habere, ablatam de manibus in dorso virgam cogitur sustinere. De qua Salomon : « Virga, » inquit, « in dorso ejus qui indiget corde (*Prov.* X). » Virga ergo in manu honor et gloria est tenentis, virga in dorso, gravis miseria sustinentis, quia qui prudenter quod tenet intelligit, honore et gloria coronatur, qui vero non intelligit, ad flagelli tolerantiam incurvatur. Unde et David : « Obscurentur, inquit, oculi eorum ne videant; et dorsum eorum semper incurva (*Psal.* LXVIII). » Cum enim oculus ne videat, id est cor ne intelligat, obscuratur, dorsum procul dubio ad patiendum quod meruit incurvatur; et contemptum voluntarium necessariæ visionis sequitur, imo persequitur condignæ sufferentia passionis. In manu igitur prælati virga ponitur pastoralis, ut prudenter intelligat quid in ea mysterii lateat spiritalis; et quod intellectu perceperit, operibus explere non desistat, ut intellectus mysterio, manus intellectui non obsistat. Hujus autem virgæ mysterium hoc est. Uncus ille quo virga desuper insignitur, qui plerumque et pulchrior et operosior invenitur : prælati mansuetudinem videtur exprimere, qua sibi suos debet subjectos attrahere, ut ab eis filiali affectu diligatur, et cum dilectus fuerit, gratius et efficacius audiatur. Illum enim subjectus non facile vult audire, illius non mandatis, non voluntatibus obedire, qui nesciens affectuosæ mansuetudinis perhonestum et perutile nutrimentum, in subjectos quasi leo se nimis exhibet truculentum. Cui divina Scriptura, si tamen audiatur, præbet commendabile documentum, ejusque feritatem ad mansuetudinis revocat lenimentum, ne qui debet subjectos colligere amplexu columbino, repellat et dispergat rugitu belluino. « In mansuetudine, » inquit, « opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris (*Eccli.* III). » Et : « Quanto magnus es, humilia te in omnibus (*ibid.*). » Et paulo infra : « Noli, ait, esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi (*Eccli.* IV). » Et longe post : « Rectorem te posuerunt? noli extolli : esto in illis quasi unus ex illis (*Eccli.* XXXII). » Auctoritas divina cum prælato mansuetudinem hanc imponit, illum, de quo dicimus, uncum virgæ mysticæ superponit : docens quia potestas fraudatur honore principali, si, qui præfertur cæteris, lenitate careat sociali. Quod et doctores ethnici videntur confirmare, dum eos qui præsunt, student ad clementiam invitare : et etiam eis in exemplum deos misericordes præmittunt, qui quoties delinquunt homines, eis fulmina non immittunt. « Quod si dii placabiles et æqui, ait Seneca, delicta potentum non statim fulminibus persequuntur, quanto æquius est hominem hominibus præpositum, miti animo exercere imperium? » Quo forsitan lecto amicus

Senecæ Paulus (40) hujusmodi lenitatem sese ostendit habuisse, et ejus quasi unco Thessalonicensium sibi animos attraxisse prudenter intelligens subjectos ad obediendum non posse efficaciter invitari, si ab eis timeri solum appeteret, non amari. « Facti sumus, inquit, parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos (*I Thess.* II). »

Nutrix quæ fovere filios suos diligenter intendit, suam vel ætatem corporis, vel granditatem generis non attendit, sed illorum infantiæ affectu benevolo condescendit, et quibus infundere vitale satagit alimentum ne forte respuatur, apponit mansuetudinis condimentum. Sic et is qui præficitur ad nutriendum animas subjectorum, allicere sibi debet rudes et varios affectus animorum; et ab ejus sectatu si quos pressos fastidio viderit elongare, debet illos unco mansuetudinis revocare; revocatos mansuetis sibi amplexibus 62 colligare. Cæterum ne nimia et vitiosa inveniatur mansuetudo, quidquid enim est nimium, declinare in vitium fixa est certitudo : necessario adjungitur eidem mansuetudini rectitudo, adjunctione cujus illam obtinet matura sanctitudo. In cujus typo rei præfato illi unco hastile rectum supponitur, cujus beneficio sublimior et evidentior uncus efficitur : quo absente, ille in terram corruens abjectione degeneri tenebrescit, præsente vero tanquam subjuncto candelabro lumen superpositum elucescit. Quamvis enim prælati mansuetudo ad colligendum subditos se inclinet, necesse est tamen ut ad terrena vitia non declinet; sed rectitudini tanquam vasi firmiter innitatur, ne lapsis plus justo condescendens, et ipsa levitate instabili collabatur. Debet quidem prælatus sic se aliis amabilem exhibere, ut eorum tamen nolit vitiis adhærere, sic esse dilector subditorum, ut non sit etiam dilector vitiorum. Quæ nimirum invenitur nequaquam diligere cum nullum eis assensum curat impendere, cum subjectorum excessibus timore vel amore noxio non blanditur, nec adulatoriis eorum obsequiis delinitur. Habet ergo hastile rectum, cum nec illorum fallaci gratia delectatur, nec, avaritia dominante, illorum pecuniam aucupatur, cum sic illos diligit ut quod verum et sanctum est dicere non recuset, et diligendi gratia dilectorum vitia non excuset. Habet hastile, cum id quod pravum et asperum in illorum videt moribus disso nare, in directum et planum satagit revocare, non solum verbis perstrepentibus salutarem doctrinam inferendo, sed formam sanctitatis manu, id est operibus præferendo.

Quia vero, ut scriptum est : « Perversi difficile corriguntur (*Eccli.* I), » et a peccandi proposito nec precibus, nec blanditiis retrahuntur, cum semel et iterum commoniti fuerint, necessario feriuntur, et eorum viæ latissimæ spinis et maceria sepiuntur. Cum enim perversus quilibet nolens corrigi non feritur, et ad peccandum ei via largior aperitur : et nimis prona facilitas indulgendi perversis moribus incentivum suggerit delinquendi. Recte ergo in virga pastorali aculeus hastili subjungitur, qui terram tangit, vel, quod amplius est, eidem infigitur : in quo etiam virga mystica terminatur, sicut ab unco superiori, de quo jam prædictum est, inchoatur. In hoc autem aculeo feriendi signatur asperitas, qua delinquentium subjectorum terrena feritur carnalitas, ut quibus non proficit olei aut malagmatis lenimentum, eorum putredinem medicinale resecet ferramentum. Neque enim satis inter illos rectitudo debita conservatur, nisi eorum culpa disciplinæ aculeo feriatur, nisi vulnus putridum sectionem, et inobedientia dignam sustineat ultionem. Unde Apostolus Corinthiis : « In promptu, ait, habentes ulcisci omnem inobedientiam (*II Cor.* X). » Quia vero plerumque ira vel imperitia modum deserit ulciscendi, et laxato loro in excessum progreditur feriendi : pulchre hastili recto aculeus prædictus adhæret, et manui ferienti non aculeus, sed hastile cohæret; signanter innuens quia peccantes sic punire debet ultionis amaritudo, ut de manu ferientis nunquam excidat rectitudo. Sive ergo producit aculeum necessitate feriendi, sive extollit uncum prælatus affectu leniendi, cum scilicet vel subjectos appetit dignis verberibus cohibere, vel in spiritu mansuetudinis se illis amabilem exhibere : hastile medium non recedit a manu, ut rectitudo utrobique teneatur, eademque tenentis manus unco magis quam aculeo vicinatur. Cum enim pro persona quam gerit, et amari a subditis debeat et timeri, necesse est tamen ut amari amplius appetat quam timeri, et longiuscule remotus ab aculeo feriendi, viciniorem sibi habeat mansuetudinem attrahendi. Sed talem se prælatus non potest foris erga subditos exhibere, nisi primum suis moribus excolendis interiorem studuerit diligentiam adhibere, et de profectu tendens sollicitus in profectum, juvante gratia, eosdem profectus perduxerit ad perfectum.

Cujus rei subtilius et spiritualius mysterium æstimo designari, cum insignitur manus ejus baculo pastorali, in forma cujus mystica vel docetur, vel doctus cogitur reminisci quo studio, quo ordine ad perfectum debeat proficisci. Nam cæteris non digne satis invenitur prodesse, nisi prius studuerit sibi ipsi bonus esse, nisi primum a seipso bonitatis texturam ordiatur, qua vestiturus cæteros ipse primus et præcipuus vestiatur. Unde Scriptura divina : « Qui sibi, » ait, « nequam, cui bonus (*Eccli.* IV). » In virga igitur pastorali pastor mysterialiter admonetur qualis esse debeat, qui ad pastoris excellentiam promovetur, ut si eum convenire sermo vocalis hominum vel non vacet, vel forte vereatur, eleganti silentio virgæ suæ mysterialis eum species alloquatur. Cujus virgæ, ut dictum est, habet aculeum pars extrema, media vero hastile, uncus autem eminet in suprema :

(40) Hoc habet D. Philippus, non approbans eas epistolas quæ leguntur Senecæ ad Paulum, et Pauli ad Senecam; sed quia in Actis passionis Pauli, manu Lini consignatis, legitur institutorem imperatoris fuisse Paulo intima amicitia copulatum, referente Baronio ad annum Christi 66.

et sic ejus forma triplex triplicem videtur profectum designare, ad quem ex decreto divinæ legis pastor spiritalis jubetur aspirare. Denique funiculus triplex, juxta Ecclesiasten (*cap.* IV), difficile rumpitur, quia triplex hic profectus tam tenaci connectitur loramento, ut, aut vix, aut nullatenus disrumpatur impulsu violento. Per aculeum, hujus virgæ castigatio designatur, quia terrenarum colluvies voluptatum rationis imperio subjugatur, cum scilicet membra sua prælatus mortificat, quæ super terram vivere perhibentur, quandiu male dedita libertati, lege spiritus non tenentur. De quibus Apostolus **63** ad Colossenses (*cap.* III) : « Mortificate, inquit, membra vestra quæ sunt super terram : fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam. » Ex his membris vetus homo peccati conficitur, qui pulchre non super cœlum, sed super terram esse asseritur : quia cum qui affectu lubrico in hujusmodi vitia se dimittit, solis data virtutibus cœlestis conversatio non admittit. Debet ergo veterem hominem cum actibus suis, cum hujusmodi membris suis sese prælatus exuere, et ad exuendum, dignam corporis castigationem assumere : ut, cum illud castigatum et redactum ad debitam fuerit servitutem, effectu prospero de virtute proficiat spiritus in virtutem. « Castigo, ait Apostolus, corpus meum, et servituti subjicio, ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar (*I Cor.* IX). » Si enim corpus non disciplinæ aculeo castigatur, profecto ipse qui prædicat, reprobatur ; et cum forte aliis occasione qualibet annuntiat veritatem, ipsum Deus non respicit, cujus vita non aspicit æquitatem. De quo Propheta : « Æquitatem, ait, vidit vultus ejus. (*Psal.* X). » Videt quidem Deus, id est approbat æquitatem, verbosam vero reprobat falsitatem ; et apud quem dignam corporis castigationem intelligit non versari, suas ab illo justitias non curat enarrari. « Quare, inquit, tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ? Tu vero odisti disciplinam (*Psal.* XLIX). » Ne igitur divinus eum sermo tam graviter arguat et accuset, necesse est iterum suam disciplinæ aculeo configere non recuset, id est assumpta castigatione terrenos in se premat affectus, quibus non oppressis spirituales non evehitur ad profectus. Premit autem terram suam cum ab ejus voluptatibus diligit abstinere, vigilias, abstinentiam, jejunia sustinere : cum recordatione vel excessus præteriti vel futuri judicii frequenter lacrymatur, et in his quæ Dei sunt convenienter assiduus occupatur.

His quippe et hujusmodi studiis insolens spiritus emarcescit, qui carnali deditus voluptati contumaciter insolescit : ipsa etiam carnis concupiscentia defetiscit, vel contra spiritum inefficaciter concupiscit. Cum vero caro digne fuerit castigata, et sicut Deo spiritus, sic illa spiritui subjugata : ex ea castigatione consequenter castitas orietur, vel potius orta longanimis et indeficiens producetur. Sicut enim de prædicto materiali aculeo surgit virga quæ gracili longitudine decoratur, sic ex refrenatione voluptatum carnalium decora castitas generatur, quæ ideo gracilis dici potest, quia flagrantibus desideriis expetita, abstinentia, jejunio, vigiliis et laboribus acquisita : multa denique frequentia precum usuque planius expolita. Nimirum virga materialis ad unguem nullatenus expolitur, quandiu vernis floribus vel ingenitis frondibus redimitur, vel succosa teneritudine nativi corticis operitur ; sed cum nudata fuerit fronde, flore, cortice, surculis amputatis, politur candor ejus præferens typum castitatis. Talis virgula manui pastoris inseritur, cum ei regendarum animarum cura committitur, quæ abraso cortice nullum offendiculum dat tenenti, et polito candore mysterium insinuat intuenti. Nam et caro quæ bysso, purpura, serico delinitur, quæ laboris impatiens fomentis delicatoribus enutritur, quæ terrenis immersa naturales concupiscentias non refrenat, nec se a blandimentis carnalibus et noxiis alienat, profecto aut vix aut nunquam obtinere prævalet candorem debitæ castitatis, quem exigit magnopere pastoralis excellentia dignitatis. Et hanc castitatem eadem pastoralis excellentia præcipitur sic amplecti, ut ab ea possit non solum non excidere, sed etiam non deflecti, et hanc fortitudinem honestet munditiæ pulchritudo, et eamdem munditiam versa vice muniat inflexibilis fortitudo. Ideo et virga mysterialis non solum abraso cortice candida vel polita, per quod signatur castitas multo labore et studio pulsis illecebris carnalibus acquisita : sed longa quoque et inflexibilis invenitur, quia ad perfectum castitatis nonnisi inflexibili longitudine pervenitur. Quod illa inflexibilis est, castitatis signatur fortitudo ; quod longiuscula, signatur indefessa perseverantiæ longitudo, ut juxta Ecclesiasten « Omni tempore tua sint candida vestimenta (*Eccle.* IX), » nec audias hostium irruentium monita fraudulenta. « Incurvare, inquiunt per Isaiam (*cap.* LI), ut transeamus. » Quandiu stat recta castitatis et munditiæ fortitudo, per eam transire non prævalet quantavis hostium multitudo ; sed si illa blandimentis eversa carnalibus enerviter incurvatur, ista per eam transiens adepta victoria gloriatur.

Omni ergo tempore sint pastoris candida vestimenta, ut nulla unquam recipiat insidiantium hostium blandimenta ; qui si forte tentaverint inferre lenocinium immundæ pravitatis, ille resistat eis perseveranti fortitudine castitatis. Cujusmodi castitatem qua pastores ecclesiastici decorantur, et contra hostium tentamenta forti perseverantia roborantur, in Canticis canticorum angelicæ virtutes admirantur, et mirantes quæ, vel quanta sit, non immerito sciscitantur. « Quæ est ista, inquiunt, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris : et universi pulveris pigmentarii ? (*Cant.* III.) »

Virgulæ nomine non incongrue **64** castitas designatur, quæ cœlestis disciplinæ polita rasorio, jejuniis, et abstinentia tenuatur, ut gravi procul

reumate libidinis ablegato, ascendat ad cœlestia passu nulla gravedine retardato. « Quæ est ista, inquiunt, quæ ascendit sicut virgula fumi? » (*Cant.* III). Et bene, fumi, quia fumus in inferioribus ortum habens ad superiora progreditur; et longe lateque suum fundit vel odorem si bonus est, vel fetorem si malus est. Est enim fumus malus cujus ignis comburit, non illuminat: cujus fetor corrumpit et attaminat; qui procedens de profunda fornace vitiorum offocat fauces, nares obturat, excæcat oculos iniquorum. Cujusmodi fumus processisse legitur de incendio Sodomorum, cum vindictam Deus expeteret de iniquis moribus perditorum, qui eversi corporeæ lubrico voluptatis longe transgressi fuerant legitimæ terminos castitatis. « Intuitus est, inquit Abraham, Sodomam et Gomorrham, et universam terram regionis illius: viditque ascendentem favillam de terra quasi fornacis fumum (*Gen.* XIX). » Hujusmodi fumus et in Apocalypsi de puteo abyssi legitur ascendisse, et obscuritate sua solem et aerem corrupisse, cum multo inconvenientius vel talem fumum puteus non haberet, vel saltem intra suas eum angustias retineret. « Aperuit, inquit, puteum abyssi, et ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ: et obscuratus est sol et aer de fumo putei (*Apoc.* IX). » Puteus abyssi vel fornax magna, ipsa est exusta profunditas conscientiæ peccatricis quam excitat et succendit « favus ille distillans, ut scriptum est, de labiis meretricis (*Prov.* V), » cum scilicet miser animo voluptatis corporeæ suggestionibus exardescit, et prorumpens in opera, non Deum, non hominem pertimescit. Fumus autem putei aut fornacis ipsa est fama, imo infamia tenebrosa, qua solis et aeris obscuratur species luminosa, dum non solummodo ipsum qui præest sui manifestatio sceleris inhonorat, sed et subjectos sibi, diffuso vel exempli vel meriti contagio, decolorat.

Sol quippe si defæcato radio sui luminis illucescat, ab eo lumen aer accipit ut diescat; si vero nubiloso velamine illius facies obtegatur, aer procul dubio nocturna caligine tenebratur. Sic et prælati tam vita quam doctrina si digno radiaverit lumine sanctitatis, subjectus populus opportuno perfunditur munere claritatis; si autem ille fumo turpitudinis denigrescit, et iste consequenter interpolatione vel ingrata, vel forte placita tenebrescit. Ne igitur fumi hujus illa esse in Canticis virgula putaretur, quæ profectu mirifico, de deserto ascendere perhibetur, cum dixissent admirantes: « Quæ est ista quæ ascendit de deserto sicut virgula fumi (*Cant.* III)? » adjunxerunt cujusmodi fumi: « Fumi, aiunt, ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii (*ibid.*). » Bonus fumus qui ex aromatibus procedit, ex aromatibus, inquam, myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii. Myrrha mortuorum corpora condiuntur hujusque beneficio condimenti nulla putredine corrumpuntur; et ideo per illam non incongrue carnis castigatio designatur, merito cujus ipsa caro ab æterna damnationis putredine conservatur. A Caro enim quæ in præsenti non consentit humiliato spiritui condolere, dolorem æternum compellitur sustinere, quæ autem mœrens affligente pœnitentia contabescit, exsiccatis vitiorum noxiis humoribus postmodum pœnaliter non putrescit. Thus vero in sacrificiis divinis offerebatur, cum post excessus varios Deus necessario placabatur, cum devotus sacerdos sese altari præsentabat, et tam pro se quam pro populo preces Deo suppliciter allegabat (*Levit.* II).

Quocirca per thus, orationis devotio convenienter accipitur, quæ de cordis arcano sicut incensum in conspectu divino dirigitur: orans Deum ut conferat necessariæ gratiam castitatis, et collatam conservet suæ beneficio largitatis. « Ut scivi, ait quidam sapiens, quod aliter non possum esse continens nisi B Deus det; adii Dominum, et deprecatus sum (*Sap.* VIII). » Universus pulvis pigmentarii, variarum virtutum collectio est, quæ in mortariolo disciplinæ sedulitate bene viventis colligitur et attritione carnis et spiritus in subtilitatem redigitur: et quo districtius caro et spiritus atteruntur, et subtiliori virtutum pulvere perfunduntur. Ex hujusmodi autem myrrha, thure, pulvere pigmentarii pretiosum aroma conficitur, unde pedes Jesu vel forte caput ipsius perungitur; impleturque illud Evangelii: « Domus repleta est ex odore unguenti (*Joan.* XII). » Odor iste quo domus repleri dicitur, fama est et opinio castitatis, quæ domum, id est Ecclesiam, replet suæ radio claritatis, cum non solum apud se digna fortitudine castitas invalescit, sed ejus etiam fortitudo C longe lateque omnibus innotescit. De quo Paulus: « Christi, ait, bonus odor sumus in omni loco (*II Cor.* II). » Et Isaac patriarcha: « Ecce, inquit, odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus (*Gen.* II). » Quod autem Paulus vel Isaac odorem nominat, hoc Scriptura in Canticis fumum appellat: « Quæ est ista, inquiens, quæ ascendit sicut virgula fumi? (*Cant.* III.) » Virgula fumi castitas est boni odoris, bonæ opinionis, bonæ famæ, quæ castitas, vel cujus odor et fumus castitatis, ascendit et provehitur in conspectu divinæ majestatis, certumque est ipsam castitatem Deo nequaquam displicere, cum et ejus fumus, id est opinio, inveniatur **65** non mediocriter complacere. De quali fumo D Joannes in Apocalypsi: « Ascendit, inquit, fumus incensorum de manu Angeli coram Deo (*Apoc.* VIII). » Angelus in Scripturis nonnunquam sacerdos accipitur, quia Dei nuntius in terra sacerdos efficitur, dum missus ad homines divinam eis annuntiat voluntatem, et tam verbo quam exemplo tenendam eis prædicat veritatem. Unde Malachias propheta (*cap.* II): « Labia, inquit, sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. Quod si Angelus, propheta perhibente, sacerdos debet dici, cui testimonio digna refragatione non potest, contradici, quanto magis ille, qui honore prælationis præ cæteris sacerdotibus insignitur, cujus doctrinæ et imperio a cæteris sacerdotibus disposi-

tione divini ordinis obeditur; per cujus ministerium sacerdotes alii consecrantur, benedicitur chrisma, quo nati sub peccato ad justitiam renascuntur? Cujusmodi Angelum profecto angelica decet vita munditiæ privilegio dignis virtutum meritis insignita, ne si ab illo qui eum fecit Angelum, vivendo perversius avertatur, more illius prioris apostatæ, de Angelo in Satanam convertatur. De manu autem Angeli secundum Apocalypsin fumus incensorum ascendit coram Deo, cum devota conversatio sacerdotis et fama ejus commendabilis placet Deo, cum devotionis ejus circumquaque bona opinio divulgatur, et non tam prædicatio quam laudata conversatio ad bene vivendum cæteros exhortatur. Hujus fumi virgulam angelicæ virtutes, ut dictum est, in Canticis admirantur, et de ejus ascensu, id est profectu, mirantes gratulantur, cum sacerdos insignitus pastoralis infula dignitatis, intus corde, foris manu tenet inflexibilem rigorem castitatis.

Sed quoniam nulla virtus obtinet meritum perfectæ sanctitatis, nisi fortius protegatur adjunctæ supereminentia charitatis, recte virgæ pastorali, quæ, ut dictum est, designat castitatem, uncus superponitur figurans charitatem. « Adhuc supereminentiorem viam, ait Apostolus, vobis demonstro : « Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest (*I Cor.* XII). » Multa quidem carnis castigatio etiam apud ethnicos invenitur, et eorum conversatio rigore castitatis nonnunquam inflexibiliter insignitur; sed quia de virtute castitatis, charitatis non proficiunt in virtutem, eadem ipsa castitas illis non sufficit ad salutem. Pulchre igitur virgæ pastorali superponitur uncus ille qui eidem virgæ cohærens aliquantisper in altum protenditur, et inflexus capite arcuato in seipsum ita revolvitur, ut cum incurvatione sui deorsum ejus summitas adducatur, facto gyro sursum versus iterum eadem reducatur. Hæc est illa charitas quæ diligens profecto diligitur, quæ Deum sibi attrahit, et a Deo sursum retrahitur, per quam sibi castitas superiorem Deum inclinat et adducit, et eam adducentem Deus ad se elevat et reducit. Unde et ipse ait : « Ego diligentes me diligo (*Prov.* VIII); » hoc est ego attrahentes me attraho. Et per Jeremiam (*cap.* XXXI) : « In charitate, ait, perpetua dilexi te : ideo attraxi te miserans. » Et illa quæ in Canticis diligebat : dilecto suo suppliciter aiebat : « Trahe me post te (*Cant.* I). » Ista dilectio castitatem reddit utilem et honorat, ista quidquid boni agitur ad unguem meliorat, virtutumque cæterarum catalogus non assequitur pulchritudinem debitæ sanctitatis, si non fuerit insignitus hujus diademate claritatis. Unde Scriptura divina : « O quam pulchra est, inquit, casta generatio cum claritate (*Sap.* IV). » Casta generatio recte carnis integritas appellatur, quæ de corporeæ castigationis aculeo tanquam de radice virgula generatur, quæ nimirum tunc pulchra est, et pulchra veraciter affirmatur, cum suæ claritatis, id est debitæ charitatis velut diademate coronatur. Ista charitas cujus uncus ille typus est et figura, claritas est virtutum nullo tempore desitura, quia charitas nunquam excidit apostolica perhibente Scriptura, sed hic habet initium, consummationem in cœlestibus habitura (*Rom.* VIII). Qui ergo pastoralem manu virgam vel baculum vult tenere, qui hujusmodi dignitatem vult inconfusibiliter obtinere, ejusdem virgæ formulam debet diligentius intueri, et ad ejus mysterium non solum intellectu, sed etiam effectu operum promoveri. Membra sua quæ sunt super terram aculeo castiget abstinendi, corpus et animum castificet rigore continendi : Deum sibi alliciat aduncato affectu diligendi. Si vero non tenuerit hujusce regulam sanctitatis, profecto privabitur ipsius merito dignitatis; et juxta supradictum Boetium ipsa eum dignitas indignum ostentabit, et ipse dignitatem juxta Tullium deturpabit. Sicut enim Boetius (41) : « Collata, inquit, improbis dignitas non modo non efficit dignos, sed prodit potius et ostentat indignos; » sic et Tullius de Cæsare loquens : « Dum quosdam, ait, magis ornare voluit, non illos honestavit, sed ornamenta ipsa turpavit. » Quos! utrumque velim ut devites summo studio, summa cura, ne et tu dignitati et ipsa tibi sit dignitas nocitura, et utriusque vestrum irreparabilis sit jactura. Et Ecclesia conqueratur sub tali principe ruitura. Salomon dicit : « Regnantibus impiis ruinæ hominum (*Prov.* XXVIII). » Et infra : « Cum impii sumpserint principatum, gemet populus (*Prov.* XXIX). » Sed quis ego, ut vel arguam vel doceam, vel saltem suggerendo commoneam pastorem ecclesiasticum 66 et doctorem, cum ego ultimum convivii locum, ille cathedram obtineat digniorem : ego latens in angulo nihil aliud debeam quam silere, et sub umbra silentii me docibilem majoribus exhibere?

Cæterum, qui multum diligit, veraciter experitur quia multa dilectio, quid, vel quantum debeat, non metitur, et quoniam judicium impatiens amor nescit, profecto intra metas debitas facile non quiescit. Prorumpens igitur, quod aut nullatenus efficere potest, sperat, et cum multo repellatur obice, tamen improbus perseverat, ejusque affectus a proposito non laxatur, quamvis eum effectus operis non sequatur. Unde si quis præsentem forte legens epistolam indignatur, quod tantillus homuncio tantam excellentiam sic affatur, inde frenum indignationis suæ moderatius, ut existimo, retinebit, quod adversus quem evidenter succenseat non habebit. Cum enim scriptoris nomen non inveniatur scripturæ hujus titulus designare, dubius erit lector cui eam debeat specialius assignare; et revera ab ignorante non potest rationabiliter contradici, quin id quod tibi dico, et alter dicere et alteri possit

(41) Libro II, De consol. Philosophiæ, prosa 6.

dici. Si autem vel quolibet alio revelante, vel meipso forsitan non negante id tibi veraciter esse dictum intelligis, et intellectum diligis, quæso, ut quamvis more divitum pluribus occuperis, tamen cum aliquando fueris vacuus id non solum legere, sed et relegere non graveris, quia lectio parum vel nihil prodest prima statim facie fastidita, prodest autem plurimum si placuerit decies repetita. Sed jam forte verbosus tibi videor exstitisse, et epistolæ propositum in libelli magnitudinem convertisse, cum epistola gratam exigat brevitatem, iste vero jam libellus prolixam obtineat granditatem. Super quo etiam mihi, ut existimo, venia debet dari, quia scatebat animus paulo diutius tecum fabulari; et cum tuæ præsentiæ mihi copia non daretur, elegi ut vel absenti mea parvitas liberius loqueretur. Cui locutioni hoc ultimo versiculo calcem ponam, tibique occupato productiorem legendi sarcinam non imponam : Paratus Deo quantum potero gratias exhibere, si tuæ majestati mereatur hæc allocutio complacere. Vale (42).

EPISTOLA XIV.

PHILIPPI AD RADULPHUM.

Præclare e multiplici morte et martyrio philosophatur.

Nonnullorum est ut cum loqui non noverint, tacere non valeant. Cujusmodi stultitiam alii perhorrentes, plerumque in illius cantoris Tygellii pertinacem vergunt duritiam, qui nunquam inducebat animum cantare rogatus, injussus cantabat (42'). Sic juxta poetam in vitium ducit culpæ fuga; et ab utroque lapsu nisi prudens et fortis animus non declinat, et felix ille qui ad neutrum se inclinat. Cum ego aliquando apud te et postmodum tu apud me hospitareris, rogasti, et jure hospitalitatis exegisti, ut de quovis martyre vel de martyribus tibi aliquid scriberem, tanquam et ipse non legeris agonem illorum plenum laboribus et sudore, et coronam triumphalem gloria præditam et honore. Quod cum prima facie recusarem, et me utpote neque sciolum, neque ad hoc vacuum excusarem : tu pertinaciter multiplicatis precibus institisti, et, ut tandem loquendo ostendar insipiens, precum instantia coegisti. Unde si quid dixero quod dignum vel utile debeat judicari, non labori meo, sed tuis arbitror meritis assignari. Si autem desiderio tuo inventus fuero insufficiens, non mireris, et sperans forte grandia, invenire minima non graveris : sed ut volenti nec valenti veniam discas dare, illud poeticum tanquam propheticum memorare.

Quodque parum norit nemo docere potest (43).

De martyribus loquturus, nil in præsenti aptius mihi videor invenire, quod exordio hujus opusculi possit vel debeat convenire, quam quod Joanni vox divina cœlitus nuntiavit, et, ne forte excideret, mandari scripto diligentius imperavit : « Scribe, ait, Beati mortui qui in Domino moriuntur (*Apoc.* xiv). » In quo dicto etsi solos martyres non attendit, eos tamen procul dubio comprehendit; et sic de illis principaliter est loquendum, ut tamen non de cæteris penitus sit tacendum. « Beati, ait, mortui qui in Domino moriuntur. » Mortuorum alii beati; alii non beati, beatorum vero alii martyres; alii, ut quidam aiunt, non martyres. Martyr verbum Græcum est, et latino eloquio *testis* interpretatur, et cum eum qui martyr est testem posset usus loquentium appellare, verbum tamen Græcum latinitas maluit frequentare, ut eo verbo testis ille **67** proprie designetur, qui Deo testimonium perhibens, pati mortem in ipso testimonio et propter ipsum testimonium non veretur. Testis est qui aliquid attestatur cujus testimonio verum esse quod verum est, vel falsum esse quod falsum est, affirmatur; et tamen non omnis, qui hoc agit, martyr inter ecclesiasticos appellatur, sed tantum qui propter Deum id facere, et inter faciendum, illatam mortem perpeti comprobatur.

Nemo enim perfectius, nemo evidentius cognoscitur veritati testimonium perhibere, quam qui in perhibendo, mortem cogitur sustinere, dum præsente illa, jam falsa existimatio seductæ conscientiæ non blanditur, sed in secreto cordis ipsa rei veritas invenitur, et martyr veraciter quantum velit quantum valeat experitur. Aliquando quippe qui, afflatus superna gratia Deo satis devote famulatur, et in ejus servitio se fortem esse et stabilem arbitratur, agit magna, majora spondet, propositi satis promptulus exsecutor, sed quandiu pax arridet, nec adhuc imminet persecutor. Si vero turbata serenitate velut a regione deserti intonet ventus furens, si fulgurans ignis desæviat, non illuminans, sed comburens : si secet, si urat, si ad mortem perurgeat malitia persequentis, non resistit, non obsistit mens invalida patientis, sed pressa et oppressa quodam carnis amore, et mollitie naturali victa, cedit et recedit non juvante gratia spiritali. Quos igitur scrutator cordium Deus sic intelligit infirmari, et tamen sua, quæ multa est, gratia vult salvari : eos non sustinet premi gravius a tortore, donec reddat fortiores donatos gratia largiore. Legisti (*Joan.* xiii) quia Petrus æstimavit et spopondit fortem et stabilem se futurum, et pro Magistro suo suam animam positurum, nec eum ullo pacto, etsi mori oporteat, negaturum; et tamen imminente persecutore, non est quod promiserat exsecutus, sicut Magister, qui melius eum novit, fuerat præloquutus. Affirmante autem Petro : Similiter, ait evangelista (*Matth.* xxvi), et omnes discipuli dixerunt, et tam de illo quam de illis, relicto, inquit, eo, omnes fugerunt (*ibid.*). » Quos Magister benignus, quoniam ad sufferendam pro eo mortem adhuc in-

(42) Eemdem Philippum hujus doctissimæ epistolæ auctorem esse, qui est et præcedentium, stylus et eruditio manifeste loquuntur. Quod attestor, qui eas attente legi, Franciscus Silvius S. Th. D. et prof. Duaci, 27 Sept. 1617.

(42') Horat., l. I, Sermonum, satyra 3, vers. 1.

(43) Ovid., lib. II Tristium.

validos pervidebat, et tamen eos salvare sua gratia disponebat; eis persecutor, etsi timoris colaphum, tamen mortis malleum non incussit, quia illius impetum iste voce potentissima repercussit. « Quem quæritis, inquit? At illi: Jesum Nazarenum; Et ille: Si me quæritis, sinite hos abire, ut impleretur sermo quem dixit: Quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam (*Joan.* XVIII). » Vult secretorum conscius Magister, secum discipulos non teneri, non ad mortem subeundam ingravescente malitia perurgeri, ne si tempore immaturo, mortis instantia deprimantur, quia nondum pro Domino, consequenter nec in Domino moriantur.

Quod si in Domino non essent mortui: non essent beati mortui. Nondum quippe illos divina gratia ad hoc roboraverat beneficio pleniori, ut constantes spiritu, propter Christi testimonium vellent mori: et ideo si negantes et refugæ manu persequentium interirent, non salvari mererentur procul dubio sed perirent. Ut igitur sermo quem de illis non perdendis dixerat, impleretur, refrenato persecutore, illorum quispiam non tenetur: sed pro salvandis illis prior elegit ipse mori, ut postmodum facti fortes idem referant Salvatori. Post mortem enim ejus tanta illi spiritus gratia sunt donati, ut ante reges et præsides perhiberent testimonium veritati: et pro tuenda illa, non solum quævis discrimina jam sufferrent, sed et mente inconcussa mortem inferentibus se offerrent. Multis itaque et variis passionibus sunt affecti, et ut Magistro expressius responderent, pro eo ad ultimum interfecti: et quia non morte propria, sed violentia malignantium interempti, nullo jam dubitante testes vere, id est martyres, sunt inventi. In quo martyrio, voluntati persequentium, non viribus corporeis, sed virtute spiritus restiterunt, et indeflexa mente usque ad effundendum sanguinem perstiterunt: quo effuso non victi, sed victores novo genere judicantur, et merito victoriæ, honore et gloria coronantur. Nimirum ab antiquo, si bellum inter adversarios temporaliter ineatur, qui superstes hostem occiderit, victor sine dubio prædicatur: et manus occisoris palma viridi venustatur, caput vero corona aurea distincta gemmulis onustatur. E contra, in martyrio, qui carnem spiritui, futuris præsentia non proponit; qui, minas minis, verberibus verbera non reponit; qui occurrente gladio, devotam patientiam anteponit; qui urgente adversario, tandem animam suam ponit: iste victor judicio sane sapientium invenitur, et non palma, non lauro, non gemmis, non auro, sed æternæ gloriæ præmiis insignitur.

Quod ergo legis super caput martyris, vel Christi vel alterius poni coronam, vel auream, vel de lapide pretioso, non de terrena materia, quam stercori Paulus comparat odioso, sed de retributione dictum est, quæ perfecta et integra et desideranda super aurum et lapidem avari judicio pretiosum, principale mentis ejus reddit passionis merito gloriosum. Habes de Christo: « Videmus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum (*Hebr.* II). » Et de Martyribus: « Beati, ait, qui persecutionem patiuntur propter justitiam (*Matth.* V). » Quod licet de omnibus quos in Christo vivere constat, possit intelligi juxta illud **68** Apostoli: « Omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patiuntur (*II Tim.* III); » tamen apostolis specialiter loquebatur, quos ad patiendum propter justitiam hortabatur: et ut seipsum eis possit exemplum efficacius exhibere, sicut pro eis, sic etiam coram eis illatam mortem voluit sustinere. At illi verbo hujus et exemplo evidentius informati, et interna spiritus gratia postmodum abundantius roborati: omnes martyrium sunt perpessi sicut diversis locis et temporibus superna eis providentia præparavit, illo tantum excepto, quem ab eis maligna proditio separavit. Quamvis et ille ductus pœnitentia sibi perditus intulisset et mortem gravem, mortem nefariam pertulisset; sed quia Christi amorem et testimonium non attendit, cum exosus vitæ hujus præsentiam laqueo se suspendit; non martyrium pertulisse, sed homicidium perpetrasse creditur sceleratum, et reus mortis Christi, sui quoque, quod est nequius, incidit in reatum. Unde constat verum esse quod aiunt, quia martyrem non pœna facit sed causa; quia videlicet martyr non est omnis quem petivit gravis occasio, sed cujus passionem sana commendat intentio (44): qui sibi ullo modo inferre mortem ultimam non præsumit, sed illatam ab alio, tanquam levatis in cœlum manibus sic assumit, ut tota sit ejus intentio ei solummodo complacere, quem novit martyribus salutari gratia præsidere. De qualibus Joannes: « Vidi, ait, sub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei et testimonium quod habebant (*Apoc.* VI). » Non omnes igitur interfecti, sed propter Dei verbum et testimonium interfecti, martyrio vel martyrii præmio coronantur, et beati, quia sic in Domino mortui, prædicantur. Ad quam beatitudinem Christus, ut dictum est, discipulos invitabat, cum beatos eos qui patiuntur propter justitiam affirmabat: eosdem sciens et accepta majore gratia persecutiones æquanimiter perpessuros, et merito patientiæ ad promissæ beatitudinis gloriam perventuros. Ex his enim quos ad salvandum ei Pater dederat quempiam non amisit; quia occidi eos immaturo tempore non permisit: et nequam ille proditor non ei procul dubio datus erat, quod etsi primo latuit, rei exitus evidentius asseverat.

Cæterum eos quos novit sibi datos, sua gratia conservavit, quibus tamen amarum calicem quem prior ipse biberat, postmodum propinavit: cum scilicet ad bibendum eos processu temporis fortes vidit, quibus sicut martyrium, sic et martyrii præmium non invidit. Solus Joannes, quem præ cæteris Christus creditur dilexisse, in pacis gremio animam dicitur reddidisse, et cum omnes reliqui manum per-

(44) Augustinus in serm. de SS. Gervasio et Protasio.

tulerint occidentis, hic descendens in tumulum, instar obiit dormientis. Quod factum arbitror, non ut tanquam infirmiori Deus parcens et miserans provideret, vel tanquam minus grato majoris præmii gloriam invideret : sed in hujus quieto fine quietem contemplantium voluit præsignari, quæ morte non lædilur, sed felice velut somno gaudet suavius consummari. Quam nimirum Christus recte præ cæteris diligere perhibetur, quia minus diligit quidquid manere diutius prohibetur : prohibetur autem manere justi labor et afflictio temporalis, manet vero et permanet mentis quies et contemplatio spiritalis. Alioquin non est credendum quod Joannes pro Christo vel noluerit, vel non valuerit mortem pati, et insufficiens fuerit perhibere, non tam verbo quam facto testimonium veritati, quia etsi tento Christo relicta sindone nudus fugit (*Marc.* XIV) (45), tamen post acceptum in linguis igneis Spiritum (*Act.* II), nunquam minas persequentium subterfugit; sed prompta voluntate oblatus pertulit cruciatus, festinans ad martyrium tanquam ad epulas invitatus. Unde habes : « Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* V). » Gavisus est quippe Joannes cum in facie principum verbum Dei cum fiducia loqueretur (*Act.* IV), cum pro eo tam verba dura, quam duriora verbera paterelur, cum ea quæ de Christo audierat et viderat, jam non poterat silentio præterire, Deo magis quam hominibus eligens obedire (*I Joan.* I). Gavisus est cum in ferventis olei dolium mitteretur, cum in Pathmos insula exsulandi gratia teneretur ; cum denique nulla ei passio ad futuram gloriam condigna videretur, et ei mors quam vita longe pretiosior haberetur. Unde colligitur Joannem quoque a martyrio nequaquam relaxari, vexatum et afflictum martyrii præmio non fraudari ; qui, etsi diem ultimam igne vel gladio non finivit, tamen eum multa et varia tribulatio sic attrivit, ut omnibus pie attendentibus vera sit certitudo, quod ei ad complendum martyrium, nec fortis patientia, nec defuerit patiens fortitudo. Quem autem divina æquitas reddidit sic affectum, et de virtute provehens in virtutem deduxit ad perfectum ; licet manu persequentis non noverimus interfectum, tamen ejus promptam voluntatem convertit in effectum ; et in secreto suæ scientiæ quod humano intellectui videtur inaccessum, nisi forte cum adjutus gratia, mentis rapitur in excessum ; illum virtutis merito suum martyrem novit esse, et sicut Apostolis sic dedit et martyribus interesse. Quod in Evangelio (*Matth.* XX) ipse Christus visus est intimare, cum Jacobum et Joannem habentes zelum, sed non adhuc secundum scientiam, voluit informare, ut ejus magisterio fratres prudentius 69 eruditi, ad promerendum quod optabant redderentur efficacius expediti. Petentibus enim illis ut concederentur in regno ejus, unus ad dexteram, ad sinistram alius residere, forte ut sic viderentur velut præcipui cæteris præsidere ; ille statim quod postulatus fuerat non spopondit, sed imperitam juvenum retundens superbiam sic respondit : « Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? At illi : Possumus (*Matth.* XX). » Nulli dubium quin calicis nomine signet poculum passionis, quo potari sustinuit ad tergendas nostræ maculas luvionis ; quod etsi nostra in eo visa est infirmitas abhorrere, tamen inventus est promptus ei spiritus adgaudere. De quo in Evangelio : « Pater, inquit, si possibile est, transeat a me calix iste (*Matth.* XXVI). » Et iterum : « Pater, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua : Spiritus, ait, promptus est, caro autem infirma (*Marc.* XIV). »

Istum calicem passionis, tam Joannes quam Jacobus se posse bibere responderunt, et cum Petro voce prompta postmodum spoponderunt; eosque in præsenti Christus evidenter non arguit ut mentitos, sed a præsumptione revocans doctor bonus erudit imperitos. « Nescitis, ait, quid petatis. Sedere ad dexteram, vel ad sinistram meam in regno meo non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo (*Matth.* XX). » Ad obtinendum quod postulant adhuc eos idoneos non attendit, et ideo præposteros juvenum impetus reprehendit, qui antea de percipiendo præmio certam volunt fiduciam sibi dari, quam ad illud digna lima et labore studeant præparari, cum illa regni sessio non admittat temere præsumentes, sed afflicto corpore et humiliato spiritu promerentes, de quo promerendo cum responderent : « Possumus, » Christus futuri cognitor non negavit, sed illos bibituros, eum de quo sermo est calicem, affirmavit ; et sicut a bibendo non Jacobum, quem Herodis gladio legimus occidisse (*Act.* XII), sic nec Joannem exclusit, quem in pacis gremio diximus obdormisse. « Calicem, inquit, meum bibetis (*Matth.* XX). » Non dixit : Calicem meum bibes, ut alterum eorum intelligere nos moneret, et recepto Jacobo Joannem a bibendo calice removeret ; sed : « Bibetis, » inquit, ut pariter Joannem et Jacobum ostenderet bibituros, et pro Christi nomine passionis amaritudinem perpessuros. Quem etsi constat in hoc illis asserentibus consentire, tamen si advertas, videtur in aliquo dissentire : cum illi quando promerentur infirmitatis onere necdum possent, iste autem perfectius noverit quantum possent. Cum igitur voce prompta et corde justo amplius præsidenti responderent illi fratres, possumus, de præsenti : Christus subintulit : « Calicem quidem meum bibetis, » asserens hoc futurum, et neutrum fratrem modo posse bibere, sed potius bibiturum. Neque enim dixit : Calicem quidem meum potestis bibere, quod eorum posse æstimatio præsidebat, sed : « Bibetis, » ait, quod melius ejus scientia prævidebat, quia nondum ad bibendum illis fortitudo conveniens præsto erat,

(45) Similia habet et alias. Quidam negant ipsum adolescentem de quo Marcus c. XIV, v. 51, fuisse Joannem, attamen S. Gregorius l. XIV Moral., c. 23 l. VI. Expos. l. I. Regum, c. 2 ; Chrysologus sermone 78, cum Beda in Marcum, opinantur fuisse Joannem evangelistam.

quam futuram potius ipse auctor hujus muneris asseverat.

Constat ergo illos calicem passionis bibisse, et quod nondum poterant, processu temporis potuisse; quem, etsi quando vel quomodo Joannes biberit nos nescimus, cui a persecutore inferri mortem ultimam non audimus; ille tamen cujus non verbum, non scientia fallitur, veraciter deprehendit, adversus cujus testimonium, quisquis invenitur recte sapere, non contendit. Sic et Mariam Virginem martyrem esse dicit, qui non contentiose auctoritati Evangelicæ contradicit, cum prædicta et scripta sit illa sententia Simeonis, quod illius animam pertransiret gladius passionis : « Et tuam, inquit, ipsius animam pertransibit gladius (*Luc.* II). »

Si martyr est cujus carnem transit gladius corporalis, quis neget esse martyrem cujus animum vexat et quasi exanimat tribulatio temporalis, cum multo sit acerbior passio, qua vexatur animus naturaliter immortalis, illa, quam sustinet caro cito deficiens et mortalis? Plerique etenim tam inconsolabiliter contristantur, tanto dolore, tanta miseria cruciantur, ut cum suo cruciatui non possint remedium adhibere, magis diligant mortem carnis, quam præsentem angariam sustinere.

Cum Maria videret suum et Deum et filium injuste judicari, opprobriis, irrisionibus, sputis, colaphis flagellari, manus et pedes clavis, latus lancea perforari, extensum in patibulo morte turpissima condemnari, quis penset mater affectuosa quantam in animo tulerit læsionem, quo affectu ad cor suum retulerit filii passionem? Adeo inventa est mater pro filio doluisse, ut quod in carne filius, credenda sit mater in animo pertulisse, eique non clavorum, sed dolorum spicula sunt infixa, et ipsa cum filio vivens cum mortuo crucifixa. Existimo quia cum in conspectu matris filius in patibulo moreretur, si eidem matri optio donaretur : mallet cito moritura corpore crucifigi, quam victura diutius in animo sic affligi. Quis ergo dubitet eam martyrem exstitisse, quam sic invenitur dolor intimus afflixisse, quam secuit et pertransiit tribulatio districtior omni serra vel gladio bis acuto, filio moriente, et ab omni velut ope miserabiliter destituto? Quod attendens Simeon : « Tuam, inquit, ipsius animam pertransibit gladius. »

Ille etiam qui per Spiritum sanctum missæ canonem ordinavit, et Mariam et 70 Joannem esse martyres latenter affirmavit, dum in Catalogo sanctorum, ubi non nisi martyres, memoravit, et Mariam præ cæteris, et cum cæteris Joannem nominavit. Denique tuus ille Gregorius cum de matre septem fratrum devote et memoriter loqueretur, quæ filios invitasse inter manus persecutorum ad constantiam fidei perhibetur : quia mortes omnium sola in animo toleravit, eam, sicut nosti, plusquam martyrem appellavit. Unde constat quia non solum illi recte martyres existimantur, qui manu occisoris diem ultimum claudere comprobantur, sed qui amore justitiæ temporaliter tribulantur, parati magis mori quam a recto proposito deflectantur. Quos paratos quia omnes solus scrutator cordium Deus novit, eorum autem plures noster caligantium oculus non cognovit : eos præcipue, eos quasi proprie martyres appellamus, quos non solum mortuos in Domino, sed occisos pro Domino nequaquam dubitamus : a quorum tamen tam numero, quam merito, non Mariam, non Joannem quisquam recte sapiens separavit, quos pertulisse martyrium non tam vulgaris assertio, quam evangelica lectio prædicavit; reliquos autem omnes quos meritorum excellentia novimus coruscare, et præsentem vitam in pacis gremio terminare : quia dignæ confessionis quam ultimæ passionis titulo clariores, consuetudo ecclesiastica discretos a martyribus nominat confessores. Qui enim fixa mente quæ sunt Dei profitetur, Deumque laudabilem quadam vivendi excellentia confitetur : cum tandem in pace Ecclesiæ diem ultimum claudere comperitur, recte confessoris tam nomine quam meritis insignitur. Verumtamen sicut agonem martyris ornat confessio, sic et confessor suo quodam non caret martyrio, dum nullus in hac vita concedit ut meritis clarioribus elucere, qui præsentes molestias vel non vult vel non prævalet sustinere. Ut enim de aliis taceam, nunquid non cuidam martyrio sunt addicti, qui professi vel Augustini canonicam vel monachicam regulam Benedicti : sub pastoris virga et baculo una velut clauduntur officina, et ad nutum imperantis coercentur claustrali disciplina?

Experimento nosti quam dura claustrales in conclavi obedientiæ patiuntur, renuntiantes propriæ voluntati quantis molestiis quatiuntur, qui, etsi non statim violenta manu carnificis occiduntur, tamen quotidie pro Christi nomine moriuntur. In persona quorum Propheta : « Propter te, ait, mortificamur tota die (*Psal.* XLIII). » Et Paulus dicit : « Quotidie morior fratres (*I Cor.* XV). » Hoc attendens cœlestis præco, ut dictum est, non occisos, sed mortuos in Domino beatos prædicavit, in quo nostris claustralibus obtinendæ beatitudinis spem donavit : qui dum sublato carnifice quasi vivere conceduntur, quotidie morte satis misera, sed plane salutifera moriuntur. Quæ mors cum a Domino medicinaliter inferatur, et ab illis æquo animo, juvante gratia, sufferatur : sufferentes laboriosa quidem via ad aliam mortem ducit, quæ laborem jam terminans ad beatitudinem introducit. Est enim non una vel eadem mors justorum, sicut nec una vel eadem injustorum; de quarum ad præsens loqui distantia alienum a proposito non habetur, si tamen tibi æque scienti longum et superfluum non videtur. Cæterum plerique sicut libenter audiunt inaudita, sic nonnunquam reduci gaudent ad memoriam et audita : nec gravat eos frequentius id audire, quod, quia necessarium, memoriter volunt scire. Mors, alio nomine, dici transitus potest. Est enim mors transitus quidam de alio ad aliud : non quod mors omnis de alio transiens ad aliud judicetur, sed quia omnis moriens transire non

incongrue perhibetur. Aliquando quippe sive limen ostii, sive alveum fluminis transimus, et tamen mori non dicimur, ne cum homo in eodem statu nunquam permaneat, sed instar floris egrediens velut umbra lenis pertranseat : in hac vita jam non vivere, sed mori potius asseratur, et vita falso vita, vero autem nomine mors dicatur. Quamvis hoc ipsum satis congrue posse dici nonnullis videatur, ut scilicet homo non hic vivat, sed magis moriatur, dum quidquid temporaliter agit, constet procul dubio pertransire, et transeundo cujusdam mortis exterminio deperire. Cum enim, verbi causa, de sessione ad stationem, de statione ad ambulationem, et sic de otio ad actum, vel de actu ad otium, sive de actu ad actum transimus : superveniente altero alterum jam non est, et quod esse desiit, quodammodo mortuum dicunt esse, cum sit mori nil aliud quam, quod fuerat, jam non esse. Et quoniam quidquid fere hic agitur de esse ad non esse transire comperitur, juxta eorum sententiam, vita præsens plena mille mortibus invenitur, et hoc solum nescit mortem, quod superducto altero non finitur.

Cum ergo tot sint mortes, ut earum sit numerus infinitus, earum tamen, quæ beatos faciunt, est finitus : et, ut video, invenies quasdam mortes velut præcipuas in Scripturis, quarum salvandis alia, alia competit perituris. Sunt enim quatuor, quas Scriptura recto nomine mortes dicit, quibus, si attendas, omnes homines sic addicit, ut nullus a principio in tota succedentium serie valeat inveniri, quem non constet, vel omnes eas, vel earum potius aliquas experiri.

71 Prima mors est transitus ad injustitiam. Quam mortem primo Deus homini terribiliter comminatur, præmonens ne in illam sensu devio collabatur : ne si forte illi primæ animam exposuerit moribundam, malo proficiente in pejus, tandem corruat in secundam. « De ligno, inquit, scientiæ boni et mali ne comedas ; in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris (*Gen.* II). » Quocunque die, inquit, de justitia ad injustitiam, de obedientia ad inobedientiam, de mandato ad vetitum transibis, morte morieris ; morte, inquam, peccati (46) de qua propheta dicit : « Anima quæ peccaverit, ipsa morietur (*Levit.* IV). » Et in Evangelio : « Sine, inquit, mortuos sepelire mortuos suos (*Matth.* VIII). » Mortui qui sepelire suos mortuos permittuntur, non in carne, sed in spiritu moriuntur ; cum scilicet ad vetitum, ad injustitiam transitum facere non verentur, et transitu prohibito, ab eo qui vita est, longe fieri promerentur. Quia vero primus Adam a justitia in injustitiam sic deficit, naturam suam concupiscentiæ carnalis vitio sic infecit, ut ex sua suorumve copula, nullus nisi concupiscentialiter gigneretur, et genitus per peccatum nonnisi peccato mortuo nasceretur. Quod asserens Propheta : « In peccatis, ait, concepit me mater mea (*Psal.* L). » Propter quod abolendum Deus tandem voluit humanari, circumcidi carnem suam, aquæ lavacro baptizari : suo mori sanguine, sepultus suscitari, ut potenti sacramento mundo remedium largiretur, et lex justa sed noxia, justiore misericordia solveretur : non tamen ut nascentibus mors ingenita non inesset, sed ut natis et salutari remedio jam renatis deinceps non obesset. Mortem enim quæ ab Adam usque ad Moysen regnaverat habena laxiore, et a Moyse usque ad Christum aliquantulum strictiore ; Christi nativitas, martyrium, et resurrectio sic delevit, et quam ille primus ingesserat, iste potentius abolevit, ut renatos jam illa mors originali vinculo non teneret, et in eis mors secunda juris quidpiam non haberet. Nam qui salutaribus sacramentis semel a peccatorum maculis est ablutus, et a prævaricationis paternæ duris et diuturnis nexibus absolutus, si juvante gratia non deinceps actualibus vitiis subjugatur, sed victrice manu eis et efficaci fortitudine reluctatur : sicut gaudet, quia prima morte perditorum contrito jam laqueo non tenetur, sic ei gaudendum est, quia secundo altera lædetur. De qua Joannes : « Qui vicerit, ait, non lædetur a morte secunda (*Apoc.* II). » Et infra : « In his, inquit, secunda mors non habet potestatem (*Apoc.* XX). » Qui autem nullo sacramenti remedio a paternis est maculis absolutus, vel post absolutionem præceps est in actualia devolutus ; de prima morte ad quam cum vel sua vel parentum suorum iniquitas impulit subeundam, justo satis ordine transit perditus ad secundam.

Secunda mors est transitus ad pœnam injustitiæ. Sicut transitus ad peccatum, peccatum est, peccatum autem mors est, quo, a Deo qui vita est, anima separatur, et utique a vita separari, mors non immerito judicatur : sic transitus ad pœnam peccati pœna est, pœna vero mors est, cum scilicet longe facta requie qua omnis vita naturaliter delectatur, labore et ærumna miserabiliter cruciatur. Vita enim recte dicitur non vitalis, cui grata requies non efficitur socialis, quæ attrita molestiis tam miserum habet esse ut male existenti melius sit non esse. Quod in illo perdito æterna veritas designavit, quem reum malitiæ pœnis durioribus assignavit. « Melius, inquit, illi erat ut natus non fuisset homo ille (*Marc.* XIV). » Et quidem ethnicus : « Quomodo, inquit, potest esse vita vitalis, quæ non conquiescit ? » Vides quia vitam esse vitalem ethnicus quoque nescit, quæ non intra quietis gremium de-

(46) Non ita sunt hæc intelligenda quasi verbis illis, Gen. II, solam animæ mortem Deus fuerit comminatus. Ex cap. enim V ad Rom. *per peccatum mors*, ut ex VIII, *corpus quidem mortuum*, id est moriendi necessitati subjectum, *propter peccatum* : imo ex ejusdem Domini verbis, Gen. III, *quia comedisti*, etc., *in pulverem reverteris*, certum est hæc verba, *morte morieris*, Gen. II, etiam de vita corporis esse accipienda. Unde Symmac. bene vertit, teste S. Hieron. in Q. Hebr., *Mortalis eris*. Sed Philippus ostendere vult quod ex peccato spiritualis mors animæ sit secuta ; quod vero ex eodem peccato secuta sit mors corporalis tanquam pœna in subsequentibus docet.

litescit, quæ se ad amicalem requiei benevolentiam non inclinat, et in illam caput suum molli velut accubitu non reclinat. Recte ergo mori Scripturarum testimoniis asseruntur, qui peccato exigente ad pœnarum molestias transferuntur, quorum, etsi manere utcunque substantia non desistit, tamen grata in requie, qua vita vitalis efficitur, non consistit.

Earum autem pœnarum, ad quas peccati merito devenitur, alia temporalis et transitoria, alia æterna et indeficiens invenitur, quarum temporalis cunctis in hac vita degentibus lege pari, sed sine dispari pariter assignatur, æterna vero solis perditis reservatur. Quia enim primus homo naturam suam ut prædictum est reus inobedientiæ vitiavit, suos omnes posteros tam inexsecrabiliter obligavit, ut paterno merito generali sententia ferirentur, qua in sudore vultus sui pane suo miseri vescerentur (*Gen.* III); hæc igitur sententia qua sudant et laborant, ita omnium est communis, ut ab ea nec ipse Virginis Filius sit immunis, qui cum natus vel conceptus non fuerit lege omnium in peccatis, lege tamen omnium pœnas pertulit pro peccatis (*Psal.* LXVIII). Solvit enim quæ non debuit, ut debitorum maculis obvolutos, potenti misericordia redderet absolutos, ut quos tenet peccati merito mors pœnalis, temporali purgatos non susciperet æternalis. De qua legisti : « Justorum animæ in manu Dei sunt; et non tanget illos tormentum mortis (*Sap.* III). » Solvit igitur quæ non rapuit, ut læsos morte prima, secunda non penitus absorberet, sed in his quos elegerat utramque Deus misericorditer aboleret : et eductos de morte pessima peccatorum, mori eos felicius 72 morte faceret beatorum.

Habent enim et beati mortes suas. Prima eorum mors est transitus ad justitiam; cum scilicet relicto eo quod vel originaliter contraxerant, vel actualiter commiserant, ad justitiam convertuntur : et ad eum quem peccati merito reliquerant, satisfactione congrua revertuntur. Vivunt enim et male vivunt, quorum urgent et vigilant passiones, quorum proficiunt de malo in pejus actiones, quorum membris lex peccati libere dominatur, et accepto mandato carnalis animus reluctatur. Unde Paulus ad Romanos (cap. VII) : « Cum essemus, inquit, in carne, passiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti » Et cum easdem passiones Colossensibus enarraret, videlicet, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus, subjunxit : « In quibus et vos ambulastis aliquando cum viveretis in illis (*Coloss.* III). »

In his igitur Colossenses aliquando passionibus ambulabant, ambulantes vivere, hoc est proficere, nequiter exsultabant, cum obliti cœlestium, solis transitoriis inhiabant, et ad explendum nequam desiderium, cursu præpeti festinabant. Cum vero iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, et cætera hujusmodi juxta Pauli monita deponentes, veterem hominem exuerunt, calcem vitiis imponentes; non sicut antea perverso proposito jam vixerunt, sed de illo ad aliud, morte prospera transierunt. Quibus idem Paulus : « Si mortui estis, inquit, ab elementis mundi hujus (*Coloss.* II). » Et infra : « Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est (*Coloss.* III). » Felix qui serpentis caput venefica cum forti malleo jam contrivit, cujus interna passio, cujus nequam actio jam non vivit, qui exsecrans eam, quam vel prudens injustitiam appetebat, vel seductus falso justitiam asserebat : ad obsequendum eis nullos ultra exerit appetitus clausus velut tumulo manus et pedes institis compeditus. De quo Dominus : « Lazarus, inquit, amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem eum (*Joan.* II). » Ille, ait, qui mundana fugiens et eis graviter inimicus, sapientibus, quæ Dei sunt, digne pro meritis est amicus : visitante gratia, a peccandi nequam proposito jam desivit, remotusque a tumultu et amore temporalium obdormivit. Sed volo eum a præsenti somno potenti misericordia suscitare, hoc est, auditoribus meis diligentius prædicare : quod hujus somni patiens sit procul dubio surrecturus, hoc est, peccato renuntians vitæ et salutis præmium percepturus. Ad quod respondentes discipuli : « Domine, inquiunt, si dormit, salvus erit (*ibid.*). » Si eum qui desivit curam vigilem perversis operibus impertire, nova loquendi formula doces vel asseris obdormire, quia non est culpæ hujusce dormitio, sed virtutis, habet procul dubio spem salutis. Hunc autem somnum mortem quoque Dominus voluit appellari, quod tamen auditores necdum poterant arbitrari : existimantes dormientem ad vigilandum facilius surrecturum, quam ad vitam eum qui erat mortuus, reversurum. « Dixerat, inquit, Jesus de morte ejus : illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret (*ibid.*). » Quod eum, qui non peccat, Jesus dixerat obdormisse, idem valet ac si eum diceret mortuum exstitisse, quia et somnus in Scripturis mors aliquoties nominatur, et sicut dormire, sic mori dici potest quisquis a vitiis feriatur. Illi autem, qui verba ejus nondum plenius capiebant, id quod erat facilius et verisimilius asserebant, existimantes somno quam morti rectius convenire, si peccatorum clamor concedatur ad requiem devenire. « Tunc ergo, inquit, dixit eis Jesus manifeste, Lazarus mortuus est (*ibid.*). » Ille, ait, quem sermone mystico prius dixeram obdormisse, ut expressius et manifestius loquar, dicitur et obisse, quia recte moritur, cujus viva olim passio jam venit ad defectum, cum ejus vel affectio non movetur, vel non ducitur ad effectum; quem autem divina gratia beneficio visitat pleniori, ut eum felici, de peccato, ad justitiam transitu donet mori : recte ejusdem testimonio Domini Lazarus appellatur, cujus interpretatio acceptum beneficium protestatur. Lazarus enim interpretatur *adjutus*, et quidem illum adjuvat, quem manu potentissima sic occidit,

cujus actus et affectus noxios Deus amputat et recidit : quem remotum a clamore et amore et negotio sæculari, clausum velut tumulo ligat tanquam mortuum nectura salutari : « Lazarus, inquit, mortuus est : sed eamus ad eum (*ibid.*). » Eamus, ut ego et sic mortuo præstem gratiam resurgendi, et vobis intuentibus, post talem obitum spem vivendi, ut attendentes in isto tam vivente quam mortuo meæ beneficium largitatis, et mortem consimilem et vitam non dissimilem appetatis. Quod prudenter intelligens Thomas : « Eamus, inquit, et nos, ut moriamur cum eo. » Eamus, ut morte justorum nostra etiam anima moriatur, ut hujus mortis merito nobis vivere concedatur, quia is qui suis quibuslibet largitate benevola sic dat mori, dabit et vivere cornu pleno, vel magis, pleniori. Quod per Moysen pollicens, ait : « Ego occidam, et ego vivere faciam (*Deut.* XXXII). » Et Anna de illo : « Dominus, inquit, mortificat et vivificat (*I Reg.* II). » Cui facto perversi quilibet nesciunt adgaudere, sed accensi malitia eligunt invidere ; et quo plures audiunt Lazaro similes prædicari, eo 73 majore constat mentis eos inquietudine cruciari. Ad hoc autem inveniuntur, tam processu temporis, quam profectu sceleris devenire, ut etiam in Lazarum cogitent desævire ; et quem pro certo vident tam verbo quam exemplo cæteros prævenire, eum magis persequuntur, et optant præ cæteris interire. « Cogitaverunt, inquit, principes sacerdotum ut Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant et credebant in Jesum (*Joan.* XII). » Nunquid non Paulus quasi Lazarus est, qui velut clausum tumulo cruci asserit se confixum, qui legi mortuus, Deo vivit, in quo mortua vetustate, novitas Christi vivit? Galatis loquens, « Christo, ait, confixus sum cruci (*Galat.* II). » Et infra : « Mihi, ait, mundus crucifixus est, et ego mundo (*Galat.* VI). » Et supra : « Legi mortuus sum ut Deo vivam ; vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus (*Galat.* II). » Per quem Paulum, vel propter quem multi ad portum fidei deducuntur, multi percepta fide, Christum diligunt et sequuntur, dum illius vel sermone vel epistolis tanquam radio sideris perfunduntur, dum vita et exemplo ut carbone vastatorio spiritaliter accenduntur. Quod cum vident et invident maligni principes seniorum, cum tanto profectui nequissimi detrahunt Judæorum : nullum suo livori convenientius remedium arbitrantur, quam si Paulum nullo modo ultra vivere patiantur. « Omni regioni Judeæ et gentibus annuntiabam, ait Paulus, ut converterentur ad Deum vivum ; hac ex causa, Judæi, cum essem in templo, comprehensum tentabant volentes me interficere (*Act.* XXVI). »

Vides quia Paulus cum Judæos convertere vult et gentes, nonnulli Judæorum veneno invidiæ tabescentes, in templo eum, ubi tutior esse debuit, comprehendunt : volentes interficere, cujus vitam sibi contrariam reprehendunt. Qui ab eo qui præsidebat templo nequaquam destitutus, juxta nomen Lazari contra malitiam persequentium est adjutus, dum inter manus horum, voluntati quorum intolerabiliter gravis, constans et intrepidus in proposito perseverat. « Auxilio, inquit, adjutus Dei usque in hodiernum sto (*ibid.*). » Stantem Paulum vel Lazarum quisque invidus tentat occidere, cum a divino cultu minis vel fraudibus studet retrahere, cum ea morum turpitudine qua vitam suam pessimus decolorat, illum sibi reddere similem elaborat. Sed divino adjutus auxilio dolos cassat hostium et terrores, nec ad opera tenebrarum manus exerit promptiores ; sic tam primam quam secundam mortem fugiens perditorum, ut post primam qua lætatur, et secundam lætior appetat beatorum. Denique Lazarus non ad unam tantum mortem corporaliter devenisse, sed post unam, creditur rursus alteram invenisse ; plane signans quemvis justum ditari munere gratiæ tam fecundo, ut primo sancte mortuus, moriatur sanctius et secundo.

Secunda ejus mors est, cum post mortificationem vitæ veteris et exterminium vitiorum, expleto velut cursu transit ad lætitiam præmiorum : cum sopita præsenti molestia vel labore, transit ut obtineat optatam gloriam cum honore. De qua Paulus : « Cupio dissolvi et esse cum Christo (*Philipp.* I). » Quandiu in visibilibus gunfis (47) anima corpori colligatur, et in lucta et agone vanitati subdita conversatur, quandiu præsenti molestia, velut parturiens ingemiscit, et ex fide adhuc vivens, illa Domini atria concupiscit ; una tantum morte mortuam se lætatur, dolens quod venire nondum ad alteram concedatur. « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea (*Psal.* CXIX). » Etsi morte prospera ad justitiam gaudeo me transisse, et in ea secretum contemplandi, juxta verbum Job (cap. III), velut sepulcrum invenisse, tamen, quia cum habitantibus Cedar adhuc compellor habitare, qui dulcedinem prægustatam veneno præsumunt amaritudinis molestare : doleo quod iste, quem transire optabam lege hospitum incolatus, manens more civium videtur mihi misero prolongatus. Videns itaque Paulus in tanta se miseria constitutum, ne cursum expediat tenacis vitæ sinibus obvolutum ; vult præcidi, velut telam in dimidio temporis a texente, novos putari pampinos cartallo citius recidente ; æstivos Cancri soles occurrente Capricorno gratius breviari, tensos vivendi limites breviori termino coarctari. Contextam dierum seriem cœpto cupit itinere non evolvi, et non contentus una, in mortem alteram vult dissolvi (*Philipp.* I), ut cum Christo, in quem desideranter prospiciunt angeli, possit esse, cum quo est juxta Petri testimonium bonum esse. Quo intuitu æquo satis animo voluit, et adjutus potuit sustinere quidquid ei mundi adversitas vel magis perversitas voluit intorquere, nec eum ad amorem vivendi nequiter potuit retorquere quidquid sæviente mundi

(47) Γόμφος, *clavus ligneus.*

malitia sibi vidit pœnaniter imminere. Nam multa et varia latronum, fluminum, maris, ex genere, ex gentibus pericula, incommoda famis, sitis, nuditatis, frigoris est perpessus, et in perpetiendo, etsi carne, tamen spiritu non defessus (*II Cor.* II), ut cum in eum totis viribus tribulatio desæviret, ipse mortis beneficio ad coronam repositam pertransiret. Sic et Stephanus, quem idem Paulus imo Saulus martyrem esse fecit, dum illum, cunctos expediens, expeditorum manibus interfecit : Stephanus, inquam, munitus patientia, lapidantibus lapides non objecit, et amore præsentium, futurorum diligentiam non abjecit, 74 sed consummato cursu ad coronam sui nominis vult transire, lapidantibus valefacto in Domino diligit obdormire. Quod autem, sicut de eo scriptum est (*Act.* VII), « obdormivit, » nihil est aliud dicere quam transivit; qui in exercitio justitiæ labore vigili torquebatur, solutus a corpore transisse in requiem gratulatur. Quem et David in hoc agone sudans transitum lætus sperat, et eo facto se quieturum fidenter asseverat, sciens hoc beneficium a quibusque fidelibus exspectari, et ipsos ab eodem, ex peccato, munere non fraudari. « In pace, ait, in idipsum dormiam et requiescam (*Psal.* IV). » In qua autem pace se intelligit et diligit quieturum, in ea videt et prævidet impium non futurum, quia cum justis non habet impius eumdem transitum invenire, neque facto transitu ad eamdem requiem devenire. « Vidi, ait, impium superexaltatum et elevatum, et transivi, et ecce non erat (*Psal.* XXXVI). » Vidi, ait, in hoc præsenti gurgustio impium exaltari, et raptum vento superbiæ, velut paleam elevari; sed cum transivi, hoc est cum prævidi in spiritu de labore ad somni gratiam me venturum, et in ea salute salubri et delectabili fruiturum : novi procul dubio eumdem illic impium non adesse, nullumque male misero cum beatis fidelibus locum esse.

Ad hunc transitum, quem nescit impius vel mente perditus veluti pestem vitat, sermone gratifico Dei sapientia nos invitat, ut quos ejus concupiscentia mundi reddidit contemptores, transitus ad ipsam hæreditatis promissæ exhibeat possessores. « Transite, inquit, ad me, omnes qui concupiscitis me (*Eccli.* XXIV). » Vos, ait, quorum devotio non mundi, sed Dei sapientiam concupiscit, concupiscens in salutare, vel in atria Domini defetiscit : eam mortem diligite, cujus ad me beneficio pertransitis, aggredimini transitum, quo expleto hæreditatem meritam invenitis. Ad me enim, nisi morte vel transitu medio non venitis, ad hæreditatem non nisi digne et salubriter obdormitis, quia, etsi in sudore et labore cuivis negotioso et vigili præparatur, tamen nisi transeunti, nisi obdormienti quies hæreditaria non donatur. Unde habes : « Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini (*Psal.* CXXVI). » Ob hoc autem, ad transeundum auditor humilis invitatur, ut cum transierit, optata dulcedine perfruatur, qui longe faciens quidquid in morte vel transitu amaritudinis experitur : inventa hæreditate, dulcore ejus incomparabili delinitur. Quod innuens Sapientia, cum dixisset : « Transite ad me, omnes qui concupiscitis me (*Eccli.* XXIV); » paulo infra subjunxit : « Hæreditas mea super mel et favum (*ibid.*). »

Cum in omnibus, quæ gustus noster amat carnaliter experiri, nihil melle et favo possit dulcius inveniri : ob hoc super utrumque promissa hæreditas commendatur, ut nihil desiderabile et terrenum ei comparabile cognoscatur. Ad quam nos facere transitum Christus, Dei virtus et Dei sapientia, non solum verbo prophetico voluit præmonere, sed postmodum facto et exemplo historialiter edocere, cum pro nobis homo factus, mori voluit, vel transire, unde et quo transeamus documentum gratum et evidens impertire. De quo evangelista : « Sciens, inquit, Jesus, quia venit hora ejus ut transeat de hoc mundo ad Patrem (*Joan.* XIII). »

Ne quis nostrum in hoc mundo speret vel diligat remanere, quantumcunque in eo vel abundare successibus, vel bonis videatur operibus præeminere : ipse Dei Filius, qui labores in mundo venerat sustinere, in eodem noluit mansionem stabilem obtinere. Moriens igitur, de mundo ad quem venerat, est egressus, fecundoque transitu ad Patrem a quo processerat, est regressus, dans nobis spem et gratiam, ut nos illuc etiam transeamus, hoc est de labore hujus mundi ad æternam requiem morte media veniamus. Beatos autem ea morte, mortuos negare quis audebit, et in spe mortis hujus quis sane sapiens non gaudebit; cum sic moriens Christo commori prædicetur, et hujus mortis merito eidem convivere comprobetur? « Si mortui sumus, ait, cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo (*Rom.* VI). » Et infra : « Si compatimur, inquit, ut et conglorificemur (*Rom.* VIII). » Recte ergo sic mortui, id est Christo commortui, beati asseruntur, qui et juxta divinæ vocis testimonium in Domino moriuntur : in quo, id est in cujus beneplacito, in cujus mori gratia non vere perhibentur, qui morte vel transitu Christo similes non habentur. Unde scire te volo, quia mortuorum alii a Domino et in Domino; alii a Domino, sed non in Domino; alii nec a Domino, nec in Domino moriuntur. Et quicunque in Domino, ipsi a Domino, sed non convertitur, dum non omnes qui a Domino, consequenter in Domino moriuntur. Qui autem nec a Domino nec in Domino moriuntur, illa morte utique moriuntur de qua scriptum est : « Homo autem occidit quidem per malitiam animam suam (*Sap.* XVI). » Et illud : « Anima quæ peccaverit, ipsa morietur (*Ezech.* XVIII), » quia Deum constat peccatum non fecisse, et eum hujus mali auctorem non fuisse; qui deserti a gratia peccato moriuntur, nimirum nec a Domino nec in Domino moriuntur. Neque enim Deus, sicut habes dicente Scriptura, mortem fecit (*Sap.* I), qui peccato nec prius, angelum, nec post, hominem interfecit; sed peccati et

mortis suæ ipsum constat esse diabolum inventorem, et homine plasmato peccandi postmodum incentorem. Qui bonus a bono Deo conditus perversitate misera superbivit, et accepto non contentus, quam non acceperat, Dei similitudinem appetivit; mendax et pater mendacii, sicut Evangelii veritas protestatur (*Joan.* VIII), sua solius defluens voluntate, unde et diabolus appellatur. Lapsus vero et perditus cum irrecuperabilem se videret, et homini recens facto propositam beatitudinem invideret: in serpentis eum specie ut vetitum manducaret seduxit (48) et sic in orbem terrarum mortem quam de cœlo advexerat, introduxit. De qua scriptum est: « Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum, imitantur autem illum qui sunt ex parte illius (*Sap.* I). » Homo simplex et incautus cum audivit invidum suasorem, nec prima statim facie falsum respuit promissorem: neglecto Deo in partem suasoris deviam declinavit, et eum imitari morte mortuus non negavit. Quam mortem, ut prædictum est, Deus creditur non fecisse, nec peccantibus peccatum quodlibet intulisse, ne si ab auctore bono peccatum cuivis inferretur, peccans non culpabilis, sed jure excusabilis haberetur. De qua Scriptura: « Deus, inquit, mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum (*ibid.*). »

Hæc itaque mors, quæ sicut non in Domino, sic a Domino non infertur, cui justo judicio consequenter altera subinfertur, quia dignum et justum est ut peccatum, quod esse Deo contrarium comprobatur, eodem vindicante pœna meritâ subsequatur. Pœna autem mors est, de qua scriptum est: « Injustitia mortis est acquisitio (49), » quoniam digni sunt morte, qui ex parte illius sunt. Qui enim injustitiam diligit perpetrare, et in partem illius gressu labili declinare: dignus morte, id est pœnarum molestiis invenitur, acquirens eam sibi, cum ejus illa verbis et manibus accersitur. Quæ mors, quoniam peccanti juste pro meritis irrogatur, ejus esse Deus auctor non incongrue prædicatur: cujus sicut non peccare perfecte convenit bonitati, sic punire peccatorem ejus est non inconveniens æquitati. « Justus quippe Dominus justitias diligit: æquitatem videt vultus ejus (*Psal.* X). » Punit ergo quidquid contra justitiam perpetratur, eique justo judici pœna peccantium assignatur; quæ, etsi mala nonnunquam nominatur, eo quod voluntati patientium non concordat, Deo tamen bona est, quoniam a justitia non discordat. Inde est quod malum Scripturæ testimonio Deus cogitare seu facere prædicatur, nec tamen judicio sane sapientium accusatur, cum scilicet mores et actus hominum infrunitos, dictante justitia non sinit impunitos. Per Michæam: « Ecce ego, ait, cogito super familiam istam malum; unde non auferetis corda vestra (*Mich.* II). » Et Isaias: « Faciens, inquit, pacem et creans malum (*Isa.* XLV). » Et Amos: « Si est malum in civitate quod Dominus non fecit? » (*Amos* III.) Deus igitur, qui nisi bonus est, facere malum non negatur, cum eo feriente peccator molestiis aggravatur, non quod malum, id est culpa Deo sit inferenti, sed malum, id est grave et asperum sufferenti. Quod malum, quæ asperitas sic longe lateque in humano genere pervagatur, ut omnes Adæ filios complectatur, nec ab hoc gravi jugo quisquam se videat relaxari, qui possit velut albæ gallinæ filius gloriari. Denique æthnici qui præsentem vitam prudentius inspexerunt, non vitalem sed pœnalem eam esse diligentius perpenderunt; et cum se in ea premi pœnis et molestiis doluerunt, mortem quam vitam appellare eam expressius voluerunt. Unde ille (50):

Vivo, ait, si vita est mortis habere genus.

Quia domo, patria, uxore, familia privabatur, et inter Getas et Sauromatas gravi exsilio tenebatur; et quod his gravius est, nullo spei remedio fovebatur, talis vita grave genus mortis misero videbatur. Sed huic æthnico, vel cuivis falso Catholico mors hæc seu molestia qua punitur, qua in præsentiarum ultoris manum gravissimam experitur, sicut justo judicio culpæ est retributio præcedentis, sic nimirum pœnæ est initium, vel prælibatio subsequentis, ut in præsenti vita mors ejus et perditio pœnaliter inchoetur, post hanc vitam augmento gravi et interminabili consummetur. Tunc enim eum excipit alta profunditas infernorum, unda irremeabilis juxta sententiam æthnicorum: sepulcrum pressum lapide quem manus misericordiæ non revolvit, instilarum ligatura quam divina missio non absolvit: et transitus virgæ gravis juxta Scripturæ testimonium sic fundatus, ut ei sit miser ille sine termino, sine remedio mancipatus. Et, quia vermis qui non moritur (*Isa.* XXX), et ignis ustio, sempiterna tenebrarum confusio, adversitas intolerabilis et æterna; et cuncta hujusmodi, quæ sepultis illic peccatoribus sunt inflicta, meritorum retributio, et justi judicis sunt vindicta: recte mors ista esse a Domino prædicatur, qui malis et injustis, malum justum reddere comprobatur. « Mihi, ait, vindictam ego retribuam (*Deut.* XXXII; *Hebr.* X). » Et digne hæc damnatio mortis nomine meruit appellari, in qua quemque perditum tantis constat molestiis aggravari, ut Deo, qui vita est, longe facto cogatur velut deficiens exspirare, et ad laudandum ipsum jam nec velit nec valeat respirare. Unde habes: « Non mor-

(48) Non contrarium est hoc ei quod habet Apostolus I Tim. II, 14: *Adam non est seductus*, quia non est tentatus Adam a diabolo in serpentis specie ut vetitum manducaret, sed ipsa mulier, quæ vere homo est, humanique generis una cum Adamo seminarium. Quanquam et B. Ignatius martyr in epistola ad Trallianos, Hilarius canone 3 in Matth., Epiphanius contra hæresim 38, Aug. in psalm. LXVIII, ad illa verba, *quæ non rapui*, et alii nonnulli concedant aliquo sensu Adamum fuisse seductum. Ipse quoque D. Philippus modum seductionis declarat coll. 595 seq., 606 seq.

(49) Sap. I, secundum quosdam libros, nam antiquiores et emendatiores codices Sap. I non habent illam sententiam.

(50) Ovidius.

tui laudabunt te, Domine : neque omnes qui descendunt in infernum (*Psal.* cxiii). » Sicut non laudant Deum qui peccando nequiter moriuntur, sic nec etiam qui pœnas in inferno peccati merito patiuntur; et cum in peccantibus reproba sit voluntas, descendentibus in infernum superadditur insanabilis **76** difficultas. Hæc autem difficultas cum sit a Domino qui pœnas inferre perditis non negatur, non tamen esse in Domino, hoc est in ejus gratia prædicatur, quia pœnis infernalibus quas ejus vult severitas intorquere, ejusdem benevolentia nequaquam diligit adgaudere. Quod ostendens Scriptura, cum dixisset : « Deus mortem non fecit (*Sap.* I), » subjunxit : « Nec lætatur in perditione vivorum (*ibid.*). » Mortem peccatum dicit, quod, ut sæpe dictum est, Deus non fecit : perditionem vero vivorum, æternas pœnas nominat perditorum, quas nimirum Deus creditur operari, sed in eis ejus benevolentia non lætari, dum salvari mallet hominem quam perire, et ad malum referendum perditorum meritis cogitur devenire.

Sed relicta perditis morte sua quam non satis novimus inexperti, cujus experientiam nobis adesse nolumus, sed averti; ad mortem martyrum loquendi series revertatur quam benigno consilio divina bonitas operatur. Quæ cum eos vel originalibus vel actualibus attendit vitiis deservire, quos ad salutis gratiam et electorum numerum vult venire, quando vult et quantum vult, suum eis dignatur beneficium impertire, eorum affectus et effectus male vivos faciens interire. In cujus typo mortis, baptismum novimus consecrari, persequentes Ægyptios aquis vehementibus suffocari (*Exod.* xiv) : venerando mysterio maris profundissima transvadari, eductum Dei populum vetustate mortua renovari : hoc est salubri lavacro nostra longe vitia proturbari, et sepultis Ægypti moribus Christo mortuo conformari. « Consepulti sumus, ait Paulus, cum illo per baptismum in mortem (*Rom.* VI). »

Cum visitante gratia renuntiat quis Ægyptiacæ servituti, cum peccatum exsecrans, operam dat virtuti, cum triumphatis hostibus mare Rubrum sicco datur vestigio pertransire, cum de Ægypto ad solitudinem felici transitu pervenire; cum pacis intuitu relegat vitiorum clamores pristinos et tumultus, nova lotus gratia Christo pro nobis mortuo videtur consepultus. Quem sepultum sive lotum excipit cremi latitudo, exceptum fovet, fovendo promovet necessaria fortitudo, quia, etsi Ægyptiorum submersa est in aquis vehementibus multitudo, tamen desertum incolentibus non conceditur quietis plenitudo. Insurgunt enim hostes, quos constat profectui bonorum invidere, qui minas terribiles illis transeuntibus præsumunt intorquere; quos cum non valeant a proposito detorquere, nituntur saltem ab eis aliquas proficiendi morulas extorquere. In quo filii Israel digni vituperio non habentur, sed probi quique et strenui commendabiliter exercentur, dum suis adversariis fidenter obviant et resistunt, expugnant resistentes, et a cœpto itinere non desistunt. Sic nimirum cum divina gratia de peccatorum tenebris nos educit, et baptismi vel pœnitentiæ lavacro nos ablutos ad justitiam introducit : mortui quidem sumus, dum antiqua in nobis malitia jam non vivit, sed tamen nostra devotio nondum quietis plenariæ sanctuarium introivit. Subrepunt enim quædam ex latere, velut vitæ veteris rediviva, vel novorum forsitan vitiorum nascuntur incentiva, quæ laxato eis loro prorsus fierent oppressiva, si non Deus præveniens inferret mala misericorditer purgativa.

In hoc igitur incolatu, tam justi quam injusti pœnaliter affliguntur, et pro peccatis vel suis vel suorum, pœnarum molestias patiuntur, nec est quisquam, licet de Ægypto exierit, tam beatus, qui præsentem eremum transeat non tentatus. Sed injusti deserti a gratia in tentationem propositam inducuntur, justi autem quasi aurum de camino purgati educuntur (*Psal.* xciii); dum illos præcipites divina æquitas non revocat ab incœpto, istis vero laborem fingit misericorditer in præcepto. Cum enim justi eligunt Deo jubenti obedientiam exhibere, et secundum mandatum ejus præsentes molestias æquanimiter sustinere : nimirum labor, sine quo vita seu via præsens minime pertransitur, in præcepto fingi mirabiliter invenitur, cum in labore scilicet, patientia et humilitas custoditur, secundum quod Scripturarum præcepto vel regula definitur. « Fili, ait, accedens ad servitutem Dei sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem, et deprime cor tuum et sustine (*Eccli.* II). » Et infra : « In dolore, inquit, sustine, et in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum et argentum : homines vero receptibiles in camino humiliationis (*ibid.*). »

Labor igitur qui reprobis, ut ante dixi, pœnæ est initium vel prælibatio securturæ, in electis agit vicem malagmatis, olei, ligaturæ, et quod illos juste pro meritis majorem pertrahit ad ruinam, isti sentiunt operante gratia medicinam. Hoc enim ferramento spuria vitiorum vitulamina reciduntur : hoc igne, paleæ leves et inutiles exuruntur : hoc malagmate læsa vulnere sanitas reparatur, hoc oleo tumoris et doloris incommoditas mitigatur : hujus vi ligaturæ distorta et fracta in integrum revertuntur, hoc tandem medicamine infirma quæque ad remedium convertuntur. Et, quod amplius est, hac fornace vel camino aurum lucidius redditur et argentum, et justi justitia optatæ puritatis accipit incrementum; et ubi perditorum plumbea vel stannea iniquitas cinerescit, illic electorum aurea vel argentea perfectio dilucescit. Ad hoc quidem eos qui peccato mortui ad justitiam transierunt; qui mundo crucifixi, tenebrarum opera reliquerunt : ad hoc inquam, eos vult divina bonitas flagellari et quandiu sunt in corpore, verberibus et molestiis **77** castigari, ut vel eorum maculæ gravi tanquam rasorio deleantur, vel deletis maculis, merita meritis amplioribus augeantur. Sicut autem peccatoris mors pessima de malo in pejus accipit

incrementum (*Psal.* xxxiii), dum vel culpas multiplicat, vel pro eis prius grave, et post gravius invenit detrimentum; sic utique mors martyris in conspectu Domini pretiosa, profectu commendabili habetur fructuosa, dum et in præsentiarum frequentius de virtute facit transitum ad virtutem, et virtute consummata felicius transit ad salutem. Hæc autem mors qua in præsentiarum moritur vel in morte proficit tam frequenter, cum scilicet amore justitiæ mala tam frequentia sustinet patienter, cum pressus gravi molestia, non recusat pro Christo perpeti graviorem, et sic de justitia facit transitum ad justitiam ampliorem : hæc, inquam, mors cui superni gratia muneris conceditur præsto esse, eum ut videtur martyrem facit esse. Cum enim cujuslibet vel interna pulsatur animus læsione, vel caro exterior illata premitur passione; si exemplo Christi pugil fortis permanet in agone, bonum agens transitum mercedis intuitu vel coronæ : recte profecto etiam in præsenti creditur martyr esse, quem constat et pati gravia, et patienti gratiam non deesse. Quæ quoniam nisi a Domino martyri non donatur, non incongrue martyr mori a Domino prædicatur, a quo sibi propitio meruit obtinere, ut præsens martyrium velit et valeat æquanimiter sustinere.

Quia vero idem martyrium non ira, sed Dei miseratio creditur operari, quæ per illud detergi maculas, et merita facit meritis augmentari, quæ frumentum purgans in area gaudet paleas adoleri, quæ aurum examinans ad majorem illud vult munditiam promoveri : digne mortem istam esse quoque in Domino confitetur, quisquis ejus gratiæ rebellis et incredulus non habetur. Si enim gaudium est angelis cum peccator a peccatis ductus pœnitentia se avertit (*Luc.* xv), et adjutus gratia novo proposito ad justitiam se convertit, quanto magis eidem justificato credendus est adgaudere, cujus dono et gratia justitiam meruit obtinere? Quem cum videt Dominus de peccato ad justitiam pertransisse, hujus veritatem transitus de se sentiens processisse, quod eidem transeunti novit salubriter expedire, sanandis pravis motibus, ædificandis moribus convenire : hoc ei prudens medicus non gravatur nec invidet impertire. Dat ergo illis multos et varios labores corporis, animi cruciatus, quibus ille graviter, sed salubriter educatus : morte utili jam gustata ejus transit de profectu diligentius ad profectum, donec aura et studio diligenti veniat ad perfectum. In qua morte Paulus apostolus asserit se versari, et in ea profectu congruo, donante gratia prosperari : ostendens se non solum urgente pœnarum molestia non tristari, sed etiam profectus avidum quadam mentis latitudine gloriari. Corinthiis loquens, « Semper, inquit, mortificationem Jesu in corpore vestro circumferentes (*II Cor.* iv). » Et iterum : « Semper nos in mortem tradimur propter Jesum (*ibid.*). » Et in alia Epistola : « Utquid et nos, ait, periclitamur omni hora? Quotidie morior, fratres (*I Cor.* xv). Qua vero morte vel semper vel omni hora vel quotidie moriatur, quo gradu vel ordine ad ampliorem justitiam provehatur, Romanis insinuans : « Non solum autem, inquit, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem; spes autem non confundit (*Rom.* v). » Tribulationem gravem, diutinam tolerantiam, quamdam innuit mortem esse, quam, quia profectus multiplicis considerat causam esse; ejusdem se experientia non gravari, sed proficiendi avidus asserit gloriari. Qui cum historiam miseriæ suæ Corinthiis enarraret, et malorum illatorum, quamdam velut seriem vel catalogum ordinaret : quod in eis non defectum, sed profectum acceperit, ostendit evidenter, sufferendo hæc omnia nequaquam in angaria, sed libenter. « In laboribus, inquit, plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter (*II Cor.* xi). » Et pluribus quæ sequuntur longa satis serie numeratis, quæ apponere hic omnia supersedeo gratia brevitatis, subjunxit : « Libenter gloriabor in infirmitatibus meis (*II Cor.* xii). » Et iterum : « Placeo mihi, ait, in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo (*ibid.*). » In omnibus quæ pro Christo videtur gravia sustinere, dilatato sinu cordis gloriari se asserit, et sibi complacere, sciens quia quidquid pro illo, si tamen et in illo, hoc est in ejus gratia patietur, in profectum bonæ mortis et augmentum justitiæ convertetur. Quodpropter et Corinthios curat diligentius admonere, ut in eo quod sufferunt nitantur stabiles permanere; affirmans quod labor sit non mediocriter fructuosus, qui merito constantiæ, Domino fuerit gratiosus. « Stabiles, inquit, estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper : scientes quod labor vester non est inanis in Domino (*I Cor.* xv). » Si stantes et instantes bonis operibus laboratis, si in Domino laborantes bonis operibus abundatis : scitote quod labor, quem in ejus beneplacito vestra constantia patietur, inanis vel inutilis non habetur. Unde et Thessalonicensibus : « Nunc vivimus, ait, si vos statis in Domino (*I Thess.* iii). » Qui etiam cum Ephesios curaret ad obedientiam invitare, quæ obedientia sit commendabilis, voluit demonstrare, ne errore deceptus vel imperans vel obtemperans deviaret, et mandatum obedientiæ justitiæ legibus obviaret.

78 « Filii, ait, obedite parentibus vestris in Domino : hoc enim justum est (*Ephes.* vi). » Quia multos vel servos dominis, vel parentibus filios certum est obedire, quorum obedientia non meretur fructum commendabilem invenire : brevi satis indicio Paulus voluit definire, quæ bonis obedientibus obedientia debeat expedire. Parentibus enim obedire non semper justum est, sed in Domino parentibus obedire semper justum est; cum in eo scilicet, quod majorum monitis obeditur, ipse obediens Deo placere veraciter invenitur. Si vero pater filio præsumat quidpiam imperare, quod inveniatur divino beneplacito repugnare : nihil bono filio convenientius est agendum, quam illud ex doctrina apostolica fiducialiter respondendum : « Obedire oportet

Deo magis quam hominibus (*Act.* v). » Cum ergo in exsequendis majorum monitis, multus plerumque labor et angustia sufferatur, constat quod exinde nullus fructus justitiæ consequatur : si non, ut dictum est, idem labor in Domino sufferatur, et quidquid in Domino fortis obediens sustinebit, Paulo Corinthiis affirmante, fructu salutifero non carebit : « Scientes, ait, quod labor vester non est inanis in Domino (*I Cor.* xv; *II Cor.* xi). » Sciens itaque Paulus se etiam in Domino durius laborare, et quæ satis enumerat mala in ejus beneplacito gravia tolerare : non solum in Domino, sed etiam in labore quem suffert in Domino gloriatur, attendens quod labor et tribulatio profectum congruum gradatim operatur.

Qui autem in hac morte vel profectu justitiæ sic versatur, qui tot et tanta toties indefesso pati spiritu gratulatur; nunquid tu dices eum nondum recte martyrem æstimari, et cum martyrio crucietur, adhuc tamen martyrem non vocari? Si facit martyrem igne vel gladio vel patibulo quolibet cito mori : non est martyr qui non momentaneo, sed supplicio premitur longiori? Si est martyr qui semel moritur, nihil tale iterum perpessurus, non est martyr quotidie moriens, iterum et iterum moriturus? Sed forte qui moritur morte prima, quamvis multa et gravia patiatur, et patiens de justitia ampliorem ad justitiam provehatur : ob hoc tamen nondum martyr humano judicio prædicatur, quia finis, cui datur laus digne commendabilis, ignoratur. Sicut enim multos vides, quorum miseria martyrio non convenit, sed discordat, sic habes quamplurimos, quorum finis initio non concordat, qui cum amore justitiæ multam in adversis patientiam proponant assumere, vel assumant, eam tamen infirmitati rigore proposito non consummant. Hanc autem ille et in seipso longe certius experitur, et aliis demonstrare multo manifestius invenitur : qui propter Christum non solum minas et verbera tolerat persequentis, sed consummato cursu manum gravissimam sustinet occidentis. Qui etsi antea vel Christum non cognoverit, vel pro eo nihil grave pertulerit; si tamen ad ultimum, propter ejus testimonium occidatur, nimirum martyr esse cunctorum judicio prædicatur. Si autem e converso prius inventus fuerit multam Christo reverentiam detulisse, mortem primam, qua transitur ad justitiam, satis gravem et diutinam pertulisse : ad obtinendam vero retributionem, et æternum beneficium præmii gratioris tandem quieto fine sine manu transeat occisoris : iste apud homines nomen vel gloriam martyris non assumet, sed quod ita sit et apud Deum, affirmare temere quis præsumet? Quis contendet quod mors justi, vel prima qua transit ad justitiam, vel qua transit ad præmium mors secunda, tam apud Deum quam apud homines sit martyrii penitus infecunda, si cum in illa graves nonnunquam et diutinas cogatur molestias hominum sustinere, in hac inveniantur illi manus occulto Dei consilio continere? Etsi enim longe absit hostis furor, et furens gladius occidentis, adest tamen propius securis et ascia succidentis : cum scilicet gravi morbo Deus et gravissima vi doloris, transire justum facit ad remedium gloriæ plenioris.

Sed quia non est meum omnia supernæ altitudinis consilia penetrare, non debeo nec audeo quidquam tibi de talibus affirmare : ad illos te remittens, qui majoris intelligentiæ gratiam assecuti, incerta et occulta divinæ sapientiæ manifestius sunt locuti. Hoc unum et scire datum est, et mea parvitas fiducialiter protestatur, quod quisquis prius ad justitiam, post ad justitiæ præmium transire comprobatur : sicut non nisi a Domino, sic in Domino utrumque transitum operatur, in cujus beneplacito utriusque perfectio consummatur. Et quia dixi mortes hujusmodi transitus appellari, in Domino mortuos recte beatos noveris prædicari : in quibus Dei gratia tam benigne diligit operari, ut inveniantur non solum prima, sed et secunda morte plenius gloriari.

Quod si nos et nostri similes, martyrii gratia non donamur, ut scilicet pro Domino manu persequentium occidamur : ad hoc saltem nos ope summa niti decet, ut in Domino moriamur, ut mortui prædicata beatitudine perfruamur. « Beati enim mortui qui in Domino moriuntur (*Apoc.* xiv). » Et quidem tua professio et humilis habitus quem prætendit, jam prima justi morte mortuum te ostendit : in cujus exercitio si te non delicatum exhibueris et inertem, non te martyrii facile dixerim inexpertem. Laborem cujus mors secunda, etsi forte gravis, tamen longe felicius consummabit, cum tuus ille spiritus de præsenti nequam sæculo transmigrabit : cum rupto carnis vinculo quo 79 tenetur, in illud præoptatum Dei sanctuarium inducetur. Quo cum venerit, doceri a me parvulo jam non poscet, sed viso Creatore plenius jam cognoscet : quis in illo sanctorum collegio confessionis titulo glorietur, quis ampliore gratia martyrii gloria coronetur. Ad utrumlibet horum ille pariter nos perducat, et in suum Domini gaudium introducat, qui ea bonitate, quæ sua est, immeritos nos vocavit, et prima morte mortuos, ad secundam misericorditer invitavit. Vale.

EPISTOLA XV.

PHILIPPI AD ADAMUM.

Expostulatoria.

Apud vos erunt primi novissimi (*Joan.* v) : imo, ut videre videor, nec etiam novissimi. Hominem enim non habeo ut cum mota fuerit aqua, mittat me in piscinam. Dum enim venire volo ego, alius fortior ante me descendit : et sic spes olim vivida jam ægrescit, et dum justo amplius res elongat, virore perdito cinerescit. Olim quidem vestra dignatio ignem cineris nescium repromisit, et, ut vobis fatear, mihi credulo spes arrisit : sed quia veritatem digno subsequi tempore quædam velut aeris immutatio non permisit, in promissis confidere mea jam credulitas intermisit. Quantum autem Christo placeat

veritas, non est qui debeat dubitare, cum seipsum voluerit veritatem evidentius appellare, « Ego sum, inquiens, veritas (*Joan.* XIV), » ut sciamus ipsi Christo quidquid contra veritatem agitur non placere, et quod placitum non est illi, apud Deum gloriam non habere. Nec vos latet quod in multis divinæ Scripturæ locis misericordia et veritas copulantur, et universæ viæ Domini misericordia et veritas appellantur; et: « misericordiam et veritatem diligit Deus (*Psal.* LXXXIII); » et: « misericordia et veritas obviaverunt sibi (*Psal.* XLVIII). » Ad quid hoc? nisi ut inter has virtutes socialis vigere gratia demonstretur, grata quædam esse cognatio quæ loro indissolubili sic tenetur, ut in cunctis quæ jubemur juste et salubriter operari, velint simul assistere nec ab invicem separari? Ad bonum quidem velle misericordia nos inducit, ad idem peragendum veritas nos perducit; et ut digne celebretur inter eas concors dilectio, pax serena, tale consortium prohibetur interrumpere pravitas aliena. Neque enim fas est ut inter misericordiam et veritatem indecens medium quid irrumpat, quod illas obviantes sibi invicem interrumpat, quod inter eas præsumat locum sibi proprium invenire, quo invento compellantur illæ ab invicem resilire. Misericordia est, cum bonum agere quodlibet affectamus, cum affectu devoto prodesse cuipiam præoptamus: in quo non solum proximis, sed et nobis ipsis etiam miseremur, quibus primum necesse est, ut ad bonum devoto spiritu provocemur. Unde legistis: « Miserere animæ tuæ placens Deo (*Eccli.* XXX). » Et illud: « Bene facit animæ suæ vir misericors (*Prov.* XI). » Cum autem misericordia in nobis orta fuerit ad volendum, necesse est ut occurrat statim veritas ad tenendum, quæ affectum misericordiæ, quæ devotæ propositum voluntatis indeflexum custodiat, et ab incursu muniat noxiæ pravitatis. Est enim quædam pravitas quæ certius et apertius falsitas appellatur, quæ devoto proposito semper insidias machinatur: agens et satagens ut affectatæ beneficium sanctitatis, non perducat ad effectum præsentia necessariæ veritatis. Quia enim eidem falsitati semper est veritas odiosa, quæ prædictæ misericordiæ est non mediocriter gratiosa: illa nequam et subdola bono invidens quod misericordia jam proponit, ne veritatis occursu consummetur, sese mediam interponit. Multisque modis sæviens ortum semen penitus vult auferre, et si non funditus eradicat, satagit vel differre, ut cum dilatio eidem juncta fuerit falsitati, impugnent misericordiam, bellum inferant veritati. Agunt enim ut vel persona ditior, vel affectus carnis tenerior, vel alia forte pestis præsumat in medium prosilire, repulsans misericordiam, veritatem satagens prævenire, qua prævenia, hostis gaudet, livor tripudiat: mœsta luget veritas dum amicæ virtuti non obviat. Bonum quippe considerans misericorditer inchoatum, et peste prædicta mediante non veraciter consummatum: conqueritur indivisas dividi, separari inseparabilem comitatum, jus depressum injustius fas contra fas penitus violatum. Promissionis suæ misericordia videtur oblivisci, longe pulsa veritas vix valet misericordiæ reminisci: interjectis duris obicibus, amicalem jam non appetunt commeatum, clamant ad invicem: « Inter nos chaos indecens est firmatum. » Indignatur veritas quod cum deberet occurrere, persona ditior intervenit, indignatur iterum quod affectus carnis tenerior priorem sibi loculum adinvenit: et cum non sit qui disjunctas digne revocet ad junctura, aures duras feriens terribiliter intonat per Scripturam: « Deus personam hominis non accipit (*Deut.* X). » Et iterum: « Qui amat illum, sive illum, plusquam me non est me dignus (*Matth.* X). »

Nostis in Scriptura veridica hæc et his similia contineri, quibus constat, quia non vult a justo proposito veritas prohiberi, sed privatis negotiis nostrisque voluntatibus anteponi, misericordiæ certius obviare, nihil contrarium interponi. Postquam ergo dictante misericordia verbum bonum, verbum consolatorium **80** protulistis, postquam solo illius instinctu beneficium promisistis: quis vos fascinavit, quis impedivit non acquiescere veritati, dare magis locum injuriæ, aperire januam terrenæ potestati? Si dignitas, si propinquitas debuit vos movere, quis dignior, quis Deo propinquior jure vobis debuit apparere, a quo vestro et omnium Creatore, quod nulli est dubium, et eratis, et hoc ipsum nihilominus unde loquimur poteratis? Legistis enim: « Ipse fecit nos, et non ipsi nos (*Psal.* XCIX). » Et illud: « Omnis potestas a Domino Deo est (*Rom.* XIII). » Quod igitur promissum gratis, dare gratis beneficium potuistis, ab illo qui vobis etiam esse contulit, accepistis: quod vero in partem declinare alteram voluistis, non ab illo, sed contra illum qui vere est veritas, minus cauta fiducia præsumpsistis. In quo non solum veritas læditur dum præcedenti misericordiæ non occurrit, sed et pax conqueritur, quia eam justitia non præcurrit, quam dum nonj conceditur similiter sibi obviam invenire, non est cui gratum velit aut valeat oculum impertire.

Sicut enim misericordia et veritas obviare sibi invicem gratulantur, sic justitia et pax cujusdam sese nexu fœderis osculantur: et istarum osculatio justo quidem ordine tunc succedit, cum illarum obviatio juxta debitum antecedit. Statim quippe ut veritas misericordiæ obviat vel occurrit, et bonum propositum adimpletur, nec aliud contrarium intercurrit: adest justitia intuens et considerans diligenter, et quod recte factum intelligit, commendat, approbat, attollit confidenter. Porro quidquid remota veritate agitur, justitia prorsus nescit, nec adesse vult operi in quo affectio carnalis invalescit; sed adversa cuspide ferire durius elaborat, et damnare severius quidquid injustitia decolorat. Sæviens igitur in actorem culpæ, sententiam dat minacem, vultu gravi, manu dura molestias ingerit, fugat pacem; et cum nostra impatientia æstimat injustius se tractari, clamat justitia digne pro meritis nos

gravari. Est enim justitiæ relinquere nihil penitus impunitum, sed flagellando persequi quidquid irreverens, quidquid reperitur infrunitum : et nonnunquam eo ad vindictam festinatior vult haberi, quo vindicata culpa disponit quandoque misereri. Si vero culpa, dono gratiæ nostroque studio fuerit non commissa, vel resumpta veritate merito pœnitentiæ jam dimissa : justitia, quæ suavis non nisi bonis operibus novit esse, nobis tenentibus veritatem diligit præsto esse. Favensque proposito minas terribiles nostris hostibus jam intentat, et quod juste agimus justo judici repræsentat, postulans ut Deus veritas nostram promoveat veritatem « oculi ejus, ut legistis, videant æquitatem (*Psal.* XVI). » A cujus precibus aures justus Dominus non avertit, sed audiens et exaudiens, spem deprecatoriam in rem vertit, et ne forte postulantem gravet rei dilatio quam promittit, ad confirmandum fœdus statim justitiæ obviam pacem mittit. Pacem inquam, qua nos Deo reconciliatos certiore fiducia jam tenemus, qua culpis jam deletis futuras pœnas perpeti non timemus : qua nos pascit et saginat refectio conscientiæ sanioris, leve ducens quidquid mundus infert minarum vel molestiæ gravioris. Unde scriptum est : « Secura mens, juge convivium (*Prov.* XV). » Hæc pax qua nihil laudabilius, nihil optabilius in hac vita, sanior et suavior omni fraude plurimorum desideriis expetita, ut velle videatur nos solidius consolari, non solum obviare, sed et justitiam diligit osculari. In quo satis datur intelligi quid justitia mereatur, quid non solum in futuro, sed in præsenti quoque suo merito consequatur : ne quis falso consequi pacis beneficium arbitretur, cujus aut justa veritas, aut vera justitia non meretur. Veracem quippe justitiam differendam a præmio pax non putat, sed occurrit citius, arridetque hilarius, et salutat : ruensque in amplexum, porrigit osculum affectu conjunctivo, amorem permansurum signans fœdere firmativo.

Videtis quia cum misericordiæ veritas, ut dignum est, obviat vel occurrit, adest statim justitia, justitiæ pax occurrit : firmumque fœdus feriunt et sese redigunt in quadrigam, cujus suæ quadraturæ Christum ducem constituunt vel aurigam

Prima rota est misericordia, quæ in bonis semper operibus antecurrit ; secunda est veritas, quæ necessario mox occurrit : quæ uno eodemque junctæ axe pariter gaudent ferri, pari cursu procedere, et a se invicem non auferri. Quod si veritas misericordiæ læso consilio subtrahatur, cadit biga, jacet inefficax, et in nihilum reputatur : et uno carens pede alterique debito plus innixa, moveri non prævalens, tanquam limo profundius est infixa. Pars quadrigæ posterior primam justitiæ ponit rotam, virtutum præcedentium sequacem sive comitem iremotam : dum quod illæ occursu mutuo diligunt operari, commendat justitia dignum judicans munerari. Ad quod remunerandum pacem continuo vult adesse, quæ conscientiam operantis a diffidentia securam facit esse : quæ ab illa mordaces A timoris aculeos alienat, dilectionem fovet, fidem promovet, spem serenat. Unde Paulus : « Reddet mihi Dominus justus judex (*II Tim.* IV). » Justitia igitur et pax uno axe itidem conjunguntur, et præcedentium copulam pari consortio prosequuntur : et bis rite dispositis vehiculum fit quadratum, ordo rectus agitur, **81** opus redditur consummatum.

Hujusmodi vehiculo quod prædicto rotarum constat numero conquadrari, nostra omnis inniti actio, nostra debet conversatio solidari, ut innixa et subnixa tali præsidio secure provehatur, et provectu salutari de imis ad superos feliciter evehatur. Sine hoc quippe vehiculo nullius ad perfectum operatio potest vehi, sine hoc in excelsum non est raptus Elias magister Elisæi, sed hujus quadraturam in B magistro discipulus recognoscit, cum illius spiritum dupliciter adfore sibi poscit : « Spiritus, ait, qui est in te duplo sit in me (*IV Reg.* II). » Cum attendo istos vehi et evehi prædictarum virtutum quadratura, vos econverso eadem resilire negligentius a junctura : obstupeo et doleo quod et vobis idem jugum divina lex imponit, et eidem jugo vestra collum negligentia non supponit. Vos nimirum sicut illi, currus Israel, vos auriga, vos deferri debuistis in quadriga : in prima cujus fronte ut jam nihilominus dictum est, veritas est secunda, cujus læsa integritate reliquarum vacat series inleconda. Hujus rotæ sentiens cantos, radios, modium, axem frangi fragore inopino suas durius aures tangi, exclamat : Quisquis amat dignam operis quadraturam, quisquis C odit odio quadraturæ vitium vel fracturam. « Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab (*Cant.* VI). » Aminadab, *populi mei spontaneus* interpretatur, Christum significans qui pro suo populo sponte obtulit semetipsum, ut ei quisque vice reciproca tam sua offerat quam seipsum. Iste Aminadab quidquid sibi offertur prædictis virtutibus vult quadrari, et in fronte operis veritatem misericordiæ copulari : in parte postrema vel potius suprema justitiam et pacem invicem osculari, et hoc modo vel ordine quidquid agimus quaternario consecrari. Cujusmodi quaternarium vel quadrigam gravi malleo conquassamus, et sacrum sacramentum exsecrabiliter violamus : cum præsentiam veritatis a miseri- D cordia separamus, et relegata justitia pacis gratiam non gustamus. Ad hoc sanctus quilibet veritatis fervidus æmulator amans æqui, censor morum, noster errantium castigator : ægre dolet et tabescit, fremit dentibus et irascitur, et propter quadrigas Aminadab ejus zelante anima conturbatur. Videns quippe easdem quadrigas nequaquam debito cursu ferri, sed nostro frangi vitio affectusque noxios anteferri : zelo zelans veritatem non potest non turbari, ægre ferens injurias quas ipsi videt Aminadab irrogari. Multo magis ipse Aminadab idem Christus, qui ut ante dictum est, veritas voluit appellari, læsi sentiens veritatem, justitiam veraciter non amari : non amanti quod mandavit, nec tenenti firmius legem suam indignans indignatur, negans

male merito pacem suam. Qua negata per Isaiam exprobrat, dicens : « Si attendisses mandata, facta fuisset velut flumen pax tua (*Isa.* XLVIII). » Cui David consentiens ait : « Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum (*Psal.* CXVIII). » Constat ergo quia ex contemptu veritatis et negligentia mandatorum, pax negatur, infertur scandalum, prævalet vis malorum : quam tamen in vos nolo (quamvis ita dixerim) prævalere ; nec enim dignum judico proximorum malis tristibus adgaudere. Imo, ut verum fatear, desiderio desidero a præsenti gravamine vos levari, vestra sopiri tristia, læta suavius prosperari : ad amorem veritatis fortiore anchora vos reduci, et ad quietis portum et pacem præoptatam dulcius introduci.

EPISTOLA XVI.

PHILIPPI AD PHILIPPUM.

Commendat virtutes nobilibus viris dignas.

Suo PHILIPPO suus PHILIPPUS.

Te meum et me tuum esse præfixus titulus insusurrat, et utinam tali susurrio quidquam peremptorium non occurrat ! utinam potens gratia, sicut cœpit, in te permanens operetur, donec cursum compleat, et sine termino consummetur ! Hæc est nimirum gratia quæ voluntate sua te fecit hominem cum non esses, quæ majore bonitate lavit fonte vivido, cum jam esses : quæ in annos pubertatis, et florem adolescentiæ te perduxit, juventutis ingresso porticum tibi largius et evidentius jam illuxit. Pater tuus vivens, et adhuc satis validus non defecit, et eo concedente non homo, sed gratia comitem te prælecit, et quod longe est amplius, principatum tuum tanquam Saulis non abjecit, dum a potente lateralem superbiam a juvene juvenilia desideria longe fecit. Hæc et hujusmodi meum, id est mihi gratum amplectendum, commendabilem te fecerunt, tua facie nondum visa te mihi non incognitum reddiderunt : quia et meam ipsius faciem necdum novi, et tamen longe melius quam quisquam alius, me cognovi. Quia igitur scio et sentio divinam in te gratiam mirabiliter operari, operanti gratiæ te voluntarium efficaciter applicari : magis amo, plus gaudeo tuum interiorem animum sic videre, quam vultum exterius, quem videris, etiam non diligentibus exhibere. Sic te videns nec invidens tuæ licet excellentiæ necdum notus, ipse quoque tuus sum dum tuo profectui sum devotus : tuus sum, tibi favens, tibi diligens adgaudere, et ut iter bene cœptum deducas ad perfectum calcari modico submonere. Etsi 82 enim plures doctos et devotos tibi habeas qui assistant, qualis enim princeps est, tales et eos invenit qui ministrant, etsi recte excitatum illorum te vox hortatorio prosequi non desistat, reor tamen quod equo sic admisso calcar latenter subditum non obsistat. Scito ergo quia de magnis esse dignum laude præcipua non habetur, cum plerumque in viro nobili animus prave degener enervetur, nec est magnum præeminere cujusvis apice dignitatis, si non ornet dignitatem excellentia con- A gruæ probitatis. In hoc autem quo præemines principatu, genere, juventute, quisquis attente perspicit te non tam istis quam scientia præditum et virtute : si odio vel invidia non tenetur, non potest non lætari, non potest hoc insolitum, ut phœnicem avem unicam non mirari. Si enim princeps nobilis, juvenis passivorum scortorum lenociniis latera non inclinat, sed in toro tantum legitimo et complexu non nisi licito se reclinat ; si oblatis muneribus unca manu post avaritiam non declinat, ardoremque famelicum emunctis pauperibus non saginat ; res est mira et miranda, nec in foro vel trivio facile reperitur, et quo rara et præclara, eo a claro principe plus ambitur.

Nec solum ab illicitis bonus princeps pedem revo- B cat vel affectum sed ampliore gratia tendit festinatius ad perfectum : et parviducens quod ad vitia tanquam male validus intorpescit, extensus in priora amore justitiæ vehementius inardescit. Si ergo contra leges quemquam percipit vel mutire, si quilibet dives in pauperem, si raptor audet in Ecclesiam desævire, ne serpat virus noxium si enerviter langueat disciplina, ille manu agili educit gladium de vagina. Cui, etsi obmurmurat nonnullorum carnalium hebetudo, (semper enim æmulos invenit, et est signum cui contradicitur, fortitudo) zelo tamen accensus Phinees procedit (*Num.* XXV), neque revocat pugionem, donec de præsumptoribus dignam referat ultionem. Sunt nonnulli qui cum audiunt zelo zelantem principem commendari, et quam se- C vere illud, sive illud vindicarit piaculum prædicari : dente satyrico mordent quod juste agitur et depravant, et velut abhorrentes cum Pilato judice manus lavant (*Matth.* XXVII). Fervet ille, sed amore, nec repente, sed more consueto, isti nequam interpretes iræ et impetui tribuunt indiscreto : secat ille clavum clavo, vulnus recte vulneri judicans expedire, detractorum livor submurmurans mentitur medicum insanire. Mendax quorum detractio, verax quidem retractio vult haberi, vult principem retrahere ne ad culmen justitiæ nitatur promoveri, ne sub hujus tegmine pupillus et vidua gaudeant se foveri, et Christi monasteria a raptorum morsibus prohiberi. Quod si forte contigerit ad aures vel notitiam prin- D cipis devenire, absit tamen ut consentiat a justo proposito resilire, sed sic linguas reprobas et iniqua labia diligat prævolare, ut videatur illud cujusdam æthnici frustra laborantibus objectare ; principio clivi vester anhelat equus. Verumtamen ut is qui tentat Satanas in principe quidpiam non usurpet, ut justitiæ puritatem nequam ille et subdolus quavis macula non deturpet : in se reversus princeps Dei humiliter recordetur, eumque verbo Davidico vel quolibet simili deprecetur : « Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu (*Psal.* CXLII) ; » et : « Deduc me in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam (*Psal.* CXVIII). » Qui si forte litteras didicit, quorum scientia non est

tantummodo clericorum, multi enim noverunt litteras in gradu sive ordine laicorum : nonnunquam feriatus a tumultu vel negotio militari, assumpto sibi codice debet tanquam in speculo se mirari.

Sunt quidem tam æthnicorum quam orthodoxorum tractatus expoliti vel epistolæ vel commenta, quæ viris nobilibus non parvæ utilitatis offerunt documenta : dignitatem ornant, militiam ordinant, roborant juventutem ; mores ædificant, animos acuunt, promovent ad virtutem : torporem arguunt, zelum suscitant, describunt æquitatem, iram temperant, commendant clementiam, suggerunt lenitatem. Hæc et horum similia legere vel audire princeps mente nobilis non fastidit, eorumque memoriam ad curas temporalium penitus non allidit : indignum ducens aurem fabulis, aleis revocantibus manum dare, et non magis codicellum, saltem furtim hora sibi congrua præsentare. Vidi, ut recolo, cum comes Carolus divinis altaribus assistebat, reverenter et decenter legendis psalmulis insistebat, et ut limatus mucro cum sumendæ tempus aderat ultionis, sic decebat devotum principem libellus tempore lectionis. Vidi et comitem Ayulfum, nobilem genere, egregium forma, moribus informatum, qui, magnas parentibus gratias referens quod eum a puero fecerunt litteratum, sic mihi colloquens se Latinum exhibuit, ut non nisi clericus videretur, sic se reddens et militem, ut paulo post ad paganos pugnans pro patria moreretur. Non enim scientiæ fortis militia vel militiæ præjudicat honesta scientia litterarum, imo in principe copula tam utilis, tam conveniens est duarum ut, sicut prædictus Ayulfus asserebat, princeps quem non nobilitat scientia litteralis, non parum degenerans sit quasi rusticanus et quodammodo bestialis.

Porro quia tibi et parentum cura litteras **83** a pueritia dedit nosse, et quod litteræ prædicant et commendant, superna gratia dedit posse : fac quod facis, imo profice et proficiens perfice quod cœpisti; cum pure diligens a quo ut hoc velis et valeas, accepisti. Nec enim tuo merito, sed illius beneficio et vivere et recte vivere tibi datur, neque per te, sed per illum tua potentia cæteris principatur : qui et malis plerumque in hoc duntaxat tempore regnum donat, et faciens eos reges, suo tamen honore vel gloria non coronat. « Per me, inquit, reges regnant (*Prov.* VIII). » Ad hoc autem nonnullos elevans quavis potentia dat florere, quibus tamen, eo quod ipse novit, judicio disponit cœlestia non præbere, ut meliores quique attendant et recolligant, et non plus justo diligant hic præesse, quod non bonis proprium, sed commune sibi cum reprobis vident esse. Eos vero quibus ea bonitate, quæ sua est, veritatis regulam donat scire, et ad tenendum eam apponit gratiam impertire : ad hoc erigit in sublimi, et in solio dat sedere, ut acceptum beneficium possit cæteros non latere. Quod ergo tu justum intelligis, et devote prosequi diligis intellectum, tibi favet gratia, tibi quidem consulit ad profectum : qui si privatus es in humili par inferioribus resideres, promissum justis præmium nisi justitiæ merito non haberes. Quod vero eadem gratia te præfecit, non uni tantum homini, non uni tantum ordini, non uni tantum provinciæ, sed potius multis unum, non tibi soli video, sed subjectis omnibus opportunum, cum pax et tranquillitas quam sibi necessariam illorum expetit multitudo, tua illis enutriat, custodiat, et fortis diligentia et æque diligens fortitudo. Felices illi qui defensorem habere meruerunt agentem annos teneræ juventutis, sed habentem mores et prudentiam maturæ senectutis : virum consilii, prudentem eloquii, et charitatis erga Christi pauperes copiosæ, tenacem justi, efficacem propositi, sollicitudinis erga subditos fructuosæ. Quos nimirum quanto securiores vigens efficit disciplina, quanto sub alis tuis a tumultu liberos et rapina : tanto se obligatos et amplius noverint debitores, et ad reddendam vicem digne sollicitos, et ex debito promptiores. Debent enim divinæ majestati pro te omnes et singuli supplicare, precesque et hostias indefesso affectu replicare, ut illius bonitas in bono te confirmet, et secundum Apostolum (*I Tim.* II) quies et tranquillitas conservetur, et augeat quod nondum prævales quod tuis forte meritis non debetur. Nec solum ii qui tua gaudent protectione tuoque munimine sepiuntur, qui te patrocinante optato pacis beneficio potiuntur : sed et quique exteri vel remoti, si tamen Dei fuerint amatores, tibi jure obnoxii, tui sunt procul dubio debitores. Quicunque enim fidei et dilectionis ubique locorum tenentur unitate, necesse est ut mutua velut membra corporis gaudeant sanitate : et quod alter in seipso necdum meruit obtinere, videns jam in altero non potest non gaudere.

Quia ergo intra fines tuos jam viget pars Ecclesiæ, jam quiescit, adhuc foris laborans altera, visa tamen vel audita sanitate alterius hilarescit : et non solum illis quibus tantum feliciter beneficium dari videt, sed et tibi, cujus ad hoc sollicitudo invigilat, jam arridet. Omnes igitur qui filii Ecclesiæ Deum colunt fideliter et adorant, cum te talem audiunt, favent tibi, te diligunt, pro te orant : quidquid potest, si quid potest, imo quia potest devotus eorum interventus, tuum facis et acquiris, tuo solius merito non contentus. Sic omnes illi tui sunt quorum affluentia ditior inveniris, et illorum suus es, quorum prece et benevolentia custodiris : pro te suo illi tui stant, et in acie laborant spiritali, te sustentant laborantem principatu et negotio temporali. Eo fretus munimine malignorum castra hostium securus penetrabis, mundi hospes non civis deditus mundi contagia non amabis : accinctus latus gladio, non mundo sed Ecclesiæ militabis, Neronis, Alexandri et quorumvis similium cæcam tyrannidem ignorabis. Multorum quoque præsentium non fallax suggestio te seducet, ad lacerandum subditos aliorum forma principum non inducet, qui habentes speciem fidei, sed carentes meritis et virtute, quos

munire et lenire debuerant, premunt et opprimunt Ægyptiaca servitute. A quorum affectu et effectu immunem te futurum divina Providentia jam quodammodo præsignavit, cum tibi recens nato nomen proprium assignavit, cum de tam multis et variis nominibus unum voluit segregari, et provido satis consilio Philippum statuit appellari.

Interpretatur autem Philippus *os lampadis*, aut, *manuum*. Cujusmodi interpretatio, ut videre videor, tuo principatui famulatur, qui aliorum multitudinem principum errore cæco vel avaro oculo non sectatur, dum acceptam interni luminis gratiam fossa humo, vel superducto modio non abscondit, sed ut lampas ore lato et patulo propinat luminosius et refundit. Nec dissonat ab eodem quod Philippus *os* etiam *manuum* prædicatur, quia quod Deus principem te constituerit, ore tuorum operum declaratur; quod in tuo principatu vel tua devotio, vel divina dispositio cogitat et intendit, manus tua, id est operatio evidenter loquitur et ostendit.

Recte ergo tibi et os lampadis et os manuum videtur convenire, et gratia regenerans 84 nomen satis congruum tibi voluit invenire, quia tuum commendat principatum liberalitas animi luminosa, et tua omnis actio pressa non est silentio, sed clamosa. Quanto autem pretiosior hujus non tam nominis quam meriti celsitudo, tanto eam rarius aliorum principum obtinet multitudo : plures quorum sublimes solio cum vitiorum voragine deprimantur, ignorantes Dominum ab eodem nihilominus ignorantur. De qualibus : « Ipsi, ait, regnaverunt et non ex me, principes fuerunt, et non cognovi (*Osee* VIII). » A quorum consectatu clemens Dei potentia, et potens clementia te avertat, aversumque a reprobis ad amorem justitiæ amplius et amplius te convertat, ut finito vitæ præsentis cursu, cum non principes sed justi principes audebunt se summo principi præsentare, qui potentes non abjicit cum et ipse potens sit, te potentem in suo secum solio dignetur collocare.

EPISTOLA XVII.

PHILIPPI AD HENRICUM.

Ejusdem argumenti.

Tibi magno plures magni munera magna mittunt, qui tuam sibi gratiam vel jam obtinent, vel promittunt; et ea quæ mittuntur, vel sui pretio tibi sunt gratiosa, vel auctores forte grati ea faciunt pretiosa. Ego vero neque me tibi gratum, imo necdum merui cognitum exhibere, neque magnum aliquid tuæ plenitudini videor adhibere : et ob hoc vereor ne quasi præsumptive brevem ad ardua manum mittam, dum tibi magno parvus nisi oratiunculas et viles schedulas non transmittam. Verum ad hoc quorumdam relatio me multoties animavit, quæ te virum nobilem nobiliore gratia præditum commendavit; eo quod tanto principi adsunt dona charismatum tam præclara, ut in aliis hujusmodi principibus inveneri valeant satis rara. Audis enim, ut aiunt, et et respicis dignanter satis pauperem miserandum, habens cor patiens, et manum patulam ad donandum : sciens quia devotio misericordiæ et impensa eleemosyna miserentis adversus incentiva peccatorum, aquæ vicem obtinet exstinguentis. Ades ergo propitius, pupillorum clamoribus, viduarum gemitibus, ægris decumbentibus et leprosis, eorumque inopiam propulsas vel allevas muneribus copiosis, ut jam quis non dubitet quod hæc charitas tam diffusa, patris tui tam exemplo quam merito in te filium sit transfusa. Sicut enim peccata patrum usque ad tertiam et quartam generationem in filiis consimilibus puniuntur, sic non est abs re credere quod bona parentum merita eodem ordine prætenduntur; et illorum justitia prodesse filiis non mediocriter invenitur, dum horum conscientia frequenter forma præcedentium convenitur.

Porro tuus ille pater quem mira in pauperes liberalitas insignivit, cujus non animum avaritia, non manum tenacitas irretivit : te, quem suum hæredem disponebat, honesta scientia præmunivit, dum provida sollicitudine studiis a puero liberalibus erudivit. Et recte. Quem enim reddit nobilem sanguis ingenuus, series parentelæ, quem divitem possessio, dominum servitus vel obsequium clientelæ; dignum fuit ut a vulgarium ignorantia, et brutorum hominum stolida cæcitate, scientia litteralis educeret, et clara præditum redderet libertate. Unde et litterarum scientiam recte vocant æthnici liberalem, quia cum qui labore et studio sortitur gratiam litteralem, a confuso vulgi consortio et a multitudine liberat publicana, ne pressus et oppressus teneatur compede et hebetudine rusticana. Multum ergo debes patri tuo cujus tibi cura et diligentia sic providit, qui non solum quæ sua erant, sed et quæ obtinere non merueral, filio non invidit, ut cum te multis populis disponeret comitatus excellentia principari, vellet quoque super cæteros comites litterarum scientia sublimari. Multum etiam, imo plurimum debes Dei gratiæ tantæque bonitati, cujus ope et opere honestum quid et utile tu et pater estis pariter operati; pater quidem sollicitudine, imperio, monitu, suadela, tu vero affectu, studio, moribus, obsequela. Horum concursu scholarem disciplinam per annos aliquot prosecutus sub magistrali ferula, liberalem es scientiam assecutus; et juxta modum temporis et personæ, tantis, ut aiunt, litteris es imbutus, ut quamplures clericos transcendas in eorum nequaquam numero constitutus. Quamvis enim appositus litteris te fore clericum non præscires, sed accingendum gladiali balteo et implicandum negotiis militaribus præsentires : adversus tamen litteras non odio, non fastidio torpuisti, sed labore cum gratia earum commendabilem tibi scientiam acquisisti. Ad hoc autem additur, quod cum in litteris adeptus sis intelligendi gratiam et profectum, erga eas applicas quamdam animi diligentiam et affectum, et miles nobilis, princepsque militum, sic amas et honoras milites loricatos, ut clericali more diligas litteras,

benigne colligas litteratos. Aliquando enim militare negotium causas decertantium, strepitus forensium intermittis, teque tibi vindicans, ad clericale otium te remittis : et assumpto codice gaudes lectionis serie revoluta, in qua tanquam in speculo tua tibi lucet facies absoluta. Nam sive æthnicorum **85** sive Catholicorum scripta relegas, codices perscruteris, si pretiosum a vili prudens lector separare juxta prophetæ (*Jer.* xv) consilium non graveris : invenis quid populum, quid militem, quid principem deceat vel prælatum, ad quid vel fortuna secundum æthnicos, vel Dei gratia juxta Catholicos, tibi super cæteros dederit principatum. Invenis etiam quid majoribus, quid æqualibus, quid minoribus tua debeat celsitudo, ultra vel citra quod debitum consistere non valet rectitudo ; quæ abhorrens deviam tortitudinem amat et amandum clamat quod naturæ, quod moribus, quod dignæ convenit honestati, quod Deo, quod proximo, quod religiosæ debetur sanctitati.

Hæc et similia horum cum legis et frequenter relegis in Scriptura, cum prudenter intelligis et discernere diligis a quibusque noxiis profutura : non recedis a principe, nec a rectore nobili populorum, nec ignavus degeneras, sed teipsum quasi regeneras aquis liberalibus antiquorum. Aquas Rasin turbidas popularis forensium propinat hebetudo, aquas vero Siloe litteralis putei continet altitudo : illæ per vicos et plateas rivis tanquam pluvialibus sunt effusæ, istæ horto florido et fonte perlucido velut sub signaculo sunt conclusæ. Illarum diluvio servilis mente conditio, et bestiales fori homines opprimuntur, istarum raritatem nobiles intellectu, affectu proni, liberi animo gratius assequuntur : et cum plerique accedentes altam fontis præsentiam sint adepti, quantum video, ut non poti qui non intelligunt, sic non nisi qui diligunt sunt refecti.

Sunt quidem innumeri qui surdo litteras transeunt intellectu, sunt plures qui intelligunt, sed amplecti negligunt ex affectu : sciunt neque sentiunt languentes fastidio non amore, ut asinus comedens carduos non succo trahitur, non sapore. Sunt alii inter multa prædictorum agmina satis rari, agiles intellectu, studii patientes, scientiæ non ignari, qui cum invenerint litteras, in earum amore adeo sunt avari, ut quantumvis aut opibus aut genere, aut dignitatis excellentia sint præclari : eas tamen contemptu prodigo elabi non sufferant, sed unca manu teneant et conservent, et, ut plus dicam, solliciti frequentius eas vel oculo vel auditu patulo coacervent. Qui etsi curis exterioribus occupantur, litterarum tamen amorem et sollicitudinem non deponunt, nunquam dicunt : Sufficit, nullam in scientia metam ponunt ; sed cum tempus et cura patitur, revisunt litteras et frequentant, et subtracti negotiis, litterali otio se præsentant. Nec ignavum est otium, sed utile negotium litteris inservire, et quid rite vel delectet vel expediat, in eis frequentius invenire, quas ad hoc in Ecclesia Deus, ut arbitror, voluit frequentari, ut earum frequentia ipse quem prædicant possit cognitus plus amari. Cum enim pluribus et dissimilibus linguis Deus uti velit diversas hominum nationes, et vel ab invicem discerni vario, vel eodem confœderari labio plurimas regiones : eam linguam, nisi fallor, quodam reverentiæ et amoris privilegio vult præferri, quam versari inter sacra ecclesiastica et ad posteros litteris vult transferri. Unde etsi Hebræa et Græca eo datæ sunt ordine patribus ab antiquo, tamen quia non usu, sed fama sola ad nos quasi veniunt de longinquo, eisdem valefacto, ad Latinam præsentem noster utcunque se applicat intellectus, et, nisi forte duri sumus et reprobi, intelligentiam sequitur et affectus. Eam quippe linguam debet quisque affectuosa reverentia venerari, per quam sibi Deum verum audit expressius prædicari : per quam nostra redemptio, cunctorum resurrectio, sanctorum glorificatio, verius innotescit, et, ut concludam breviter, ipsa Dei et eorum quæ sunt Dei cognitio legentibus et non negligentibus dilucescit. Recte ergo viro nobili litterarum placet nobilis officina, cujus exercitio cuditur salutaris morum, scientiæ, fidei disciplina, ita ut si cuilibet vulgares linguæ præsto sint cæteræ, non Latina, ipsius pace dixerim, hebetudo eum teneat asinina. Quod tu recte considerans, Latinam linguam litteralemque scientiam non ignoras, et eos quos percipis apprime litteratos, diligis et honoras : majores quosque reverentia, minores plerosque munerans donativis, eosque indigentes de necessitatibus eruens oppressivis. Quod propter livor edax qui juxta quemdam æthnicum (50*) petere summa gaudet, et cum forte majorum faciem non præsumat, mordere calcaneum semper audet, videns quia diligis et larga manu colligis litteratos, cum non possit hoc sufferre, apponit et inferre sermones venenatos. Videns etiam quia ecclesiarum nova ponis, ut architectus sapiens, fundamenta, ædificas parietes, festinas superaddere tegumenta (51) : domus Dei decorem diligens congrua das ejus interioribus ornamenta, aurum, argentum, lapides, libros, calices, indumenta : denique quidquid sentis ecclesiastico vel usui vel ornatui convenire, tam diligenter præparas, ut videaris expensarum dispendia non sentire : videns, inquam, livor in talibus sollicitum te haberi, non potest non tabescere, non potest sub silentio contineri. Est et signum cui contradicitur, quod in eisdem ecclesiis diligis clericos congregare : quos propter quamdam vivendi licentiam sæculares consuetudo voluit appellare : quibus ad hoc sumptus necessarios et assiduos amas reditus providere, ut illic ad serviendum **86** et ipsi voluntarios ament et assiduos se præbere. Quibus convenientibus cum

(50*) Ovid. lib. I De remedio amoris.
(51) Nota fundationem prioratus Divi Martini de Campis.

solemnis canitur psalmodia, cum hymnis et canticis et suavibus organis concors personat melodia : delectaris, ut aiunt, velut quadam firmamenti et siderum harmonia, imo, ut dicam rectius, angelicæ symphoniæ, et cantuum supercœlestium prophetia : in quibus, ut æstimo, non debes temere judicari, et quod bonum agitur non debet malum nequiter æstimari : cum nulli sit dubium quin sibi Christus velit ecclesias dedicari, et in eis, ab antiquo, auctoritate apostolica, sciamus clericos ordinari. Absit autem ut quisquam sapiens sic eosdem præsumat clericos accusare, ut et eos judicet qui tales voluerunt in ecclesiis congregare, cum intentio congregantium hoc proponat, ad hoc propositum dirigatur, ut Deo in ecclesiis clericali ministerio et labore litterario serviatur. Porro a finibus usque ad fines orbis antiquitas ordinem extulit clericalem, et inter omnes reliquos auctoritas gradum ei contulit principalem : et divina dispositio quæ nonnunquam vel militem, vel rusticum ampliori donat munere sanctitatis, præferre tamen voluit clericum ecclesiasticæ excellentia dignitatis. Unde et Ecclesia Romana, et quæ ab illa diversis locis et temporibus plurimæ defluxerunt, longa retro serie ad nos usque, clericis refulserunt, quorum etsi plerique ad infirma et egena mundi elementa, ut homines, se inclinant, ab eorum tamen et ordine et nomine potestas et auctoritas non declinant. Illi quidem et sedem apostolicam et cæteros ubique locorum obtinent præsulatus, tam militem quam plebem judicant sui merito principatus : illi manu et ore baptismi sacramenta consecrant et altaris, omnibus leges ponunt et docent vitæ semitam salutaris. Illis etiam qui, quoniam solutam vivendi regulam religasse arctius æstimantur, religiosi vel regulares speciali vocabulo prædicantur : illis, inquam, apostolici, archiepiscopi, episcopi et eorum clerici præsunt et imperant suæ privilegio dignitatis, ipsi autem viderint utrum et debitæ congruentia sanctitatis. Nimirum clericis præsidentibus dignitati competens sanctitatis, ex mandato omnibus est injuncta, sed non statim quasi comes inseparabilis eisdem singulis est adjuncta, quia tam in clerico quam in laico sanctitas non est, nisi Dei gratiæ vel amoris, dignitas vero nonnunquam iræ est et judicii gravioris. Scriptum est : « Judicium gravissimum in his qui præsunt, fiet (*Sap.* VI). » Cum ergo super hicum diligenter attollis clericum honore et reverentia discretiva, cum eidem largius impendis pecuniæ vel redituum donativa ; ut arbitror, plus ordinem quam hominem divino suscipis intellectu, nec homini, sed nomini manum porrigis ex affectu. Paulus quippe dicit : « Cui honorem, honorem : cui tributum, tributum (*Rom.* XIII). » Defers honorem ordini ab antiquis patribus institutum, in Ecclesia militanti necessarium alimoniæ das tributum, sciens quia palmes jacet, et in altum erigi non attentat, si eum ulmus prophetica, vel quodvis adminiculum non sustentat. In quo nemo te judicet, nemo tuum propositum in partem lævam audeat detorquere, ne judex temerarius mereatur multo justius displicere ; quia et tua hæc operatio Deo placita, tibi utilis potest esse, et eis, quos congregas, divina propitiatio non deesse. Denique sicut inter sanctos et electos apostolos malitia perdita Judas Scarioth est præventus (*Matth.* XXVI), sic inter æthnicos sæculares centurio Deo gratior est inventus (*Act.* X), ut nulli de assumpto religionis pallio sit justo amplius confidendum, nec de illis qui relicta sindone videntur, ambulare inconsulto præ judicio diffidendum. Spero autem quia opus tuum tam in ecclesiis construendis, quam in clericis colligendis divina æquitas non cassabit, sed si forte sapis quid aliter, hoc ipsum tibi ejus bonitas revelabit : et quod tam liberali, tam sollicita manu principis est incœptum, evacuato quod ex parte est ducetur largius ad perfectum. Ipse enim qui sibi voluit, volens instituit ecclesias dedicari, et clericis ab antiquo totius ecclesiæ primatum assignari, et propositum tam solemne ad nos usque longa dierum serie derivari ; ipse, inquam, non sufferet his diebus iras invidentium, aut verba detrahentium prosperari, sed potius clericos et omnes qui recte amant clericos, honore salutifero promovebit, eorum fovens bona, malis clementius indulgebit.

Quisquis vero ubique gentium vel locorum clericus amat esse, tibi amanti clericos retributor et obnoxius debet esse : supplicare Deo devotius, offerre precum hostias indefesse, ut te secum inter illos Deus tandem clericos velit esse, quos meritum cum gratia perfectos in gloria dabit esse. Nec dubitandum extima quin preces talium audiat, imo exaudiat divinæ benevolentia majestatis, quæ in præsenti Ecclesia ad hoc illis contulit supereminentiam dignitatis, ut pro sua et aliorum ignorantia rogaturi, eo fiducialius, quo familiarius antecedant, et prælati officio præsumentes de beneficio pro erratibus omnium intercedant. Quorum intercessio illi præcipue viva et vivacius efficax invenitur, illi Deum reddit placabilem, illi optatum beneficium impertitur, qui eorum ordinem per quem cæteris tanta diligentia subvenitur, **87** reciproco affectu diligit, et par pari prono animo remetitur. Sic devotus laicus quod proprium est clerici dato quasi pretio suum facit, dum illi ad orandum promptissimo, iste affectu promptulo satisfacit ; ille paulo fidentior legatione prævia fungitur et insistit, iste legatum diligens irremotus ei jungitur et assistit. Et revera quos in præsentiarum tanto munere gratiarum amore tam vicario Deus donat, eos et ipse diligens, in regno cœlorum suscipit et coronat ; et quos incolatus sui tempore facit de alterutro gratulari, clauso mundi termino donat in se Domino æternaliter gloriari. Vale. Valeant et qui te bene valere optant.

EPISTOLA XVIII.

PHILIPPI AD RICHERUM.

Studia litterarum ecclesiasticis viris esse necessaria.

De te quidem, frater charissime, plures mihi post invicem sunt locuti, et omnes inæquali forte sensu, sed uno tamen consensu satis commendabilia prosecuti : sermone benevolo sibi cognita mihi placita retulerunt, sed nondum ad videndum tuam mihi faciem obtulerunt. Quo autem amplius audio de te uno, tot et talia recenseri, eo magis, ut assolet, tuam cupio faciem intueri : nec absenti mandare, sed dare præsenti verbum gratiæ vel salutis, venerari canos tuos obtinentes reverentiam senectutis. Quamvis meus qualiscunque animus videndi beneficio non privetur, qui tuam non extrariam sed internam gratius faciem intuetur : illam, inquam, faciem quæ non pallet, non febricitat, non ægrescit : non rugatur annorum senio, sed virtutum studio maturescit : illam videns, intelligo, et intelligens diligo me videre, illa mihi præsentatur, illam mihi sentio subridere : et cum longe sit remota et ignota carnis facies morituræ, elucet mihi species mentis nullo termino desituræ. Tales illos decet esse qui scholarem incolunt officinam, qui studendi malleo vel incude sciendi fabricant disciplinam, qualem fida relatio benevolis auribus te commendat, nec est qui commendantem nisi forte livor malevolus reprehendat. Ad hoc quantum intelligo studuisti, imo et studes negotiis scholaribus inservire, ad hoc amas esse discipulus, non tam audiri appetens quam audire, ut auditu doctor cautius respuas nocitura, et ab his expeditus affectuosius diligas, et diligentius eligas profutura. Agenda enim scire et ea diligenti affectu non sentire, non solum est inutile, sed nocivum, dum quivis sciolus, si sit malevolus, exinde peccandi colligit incentivum : et in malevolam animam sapientia refugit introire (*Sap.* I), qua foris posita, quod quisque scierit, convincitur non sentire.

Cum vero scienti non sapit scientia, cum sapor ejus gustu intimo non sentitur, cum sola quis tenet verba, non dulcedinem experitur; cum bonis quæ intelligit, non dilectionem applicat, non affectum, quid nisi jejunum et inopem, et prorsus inutilem efficit intellectum? Imo sicut scientia informat et instruit, honestat et illuminat diligentem, sic eadem inflat et destruit, accusat et arguit conscientiam negligentem (*I Cor.* VIII); et carentem pondere, subtractamque solidæ veritati, ut paleam vento expositam, in præcipitium dat peccati. Unde vides plurimos plurimum quidem vel semper discentes, et sero vel nunquam ad scientiam veritatis pervenientes (*II Tim.* III), quanto scientiæ curiosius applicant studium vel laborem, tanto a sapientia excursum facere longiorem. Quorum typum gerens Ecclesiastes (cap. VII) : « Dixi, ait, sapiens efficiar, et ipsa longius recessit a me. » Cum enim collegerint Aristotelis sententias vel Platonis, Quintiliani colores, flores compositos Ciceronis : cum aquarum diluvio turbidarum poti fuerint et imbuti, cum pannosam æthnicorum scientiam multis laboribus assecuti : hoc studio non seipsos ab errore expediunt, a negligentia veraciter non excusant : cum aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, vel prorsus nesciunt vel recusant. Qualibus quidam æthnicorum ait : « Vos aliam potatis aquam. » Qui si forte velut saniore usi consilio, et applicantes animum rationi, quandoque apposuerint divinæ dare operam lectioni : plerumque labra tantum velut fonte proluunt caballino, dum quod legunt, non sitiunt, nec amore hauriunt intestino. Quia vero talium invenitur plurima multitudo quos in camino scholari exercet studii malleus et incudo : felicem et egregium illum dixerim quem sic fovet et promovet divinæ gratiæ rectitudo, ut eum et sciendi amor non deserat, et vivendi teneat sanctitudo. Nam et sanctitudo sine scientia plerumque errans deviat, vel non plenius elucescit, et scientia sine sanctitudine vitiorum scatet vermibus et sordescit, cum vero eas constat velut indivisa copula convenire, nihil utilius, nihil honestius in humana vita possumus invenire.

Felix ergo ille qui hoc gratiæ beneficium est sortitus, qui lima et studio ad sciendum et vivendum pariter expolitus : inter scholares convenas et condiscipulos sic versatur, ut eis in utroque forma vel speculum habeatur. In medio quippe juvenum, juvenilia non sectari, in ampla latitudine, habenis laxioribus non vagari, inter vagos et lubricos, districto moderamine refrenari; quis non ducat dignum laude, quis recte sapiens non studeat imitari? Si vero, quod absit! convenarum dissolutio, si confusio tanta est Babylonis, ut eos ad vivendum melius non lectio excitet, non propositæ speculum actionis, civis tamen Jerusalem habet gratiam, habet ejus meritum sanctitudo, nec ejus propositum flectit circumstantium vel forte detrahentium multitudo. Denique sicut viventes pueriliter moralis vel spiritalis lectio colaphizat, sic perversos et reprobos honesta quorumvis conversatio scandalizat : et unde bonus corrigitur, et virtutis accipit incrementum, inde nequam nequior gravius incurrit detrimentum. Sed ut nosti schola est velut ager arboribus omnis generis consitus indiscrete, aut ut forum quo omnes confluunt nec se una continent sub quiete : in illo cultor bonus quasdam provehit, quasdam arbores eradicat, in isto gaudet emptor et merces colligit, luget venditor et mendicat. Ita, ut melius nosti, habet se scholaris disciplina, in qua alium intellectus agilior et subtilitas provehit aquilina, alium sensus rudis et hebetudo detinet asinina; alius ad vivendum melius lectione proficit et doctrina, alius more suis jacens, jacet in volutabro vel sentina. Qui autem studio et intellectu præeminet inter desides et obscuros, et quod est præstantius fervet spiritu, vita et moribus proficit inter duros, quid nisi oliva est fructifera inter rubos steriles et spinosos, sive ille carbunculus lucens inter lapides tenebrosos? Unde ut videre videor, schola claustrum alterum

dici debet, quæ diversis convenientibus imitabiles multos præbet, quæ studiosius deditos lectioni a forensibus avocat et avertit, et eorum affectus reprobos vel attenuat, vel convertit. Etsi enim inferiorem superior non semper excitare prævalet ad agendum, tamen lectioni deditus, exemplo cæteros provocat ad legendum : et assumpta lectio habet quamdam occupationis gratiam et profectum, quamvis occupatio nulli sufficiat ad perfectum. Verumtamen exceptis his quæ indubitanter operantur veram mentis sapientiam et virtutem, quarum beneficio quisque sibi meritum colligens, certam pervenit ad salutem : nihil æstimo convenientius clerico quam litterarum studiis inhærere, tenere manu codicem, lectioni frequentius assidere : in hac exercere non solum pueritiam, adolescentiam, juventutem, sed multo gratius, multo suavius, canis floridam senectutem.

Denique quisquis tam junior quam senior amat clericum profiteri, miror qua duritia refugit litteras intueri, quo fastu, quo fastidio lectionis frequentiam adversatur, cur avidius inter divitias, quam inter litterarum delicias conversatur. Miror quibus ingenium suppetit, mora temporis et facultas, cur non eisdem adest inexplebile sciendi desiderium et voluptas : cur non scholas quam nundinas, non secreta quam compita diligunt frequentare, non exaratos codices, quam auratos calices, non scientiam, quam pecuniam ostentare. Miror, inquam, cur non reliquis omnibus præponunt exercitium litterale, nisi forte cum sibi vel proximis impendunt aliquid plus necessarium, salutiferum, spiritale : cum nulla clericorum vel ætas vel dignitas recte debeat accusari, si respuens forensia, amet lectionibus occupari.

Primum itaque ac præcipuum locum apud clericos recte claustrum obtinet regulare, in cujus reclinatorio celebratur otium, imo negotium salutare, ubi recisis propriis actio præeminet et fructificat insitiva, frequentatur divina lectio, perfectio cuditur inspectiva. Secundum vero locum scholaris debet sibi conversatio vindicare, amore cujus prudens clericus eligit laicalia relegare, ut cum navem claustri naulo carens et insufficiens non ascendat, ne perdite naufragetur, vicinam scapham sive tabulam apprehendat. Qui si et illam deserens ad infirma mundi defluat et egena, quæ litteras oblitterant, et a clerico probantur aliena; a dextera longe factus, invalescente naufragio in contrariam partem vergit, unde vel salus vel honestas vix aut nunquam enatat vel emergit. Quod quia prudenter attendisti, ad persistendum volo te diligentius commonere, si prima non aggrederis, cave propositum ad ultima retorquere : inter utrumque volans, fac quod facis, tene quam tenes tabulam et inhære, scholarum prudens incola vagari respuens, quam sedere. Lege imo et relege sanctos codices, qui componunt et proponunt tibi virtutum vehiculum vel quadrigam, cujus non Eliam typicum, sed Christum ducem statuunt et aurigam : quo evectus, si claudas A vesperam et diem ultimum senectutis, ad optatum bravium, ad metam vitæ venies et salutis.

EPISTOLA XIX.

PHILIPPI AD RAYNALDUM.

Nobilem doctumque virum et pium ad prælaturam ecclesiasticam sublimatum esse gratulatur.

Inter tot et tanta rerum negotia quibus curam cogeris impertire, vix poterit, ut æstimo, præsens te pagina vacuum invenire : et ob hoc non mirandum si occursu ejus primo festinas protinus prosilire, et occupatus maximis, minima quævis et vilissima fastidire. Verum nonnunquam vir prudens inter seria levioribus condescendit, inter **89** alta negotia, vel ad breve otium apprehendit : inter arma frementia se sibi subtrahit et furatur, imo se sibi reddens, legit, audit, ruminat, aliquid utile meditatur. Felices res humanæ, cum regendæ et tractandæ viris talibus committuntur, qui fortes et discreti fiducialiter ad omnia præmittuntur, qui sæviente mari duris et asperis non franguntur, et serenato aere non plus justo prosperis inituntur. Qui largiente gratia non solum audacia et gladio, sed prudentia et consilio commendabiliter præmuniti vigilant pro Ecclesia, pugnant pro patria, resistunt et insistunt hostibus expediti, scientes quia sicut Judam Machabæum reddidit commendabilem manus et audaciæ fortitudo (*I Mach.* III), sic fratrem ejus Simonem profundi consilii supereminens altitudo (*I Mach.* XIII). Denique juxta Salomonem : « Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri (*Prov.* XX). » Cujusmodi viro si disponente Deo committitur rerum cura, si fortius ejus consilio vel consultæ fortitudini superadditur præfectura : viget imperium, floret Ecclesia, turba in populum conquiescit, hostes comprimuntur, jacet superbia, frendet infidelitas et tabescit.

Bene a principio divina bonitas ordinavit ejusque providentia suum imperio, suum Ecclesiæ beneficium non negavit, cum tibi viro nobili et professionem indidit clericalem, et manu largiore supra morem nobilium, scientiam addidit litteralem. Nonnulli quippe nobiles litterali addicti studio adeo sunt ignavi, ut sub divo plateis, gaudeant carne vel carnalibus in conclavi : nihilque putant durius quam studere diutius et doceri, redduntque se indignos ad culmen ecclesiasticum promoveri. Quod attendens princeps ille cujus dantur manu et imperio dignitates, clerus quoque et populus quorum est eligere sibi clericos in primates : revera non seducti, non inducti sunt ignorantia, non errore, cum te clarum litteris, moribus, gradu provehunt digniore. Ubi raro satis genere meruisti gratiam ampliorem dum prælatus, opus bonum, ut videtur, plus amplecteris quam honorem : ex re nomen habere cupiens super cæteros vigilas et intendis, tuorum paci militans, hostem hostibus te ostendis. In qua militia etsi gladium de vagina manu propria non educis, eos tamen qui educunt, regni hostibus superducis : expensis foves, hortatu promoves, regis consilio, roboras pro-

bitate, et ne quisquam te recte mordeat, vivendi præambulas honestate. Sicut enim tua magnanimitas bellicis hostibus onerosum, sic te conversatio reddit æmulis odiosum, dum livor pessimus nullum turpitudinis in te scrupulum deprehendit, et ob hoc dentem acuens non nisi digna laudibus reprehendit. Recte ergo, ut video, tibi ecclesiastica dignitas est collata, tuo recte consilio summa rerum post principem et a principe commendata : in qua prudens artifex gerendis rebus materiam congruam invenisti, quæ te reddit conspicuum, imo tu illam probitate conspicua prævenisti. Neque enim tibi dignitas contulit, sed inventam extulit probitatem, inventa vero probitas dignam efficit dignitatem : et miro satis modo sicut probum te probitas, non sic dignitas facit dignum, quæ nonnunquam collata improbo, non venustat sed ostendat indignum. Probitas vero semper venustat et conspicuat dignitatem, et ob hoc dignitas indivisam sibi expetit probitatem, quæ si deest expetenti, sordens antea plus sordescit, et dignitatis luce præambula ejus ignominia pluribus dilucescit.

Habet igitur probitas gratiam, carens culmine dignitatis, dignitas vero non nisi pœnam subtracto beneficio probitatis : et tamen cæca multorum ambitio sitit et inexplebiliter appetit dignitatem, paucorum vero sana dilectio nititur, nitens adipiscitur probitatem. Unde tua dignatio consideret sollicitius et attendat, ille hujus largitor gratiæ quid deliberet, quid intendat : cum manu largiore sua tibi porrigit donativa, magna quippe dum magnos faciunt, sed nondum completiva. Si jure defers principi ejusque veneraris fidelibus obsequiis majestatem, qui communem cum improbis solam tibi non solus contulit dignitatem : attende quid debeas, quem amorem, quam reverentiam, quem affectum ei qui solus tibi mores probos, honestam scientiam, prudentem contulit intellectum. Qui nimirum non solum ista quæ nullus hominum inventus est homini tribuisse, sed et ipsam credendus est dignitatem tibi ecclesiasticam contulisse, cujus præ cunctis regibus tanta est superexcellentia vel majestas, ut per eum reges regnent, et ab eo omnis omnium sit potestas (*Prov.* VIII).

Igitur quidquid boni sortitus es, ab illo noveris te habere, quidquid es et prævales, illi primo et præcipio te debere ; et cujus dono et gratia gaudens præsenti gloria et honore, illi teipsum obliga non loro stuppeo, sed affectu fortius et amore. Quis enim prius danti non fiat vel posterius retributor, quis non nisi avarus spiritu, largitoris præmii prosecutor : etsi impar facultate in mensura contra mensuram non potest remetiri, quis non saltem studeat devotus erga illum et benevolus inveniri ? Si amator inanis gloriæ venditori largius et munificus vult haberi : Largitori supernæ gratiæ negabis gratus et obnoxius exhiberi ? Ille prior tui amans vice reciA proca vult amari, sua tibi dans munera, tua postulat sibi dari, imo teipsum quærens, te, 90 non tua suo beneplacito vult offerri, tua tamen non respuens, sed te vult tuis omnibus anteferri. Nec enim propter tua, te, sed magis tua propter te respicit et acceptat, et cujus est orbis terræ, et plenitudo ejus (*Psal.* XXIII), de offerendis tauris et arietibus non disceptat : tui tantum cupidus tuorum avaritia non laborat, munus turpe judicans quod amor vel affectus offerentium non decorat. Ut autem te velit et requirat, et teipso quam tuo munere delectetur, non tua id nobilitas, non tua magnanimitas, non denique dignitas promeretur ; sed illius bonitate et gratia, quæ sua est, misericorditer te prævenit, quæ te et eligi et diligi dignum fecit vel faciet, non invenit. Inde est B quod cum, exigente negotio, aciem promoves bellatricem, et in gravi discrimine victoriam tibi invenis assistricem : et triumphanti, spolia, laurumque militi das victricem : tu jugo humilitatis, mira virtute animi, das cervicem. Sicut enim dignatus es tuis mihi litteris indicasse, nihil horum quæ victoriose gesta sunt, tibi diligis assignasse, sed quod fuga inita stratos plures a paucioribus demonstrati, non tuum, non hominis, sed divini nominis esse opus evidens affirmasti.

Bene rei veritatem intellectu lincæo pervidisti, et eam instar invidentium avaro silentio non pressisti ; tenens memoriter quod potens ille David cum victoriæ titulis exsultabat, non sibi, sed Domino, dari C gloriam postulabat. « Non nobis, ait, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam (*Psal.* CXIII). » Videtur quippe David quod suo non arcu, non gladio, non sagitta, sed robusto Dei brachio erat ei pax victoriæ conquisita : et cum de hostibus triumphans non in se, sed in Domino glorietur, humilem suam conscientiam multo victoriosius et fructuosius intuetur. Videns enim terso vultu prospera sibi blandius arridere, dignum ducit Domino eadem mentis constantia velut desuper irridere (52) ; et in populo gravi laudans (*Psal.* XXXIV), nequaquam instar paleæ rapitur omni vento, sed totum Deo tribuens, humiliter innititur eruditæ conscientiæ fundamento. Bene igitur sapis, nec tuam scientiam, nec tuam dedecet dignitatem, quod inter vana et mundana fateris ore D proprio veritatem, cum fugatis nubibus, solem videns prosperum sublucere, non ascribis hominibus, ne divinis operibus videaris nequiter invidere. Bene, inquam, sapis cum militem videns et populum humano more de victoria gloriari, non apponis pari modo, sed maturitate debita gratulari ; et juxta prophetam sic lætaris ut timeas, sic times etiam ut læteris, ut in die bonorum, malorum nihilominus memoreris (*Eccli.* XI). Ideo, cum multitudo forte non tam devotis quam diffusis cordibus rapitur ad lætandum, tu sapiens sane sollicitas devotos humiles ad orandum : et rerum blando risui tanquam baculo arundineo non innisus, precum instantia postulas adjuvari, ne

(52) Id est *applaudere*.

earum efficacia non diffusus. Hoc revera volo te facere, imo et proficere studiosius in incœpto, et sic pro Ecclesia vigilare, ut laborem fingas fructuosius in præcepto, ut quia imperialis Excellentia tibi curam imponere voluit militarem, in eo Regi summo obedientiam deferas salutarem. Neque enim rex terrenus, ut nosti longe melius, præjudicat summo Regi, nisi forte (quod absit!) cum perversus obviat summæ legi, cum vero pro Ecclesia, pro patria sane intelligitur imperare, audire debet subditus mandatum procul dubio salutare. Ob hoc nonnullos plerumque in expeditionem cernimus proficisci, qui non sanguinem fundere, sed pacem victoria cupiunt adipisci, quos non furor malitiæ, sed lex obedientiæ accingit balteo gladiali, nec gaudent strage hostium, sed fine potius triumphali. Talem et teipsum in susceptis belli actibus decet esse, ea forma, eo intuitu, negotiis sæcularibus interesse, ut cum te in facie superborum tam potestas quam necessitas ferum exhibet singularem, intra claustrum mentis compositæ, servet timoris et amoris præsentia regularem. Sic et militans Deo juxta Paulum (*II Tim.* II) non te sæcularibus implicabis, et juxta leges principum sagittam de pharetra, de vagina gladium explicabis; sacerdos et hostia timoris frixorio te probabilem exhibebis, dux vel signifer, hostes imperii ab effectu præsumptivæ malitiæ prohibebis.

Morum modestia, ruminatio Scripturarum, circumspectæ maturitas honestatis, altaris diligentia, reverentia Ecclesiæ, digna tuæ consideratio dignitatis; te clericum, te presbyterum, te re quam nomine nobis episcopum conservabunt, quem regis auctoritas, rerum necessitas, integritas fidei nonnunquam militiæ præsentabunt. Ad hanc autem militiam Christi miles audaciam recte sumes, dum non tenebris odio, furoremque vel malitiam non præsumes; sed dispensator providus sic produces in acie loricatos, ut malis hostes pacis filios effici, quam per rura devia projici bestialiter, immolatos. Sic te defensorem Ecclesia et pax suum sentiet amatorem: miles ducem strenuum, et campus Martius bellatorem: sic pater filiis, miles militibus, hostis hostibus apparebis, sic denique modo satis difficili, sed tamen possibili te omnia omnibus exhibebis. Potens autem poteris ad omnia prudenter institutus, poteris, inquam, non tuo solius brachio, sed adjutus: poteris, si fortiter Deo adhæseris fortiori, si non homini tuum posse, sed ascripseris verius et humilius Creatori. Ut autem efficacius velis et valeas quidquid dico, non te pudeat sumere formam diligentius a mendico, et ut ille sollicitus stipem quærit necessariam ostiatim, sic transcursu **91** indefesso patres prævios recole seriatim. Moyses dux populi perhibente Scriptura super cæteros mansuetus Dei confabulator (*Num.* XII), duris bellorum exercitiis assuetus (*Exod.* XIX); aciem bellicosam nunc promovet, ordinat et disponit, nunc orat, et irato Deo pro peccante populo se opponit (*Exod.* XVII). Cum perditis filiis Core sæviret in populum egressus a Domino ignis intolerabilis cruciatus (*Num.* XVI); Aaron primus pontifex, cujus vice fungeris officio præsulatus, stans inter mortuos et viventes, oblato thymiamato Dominum deprecatur, placat iram, sedat incendium; magna parte cæsa peccantium, maxima liberatur.

Josue non armis præliantibus, sed clangentibus tubis verbum significantibus et doctrinam, et septeno circuitu præferente in spiritu morum et operum commendabilem disciplinam: concussit urbem Jericho, muris ultro corruentibus introivit, nulli parcens præter Raab, et qui ejus monitis obedivit (*Josue* VI). Gedeon contra Madian grave prælium commissurus (*Judic.* VII), nec in arcu vel gladio spem deprecatoriam habiturus; in trecentis viris, quos prædocuerat ad exemplum sui, buccinis personare, fractisque lagenis intromissas lampades propalare: innumeram hostium turbam miro genere triumphavit, tibique successuro formam victoriæ non contemptibilem demonstravit. Ut video in tubis et hydriis, et lampadibus stat pugnantium fortitudo, in quibus si attendas, multa est sacri mysterii pulchritudo, quia in tubis figuratur vox hortatoria, et sonora prædicatio prælatorum, in confractis hydriis, carnis castigatio, et depressio motuum leviorum: in ostensis lampadibus bona opinio, et forma digne lucens, et illuminans oculos subjectorum. De tubis per Isaiam Dominus: « Clama, inquit, ne cesses, exalta ut tuba vocem tuam (*Isa.* LVIII). » De hydriis Paulus: « Castigo, ait, corpus meum, et servituti subjicio, ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar (*I Cor.* IX), » de lampadibus ipse Christus: « Luceat, inquit, lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona (*Matth.* V). » David rex nobilis rebellium suorum potentissimus triumphator, triumphatis compatiens et humilis eorum miserator, ne in Saul christum Domini manum mittant Sarviæ filiis interdicit (*I Reg.* XXIV), quo postmodum in bellis mortuo stomachatus montes Gelboe maledicit (*II Reg.* I); et sic Joab duci militiæ, gaudet palmam tribui vel honorem, ut Sauli negare nequeat luctum misericordiæ, vel honorem. Postea, cum sæviret intestina seditio totius regionis, et in patrem armasset filius crudeles animos perversæ legionis: David sic suorum favet victoriæ, ut econtra mortem lugeat Absalonis (*II Reg.* XVIII): sic divinam honorat gratiam, ut vix ferat justæ iracundiam ultionis. Hos et horum similes non desistes prudentia memori recensere, quos innuit divina lectio, non malitiam, sed militiam exercere, qui in gravi belli discrimine, nec ignavia degeneri torpendum sub umbra tegminis putaverunt, nec homines occisos projici, sed potius devictos subjici, misericorditer atque viriliter optaverunt. Quidquid agat miles, vel populus, vel quilibet hujus ordinis idiota, cui et divinæ legis discretio et scripturæ series est ignota: vir prudens et doctus litteris, et sede præeminens inspectiva; tam domi quam militiæ dedignatur mollitie teneri defectiva, sed robusta mente

urgens, et malitiam resistentium impugnat durius et persistit, et juxta legem scriptam amare homines, quia hominés, non desistit. « Hoc fac et vives (*Luc.* x) » imo facis et facies, et victoria procul dubio non carebis, quia jam tui victor de te quàm de alio plus gaudebis, quia quisque sui tantum justitia dictante dominator pluris esse legitur, quam multarum urbium expugnator. Vale.

EPISTOLA XX.

PHILIPPI AD RICHERUM.

Studium litterarum commendat.

Facis quod tuum est. Proprium est amantium, id quod amant expetere : et eorum, neque visu oculus, neque auris auditu satiatur, præsertim cum amori sana conscientia copulatur. Amant quippe nonnulli et requirunt quod amant, sed non recte requirunt, quia neque recte amant. Qui vero recte amant recte quoque requirunt quod amant, et rectus amor séquitur, et digne consequitur finem rectum, non tamen deficiens, sed magis proficiens ad perfectum.

Amas ut sensi litteras, imo sacras litteras, quarum lectio juxta Paulum (*1 Tim.* IV) instruit ad salutem, quarum dilectio de virtute provehit in virtutem, quarum lector et dilector non caret fructu, vel præmio diligendi, sed requirens invenit, si tamen rectam pervenit ad viam requirendi. Verum, cum easdem litteras de fonte arido, de vena paupere postulas tibi fundi, non satis considerare te errare, non mediocriter me confundi, quia, cum a me exigis ad quod nullatenus invalesco, et tu nesciens falleris, et ego insufficiens erubesco. In hoc tamen non falleris, quod non poetarum exigis fabulas et figmenta, non sophistarum laqueos, non decipientium argumenta : non denique aliud quo exsultet vanitas, turbetur veritas et vacillet, sed quod tuam foveat, et, ut ais, animam refocillet. Hoc munus quovis munere tibi charius, imo pretiosius attestaris, hoc a me posse mitti, ut tuæ litteræ perhibent, arbitraris : non attendens quod in silvam ligna ferri otiosum, ne dicam frivolum judicatur, et in agro meo nec ipsa ligna fortia, sed arundo fragilis generatur; habes quam incolis Cariath Sepher civitatem, ut legitur litterarum, habes divinos codices, apothecas uberes Scripturarum : habes cellam vinariam, domum illam aromatum, porticum Salomonis, habes quod ad refocillandum animam expedire perhibet divinæ series lectionis. Legis autem et intelligis quod utile est doctrinæ, moribus, sanctitati, apponis et diligere, et intellectum jungere charitati : et quod prædicat lectio, et capit intellectus legentis, amplexatur dilectio et affectus interior diligentis. Quia ergo perceptio præsentium ad obtinenda pro certo supercœlestia te perducet, quare mea nullius momenti verba vel monita exigas, non elucet, nisi forte quia amor intemperans nihil sibi judicat satis esse, quandiu sibi videt differri quidpiam, vel deesse. Unde recte populus, qui se patat vacuum et inanem, gemit juxta Jeremiam, et laborans inedia quærit panem : et quod mundus magnum putat et pretiosum quilibet animalis, dat ut sibi conferatur cibus et refectio spiritalis. Tamen quidquid accipiat, nondum hic ejus anima satiatur, nondum amor cœlestium optata plenitudine gloriatur : et cum nullis præsentibus possit ejus fames vel mendicitas satiari, ea tamen et precatur et lætatur ad refocillandam animam sibi dari. « Omnis, inquit, populus gemens et quærens panem; dederunt pretiosa quæque pro cibo, ad refocillandam animam (*Thren.* I). » Nonnulli vero carnalium cum spiritales quosque viderint sic attritos, spiritalia mendicantes, ad lucra transitoria præpeditos, contemptis visibilibus amore invisibilium irretitos, spernunt eos et irrident, et abjiciunt veluti purgamenta, et eisdem plerumque inferunt, aut verbis, aut verberibus detrimenta. Unde in Threnis subditur : « Vide, Domine, et considera, quoniam facta sum vilis (*ibid.*). » Quam ad se diligendum inspirat animam et convertit, ab eadem suos Deus miserans oculos non avertit, sed amantem introspicit et attente considerat vilem foris, amorem digne pensans, vilitatem recompensans spei beneficio melioris. Quos enim contemptus præsentium in oculis insipientium viles fecit, hos nimirum spes collata salvos faciet, imo fecit, quia, dum advenas et peregrinos etsi habere, non tamen tenere potuit præsens vita, jam sanctorum cives fecit spes, rei certitudine præmunita.

Quodpropter, recte in tuis te litteris nonnunquam, ut attendi, nominas peregrinum, quia quisquis recte sapit, novit se dum hic vivitur, inquilinum : et non solum Parisius ubi aliquando litterarum gratia conversaris, sed ubicunque terrarum vel locorum es viator transitorius, hospitaris. Hospes vero noctis unius, quia illic diutius manere non intendit, non stabilem domum fundat, sed tabernaculum sibi tendit : mane facto solvens illud, alias pergit ire, nec ejus pes quiescit, nisi cum tandem ad optatam conceditur patriam pervenire. Hoc sapis, hoc recolis, hoc revera intelligo te sentire, hoc non semel sed iterum in tuis gaudeo litteris invenire : nec verbo, sive lingua tantum, sed vita et moribus hoc ostendis, dum non retro ad ultima, sed in ante ad optima dono gratiæ te extendis. Ad hoc sonat et intonat omnis tuba vel buccina litteralis, ad hoc libri Gentilium et divinorum pagina spiritalis : ad hoc denique nobis datur omnis lectio vel Scriptura, in qua, si pie legeris, vel factor intelligitur vel factura. Est autem lege summa sanctum, et omni firmius insitum creaturæ, ut genitum constet nihil, sed mutabilis sit naturæ : et quidquid rerum tam corporalium quam spiritualium, vel simul, vel post invicem esse cœpit, ut constet, incommutabile naturaliter non accepit. Quod si quis vel humanus vel angelicus spiritus stare nunc immutabiliter invenitur, non conditionis merito, sed gratia ejus qui

condidit, hoc sortitur (53) : et quod negat omnibus creatis ex nihilo lex naturæ, præpotens gratia Creatoris confert, cui, quando voluerit, creaturæ. Ad hoc autem a prudentibus ista rerum naturalis mutabilitas debet sciri, ut summo nisu caveant errore vel amore talium irretiri, ut nullo modo quisquam præsumat talibus inhærere, quæ et ipsa a seipsis non valent statu stabili permanere. Transcendum est igitur, et more peregrino proficisci et proficere non cessabis, omnemque creaturam instar taberpaculi tibi non sufficere judicabis : nec desistes progredi donec perveneris et inveneris magnum quiddam omni supereminens creaturæ, cum videlicet qui mutabilia cuncta creans, solus immutabilis est naturæ. Ille solus essentia, et essentiali excellentia naturaliter elucescit, mutationis motum, vicissitudinis umbram nescit, ab æterno vere Deus magnus, præpotens, immortalis, non cujusvis majoris gratia, sed naturæ privilegio specialis. Hunc prædicat, hunc attollit, non solum doctorum prædicatio vel Scriptura, sed omnium rerum creatio, mutabilitas, et natura, quæ omnia cum judicio evidenti mutabilitatis insitæ creata se ostendant, Creatorem increatum et immutabilem astruunt et commendant.

Cum igitur in omni Scriptura intelligere poterit prudens lector, in omni creatura admirari providus intellector, creata quæque digne considerans, quæret semper faciem Creatoris, **93** nihil infra, nihil supra satiabit animum dilectoris. Infra quidem nihil est quod sufficere debeat, aut præponi, supra illum nihil est, quem constat omnibus æternitatis excellentia superponi : eum primum, eum novissimum sane sapiens percipit intellectus, summe bonum vere potissimum amor recte intelligentium et affectus. De quo cum bene studentium, ut ais, æmulator affectuosius nova quæris, non in me, sed in ipso invenire quod postulas promereris, quia, sicut mali quærent et non invenient (*Joan.* VII), sic se bonis offerens invenitur, et qui petit accipit, et pulsanti ejus sanctuarium aperitur (*Matth.* VII), et recte, quamvis bene studeas æmulatorem te bene studentium profiteris, in quo et non lates sub modio, et præsumptionis vitio non teneris : memor illius æthnici qui se non sophum ut priores, sed philosophum appellavit (54), nec sapientem publice, sed amatorem sapientiæ prædicavit. Nosse autem debent, qui scholas incolunt, quia nondum satis eorum quispiam bene studet, si ad pulsandum prædictum sanctuarium, sollicitudine congrua non desudet : si non ad hoc legat, intelligat et diligat hunc laborem, ut profectu congruo, sequi et assequi velit et valeat Creatorem (*I Cor.* XIV). Denique sicut aversus a sanctuario ignoratus ignoratur, sic sapientia animalis stulta, vel stultitia judicatur (*I Cor.* III); et licet videatur quivis perditus multa scire, non sapit, sed desipit, dum non curat Domini sanctuarium introire. Pete ergo, quære, pulsa, ingredere Sponsi cubiculum, in quo pax justitiam osculatur, anima verbo Dei nuptiali fœdere copulatur : quo, cum perveneris, et apud te dixeris : « Bonum est nos hic esse (*Matth.* XVII), » valefacto non solum vitiis, sed et mundi negotiis, gaudebis angelis interesse. Quæso autem, ut, cum bene tibi erit, mei vel ad modicum recorderis, ut assistens divino vultui, pro me affectuosius deprecetis; et cum tibi divina bonitas infuderit munus gratiæ largioris, sic intendas gaudio, ut et me participio dones copiæ ditioris. Nimirum illa charitas, quæ juxta Paulum (*Rom.* V), in nostris per spiritum cordibus se diffundit, in eo plus abundat, qui ex illo in proximum plus refundit; et cum pleraque cætera non possint et dari pariter, et a dantibus integra retineri, hæc impensa pluribus, miro modo invenitur apud eos, qui impenderint plus, haberi. Opto ut hæc charitas tuam scientiam ædificet, et salutarem evehat ad profectum, ut evacuato quod ex parte est, tandem felicius transeas ad perfectum. Vale.

EPISTOLA XXI.

PHILIPPI AD WILLELMUM.

Commendatoria.

Bonus sermo quem audivi. Auditui meo gaudium et lætitiam divina bonitas superfudit, et infudit, et « lætatum est cor meum, et exsultavit lingua mea, « insuper et caro mea requievit in spe (*Psal.* XV). » Verbum bonum, bonus rumor aures meæ attigit senectutis, et quæ diu obsurduerant duro male viventium strepitu sæpius repercussæ, novo cantu melioris famæ nova respirant melodia. « Odor ille filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus (*Gen.* XXVII), longe lateque se diffundens, qui præsentius assistentes et amantes eo dulcius quo plenius reficit et saginat, divina largiente gratia meam non fraudavit absentiam, et quod audire diu desiderabam, audivi et gavisus sum. Obtulit quidem mihi fama illum, illum, inquam, Samuelem, qui veterano Heli loco et officio succedens electus est in prophetam (*I Reg.* VII), ut ungat et alios tam prophetas quam reges, ut Saulem inobedientiæ reum fiducialiter arguat, et repellat, ut David meliorem ungat, moneat, et ad regnum provehat sempiternum (*I Reg.* XV). Suscitavit et mihi spiritum pueri Danielis (*Dan.* XIII), qui ad regulam veritatis revocans judicium, senes condemnat impudicos, qui

53) Non negat auctor angelos et hominum animas esse ingenerabiles ac incorruptibiles per naturam, cum a Deo penitus redigi possint in nihilum, *ille enim solus essentia*, et cætera, infra paulo, tamen (ut alias dicitur) illa angelorum Deum amantium *pars in proposito confirmatur gratia et merito liberæ voluntatis,.... ut quæ erat mutabilis per naturam.... non possit mutari per gratiam*, et : *angelos bene conditos, gratia melius confirmavit.* Item : *quosdam angelos jam firmavit suæ voluntatis beneficio, non naturæ.* Siquidem confirmatio in gratia est a gratia.

(54) Pythagoras.

pressam et oppressam nefandorum injuriis Susannam zelo justitiæ liberat et absolvit. « Benedictus Deus, qui respexit humilitatem ancillæ suæ (*Luc.* I), » qui devotas preces Ecclesiæ, qui viduam effundentem loquelam gemitus non despexit, qui talem ei patrem, talem contulit filium, qui paterno affectu, qui amore filiali super eam vigilet et intendat, qui eam reverenter suscipiat ut matrem, sollicite u filiam tueatur. Benedictus, inquam, Deus qui juveni, juvenilia desideria raro more fugienti canos sensus contulit et discretos, et vitæ merito immaculatæ thronum venerabilem senectutis. Rara avis, juvenis ætate, genere nobilis, conspicuus scientia, præeminens dignitate, sollicitus Ecclesiarum, pauperum auditor, tenax justi, rarus admodum invenitur. « Quis est hic et laudabimus eum? (*Eccli.* XXXI.) » Non laudare talem, invidorum est, et tamen non tam eum, quam qui talem fecit eum laudare debemus. Vita enim hujusmodi hominis, non est opus hominis, sed Dei. Imo et Dei et hominis : Dei per operantem gratiam ; hominis per cooperantem obedientiam. Itaque et Deus et homo laude congrua sunt donandi. Fac igitur quod facis, imo profice et perfice quod cœpisti, ut eo juvante, qui 94 tibi talem contulit gratiam et affectum, ducas et perducas sanctitatem propositum ad perfectum. Nec tua gravetur majestas, nec proterviæ deputetur, si suggero, si moneo talem vel tantum tantillus homuncio, quia ei juxta quemdam æthnicum (55) :

Non nocet admisso subdere calcar equo.

Et absurdum non creditur si senior humiliter excitat juniorem. Etsi enim es longe superior dignitate, ætate tamen longe recentior. Sicut autem juxta Paulum (*II Tim.* II) fugere expedit juveni, sic jubetur senior cum panibus occurrere fugienti. Te quidem in specula (*Isa.* XXI), te in loco positum eminenti omnes respiciunt, omnes curiosius intuentur, et sicut benevoli quique tuis profectibus adgaudebunt, ita perversi, quorum non est numerus, mordebunt, detrahent, devorabunt, sicut escam panis (*Psal.* XIII). Cum autem in te omnes omnium oculi defigantur, esto circumspectus et vel juxta fabulas Janum bifrontem vel Argum oculatum, vel potius juxta nostras litteras, quatuor animalia plena oculis ante et retro studiosius imitare (*Apoc.* IV), ut cura vigili teipsum pervideas, teipsum discutias, teipsum scias juxta illud Sapientis (56). « Scito teipsum homo ; » scies autem teipsum, si, quanto magnus es, humiliaveris te, si te non dominantem in clero, sed servum servorum Dei cognoveris, si non homines, sed hominum excessus congrua depresseris potestate. Scies teipsum, si quidquid a te indecens vel noxium forte eruperit, reseces velocius, severius castiges, ne invalescat, ne silvescat, ne concessa tibi peccandi auctoritas videatur, cum æthnicus ille dicat (57). « In maxima fortuna minima licentia est. » Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus, ut juxta doctrinam Apostoli Timotheum juvenem prosecutus « et teipsum salvum facias, et eos qui te audiunt (*I Tim.* IV). » Vale, et in æternum vale.

(55) L. Ovid. lib. II, de Ponto, elegia 6.
(56) Solonis.
(57) Salustius.

EPISTOLA XXII.

JOANNIS AD PHILIPPUM.

De dictis B. Hilarii in libro de Trinitate.

(58) Charissimo cognato Philippo frater Joannes salutem in Salutari. Quin dilectio mea erga vos magna et æterna sit, tollenda est de corde vestro omnis dubitatio, et de aliis loquendum. Quod librum petitum misistis, gratias ago, quem tamen citius remisi, quia potius videtur mihi aliquem erroneum habuisse auctorem, quam beatum Athanasium, licet ejus nomine falso intitulatus sit. Quia, etsi in multis bene sentit de consubstantialitate et personarum discretione divinitatis, quoniam nulla falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat, tamen in pluribus scrupulosissime disputat, in quibusdam etiam errorem pertinaciter prædicat, ut merito propter hoc ab his qui ruminant et fissam habent ungulam, totus respuendus sit. Nam præter alia in decimo libro (circa princip.) dicit Dominum nostrum corporis initium non accepisse ex Maria, sed quasi ex Spiritu sancto, cum Ecclesia catholica teneat, quia in illa conceptione Domini Jesu Spiritus sanctus non fuerit materialis causa, sed efficiens, caro autem sacræ Virginis fuerit causa materialis, ut vera mater sit. Notate quid super hoc dicat vir catholicæ auctoritatis Beda super sententiam Evangelii : « Beatus venter qui te portavit (*Luc.* XI). » Et super : « Verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis (*Joan.* I). » Item contra sententiam orthodoxorum prædicat Dominum nostrum in passione, nec tristem fuisse, nec doluisse, cui omnino credendum non est, quin potius illi, qui cum carne nostra, etiam affectiones nostras sine peccato ex voluntate suscepit, et secundum Isaiam (*cap.* LIII) vir dolorum vocatur et dolores nostros portasse dicitur, gratiæ agendæ sunt. Hæc ideo scripsi, ut fraternitatem vestram cautiorem redderem. Valete et orate pro nobis.

(58) Huic epistolæ respondet Philippus in quinta suarum epistolarum.

EPISTOLA XXIII (59).

JOANNIS AD PHILIPPUM.

Ejusdem argumenti.

Fratri Philippo Joannes salutem in Domino. De dilectione, quin firmissima sit, tollenda est omnis omnino dubitatio, et de negotio agendum. Multis occupatus, paucis respondeo. Sicut gaudeo in Scripturis vos oculum habere, sic desidero illum simplicem esse. Pro subtilitate siquidem ingeniorum, et pro multiplicitate Scripturarum, facile est uni-

(59) Sequenti epistolæ respondet Philipo. in sexta suarum epistolarum.

cuique dissidentium suæ sententiæ adminiculari, quia et pro sua agilitate multos anfractus lepus, et pro silvarum opacitate multos recessus invenit lupus, ut fortassis « insipiens ille, qui dixit in corde suo : non est Deus (*Psal.* XIII) », si patienter audiretur, adhuc et si nullo modo probare posset, quoniam falsa non probantur, tamen hoc inferre moliretur : saltem nobis dicendo : « Ubi est Deus tuus ?» (*Psal.* XLI.) Sed nos « terminos quos posuerunt patres, transgredi non debemus (*Prov.* XXII). »

Gaudeo autem, quoniam jam apud vos quoque constat librum illum non esse 95 fidelissimi Athanasii, ut jam titulus ipse radendus sit. Cæterum de corpore libri, quin multa ibi perfectissime dicantur, nulla apud nos dubitatio. Nulla enim, ut legitur, falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermiscear. Nec nos ignoramus cur hæreticos significent leprosi, qui lege reprobantur, si saltem sint in parte lepra profusi. Quod dicitis Apostolum dicere : « Omnia legite, quod bonum est, tenete, » miramur cum ibi sit : « Omnia probate (*I Thess.* V). » Nec miramur si librum illum legistis, sed, si approbatis, quia dicit Ambrosius de talibus : « Legimus ne legantur. » Hunc ergo librum a sapientibus cante, a simplicibus nullo modo legendum putavi, et sensum meum vobis, ut charissimo intimavi. Vos autem, cui confidenter loquor juxta id quod de quibusdam scriptum est in descriptionibus mendacii : « Labor labiorum suorum operiet eos (*Psal.* CXXXIX). » Ut falsitatem operiatis, loquendo multa laboratis, « sed, si angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam accepistis, anathema sit (*Galat.* I). » Hæc non mea, sed verba Apostoli sunt. Accepimus autem Dominum Jesum Christum ex duabus naturis unam personam, secundum divinam naturam ab æterno esse ex Patre; secundum humanum cœpisse ex matre in tempore, et passum vere sensu doloris, et vere mortuum, et resurrexisse, et cæteras partes fidei. Quod autem pergamenum expenditis in docendo quod conceptio ipsius Domini nostri Jesu Christi de Spiritu sancto, et ideo altissima et mundissima et sanctissima fuerit, et quod non necessitate, sed voluntate passus sit, pro damno vestro doleo, cum quivis simplicissimus in Ecclesia noverit hoc. Et hæc quidem ludens dico. Cæterum quicunque contra hanc fidem senserunt, seu Augustinus seu Hilarius, seu quilibet alius, aut errorem ipsum ante mortem correxisse credendi sunt, sicut vester et noster Augustinus in seipso quoque multa correxit, aut peccatum ipsum virtutibus purgasse, sicut beatus Cyprianus martyr, teste Augustino errorem Donatistarum virtute passionis in seipso absolvit, aut infideles permansisse, sicut Origenes. Habemus nos quoque apud nos expositionem super Matthæum intitulatam nomine beati Hilarii, qui, etsi Hilarium ut sanctissimum veneramur, sententias tamen quasdam ibi positas, vel quia falsæ, vel quia scrupulosæ sunt, non approbamus. Abundant enim simplices Catholici libri, ut jure scrupulosi propter offensam debeant evitari, cum dicat Apostolus : « Nemo vos seducat in subtilitate sermonis (*Ephes.* V). » Quæ vero de beato Maximo in testimonium adduxistis, nihil ad rem. Scitis autem Origenem, de quo dicit Hieronymus : « Quia ubi bene nemo melius, tamen propter quædam reprobatum. » Cujus Origenis librum quemdam sine titulo, cum in cujusdam nostratis Ecclesiæ librario inventum, a priore ipsius ecclesiæ, studiosissime et affectuosissime legi, quoniam in quibusdam optimus erat; invenissem aliquando, et quosdam errores ibi demonstrans, ne deinceps legeret, monuissem, libens suscepit, et librum a manibus abjecit. Hæc vobis amicissime, ut multis occupatus, et vix spatium cogitandi, nedum scribendi habens, rescripsi, adjuncta sententia Apostoli : « Si quis vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus (*I Cor.* XI). » Singularem mei memoriam in orationibus vestris plurimo jure et multo affectu exigo. Valete.

EPISTOLA XXIV.

JOANNIS AD PHILIPPUM (60).

Ejusdem argumenti.

Fratri Philippo Joannes salutem in Domino. Quoniam ad verba epistolæ vestræ non sufficienter respondi, dum portitor illius ea pene hora qua venerat redire festinabat, postea aliquid addidi, videlicet quia et liber ille contrarius sibi esse videtur, et vos violenter eum exponitis. Contrarius quidem dicit : « Neque ait, Maria corpori originem dedit : » Infra autem : « Officio, ait, usa materno, » et cætera de ipso capitulo. Item de alio capitulo : « Passus est, inquit, Dominus Jesus Christus, dum cæditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur, sed in Domini corpus irruens passio necnon fuit passio, nec tamen naturam passionis exeruit, dum et pœnali ministerio desævit, et virtus corporis sine sensu pœnæ, vix pœnæ in se desævientis excepit. » Quid hic nisi contraria prædicantur, cum pati et non pati dicitur? Vos vero cum multa violentia hoc exponere laboratis, dum, quod ille dicit, sine sensu pœnæ passum (unde quæstio est) vos dicitis voluntate passum, quod nec apud pueros dubium est. Et quod liber dicit; neque Maria corpori originem dedit, quod revera error est, cum Psalmus dicat : « Veritas de terra orta est (*Psal.* LXXXIV). » Vos exponitis sic, quod a vitiis nostræ originis non accepit, quod aperta fides est. Materialem enim originem Maria illi corpori dedit, non vitium, et o quam differunt Maria et vitium, quorum duum vos alterum pro altero ponitis. In illa enim conceptione, in qua Deus de homine, justus de massa peccatrice, azimus de fermentato factus est, non tantum in nascente, sed etiam in conceptione, vel conceptura sanctificatio incepta est, ut justo filio, justa mater, justam materialem originem justa conceptione 96 præberet, dicente angelo : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc.* I). » Et propheta : « Aperiatur terra et germinet Salvato-

(60) Huic epistolæ sequenti respondet Philippus in sexta et septima suarum epistolarum.

rem (*Isa.* XLV). » Et : « Quomodo descendit imber et nix de cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram (*Isa.* LV), » id est Mariam, et infundit eam et germinare eam facit. Ut enim non haberet peccatum ipsa mater, Spiritus sanctus super, id est dignius, veniet in te, ut autem nec fomes peccati tunc, nec deinceps : « Virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc.* I), quod utrumque signat Propheta per nivem, quæ est alba et frigida. Habuit ergo non a vitiis, sed a mundata omnino Maria corpus Christi originem, sicut enim orthodoxa Ecclesia, prædicat fidelis et magnus Athanasius, dicens : Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus, et homo est ex substantia matris in sæculo natus. » Et de hoc quidem Capitulo omnes divini libri vobis sufficiant, in quibus inter alia scriptum est, quod hæreticum non facit errare, sed errorem defendere.

De alio secundo, in quo prædicatur Christus non doluisse, et cujusdam miræ fortitudinis etiam secundum carnem fuisse, quod per hoc quasi probatur, quia super undas ambulavit, dicimus quod hoc contra auctoritates dicitur, et insufficienti argumentatione comprobatur, quam argumentationem sic infirmamus : Si corpus Domini non habuit doloris nostri naturam, quia calcavit undas, et corpus Petri non habuit doloris nostri naturam, quia calcavit undas. A simili propter eamdem causam, quod falsum est. Auctoritates vero prædicant infirmum Jesum, dicente Apostolo : « Nos autem prædicamus Christum crucifixum (*I Cor.* I). » Item : « Etsi crucifixus est, ex infirmitate (*II Cor.* XIII). » Item : « Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (*I Cor.* I). » Et Adam ille magnus, non costam pro costa, sed carnem pro osse accepit. Item : « In similitudine carnis peccati (*Rom.* VIII); » non autem in carne peccati. Duo enim sicut nostis erant in humano genere, id est peccatum, et pœna peccati, quorum alterum, scilicet culpa, in Christo non fuit; alterum vero, id est pœnam assumpsit. Unde dicit : « Quæ non rapui, tunc exsolvebam (*Psal.* LXVIII). » Unde dicitur : « Virum dolorum et scientem infirmitatem (*Isa.* LIII). » Scientem, inquit, per experimentum, qui nihil ignorat, cum sit ipsa sapientia. Hieronymus super : « Livore ejus sanati sumus. » Perspicuum est, quia, sicut corpus flagellatum et laceratum, ita anima vere doluit pro nobis, ne ex parte veritas, ex parte mendacium in Christo credatur. Verus enim homo vere doluit, habens naturam, ut nisi manducaret, deficeret; mergeretur, si super undas ambularet; moreretur, si crucifigeretur, nisi miraculo id non fieri vellet, quorum quædam in aliis quibusdam ipse quoque operatus est, ut in Elia Moyse, Petro, Mauro. Quibusdam quoque martyrum pœnæ erant refrigerium, ut Vincentio testarum asperitas, florum fuit suavitas. Ipse quoque cum voluit : « Transiens per medium illorum ibat (*Luc.* IV). » Sed hæc non naturæ ejus humanæ, sicut vos cum libro vestro dicitis, sed miraculo divino ascribenda sunt. Natura autem humana, infirmis ante resurrectionem fuit, quamvis divinitate fortem se aliquando in miraculis ostenderet, dicente Ecclesia in Canticis de eo : « Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris. »

Illud etiam in epistola vestra reprehendo quod dixistis : Quia si est illic aliquam sententiam invenire, quæ nullo pacto possit veritatis regulæ convenire, non ideo librum illum respuendum esse. Aliter enim se habet veritas, ubi agitur de fide. Nos ergo in Christi passionibus et voluntatem et sacramentum, et potestatem et triumphum, et ea quæ liber vobiscum abnuit necessitatem, naturam, violentiam, sed hæc etiam voluntaria volumus esse. Nunc ad auctoritates sanctorum, quas opposuistis, veniendum est.

Leo papa : « Diabolus explorare voluit, utrum hanc continentiam donatam haberet, an propriam, etc. Hoc determinavimus superius, ubi hanc fortitudinem jejunandi diutius Christum non natura, sed miraculo habuisse diximus. Cessante enim miraculo, statim natura esuriit, et hinc diabolus deceptus est, ut Deum gloriæ crucifigeret. »

Augustinus : « Non est, inquit, ullo modo dubitandum, non eum animi infirmitate, sed potestate turbatum, subaudiendum est (tantum). Non enim infirmitate tantum, sed etiam potestate turbatus est, ut prædiximus. Infirmitate enim turbatus est docente Apostolo : « Etsi crucifixus est, ex infirmitate, etc. » (*II Cor.* XIII.) Et ipse : « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Marc.* XIV). »

Maximus episcopus : « Quod Christus, inquit, esuriebat ut homo, non erat fragilitatis corporeæ, sed cœlestis gratiæ sacramentum, subaudiendum est, non erat fragilitatis corporeæ tantum. Quod quidem de omnibus Christi dicitur vel passionibus vel operibus : verbi gratia, mors Christi sacramentum fuit, quia in nobis mortem peccatorum, vel pœnarum, et ipse modus modum significavit, tamen historialiter mortuus est. »

Hæc, charissime, considerate, et quid super his vobis videatur, rescribite, et pro nobis orate. Valete.

97 EPISTOLA XXV.

HUNALDI AD PRÆPOSITUM.

Ejusdem argumenti.

Domino Joanni præposito Hunaldus frater. In duobus, ut mihi videtur, Capitulis vestræ summa controversiæ consistit. Quam ego mea quidem sententia terminare non præsumo, sed vobiscum veritatem propositæ quæstionis humiliter inquiro. Pars igitur prima disceptationis hoc continet quod alter altero impugnante hanc Hilarii negationem defendit, quia Christus initium corporis ex Maria non habuit, In hoc vero vos non adeo diversa sentire conjicio, sed tantummodo verbo invicem refragari. Sanctum namque Spiritum conceptionis initium virginalis fuisse, consentitis, et beatam Virginem sementivam carnem conceptui ministrasse uterque vestrum nihilominus confitetur. Corporis quoque Christi utrumque dicitis causam esse, ac per hoc initium. Sed, ut opinor, æquivoce. Nam et de quibusdam aliis rebus

verbi gratia, puncto et unitate teste Boetio principium æquivoce prædicatur, cum alterum lineæ, alterum numeri principium esse affirmetur. Æquivocatio vero vel quælibet multiplicitas contradictionem non admittit. Quolibet igitur affirmante quia Christus initium habuit ex Maria, Hilario vero dicente quia non habuit, verba quidem dissonant, sed intellectus minime contradicit. Utrumque enim initium Hilarius fideliter credit. Nam scribendo : « Virgo genuit ex se corpus, » quodammodo initium esse Mariam prædicat. Cum vero de Spiritu sancto concepisse fateatur, alio modo initium quoque Spiritus declarat. « Corpus, inquit, non terrenæ conceptionis elementis susceptum, non terrenis elementis inchoatum. » Quod mihi videor sic intelligere.

Elementa rerum principia vocat, id est causas illas quæ divina providentia gubernante conceptionem corporum operantur. Quæ videlicet causæ sive naturæ in procreandis corporibus numeros illos explicant, quos Deus, cum omnia creavit, simul crearet, et eis attribuit, et in ictu condendi seminaliter eas sparsit, non tamen suam eis potentiam alligavit. Terrenam vero conceptionem corporum dicit : Unde et corpora ipsa terrena nominat, id est, fragilia et infirma, utpote corruptioni obnoxia. Elementa quoque ipsa eodem censet vocabulo, eo videlicet tropo loquendi quo nomen effectus in causam redundat. Vir ille tamen adversarius vester, sed non inimicus, extranee, non dico vitiose terrena maluit interpretari vitiosa.

Causæ ergo illæ communes, ut dicere cœperam, in congignendis corporibus operantur, velut cum seges vel arbor ex semine suo nascuntur. In conceptione vero virginali non solitus naturæ cursus, sed alia penitus causa primum operata est, licet aliæ sint subsecutæ. Alia causa non creata supervenit quæ carnem Verbo Dei personaliter uniendam de carne Virginis sequestravit, et eamdem ab originali peccato mundavit. De hac, ut arbitror, causa sive initio corporis Christi loquebatur Hilarius cum diceret : « Non habuit Christus initium ex Maria. » Illud enim revera ex matre non habuit, habuit vero aliud. Nam Virgo ex se genuit. Hoc, ut mihi videtur, Hilarius fideliter intellexit, a qua fide, qui recte sentiat, non dissentit. De verbis ergo contendere cum de rebus constet, et disputare ad nomen, viris non convenit eruditis.

Nunc ad secundam quæstionem transeamus. Ea est hujusmodi. Tantæne infirmitatis fuit caro Christi, ut quemadmodum nos passione illata ex necessitate dolemus, ita quoque ipse non dolere non posset nisi miraculo præter naturam divinitus operante. Et domnus quidem Philippus, quantum ex ipsius epistolis conjicere possum, tam firma complexione Dominicum corpus prædicat, ut quod præter communem hominum valetudinem jejunavit, quod fluenta maris calcavit, naturæ corporis ejus attribuat, quod vero doluit et dolendo mortuus est, præter naturam et per miraculum factum esse dicat. Miram ergo hominis assumpti fortitudinem, per quam quidquid voluit fecit, nec doluit, nisi quando vel quantum voluit. Hanc ipse quidem prædicat, eamque nemo fidelium diffitetur. Sed differt, ex natura namque humanitatis putat illum contraxisse, quod nos ex gratia credimus eum habuisse. Hoc enim divinitatis unio personalis eidem contulit, ut omni naturæ rerum imperaret, et nihil suæ resisteret voluntati. Illi, inquam, voluntati rationali, secundum quam idem voluit homo quod Deus. Est namque et alia voluntas quæ proprie dicitur appetitus, secundum quam dicitur velle comedere, qui etiam jejunium celebrans, ab escis vult abstinere. Vult igitur idem et non vult comedere, et huic quidem voluntati multa Christo tulit contraria, illi vero nihil. Fortissimus ergo fuit homo ille juxta illud Augustini : « Ineffabili distantia genus humanum fortitudine animi superabat. » Tam fortis fuit, tam sapiens, sicut et Verbum omnipotens fuit, non autem per naturam, sed per gratiam. Unde cum ab humanitate Christi mortis necessitatem removeat, in hoc illi sane consentio. Qui enim omnipotens fuit, nulli hujusmodi necessitati fuit obnoxius.

Hoc vero in quæstione relinquitur, utrum ex verbi natura vel humanitatis, a necessitate fuerit absolutus. Cum vero non uno tantummodo, quod etiam vos non latet, dicatur necessitas, ne ad nomen disputetur, necesse esse meo sensu dico cui impossibile non esse æquipollet. Cujusmodi necessitas, si vobis ob hoc in Christo fuisse videatur, quia modus ille redemptionis nostræ a Deo dispositus sit, et prævisus, ergo quæcunque cætera prævisa sunt, eadem ratione necessitati subjacebunt. Quod quia de cæteris verum non est, de hoc etiam falsum esse necesse est. Hanc ergo necessitatem Ecclesiæ doctores illi a Christo removent, quos suæ testes opinionis asciscit Origenes : « Quæcunque, inquit, de Christo legeris, non necessitate facta reperies. » Et Maximus : « Video Christum esurisse, sed non invenio manducandi necessitatem habuisse. » Augustinus quoque : « Habemus has affectiones ex humanæ conditionis infirmitate. » His verbis necessitatem significans, unde subjungit : « Non autem ita Dominus Jesus Christus, cujus infirmitas fuit ex potestate. Non ergo infirmitatem actionum a Christo removet, sed eam ex necessitate venisse pernegat. » Et idem alibi : « Non est dubitandum Christum infirmitate animi non esse turbatum, id est non quia deesset ei fortitudo, turbatus est. » Ita etiam accipiendum est illud Maximi. « Quod Christus esuriebat, non fuit illud fragilitatis corporeæ, non quod eam non haberet cum ipse esuriret, alioquin esurire non posset, sed quia fragilitas suscepta non coegit, id est invitum non compulit, ut esuriem sustineret. » Et bene subjungit hoc cœlestis gratiæ fuisse sacramentum. Quidquid enim Deus in homine fecit vel passus est, quantum ad sui naturam, miraculum

fuit a sæculo non auditum. Hilarius quoque, quid aliud negat in Christo sub nomine naturæ, quam necessitatem dolendi? « Non habuit, inquit, vim, naturam, necessitate dolendi. » Et alibi : « Sine sensu, inquit, pœnæ, vim pœnæ sævientis excepit. » Sensus, non est hic nomen actus sicut et visus quandoque, ut cum dicimus aliquem habere visum, qui actum videndi non exercet. Sensum ergo vocat Hilarius, naturam sentiendi. Idem vero apud eum puto esse aliquid ex natura fieri, quod apud Augustinum, ex conditione nascendi, id est ex necessitate. Ipsam vero, inquit Tullius, naturam difficile est diffinire. In verbis autem modernæ auctoritatis, quæ in medium quoque proferuntur, viderit ipse auctor quid sentiat. Ego vero sic intelligo. « A peccato, inquit, et pœna naturaliter mundus fuit Christus, naturaliter ab his mundus fuit, sine quibus nasci potuit. » Nos vero naturaliter his obligati sumus, quia, sine his nasci non possumus. Potest tamen hoc et ad naturam divinitatis referri.

Cum ergo his doctorum testimoniis a Christo mortis necessitatem abfuisse nobis et domno Philippo conveniat, quid hic tamen ab ipso dissentiam, advertite. Nonne enim hoc recte dicere possum, quia fuit necesse Christum mori, non simpliciter tamen, sed cum hoc adjuncto, nisi vellet Deus præter naturam carnis operari? Et duplicem quidem necessitatem esse, absolutam scilicet et determinatam, Boetio et Cicerone auctoribus instruimur. Quid vero, inquit aliquis, istane videtur duplex necessitas cæteris quibusdam hominibus similiter convenire, vel ab eisdem removeri? Nonne tres pueri in camino ignis necessario urerentur? Moyses quoque et Elias jejunantes nonne ex necessitate deficerent, nisi divinitus accepissent ut isti flammas, illi inediam sustinere potuissent? Magna vero hic est distantia. Christus etiam ex natura illa qua Deus erat, fecit quod voluit, cæteri vero hominum quod fecerunt, non ex se, sed aliunde et per gratiam habuerunt. Sed quid? Nonne etiam assumptus suam potentiam per eamdem gratiam habuit? In quo ergo ipsius, quam cæterorum amplior fuit perfectio?

Multo sane amplior fuit : Omnibus enim hominibus pleniorem homo ille gratiam accepit, « de cujus plenitudine accepimus omnes (*Joan.* 1). » Quidquid enim habuit Filius Dei per naturam, hoc et filius hominis per gratiam. Christus vero, qui unus et Deus naturaliter erat et homo, quid habuerat per gratiam, quæsitum est. Nunquid in hoc domnus Philippus dissentit? An fortasse hoc dicet, quia munda Christi conceptio ex gratia fuit, quæ, ut ipse putat, miram ei carnis fortitudinem dedit; et ideo fortitudo illa per gratiam creatricem in homine illo dicatur fuisse, non minus tamen per naturam. Nunquid hoc ei concedendum est, quod munda Christi conceptio supra hominem illi fortitudinem humanitatis assumptæ naturæ cum ipso prædicare videmur, et quæ inter nos modo grandis controversia videbatur, in magnam convenientiam redacta est, nec nisi de verbis disceptamus. Id enim naturale esse puto, quod ex conceptione res contrahit. Quod econtra id negari potest, quin illa sacrosancta conceptio adversus omnes molestias magnum ei munimen contulerit. Nam, si Joannes, qui libidinis æstus non senserat, olei fervorem meruit non sentire, quanto magis eum, qui non solum virgo, sed et virginis filius fuit, a dolendi necessitate sua munditia liberavit? An credendum est idem esse Jesum ex conceptione munda, quod ex Verbi unione suam potentiam contraxisse. Quod si ita est, in adversam iterum vereor incidere partem. Res ista, fateor, perplexa est, et ideo vestræ prudentiæ diligentius attendenda. Quantum vero meæ videtur parvitati, munda hominis conceptio quem Deus assumpsit, nil eis contulit, præter quam quod assumens voluit. Nostræ vero infirmitatis statum sine peccato suscipere suæ benignitati complacuit, ut paulo post ostenderetur.

Carnis ergo fortitudinem quam ille prædicat, ex humanitatis natura non habuit. Non enim statum illum, in quo Adam ante peccatum, sibi Christus induit, ut domino Philippo visum est, sed, cum tres humanæ naturæ sint status, ex unoquoque illorum, teste Boetio, aliquid assumpsit. Nam quod mortale corpus habuit, ex eo nimirum statu fuit, quo Deus hominem post peccatum punivit, quod vero peccare non potuit, secundum illum statum fuit, ad quem transferendus esset, si tentatori non cessisset. Tertius restat status, quem Boetius medium vocat, per quem homo ante peccatum potuit esurire, accepta digerere, et in somnum labi, quæ, et similia in Christo fuisse nullus negat. Quem etiam statum si pure Christus assumpsisset, non tamen semper per naturam hominis jejunare valeret. Non enim tam patiens Adam fuit inediæ, ut sine escis vivere potuisset. Quod Boetius manifeste his verbis ostendit. Neque enim in Adam tanta indigentia defuisse credenda est, ut, nisi manducasset, vivere non posset. Non sum tamen nescius in diversis codicibus super hoc ejusdem auctoris diversas inveniri lectiones. Si quis vero diligenter attendat, quæ sequuntur, facilem hujus rei intelligentiam consequetur. Carnem igitur naturaliter infirmam Deus univit, sed eam puellæ fortem exhibuit. Econtra dominus Philippus : « Fortem, inquit, naturaliter assumpsit, sed pro tempore languores nostros sustinuit. » Scripturarum vero testimonia, quæ super hoc adversum nos producit, non minus a nobis faciunt quam ab ipso. Et quas ad suæ opinionis assertionem violenter nobis extorquet, ad nostræ defensionem fidei promptum est retorquere.

Christi enim fortitudinem prædicant, et eum a necessitate absolvunt, de quo secundum prædictæ expositionis tenorem, nihil inter nos ambigitur. De hoc vero res agitur : « Quem statum humanitatis Christus assumpserit. » Hic tota vis hujus quæstionis consistit. Ad cujus solutionem nihil efficax, quantum mihi videtur, attulit. Nam contra rationem

illam quam inculcat, Christum fragilitatis ob hoc naturalis expertem fuisse, quia sine peccato conceptus sit : Contra hoc, inquam, Boetius indubitatam profert sententiam, cui Gregorius non obsistit, dicens : « Quia nulli admistus est culpæ, nulli ex necessitate succubuit pœnæ. » Nam, cum sine peccato nasceretur, cum statum, qui homini post peccatum pœnaliter inflictus est, ex necessitate non assumpsit. Non hoc sentit Gregorius, Christum ideo fragilitatem non habuisse naturalem, quia peccatum non habuit, sed ideo non necessario habuisse. Quid vero? Nonne propter suam munditiam removet ab eo necessitatem? Quod si verum est, nonne fortitudinem summam munda conceptio sibi contulit, quæ coactionem necessitatis abstulit? Hoc posito fere in adversam partem relabimur. Non est hic dissimulanda difficultas.

Attendat subtilitas vestra. Christi ergo munda conceptio, nunquid omnimodam ab ipso necessitatem removet? Nam in eo determinatam paulo ante concessi, et nisi ipse aliter vellet, nonne necesse esset ipsum mori sicut et Petrum? Tantam ergo infirmitatem habuit naturalem caro Christi, quantam et Petri. Habuitne tantam mortis necessitatem quantum ad hominem? Hæc vero verborum involucra, ne tanquam puerilia vobis sint tædio; desisto prosequi.

Sed opinionem illam prosequi volo, quæ carnis nostræ fragilitatem, quam homo peccando meruit, moriendi scilicet, et affectuum omnium Christum a conceptione sua negat assumpsisse, hoc uno excepto, quod peccatum in ipso cadere non potuit. Contra quam ad ipsius concesso quodam sic procedo. Christum a conceptione sua suscepisse confitetur hanc infirmitatem, ut dolere posset illata sibi passione, et eam nobis habere communem. Quod si verum est, nonne dolendi naturalem suscepit potentiam? Hoc enim naturale puto, quod a Creatore res contrahit. Quomodo præter naturam et per miraculum doluit, qui dolendi potentia carnali non caruit? Nam et lapis, si dolendi a creatione potentiam haberet, ergo, cum cederetur si doleret, præter naturam et per miraculum procul dubio non doleret. Sol vero, quia naturalem standi potentiam non habuit, præter naturam ipsius, et per miraculum factum esse dicimus quod stetit. Amplius : Quæ, rogo, causa fuit, ut Christus mortem formidaret, quæ tam procul ab ipso aberat, ut in eum cadere non posset, nisi magna in se causa virtute asciscceret. Atqui, inquiet, Christum ita formidinem, sicut et dolorem, ad tempus suscepisse, ut sic major erga nos dilectio probaretur, cum ipse naturaliter fortis pro nobis dignaretur informari, et sic noster amor major ex debito redderetur, cui respondeo : Quia mediator Dei et hominum, cum suæ medietatis interjectu, duo extrema et sibi contraria **100** in concordiam vellet revocare, quanto fragilitati nostræ affinior factus est, tanto largiorem suam nobis benignitatem ostendit, et ideo major ei dilectio est exhibenda. Amplius quoque : Cum duæ in Christo naturæ sine confusione conjunctæ sint, quidquid Christus fecit vel passus est, secundum alterutram earum fecisse eum vel sustinuisse necesse est. Quod ergo ex neutra carum, nec passus est, illud omnino, nec fecit, nec passus est. Ex neutra vero naturarum doluit, nam, si non humana, multo minus igitur doluit ex divina. Restat ergo ut nec omnino doluerit. At hoc sentire de Christo nefas est, ipsum igitur naturam dolendi non habuisse perfalsum est. Quod si naturam velit necessitatem intelligere, sicut beatus Hilarius vim, naturam, necessitatem inculcat, non nisi ad nomen erat tota disputatio ista, et aut sibi ipse dissentiat necesse est, aut in nostram penitus concedat partem. Itaque jam non magis huic quam beato Hilario erit succensendum. Sed forte modus iste loquendi, et verborum quasi novitas vos offendit. Et hoc quidem vitium novitatis in modernis non mediocriter est arguendum. Sanctum vero Hilarium, si recte sentiat, a modernis propter verba non æstimo judicandum. Summæ enim subtilitatis est philosophus ille; et hanc sibi loquendi voluit habere libertatem. Hæc super quæstione proposita nihil temere affirmando, sed percunctando, pleraque dicta sunt. Nunc si quid ad hæc domnus Philippus (si forte legerit) vobis respondeat, vellem edoceri.

Istas viginti et unam Epistolas Philippi cognomento ab Eleemosyna, abbatis olim ad monasterium Bonæ-Spei, attente legens deprehendi non solum fidei Catholicæ esse consentaneas, sed etiam solide doctas, ac multæ eruditionis, quæ in veteribus divinarum Scripturarum accuratissimis lectoribus inveniri solet, plenas; ut propterea non immerito fuerint hactenus a viris doctis desideratæ. Utiliter ergo imprimentur. His attexuntur et aliæ tres ad ipsum Philippum scriptæ, et una Hunaldi ad Joannem præpositum, ejusdem cum quinta, sexta et septima argumenti; quæ utiliter etiam excudentur.

Actum Duaci 2 Novembr. ann. 1617

Franciscus Silvius, S. Theol. doctor et in Universitate Duacena professor.

EPISTOLA XXVI.

Philippi ad Alexandrum III papam.

Gratulatur Alexandro quod ad summam dignitatem fuerit evectus; atque ut ad ejus partes alliceret, reges Angliæ et Franciæ convenisse significat.

(Ex Spicilegio D'Achery, edit. nov. t. III, p. 527.)

« Susceptis vestræ dignationis apicibus, etc. » *Exstat inter variorum ad Alexandrum III epistolas, ad an.* 1159.

PHILIPPI AB HARVENG

BONÆ SPEI ABBATIS

COMMENTARIA IN CANTICA CANTICORUM.

101 INCIPIT PROLOGUS EJUSDEM.

Opus grave et arduum, et meis impar viribus postulatis; non satis attendentes quid, a quo, tam instanter, tam sollicite deposcatis, cum, ut verum fatear, in me tam subtilem nullo modo sciam, vel sentiam intellectum, ut quod vos affectatis, ego ducere valeam ad effectum. Et nimirum poeta invenitur auditores suos monuisse diligentius (61), inter quos aliquando recolo puerum me sedisse, ut qui scribunt, non sint præcipites quævis grandia temere præsumendo, sed magis circumspecti, materiam suis æquam viribus assumendo :

Sumite, inquit, *materiam vestris, qui scribitis, æquam Viribus; et versate diu, quid ferre recusent, Quid valeant humeri.*

Quod si virium consideratio narratoria est in carminibus æthnicorum, multo magis in nuptiali, ac spirituali Cantico canticorum, quod non solum musarum nænias et inanes fabulas poetarum, sed nostrorum etiam superat hymnos, et cantica prophetarum. Denique tam moderni quam antiqui, tot inveniuntur hujus operis tractatores, ut nesciam, si quid ultra potuerint addere tardiores; et cum plurima super hoc Canticum illorum sint commenta, serius quisque videatur; non tam nova cudere, quam furari potius præinventa. Verumtamen quidquid objiciam, vobis satisfacere non videtur, sed vultis ut aggrediar, quod in mea tam scientia, quam facundia non habetur. Et profecto humeros graviores gravat et aggravat materia spiritalis, dum spiritalia, juxta Paulum : « Homo non percipit animalis (*I Cor.* II). » In ignem itaque velut prudens et conscius manum mitto, vel per alta maris discrimina cymbæ fragili me committo, in eo solum fidens, qui suos vult labore atteri non incassum, qui bonus et misericors de ipso loquentibus, pro ipso laborantibus, dicit : « Adsum. » Apud quem et vos, quæso, vestris me precibus commendate, et, ut quod volo, valeam, ejus mihi gratiam impetrate, quam quod justus et verax, meis meritis non præstabit, miserator et misericors vestris precibus non negabit.

102 Unam vos veteres nostis tantummodo lunam,
Temporibus nostris altera major adest.
Sol pridem solus majore stupet novitate,
Solem namque parit luna novella novum.
Quem, vel quæ, melius si vultis nosse, retexam,
Christus sol oritur, luna Maria parit.

(61) Horatius in Arte poetica.

PROŒMIUM IN CANTICA.

Quidam rex regum et rerum dominus (et si quid dignius potest vel excellentius nominari, quo ejus potentia et potens excellentia valeat commendari) obtinuit quamdam miræ et inauditæ magnitudinis regionem, in qua nulli decrevit alteri divisam facere portionem. Suo quidem beneplacito congruens erat visum, ut regnum ejus sibi maneret indivisum; et eo major nullus illic vel par etiam haberetur, qui pari potestate rebellis et insolens in contumeliam raperetur. Cujus regionis pars quædam sublimior, lucidior, honestior habeatur, quæ frequentiore illius præsentia dignior videatur; pars altera longe inferior, scrupulosior, tenebrosa; suo ipsius Domino forte non pari merito gratiosa. In ea vero parte cui superius præsidebat, ordo magnus multorum ei principum assistebat; qui mandatum acceperant cervice prona domino famulari, et indefesso studio laudes ei consonas modulari. Quodpropter et eos mira et admiranda fecit præcipuos et conspicuos dignitate, et in regni solio quadam velut secundaria potestate; ut cunctis in toto regno degentibus excellentia præsiderent, suo ipsi Domino digna reverentia subjacerent. Quorum unus qui cæteris sibi non inferior videbatur, qui decoris et honoris inventio beneficio lætabatur, altum quid et temerarium adversus dominum cogitavit; et quærens ampliora, se illi fore similem æstimavit. In quo et ei de tam multo magnorum numero plurimi consenserunt; qui

omnium altissimo sentire paria præsumpserunt; quos ille statim omnes collata gloria spoliavit, spoliatos in illius regni partem infimam destinavit. In suprema enim nil repugnans, nil inconveniens, nil molestum, nil denique moræri sustinuit inhonestum; sed ortum semel malum severo judicio mox dejecit, et malos a serena faciei suæ gloria longe fecit. Illi autem longe facti, nec sic a malitia defecerunt (*Sap.* XII), sed illius extremæ partis incolas sui veneno sceleris infecerunt, suoque omnium domino rebelles fieri coegerunt, et ad parem injuriam minis et viribus, dolis et blanditiis impegerunt. Illic enim rex ille summus, eo quod ipse novit consilio, silvescere et invalescere malum sustinuit, neque statim malos quosque festinata pœnarum falce coercuit; sed, cum posset nutu solo vel prohibere ne fierent, vel peracta quæque noxia mox ulcisci, eorum in pejus proficientium mire patiens visus est oblivisci. Sic in brevi tam instinctu majorum, quam consensu minorum tota illa regni pars inferior depravatur, et corrupta omnis caro, non timore, non amore suum regem et dominum veneratur; sed quem præsentem et non videt oculo, et corde malevolo jam non sentit, ejus mandatis et (si forte aliquando audiat) non consentit. Aliquando quippe super eos de excelso prospiciens, suos eis nuntios destinavit, et multifariam multisque modis loquens, ad meliora et saluti proxima errore devios revocavit; sed eorum quamplures duris et diutinis vitiorum nexibus irretiti, non sunt ejus monitis, non promissionibus emolliti. Pauci admodum, quibus lucidior et complacitior facta est doctrina spiritalis; vel quos forte commonuit ratio et intelligentia naturalis, ad illum suum Regem saniori consilio respectum humilem habuerunt, et inter malos boni, pro loco et tempore, Dominum coluerunt. Verum in tam multis et locorum et temporum spatiis hujusmodi homines inventi sunt tam raro, ut cum, juxta quod ante dictum est, corrupta fuerit omnis caro, rex ille nominatim facile ubique gentium suos nosset, malorum vero multiplicitas a quoquam hominum comprehendi numero jam non posset. Hoc autem non solum multis annis, sed annorum multis ætatibus perduravit, quibus contra suum regem et contra ejus legem cervicem populus induravit. Rei omnes et reatus merito ad extremum in æternas carceris tenebras introducti, exceptis paucioribus qui antea ejus in gratiam sunt reducti. Per totam vero temporum seriem qua prædicto errore inventus est populus detineri, rex ille proposuerat eis in fine temporum misereri; ætate ultima suam miseris gratiam abundantius impertire, quos videbat tam ignorantia quam malitia deperire. Qui mirum et mirandum satis modum elegit miserendi, causa vero cur magis hunc eligeret, non potest liquido comprehendi, nisi quia suo eum vidit beneplacito gratiorem, et ob hoc nullus recte sapiens esse dubitat meliorem. Hanc autem misericordiam quam erranti populo diebus erat ultimis ostensurus, et modum ostendendi, quo id fuerat expleturus; in

A diversis tam nationibus quam locis et temporibus voluit paucis admodum revelari, quos ampliore gratia *videntes* vel prophetas voluit appellari. Qui declarato mentis oculo cæteris nescientibus volentes mysterium aperire, illud tamen studuerunt figuris et ænigmatibus aperire; et prædicantes populis prædicti regis beneficia postfutura, multa quidem protulerunt lingua vel calamo, sed obscura, ut et regis gratiam invidorum more penitus non celarent, et tamen indignis mysterium sanctum incredulis non vulgarent. Hæc autem intellecta et prospecta nonnulli eorum scripto memori commiserunt, et sic ad eos qui longa post venturi erant serie transmiserunt; ut non solum tunc præsentes, sed magis succedentes vera legerent in Scripturis, quæ prævidit nec invidit
B sensus præcedentium postfuturis. Quibus post invicem scribentibus, quidam se medium interponit, cujus scientiam et doctrinam auctoritas ecclesiastica cæteris non postponit; qui spiritu prophetico percipiens secreta futurorum, miro scribendi genere, ad notitiam protulit cæterorum. Rex ille summus de quo sermo est, non finem habens nec principium existendi, non gratiam, sed naturam immutabiliter persistendi; forti cujus potentiæ nulli datur copia resistendi, sed quibus vult, quomodo vult, grata possibilitas assistendi: habebat filium ejusdem naturæ substantiæ, majestatis, cœternum, cœqualem, unius per omnia potestatis. Quem disposuerat ad illam hominum pravam et pestiferam mittere nationem, ut apud eos et inter eos morosam faceret mansionem, et ex eis assumeret quamdam sibi virginem
C fœdere nuptiali, quam tamen supra legem nuptiarum conservaret integram mente et corpore virginali. Videbat quippe quod nuptiarum beneficio, ira, rixa, odium, simultas longius avocantur: gaudium, æquitas, grata societas, pax, dilectio revocantur; et ad hoc non soli duo, sed multa pariter millia convocantur; qui diversi, et (quod nequius est) adversi ad idem velle et idem nolle efficaciter provocantur. Videbat quod diversæ lingua, moribus, nationes, sejunctæ ab invicem terra, mari, multa intercapedine regiones, unius sponsi et sponsæ conciliatis nuptiis pariter fœderantur, et extunc et deinceps parent invicem, colunt, diligunt, venerantur. Denique nuptia-
D rum beneficio acquiritur optata soboles filiorum, et inter eos viget grata fraternitas animorum; multiplicatisque tam fratribus quam fratruelibus, crescit in immensum amor et dilectio naturalis, et sic in plures tenditur primæva utilitas copulæ nuptialis. Hoc itaque modo, imo longe excellentiore modo suos ille revocare disposuit inimicos, et assumpta ex eis sponsa convertere voluit in amicos, ut cum sponso suæ sororis impenderent homines jus fraternum, invento gradu congruo diligentes proficerent ad æternum. Pater enim qui Filium ad hoc mittere disponebat, et Filius qui mittenti obedire per omnia diligebat, Deus est immortalis, impassibilis, invisibilis ex natura, quem visibiliter nec videre, nec tenere visibilis poterat creatura; et ob hoc inter homines, ipse Dei

Filius recipi voluit sponsæ thalamo virginali, ut procedens inde sponsus, videretur, teneretur, in forma et habitu nuptiali. Quod antequam realiter fieret, nonnulli, ut jam dictum est, in spiritu præviderunt, et in suis scriptis, alii obscure, alii obscurius positum reliquerunt. Quorum unus mutuos Sponsi et Sponsæ affectus invenitur expressius descripsisse, subtilem et honestam, spiritualem et modestam velut fabulam texuisse. Noverat quidam ille cantores et cantrices nuptiis temporalibus adhiberi, et ab eis cantus modulos, laudes varias exhiberi; docta eos manu tangere lyram, citharam, symphoniam: sambuca, fistula, psalterio concordem texere melodiam, ut in his omnibus inveniantur nuptiali thalamo plausibiliter adgaudere, et ad congaudendum cæteros convenas commonere. Ea forma vel exemplo noster scriba mirabiliter institutus, hunc insignem thalamum laude epithalamica prosecutus: novum et inauditum drama instar composuit comicorum, qui loquentes, introducunt personas varias scenicorum. Quod nimirum scribendi genus ante illum non novit antiquitas, sed ab illo, ut videtur, longe infra sumpsit posteritas: dum post sequentes Græcorum scholæ quid de quibus mystice scriberet, quia non satis capere potuerunt, ipsum saltem scribendi modum ad suas vanitates et ineptias transtulerunt.

TITULI CANTICI CANTICORUM EXPLICATIO.

Titulus autem hujus operis est: *Cantica canticorum Salomonis.*

104 Quoniam in hoc opusculo Sponsi et Sponsæ non nisi consonas laudes scripsit, Canticum vel Cantica in ipso titulo superscripsit, ut in ipsa statim fronte prudens lector eo commonitorio ad laudes thalami præparetur, easque diligentes, non vocis melodia, sed morum consonantia moduletur. Quia vero multi ante et postea inveniuntur in suis scriptis Cantica deprompsisse, sed non tam excellenter in eis laudes hujus thalami descripsisse; ad istorum commendationem et distinctionem imparem cæterorum, hic non solum Cantica, sed Cantica posuit canticorum. Sicut enim et Sancta sanctorum, et Sabbata Sabbatorum, super Sancta et Sabbata eminentius efferuntur, et sæcula sæculorum dignitate et gloria sæculis præferuntur; ita, cum sit in veterum scripturis multa commendatio Canticorum; amplius quid et longe sacratius spondent et continent Cantica canticorum. Ne autem hujus scriptor operis a lectoribus ignoretur, et scriptore ignorato, scripturæ auctoritas minoretur; signanter apposuit suam auctoris facere mentionem, evidenter nominans in eodem titulo Salomonem. *Cantica*, inquit, *canticorum Salomonis*. Salomon iste rex et regis filius habebatur, et ob hoc recte summum regem regis Filium veneratur; describens quanta pacis gratia ejus nuptiis illucescat, qua quiete et gloria in ejus sinu Sponsa nobilis delitescat. Denique, ut Interpretes aiunt, Salomonis nomine *pax* signatur, et pacatum ejus regnum Scripturæ testimonio designatur; cujus bello manus Ægyptia tanquam invalido non succurrit, sed potius a Dan usque Bersabee, Satan vel *adversarius* non occurrit. « Habebat, inquit, pacem ex omni parte in circuitu, a Dan usque Bersabee (*III Reg.* IV). » Et infra: « Requiem, ait, dedit mihi Deus meus per circuitum, et non est Satan neque occursus malus (*III Reg.* V). » Per quem signatur ille qui virtute propria utraque unum fecit, qui Judæis et gentibus e diverso venientibus angularem lapidem se objecit (*Ephes.* II), qui de sinu Patris adveniens, tamen cœlestia non abjecit qui veniens ad injustos, salutem eis et justitiam prope fecit. Qui terrenos et cœlestes, quos non tam loci qualitas, quam meritorum inæqualitas diu ab invicem segregavit, in unum, velut concordiæ vinculo, congregavit; dum in Sponsæ thalamo spiritales nuptias celebravit, quibus divinam humanamque naturam unitate personali mirabiliter sociavit. Recte ergo hujus descriptor operis Salomon, id est *pacificus* appellatur, innuens quod a quovis inquieto digne hujusmodi canticum non cantatur, ne quis putet quia sit inspectivum vel theoricum scientiæ fastigium assecutus, qui prius non morali et naturali diligenter fuerit institutus. Ad quod efficacius edocendum, istum scripturus librum, duos alios præmisisse, et in singulis invenitur cura vigili singula descripsisse; in primo habens eam quam dicunt ethicam vel moralem, in secundo physicam quam dici asserunt naturalem. In primo docet rudes, et ad morum elegantiam nos componit, et inter componendum nonnunquam Patrem et Filium frequenter interponit: insuper et in titulo regem regis filium se appellat, ut et patris dignitas, et timor regius nos compellat. *Parabolæ*, inquit, *Salomonis filii David regis Israel*. In hoc libro rudibus et parvulis paternam inserit disciplinam, eum asserens qui non audit decidere gravius in ruinam; eum vero qui intelligit,

sua ipsius gubernacula possidere, quia vir obediens debet magis loqui victorias quam tacere (*Prov.* XXI). In secundo autem virum bene compositum, ætate præditum jam matura docet, quia omnis sub sole vanitati subjacet creatura; et in eodem statu nulla permanet genitura, sed omne quod est genitum, tendit ad interitum ex natura. **105** Et quoniam ea, quæ sunt mundi, non sunt gradu stabili permansura, sed lege inevitabili eorum præterit species et figura; probabiliter innuit quia non est talibus inhærendum, sed aliud quid amplius et saluti vicinius inquirendum. Quia vero rarum et arduum est visibilia quodammodo non videre, hoc est, nullo mentis affectu visibilibus inhærere; in hujus quoque libri titulo se regem, regis filium appellavit, et velut pro imperio concionem, id est Ecclesiam compellavit. *Verba*, inquit, *Ecclesiastæ filii David regis Hierusalem*. Voluit quidem ut quos satis non allicit doctrinæ suavitas opportuna, concutiat et impellat regis auctoritas importuna, eosque promoveat ad locum provectiorem scientiæ naturalis, ut judicent contemptibile quidquid sciunt instabile cursus privilegio temporalis. In tertio volumine nullam facit potestatis regiæ mentionem, sed ea jam sepulta simpliciter nominat Salomonem; ostendens quia illi qui digne ad hanc veniunt lectionem, pace debita soporati solius Sponsi appetunt visionem. Iste quidem lector contempto prorsus eo quod intelligit transitivum, et omni diligenti cura didicit oppressivum; liberiore spiritu jam locum obtinet inspectivum, a qno Sponsi præsentia arcet quidquid occurrit inconveniens et nocivum. In his ergo voluminibus moralem, naturalem, inspectivam scientiam comprehendit, in quorum primo disciplinam patris filius, non pecuniam apprehendit; in secundo vana esse cuncta sub sole transeuntia deprehendit; in tertio quæ infra sunt oblitus, in divina totus et cœlestia se extendit. In primo rudis quisque patris vigilantia bonis moribus informatur, in secundo mundus ei visibilis mutabilitatis merito deformatur; in tertio homo ille inferior tersa facie reformatur, et in sanctuarium introductus, ei quem videt, grata similitudine conformatur. In primo Abraham jubentem audit, festinat exire, ad moralem obedientiam præparatur (*Gen.* XII); in secundo Isaac puteos fodit, quærit aquas, naturalia perscrutatur (*Gen.* XXVI); in tertio Jacob dormit in lapide, interest angelis, divina speculatur (*Gen.* XXVIII); ipsum, ut ait, Deum videt facie ad faciem et salvatur. In primo, futuram sponsam, rudem adhuc et parvulam, præceptis moralibus, disciplinæ regulis, nexura salutari, pascit, arcet districtius, et obvolvit; in secundo jam adultam a procorum fraudibus, a deceptorum nexibus liberat et absolvit; in tertio jam nubilem solam soli sibi Sponsus vindicat et conjungit, quorum casto commercio incestus se quispiam non adjungit. Recte ergo liber ille primus præceptorum exsecutor, appellatur ethicus vel moralis: secundus visibilium persecutor, physicus, naturalis; tertius invisibilium assecutor, inspectivus, theologicus, spiritalis, quo posterior ordine, eo digniore excellentia principalis. In quo vidit et prævidit Salomon quamdam virginem de stirpe regia nascituram, summo Regi, et ejus Filio longe præ cæteris placituram; in qua Dei Filius templum sibi, tabernaculum, thalamum dedicaret, ut in eo, nonnullis ante certas, sed prorsus inexpertas cunctis nuptias celebraret. Quibus nuptiis ne videatur honestum vel conveniens quid deesse, cum Sponso amicos Sponsi, cum Sponsa dicit adolescentulas præsto esse; et sic quatuor velut personis ad invicem loquentibus epithalamium ordinat spiritale, quarum frequenti accessu et recessu drama texitur nuptiale. Virgo autem quam videt Salomon sic a Dei Filio diligendam, et ad hoc ministerium, vel (si placet magis) mysterium specialiter eligendam, illa est genere nobilis, insignis moribus, præ filiabus hominum speciosa, litteris sapiens, humilis spiritu, meritis gloriosa; illa, inquam, ut tandem eam nominem, Maria est, post Salomonem de ejus posteris oriunda, quæ primam hujus dramatis partem occupat lætabunda. Cum enim de hujusmodi nuptiis plures ante virginem sparsim plurima sint loculi, earumque præconia et accessus prævios exsecuti; eorum Salomon in hoc libro ad medium quidpiam non adducit, sed loquentem de repente prædictam virginem introducit.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

[CANT. I.] *Osculetur me osculo oris sui.* Hic primo quærendum occurrit: Cum in hoc dramate quatuor velut personæ alloquentes invicem inducantur, Sponsus et sodales Sponsi, Sponsa et quæ secum adolescentulæ comitantur, cur in principio Sponsa festinatior prosilit ad loquendum, cum Sponso digniori videatur id esse muneris concedendum. Verum per hoc innuitur quia virgo ignorantia non caligat, sed erudito spiritu verba prophetarum præcedentium investigat; et sicut tam Salomonem quam cæteros constat futura prænovisse, sic istam quæ de ipsa prædicta fuerant, cognovisse. Novit igitur quia multifariam multisque modis olim Deus in prophetis fuerat prælocutus (*Hebr.* I), et **106** quidquid conciliandis nuptiis erat necessarium prosecutus, qui a diebus Moysi et longe supra, multis rerum figuris et verborum ænigmatibus præsignaverat hoc futurum, videlicet in sinum virginis nuptiarum gratia se venturum; vult autem virgo cuncta præsignantia

jam silere, figuras et ænigmata locum, ut antea, non habere; eum qui promittitur suam tandem præsentiam exhibere, nec ab ejus aspectu exspectantis desiderium diutius cohibere. Quia, inquit, amori tenero non sufficiunt promissiva, sed ingravescit languor si differantur justo amplius completiva; cum ad obtinendum quod diligo nec debeam, nec prævaleam inferre coactiva, offerre dignum arbitror verba simpliciter præcativa. *Osculetur me osculo oris sui.* Novi scripturis referentibus, ait, ad Abraham olim dici, quod gentes lætarentur se in illius semine benedici (*Gen.* XII); et hoc dignum fide in Isaac ejus filio non haberi (*Gen.* XXI, XXII), sed opportuno tempore, in meo efficacius adimpleri. Isaac quoque patre genitus jam senili, promptus, obediens paratus ad victimam ætate puerili; quid nisi meum istud gaudium designavit, quod mihi Deus meus, antequam fierem, assignavit? Mundo autem senescente doleo quod ille quem desidero, propius non accedit, quod missuro mittendus citius non obedit, quod amanti et optanti meum mihi gaudium non confertur, quod eo magis appeto, quo ei, qui obtinet, non aufertur. Novi Jacob dormiturum non pulvinar capiti subdidisse, sed lapide supposito longe suavius obdormisse (*Gen.* XXVIII), in quo non mihi dubium quin ille figuraliter præsignetur, qui dato mihi osculo, de monte sine manibus abscindetur. In Juda Liæ filio quem pater senior a fratribus vult laudari (*Gen.* XLIX), a quo satis certum est tam genere, quam nomine Judæos derivari; alius quis illo signari mihi convenientius non videtur, quam qui Deum Patrem esse cœli, et terræ Dominum confitetur (*Luc.* X). Novi Joseph cujus gratior invenitur suis fratribus mors quam vita (*Gen.* XXXVII), ex quo factus somniator, indutus est tunica polimita (*Gen.* XXXIX), cujus castitas legitur impudentis dominæ minis vel blanditiis lacessita, sed objectos laqueos mente juvenis transilit expedita. Ille est, ut video, qui dato mihi osculo, veste nova et virtutibus varia vestietur, et procedens Sponsus e thalamo plures invidos patietur; qui præsentis vitæ malitiam, ut impudicam fugiet meretricem, habens summæ castitatis, et castæ bonitatis munditiam assistricem. Ille est cui rerum Domino genu flexo cæteri se curvabunt, quem stellæ, sol et luna, quem reges et principes adorabunt; qui Ægyptum morte magis quam fame laborantem mira prudentia sustentabit (*Gen.* XLI), et cunctis digne petentibus vitalem alimoniam ministrabit. Quid Moysen, Aaron, Josue, quid judicum retexam ordinem, quid David, quid reges cæteros, quid prophetarum singulos nominem, in quorum catalogo nullus penitus adnotatur, qui non verbo seu facto eum, quem desidero, præloquatur? Verum, quia omnes istos velut quosdam præcones et tympanistrios ante misit, in quorum præludiis necdum suam præsentiam dedit sed promisit; eorum præconia jam moræ impatiens non accepto, omnia pendo vili, eo præsentialiter non recepto. Eum quidem venturum illis promittentibus mea intelligentia jam percepit, sed venturi tantus amor meum exspectantis desiderium intercepit, ut quidquid promissivum intellectui vel memoriæ jam subrepit, ut tubas et tibias, sistra et psalteria, et quidquid ad januam foris strepit, jam quasi fastidiam, dum illum solummodo ad medium volo duci, et in meum thalamum suavius et operosius introduci. Qui ergo venturus est, moram diutius non protendat, meum exspectantis desiderium dilatione intolerabili non suspendat, sed promissus ab antiquo tandem in vellere ros descendat, nec salutet de longinquo, sed optanti propius se ostendat (*Judic.* VI). Volo enim ut in sinu Patris se diutius non abscondat, ut exinde aures meas verbosa nuntiorum frequentia non obtundat, sed diu sufferentem nec sufferre diutius prævalentem, ampliore gratia me perfundat, et illapsu plenario totus meo gremio se infundat. Ad quid enim prodest suspensum animum tantis promissionibus deliniri, et effectu prorsus nullo, quod promittitur experiri, cum potius languor ducat ad exitum, si semper sanitas absentetur, et dilectus diligenti non tandem grato commercio præsentetur? *Osculetur igitur me osculo oris sui.* Motus ille hujus æstu et desiderio postulantis, licet non statim expleat impatientem animum præstolantis; adhuc addit virgini nuntium mittere gratiorem, qui privato alloquio narret Dominum propiorem. Cum autem in multis præcedentium multa fuerit sanctitudo, in hoc multa inventa est tam re quam nomine fortitudo, qui narrans præsto esse defensorem fortissimum Israelis, digne censeri meruit specialiter nomine Gabrielis. Qui missus ad virginem, mittentis excellentiæ non oblitus, non stat foris ad januam ut servilibus vinculis præpeditus; sed majore fiducia interioris thalami quoddam vestibulum est ingressus, quis, quare veniat, tam verbo quam facie jam professus. « Ave, inquit, gratia plena (*Luc.* I). » Miratur angelus sibi quoque secretum virginis inaccessum, diligenter percipiens nisi suo soli Domino non concessum: gaudetque invenire locum thalami tam serenum, ut soli patens Deo, omnem respuat alienum. **107** Ave, inquit, virgo præ cunctis virginibus digne læta, dignis muneribus totius gratiæ jam repleta: ad quam meus et omnium Dominus me præmisit, imo tecum jam eum esse video qui me misit. « Ave, inquit, gratia plena, Dominus tecum. » Putabam mittentis imperio prænuntium me venire, sed imperator nuntium mihi visus est prævenire: forte quia virginem solam prior voluit invenire, ne viderer sine ipso ipsam rudem et timidam convenire. Æstimo quod angelus quem missum Dominus jam prævenit, in foro vel platea, in tumultu et chorea prædictam virginem non invenit; non fuso, acu, pectine, lana, lino, non eam denique detentam reperit servili opere, non textrino, sed vacantem otio, vel magis negotio spirituali, scripturis inhærentem intellectu vel affectu sancto penitus, non carnali. Reveretur igitur ipse quoque angelus sic inventam, remotis arbitris di-

vino studio sic intentam, et admirans robustam non annorum, sed profectuum juventutem, mandatam virgini multa cum reverentia dat salutem. « Ave, inquit, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus (*Luc.* 1). » Tu, inquit, tam honesto, tam modesto, sive otio, sive negotio sic addicta, asseri digne debes in cunctis vel præ cunctis mulieribus benedicta : et te plenam gratia tanta benedictio prosequetur, ut nec prima similis, nec sequens altera coæquetur. « Quæ cum audisset, inquit, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio (*ibid.*). » Videns virgo insolitam viri speciem, expavescit, et audiens novum quiddam, turbata nihilominus exhorrescit, quia et spiritali ejus otio non est vir solitus interesse, et nondum perceperat se tanta excellentia dignam esse. Volvit igitur et revolvit hujusmodi salutatio quid portendat, quid assistens angelus, vel immittens Dominus quid intendat, cum necdum manifeste secretum mysterii comprehendat, et dignum videatur pavere virginem in omnibus, ne offendat. Et ait angelus : « Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum (*ibid.*). » Non turbet, inquit, timor subitus animum puellarem, quoniam apud Deum invenisti gratiam salutarem; sanctum cujus propositum, et in te beneplacitum corde pavido ne refutes, cum ille tibi Dominus, quas ego defero nuntius, det salutes. Et adjungit : « Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum (*ibid.*). » In tuo, inquit, utero miras Dei Filius nuptias celebrabit, et ipse tuus uterus eumdum Sponsum hominem generabit, quem tu vocabis Jesum, suæ merito bonitatis; ipse enim populum suum salvum faciet a peccatis. Et ait Maria : « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? » (*ibid.*) Cum ego, ait, decreverim me carnali conjugio non nupturam, et tu vere astruas me in proximo filium parituram : pace tua dixerim, modum sine dubio volo scire, quo possit competenter istud, velut inconveniens, convenire. Hoc profecto mirabile futurum scribente legeram Isaia, sed nec ille, nec alius hoc futurum dixerat in Maria; et quia calceamentum hoc perplexa corrigia videtur obvolutum; tu, cui forte datum est, volo mihi facias absolutum. Et respondens angelus dixit ei : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*ibid.*). » Scias, inquit, nullum te virilis copulæ commercium experturam, sed operante sancto Spiritu possibiliter quidem, sed ineffabiliter concepturam, quia ille quidquid indecens vel dicitur, vel sentitur, a te penitus removebit, et omnem turpitudinis æstum se interposito, velut quodam umbraculo, prohibebit. Et cum hanc genituram Spiritus Dei sancte et mirabiliter operetur, sanctum erit procul dubio quod nascetur; et ex Deo, non alius quam Dei Filius orietur, cum in te Deus homo personaliter adunetur. Et ait Maria : « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*ibid.*). » Audito modo quo mirabilis possit fieri genitura, quo nascatur Deus ex virgine nullum viri commercium cognitura : parata est Domino virgo humilis obedire, et quod sanctum intelligit, jam sperat et diligit citius evenire. Quia, inquit, Dominus est quem prædicas, et ancillam Domini me cognosco, impleri verbum tuum, et secundum illud mihi fieri jam deposco : gaudens quod immeritam bonus ille et misericors non despexit, sed clemens et altissimus, abjectam et humilem me respexit. Peracto itaque ministerio quod tu fideliter explevisti, et fide satis certa intellecto mysterio quod dixisti : suspensam magis et velut inquietam hæc tua prænuntiatio me dimisit, nec mihi quidquam satis est, si non præsentem eum sentiam qui te misit. Ipse igitur pro se ipso alium jam non mittat, et animo festinanti ventura nuntius non promittat, sed potius ipse mihi opportuno jam tempore præsentetur, ipse præsentem præsens præsentialiter osculetur. *Osculetur me*, inquam, *osculo oris sui*. Fiat, inquam, in me non labiis, sed duabus naturis convenientibus hæc junctura, ut unius personæ utraque mirabiliter sit natura; et quas eatenus longe fecit ab invicem tam culpa quam diversitas naturalis, jam firma pace fœderet indivisa unitas personalis. Intelligo enim quod in meum uterum plenitudo veniet deitatis, illæsum custodiens meum virgineæ sigillum castitatis : et in hoc thalamo ipse Dei Filius suavi osculo nuptiarum, in unitate personæ junget duo disparia naturarum. Fiet quidem Deus homo, naturæ suæ excellentiam **108** non contaminans, non consumens, sed naturam hominis potenter purificans et assumens; assumensque assumpto mirabile et incomparabile dabit munus, ut scilicet assumptus et assumens conjunctione mirifica fiat unus. Unus, inquam, non vel Deus tantum, vel tantum homo, sed unus Deus homo; unus Christus. Non sic quidem ut Dei substantia confundatur, sed in Deum humanitas assumatur. Hæc assumptio, hæc junctura qua Deus sibi voluit hominem personaliter counire, et naturam cum natura fœdus pacis in utero virginis ferire vel unire, honesto vocabulo in præsenti osculum appellatur, quia inter discordantes reversa pax osculo confirmatur. Vult igitur virgo ut in suo utero Dei et hominis concordia reparetur, reparata concordia inconvulso fœdere roboretur, quatenus qui Deus et Filius erat non nisi Dei Patris, novo et miro genere sponsus et filius fiat matris. Sponsus fiat, virginem sibi jungens quodam fœdere conjugali, in ejus pausans thalamo pace facta osculo nuptiali; in ea, vel per eam generans spiritales filios efficacia spiritali, ut tam ille, quam illa gaudeat fructu et sobole filiali. Filius fiat, carnem in illius utero sumens veram, integram tamen servans prorsus virginem et sinceram; et in ea consecrans sanctos quosque Deus, Dei filios et hæredes, et ex ea natus homo, suos faciens cohæredes. Ad beneficium autem istud, antiquum quidem promissionibus, re modernum, gaudet virgo et exsultat, et manere postulat in æternum; et attendens eo bono malum tam sequens posse destrui quam veterum,

vult ut dato sibi osculo pactum illi feriat sempiternum. Videt enim quia ille ducit prorsus inconveniens et indignum, si non sit pax inconcussa, cum quis dederit pacis signum : et ob hoc illum illo quasi ligamine vult involvi, quod semel confirmatum nec debeat, nec valeat ultra solvi.

CAPUT II.

Osculetur me osculo oris sui. Os Domini, sanctus quisque dicitur vel propheta, per quem suos hominibus cogitatus explicat et secreta : per quem nobis et revelat præterita, et futura prædicit, bona jubet suavius, mala severius interdicit. Os Domini constat olim Moysen exstitisse, cui videtur Deus tantam gratiam præstitisse, ut hujus secreti longe ante conscius haberetur, et illud postfuturum ut fidelis nuntius loqueretur. « Prophetam, inquit, suscitabit Deus de fratribus vestris similem mei; ipsum audietis (*Deut.* XVIII). » Os Domini David fuisse a nullo fidelium dubitatur, qui spiritu prophetali præcognitum hoc mysterium veneratur; et ne forte, quod prævidet, invidere cæteris videatur, assumpto psalterio, laudes ei et Cantica modulatur. « Ipse, inquit, tanquam Sponsus procedens de thalamo suo, exsultavit ut gigas (*Psal.* XVIII). » Ut Isaiæ verbum digna reverentia commendetur, et non propter loquentem sermo contemptibilis judicetur; ad populum duræ cervicis loquens, qui ad fidem facile non movetur, ut eos alliciat vel forte perterreat, os Domini nonnunquam se fatetur. « Os, inquit, Domini locutum est hæc (*Isa.* I); » sicut autem os Domini se esse perhibet Isaias, sic et debet credi, et dici potest nihilominus Jeremias, qui partum virginis docente sunt Spiritu prælocuti, et ventura mysteria verbo prænuntio prosecuti. Isaias : « Ecce, inquit, virgo concipiet et pariet filium, et vocabitis nomen ejus Emmanuel (*Isa.* VII). » Jeremias : « Faciet, inquit, Dominus novum super terram, et femina circumdabit virum (*Jer.* XXXI). » Denique os Domini ipse angelus Gabriel invenitur, a quo virgo jam adulta et nubilis super tanto mysterio præsentialiter convenitur, quam ne suspensam reddat caligo vel modica nesciendi, ille et eam parituram, et modum explicat pariendi. Unde virgo satis certa, jam os Domini diutius non audire, sed amore æstuans, oris osculum vult sentire, ut scilicet adventu Sponsi gratifico, firma pace, irremota præsentia foveatur, juxta quod a propheta vel angelo, tanquam ore Domini nuntiatur. « Fiat mihi, ait, secundum verbum tuum (*Luc.* I). » Fiat, ut me benedictam in mulieribus reddat gratiæ plenitudo; ornet meum thalamum advenientis sponsi regia pulchritudo; meum fecundet uterum sola Spiritus sanctitudo; meus ille sit Filius Dei, salus, justitia, sapientia, fortitudo. Hoc osculo sponsus ille ad me benevolus se inclinet, hoc in sinu pacifico, in amplexu gratifico sponsam matrem Virginem me reclinet : hoc me deliniat, me reficiat, me serenet, hoc me sibi vendicans a cunctis obviantibus alienet. Hoc autem fiat secundum verbum tuum, quod non tuo, sed ore Domini protulisti, dum tu non os tuum, sed os Domini potius exstitisti, quia nec tuus Angelus, tuus præco, tuus nuntius reputaris, sed ejus qui per te mihi loquitur, te suum prorsus efficit, ut loquaris. Propter quod non tibi dico : Osculare me osculo oris tui, sed de illo potius : *Osculetur me*, inquam, *osculo oris sui*, ut suo tandem osculo dignetur me beare, quod tibi ori ejus concessum est verbo nuntio prædicare.

109 CAPUT III.

Osculetur me osculo oris sui. Audiens Virgo quod desponsata Dei Filio, Deum et hominem parturiret, et in concipiendo prorsus virum servato proposito non sentiret, sed in eam efficaci potentia sanctus obumbrans Spiritus adveniret, certa fide, spe robusta, fervens Spiritu vel amore, auditu quidem gaudet, sed gaudere vult plenius effectu gratiore. Illum igitur spiritum tantæ gratiæ, tantæ pacis, tam suavem, tam benignum, potentiæ tam mirabiliter efficacis; qui carnis injurias procul arcens, propositum roborat castitatis, qui dat fecunditatem, salvans virgineæ sigillum honestatis; illum, inquam, Spiritum optat virgo plenius sibi dari, eo velut osculo promissa sibi munera confirmari. Cesset, inquit, vox angeli qui tanta beneficia mihi respondet, et accedat propius ipse Dei Filius qui sibi uni virginem me despondet : me tangat ore suo, cujus tactus multa gratia me perfundet, suo dignetur osculo, suo spiritu me fecundet. In osculo quidem oris non fit sola exterior junctura labiorum, sed etiam percipitur, et sentitur quædam exhalatio internorum, quæ si munda et referta fuerint sapore dulcorato, suavem quasi spiritum infundit osculans osculato. Quia ergo velut de corde et ore Filii Spiritus eructatur (sicut enim de Patre sic et de Filio procedere Spiritus prædicatur) mundius et dulcius quo secreto nullum esse veraciter existimatur : recte a Sponso, hoc est Dei Filio virgo postulat osculari, ut internum gustet bonum, attracto et percepto Spiritu salutari. Opto, inquit, ut veniat et assistat propius, in quem credidi, quem amavi, ut ille sponsus meo admissus familiariter in conclavi, purificet, magnificet, lætificet osculo me suavi : non ut tanquam labiorum extraria, ut assolet, fiat conjunctio, sed Spiritus oris ejus grata mihi et suavis quædam infusio. Denique postquam de limo terræ primum Deus hominem figuravit, vitæ spiraculum, ut legitur, in ejus faciem inspiravit (*Gen.* II), et sicut Dei tanquam manibus factus intelligitur vel plasmatus, sic flatu oris ejus ad vivendum temporaliter animatus. Longe infra Elisæus cum vellet mortuum suscitare, inclinans se jacenti, non solum manus manibus sed et os ori voluit applicare, ut viventis flatu tactus animam viventem reciperet, et incumbens, non defectum, profectum vero defuncti acciperet (*IV Reg.* IV). Longe vero altius, multo sacratius virgo sibi Dei Filium præsto esse, multo suavius, longe

operosius eum in osculo vult adesse, ut scilicet osculum impertiat, id est sentiri faciat Spiritum ejus oris, tangat eam spiritu gratiæ et efficaciæ plenioris. Tu, inquit, Sponse meus, Deus meus, tuam mihi præsentiam dignanter impertire, da postulanti osculum, id est tuum mihi Spiritum da sentire, tua mihi aspiratio adeo sit utilis, fertilis, et jucunda, ut et virgo juxta votum permaneam, et tamen concipiens sim fecunda. Aspira, inquam, mihi, non solum ut cum cæteris laborem fingere valeam in præceptum, sed osculare virginem, ut virgini præ cæteris osculo des conceptum : tuum in me osculum mira, et mirabiliter operetur, ut et Sponsæ fecunditas, et Matri virginitas singulari privilegio conservetur. Vos igitur in hoc auditorio tam omnes quam singuli qui astatis, si de verbo audito digne et reverenter quidpiam cogitatis : attendite, diligite et osculum, quod porrigit Filius Dei Patris, et singulare meritum, et solemne miraculum tantæ matris. Quæ sciens et sentiens nuptialis oculi sacramenta, nil requirens aliud, sive quovis alio non contenta ; ad obtinendum illud velut principaliter est intenta ; et ob hoc in principio sermonis illud sibi præcipue postulat impertiri, ejus suavitatem, ejus efficaciam diligens experiri.

A

B

CAPUT IV.

Osculetur me osculo oris sui. Ille, ait, quem diligo, quem præ cunctis eligo, mihi mirabiliter conjungatur; suo mihi osculo, suo mihi Spiritu interna suavitas effundatur ; cujus ope et opere mea carnis integritas muniatur, et in me Verbum carni, Deus homini personaliter uniatur. Videte miraculum Matris Domini. Virgo Sponsi osculum accipit, osculantis Spiritum percipit ; et in osculo jam mater concipit, dum operante Spiritu conceptum recipit. Quod nimirum et angelus Gabriel antea prædicavit, cum ei supervenire obumbrantem Spiritum nuntiavit (*Luc.* I) ; evangelista Matthæus (*cap.* I) postea confirmavit, cum factum recolens, matrem virginem commendavit. « Inventa est, inquit, habens in utero de Spiritu sancto. » Et infra : « Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est (*ibid.*). » Hanc gratiam, hanc efficaciam virgo desiderat sibi dari, cum a sponso tam signanter postulat osculari : optans in osculo exteriora Sponsi oscula non sentire, sed internum illius Spiritum efficacem ei gratiam effutire. In quo typo, sicut nostis, cum altario præsentamur, et sacrantes sacra mysteria, ipsi quoque Domino consecramur, quia tanti merito **110** officii sancto Spiritu jam replemur, dignum ducit religio ut astantes pariter osculemur. Osculemur, inquam, non ut labia labiis confundamus, sed acceptam Spiritus gratiam aliis refundamus ; et qui sacro eidem mysterio assistunt humiles et intenti, operante Spiritu, osculo designante fiant participes sacramenti. Vult igitur virgo a Sponso dari sibi arrhas osculi nuptialis ; vult Spiritu oris ejus percipere quoddam commercium efficaciæ spiritalis, ut scilicet et illibata maneat integritas pudicitiæ et propositi specialis, et novo genere concipiat, conceptum pariat uterus virginalis. Hoc munus, hoc beneficium, hanc sola virgo ista meruit gratiam invenire, ut eam concepturam inveniretur non viri cognitio, sed infusio Spiritus prævenire, ut solo osculo, sola virgo, sola Deum possit et hominem parturire, et in ejus partu tam diversa, tam dissona sonoro miraculo convenire. Sentiens autem Sponsus ille devotam impatientiam æstuantis, aurem suam non declinat a desiderio et precibus invocantis; et eam, quæ sua est, misericordiam, suum vetus consilium apud se diutius non retentat ; sed accedens propius amanti suavius se præsentat (62). Præsentat, inquam, et optatum vehementer osculum dat petenti, dato osculo ampliorem fiduciam dat loquenti, ut scilicet statim velut expleto negotio non recedat, sed quæ cœpit semel loqui, fiducialiter jam procedat. Sic nimirum et vos, fratres, nostis aliquoties evenire cum duo e diverso videntur pariter convenire ; si minor majoris promeretur gratiam invenire, major in principio dignatur minori osculum impertire. Quo percepto minor longiore fiducia roboratur, ut quidquid dignum ducit, exinde audenter eloquatur : et qui sensit illius benevolentiam ad osculum porrigendum, fidentior jam et promptior redditur ad loquendum. Virgo itaque percepta Sponsi præsentia, confortata osculo nuptiali, sciens matrem se futuram infusione Spiritus utero virginali, aliquanto fidentior quasi a precibus se avertit, et ad præsentem Sponsum dignis laudibus se convertit.

C

CAPUT V.

Quia meliora sunt ubera sua vino. Recte, inquit, adventum tuum multo supra promissum tempore præoptavi, tuum advenientis mihi osculum dari postulavi, quia novi et persensi, non carnis ducta sensu, non meo docta spiritu, sed divino, longe esse meliora ubera tua vino. Cum in osculo Sponsi non ubera, sed, ut videtur, labia persensisset, et ob hoc commendare, consequenter labia, non ubera debuisset, quid sibi vult quod hic labiorum non memoriam faciens, non sermonem, velut simplicitate erronea facit uberum mentionem ? Denique non sponsorum, sed sponsarum solent ubera commendari, quia virorum uberibus constat pueros non lactari ; et sicut ducimus digna laude ea quæ novimus fructuosa, sic eadem recte carent quæ sine fructu permanent otiosa. Cæterum unicuique quodammodo naturaliter est insertum, ut eo seposito quod ei est penitus inexpertum, ad illud se convertat quod ei familiarius est compertum, id in exemplum ducat, quod ejus est arti vel officio non incertum. Sic nauta loquens, prospera quæque rerum, vocat auras placidas, æquor stratum, velum forte, remiges et carinam ; adversa vero, ventos rapidos, tumens fretum, aquas defluas in sentinam. Miles

D

(62) Allusio ad Matth. XIII, 52 et Canticorum VII, 13.

quoque in omnibus fere quæ diligit verbosari, ea trahit in exemplum quæ officio competunt militari, et vix in ejus ore sonat nisi lancea, gladius, scutum, galea vel lorica; quæ et si ad præliandum reddit ei nonnunquam timor degener inimica, tamen ad loquendum familiari consuetudine sunt amica. Quid etiam scholares clerici nisi libros, vel auctores sæcularium loquuntur litterarum? quid religiosiores quique nisi testimonia proferunt divinarum? quid denique nos pauperes loquimur, nisi quæ nobis a pauperibus vel auctoribus vel tutoribus sunt impressa, nos, inquam, quibus et nobilium dignitas et copia est divitum inaccessa? Igitur quia Virgini, quæ sunt mulierum familiariter innotescunt, quarum uberibus infantes parvuli grandiuscule puerescunt: Sponso loquens, ei muliebria simpliciter assignavit, imo feracem illius gratiam nobis uberibus comparavit. In quo et nos a verborum sensu removet litterali, innuens ea esse intellectu gravida spiritali, dum Sponso attribuit quod in sponsa est eo facilius, quo propius, invenire, quod prorsus novit illi comparationis tantum gratia convenire. *Quia meliora sunt ubera tua vino.* Noverat quidem virgo, et in libris legerat antiquorum, quod justus Job privatus substantia, orbatus sobole filiorum (*Job* I), a planta pedis usque ad verticem duro verbere sauciatus (*Job* II), insuper et uxoris exprobratione molestissima fatigatus: tandem satis ægre, satis misere conqueritur et revolvit, quod a tantis eum malis opportuno tempore mors præveniens non absolvit. Quare, inquit Job, non in vulva miser ego mortuus exspiravi, egressus ex utero, cur non statim digno vitam periculo terminavi; cur ad augmentum miseriæ suppositione genuum confortatus, cur ad ejusdem cumulum tandem (111) uberibus sum lactatus (*Job* III)? » Existimo, ubera quibus Job dolet et conqueritur se lactatum, longe ducens melius super matrem suam se fuisse primitus ablactatum, non lac salutiferum, non vitalem ei alimoniam infuderunt, sed venenum aspidis, seu vinum, in quo est luxuria, profuderunt. De quo legistis: « Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile (*Deut.* XXXII). » Vinum istud seu venenum, ipsa est persuasio et doctrina, quam disseminat et diffundit perversorum pravitas serpentina, quæ suos auditores reddit ebrios et seducit, et a fide in errorem, a justitia in injustitiam deviat et inducit. Quodpropter in Ægypto, psalmo teste (*Psal.* LXXVII), percussit Dominus vineas iniquorum, et in suo Moyses cantico accusat vineam Sodomorum (*Deut.* XXXII); quia Ægyptus et Sodoma vinum miscent suis discumbentibus venenosum, perversitatis formam, doctrinam malitiæ, iter injustitiæ tortuosum. E regione apud Jeremiam laudes filii Jonadab meruerunt (*Jer.* XXXV), qui præcepto Patris audito vinum hujuscemodi non biberunt, dum eorum mentibus non seductorum sensu, non consensu perdito dementatis, juxta Patris tam mandatum quam exemplum tenuerunt regulam veritatis. Habent quidem hæretici, habent falsi Catholici vinum nequam, quo mente perdita, pede fracto, vel fidei vel morum varios corruunt in errores; et forma simili corrumpunt et abducunt parvulos auditores. Habet etiam Judaicus populus, habet et gentilis vinum, quo uterque nequiter debriatus, errore misero tenetur et caligat; et ad lapsum præcipitem nonnunquam trahit alter alterum et instigat. De qualibus pulchre quidam poeta ait (63):

.... *occurrit digna relatu*

Pompa; senem potum pota trahebat anus (64).

Judæa et gentilitas dicuntur non immerito senuisse, cum utrumque ab antiquo constet populum exstitisse, quorum quisque invenitur contentus propriis cæremoniis non fuisse, sed frequenter devius in errorem alterius pertransisse. Nunquid non vobis gentilitas male pota Judaicum populum trahere videbatur, cum ad colendos deos, modis illum quibus poterat, hortabatur; et ille satis miser ebrietate simili tenebatur, ducemque præcedentem ut bos ductus ad victimam sequebatur? Cujusmodi pompam videns sibi occurrentem Elias, non potuit sustinere, quin vel ridens succenseret, vel succensens festinaret eamdem obviam deridere, ut et duces erroneos castigatione irrisoria feriat ne præcedant, et auditores devios verbo castigatorio, ne succedant. « Accedens, inquit Scriptura, Elias ad omnem populum, ait: Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini eum (*III Reg.* XVIII). » Et infra: « Illudebat, inquit, prophetis Baal Elias dicens: Clamate voce majore, Deus enim est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur (*ibid.*). » Nec solum Judæi suasione pestifera et errore Gentilium seducuntur, sed et Gentiles nonnunquam in Judæorum superstitiones et ineptias inducuntur; et Judæa inveterata malis, gentilem miserum solvi a vinculo non concedit, sed male pota potum, cæca cæcum ad extremam usque foveam antecedit. Quorum pompam in Evangelio non tam risorie, quam censorie Dominus exsecratur, et eis Væ futurum eo terribiliter, quo veraciter comminatur, ut cum audierint ejus duros monitus et veraces, vel emendati, vel inexcusati reddantur tam duces prævii quam sequaces. « Væ vobis, ait, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum; et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos (*Matth.* XXIII). » Hujusmodi pompam ipse etiam Paulus intuens, non ridere, sed zelo fervens, tenax justi, noxæ impatiens, visus est abhorrere, ut voce libera, nec Petro parceret qui prior et dignior inter apostolos videbatur, eo quod in hac pompa errore timido prævius habebatur. Nolebat enim iste ut ille vino turbido potaretur, et eum male potum turba æque turbida sequeretur, ne ex hac pompa non so-

(63) Vide Prov. VII, 7, et c. XIV, 18.

(64) Ovidius, lib. I *Fastorum*.

lum risus, sive irrisio gigneretur, sed et veritas Evangelii (quod fas non est) indignum periculum pateretur. « Cum venisset, inquit, Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat (*Gal.* II). » Et infra : « Cum vidissem, ait, quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus : Si tu, cum Judæus sis, gentiliter et non judaice vivis, quomodo gentes cogis judaizare (*ibid.*). » Attendens Paulus tam prævium quam pedissequos erroris nubilo debriari, et apud eos satis pure veritatem evangelicam non servari, grave ducens in piaculum, nec impunitum ferens, in medium mox prorupit, et extensa correctionis virga pompam reprehensibilem interrupit. Quod etiam dignum relatu idem Apostolus judicavit, et Galatis loquens, id inter cætera jucunde et memoriter replicavit, forte ut non solum Galatæ, sed et nos ejus magisterio cognoscamus, quid et majores nobis, et nos quid majoribus debeamus. Debet enim minor majoris vitiis et erratibus non consensum; sed, si in illo grave quid et intolerabile fuerit deprehensum, arguat necesse est culpæ odio, zelo justitiæ gratioris, eo diligentius observato, ne quid interserat tumentis procaciæ vel rancoris. Debet autem major minoris admonitionem non tumenti supercilio fastidire, et digne corripientem non velut auctoritatis privilegio referire; sed pure benevola monitori, vel potius **112** ejus monitis obedire, si tamen constiterit charitati ea veraciter et humiliter deservire. Hoc nimirum vino quo vel Cephas, vel quisque deviat errabundus, et in pompa vel præcedit vel succedit claudo vestigio nutabundus, ubera sponsi virgo dicit et asserit meliora, experimento sciens non externo solum auditui, sed interno quoque gustui gratiora. Ubera sunt Sponsi forma et doctrina, exemplum et verbum, vita et sermo, quibus fovit et aluit tanquam lacte parvulos auditores; pavit et roboravit, ut pane et cibo solido grandiores. Ob hoc quippe et puer natus est, ut parvulis congruum se præberet, et ætate profecit, ut se virum profectioribus exhiberet, in omnibus quæ gessit et dixit, ducens et docens parvulos aut majores, prout ad capiendum parva seu grandia se reddiderint promptiores. « Procedens enim e thalamo forma præ filiis hominum speciosus (*Psal.* XLIV), » doctrinæ salutaris incomparabili plenitudine copiosus; formæ prius merito non solum Virgini, sed et nobis voluit complacere, verbo postmodum et doctrina omnes, qui tamen dociles fuerint, edocere. Nam quia ejus verbo non satis dignam volumus obedientiam exhibere, primam cujus faciem sui merito cogimur abhorrere, cœpit, ut legistis (*Act.* I), Jesus facere et docere, ut factorum tanquam illecebrosa specie nos attentos et benevolos advocet et adducat, et illectos suaviter in suum auditorium fortiter introducat. Dextro velut ubere magna faciens, commendabilem se ostendit, diligentius in- A tuentes formæ laqueo comprehendit; sinistro magna dicens, quos jam tenet, efficit eruditos, beatos auditores; contemptores vero docens nullatenus impunitos. Hæc ubera Sponsi meliora vino perdito quis non dicat? quis, nisi vino ebrius, asserenti virgini contradicat? cum vino damnatorum poti simul et potantes, non tam currant, quam corruant obcæcati; poti autem Sponsi uberibus, sint beati? « Beatus, ait, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum (*Psal.* XCIII). »

CAPUT VI.

Quia meliora sunt ubera tua vino. Denique in pectore Sponsi thesauri sapientiæ et scientiæ reconduntur, qui prudentibus et sapientibus hujus sæculi penitus absconduntur; et qui secreta eorum tam B multis grandiusculis tempore tanto celat, procedens Sponsus e thalamo, bonitate, quæ sua est, parvulis jam revelat. Siquidem auctis retro sæculis in ipso thesauri incomparabiles latuerunt, sed assumpta carne virginis, velut de pectore papillæ turgentes, mirabiliter eruperunt, quæ non arentes guttas, sed rivos et flumina profuderunt, et sese pleno cornu quibusque digne accedentibus infuderunt. Quodpropter et virgo post acceptum osculum, statim a Sponso, tanquam valefaciens non declinat, sed in ejus pectore, proficiendi gratia se reclinat; et adhibens eo capacius, quo avidius hauritorium puræ mentis, potatur, satiatur ubertate grata uberum et fluentis. Ibi scientiam, ibi sapientiam profundo consilio pluribus occultatam, alto desiderio sitit, et C sentit sibi manifestius revelatam; et jam, sicut angelo, sic prophetis prioribus inconsultis, incumbens sola soli, trahit, juxta Job (*cap.* XXVIII), et attrahit sibi sapientiam de occultis. Fallor, si non et ille Sponsi discipulus quem dilexit, de ipsius pectore manare sapientiam et scientiam intellexit, cum in Cœna positus non tam vino et epulis materialibus acquievit, quam supra pectus Jesu inter ipsa ubera grato accubitu requievit. Ibi Verbum vidit manens in sinu secretissimo Dei Patris (*Joan.* I), vidit Verbum carnem factum in virginali thalamo Sponsæ matris; vidit thesauros sapientiæ et scientiæ claritate sibi conspicua luminosos, mundi prudentibus et sapientibus superfuso quodam velamine tenebrosos. Vidit, inquam, nec invidit, non omnibus, D sed fidelibus revelare, et calamus scribæ velox scripto memori commendare, ut auditor intelligens ad ejusdem arcana pectoris diligat aspirare, et a sua meritorum inopia, in illa thesaurorum præsentia respirare. Ad hanc non accessit Porphyrius, Aristoteles, Socrates, sive Plato, non primus, non secundus, non de cœlo cadens tertius ille Cato; non denique quisquis abhorruit cæcatus malitia gratiæ novitatem, tenens et retinens suæ vel scientiæ vel sapientiæ vetustatem. Quorum scientia non sanare, sed inflare veraci judicio prædicatur (*I Cor.* II), sapientia vero apud Deum gravis esse stultitia judicatur;

in qua tamen fixi manent sensu nescio veritatis, semetipsos seducentes quodam privilegio vetustatis. E quibus unus (64 *) :

Qui properant, inquit, *nova musta bibant; mihi* [*fundat avitum*

Testa merum.

Non mustum novæ gratiæ de Sponsi pectore luculento, sed fundi sibi optans vinum erroris vetus de vase lutulento, cujus eo acceptior, eo sibi perfectior videtur suavitas, quo eam et usus confirmavit, et avita sanxit antiquitas. At vero mustum novum quod a vasis veteribus non potest sustineri, illi bibant qui properant, qui procedentem e thalamo sponsum diligunt intueri; qui moniti ab angelis instar pastorum veniunt festinantes, quem vident, quem diligunt **113** non prementes silentio, sed festino præconio nuntiantes (*Luc.* II). Ad quem nemo prius, nemo perfectius inventus est properare, quam illa quæ meruit venienti suum uteri thalamum præparare, quæ recumbens in ejus pectore, hausit et sensit ejus scientiam et sapientiam gratiorem, sensu, sententia, errore philosophico meliorem.

CAPUT VII.

Quia meliora sunt ubera tua vino. Possunt et Sponsi ubera ejus, misericordia et veritas appellari, quæ in Sponsa et matre virgine constat specialius operari; quibus nec debet, nec potest lex data per Moysen coæquari, licet bona et suo tempore possit necessaria judicari. « Lex enim bona est, si quis ea legitime utatur (*I Tim.* I). » At vero in lege quædam vini austeritas invenitur, quæ operatur iram, gratiam non largitur, quæ dentem pro dente, oculum pro oculo vult auferri (*Exod.* XXI), repercuti ferientem, maxillam alteram non offerri (*Matth.* V, *Luc.* VI). Lex quidem jubet multa, jubet magna, sed in lucem obscura non producit, si quid vitale profert, tenacem paleam superducit, mentes cæcas onerat, cervices duras aggravat et obtundit, gratiæ lenitatem, suavitatem Spiritus, non infundit. Lex bene pro merito dat temporalia vel promittit, delinquentem cruciat, pœnas meritas non remittit; severum judicium, gravem justitiam operatur, nescit misericordiam, gratis et sine pretio non placatur. Quis talem sugat uvam, et non dentes ejus durius obstupescant? cujus gustus et palatum non hoc haustu gravius amarescant? ubi sine misericordia regnat ira, judicium exercetur, cum digne misericordia super iram et judicium exaltetur? (*Jacob.* II.) Attendens itaque virgo mandata legis quæ quodammodo populum deceperunt, dum sine spiritu gratiæ dura et importabilia præceperunt, ubera sponsi laudat, quæ gratius eam et suavius exceperunt : « Me, inquiens, Domine, juxta Psalmum, me tua misericordia et veritas susceperunt (*Psal.* XXXIX). » Misericordia est qua cœlorum Dominus intrare voluit thalamum nuptialem, Patrem habens ingenitum, habere matrem voluit virginalem. Veritas est qua voluntatem istam felici opere consummavit, dum « Verbum caro factum est (*Joan.* I), » et Deus homo in virgine mirabiliter habitavit. Misericordia est qua mundum subire pœnas meritas non coegit, sed ad delendum eas, tempus hoc, has nuptias, virginem hanc elegit. Veritas est qua tempus electum adventu suo feliciter illustravit, qua electam virginem operante Spiritu fecundavit. « Misericordia, inquit, et veritas obviaverunt sibi (*Psal.* LXXXIV). » Ut virgo digna fieret, misericordia præcucurrit, ut vero mater fiat, veritas mox occurrit; et non sicut a nobis culpæ merito virtutum fit discessio vel excursus, sed in illa fit earum grata convenientia vel occursus. Venturo sponso locum præcurrens misericordia præparavit, noxia procul arcens, virtutum floribus thalamum adornavit; eoque adornato sese pariter veritas præsentavit, quæ Deum in virgine juxta propositum ineffabiliter humanavit. Est igitur misericordia Dei, erga Virginem voluntas promptior et affectus; est et veritas, ejus voluntatis adimpletio vel effectus; cum non merita, sed misericordia efficit virginem gratiosam, et jam plenam gratia reddit veritas gloriosam. Scriptum quidem et prædictum legistis : « Quoniam misericordiam et veritatem diligit Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus (*Psal.* LXXXIII). » In virgine Deus misericordiam et veritatem diligit operari, cum electam gratis vult vere de gratia gloriari, cum eam purificat dono incomparabili gratiæ spiritalis, et eam lætificat singulari privilegio gloriæ specialis. « Respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ; et ex hoc beatam me dicent omnes generationes (*Luc.* I). » In respectu humilitatis misericordem gratiam commendari, in prædicatione beatitudinis veracem gloriam vult signari, quia et ancilla humilis fit, donis gratiæ copiosa, et civitas regis magni de te digne dicimus, gloriosa. Recte igitur virgo ubera sponsi vino dicit meliora, quia nulli ante contulit quævis antiquitas, non hoc secum attulit censoria legis austeritas, ut veniret in virginem misericordia, veritas nasceretur ut plena fieret gratia, et incomparabili gloria lætaretur.

CAPUT VIII.

Quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Recumbens virgo in sinu sponsi, reclinans se in pectore, inter ubera requiescens, a forensibus sequestrata, internis et secretioribus acquiescens; mira sentit, gustat suavia, non palato, sed cordis experientia lætabundi, sensu gaudet suavium suavi fragrantia se perfundi. Habent enim ubera Sponsi non potum lactis simplicem, sed unguenta, confectiones miras, rerum medicinalium condimenta, quæ collecta et confecta **114** pretiosis admodum speciebus, paucis erant præcognita, nulli plene exhibita cunctis retro sæculis, vel diebus. Interna quorum abundantia a parvulis quibusque et lactentibus non hauritur, sed eam Sponsa

(64*) Ovidius, lib. II De arte amandi.

virgo plenior gratia, profectu grandior præsentialiter experitur, in cujus thalamo facta est ipsa unguentorum compositio vel mistura, ipsi prius longe et amplius, minus vero et posterius nobis parvulis profutura. Cum enim misericordia et veritas, ut prædictum est, sibi invicem occurrerunt, prudenter et sollicite quasdam velut species collegerunt, quas allatas e diverso in unum fasciculum coegerunt, ex arte pigmentarii in unguenta suavissima redegerunt. Inter Deum quippe et hominem antiqua discordia versabatur, eo quod injustitia hominis, Dei justitiæ nulla convenientia jungebatur : sponsusque adveniens justitiam attulit, dedit pacem, grato fecit osculo jungi prævium et sequacem : « Justitia, inquit, et pax osculatæ sunt (*Psal.* LXXXIV). » Cum enim eum qui injustus fuerat, collata justitia fecit justum, cessit discordia, quæ inter justum diu inveterata fuerat et injustum, et statim pax succedens, quia in justificato nisi justum quidpiam non percepit, diu desideratum inventæ justitiæ dedit osculum et accepit. Ad Deum ergo justum pacem habuit justus homo, miraque assumptione factus est Deus homo : Deus, inquam, assumens, suam justitiam dans assumpto, suo tamen assumentis vigore justitiæ non consumpto. Porro sicut obviantes sibi misericordia et veritas confectionem faciunt vel unguentum, sic justitia et pax invicem osculantes, quoddam nihilominus condimentum, quo salus vel salubre datur procul dubio lenimentum, ei quem Samaritanus suum misericorditer levaverit in jumentum (*Luc.* X). Denique in thalamo Virginis velut in mortariolo convenerunt, et conventu gratissimo unguentum vel unguenta satis utilia confecerunt; Patris præceptio, verbi præsentia, umbramen flaminis : auris obediens, fides constantior, et caro Virginis. Istarum specierum in vase fictili, rusticana non fit confusio, sed docta manu et arte medica quædam contusio, quibus in numero et mensura et pondere congruo distributis, unguenta pretiosa et dolorum mitigatoria et reparatoria sunt salutis. Quorum confectio tantæ nimirum et fragrantiæ vel odoris, ut Sponsa, cui datur gratiæ beneficium amplioris, delectetur et miretur suavitatem odoriferam unguentorum, quæ non solum bona sunt, sed optima procul dubio meliorum. Etsi enim ante legem, et sub lege plurima sunt inventa, quæ devotæ fidei meritis vertuntur medicinaliter in unguenta, quæ Deus, bonorum semper amans, legitur odoratus, et creditur multoties suavitatis odore gratissimo delectatus, tamen ista, de quibus sermo est, omnium esse optima precedentium, experitur, quæ proxima thalamo, vel quæ magis esse thalamus invenitur. In cujus terram Deus ex ore proprio misit sputum (*Joan.* IX), et mirando satis modo nulli supra vel infra simili fecit lutum, cujus tactus et linitio lumen reddit ab antiquo nativitatis tempore jam negatum, et suavis fragrantia demulcet ineffabiliter odoratum. Hanc suavem fragrantiam longe supra Isaac creditur præsensisse, et doctus per Spiritum de illa mysterialiter prædixisse, cum illi se in vestibus valde bonis, Jacob ejus filius præsentaret, et paternis naribus odor vestium suavissimus aspiraret : « Ecce odor, inquit, filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus (*Gen.* XVII). » Huic agro data est novæ benedictionis incomparabilis sanctitudo, et ob hoc, consequenter florum, et fructuum, et odorum indeficiens plenitudo, quam de longe percipiens, exsultans Isaac admiratur, Virgo de prope sentiens, et reipsa experiens, ineffabiliter gratulatur. Ab illa vero et per illam ejusdem fragrantiæ sensus vel tenuis ad nos venit, vix tandem perveniens, quia longe positos nos invenit, inventosque reddidit suo tam felices quam hilares de adventu, nec nostro tamen merito, sed ejusdem Virginis interventu. Etsi enim in virgine composita hujusmodi sunt unguenta, non tamen apud eam angustis finibus sunt detenta, sed ad remotiores abundante gratia devenerunt et tactu odorifero, et odore salutifero nos unxerunt. Quod autem unguenta dicit pluraliter, non unguentum, innuit quod in nobis non unum genus mali singulariter est inventum, sed languores multos, multas infirmitates nostra sibi miseria comparavit, quas medicus adveniens unguentis medicinalibus asportavit. « Vere, inquit Isaias, languores nostros ipse tulit, et infirmitates nostras ipse portavit (*Isa.* LIII). » Vere tulit et abstulit, portavit et asportavit languores nostros, nostras infirmitates, quæ multæ et variæ non unius unguenti tactum seu fragrantiam exigebant; sed aliæ et aliæ, aliis et aliis unguentorum medicaminibus indigebant. Nos vero qui multa ægritudine laborantes ad discendum salubria non vacamus, quos premit vel hebetudo ingenii, vel torpor fastidii, ut parvam in illis diligentiam apponamus; nos, inquam, quæ infirmitas, quo unguento indigeat, ignoramus : et experti morbos multiplices, in curandi scientia caligamus. At ille noster medicus intra suam solus præsidens officinam, congruam unicuique parat ægritudini medicinam, suoque artificio non vult passim languidos interesse, nec transire ad eos artem vel scientiam, sed prodesse. Verumtamen quantum **115** in seipso potest quilibet experiri, cui sanando medicus curam diligit impertiri; tria post invicem unguenta ad nos ille visus est protulisse, et per ea nobis ægrotantibus opportunum remedium contulisse.

Primum quidem mordax et asperum, durius nos concussit, et velut a foris liniens quamdam interioribus gravedinem mox incussit, morbumque diu inolitum turbans et removens augmentavit, et quasi totum simul sensui et notitiæ præsentavit. Quo præsentato fremuit et ingemuit mens iniqua, vix semetipsam ferens, dum novissima replicat et antiqua, punctaque et compuncta, duris iniquitatum recordationibus se obvolvit, et inter spinas et tribulos cogitationum accusantium, aut etiam defendentium se provolvit. Sic mens turbata cœpit suam statim turpitudinem abhorrere, suæ merito fœditatis ipsa

sibi vehementius displicere; suo ipsius odio nova quædam et contraria pristinis attestari, et quæ ante placuerant, mutato judicio detestari. Hæc unguenti fragrantia instar poculi timorem horridum introduxit, quo lustratis venarum meatibus ad salubrem vomitum nos perduxit, ut libero fastu seu fastidio respuentes vitiorum pristina blandimenta, quæ prius lucra falsoputabantur, reputaremus veraciter detrimenta. Hoc odore tactum se ille pœnitens innuebat, qui laborans in gemitu lectum suum lacrymis abluebat, cujus oculus respectu culparum a furore judicis turbabatur, et se inveterasse inter suos inimicos salubri vomitu fatebatur (*Psal.* VI). Non enim bene conveniunt, nec in una sede morantur odor et fetor, sed cum laxatis per gratiam naribus unguenti pretiosi odor admittitur, consortii ejus impatiens vitiorum fetor emittitur; et quo ampliore vehementia hæc potio salubris ingeritur, eo fluxu largiore et exitu laxiore fæculentia nequam egreditur. Est enim odor ille « vivus et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis (*Hebr.* IV). » Et ob hoc, cum devota medici sollicitudine opportune, importune cuipiam est impressus, cum ægroti læsos fines tam potenter quam misericorditer est ingressus : non meatus venarum, non medullarum latebræ vel recessus, non denique a planta pedis usque ad verticem locus est ei aliquis inaccessus. Currit ergo et discurrit, et hirundinis more circuiens pervagatur, profunda quæque et abscondita censoris vice et acumine perscrutatur, et quidquid invenit contrarium vitæ, culpæ obnoxium, deditum vanitati, forti scopa congerit, et congestum egerit, locum præparans sanitati.

Secundum porro unguentum spirat salubrius, lenioris beneficii dat odorem, vivendi spem reducit, inducit et amorem, ut æger se sentiens fasce gravi posito relevari, jam meliora speret, in spe diligat operari. Ad hunc odorem languens antea spiritus reviviscit, revertente appetitu vitales epulas concupiscit : refectus cibo gratiæ, gaudet vires necessarias reparari : manusque dissolutas et genua debilia roborari (*Isa.* XXXV). Proinde amplectens affectu prono munus gratiæ confortantis, exit ad opus suum, gratum habens exercitium laborantis; manusque a torpore explicitas vigilanter exerit ad laborem, audit et obaudit, ut eat, et fructum faciat gratiorem. Oblitus quæ retro sunt, attentius operam dat virtuti, castigat corpus suum, et digne subjicit servituti (*I Cor.* IX); et quæ prius amara vel forte impossibilia videbantur, vice versa eo facilia, quo salubria reputantur. Inde jejunia, vigilias, continentiam, patientiam amplexatur, majorum consilio regi et subjici congruum arbitratur; carnis voluptatibus, imo et propriis voluntatibus amore justi renuntiat, ut sibi corpus suum et seipsum Deo subjiciat. Hunc enim in nobis Deus ordinem vult teneri, sic intra justam legem et terminos positos singula coerceri : A ut carni spiritus imperans, agat et rediget hanc sub eo, ipse autem majori obtemperans, unus spiritus sit cum Deo. Quis in hujus corporis fæculento gurgustio misere constitutus, quis tantis malignorum spirituum maculis vel decipulis obvolutus; sic proficisci valeat ab hostium occursantium minis vel insidiis absolutus, si non fuerit hoc unguento confortatricis gratiæ delibutus? Quis vel objecto pessulo difficultatis nimiæ non resiliat ab ingressu, vel impedimentorum occursu multiplici non deficiat in progressu; si unguenti hujus odore tam suaviter, tam efficaciter non tangatur, ut sicut incipiens, sic et proficiens non frangatur? Denique novit quisquis proficientium recte seriem investigat, quia quem Pater diligit Filium, corripit et castigat (*Hebr.* XII); B nec vult eum hæreditatis promissæ adepto beneficio gloriari, quem non permiserit multis ante passionum tribulationibus flagellari. Quod si vitiorum, aut flagellorum impulsu justus cedit paululum et vacillat, odor eum unguenti hujus occurrens citius refocillat : enmque tanta suavitas collidi et ruere non sustinet in defectum, sed manu supposita fovet et promovet ampliorem diligentius ad profectum. Quodpropter eum mala imminentia non retrahunt penitus ab incœpto, sed ejus labores et agones fingit gratia misericorditer in præcepto : et quem permittit algere et sudare, suo miserentis consilio, post sudorem, sanitate repromissa confortat, et efficit fortiorem.

116 Tertium vero unguentum placat mare, iram C temperat, sedat ventos majestate, manu serenat motus animi turbulentos; complanat viam, tenet dextram, gressus firmat, et velut portu jam invento securum efficit et confirmat. In seipso enim viator fortis quodammodo jam serenus, ab incursu vitiorum, vel a consensu degeneri feliciter alienus, unitus patientia, certam velut fiducialiter et humiliter jam præsumit. Cui etsi quævis adversa post tergum submurmurant et insistunt, ei tamen in facie, efficaci protervia non resistunt, dum oblitus quæ retro sunt concupiscit et deficit in atria sola Dei (*Psal.* LXXXIII), conversusque ad eum toto affectu, optat, velut jungere faciem faciei. « Exquisivit te, inquit, facies mea faciem tuam, Domine, requiram (*Psal.* XXVI). » D Hujus odore tactus adversa quælibet, vel non sentit, vel inania reputat, ducit pro nihilo, non consentit, tantoque desiderio ad anteriora æstuat quæ jam sentit, ut aure surda transeat quidquid dissonat et dissentit. Fremant ergo et instrepant minis aut verberibus quævis temporaliter nocitura, blandiantur fraude, mendacio, prece, pretio profutura : quid iste, nisi certum iter jucunde et fortiter obtinebit, et velut de supercilio montis infra latrantibus illud Apostolicum respondebit : « Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus sum, quia neque mors neque vita (*Rom.* VIII). » Quia igitur tanta illum confirmat perseverantiæ certitudo, ut non curet quid obstrepat quævis adversaria

fortitudo : illud sibi repositum jam videtur præmium obtinere, quod promissum perseverantibus constat indeficiens permanere. « Cursum, ait, consummavi, reposita est mihi corona justitiæ (*II Tim.* IV). » Et iterum : « Spe salvi facti sumus (*Rom.* VIII). » Hujus unguenti suavitatem odoriferam quis expertus, fit futurorum tanquam præsentium non incertus, tantamque de virtute fortiter et suaviter proficit in virtutem, ut speret, et speratam, quasi datam teneat jam salutem. Primum ergo unguentum nequitiam fermenti veteris expurgavit, secundum novo conspersionis munere meritorum azymos præparavit, tertium epulantes certo sanitatis redditæ privilegio confirmavit. Primum, gravi tersorio, hauritorio sagaci domum vertit, evertit et sentinam; secundum, ægræ menti confortatricem infudit medicinam; tertium, spem certiorem reddidit ne ultra casum timeat et ruinam. Proinde primum dici potest purgativum, secundum vero confortativum, tertium autem confirmativum, quia primo æger quisque vitiorum fæcibus emundatur; secundo, grata lima et labore optata sanitas reparatur; tertio, et præsentium munerum humili quadam lætitia, et futurorum certa fiducia mens in proposito confirmatur. His unguentis Virgo sancta Sponsi ubera senserat abundare, et eorum gratiam non apud se, ad modum invidorum; clauso spiraculo retentare; sed foras devotis et humilibus odorem suavissimum propinare, ejusque beneficio mentes prius aridas meritorum copia saginare. Quia vero ad tantum hujus odoris beneficium humanis viribus non venitur, si veniens, non divina manu et adjutorio prævenitur; demonstrat virgo quo munere ad illud sine dubio veniatur, ut eo demonstrato, audiens et non diligens, inexcusabilis habeatur.

A

B

C

CAPUT IX.

Oleum effusum nomen tuum. Nomen Sponsi est Jesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur (*Luc.* I). Et quis hoc nomen vel intellexit verius, vel amavit sincerius, vel convenientius prædicavit, quam ipsa virgo mater, cui primo Angelus nuntiavit : « Ecce, ait, concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum (*ibid.*). » Jesus, Latina lingua *Salutaris* dicitur, vel *Salvator*. Secundum opus suum, est et nomen suum, et ex re nomen habet, « ipse enim salvum faciet populum suum (*Matth.* I). » Recte ergo Jesus dicitur, qui populi salus erit, cujus « nomen quicunque invocaverit, salvus erit (*Joel.* II), quia et devote invocanti dextera Domini dat virtutem, et digne confitenti, exauditor factus est in salutem (*Psal.* CXVII). Hoc nomen Sponsa oleum dicit, *eleos* autem Græce, Latine *misericordia* est, quia quod ille Jesus vel Salvator voluit noster esse, non nostra hoc justitia, sed illius misericordia dedit esse, dum longe a facie illius nostrum meritum nos projecit, ille vero nos revocans, ea, quæ sua est, misericordia salvos fecit. Unde Apostolus : « Non ex operibus, ait, justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit (*Tit.* III). » Cum salvare Deus disponit immeritos, post iram, hujus misericordiæ recordatur, per hoc vel propter hoc nomen, sive oleum, indignos et miseros miseratur; hujus virtute nominis nostros procul abigit inimicos, liberatos a vitiis nos sibi redigit in amicos. Quod ille, qui diu in via peccatorum steterat errabundus, visitante gratia jam sperat, jam sibi promittit lætabundus, sciens quia ex ejus pœnitentia non sunt Dei dona, vocatio non confertur, sed nomen et oleum misericordiæ cunctis meritorum **117** liquoribus superfertur. « Nam dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus est Jesus (*Philip.* II). » Ideo ille pœnitens : « Propter nomen tuum, inquit, vivificabis me (*Psal.* CXLII). » Et adjungit : « In misericordia tua disperdes inimicos meos (*ibid.*). » Et in alio psalmo : « Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo (*Psal.* XXIV). » Cui spei, cui assertioni, nec ipse Dominus contradicit, sed per doctum Spiritu Isaiam misericorditer hoc prædicit, ut hoc audito pœnitens præsumat ampliore fiducia confortari, et sciat in quo debeat eo salubriter, quo veraciter gloriari. « Gloriabuntur enim in te omnes qui diligunt nomen tuum, Domine (*Psal.* V). » De quo nomine per Isaiam : « Propter nomen, inquit, meum, longe faciam furorem meum (*Isa.* XLVIII). » Propter nomen, aut oleum quod misericordiæ fundit rorem, ab his qui meruerant, suum longe facit judicium et furorem; qui, si non Salvator, si non miserator et misericors haberetur, quid miser quisque, nisi juste justitia ejus intolerabili premeretur? Sed quid est quod oleum dicitur effusum? Quandiu oleum tenetur in vasculo, vel nescitur, vel quanta sit ejus gratia et utilitas non sentitur, quia, etsi omnium cognitor eam medicus ipse novit, non tamen ægrotantes, quorum adhuc sanandis vulneribus non admovit. Aliquando tanquam in vase signato hujusmodi oleum tenebatur, cum Filius Dei apud se bonus quidem et misericors habebatur, habens revera miserendi propositum in affectu, sed nondum plenarie lætificans miseros de effectu. In vase, ut videtur, hoc oleum voluit contineri, cum occulto judicio angelis superbientibus noluit misereri, cum eos vel a casu præveniente gratia non avertit, vel eosdem post lapsum subveniente misericordia non convertit. Illis autem, qui steterunt, dedit oleum hoc sentire, quos ne simul caderent, dignatus est misericorditer custodire, augens eis et apponens tam efficax hujus olei lenimentum, ut ab eo acciperent certum standi et indeclinabile firmamentum. Cæterum quia hoc supra nos, nihil ad nos pertinere forsitan diceremus, si non et nos ejusdem olei beneficium sentiremus; imo si non largius et profusius ille ad nos vas patulum inclinaret, et effuso penitus oleo velut tota ad nos misericordia declinaret. Hoc enim et nostra necessitas, et illius exigere bonitas videbatur, et

D

ampliori miseriæ amplior misericordia conferatur; et quia non est distinctio quin Judæos et gentiles peccatum multiplex colliget et confundat (*Rom.* x), ut putrescat jugum, utrisque tota hujus olei facies se effundat. Quod Propheta in Spiritu prævidens et deprecans : « Deus, inquit, misereatur nostri, illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri (*Psal.* LXVI). » Quid sibi vult, misereatur, et misereatur? Adjungit : « Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum (*ibid.*). » Quia, inquit, tam gentes quam Judæi peccavimus, et non est distinctio, ad utrosque necesse est hæc olei pertingat effusio, ut digneris nos Judæos ad eum, qui via est, propitius revocare, et cognoscamus pariter tuum in omnibus gentibus salutare. Oleum clausum in vasculo, vel conclavi angelos sanctos servat ; oleum vero effusum dispersos electorum hominum manipulos coacervat : et misericordia, quæ ad protegendum sanos intra cœli sanctuarium se abscondit, inclinato vase ad sanandum ægrotos homines se effundit. « Domine, ait, inclina cœlos tuos et descende; tange montes et fumigabunt (*Psal.* CXLIII). » Qui stantibus angelis plenum misericordiæ vas propinat, ad medendum in terra ægrotis hominibus vas inclinat; et quod in eo teneri videbatur, manu larga vel prodiga jam effundit, et multum miserandis, multam misericordiam superfundit. Cujus tactu medico tumores noxii detumescunt, reprimuntur aculei, dolores vulnerum mansuescunt; instar fumi, superbarum mentium vanitas evanescit, pulso morbo rediviva sanitas invalescit.

CAPUT X.

Oleum effusum nomen tuum. Nomen Sponsi, Christus est ; Christus autem *unctus* dicitur, eo quod unxit eum Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis (*Psal.* XLIV). Non solum unctus, sed et oleum dici potest, eo quod sua virtute a noxio flegmate nos emungit, marcentesque et aridos suavi gratia nos perungit. Nomen quippe Christi intellectu congruo definitum, docet Deum et hominem personaliter counitum, et unum Christum effici miranda et incomprehensibili vi juncturæ, quamvis Dei et hominis longe dissimiles sint naturæ. Nam sicut anima rationalis et caro corruptibilis hominem facit unum, ita Deus assumens et assumptus homo, Christum nihilominus reddit unum (65) : et cum utriusque naturæ inconfusa diversitas habeatur, in ipso tamen Christo personæ unitas prædicatur. Cujus fides nominis si super nos ipsius miserentis aspersorio sit effusa, si a nobis diligatur concretio naturarum, personæ unitas inconfusa : quia multo chrismate et mirando charismate affluit et abundat, jucundos prorsus efficit, dum virtutum meritis nos fecundat. Hoc autem oleum sive nomen, jam non angustis **118** Judææ finibus est inclusum, sed ad fines usque orbis in nationibus est effusum, nec in eis quispiam se venire recte existimat ad salutem, qui non prius hujus nominis fide proficit in virtutem. « Non est, ait, aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri (*Act.* IV). » Non est ergo qui ab hujus olei vero lumine se abscondat, cum in fines orbis terræ potenter ejus radius se effundat; illuminetque venientem omnem hominem in hunc mundum (*Joan.* I), qui tamen obstinata malitia non reddiderit se immundum. Novit quippe quisquis aures audiendi dono gratiæ feliciter est sortitus, novit omnis fide hujus nominis prudenter eruditus, quia Christus lapis est angularis Judæorum et gentium copulator, ipse caput Ecclesiæ, unus Dei et hominum mediator; os nostrum et caro nostra nuptiali commercio, consortio naturali, ipse unctus et ungens proximos virtute et gratia spirituali. Quod oleum sive nomen, longe lateque tam in Judæis quam gentibus sic effudit, cum in eorum cordibus illius dilectio se diffudit : ut primo in Judæis Christum apostoli veraciter faterentur, in gentibus consequenter multi eodem chrismate linirentur. Requisiti quippe apostoli quem Filium hominis homines dicant esse, responderunt non omnium verbum vel sententiam unam esse, et super hoc ad extremum eorum sensu diligentius requisito, tam pro se quam pro cæteris, Petrus sermone retulit erudito : « Tu es Christus. At ille : Beatus, ait, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est (*Matth.* XVI). » Postquam autem hoc oleum sive nomen fluxit misericorditer in Judæa, ejusdem effusionem excepit etiam Idumæa : et in ea calceamentum suum Christus adveniens sic extendit, ut amicos redderet, quos alienos erroris merito deprehendit. Qui cum exciperent nomen tantum fixa fide, spe procul dubio non inani, ab eodem Christo dicti sunt generaliter Christiani, et quisquis in catalogo fidelium dignus exstitit contineri, sicut esse Christianus, sic nomine voluit et censeri. Recte ergo nomen hoc non infusum, sed effusum potius appellatur, eo quod non Judæo tantum, non Græco specialiter assignatur; sed cum illi primum hujus fide nominis glorientur, remotiores quoque ab eadem exclusi gloria non habentur. In omnem enim terram hujus nominis sonus ivit (*Psal.* XVIII), et ad fines orbis terræ ejus effusio pertransivit, tam remotis quam proximis impertiens beneficium salutare, qui tamen dilexerunt fidem operibus adornare. Nam quicunque fideles ab ortu ad occasum, ab aquilone usque ad meridiem sunt diffusi, nomine Christiano vel Christi oleo sunt perfusi, nec est ab aliquibus, terra, mari vel spatio quolibet interclusum, sed ad omnes, quibus Deus misereri voluit, est effusum.

CAPUT XI.

Oleum effusum nomen tuum. Nomen Sponsi, Deus est. Cujusmodi nomen Pater filio creditur infudisse, cum eum coæqualem, coæternum sibi dicitur genuisse, cum ingenitus genitum dedit naturaliter Deum esse, et huic dationi non nisi Deum voluit in-

(65) Athanasius in Symbolo.

fortitudo : illud sibi repositum jam videtur præmium obtinere, quod promissum perseverantibus constat indeficiens permanere. « Cursum, ait, consummavi, reposita est mihi corona justitiæ (*II Tim.* IV). » Et iterum : « Spe salvi facti sumus (*Rom.* VIII). » Hujus unguenti suavitatem odoriferam quis expertus, fit futurorum tanquam præsentium non incertus, tantamque de virtute fortiter et suaviter proficit in virtutem, ut speret, et speratam, quasi jam teneat jam salutem. Primum ergo unguentum nequitiam fermenti veteris expurgavit, secundum novo conspersionis munere meritorum azymos præparavit, tertium epulantes certo sanitatis redditæ privilegio confirmavit. Primum, gravi tersorio, hauritorio sagaci domum vertit, evertit et sentinam; secundum, ægræ menti confortatricem infudit medicinam; tertium, spem certiorem reddidit ne ultra casum timeat et ruinam. Proinde primum dici potest purgativum, secundum vero confortativum, tertium autem confirmativum, quia primo æger quisque vitiorum fæcibus emundatur; secundo, grata lima et labore optata sanitas reparatur; tertio, et præsentium munerum humili quadam lætitia, et futurorum certa fiducia mens in proposito confirmatur. His unguentis Virgo sancta Sponsi ubera senserat abundare, et eorum gratiam non apud se, ad modum invidorum; clauso spiraculo retentare; sed foras devotis et humilibus odorem suavissimum propinare, ejusque beneficio mentes prius aridas meritorum copia saginare. Quia vero ad tantum hujus odoris beneficium humanis viribus non venitur, si veniens, non divina manu et adjutorio prævenitur; demonstrat virgo quo munere ad illud sine dubio veniatur, ut eo demonstrato, audiens et non diligens, inexcusabilis habeatur.

CAPUT IX.

Oleum effusum nomen tuum. Nomen Sponsi est Jesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur (*Luc.* I). Et quis hoc nomen vel intellexit verius, vel amavit sincerius, vel convenientius prædicavit, quam ipsa virgo mater, cui primo Angelus nuntiavit : « Ecce, ait, concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum (*ibid.*). » Jesus, Latina lingua *Salutaris* dicitur, vel *Salvator*. Secundum opus suum, est et nomen suum, et ex re nomen habet, « ipse enim salvum faciet populum suum (*Matth.* I). » Recte ergo Jesus dicitur, qui populi salus erit, cujus « nomen quicunque invocaverit, salvus erit (*Joel.* II), quia et devote invocanti dextera Domini dat virtutem, et digne confitenti, exauditor factus est in salutem (*Psal.* CXVII). Hoc nomen Sponsa oleum dicit, *eleos* autem Græce, Latine *misericordia* est, quia quod ille Jesus vel Salvator voluit noster esse, non nostra hoc justitia, sed illius misericordia dedit esse, dum longe a facie illius nostrum meritum nos projecit, ille vero nos revocans, ea, quæ sua est, misericordia salvos fecit. Unde Apostolus : « Non ex operibus, ait, justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit (*Tit.* III). » Cum salvare Deus disponit immeritos, post iram, hujus misericordiæ recordatur, per hoc vel propter hoc nomen, sive oleum, indignos et miseros miseratur; hujus virtute nominis nostros procul abigit inimicos, liberatos a vitiis nos sibi redigit in amicos. Quod ille, qui diu in via peccatorum steterat errabundus, visitante gratia jam sperat, jam sibi promittit lætabundus, sciens quia ex ejus pœnitentia non sunt Dei dona, vocatio non confertur, sed nomen et oleum misericordiæ cunctis meritorum **117** liquoribus superfertur. « Nam dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus est Jesus (*Philip.* II). » Ideo ille pœnitens : « Propter nomen tuum, inquit, vivificabis me (*Psal.* CXLII). » Et adjungit : « In misericordia tua disperdes inimicos meos (*ibid.*). » Et in alio psalmo : « Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo (*Psal.* XXIV). » Cui spei, cui assertioni, nec ipse Dominus contradicit, sed per doctum Spiritu Isaiam misericorditer hoc prædicit, ut hoc audito pœnitens præsumat ampliore fiducia confortari, et sciat in quo debeat eo salubriter, quo veraciter gloriari. « Gloriabuntur enim in te omnes qui diligunt nomen tuum, Domine (*Psal.* V). » De quo nomine per Isaiam : « Propter nomen, inquit, meum, longe faciam furorem meum (*Isa.* XLVIII). » Propter nomen, aut oleum quod misericordiæ fundit rorem, ab his qui meruerant, suum longe facit judicium et furorem; qui, si non Salvator, si non miserator et misericors haberetur, quid miser quisque, nisi juste justitia ejus intolerabili premeretur? Sed quid est quod oleum dicitur effusum? Quandiu oleum tenetur in vasculo, vel nescitur, vel quanta sit ejus gratia et utilitas non sentitur, quia, etsi omnium cognitor eam medicus ipse novit, non tamen ægrotantes, quorum adhuc sanandis vulneribus non admovit. Aliquando tanquam in vase signato hujusmodi oleum tenebatur, cum Filius Dei apud se bonus quidem et misericors habebatur, habens revera miserendi propositum in affectu, sed nondum plenarie lætificans miseros de effectu. In vase, ut videtur, hoc oleum voluit contineri, cum occulto judicio angelis superbientibus noluit misereri, cum eos vel a casu præveniente gratia non avertit, vel eosdem post lapsum subveniente misericordia non convertit. Illis autem, qui steterunt, dedit oleum hoc sentire, quos ne simul caderent, dignatus est misericorditer custodire, augens eis et apponens tam efficax hujus olei lenimentum, ut ab eo acciperent certum standi et indeclinabile firmamentum. Cæterum quia hoc supra nos, nihil ad nos pertinere forsitan diceremus, si non et nos ejusdem olei beneficium sentiremus; imo si non largius et profusius ille ad nos vas patulum inclinaret, et effuso penitus oleo velut tota ad nos misericordia declinaret. Hoc enim et nostra necessitas, et illius exigere bonitas videbatur, et

ampliori miseriæ amplior misericordia conferatur; et quia non est distinctio quin Judæos et gentiles peccatum multiplex colliget et confundat (*Rom.* x), ut putrescat jugum, utrisque tota hujus olei facies se effundat. Quod Propheta in Spiritu prævidens et deprecans : « Deus, inquit, misereatur nostri, illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri (*Psal.* LXVI). » Quid sibi vult, misereatur, et misereatur? Adjungit : « Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum (*ibid.*). » Quia, inquit, tam gentes quam Judæi peccavimus, et non est distinctio, ad utrosque necesse est hæc olei pertingat effusio, ut digneris nos Judæos ad eum, qui via est, propitius revocare, et cognoscamus pariter tuum in omnibus gentibus salutare. Oleum clausum in vasculo, vel conclavi angelos sanctos servat ; oleum vero effusum dispersos electorum hominum manipulos coacervat : et misericordia, quæ ad protegendum sanos intra cœli sanctuarium se abscondit, inclinato vase ad sanandum ægrotos homines se effundit. « Domine, ait, inclina cœlos tuos et descende; tange montes et fumigabunt (*Psal.* CXLIII). » Qui stantibus angelis plenum misericordiæ vas propinat, ad medendum in terra ægrotis hominibus vas inclinat; et quod in eo teneri videbatur, manu larga vel prodiga jam effundit, et multum miserandis, multam misericordiam superfundit. Cujus tactu medico tumores noxii detumescunt, reprimuntur aculei, dolores vulnerum mansuescunt; instar fumi, superbarum mentium vanitas evanescit, pulso morbo rediviva sanitas invalescit.

CAPUT X.

Oleum effusum nomen tuum. Nomen Sponsi, Christus est ; Christus autem *unctus* dicitur, eo quod unxit eum Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis (*Psal.* XLIV). Non solum unctus, sed et oleum dici potest, eo quod sua virtute a noxio flegmate nos emungit, marcentesque et aridos suavi gratia nos perungit. Nomen quippe Christi intellectu congruo definitum, docet Deum et hominem personaliter counitum, et unum Christum effici miranda et incomprehensibili vi juncturæ, quamvis Dei et hominis longe dissimiles sint naturæ. Nam sicut anima rationalis et caro corruptibilis hominem facit unum, ita Deus assumens et assumptus homo, Christum nihilominus reddit unum (65) : et cum utriusque naturæ inconfusa diversitas habeatur, in ipso tamen Christo personæ unitas prædicatur. Cujus fides nominis si super nos ipsius miserentis aspersorio sit effusa, si a nobis diligatur concretio naturarum, personæ unitas inconfusa : quia multo chrismate et mirando charismate affluit et abundat, jucundos prorsus efficit, dum virtutum meritis nos fecundat. Hoc autem oleum sive nomen, jam non angustis **118** Judææ finibus est inclusum, sed ad fines usque orbis in nationibus est effusum, nec in eis quispiam se venire recte existimat ad salutem, qui non prius hujus nominis fide proficit in virtutem. « Non est, ait, aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri (*Act.* IV). » Non est ergo qui ab hujus olei vero lumine se abscondat, cum in fines orbis terræ potenter ejus radius se effundat; illuminetque venientem omnem hominem in hunc mundum (*Joan.* I), qui tamen obstinata malitia non reddiderit se immundum. Novit quippe quisquis aures audiendi dono gratiæ feliciter est sortitus, novit omnis fide hujus nominis prudenter eruditus, quia Christus lapis est angularis Judæorum et gentium copulator, ipse caput Ecclesiæ, unus Dei et hominum mediator; os nostrum et caro nostra nuptiali commercio, consortio naturali, ipse unctus et ungens proximos virtute et gratia spirituali. Quod oleum sive nomen, longe lateque tam in Judæis quam gentibus sic effudit, cum in eorum cordibus illius dilectio se diffudit : ut primo in Judæis Christum apostoli veraciter faterentur, in gentibus consequenter multi eodem chrismate linirentur. Requisiti quippe apostoli quem Filium hominis homines dicant esse, responderunt non omnium verbum vel sententiam unam esse, et super hoc ad extremum eorum sensu diligentius requisito, tam pro se quam pro cæteris, Petrus sermone retulit erudito : « Tu es Christus. At ille : Beatus, ait, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est (*Matth.* XVI). » Postquam autem hoc oleum sive nomen fluxit misericorditer in Judæa, ejusdem effusionem excepit etiam Idumæa : et in ea calceamentum suum Christus adveniens sic extendit, ut amicos redderet, quos alienos erroris merito deprehendit. Qui cum exciperent nomen tantum fixa fide, spe procul dubio non inani, ab eodem Christo dicti sunt generaliter Christiani, et quisquis in catalogo fidelium dignus exstitit contineri, sicut esse Christianus, sic nomine voluit et censeri. Recte ergo nomen hoc non infusum, sed effusum potius appellatur, eo quod non Judæo tantum, non Græco specialiter assignatur; sed cum illi primum hujus fide nominis glorientur, remotiores quoque ab eadem exclusi gloria non habentur. In omnem enim terram hujus nominis sonus ivit (*Psal.* XVIII), et ad fines orbis terræ ejus effusio pertransivit, tam remotis quam proximis impertiens beneficium salutare, qui tamen dilexerunt fidem operibus adornare. Nam quicunque fideles ab ortu ad occasum, ab aquilone usque ad meridiem sunt diffusi, nomine Christiano vel Christi oleo sunt perfusi, nec est ab aliquibus, terra, mari vel spatio quolibet interclusum, sed ad omnes, quibus Deus misereri voluit, est effusum.

CAPUT XI.

Oleum effusum nomen tuum. Nomen Sponsi, Deus est. Cujusmodi nomen Pater filio creditur infudisse, cum eum coæqualem, coæternum sibi dicitur genuisse, cum ingenitus genitum dedit naturaliter Deum esse, et huic dationi non nisi Deum voluit in-

(65) Athanasius in Symbolo.

teresse. Nam sicut quidquid Deus est, ita quidquid substantialiter ductum est ab illo, huic plenius est infusum, non principio, non fine, non loco, non tempore quispiam est exclusum; et a quo esse habet, ab eo sibi essentialiter est concessum, quod omni creaturæ est naturaliter inaccessum. Ipse autem qui Deus est, suum quodammodo, tanquam oleum, nomen fudit, cum angelos recens factos ignorantiæ nubilo non confundit, sed a quo facti essent, largiente ipso qui fecerat, perceperunt, et Patrem simul et Filium Deum esse unum inseparabiliter acceperunt. Nec solum in cœlestibus fusio hæc angelos erudivit, sed in terram quoque ad homines eadem eruditio pertransivit, Judæamque insignivit notitiæ divinæ certitudo, et in Israel est accepta hujus tam præclari nominis magnitudo (*Psal.* LXXV). « Adorate, inquit, eum, omnes angeli ejus; audivit et lætata est Sion (*Psal.* XCVI). » Quem in cœlo angeli Deum et Dominum venerantur, ejusdem et in terra cives Sion audito nomine gratulantur, et in illo populo celebratur Dei nomen, oleum viget fusum, etsi adhuc inter gentes ampliore gratia non effusum. Cum vero diu desiderata venit temporis plenitudo, qua divini consilii nobis innotuit altitudo, missus a Patre Filius, in Virgine, et ex Virgine voluit humanari, et sic nomen quod Deus est, tam in gentibus, quam Judæis plenius divulgari. « Sciant, inquit, gentes, quia nomen tibi Deus (*Psal.* LXXXII). » « Et adorabunt, inquit, eum omnes reges; omnes gentes servient ei (*Psal.* LXXI). » Cui ei? Adjungit : « Ante solem permanet nomen ejus (*ibid.*). » Quæ utilitas in hoc nomine? « Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ (*ibid.*). » Quod est nomen istud? « Benedictus Dominus Deus Israel (*Luc.* I); » et benedictum nomen majestatis ejus. Nomen humilitatis ejus, Homo est; nomen vero majestatis, Deus est (*ibid.*). » De quo Apostolus : « Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula (*Rom.* IX). » Deus iste manens in sinu Patris et lucem habitans inaccessam, ab illo, vel cum illo æqualitatem habens, tam angelis quam hominibus inconcessam, ante partum, **119** Virginis suum inter paucos voluit nomen fundi, post partum vero ampliore impetu passim omnibus jam effundi. Quem enim absconditum patribus gentium nesciebant, pauci vero Judæorum docti Spiritu utcunque sentiebant, postquam in fine temporum utero Virginis est infusus, per vicos et plateas in aquæ similitudinem est effusus. « Sicut aqua, inquit, effusus sum; et dispersa sunt omnia ossa mea (*Psal.* XXI). » Instar aquæ ad communem omnium notitiam se effudit, cum in nostris cordibus ejus charitas se diffudit, cum suorum dona charismatum dispersit, dedit pauperibus, cum eum qui confirmat, angelorum panem, dedit hominibus. Quem ergo Isaias longe supra dicit absconditum, effuso tanquam oleo jam videmus cunctis expositum : expositum quidem ut sanativum ægrotis oleum superfundat, absconditum ut sanatos in faciei suæ abscondito nos abscondat. « Vere, inquit, tu es Deus absconditus (*Isa.* XLV). Deus Israel Salvator. Absconditus est, cum in sinu Patris ab humano longe intuitu se recondit, expositus vero, cum ex utero matris in salutem Israel se effundit. Absconditus, cum in Deo Deus nobis faciem suam velat; expositus, cum venisse ut suum salvet populum se revelat. In absconditum semper angeli ardent prospicere, effusum et expositum jam homines amant diligere, et quos corruptivi fasce corporis aggravatos nondum optabilis tenet absconsio, jam ferventes spiritu hæc olei reddit effusio. Quodpropter Virgo cum dixisset : *Oleum effusum nomen tuum*, subjunxit : *Ideo*, etc.

CAPUT XII.

Ideo adolescentulæ dilexerunt te. Quia, inquit, nomen tuum tanquam oleum effudisti, dum procedentem e thalamo non solum te hominem, sed et Deum esse veraciter docuisti : hanc doctrinam Dei docibiles nequaquam neglexerunt, sed quem prius nescierant, te innovato spiritu dilexerunt. Quos non errore, sed prudenter adolescentulas nominavit, in quo affectuosam diligentium teneritudinem designavit, quia hæc ætas et amat tenerius, et se ornat curiosius, et satagit frequentius, vaga oculis, discursibus inquieta, stare sibi nesciens, dum est ejus aviditas inexpleta. Quos ergo non deformat situs noxiæ vetustatis, internam quorum faciem non exarat ruga pristinæ pravitatis, quorum oculus non caligat, non dens labitur, vox querula non raucescit, gressus non labat tremulus, spina senio non curvescit, sed hujusmodi positis calor viget, vigor animi juvenescit; ii profecto ad amandum vehementius inardescunt, moram ferunt gravius, deficiunt suavius, gratius elanguescunt. Denique adolescentulæ dum voti finem desiderant obtinere, eis quos diligunt student curiosius complacere, et ut sese reddant illorum conspectui gratiores, nituntur summa cura, summo studio videri pulchriores. Dantes ergo vel conservandæ, vel acquirendæ operam speciei, apposito sibi speculo statum suæ considerant faciei, et adgaudentes bonis quæ sibi adesse perpendunt ex natura, quod illa minus contulit, vigili supplent cura. Quo autem pulchriores sese obtulerint ad placendum, eo placitiores redduntur ad gignendum, quia quæ in oculis sponsorum ampliori pulchritudine jucundantur, gratius ab eisdem munerantur osculo, complexu fecundantur. Una qualium manu speculum sollicita apprehendens, et qualis sit, in eo diligentius deprehendens; gemit, quia corpus quod corrumpitur animæ speciem decolorat, et terrena inhabitatio gravare sensum multis deditum elaborat (*Sap.* IX). Quem pressum, sed forte non oppressum, ut restituat tam justitiæ quam saluti, castigat corpus suum et digne subjicit servituti (*I Cor.* IX); amoris intuitu non periculum non mortem refugit sustinere, tergit quidquid maculosum sponso existimat displicere; frontem vult esse candidam, genas teneras subrubere, labia ve-

recundiam, verba modestiam redolere : totam prorsus faciem nova gratia relucere, ut ei digne placeat cui vult se probabilem exhibere. Cum vero probabilem se et amabilem exhibuit tersa fronte, facie tam jucunda, laboris hujus et amoris merito non mansit infecunda : sed fecundante spiritu, alvo concipiens genitali, sponso genuit filios verbo et opere spiritali. Quibus et ait : « Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis (*Gal.* IV). » Et illud : « In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui (*I Cor.* IV). » Altera quædam adolescentula cum ferveret, et in ipso fervore fixam et stabilem manere se sponderet, infirmitati suæ digno satis judicio non intenta, rudis adhuc et insufficiens paulo fidentior est inventa : « Domine, inquit Petrus, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire (*Luc.* XXII). » Et ille, cujus erat, sicut cætera, sic et ipsum Petrum melius nosse, sciens illum velle quidem quod dixerat, sed non posse : « Dico tibi, ait, Petre, non cantabit hodie gallus donec ter abneges me nosse (*ibid.*). » Et quoniam ad defectum penitus deveniret negatio diffidentis, si non manum supponeret potens gratia miserentis; volens Petrum non solum a lapsu temerario resilire, sed confirmatum postea spiritales filios parturire : « Ego, ait, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu **120** aliquando conversus confirma fratres tuos (*ibid.*). » Infra quidem divinæ respectu misericordiæ visitatus, et spiritus insufflati ampliori munere roboratus, ad diligendum fortius, ad persistendum firmius idem ipse Petrus incanduit; et amoris merito fortioris ab ipso sponso audire promeruit : « Simon Joannis, diligis me plus his? Pasce oves meas (*Joan.* XXI). » Apostoli ergo, virique apostolici non immerito adolescentulæ nominantur, quæ in hoc dramate comitari Sponsam virginem prædicantur, quas reddit adolescentulas, non dierum paucitas, non ætatis, sed fides ferventior, amor impatiens, indultæ gratia novitatis. Pulso enim errore qui dispersus late fuerat in Judæa, prædicantibus Pharisæis quia Christum non produceret Galilæa; et quia juxta ipsos credi nullatenus dignum esset, ut fabri filius frater Jacobi Christus esset (*Matth.* XIII; *Marc.* VI), qui magis apud ipsos non de bono opere, sed de blasphemia lapides merebatur (*Joan* X), et quia cum esset homo, Deum se usurpatorie fatebatur; pulso, inquam, hoc errore, adolescentulis fidei novitas est collata, et quam sponsa prius secreto hauserat, ad apostolos derivata. Mihi, ait Sponsa, nomen tuum Deus, tuum mihi oleum se infudit, cum ros tuus vellus meum, cum tua divinitas me perfudit, cum in me totum Deum, Verbum Patris, Dei Filium introspexi, et ipsa tota plena affectu plenario te dilexi. Me autem repleta, ad eas quæ juxta sunt oleum hoc refusum, et ut capi valeat, adolescentulis est effusum; et quod infusum mihi, cum non possent capere, neglexerunt, effusum sibi fervente spiritu dilexerunt. Nulli quippe eamdem virginem familiarius sunt secuti, A vel ea mediante sponsi notitiam plenius assecuti, quam apostoli qui ante et post Christi passionem cum ea diutius conversati, ab ipsa frequentius audierunt Verbi mysterium incarnati. Ii « omnes, inquit, perseverantes erant unanimiter in oratione cum Maria matre Jesu (*Act.* I). » Unus quorum præ cæteris ejusdem virginis curam egit, et ex mandato Christi in illius obsequium sedule se redegit; eique ut matri filius obsequentem diligentiam impertivit, et in sua receptæ provisoris ministerio deservivit. Ipsa vero cum Joanne vel cæteris tanto tempore conversata, quis penset quo affectu eosdem fuerit amplexata, qua eos cura studuerit, quæ prius et perfectius noverat edocere, et mirandum tam conceptus quam partus sui ordinem frequentius et inculcatius recensere? Quæ enim in se alto et ineffabili consilio completa pervidebat, non assistentibus sibi, non hujusmodi adolescentulis invidebat; sed in earum auribus gaudebat illorum frequenter reminisci, volens eas pariter indultæ sibi gratiæ participium adipisci. Proinde cum dixisset : *Ideo adolescentulæ dilexerunt te*, addidit : *Trahe me*, etc.

B

CAPUT XIII.

Trahe me; post te curremus in odore unguentorum tuorum. Cum ad tantam virgo excellentiam evehatur, ut dono gratiæ ad Sponsi osculum provehatur, ex hoc quidem lætitiam et spiritalem fiduciam sibi sumit, de suis tamen viribus quidpiam non præsumit. Sicut enim velle bonum, suo merito non concepit, sic illud perficere, nisi ab alio, non accepit : et a quo totum habet quidquid utile et expetibile sibi novit, ab ipso trahi postulat post ipsum, cujus obsequio se devovit. Non est quippe, nec intendit sic esse agilis, ut præcurrat, ad hoc nitens solummodo, et hoc sibi sufficere judicans, ut postcurrat; ad quod ipsum suo ipsius judicio non prævalet nisi tracta, nisi fasce infirmitatis propriæ non retracta; nisi in ea quæ ante sunt suavi Spiritu gratiæ sit impacta, et ad ea quæ retro flante nequam Spiritu non redacta. Ab ipso igitur post ipsum trahi postulat non invita, sed carnis adhuc corruptibilis compede præpedita, cujus etsi fortitudo jam forte prompto in spiritu satis firma, caro tamen naturali quadam gravedine aliquantulum est infirma. Eum ergo quem diligit, sequi spiritus promptus ardet, optans summopere ut eum caro justo amplius non retardet, sed sicut Deo amat spiritus virginis adhærere, sic ab eodem spiritu nihil injurium caro valeat extorquere. Nonnullos enim voluntas promptior ad fortiora provocat et attollit, sed eosdem infirmitas carnalis revocat et emollit; eosque mollitie gravi vel præcipitat in defectum, vel saltem provehi nequaquam patitur ad perfectum. Cujusmodi miseros quos miseria nexu retrahit molliore, quid nisi necesse est trahi et attrahi spiritu fortiore, ut pressa et oppressa mollitie nequiter retrahentis, tandem prævaleat manus miserans attrahentis? « Ideo, inquit, attraxi te miserans (*Jer.* XXXI.) » Est et ille tractus non quo jam caro cogitur

C

D

obedire, sed qui potius invenitur ipsum spiritum delinire : tractus, inquam, longe suavior internæ cujusdam voluptatis, cum spiritus delectatur gustu et amore gustatæ veritatis. Cujus loco sponsa mater grato desiderio vult teneri, eoque ad ea quæ spiritui sapiant, suaviter promoveri ; et ab eorum suavitate nullis temporalium inquietationibus absterreri, sed tota a serena facie ejus quem diligit, absorberi. Cujusmodi facies si amanti vel ad modicum ostendatur, si **121** ostensæ recto judicio defæcatior oculus intendatur, ostendens et intendens, tantæ dilectionis vinculo colligitur, ut diligens ad dilectum nexu indissolubili pertrahatur. Trahatur, inquam, non violentia, non molestia, non timore, non tracti vel trahentis odio, sed amore ; tractu illo, quo alumnus trahitur post nutricem, quo vel patrem filius, vel filia sequitur genitricem, imo tractu quo diligens in dilectum, eo gratius, quo suavius defetiscit, dum obtinere desiderat, et desiderare insatiabiliter concupiscit. De quo per Osee : « Traham, inquit, eos in vinculis charitatis (*Ose.* II). » Et tractus respondet : « Adhæsit anima mea post te (*Psal.* LXII). » Sic nostra virgo trahi optat et postulat post dilectum, ut scilicet diligendi et sequendi ille sua gratia det effectum : et affectuoso amore post sponsum sponsa, mater post filium incandescat, et non carni caro, sed Deo anima fortius adhærescat. Sicut enim gravari se cujusdam mortis recolit detrimento, cujus olim adhæserat infelix anima pavimento ; sic ista, quia post osculum Sponsi non diligit nisi vitam, post ipsum per quem vivat trahi se desiderat non invitam, sed affectu alacrem, ferventem spiritu, meritis expeditam. Et quoniam sic tracta, sic adjuta non expedit ut moretur, nimirum trahentem claudo ista vestigio non sequetur, sed prompto gradu, passu agili, pede concito cursitabit, et ad eum, cui suspirat, expedito itinere festinabit. Curremus, ait, in odore unguentorum tuorum. Pluraliter dicit : *Curremus ;* cum singulariter præmiserit : *Trahe me.* Si me ad te traxeris affectu et gratia speciali, ut me gratam efficias et beatam osculo nuptiali, ut et mundes et fecundes sponsam spiritu principali, ut novo et inexperto genere partu gaudeam virginali ; si me, ait, sic traxeris, jam non sola ego munere spiritali, sed mecum adolescentulæ gaudebunt quodam beneficio generali, ut me scilicet præcurrentem pro suo modulo devotius imitentur, et post te, quem diligunt, mecum una currere prædicentur. Itaque me primam, me præcipuam dona osculo, trahe vinculo charitatis, da scire, da sentire mihi ampliorem tuæ gratiam bonitatis ; et hoc non mihi tantum proderit, nec inveniar sola currere, sed curremus, omnesque diligentes, etsi non cursu pari ad te pariter veniemus. Exemplo quidem et merito Virginis quæ prius invenitur et perfectius cucurrisse, apostoli et eorum successores credunt se gratiam invenisse : qui exuta velut tunica rugosæ vetustatis, juvenescunt ut aquila, non plumis, sed moribus innovatis. Virgo tracta et attracta est loro quodam cæteris inconcesso, quo Sponso et Auctori adhæsit corde penitus indefesso ; sursum ducta et evecta, sancto Spiritu tam fortiter, tam suaviter obumbrante, ut Deum concipiat natura jus inolitum relegante. Qui vero concipitur, ipse est cujus velociter sermo currit, qui saliens in montibus, colles transiliens ut gigas cæteris antecurrit (*Cant.* II), ad quem sequendum Virgo trahi necessario se perpendit, quem non nisi nativa tarditate posita comprehendit. Quis autem vel invenitur paratior ad trahendum, vel agilior redditur ad currendum, quam Virgo, cujus caro a peccati est prorsus onere levigata, tractuque levigante Deo trahenti mirabiliter adunata ? Sic vero tracta virgo, quod nulli alteri novit datum, jam currit, jam proficit, jam tendit festinatius ad optatum : docens et ducens ferventes adolescentulas ad perfectum, licet nulla quantumvis agilis parem veniat ad profectum. Ideo forte Virgo trahi se singulariter postulavit, cursuram vero non solam, sed una cum cæteris affirmavit, quia ipsam specialiter eligendo in Matrem Dei Filius ad se traxit, sed ipsa sibi sola fructum hujus operis non contraxit. Ex eo enim quod ad prærogativam matris est singulariter sublimata, sequentibus adolescentulis non parva utilitas est collata ; dum eamdem imitari digne virginem studuerunt, et ad diligendum sponsum pro suo quæque modulo cucurrerunt. « Currebant, inquit, duo simul, sed Joannes præcucurrit citius Petro (*Joan.* XX). » Et alius : « Sic curro, ait, non quasi in incertum (*II Cor.* IX). » *Curremus*, inquiunt, *in odore unguentorum tuorum*. Odor unguentorum, suavitas spiritualium est donorum, quam cum electi quique sagaci perceperint odoratu, non eam cæteris invidentes, sed gaudentes potius comitatu ; ad eam, vel magis in eam festinant cursu alacri devenire, moram non ferentes, et vix differentes quod præsenserint invenire. Nostis canibus naturaliter convenire, ut quod etiam oculis non vident, concedantur naribus præsentire, et si usu venatorio digne fuerint instituti, discurrunt, festinant, latrant, clamitant, donec fuerint assecuti, qualibus Paulus dicit : « Sic currite ut comprehendatis (*II Cor.* IX). » Quod si quis nare sagacior unctum quid senserit vel unguentum, tanta aviditate hausti odoris sequitur blandimentum, ut ab eo non promissiones, non minæ, non mors denique revocet neque vita, cuncta pro damno reputet, ut solum lucrifaciat concupita. Quanta vero pensatis in sua ipsorum plenitudine sunt unguenta, ubi clave et conclavi sub manu pigmentarii sunt detenta ; quæ antequam a remotis præsentialiter et plenarie sint inventa, eorum corda reddunt sua odoris dulcedine sic attenta ? Quanta illorum plenitudo reficit jam præsentes, quorum odor foris manans in tantum efficit haurientes, ut pedum basibus solidatis non solum venientes, sed gravi moræ **122** odio faciat et currentes ? Quis nobis procul positis sentire donet vel ad modicum hunc odorem ? quis pedibus infir-

matis, quis debilitatis genibus gressum tribuat fortiorem, ut miserente gratia quandoque inveniamur etiam nos currentes, vel saltem pedetentim a longe sequamur adolescentulas præcurrentes ? Felices illæ quibus suum consortium Sponsa mater innuit se daturam, cum quibus in odore unguentorum asserit se cursuram ; quæ sic revera cum eisdem currit adolescentulis, ut præcurrat ; eisque foris adhuc manentibus ipsa celerius et familiarius introcurrat, quod innuens subjungit :

CAPUT XIV.

Introduxit me rex in cellaria sua. Quæ paulo ante petierat ut ab eo, quem diligit, traheretur, jam tractam et introductam in illius cellaria se fatetur, inventamque gratiam non abscondit invidia, non obscuro silentio dehonestat, sed in laudem Sponsi et gloriam adolescentulis manifestat. Quia enim ampliori flagrans desiderio, meritis amplioribus hæc refulsit, Sponsus eam velut raptim in suum secretarium introduxit ; introductæ ostendit miram spiritualium ubertatem, unguentorum præsentiam, promissorum munerum veritatem. Quo ingressa et intuens apothecas incomparabiles Salomonis, obstupuit, et quasi diriguit novæ gratia visionis ; et non habens ultra spiritum, nec se valens præ gaudio continere, recurrit foras nuntians beneficium quod meruerat obtinere. Vos, ait, quibus jam divina gratia contulit ut curratis, videte ne mora vel labore defectum reprehensibilem incurratis, sed constanter et fortiter ad opes currite non incertas, ignotas forte vobis, sed mihi non penitus inexpertas ; qui autem me in suam plenitudinem introduxit, et vos adhuc ad optatum, eo, quod ipse novit consilio, non perduxit ; vult quidem vos bonis meis præsentibus adgaudere, et exemplo mei certiorem vestrorum fiduciam vos habere, quem Sponsa in præsenti non sponsum, non dilectum, sed Regem voluit nominare, volens, ut arbitror, potestatem Sponsi regiam designare : opes, divitias, omnem rerum plenitudinem commendare ; qua regum præ cæteris inveniuntur cellaria redundare. Porro quod potens sit, nullus potest recte sapiens dubitare, cum Scriptura veridica multis inveniatur testimoniis affirmare, quia et potentes non abjicit cum et ipse potens sit (*Job* XXXVI), et : « Omnia quæcunque voluit, fecit (*Psal.* CXIII), » et subest ei posse cum voluerit (*Sap.* XII) ; quod autem sit dives, Apostolus ait : « Qui dives est etc., (*Rom.* X), » et Evangelium : « Homo quidam erat dives, qui habebat villicum (*Luc.* XVI) ; » haud dubium quin Deum significans. Denique quis ditior Domino, cujus « est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum, et qui habitant in eo ? (*Psal.* XXIII.) » Sponsus ergo virginis non incongrue Rex vocatur, quo nomine ejus et potentia et abundantia commendatur, qui etiam non cellarium, sed habere cellaria memoratur, ut ejus longe major esse copia doceatur, quia enim in cellariis quam in cellario plura certum est contineri, et multis multa, diversa diversis copiis adimpleri ; in multa potius quam in unum virgo se perhibet introductam, innuens se absconditos sapientiæ et scientiæ thesauros assecutam. In quibus non spiritum hujus mundi, sed Spiritum qui ex Deo est (*I Cor.* II), accipere promeretur, ut quæ a Deo donata sunt ei, sciat ; et sciens veneretur, ut cum in se Verbum Dei videat, et diligat factum carnem, sensum tamen Christi habens, eum jam non noverit juxta carnem. (*II Cor.* V). Porro divinæ sapientiæ occulta cæteris et incerta, dono incomparabili, modo ineffabili Virgini fiunt certa, gaudetque se in secretorum illud sanctuarium introduci, ad quod non cum ea pari passu, sed post eam gaudent cæteræ virgines se adduci. Illa prius, illa perfectius et accepit angelum nuntiantem, et juxta verbum ejus, sensit Spiritum obumbrantem : novit se in conceptu non culpam, non coitum pertulisse, non juxta Evæ legem in partu gemitum protulisse. Novit cum quem fovet, quem complectitur juxta naturalem indigentiam parvulorum, vitam esse et vitalem alimoniam angelorum, quem continet in gremio, quem lactat ubere suo matris, Deum esse ab æterno in sinu abscondito Dei Patris : novit se novitate mirabili Dei et hominis genitricem, nutritoris et auctoris sui et omnium, se nutricem. Hæc sunt forte cellaria in quæ Sponsus Matrem virginem introduxit, quæ nisi sapiens Architectus manu propria non construxit, quæ construens, tanta replevit copia pigmentorum, ut ad cursum excitet tardos quosque odor velut suavissimus unguentorum. Unum quasi cellarium est, quo descendit in hominem divinitas non consumpta, aliud cellarium quo in Deum humanitas est assumpta, quæ duo scilicet Verbum et caro, sic ad invicem miro quodam opere sunt conjuncta, ut in Christo et sint diversa naturaliter, et personaliter non disjuncta, quorum alterum si quis sine altero intelligere et suscipere videatur, si Christum vel hominem sine Deo, vel Deum sine homine fateatur, unum tanquam cellarium regis visus est introire, **123** ab altero autem vel ignorantia, vel contumacia resilire. Cæterum Maria virgo non alterum tantum, sed utrumque pariter est ingressa, quæ ipsum quem genuit, Deum simul et hominem est professa, super quem eo devotius quo et certius est innixa, tenens memoriter, et memorans suaviter, quæ, quem, quomodo sit enixa. Enixa est enim non solum hominem, sed et Deum, mira cujus humanitas, et humanata divinitas introductæ quidem Virgini deoperta, sed tempore aliquanto ipsis adolescentulis est operta, quæ currentes in odore post ipsam matrem et virginem adducentur, et in ipsa cellaria, cum tempus et merita convenerint, inducentur. Cum quibus inducendis virgo se perhibet gavisuram, innuens se per illas augmentum gaudii percepturam, quoniam quæ apud se de percepto est munere jam secura, cum et illæ perceperint, pro eis est ampliori gaudio fruitura. Hoc est quod addit : *Exsultabimus*, etc.

CAPUT XV.

Exsultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum. Conversa vel magis reversa ad adolescentulas, suum illis gaudium nuntiavit, quo nuntio eas ad currendum constantius invitavit : eoque breviter expleto, mox ad sponsum tam verbum quam faciem revocavit, quia loqui ad illum, quam de illo dulcius judicavit. Amans quisque tenerius, cum de eo quem diligit libenter cæteris colloquatur, gratius multo habet ad ipsum loqui, si forte optio concedatur : et de ipso loquens, ipsum diligit auditoribus commendare, ad ipsum loquens, suam ipsius gaudet gratiam degustare. Sponsa itaque de Sponso loquens, propter ipsas facere adolescentulas id videtur, ut scilicet eas ad diligendum eum quem diligit exhortetur, quia tantus ejus amor æmulam vel pellicem non veretur, nec damnum suum putat, si ad amandum illum quævis altera provocetur. Imo vero suum gaudium quod in dilecto diligens vult habere, majus putat effici, si contingat et alias ejus participium obtinere : et proinde ad Sponsum cito se referens, cum quo gratum habet frequentius fabulari, non de suo solius, sed de illarum secum profectu asserit se lætari. *Exsultabimus*, inquit, *et lætabimur in te.* Non sufficit amanti uno verbo suum gaudium prædicare, sed duplicat, ut duplicans illius abundantiam possit expressius intimare, ad quod intimandum, etsi eadem vel similia verba velut diutius explicare, non tamen quantum sentit, digne poterit explicare. Vel forte in eo quod dicit : *Exsultabimus*, gaudium signat quod interius non abscondit, quod foras potius voce vel quovis opere sic effundit, ut oculis intuentium amoris species ostendatur, ut qui digne attenderit, ad amorem pariter accendatur. « Justitiam tuam, inquit, non abscondi in corde meo, veritatem et salutare tuum dixi (*Psal.* XXXIX). » Verum quia simulator quisque nonnunquam facit plurima sive dicit, quorum cum sit bona species, tamen interiora conscientia contradicit, addit Virgo : *Et lætabimur in te*; illud signans gaudium quod teste Deo in cordis abscondito delitescit, cum juxta quod foris ostenditur, cor interius hilarescit. Quod propheta uno videtur versiculo designare, et in eo distinctius velut singula singulis assignare : eam dicens lætitiam, quæ in abscondito continetur, exsultationem vero, quæ indiciis exterioribus exhibetur. « Propter hoc, ait, lætatum est cor meum, et exsultavi sub lingua mea (*Psal.* XV). » Et alibi : « Lætetur cor quærentium Dominum (*Psal.* CIV). » Et illud : « Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ : et exsultabit lingua mea justitiam tuam (*Psal.* L). » Ex his locis colligitur, inter lætari et exsultare hæc esse differentia, ut lætari sit cordis, exsultare sit operis, quia et affectu et effectu ei debet justus quilibet adgaudere, a quo sperat et præsentem gratiam, et futuram gloriam obtinere. Quamvis exsultatio, cordi aliquando etiam assignetur, et non lætari solum, sed exsultare quis in abscondito prædicetur, ut exsultatio nihil aut parum differre a lætitia videatur, cum sicut illa, sic ista esse interior asseratur. « Ad ipsum, inquit, ore meo clamavi : et exsultavi sub lingua mea (*Psal.* LXV). » Sub lingua, dicit in corde, sicut infra in hoc Cantico : « Mel et lac sub lingua tua. » Et Anna in suo Cantico : « Exsultavit cor meum in Domino (*I Reg.* II). » Et hæc ipsa virgo Maria in suo : « Exsultavit Spiritus meus in Desalutari meo (*Luc.* I). » Quod ergo dicit : *Exsultabimus et lætabimur*, geminato verbo cumulatum gaudium signat, quod intelligit tam se quam adolescentulas percepturas, et dono gratiæ largioris tam de futuris quam de præsentibus gavisuras. Pietati enim, quæ introduci in cellaria prædicta promeretur, cellariorum Auctor vitæ quæ nunc est et futuræ gaudium pollicetur (*I Tim.* IV); et promissorum dato, in re, præsentia; in spe, bona sequentia jam largitur, quibus tersa tristitiæ nebula cor quærentium Dominum delinitur. Porro in præsenti scientiam provehit, conscientiam reficit et serenat, in futuro utramque ab omni tam caligine quam inquietudine penitus alienat : et illa res, **124** et ista spes monet diligere, currere dat ad ipsum, currentem non deficere, sed magis proficere donec perveniat in idipsum. Proinde Sponsa dicens : *Exsultabimus et lætabimur*, subjungit : *in te* ; ut cum, sive de præsentibus, sive de bonis sequentibus exsultatio vel lætitia nobis detur, non in se quisquam nostrum, sed in Domino glorietur; oblitusque sui, cui ex se nisi mors et tristitia non habetur, illius a quo vita, et, ut dicam melius, qui est vita affectu tenero memoretur. *Memores*, inquit, *uberum tuorum super vinum.* Tuis, ait, uberibus lactas, nutris, reficis sitientes, dum donas, dum sustentas gratis muneribus diligentes : dum eos qui diligunt tuam gratiam se adeptos, profectu desiderabili fieri das perfectos. Qui relegata substantia et abjecto sæculo propriæ pravitatis, gaudent retributione centupla voluntariæ paupertatis : præsentique beneficio et sinistri uberis lacte redditi fortiores, dextri jam dono uberis fiunt de percipiendo æternæ vitæ præmio certiores. Cujusmodi ubera super vinum sunt, id est vino meliora, quia præsens perfectio et futuræ promissio justis utilius et gratius offeruntur, quam tribulatio et angustia quæ malis quibuslibet inferuntur, qui et in præsentiarum læsa conscientia cruciantur, et in futuro pœnam irremediabilem præstolantur. « Tribulatio, inquit Paulus, et angustia in omnem animam hominis operantis malum (*Rom.* II). » Et Jeremias : « Duplici, ait, contritione contere eos, Domine (*Jer.* XVII). » Hoc vinum felle durius, gustus amarissimi vel saporis, hunc calicem mortiferum iræ Domini vel furoris, perditi quique bibunt, vitæ merito nequioris, qui Sponsi ubera non attingunt plena gratiæ et alimoniæ gratioris. « Bibisti, ait Isaias, de manu Domini calicem iræ ejus, usque ad fundum calicis bibisti, et potasti usque ad fæces (*Isa.* LI). » Et exponens quis iste sit calix, ait infra : « Duo sunt quæ occurrerunt tibi, vastitas et contritio, et fames et gladius (*ibid.*). » Hoc vino vel calice Sponsi longe sunt ubera meliora, quæ promittunt

vel exhibent tam Sponsæ quam adolescentulis gratiora, quas ab ira et furore, quas a gravi judicio manu misericordiæ longefacit, quarum desiderio et præsens perfectio, et sequens retributio satisfacit. *Vel memores erimus super vinum*, id est amplius memores erimus uberum quam vini. Vinum vocat, ut videtur, vitæ hujus transitoriam passionem, quæ suspirantibus ab æterna infert molestiæ non mediocris læsionem, dum corpus quod corrumpitur et inhabitatio necessaria terrenorum aggravat animam, sensum deprimit fasce cogitatuum plurimorum. Cujusmodi aggravatio etsi justo cuivis peremptoria est vel purgatoria vitiorum, quando eum quem diligit Deus urit et castigat gravi, sed utili cauterio flagellorum, tamen quia pungit, et gustantis in palato hujusmodi poculum amarescit, vult eum longe fieri quisquis haurire cœlestia suavius inardescit. De quo Propheta regius : « Potasti nos, ait, vino compunctionis (*Psal.* LIX). » Pœnarum austeritas, cujus expers et immunis non pauper, non ditior invenitur, quando etiam eam gravi lege infans quoque diei unius experitur; molesta est punctio et potio congrua medicinæ, inferens odiosam, sed plane fructuosam, amaritudinem disciplinæ, quam suo solius respectu sapiens quisque respuit diligenter, fructus vero sequentis intuitu sufferendam judicat patienter. Cujus etsi eum præsens coegit experientia reminisci, monet tamen fructus perfectior et spes suavior oblivisci : gratiusque memoratur bonorum spiritualium et salutis diutius permansuræ, quam amaræ potionis et compunctionis citius transituræ. Cujus gratia non omnibus, sed paucis admodum videtur attribui, quorum pes invenitur supra petram digne constitui; ut firmiter stabilitum ad superna subvehat inflexibilis rectitudo, et merito rectitudinis suscipiat peramplior et perfectior certitudo. Ideo sequitur : *Recti*, etc.

CAPUT XVI.

Recti diligunt te. Qui enim ad infima curvato genu, flexo poplite non descendit, sed ad summa et ardua ferventi desiderio se suspendit, qui non juxta monita malignorum spirituum incurvatur, ut illis transeundi per eum optata facilitas præbeatur, is profecto rectus est, et odisse quod respuit, judicatur, et abhorrens prohibita, prohibitorem diligere comprobatur. Denique habetis : « Qui diligitis Dominum, odite malum (*Psal.* XCVI). » Odit malum, qui ad illud cordis hauritorium non inclinat, qui ejus in profundum, vel in terram oculos non declinat (*Dan.* XIII); non æquo ferens animo eum qui de vitæ hujus sterquilinio fumum fœtidum evaporat, qui thure nares afficit, cæcat oculos, internam faciem decolorat. Mali autem odio (quod in profundum tendere deprehendit) meliora et saluti congrua diligens, cor, manus, oculos sursum tendit; et non solum pressus et oppressus fasce nequam ad infima non curvescit, sed erectus ad superna toto eis desiderio inseparabiliter adhærescit. Quæ quia stant et ad **125** standum inflexa rectitudine diriguntur, rectos constat fieri, qui ad illa proficientibus meritis erigun- A tur; et sicut idolis vel simulacris gentium similantur eadem facientes (*Psal.* CXIII), sic cœlestibus conformantur, eorum rectitudini cohærentes. Cœlestia vero, quæ et cœlum, vel cœli non incongrue nominantur, quæ domus vel habitatio, locus, sedes, solium, Domino præparantur : ipsum revera Dominum, et sessorem affectuosis desideriis amplexantur, nec possunt non diligere quem in se principari fortiter, regnare suaviter contemplantur. « Pater, inquit, noster qui es in cœlis (*Matth.* VI). » Et : « Dilexi, ait, decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ (*Psal.* XXV). » Et : « Cœli enarrant gloriam Dei (*Psal.* XVIII). » Et : « Dominus in cœlo sedes ejus (*Psal.* X). » Et : « Cœlum sedes mea (*Isa.* LXVI). » Et multa hujusmodi reperietis, B quæ in cœlo vel cœlis Deum asserunt residere, sedi, loco, domui grata benevolentia præsidere : sedisque et sedentis non fit aliter mutua gratitudo, quam si donante gratia conveniat rectitudini rectitudo. Rectus enim Deus sibi similes vult habere, nec nisi ab his diligi qui amant ejus rectitudini cohærere, quos non nisi dilectio eidem rectitudini cohærentes, nec nisi rectitudo veraciter efficit diligentes. Quod virgo Mater sentiens : *Recti*, ait, *diligunt te*, quia qui suam intentionem carnis desiderio non pervertunt, sed ad eum qui summe bonus est, corde voluntario se convertunt; viam rectam, viam eos regiam constat proficisci, proficientes recte Bonum quem desiderant adipisci. Denique : « Bonus Israel Deus his qui recto sunt corde (*Psal.* C LXXIX). » Sequentes quippe serpentinos anfractus et tortuosæ Mæandros pravitatis, non gustant quam suavis, quam jucunda sit divinæ regula bonitatis, quia ei quæ bona, quæ justa, quæ summe est laudabilis rectitudo, non convenit, non cohæret malitiæ vel injustitiæ tortitudo. At vero qui a terra vel terrenis horrore libero se suspendit, et quæ sursum sunt quærens, ea magis erecto corde, quam manibus apprehendit; sentit quidem quia multa est et multum laudabilis magnitudo, magna æque et magnifice commendanda divinæ dulcedinis multitudo, cujus suavitatem etsi fama percipit, sensu tamen intimo nequaquam experitur, nisi qui bono Deo cordis rectitudine similis invenitur. Cujusmodi rectitudinem profectu congruo Dominus ordinare, et D ad eam apostolos in Evangelio videtur invitare : volens eos non solum ad appetendum eam effici promptiores, sed etiam de ipsius, quæ appetenda est, ordine certiores : « Sint lumbi, ait, vestri percincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris : et vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum (*Luc.* XII). » Prudens iste artifex discretæ rectitudinis ordinans munimentum, primo velut basim ponit, jacit operis fundamentum : base autem posita columnæ statuit firmamentum, capitellum superponit ejusdem rectitudinis ornamentum. In lumbis equidem voluntas vel affectio intelligitur hujus vitæ, carnis concupiscentia, voluntatis acquisitio concupitæ : et ob hoc lumbos divinæ censura

justitiæ vult præcingi, dum nos ab omnibus non solum quæ non licent, sed et quæ non expediunt vult restringi. Postponere autem noxia, et a concupiscibilibus abstinere, carnales appetitus ab effectu completorio prohibere, motus fluxos restringere forti cinctorio castitatis : basis quædam est solida, et initium sanctitatis. Quisquis enim appetit vivendi rectitudinem obtinere, primo curet necesse est ab illicitis et inutilibus abstinere, ut cum basim posuerit continentiæ necessario præcedentis, fiducialiter superponat onus machinæ subsequentis. Ideo forte illi qui duro pedum languore laborabat, qui ad portam templi sedens ab introeuntibus eleemosynam postulabat, Petrus motus misericordia, non pecuniæ contulit adjumentum, quia potens gratia, non aurum Apostolo dederat, non argentum, sed potenti verbo sanitatem claudis pedibus restauravit, et ille basibus solidatis lætus et exsiliens ambulavit (*Act.* III). Et recte Petrus primo sanitatem pedibus impertivit, et ille consequenter solidatis basibus ambulans exsilivit, quia primo necesse est infirmitas ducatur ad defectum, et hac base posita surgat machina robustius ad profectum. Proinde cum dixisset in Evangelio : « Sint lumbi vestri præcincti (*Luc.* XII), » subjunxit : « Et lucernæ ardentes in manibus vestris (*ibid.*). » Cum enim quis horrore debito abjecerit opera tenebrarum, justo satis ordine sequitur accensio lucernarum, ut scilicet coram hominibus ejus luceat sanctitudo, et ut columna ignis emineat morum et justitiæ rectitudo. Lucerna in manibus, signat in operibus claritatem, cum super basim continentiæ qua ab iis quæ non expediunt abstinetis, eminentiam operum, morum rectitudinem adhibetis, et ad modum columnæ inflexibilis stabiles studetis et immobiles permanere, et quibusque inferioribus vita et moribus præeminere. Quia vero non sufficit magnis operibus quempiam refulgere, nisi per hæc intendat non hominibus, sed Domino complacere; addit : « Et vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum (*ibid.*). » Intentio vel exspectatio qua non mercedem transitoriam affectatis, sed cura pervigili vestrum desuper Dominum exspectatis, quoddam est prædictæ rectitudinis munimentum, et instar capitelli columnæ commendabilis ornamentum. Nuda equidem et inconveniens est columna si non **126** capitello superposito decoretur, et insufficiens rectitudo, quæ exspectatione Domini non tenetur; quæ velut summitate omnia quæ sunt mundi superat et transcendit, et ad modum scalæ Jacob cœlos desuper apprehendit. Unde Paulus : « Nostra conversatio in cœlis est, unde et salvatorem exspectamus (*Philipp.* III). » Illic se Apostolus asserit conversari, unde suum et omnium Salvatorem diligit præstolari, et quidquid rectum et stabile digno judicio prædicatur, hac præstolatione velut quodam tectorio consummatur. Super quo Sponsa Mater longe plenius instituta, et profectu ampliore eamdem rectitudinem assecuta : Sponsum diligit, eique casto commercio copulatur, experimento discens quia recte diligenti ejus copula non negatur. Quia enim juxta prophetam : Rectus Dominus Deus noster, et in eo iniquitas non habetur (*Deut.* XXXII), grato animum vultu æquitatem Virginis intuetur; et in ea pacatum satis regnum ejus obtinet fortitudo, tantæ cujus æquitati ejus convenit rectitudo. Ei quippe idem Propheta dicit : « Virga directionis virga regni tui (*Psal.* XLIV). » Ipsa etiam virgo in Scripturis ob hoc virga, ut arbitror, appellatur, cum sermone in eis mystico figuratur, ut virgæ nomine intelligatur, non solum florida Virginis pulchritudo, sed et ejus munda et fecunda nihilominus rectitudo. Nostis virgam Aaron aridam die altero frondusse (*Num.* XVII), et fomentis naturalibus non adjutam nuces novitate mirabili protulisse : in qua nulli dubium quin rectitudo virginis figuretur, quæ stupente natura, virum nesciens, ad pariendum filium promovetur. Isaias quoque virgam de radice Jesse intuens egressuram (*Isai.* XXI), novit esse Virginem de stirpe Isai nasciturum; eum vero qui de ipsa processu incomparabili flos ascendit, figurare quid melius, quam ejus filium, non perpendit. In hoc ipso dramate angelici Spiritus admirantur, cum eamdem virginem ascendere per desertum sicut fumi virgulam speculantur (*Cant.* III); eo scilicet quod deserens quæ infra sunt virgo, in superiora liberius se extendat, retroque proposito terram calcans, cœlum desideriis apprehendat. Sed quia nisi lima et labore ad hanc rectitudinem non venitur, nec nisi per multas tribulationes in regnum Dei, ut Scriptura perhibet (*Act.* XIV), introitur, vult virgo adolescentulas molestiis præsentibus non torreri, sed in pressura temporalium, consideratione spiritualium refoveri. Possent quidem moveri adolescentulæ, quod ea quæ videtur ad Sponsi osculum jam perducta, et suo ipsius testimonio in cellaria regis est introducta : adhuc tamen laborat in presuris, fasce misero fatigatur, et quæ velut pulchram se jactitat, ejus facies turpitudinis accusatur. Super quo eas Virgo sollicita videtur prævenire, et, ut digne singula pensent, diligentius erudire, quia et apparens turpitudo cursu est celeri transitura, et statu indeflexa pulchritudo permanet secutura.

CAPUT XVII.

Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pellis Salomonis. Nigredo, quæ virginis hujus decorem turpat et inficit, vitæ est præsentis adversitas, quæ invitam gravat et afficit, quæ gaudium Spiritus, pacis gratiam inchoatæ, perduci non permittit ad portum pulchritudinis consummatæ. Ferventi quidem Spiritu, et ad pacem continuam suspiranti, sponsæ sponsi intuitu ad perfectam pulchritudinem aspiranti occurrit timor, periculum, molestia noxiæ læsionis, tribulatio et angustia, dolor viscerum, gladius passionis, qui ejus faciei, quam nonnunquam spiritualis jucunditas, gratiæ lux perfundit, nubem tristitiæ, tenebrosam nigredinem superfundit. Nec ipsi enim Virgini pa-

tem dedit continuam, gaudium indeficiens, præsens vita, sed doluit et gemuit, molestiis pluribus lacessita, et in suo dierum numero sic lapillos protulit albescentes, ut tamen inter illos non deessent plurimi nigrescentes. Denique ethnici cum dies suos tristes et prosperos distincte numerent et appendant, ut qui quibus præponderent certa scientia comprehendant, sicut lapillis candidis dierum seriem prosperorum, sic tristes et adversos signant nigredine lapillorum. Nigra est igitur virgo, cum sentit molestiis temporalibus se affligi, cum eum quem genuit videt ab irrisoribus crucifigi; et quem novit spiritibus angelicis auctorem et Dominum interesse, in sinu Dei Patris æquali gloria Deum esse, in se et ex se carnem factum, potestati videt persequentium jam subesse, impugnatores multos, defensorem ejus neminem præsto esse. Nigra est Mater, cum suam carnem quam non vitio diligit, sed natura, in filio dure premi morte conspicit immatura, cum quidquid ille mali patitur jussu Patris, naturalis fundæ circuitu redundat miserabiliter in cor Matris. Nigra est sponsa, cum audit sponsum etiam postquam resurrexit a mortuis a contribulibus blasphemari, cum prædicatores ejus videt apostolos flagellari, cum quidquid de illo vel ipsa novit, vel eloquia sancta dicunt, **127** signum esse considerat, cui rebelles et increduli contradicunt. In quibus cunctis quis pensct quo mœrore, quo tristitia ejus animus contabescat, quibus rugis contrahatur, quo pallore facies emarcescat : cum eam quæ interius mentem gravat et afficit mœstitudo, plerumque vultus præferat, et ostendat carnis extera turpitudo? Quod asserens Salomon ait : « Spiritus tristis exsiccat ossa (*Prov.* XVII). » Tristitia igitur ossibus exsiccatis denigrat Virginem et deturpat, et gaudio longe facto, primum sibi locum præripit et usurpat, nec patitur præsens forma gaudeat pulchriore, quam corpus quod corrumpitur fuco tenebrat nigriore. Nec mirum si nigram et deformem sponsa tristior se fatetur, cum in hoc non infructuose sponso quem diligit similetur, qui pro eo quod gravatur molestiis, dum carne corruptibili detinetur, non decorem, non speciem habere Scripturæ testimonio perhibetur. « Non est, inquit, ei species neque decor (*Isa.* LIII), » et : « Vidimus eum, et non erat aspectus (*ibid.*). » Cui autem non est decor, non species, niger intelligitur et deformis, ut non virgo accusetur, si ei nigredine sit conformis, cum nigredo neutrius assignanda sit ignominiæ vel pudori, sed deformes eos reddat præsens vivendi status miseriæ deditus et labori. A quibus sufferendis liberum esse Christus se noluit, sed sicut cæteris, sic et sponsæ Matri exemplum se præbuit, ut nigra et deformis nec ipsa videri virgo abhorreat, sed in hoc quoque sponso patienter sese conformem exhibeat. Denique infra in hoc epithalamio de ipso sponsa dicit : « Comæ ejus nigræ quasi corvus (*Cant.* V). » Quia ergo ille velut corvus fuscatur et nigrescit, nigram quoque se fateri Virgo nullatenus erubescit, sed ne ipsam nigredinem quis existimet eo durius quo diutius onerosam, facta ejus mentione Virgo statim asserit se formosam. *Nigra sum*, ait, *sed formosa.* Etsi pœnas, inquit, patior humanæ merito pravitatis (66), quæ in præsenti camino vexatur et purgatur cauterio transitoriæ gravitatis, tamen sub hoc gravamine forma latet, nutritur pulchritudo, quam justitia exhilarat, firmat indeficiens longitudo. Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vivit propter justitiam (*Rom.* VIII). Et si vitam, ait, corporalem primi peccati merito pœnarum multimoda mors affligit, et quotidie morientem tanquam gravi patibulo me affligit : ille tamen homo interior ante Deum dives de die in diem renovatur, vivit propter justitiam, virtutum meritis adornatur. Et quo magis exteriorem præsens miseria decolorat, eo illum amplius futurorum dilectio provehit et decorat, cui et inpræsentiarum diligendi superna gratia dat virtutem, et virtute consummata spondet gloriam et salutem. « Domine, ait Propheta, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem (*Psal.* XXIX). » Qui præ filiis hominum forma est speciosus, suæ privilegio voluntatis, candor lucis æternæ, et speculum divinæ majestatis : sua quoque voluntate Matri et Sponsæ virtutem impertivit, cujus ipse, qui dederat Rex et Dominus decorem concupivit. Cui et infra loquens, ait : « Ostende mihi faciem tuam, facies tua decora (*Cant.* II). » Quæ sicut nigra dicitur et deformis, mala temporalia patiendo, sic formosa vel decora,

(66) Eadem Virgo *manu tergit sordicita internæ maculas speciei* (col. 227). *Et tersæ sunt illæ maculæ gratiæ beneficio diluentis* (col. 245). Sunt et alia his similia, quibus describitur beata Virgo tanquam peccatis actualibus levibus respersa. Sed in primis observet lector auctorem sequentia de beatissima Virgine dicere col. 246 : *Pede sicco, puro vestigio, mundo vita viam præteris hujusmodi nullo vitiorum attactu lacessita.* Et 291 : *Ejus lucem floridam circumfusæ tenebræ non obscurant, integram ejus pulchritudinem minaces tribulæ non triturant.* Et alias, *Solo Christo minor ipsa cæteris sanctis principatur*; et : *Tenetur involucro carnali non vitii sed naturæ.* Deinde auctor idem amavit mirum in modum B. Virginem (col. 280), cujus auxilio vicit tribulationes magnas (col. 27), ut proinde non sic locutus sit de illa, malo dolo, sed id fecit ob ea quæ viderat apud Chrys. hom. 45 ex c. XII Matthæi, et hom. 20 ex c. I et II Joannis, ubi pro sua opinione nonnullos defectus ascribit Virgini, usus tamen modo homiliastræ. Aut, quod verisimilius est, noster auctor respexit ad reliquias peccati originalis, inter quas est obnoxietas ad pœnalitates ac ærumnas humanæ vicissitudinis subeundas. Quæ certe incommodorum series et catena, est veluti quædam macula seu rete ex maculis et plagis contextum, involvens ipsam Virginem, quæ se ab eis penitus expedire non valuit priusquam beatitudo supervenireret. Nam etiamsi obumbratione Altissimi sublatus fomes peccati fuerit qui in ea eousque permanserat ligatus : S. Th. III p., q. 27, art. 3, postea tamen ejus animam pertransivit gladius Luc. II, v. 35. Vox quoque *macula* apud auctorem sæpius multo aliud significat quam turpitudinem aut sordes.

affectuose spiritualia diligendo, quorum decor inæstimabilis sic suum afficit amatorem, ut nigredinem patientis transire faciat in candorem. Ideo Propheta : « Domine, ait, dilexi decorem domus tuæ (*Psal.* XXV). » Et Dominus in Evangelio diligentibus : « Tristitia, inquit, vestra vertetur in gaudium (*Joan.* XVI). » Sicut ergo nigram reddit afflictio, sic eamdem formosam dilectio : et illa quidem præsentis est temporis finem citius habitura, hæc vero etsi cœpit in tempore, tamen nullo est tempore desitura. Unde et virgo non se recte formosam et nigram, sed nigram et formosam esse perhibuit, quia primum apud eam nigredo locum obtinuit, dum in eam concessa est habenis laxioribus tribulatio desævire, et suo tam accessu quam recessu venturam pulchritudinem prævenire. De qua Joannes ait : « Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quæ prima abierunt (*Apoc.* XXI). » Hæc igitur malorum congeries ad cor Virginis prima venit, sed in eo mansionem vel locum stabilem non invenit, imo sicut importuna venturam illius pulchritudinem antevenit, sic abire coacta est, cum illa posterior plenius supervenit. Pulchritudo Virginis est, cum fervente spiritu desiderans vultum Dei, manu tergit sollicita internæ maculas faciei, cum declarat oculum, mundat conscientiam, cor serenat, cum severo judicio incursus obstrepentium alienat; cum denique mente pura et agili rapitur in excessum, cum ad thronum majestatis pervenit, tardis et negligentibus inaccessum. De quo subjungit qui sedebat in throno : « Ecce nova facio omnia (*Apoc.* XXI). » Nova facit Dominus cum manu misericordiæ tergit nostram interioris hominis vetustatem, cum pulsat ignorantiam, sanat conscientiam, dirigit voluntatem; cum, errore terso mendacii, loqui dat cum proximo veritatem, cum ejusdem veritatis infundit lenius voluptatem, cum denique ad confirmandam interiorem gratiam speciei, a turbore nos hominum abscondit suæ in abscondito faciei. Quæ ergo exposita trituris et passionibus nigram se reputat et deformem, eadem in absconso divinæ faciei abscondita gaudet fieri se conformem; et quam tribulationis **128** caminus sua quadam reddit vel fuligine tenebrosam, contemplationis radius perfusione sua illustrem efficit et formosam.

CAPUT XVIII.

Sicut tabernacula Cedar, sicut pellis Salomonis. Quia se nigram et formosam dixerat, quomodo nigra et formosa sit ostendit. *Nigra*, inquit, *sicut tabernacula Cedar, formosa sicut pellis Salomonis.* Cedar interpretatur *tenebræ*. Tabernacula, non domus stabiles, sed casæ mobiles appellantur, quæ vel a pastoribus in pastura, vel in expeditione a militibus collocantur, et ad tempus positæ fundamento stabili non firmantur; sed cum fuerit opportunum sine dispendio alias transportantur. Virgo igitur sicut tabernacula Cedar nigram non incongrue se fatetur, innuens quia vitæ hujus conditio cujus adhuc vinculis detinetur, multo quidem molestiarum fuco vel nubilo tenebrescit, multis passionum aculeis et punctionibus amarescit, cujus tamen odiosa et tenebrosa amaritudo statu mansorio non fundatur, sed ad modum tabernaculi transit, et instar hospitis, non moratur. Quod affirmans Job : « Post tenebras, inquit, spero lucem (*Job* XVII). » Et Dominus in Evangelio : « Tristitia, inquit, vertetur in gaudium (*Joan.* XVI). » Quod enim Virgo dolet, quod gemit, quod patitur vitæ molestias temporalis, præterit et vertitur in lucem gaudii spiritalis : nec tam conqueritur de præsentia noctis transituræ, quantum gaudet de spe certa lucis diutius permansuræ. Cujus spei munere confortata pressuram momentaneam parum curat, dum mentem puram et securam superventuræ gloriæ configurat : et terso, tanquam gelu vel senio, quo ad horam contrahitur et ægrescit, læto refloret spiritu, instar aquilæ juvenescit. De quo pulchre Salomon : « Animus, inquit, gaudens ætatem floridam facit (*Prov.* XVII). » Cujus enim interioris ætas hominis non florescat, cujus non vetustas fracta petræ beneficio juvenescat : in cujus conscientiam fides pura, spes secura, dilectio mansura conveniunt, eæ omnes in omnibus soli Deo constanter obediunt? Proinde Virgo formosa recte sicut pellis dicitur Salomonis, quæ abjecto carnis sensu quasi nescit molestias transitoriæ passionis : cujus conscientiam jugis obedientia, obedientiam hilaris conscientia reddit commendabilem et serenam, ornat vultum, declarat faciem a sorde pulveris alienam. Pellis equidem a mortuo detrahitur animali, separatur a carne, rasorio potius ferreo quam carnali : separata vero, læsiones vel passiones corporis ultra nescit, percussa non dolet, illata molestia non ægrescit. Denique flexibilis, tractabilis, et in usus varios habilis exhibetur, si tamen in ea labor et industria prudentis artificis operetur : et si curam artifex sollicitus diligat impertire, illa promptior invenitur modis innumerabilibus obedire. Sic et Virgo ab his quæ sunt carnis illo forti rasorio separatur, quod acutius omni gladio ancipiti (*Hebr.* IV) usque ad divisionem pertingere spiritus et animæ prædicatur, cujus tracta et detracta ferramento, affectiones et afflictiones corporis quasi nesciens, diligit oblivisci, et in his quæ supra sunt extenta, eorum præcipue reminisci. Quam summus ille opifex, Salomonis nomine designatus, longe tamen amplioris benevolentiæ, sapientiæ, potentatus, ab affectu detractam corporeo, spirituali suo beneplacito sic aptavit, sic perunctam oleo gratiæ ad omnia quæ digna fuerant informavit, ut nulla rebellio, nulla prorsus in ea contrarietas haberetur, sed instar pellis ad obediendum agilis per omnia redderetur. « Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*Luc.* I). » Videtis quia, audito nuntio, secundum verbum ejus, ancilla Domino se addicit, et in nullo plasma plasmatori, testa figulo contradicit, sed Salomonis thronus imperio subjicitur præsidentis, imo cœlum cœli sedes juxta libitum tenditur insidem-

tis. Ad hoc enim Deus extendit cœlum sicut pellem, ut constet illud propheticum : « Cœlum sedes mea (*Isa.* LXVI) ; » et illud : « Dominus in cœlo sedes ejus (*Psal.* X). » Quis autem dignius, quis potest cœlum convenientius appellari, quam Virgo quæ meruit tot virtutum sideribus adornari, quorum fulgor varius molestas mitigat tenebras hujus vitæ, dum ad scientiam revocat errores multitudinis imperitæ? Ipsa lunam protulit quæ nocte caligantibus eluceret, cum Ecclesiam exaltavit, ut se cunctis lucidam exhiberet : cum forma et doctrina sanctos apostolos erudivit, quorum conversatio lumen necessarium terrarum habitationibus impertivit. Ipsa denique Virgo, sive cœlum illud majus protulit luminare, quod mundo languescenti remedium plenius contulit salutare : quod quia solus Deus est, nec ei potest alius coæquari, digne Sol appellatus est quodam privilegio singulari. Sola itaque et non alia tantam genuit Virgo prolem, cœlum istud mirabile miro modo protulit solum Solem, qui sic vigilantibus diem format, cum sua præsentia nostrum illustrat aerem et perfundit, sic noctem incutit somnolentis, cum interposita mole terrenorum peccaminum se abscondit. Solus autem iste Sol inter omnia, et super **129** omnia luminosus, lumine vultus sui et forma præ filiis hominum speciosus, si terras tanto pondere suo graves sua gratia diligit fecundare, quanto cœlum potius donis facit amplioribus abundare? Quod nimirum sicut pellem legitur extendisse, in quo illius agilem videtur obedientiam ostendisse, quia Virgo quæ cœlo comparabilis, imo supra cœlum commendabilis existimatur, in nullo vel ad modicum imperantis beneplacito reluctatur. Ego quidem, ut video, in manu Domini non sum pellis, qui vocanti et jubenti durus invenior et rebellis, qui ad ejus voces et monita non do aures patulas, sed obturo, et si forte audire contigerit, ne auditis obediam, cor obduro. Si vero aliquoties visitatus corde pœnitens emollito, mandatis obediens in eisdem perseverantiam repromitto, cum jam me de corrigendis vel meis vel meorum moribus intromitto, ecce ventus irruit, tonat, tentat, destruit, et quæ cœperam intermitto. Tentator enim pessimus multa sibi jacula coacervat, quibus inflictis animum vel terret asperius, vel demulcet lenius et enervat : evictumque spiritum in jus proprium caro ducit, et ut totus caro fiam, amor carnalium me seducit. Quis igitur me miserum de mortis hujus corpore liberabit? (*Rom.* VII 24.) Quis me ab ista carne forti spiritus gladio separabit, ut carnem perimens et resignans bestiis et volatilibus Babylonis, sola pellis inveniar, et extendar ad imperium Salomonis? Quod si mihi vel cuilibet simili nondum id muneris est concessum, cui sponsi thalamus et sanctuarium Dei adhuc videtur inaccessum : nostram tamen virginem verus Salomon ea gratia non fraudavit, sed eam instar pellis ad omne suum libitum informavit. Detractam quippe a carnis concupiscentia et affectu noxio pravitatis, manu misericordiæ in sublime extulit puritatis : et abrasis cupiditatibus quasi colores varios, stellatamque pulchritudinem superduxit, imo virtutum merita et cœlestem gratiam introduxit. Quod nimirum virgo filias Hierusalem voluit non latere, inventam gratiam familiaribus nesciens invidere, ut quas turbare potest nigredo virginis si negligentius attendatur, eis ipsius nigredinis et causa dignior, et mora brevior ostendatur.

CAPUT XIX.

Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem. Filias nominat, quas paulo superius adolescentulas nominavit, in quo earum et affectum tenerum, et fervens desiderium designavit; et quia filiæ ad audiendum serenius, ad videndum studiosius animatæ, attendunt subtilius, amant tenerius laudes pulchritudinis commendatæ : Vos, ait, quas ad intelligendum stolida non tenet bebetudo, attendite et videte quam sit mea commendabilis pulchritudo; quas profecto non obscurat confusa cæcitas Babylonis, sed oculos vestros illuminat et revelat internæ gratia visionis. Unde et signanter filias Hierusalem vos appello, quo nomine ad videndum diligentius vos compello, ut cum tali nomine auditis et attenditis vos vocari, sciatis quia debet nomen non esse vacuum, sed ex re potius derivari. Estis igitur veraciter filiæ Hierusalem si videtis, si quod obscure dicitur, intelligibiliter obtinetis, si quod foris dure sonat velut testam vel paleam æstimatis; et quod intus suave et vitale est, ut nucleum, granum, similam affectatis. Denique meipsam, quæ ad intelligentiam vos invito, et ignorantia caligare, et errare caligine non permitto : sciatis videndi merito recte Hierusalem appellari, cui constat divina hæc mysteria et sacramenta cœlestia revelari. Quæ cum pariendi more de tenebris ignorantiæ vos educo, cum studio et labore ad lucem veritatis et scientiæ vos perduco, cum perfectioribus vivendi regulis affectuosa sollicitudine vos informo, quid nisi matris vice meis visceribus vel magis moribus vos conformo? Et quidem uni ex vobis Sponsus dicit : « Ecce mater tua (*Joan.* XIX). » Cujus estis filiæ benefacientes, non considerantes videlicet nigredinem meam attentione quasi perspicua, cujus causa utilis, et finis prope jam est in janua, ne forte curiositate nimia præsens scandalum incurratis, si tantum id quod nigra sum, justo amplius attendatis. Proinde ait : *Nolite*, etc.

CAPUT XX.

Nolite me considerare quod nigra sum, quia decoloravit me sol. Videte, ait, ne carnales oculos meis gravaminibus infigatis, ne vobis offendiculum gignat quassatæ adversitas voluntatis, ne ad meas molestias vestra consideratio pueriliter obstupescat, tanquam non sit conveniens ut mea conversatio tribulationibus amarescat. Habete, quæso, prout decet filias Hierusalem, intellectum, et pensate hujus rei causam potius quam effectum; quod videtur ab omnibus, volo a vobis quasi penitus non videri, et quod latet insipientes, volo vos sapientius **130** intueri. Quod nigra sum, quod mœsta sum,

quod me circumvolat nebula momentaneæ læsionis, quod usque ad animam intrant aquæ, pertransit gladius passionis : ille fecit verus Sol, ille ad hoc suo consilio me adduxit, ille faciei meæ hujusmodi fucum vel nigredinem superduxit. Ille Sol, quo absente nox incumbit tetrior et deformis, universa rerum varietas invenitur decolor et informis : præsente vero, splendet cœlum, terra gaudet, ejus superficies redditur multiformis, ipsa rerum facies formoso quodammodo fit conformis; ille, inquam, Sol qui respectu vultus sui cuncta reficit et decorat, sua quadam absentia me ad modicum decolorat. Ab his enim qui me gravant districto judicio se absentat, mihi vero sufferenti nondum ad osculum se præsentat, forte ut et in pejus illi proficiant mala nequiter inferendo, et econtra ego et melius, patienter molestias sufferendo. Denique virgo prudens ad litteram conservandæ vel augendæ avida speciei, nonnunquam superponit vittam multipliciter faciei, ut sub velamine pulchritudo proficiat concupita, et gratiæ majoris appareat, cum medicinali opertorio fuerit enutrita. Et nimirum amator illius (si tamen ejus probitas non sit talium inexperta) non contemnit virginem cujus est facies cooperta, sciens quia unde ad horam ejus decor superducto velamine tenebrescit, inde sublato eo postmodum complacitius elucescit. Sic et ego nigra sum, cujusdam fuco velaminis obvoluta, et dum in carne vivo, nondum a molestiis penitus absoluta, quia meus ille Sol qui in hujus adhuc noctis gurgustio vult me esse, ab ejusdem injuriis prorsus liberam non vult esse. Locus enim et tempus in quorum adhuc medio me videtis, lege quadam insita non sunt pacis plenariæ vel quietis, quam in eis nec ipse Sponsus meus potestatis privilegio elegit obtinere, sed, ut vobis notum est, pavere potius voluit et tædere (*Marc.* XIV). Et qui multis pressus incommodis, mortem ad ultimum voluit sustinere, me quoque hic positam eisdem vult passionibus non carere, quas in ejus memoria et amore suffero patienter, certa quidem eum, non solum velle, sed et facere consequenter. Qui enim adhuc faciem meam colore plenario non honorat, dilatione sua, eam, ut videre videor, decolorat; et qui me vult denigrari gravamine citius transituro, quod disponit fieri, hoc idem ipsum facere non abjuro. Cum igitur in hoc gymnasio mea patientia plenius agonizet, quæso ne vos, filiæ, horum consideratio scandalizet, nec attendatis quid patiar, ne vestra infirmitas sic offendat, sed quis me velit pati, cujus rei cognitio vos commendat. Nec est dignum scandali quidquid patior propter ipsum, sed major passio est carere passionibus præter ipsum, quia qui male felix a flagello conceditur hic excludi, dolet miser in posterum electorum numero non includi. Sponsus autem meus, qui et ipse in præsenti sustinuit niger esse, tam mihi quam suis omnibus, eamdem nigredinem vult inesse; qui, cum tempus congruum venerit, auferet hunc colorem, mœrorem in gaudium, fucum transferet in candorem. Unde quod dictum est : *Decoloravit me sol*, pro eo potest accipi, quod est (decolorabit) præteritum scilicet pro futuro, quia qui fecit quæ futura sunt, id in Virgine facturus quidem erat, quod eum jam fecisse virgo certior asseverat : quod enim de sua Virgo futurum gloria jam prænoscit, eo docta quo plena spiritu non prænuntiat, non deposcit, sed complendi secura, gaudet et astruit jam completum, quod fides et spes obtinent, sola res submurmurat inexpletum. Nolite, ait, dignam consideratione meam nigredinem arbitrari, tanquam vel præsens noceat, vel diutius valeat demorari, quia « transivi, et ecce non erat (*Psal.* XXXVI), » nec est ejus vestigium invenire, et vobis jam non erit, si velitis, modo simili pertransire. Sol enim ille verus qui lumen suum contulit huic mundo, qui ad hoc nobis ortus est, ut suos eruat de profundo : fucum meum, sive nigredinem, manu grata citius abolebit, rugam et maculam, dolorem et omnem lacrymam penitus removebit. Imo, ut melius et longe certius loqui videar, jam removit, ægrotantem animum optato remedio jam refovit, quia sua jam gratia ad tantam certitudinem me promovit, ut teneam quasi factum quod fiendum in proximo mea intelligentia prægnovit. Sicut autem eo vobis proposito, qui me suo beneficio consolatur, objectu meæ nigredinis vestra digne consideratio non gravatur; sic expedit eos nosse qui sua malitia me perurgent, quod scilicet et iter eorum peribit, et ipsi justorum in consilio non resurgent (*Psal.* I). Et quis recte sapiens penset vel consideret gravi cura quidquid illi inferunt, potestas quorum cito est transitura? et non magis tam ipsos quam illatas ab ipsis molestias parvipendat, cum in eis nihil firmum, nihil stabile deprehendat?

131 CAPUT XXI.

Filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis : vineam meam non custodivi. Qui parcere debuerant, et ab aliorum injuriis Virginem defensare, occursare manantibus, impugnantibus repugnare, pro illa dare animam, morte sua sororem conservare, vice versa impetunt, gaudent persecutionibus infestare. Et affectu conquassato, lege læsa, penitus fracto jure, quod teneri instituit et inter belluas jus naturæ; mater filiam, sororem filii persequi non verentur, molestant, lacerant, torquent, eviscerant, in nullo miserentur. Judæam vel Synagogam matrem Virginis arbitror exstitisse, quæ secundum legem carnis, eam creditur genuisse, quam materna sollicitudine usque ad annos provectæ juventutis sinu fovit tenero, legalibus imbuit institutis. Filii vero matris tam carne quam moribus sunt Judæi, cæci cæcorum duces, plus malitia quam scientia Pharisæi, qui obliti fraterni fœderis sororem gravius afflixerunt, cum filium ejus cruci linguis potius vipereis, quam clavis ferreis affixerunt. De quibus Amos propheta : « Non sunt, ait, recordati fœderis fratrum (*Amos* I). » Fœderis quippe hujus quo sorori fratres debent affectuosius colligari, venenosa ægrotantes

perfidia nomerunt sanius recordari; sed tanquam alieni a genere, longe positi a natura, non sorori exhibent, non denique homini sua jura. Et quis sani capitis sane sentiat de Judæa, quæ mater est, nec diligit sicut fabulæ perhibent de Medea; cui matri filiorum nulla fuit dilectio, nulla cura, sed accensa odio illos de medio morte sustulit immatura? Ut Medea, sic Judæa falsum illud reddere nititur argumentum, quod natura contexuit in amoris debiti munimentum, quod ventilat et affirmat non solum moderna loquacitas disputantium clericorum, sed etiam ab antiquo experta sagacitas ethnicorum. Si mater est, inquiunt, et diligit. Quia vero Medea mater exstitit nec dilexit, naturam, ut aiunt, matris exuit potius quam neglexit, et cum etiam bellua erga fetus suos teneatur affectu naturali, mater non esse convincitur, quæ nec sensu mollitur bestiali. Cæterum Salomon cui Deus sapientiam contulit suarum sedium assistricem, hoc argumento matrem esse illam comprobat meretricem, quæ infantem proprium mentienti mulierculæ maluit vivum dari, quam juxta verbum regis allato gladio dissecari. « Dixit, inquit, illa cujus filius vivus erat, ad regem (commota quippe sunt viscera ejus super filio suo) : Obsecro, domine, date illi infantem vivum, et nolite interficere eum. Econtrario illa dicebat : Nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur. Respondens rex, ait : Date huic infantem vivum, et non occidatur; hæc est enim mater ejus (*III Reg.* III). » Et alibi scriptum est : « Nemo carnem suam odio habuit (*Ephes.* III). » Verum Judæa nec Scripturæ testimoniis, nec naturæ imperiis diligit obedire, sed adversus filiam duritia incredibili desævire; et excedens jura legum, furorem mentis pessimum dilatat et exercet, cujus æque filios respectus consideratior a malitia non coercet. Illi sunt enim qui matri similes nec Deum timent, nec hominem reverentur, qui obstinata malitia Deum esse hominem diffitentur, nec putant ejus majestati et profundo consilio convenire, ut ad sufferendum nostras miserias velit et valeat devenire. Ipsi nimirum matrem Christi de Joseph asserunt concepisse, et nec virginem in conceptu, nec post partum virginem permansisse; et quidquid vel de illius integritate, vel de filii majestate venerabiliter prædicatur, tanquam fictum et frivolum eorum testimoniis abdicatur. Si virgo, aiunt, genuit, primum concubuit. Unde et ejus filium non de bono ut aiunt, opere, sed de blasphemia persequuntur (*Joan.* X), ejusque memoriam de super terram radere moliuntur : eo scilicet quod inter ipsos qui puri sunt homines ipse sibi aliquid plus assumat, et cum sit homo, et ipse Deum facere se præsumat. Ad ultimum instante malitia morti adjudicant innocentem, accusant tanquam legi et regi non digna reverentia deferentem : arcent vinculis, sputis illinunt, ingerunt alapas, tradunt judici, judex militi; clamor personat insuavis; et eum crucifigunt, isti linguis perstrepentibus, illi clavis. Et quid nisi hæc omnia contra Virginem debacchantur, furiose tubicinant, patientiæ mœnibus colluctantur; turrim constantiæ gravi ariete impetunt et oppugnant, immotam quatiunt, sed objectu gratiæ non expugnant. Et attendendum quod cum adversus Virginem tam gentiles sæviant quam Judæi, cum Pilatus agat et milites, quod verbis expetunt Pharisæi : hic tamen ubi pugna spiritu prophetali, nuptiali cantico recensetur, suos tantum Virgo commemorat, exterorum mentio non habetur. *Filii*, ait, *matris meæ*. Utquid hoc, nisi quia, sicut nostis, recto judicio plus molestat, qui cum deferre debuit, dehonestat, qui (cum in sinu ejus speranda fuerit requies ut amici), quem fovere debuerat, tradit manibus inimici? Nam cum inimicus maledicit, patientius **132** maledictio sustinetur, cum in hostem sævit hostis, vel argui, vel dure argui non meretur; cum ignotus ignoto larga benevolentia non succurrit, sicut laudem non obtinet, sic et multum vituperium non incurrit. Verum homo pacis, homo unanimis, homo notus (*Psal.* LIV) dicit injustius ut delinquat, cum amicus vel proximus adversum me durius appropinquat, cum pro eo ut me diligeret, venenose detrahit et infestat, cum pro bonis mala, pro dilectione odium manifestat : unde mihi ut sufferam, ut agere valeam patienter, et non magis conquerar insanire perfidum fraudulenter? Tacens ergo de gentibus, de Judæis Virgo conqueritur, eorumque malitia in medium ad præsens deducitur, qui, filii matris suæ, tam graviter Virginem offenderunt, cui pro defensione pugnam, impedimentum pro adjutorio rependerunt. Sed ut sciamus quia mala quæ illi studiosius perfecerunt, nobis longe positis disponente Dei sapientia profecerunt; illorumque maliguitas et illatum Virgini detrimentum, nostra fuit utilitas et gratiæ desiderabilis incrementum, addit Virgo :

CAPUT XXII.

Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi. Vinea potest recte quævis anima nuncupari, quarum alteri altera quadam videtur similitudine comparari, quia sicut in multis, videlicet pampino, botro, palmite, constare vinea seu vitis invenitur, sic et multis anima viribus aut virtutibus insignitur. Non glorientur, inquit Virgo, filii matris meæ, quod suam in me nequitiam expleverunt, quod in me sævientes animam meam gravi amaritudine repleverunt, quod non eam adversus eorum violentias mea vigilantia custodivit, sed eam eorum gladius pertransivit. Unde enim meam ipsius animam violentius abstulerunt, inde, nescientes quid facerent, ad multarum me custodiam transtulerunt; et cum vineæ meæ damnum gravius intulerunt, vobis, filiæ Hierusalem, beneficium utile contulerunt. Vineæ quidem meæ destitutio vel defectus, vester procul dubio spiritualium est profectus; et in eo quod ad tempus mihi, ut æstimant, nocuerunt, vobis, ad quas transeo, custodem necessariam posuerunt. Possunt et non incongrue signari nomine vinearum, non solum animæ sigillatim, sed gregatim conven-

tus animarum, quia sicut multi palmites nomen vitis obtinent et proventum, sic multæ simul animæ gregem faciunt vel conventum, cui loquens Dominus : « Nolite, ait, timere, pusillus grex (*Luc.* XII). » Et Propheta : « Vineam de Ægypto transtulisti (*Psal.* LXXIX). » Et alibi : « Vinea Domini Sabaoth, domus Israel est (*Isa.* V). » Filii ergo matris qui prædictas Virgini molestias intulerunt, de sua pulsam vinea ad plures alias transtulerunt, quia quæ a fratribus et contribulibus nequiter est despecta, a multis Ecclesiæ vineis vel conventibus est suscepta. Vineam vero suam Virgo sua custodia non munivit, quia ejus non monitis, non exemplis nequam ille populus obedivit, sed gaudens voluntati se propriæ occulto sibi judicio derelictum, cervice obdurata illud Isaiæ incurrit maledictum : « Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis! » (*Isa.* I.) Quos forte et ideo tam propheta quam Virgo, filios, et non filias, nominavit, quia nomine masculino perversam illorum fortitudinem designavit, qui potentes et fortes in animam Virginis vino ebrii damnatorum, quorum gaudent meritis, pœnas sufferent et eorum : « Væ qui potentes estis, inquit, ad bibendum vinum, et fortes ad miscendam ebrietatem (*Isa.* V). » Et illud : « Fortes quæsierunt animam meam (*Psal.* LIII). » Isti fortes et potentes cum a sua ipsorum custodia Virginem repulerunt, ad nostrarum vinearum transire custodiam compulerunt; et quod illis propinquioribus digne pro meritis est ablatum, nobis remotioribus divini gratia muneris est collatum. Quanti hodie per universum orbem conventus gaudent hujus Virginis patrocinio se muniri, et eorum ecclesias grata ejus sollicitudine custodiri; qui, etsi perditorum malitiam filiorum, prout dignum est, exsecrantur, sibi tamen eam fuisse utilem et necessariam gratulantur? Ut autem de aliis taceam, fratres, nunquid non iste conventus vester in honore hujus Virginis congregatur, et in ejus nomine locus iste et ecclesia dedicatur; gaudetisque illius custodia et patrocinio speciali custodem amplectentes affectu quodam et teneritudine spiritali? Quis vestrum, cum ejus recolit memoriam, vel cum ejus etiam nomen audit, devotione non adgaudet, devoto obsequio non applaudit, sperans ejus filium placabilem et propitium invenire, si matrem potuerit digna reverentia prævenire? Felix culpa, pugna utilis, perversitas fructuosa, qua in nostram Virginem sævit fraternitas odiosa, qua, relictis sævientibus, ad nos transit benedictio gratiosa, qua Virgo fratres abdicat, domesticos reprobat, suos odit; nostras ponit vites in ordine, sepit maceria, putat, fodit; et (ut concludam brevi) omni diligentia nos custodit. Verumtamen, quia in his quoque vineis possunt nonnunquam **133** inveniri qui præsumunt suis malis moribus easdem vineas demoliri; conversa virgo ad Sponsum vult a beo qui sint ejus plenius edoceri, ut ab illis caveat, quos noverit in suorum numero non haberi. Ait itaque : *Indica mihi*, etc.

CAPUT XXIII.

Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Tu, ait, quem diligo non verbo, non lingua, non solo strepitu labiorum, sed corde et animo, et totis viribus internorum; ostende ubi pascas, ubi grata tibi refectio præparetur, ubi cibum invenias quo tua esuries saturetur. « Esurivi enim (*Matth.* XXV), » inquit. Scio quia pastor prudens non in omnibus locis, non in cunctis pascuis demoratur, sed prudenter investigat quæ, in quibus utilitas habeatur : abhorrensque et transiens ea quæ vitalem succum noverit non habere, in his pascit et reficit quæ a vita non senserit abhorrere. Et pulchre non de cibo, sed de loco tam sollicite percunctatur, quia forte satis novit quo ille pabulo delectatur : certum habens illius cibum esse munditiam, justitiam, veritatem, et cætera hujusmodi quæ veram operantur efficaciter sanctitatem. Verum ubi hæc sanctitas veraciter et firmiter habeatur quis novit, nisi qui ab ipso qui docet hominem scientiam doceatur, cum nesciat homo quid sit in homine, nec digne de altero judicetur (*I Cor.* II); cujus, etsi appareat facies, tamen conscientia non videtur? Vult igitur Virgo exteriori hominum facie non seduci, sed in ipsum veritatis velut cubiculum introduci; et ad locum in quo Sponsus gaudet pascuam et requiem invenire, ipsa non pede materiali, sed spiritali oculo pervenire. Denique et Joseph ad revisendos fratres suos in pascuis patris sollicitudine destinatur, veniensque in Sichem invento viro, ubi pascant illi diligentissime sciscitatur, non intelligens puer majoribus oneri se futurum, et de inventione optata non ut speraverat gavisurum. « Fratres meos, ait, quæro, indica mihi ubi pascant. Dixitque ei vir : Recesserunt de loco isto; audivi autem eos dicentes : Eamus in Dothaim. Perrexit ergo Joseph post fratres suos, et invenit eos in Dothaim (*Gen.* XXXVII). » Recte fratres invidos Joseph in Dothaim legitur invenisse, ad quem locum non fortuitu perhibentur, sed ex proposito devenisse, scientes forte non tam illic se vitalem pascuam inventuros, quam voluntatem nequam et decretum sceleris expleturos. Dothaim interpretatur *pabulum viride eorum*, vel *sufficiens defectio*. Pabulum viride eorum, id est invidorum, ipsa invidia est quam gustant, quam ruminant, quæ in eorum mentibus invalescit, quæ sapore pestifero interius eorum faucibus indulcescit : quæ pede censorio non calcatur, cita pœnitentia non marcescit, sed rancore indefesso usque ad summam sceleris viridescit. Nihil quippe gratius perfidis quam melioribus invidere, derogare absentibus, præsentibus nonnunquam adgaudere; vultu simulatorio (cum nocendi facultas non suppetit) arridere, cum nocendi tempus effulserit, toxicatum jaculum intorquere. Sicut ergo apud Osee Ephraim pascit ventum, cum, quod sperat, inaniter venire desiderat ad eventum (*Osee* XII); sic invidus quisque in Dothaim venisse non

incongrue memoratur, cum livoris toxico tanquam viridi pabulo delectatur. Sed quia Dothaim interpretatur etiam *sufficiens defectio*, unde nequam ille tendit malitiæ vehementius ad effectum, inde reus sceleris ampliorem conscientiæ corruit in defectum; et id solum quod inferre amat alteri detrimentum, invidia laboranti plane sufficit ad tormentum. Quod quidam ethnicus pulchre insinuans (66 *) :

Invidia, inquit, *Siculi non invenere tyranni*
Tormentum majus.

Quem vero constat livorem venenosum in animo sustinere, quo nullum Siculi tormentum gravius invenere; is profecto convincitur a quieto mentis statu deficere, et defectus hujusmodi ad suam deficientis mortem sufficere. Qui enim invidet, sibi magis quam proximo nocere comperitur, et quod tentat inferre alteri, sufferre primitus invenitur : et ipsius invidia quæ plerumque ab altero non sentitur, ipsum, a quo procedit, ut vestimentum tinea, demolitur. Fratres igitur Joseph qui, ut legistis, in Dothaim sunt inventi, id est, defectu quodam intestino et invidia jam præventi, videntes Joseph et mutuo præloquentes occurrunt venienti, non salutem, non osculum, sed offerentes odium nescienti. « Ecce, inquiunt, somniator venit, venite, occidamus eum (*Gen.* xxxvii). » Locus nequam, locus exsecrabilis et nefandus, locus omnium judicio (qui tamen sane sapiunt) detestandus; locus, non refectio, sed digne defectio nominandus, ubi perit charitas, fraternitas deficit, livor prævalet exsecrandus. Quia ergo in Dothaim et aliis hujusmodi locis multi pascere cognoscuntur, quos quicunque secuti fuerint pœna qualibet feriuntur; Virgo sollicita non de multorum latitudine generali, quærit quo **134** Sponsus pascat loco et solitudine speciali. Novit enim locum ejus non a pluribus possideri, novit in ejus pascua plures dominos non haberi; novit item non omnem pascuam Sponsi esse, et ideo quæ sit ejus diligentius cupit nosse.

CAPUT XXIV.

Indica mihi ubi pascas, ubi cubes. Scio, ait, quia non pascis in secreto calami, in locis humentibus tua munditia non quiescit, in quibus ille Behemoth grata sibi requie delitescit (*Job* xl); in quibus fovet et promovet suas nefarias pravitates, et pastu pestifero pravas in effectum provehit voluntates. In his quidem non complacet animæ tuæ, non est tibi voluntas in eis, sicut Isaiæ vaticinio veraciter asseris de Judæis : qui voluntati tuæ, tuo beneplacito non subjecti, a tuo refectorio, a tua longius facie sunt projecti. Quomodo enim pascis, ubi necdum eligis habitare, ubi cogente angustia non diligis largius ambulare, ubi appetitus pascendi objecta quadam amaritudine referitur, dum semen nequam, dum domus exasperans invenitur? Certa sum quia mons Gelboe tuæ gratus pascuæ non habetur, in quo Saul adversarius David (*I Reg.* xxxi), inire prælium non veretur, in quo fortes corruunt, Saul et Jonathan suis legibus mors addicit, super quem non ros, non pluvia veniunt, sicut David conquerens maledicit. Scio item quia campus Sennaar tuæ pascuæ non offertur (*Gen.* xi), in quo regnante superbia tibi reverentia non defertur, in quo diversitate linguarum feritur præsumptio multitudinis imperitæ, divisisque ab invicem turris, non consummatur magnitudinis infinitæ. Campum quoque Mageddo non tibi ad pascendum existimo complacere (*II Paral.* iii), in quo Josiam justum ad mortem sagittarii percussere : de quo justitia quæ jam spe victoriæ lætabatur, versa vice prælii prorsus mortua reportatur. Sed nunquid vallem Tophet tuæ pascuæ congruam elegisti (*IV Reg.* xxiii), quam situ amœnissimam, turpem sacrilegio cognovisti; in qua filii Israel Deo non tibi, sed Moloch superstitione misera deferebant, eique cæco ritu per ignem filios et filias transferebant? Non tibi vallis hujus, quæ nec Josiæ placet, amœnitas, cujus ritum pestiferum ejusdem regis tulit sagacitas, dum quos ad sacrilegium invitabat ipsa loci facies et amœnissima pulchritudo, ossa sparsa mortuorum et ingesta cadaverum repulit turpitudo. Quia ergo in hujusmodi montibus, campis, vallibus tu non pascis, rogo ut doceas, et diligentius indices ubi pascis; si forte alios montes, campos, valles habere prædiceris, in quorum gremio pascens vel accubans delecteris.

Novit quidem Virgo in Scripturis montes alios commendari, in quibus non perire quisquam legitur, sed salvari, quos ipse Sponsus diligens et affectu visitans amicali, sibi dignos efficit, et idoneos pascuæ speciali. Joel propheta : « In monte, inquit, Sion erit salvatio (*Joel.* ii). » Et David : « Elegit montem Sion quem dilexit (*Psal.* lxxvii); » et item : « Mons Sion civitas Regis magni (*Psal.* xlvii); » et illud : « Diligit Dominus portas Sion (*Psal.* lxxxvi). » Quid autem mirum si mons iste, quem affectu benevolo Dominus amplexatur, eidem amplexanti gratum offerre pabulum asseratur, ut in eo quem diligit, dilector pascere non negetur, cui prorsus refectio, nisi ubi ejus est dilectio, non habetur? Ideo forte Joannes : « Vidi, ait, supra montem Sion Agnum stantem (*Apoc.* xiv). » Stantem vero ad quid, nisi ad pascendum? Stat enim agnus, dum pascit; dum vero quiescit, cubat. Virgo autem non de altero tantum, sed de utroque sollicita, quærit ubi Sponsus pascat, et ubi cubet; tanquam locus alius sit pascendi, alius nihilominus quiescendi. Sponsus quippe Agnus est. De quo enim alibi Joannes dicit : « Qui habet sponsam sponsus est (*Joan.* iii), » de eodem dixit : « Ecce Agnus Dei (*Joan.* i). » Sponsus itaque vel Agnus in monte pascit, non illo quem caliginosum nominat Isaias (Cap. xiii), vel quem magnum et in planum deduci coram Zorobabel asserit Zacharias (Cap. iv)', sed in monte Sion, qui visionis merito commendatur, qui ex re nomen ha-

(66 *) Horat. ad Lollium.

bens, objectis prope positis, remota longius speculatur. De quo monte Isaias prophetans : « Emitte, inquit, Agnum, Domine, de petra deserti ad montem filiæ Sion (*Isa.* XVI). » Denique per Ezechielem Dominus promittit : « Ecce ego, inquiens, pascam oves meas (*Ezech.* XXXIV), » et ubi pascat determinans : « In montibus, ait, Israel pascam eas (*ibid.*). » Israel *videns Deum* interpretatur. Bonos igitur et uberes dixerim montes illos, quibus Deum conceditur intueri, quorum pascuam invenitur bonus Pastor suis ovibus polliceri, quia sancti qui virtutibus præeminent, meritis attolluntur, qui in cœlis conversantes contemplandi lumine perfunduntur : ipsi profecto Dei beneplacitum, Dei desiderium, Dei reficiunt voluntatem, ipsi mandato ejus multiplici obedientiæ spiritalis offerunt ubertatem. « Sanctis, ait, qui in terra sunt ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis (*Psal.* XV). » Mirificavit, inquit, id est pavit, fovit, perduxit mirabiliter ad effectum, ut omnia quæcunque volui facerem in eis, essentque magna et mirabilia opera eorum exquisita in omnes voluntates meas (*Psal.* CX). Denique **135** in Evangelio discipuli : « Quo vis, inquiunt, eamus et paremus tibi ut manduces pascha ? » (*Marc.* XIV.) Et ille : « Dominus, inquit, domus demonstrabit vobis cœnaculum grande stratum, illic parate (*ibid.*). » Quod cœnaculum dicit, altum est et eminens; quod grande, latum et sufficiens; quod stratum, pulchrum et alliciens. Cœnaculum in quo Sponsi refectio est, dignitatis altitudine commendatur, quia Cœlum cœli Domino, terra filiis hominum assignatur (*Psal.* CXIII); et ut magis sufficiat, grandi spatio dilatatur, quia ille sella breviore et avaro tripode non lætatur ; et ut semper illum alliciat, tapetibus operosis, et floribus odoriferis sternitur et aptatur, quia immunda, inhonesta, turpia ille pulcher præ filiis hominum aspernatur. Pascit quoque Sponsus et in campo, illo nimirum campo, qui evulsis ruderum molibus complanatur, qui exstirpans spinas et tribulos, amœna superficie venustatur; terso gelu sterili verna temperie fecundatur, virentibus herbis ridet, florum multimodo colore variatur. Quorum primus et præcipuus ait : « Ego flos campi (*Cant.* II). » Dives est campus ille, nec prætereundus silentio negligenter; super cujus faciem videt Ezechiel ossa multa (*Ezech.* XXXVII), siccaque vehementer, quæ auditu ineffabili verbum Domini perceperunt, et nervos, carnes, cutem junctura mirabili receperunt, tandemque a quatuor ventis veniente spiritu revixerunt. Denique in Evangelio (*Luc.* VI) descendens Sponsus de monte, stetit in loco campestri, in quo quia resplendebat sanandi virtus, gratiæ plenitudo ; confluxit ad eum undique copiosa plebium multitudo, quam attendens Pastor bonus audire sollicitam et sanari, larga manu reficit verbo vitæ, pabulo salutari. Pascit etiam Sponsus in vallibus, quas frumento David asserit abundare (*Psal.* LXIV), et in valle Josaphat, quæ humilitatis videtur gratia coruscare, dum quanto quisque magnus est, in omnibus se minorat, et quem digne proximus commendat et attollit, ipse se proprio judicio decolorat. « Cum omnia, inquit, bona feceritis ; dicite, quia servi inutiles sumus (*Luc.* XVII). » Et illud : « Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur (*I Cor.* II). » In hujusmodi montibus, campis, vallibus Sponsus pascit, quia vitæ sublimitas, æqualitas morum, humilitas judicii, grata Sponsi refectio est ; quam ut prudens opifex in suis ipse fidelibus operatur, dum in eis ad effectum voluntates suas perducere gratulatur. « Meus cibus est, inquit, ut faciam voluntatem ejus qui misit me (*Joan.* IV). »

CAPUT XXV.

Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie. Quæsito ubi Sponsus pascat, addit Sponsa quærere ubi etiam ille cubet in meridie; pastorum consuetudinem tangens, qui cum pascuæ operam dederint prima parte diei, meridie declinant et accubant gratia requiei. Quia ergo vulpes foveas, nidos cœli volucres habere dignoscuntur (*Luc.* IX), in quos plerique miseri cæca fronte, pede erroneo devolvuntur : vult Virgo nosse certius quo eligat Filius hominis declinare, et ubi caput suum velit quietis gratia reclinare. Admonet quippe tempus, cum æstuet mundus et ardeat, cum sole acriore meridianus axis incandeat, ut declinet in partem Pastor providus et quiescat, et ad ipsum fugiens grex pusillus remisse delitescat. Sol æstuat, æstus cadit super animos iniquorum, cum in ipsos confluit congeries iniqua vitiorum : cum avaritia, cum libido, cum eis ambitio dominatur, cum ardore talium interna eorum facies denigratur. In hoc ergo meridie cujus æstum ferre non sustinet ille mundus, ille Sanctus ad quem nihil immundum attinet, quo declinat, ubi pausat, ubi gratum habet cubiculum invenire, ipse ego, si posset fieri, non tam scientia quam experientia vellem scire. Cum enim in bonis vel naturæ vel gratiæ superbia nos extollit, cum inflammat ira tenax, torquet invidia, libido nos emollit ; cum gravis est oratio, divina lectio fastiditur, cum sermo prædicantis, aure clausa instar aspidis, non auditur : timendum est ne hoc æstu et intemperie gravatus importuna, pastor ille nos deserens sub umbra fugiat opportuna. Sole gravi et arido mundus in maligno positus æstuabat, et ardore meridiano Ægyptus vel Æthiopia laborabat, cum incorruptæ Virgini sanctus ille Spiritus obumbravit, et in ea Deo Dei Filio gratum umbraculum præparavit (*Luc.* I). Idem ardor vel intemperies dure satis incubuerat Pharisæis, et habena laxiore diffusa fuerat in Judæis, cum eos Christus deserens, ad paucos apostolos declinavit, et eos ut gallina sub alarum suarum umbra et tegmine congregavit. Cum autem usque ad crucem Judæi et gentiles in eum meridie desævirent, et alii lingua, manu alii, ferventis iræ venenum effutirent, ipse non tam pede quam affectu, plus animo quam oculo deserens quos despexit, vidit stantes juxta crucem Matrem et discipulum quem dilexit (*Joan.* XIX). Et **136** cum accepisset acetum,

quo gustato magis quam bibito mysterium sic implevit, super istos, quibus Spiritus obumbrabat, eo gratius quo suavius requievit; et sole foris æstuante, cujus eum rabies implevit, inclinato ad istos capite, tradens spiritum, obdormivit. Sic meridiem jam non ferens, et æstus Cancri rabidos vel Leonis, hora sexta consummans agonem vel mysterium Passionis, declinavit et amavit umbram Spiritus, serenum accubitum monumenti, cui lapis appositus nihil obstitit resurgenti. « Accubuit enim ut leo (*Gen.* XLIX). » Quem profecto, quandiu voluit, tenere potuit monumentum, sed expleta voluntate objectu lapidis non detentum; imo ad surgendum mane divina eum virtus robustum reddidit ut leonem, et æque ad reddendum meridie sævientibus talionem. Nec indignum arbitror si et in vobis eumdem Sponsum cubare existimemus, si eum invenire et in nobis aliquantulam requiem prædicemus : cum et ei deservire, et eum delinire nostra ejus dono gratiæ sit voluntas, licet volentibus nondum penitus libera sit facultas. Quod si nos ipsi vel forte quilibet alii judicent non satis convenire, ut id nobis ascribamus, ad quod quique majores vix valent pervenire : timendum est ne econtra justo amplius diffidamus, et diffidentia degeneri æque periculum incurramus. Inter utrumque ergo non Dedalus, sed Pater spirituum doceat nos volare; iter regat incognitum, itinerandi gratiam velit dare, ne luto et fæcibus immergamur, dum tenemus terræ instar carnalium propiora, vel ne a gloria deprimamur, dum ad formam lchari stulte invadimus altiora. Cubat quippe Sponsus in nobis, si eum diligere comprobamur, si in ejus obsequium diligenti studio præparamur : si quidquid obstrepit et offendit, scopa vel rasorio tergere festinamus, si secretum cordis nostri amoris gratia, dilectionis floribus adornamus. Nihil enim ille gratius, nihil optat avidius quam amari, cum scilicet eum veraciter complectimur amore singulari, cum quidquid mundus offert, ut purgamenta longe abjicimus propter ipsum, cum in mundo vel in nobis nihil diligimus præter ipsum. Denique Joannes (Cap. XIII) in ejusdem Sponsi pectore se recumbere perhibebat, quia eum recumbentem ille præ cæteris diligebat : nec alius, sicut nostis, ibidem recumbere perhibetur, nisi is quem diligere frequenti Jesus testimonio non tacetur. Et recte non Jesus in sinu Joannis, sed Joannes in sinu Jesu legitur accubasse, quia non illum nos priores, sed ille prior creditur nos amasse : et ubi veraciter quis intelligit se amari, ibi gaudet recumbere, suavique recubitu delectari. Christus quippe ante passionem suam infirmum esse Joannem sicut et cæteros intellexit, seque minus sufficienter diligi a discipulo quem dilexit, quia per id temporis neque Joannes, neque Petrus mortem pro illo aut voluit aut potuit sustinere, quod ante acceptum post resurrectionem illius Spiritum, istorum nullus meruit obtinere. Cæterum Christus sic inventus est eos diligere quos elegit, ipsumque diligentem sua erga eos charitas sic coegit, ut pro eis in mortem voluntarius animam suam daret; et quos tenebat sinu, a morte moriens defensaret. Post resurrectionem vero suam cum eisdem apparens discipulis insufflavit (*Joan.* XX), et flatu serenissimo ligandi et solvendi pontificium assignavit, cum paulo post linguis igneis Spiritus vehemens imflammavit (*Act.* II), et adversus mundi minas, preces, pretia, inflexibiliter roboravit, vicem mortis quam pro eis ille primus voluit sustinere, ipsi non avaritiæ funibus obvoluti, sed largitate prodiga reddidere. In quibus et quorum similibus cubare Sponsum non immerito debet credi, apud quos nihil invenit quo ejus requies possit lædi : in quibus viget devotio, fervet devotius disciplina, non caminus fumigat, sed tota prorsus ardet amoris officina. Quia enim Sponsus, ut prædictum est, amari desiderat, amor autem ignis est, quos amore conspicit accendi et ardere, in his tanquam in lectulo, quietis gratia vult jacere. Et hoc propter non nisi meridie cubare perhibetur, cum sol cœlo vicinior a terra longius removetur, cum solito ferventior emittit radios puriores, cum majori terret incendio campos ætheris largiores. Et forsitan mane pascit, cum molesta caligo noctium jam recedit, cum surgentis ad opera sol necessarius antecedit; cum ejusdem rota volubilis equis laborantibus sursum tendit, et loco stare nesciens, sibi proficisci, et proficere non intendit. Per cujus moram temporis sol dici præbet utile nutrimentum, quo fotus et promotus dies sensim accipit incrementum, donec ad cœli medium festinans et perveniens sol figatur, ubi gradu altior jam vel stare vel descendere compellatur. Sic nimirum cum vobis, fratres, sedentibus in tenebris Sol gratiæ lucem attulit matutinam, errore noctis posito festinastis apprehendere disciplinam; et quo plenius ille vobis expandit radios clariores, eo gratius laboratis et profectus sumitis ampliores. Dum igitur vigiliis, jejunio, sudore, et algore corpus contrarium castigatis, dum devoti et humiles vestram patientiam obedientiæ funibus alligatis; et intuitu mandatorum voluntatem propriam relegatis, dum operari cibum qui non perit, sed qui permanet, laboratis, et indefesso studio vestrarum labores manuum manducatis : profecto apud vos Sponsus pascit vobiscum **137** et laborat, sicut devote amator et acquisitor sapientiæ quidem orat : « Da mihi, ait, sapientiam ut mecum sit, et mecum laboret (*Sap.* IX). » In pascendo quippe vitalis quidem fructus est, sed procul dubio cum labore, labor est aliquantulus fructu tolerabilis gratiore : et ob hoc, cum invitat justus secum patientiam ad laborem, non tam ipsum quam ipsius fructum diligit meliorem. Proinde Virgo non solum ubi Sponsus pascat, sed etiam ubi cubet sollicitius optat scire, ut ad ejus gratiorem statum valeat pervenire, quia, etsi nobis, dum pascit, non mediocrem dat profectum, tamen dum cubat et quiescit, gratius et securius provehit ad perfectum. Cum igitur corpore castigato, sopito murmure passionum cum non prorsus deposito, sed ad horam

sepositio labore temporalium actionum; serenat vos interius oratio, devotio, auditæ ruminatio lectionis, et a terra suspensos rapit velut in sublime divinæ gratia visionis, cum (licet raptim et ad modicum) videmini angelicis spiritibus interesse, et utcunque gloriam Domini speculantes cum Petro dicitis : « Bonum est nos hic esse (*Matth.* XVII); » cum amore talium velut igne suaviter æstuatis, et Sol sole lucidior vos perfundit suæ radio claritatis; tunc nimirum in vobis Sponsus pascit, et amica requie delectatur, tali gaudet meridie, die dies, lumen lumine gratulatur. Nam sicut hostis nequam, auctor mali, princeps perditæ Babylonis, profundas noctis tenebras et frigus diligit aquilonis, sic Sponsus qui Deus est, lux indeficiens, ardens ignis, gratam sui præsentiam longe faciens a dissimilibus et indignis, in his cubat et repausat, quos divini amoris face ignea sentit uri, quos in excessum raptos, meridiana luce lucere conspicit, non comburi. Qui obliti præsentium solis cœlestibus sunt intenti, aurora vel sole matutino et inchoantium operibus non contenti, sed ad perfectum diem et ferventem meridiem sunt evecti, unus cum Deo spiritus, solo carnis adhuc contubernio non perfecti. Felix qui oblitus præteritorum, in anteriora meruit sic extendi, temperiem fastidiens matutinam meridiano provectu et fervore nimio sic accendi; sponsum tenere sinu, affectu, velut brachio circumplecti, soli oculos infigere, et ad hujus carnis cadavera non deflecti. Felix, inquam, si tamen non hujus beneficii timet casum, si hujus tam caloris quam splendoris non vergit meridies ad occasum; si caro non retrahit, et adhuc infirmior lex naturæ, quæ nondum ferre potest felicitatis gloriam permansuræ. Ergo felix illa dies cujus meridies non occumbit, in luce cujus ignea semper Sponsus permanet et recumbit : ad quam quisquis pervenerit, in ea grædu stabili perseverat, et invento ejus bono nil melius, nil jucundius asseverat. In qua sancti angeli tam Patris, quam Filii semper faciem intuentur, et ab ejus intuitu alienæ sanctorum animæ non habentur, quæ a mundo nequam, et a carnis ergastulo jam ereptæ, in ejusdem cum angelis quietum Sponsi cubiculum sunt receptæ. Illic plenior et perfectior meridies invenitur, ubi dies non declinat, et incumbente vespera non finitur; et non nisi dies una non proficiens non deficiens dilucescit, cujus non fuscatur splendor, calor splendidus non tepescit. Proinde hujusmodi meridiem in hac vita nullus plene accipit, sed prægustat, illic plene satiatur, ubi mora cum brevior non angustat, ubi erga Deum amor omnium continuus et assiduus inardescit, et ipse qui amatur gratanter cubat in omnibus et quiescit. In terris itaque pascit, in eo duntaxat cui justitiam fert accepto, infundit gratiæ largitatem, cujus bonis operibus tanquam herbis et floribus suam reficit voluntatem, cujus acceptat mores, videre diligit æquitatem, cujus gaudet meritis, virtutes amplectitur, accipit sanctitatem, cui dies matutinus et sol lumine radiat imperfecto, dum laborat et proficit, A quia labor fingitur in præcepto (*Psal.* XCIII). In cœlis vero cubat Sponsus, ubi dies non oritur lumine subobscuro, sed velut in meridie sol profectu rutilat jam maturo, cujus splendor calidus, et calor æque splendidus nil habent imperfecti, sed immobili axe velut quodam solstitio stant perfecti. In die ergo dies, lux in luce, in sole sol cubat suaviter et quiescit, quia justus in regno Patris sui sicut sol lucidus resplendescit (*Matth.* XIII); et sol justitiæ Sponsus in eo cubiculum sibi et quietem accipit eo gratam, quo non angustam spatio, incursu molestiæ non turbatam. Proinde sollicita Virgo sibi non immerito postulat indicari ubi pascat, ubi cubet is quem diligit amore singulari, ut cum fuerit indicatum, illo secure sequatur lætabunda, ne (si clausum fuerit) B post greges sodalium feratur vagabunda.

CAPUT XXVI.

Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Sodalis Christi est, qui ejus nomine vult censeri, qui se dicit ejus esse, qui fidem ejus eligit profiteri; qui verbum ejus annuntiat, qui viam prædicat veritatis; qui se Christo sociat, vel re, vel imagine sanctitatis. Quia vero multi sunt qui re non gaudent **138** vera, sed imagine colorantur, qui quod astruunt verbo aut facie, affectu et opere detestantur; eos Virgo non gregem, sed greges potius voluit appellare, sciens quia convenientius nomen justis attribuitur singulare. Unde infra in Cantico : « Capilli tui sicut caprarum, dentes tui sicut grex ovium (*Cant.* VI). » Et in Evangelio : « Nolite timere, pusillus grex (*Luc.* C XII). » Greges ergo sodalium falsa est credentium multitudo, in quibus species pietatis, sed nulla virtus, nulla est operum fortitudo, in quibus religionis Christianæ paret ostentatio, Scripturæ sonat nonnunquam prædicatio vel doctrina, sed vita non recte sapit, non morum satis redolet disciplina. Qui plerumque infirmorum lædunt conscientias et seducunt, et a justitiæ semita declinantes in erroris latitudinem introducunt, et vel apertis colloquiis vel occultis consiliis vel exemplis deterioribus mores bonos corrumpunt, eisque arctum religionis iter vel auferunt penitus, vel saltem ad modicum interrumpunt. Post hujusmodi seductores Virgo prudentissima non vult ferri, sed discernere sapienter, qui, D quibus debeant anteferri, ne si pro Stephano Nicolaum. Judam accipiat pro Joanne. eorum similis habeatur, vel duplo filia sit gehennæ. Quod malum instinctu malignorum spirituum fieri Virgo novit, quos de sede cœlestium longe fecit iniquitas et removit, dum divinam excellentiam oculo satis humili non viderunt, sed inaccessam similitudinem attendentes, de cœlo instar fulguris ceciderunt. Quæ scientes nunquam se illo unde ceciderant redituros, sed de luto factos homines operante gratia et meritis ascensuros; corrupti malitia, dolore miro invident et torquentur, et summo nisu nocent eis, quibus hanc dari gratiam intuentur; quia ergo eis est indefessus animus invidendi, eisque mille artes, juxta quemdam ethnicum, sunt nocendi, tam nocte

media quam die medio retia sua tendunt, et vel sagitta in tenebris, vel incursu meridiano incautos et miseros comprehendunt (*Psal.* xc). Sagitta volans in tenebris, quæ ferit graviter dum nescitur, occulta est suggestio, qua noster animus delinitur, cum oppanso quodam velamine, aut nullam, aut venialem se promittit, et parvo tanquam vulnere ad cor miserum virus mortiferum intromittit. Incursus vero meridianus aperta est malignitas impugnantis, cum effundit totas vires vehemens impudentia malignantis, cum a throno patientiæ, obedientiæ, continentiæ graviter nos deponit, vel forte resistentibus, damna, pericula, martyria minatur evidentius et apponit. Quod si forte quemvis malignus invenerit spiritus fortiorem, ut non minas ejus terribiles, non ejus timeat impetum acriorem, ponit minas, tacet pericula, nihil ingerit violenter, sed ad quamdam se convertit religionis speciem fraudulenter : sentiens quippe nonnullis, vigilias, orationes, abstinentiam, jejunium, laborem manuum complacere non resistit, sed insistit, et hortatur in eis primum fortius permanere ; et ne in his prævenire possint, ab alterutro sollicitius præcavere, deinde tempore debito non contentos modum regulariter positum non tenere. Dum igitur quilibet spiritu fervens, cæteris non inferior esse tentat, et admissum equum desiderii freno moderaminis non retentat, dum solemnes vigilias prævenit, ut oret devotius vel suavius aliquid ruminet de Scripturis, dum jejunat, et abstinet, ne quasi ventrem oneret escis citius transituris, dum adhuc vigens corpore labori manuum debito plus intendit, dum ad hæc vel horum similia habenis laxioribus se extendit : occurrunt hinc inde flatus gloriæ, laudis amor, æstimatio præsumptiva, contemptus aliorum, temerarium judicium, reprehensio durior et nociva. Damnans quippe cæteros quos tanquam tepidos tenere modum conspicit laxiorem, se ferventem fortius, jam cunctis reputat meliorem ; et quo ad majora inconsiderantius inardescit, eo læsus vento superbiæ aret nequius, turpius inanescit. Nam quem fervor agit præcipitem, vanitas excipit subinducta, ejusque conscientiam fallit quædam species introducta, quæ bonum simulans luce falsa, hujus retundit oculos et obscurat, illo subtilius operante qui se in lucis angelum transfigurat. Cujus opere miser iste nequaquam existimat se illusum, sed quodam velut solis meridiani radio se perfusum, in quo solam superficiem tanquam florem conspicuum dum attendit, fructum sperat certiorem, nec in radice vitium deprehendit. Seductus ergo isto, post greges sodalium jam vagatur, dum quasi bene operans, malignorum arte spirituum defraudatur, quos sodales Christi et socios quodammodo comperitur, dum Christo placere se existimat, et placere istis nihilominus invenitur. Post cujusmodi sodales non vult Virgo prudentior evagari, non eorum meridiana boni specie defrandari, sed eorum astutias oculo deprehendere perspicaci, et Christum invenire in luce propria et meridie non fallaci. Volo, inquit, lucem tuam invenire veracem, utilem, et serenam, ne errore decepta, post lucem cursitem alienam, ne cadens Lucifer sibi falso assumat similitudinem Michaelis, ne se mihi offerat Satanas in forma et specie Gabrielis. Volo, ait, meridiano incursu et dæmonio non seduci, eorum blanditiis et simulatione deceptoria non abduci, qui se tuos sodales mentiuntur, qui nomine lætantes angelorum, angelica beatitudine non fruuntur. **139** Ne igitur prædicta lux istorum et dies mihi subdole blandiatur, ostende in quo vel homine vel angelo tibi grata requies habeatur, quæ apud temetipsum non solum in die, sed in meridie rutilat et flammescit, dum perfecta, nec mane inchoata, nec cursu defluo vesperascit.

Hactenus Sponsa Virgo de ipso et ad ipsum, quem tenerius diligit, est locuta, suumque amorem et desiderium sermone continuo prosecuta : nunc assumit silentium, loqui tamen penitus non omittens, sed audiendi gratia paululum intermittens. Et nos itaque hoc in loco assumpto paulisper silentio quiescamus, et primo huic tandem libro terminum imponamus, quia et iste prolixitati suæ postulat calcem poni, et nostra infirmitas laborem inchoatum, vel ad modicum jam seponi. Ad id vero disserendum, quod dignatus est Sponsus Virgini respondere, si dies illuxerit, curabo quiescentem calamum retorquere ; si sanctus ille Spiritus dignanter acceserit in silentio me docere, quod eidem complaceat me loqui potius quam silere.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum. Post multa verba Virginis quibus sui æstus animi demonstravit, quibus dari sibi optatum osculum, indicari Sponsi cubiculum postulavit : non duritia, non contemptus, ultra denique sera silentii tenet Sponsum, sed auditis diligenter illius votis et precibus dat responsum. Et profecto Virginem, quæ ubi Sponsus cubet tam sollicite vult doceri, monet primo ut seipsam non negligat studiosius intueri, ut ad sua se convertens, suam pulchritudinem non ignoret, ne forte ignoratam situ vel negligentia decoloret. Non enim satis caute ad acquirendum cætera se accendit, qui prius acquisita dignæ considerationis oculo non attendit, et opes concupitas labore temerario coacervat ; qui

pridem repositas diligenti sollicitudine non observat. Poeta describente, venator errat non modicum et delinquit, qui fugientia captat, capta respuens derelinquit; et propheta Aggæus arguendum eum nihilominus demonstravit, qui mercedes congregatas in pertusum sacculum collocavit (*Agg.* 1). Proinde Sponsus Virginem ad considerandam suam ipsius pulchritudinem primo mittit, eamque oblivioni dare præterita non permittit : hoc ipsum ei memorans, quod eam commonet memorare ut illa facilius possit aurem monitis inclinare. *O pulchra*, inquit, *inter mulieres*. Quod illa Virgo quam sibi ab æterno in matrem Dei Filius præelegit, in qua tempore congruo sumens carnem membris contractioribus se coegit, de qua nasci voluit sepe carnis novo genere non abrupta, cujus factus est filius ante partum et post partum castitate penitus incorrupta : quod illa, inquam, Virgo inter cæteras, hoc est præ cæteris mulieribus fuerit speciosa, existimo dignum credi, nec est fides hujusmodi vitiosa. Neque enim est credibile ut Deus, Dei Filius, matrem elegerit fuscam, luscam, struma notabilem vel gibbosam : et non magis vultu niveo, colore roseo, gratis oculis, pleno corpore speciosam, ut quæ ad officium dignius præ cæteris mulieribus est electa, esset non solum quavis turpitudine non infecta : sed et specie corporali cunctis pulchrior et perfecta. Quamvis quod pulchra inter mulieres dicitur, non tam congruat gratiæ vultus, corporis venustati, quam perfectis moribus et admirandæ illius sanctitati, quæ teste angelo gratia plena, quod de altera nusquam muliere perhibetur, sola solius Christi mater fieri promeretur. Cujusmodi pulchritudinem attendens angelus : « Benedicta tu, inquit, in mulieribus (*Luc.* 1). » Ipsa quippe in mulieribus hoc est inter mulieres, est benedicta, quibus Evæ merito maledictio durior est inflicta, cui primo delinquenti lege misera conformantur, et peccatis obnoxiæ materna similitudine deformantur. Inter quas miseras et deformes huic Virgini pulchritudo amplior est concessa, quæ maledictum vetus et legem hæreditariam supergressa, obumbrante Spiritu omnem a se æstum malitiæ, peccati maculam longe fecit, et innocentiæ meritis, mentis pulchritudine cunctis muheribus se præfecit. Ad augmentum vero pulchritudinis integritate corporis lætabunda, novo et inexperto cunctis genere fit fecunda; et partu inenarrabili natum protulit virgo talem, ut non ante, non postea genuerit potissimum altera vel æqualem. Proinde tanta et tam incomparabilis celsitudo, quid nisi hujus Virginis mira est et eminens pulchritudo, qua non solum a cæteris mulieribus non præventa, sed ipsa inter omnes longe pulchrior et excellentior est inventa ? Ad quod considerandum Sponsus eam revocat **140** et reducit, eamque ad optatum cubiculum nondum plenius introducit, ut seipsam primo sciat quanta scilicet gratia decoretur, unde, quo pervenerit humilitate memori recordetur. Tu, ait, quæ majorem cunctis mulieribus gratiam jam adepta, virgo manens, Dei mater mirabiliter es effecta, dum quod restat non invenis, nec adhuc pervenis ad optatum, attende diligentius quid tibi jam meo munere sit collatum. Nam cum avida futurorum nondum ea prævales adipisci, si acceptæ jam gratiæ curas humiliter reminisci, perceptio præsentium fidem tuam solidius confirmabit, et confirmata fides futura tam suavius quam securius exspectabit. Si vero postponis et ignoras quæ jam velut præsentialiter experiris, et dum captas inexperta, expertorum negligens inveniris : *Egredere*, quod quidem non consulens, non imperans tibi dico, sed minas incutiens, futuri prascius hæc prædico. Egredere, inquit, hoc est, egredieris, et a secreto mereberis resilire, a sanctuario longe fies in quod postulas introire, ab ipso quod tibi vis ostendi grato cubiculo repelleris, et videberis egredi, cum non ingredi permitteris. Sic nimirum deleri de libro viventium perhibentur, qui cum justis in æterno ascribi codice non merentur; et sermone usitato, nobis asserimus hæc auferri, quæ sperata vel optata tandem nobis novimus non conferri. Itaque et Virgo se foras egredi conqueretur, cum ignorantiæ merito repulsam ab introitu patietur, cum oblita suæ pulchritudinis, turpis et decolor apparebit, cum ex recordatione præsentium certam futurorum fiduciam non habebit. Si autem pignus Spiritus et arrhas, Virgo, memoriter consideraveris te habere, quas nullus electorum eo prorsus modo meruit obtinere; scies profecto quia quidquid digne postulas, non auferlur, nec fraudatur æstuantis justum desiderium, sed differtur. Quæ enim tot et tanta supra omnes mulieres accepisti, quæ sine Patre Filium operante sancto Spiritu concepisti, quæ juxta Gabrielem apud Deum miram et ineffabilem gratiam invenisti, dum conceptum sine coitu, sine gemitu peperisti, quid tibi deinceps jure existimas abnegari, si tamen tempus venerit quo id fuerit dignum dari? Qui ergo tanta contulit, ab eodem quod reliquum est exspecta, et si, ut plerumque videtur, animo cupienti moram fecerit, reexspecta; et ne forte gravet dilatio, quid jam acceperis recordare, et acceptorum memoria, ad fidem et patientiam confortare. Nam in eo quod jam tenes, omnem mulierum pulchritudinem excessisti, et pulchra mentis facie omnes Evæ filias præcessisti, quod si cognoveris, et dignas egeris gratias largitori, suspirans ad reliqua, non dabis murmur indebitum dilatori. Ad hoc quippe differt, ut dilatum desiderium ferventius et constantius ingemiscat, non ut quassata fide per impatientiam defetiscat, ut dilationis tempore pulchram faciem excolas amplius et decores; non oblivionis pulvere et ignorantia degeneri negligentius decolores. *Si ergo ignoras te*, egredere a cœtu meo, a sinu meo, a me, a denique ipsius facie quem amasti : *Et abi post vestigia gregum*, quos paulo antea formidasti. *Egredere*, inquit, *et abi*. Egressus enim quis a sanctuario quod debuerat introire, proficiens in pejus, jam stare non

conceditur, sed abire; et quia non seipsum, non monentis consilium timuit oblivisci, longe a se, et a monente longius cogitur proficisci. Abit autem post vestigia gregum, qui præviam eorum sequitur pravitatem, qui errorum et sectarum amatores, fidei nesciunt unitatem, vel qui more viventes bestiali, eos alliciunt et decipiunt qui sequuntur, et suis pravis moribus quos præcedunt, graviter persequuntur.

CAPUT II.

Et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum. Cum egressus quisque abierit, obscuratum jam habens intellectum, hædos pascere perhibetur, dum affectus pravos perducit ad effectum, dum mentis inconstantiam, morum petulantiam, immunditiam corporalem fovet et provehit, et vitam ducere diligit animalem. Agnos forte pascit, qui miserentis gratiæ spiritu confortatus, actus habet innocuos, mundos et simplices cogitatus, quorum summus ille pastor fructum approbat, diligit et candorem, et ad pascendum eos, suum commonet dilectorem: « Si diligis me, inquit, pasce agnos meos (*Joan.* xxi). » Hædos vero pascit, qui mente corrupta, seducto spiritu, perdita voluntate agit mala, gaudet malitia, gravatur æquitate; et ea prosequitur quæ judex justus poni judicat a sinistris (*Matth.* xxv), ut in eis dure desæviat ultor angelus cum ministris. Cujusmodi hædos non in tabernaculis pastorum pascere perhibetur, a quorum contubernio propria urgente malitia prohibetur, quem illorum vita non allicit, non delectant opera, sed offendunt, nec imitari diligit quod illi doctrina et moribus præostendunt. Et quia non versari pastorum in tabernaculis invenitur, in quibus exsultationis et salutis pariter vox auditur : prope saltem remanet, nec longius pascua sunt inventa, dum **141** Christi nomen tenet, baptisma non aliud, communia sacramenta. Abhorrens itaque virtutem, pietatis specie gloriatur, et non tenens rem, fidei sacramento visibiliter obumbratur; et ob hoc non intus, sed juxta pastorum tabernacula pascere memoratur, quia, etsi foris sit quodammodo, rei tamen sua species vicinatur. Pastores sunt perfecti quilibet, qui fidem rectam non tam nomine quam operibus exsequuntur, qui regenerationis lavacro semel loti, devotis sæpe lacrymis abluuntur, qui Ecclesiæ sacramenta devote suam celebrant ad salutem, dum eorum non tam forinsecus formam obtinent, quam virtutem. In quibus tabernaculis suas in directum corrigunt pravitates, divino beneplacito subjiciunt proprias voluntates; et discreto moderamine regunt sicut opera, sic affectus et per dies singulos ampliores transeunt ad profectus. In his autem non versantur, sed eis aliquatenus appropinquant, qui destruunt fidem operibus, cum sacramenta fidei non relinquant, qui virtutem non habentes, exteriori ejus titulo decorantur; et quos bonos viderint non re, sed nomine pastores imitantur. Sed fortasse nonnullis durum videbitur et austerum, quod Sponsus Matrem Virginem sic affatur, quod præloquenti dulcia tenere diligenti responsionis principio sic minatur; cum certum sit post prædictum osculum ab eo illam non sic egredi vel abire, et proinde osculanti vel amanti non tam gravia, non superflua convenire. Etsi enim cuivis animæ vel etiam Ecclesiæ potest convenientius assignari, cui delinquenti frequentius Christus utile judicat nunc promittere, nunc minari : hujus tamen specialiter constantior esse creditur pulchritudo, in qua Deus humanatur, divinitatis corporaliter habitat plenitudo. Dignum igitur existimo paulo attentius nos videre, quomodo Virgini amatoria præloquenti Sponsus amet paria respondere; et cujus preces, vota, indefessum desiderium jam præsensit, laudes laudibus referens ab ejus desiderio non dissensit.

CAPUT III.

Si ignoras te, o pulchra inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum. Nolens Sponsus gradatim ad profectus Virginem promovere, docet eam quomodo mereatur proficiendi gratiam obtinere, videlicet, si, quæ tam obtinuit, apud se, velut in abscondito sic reponat, ut eis manum piceam vel ad modicum hostis subdolus non apponat. Apponit enim plerumque tactum noxium bonis potioribus majoris gratiæ sanctitatis, cum superfundit eis cladem, nequam caliginosæ nebulam vanitatis, cum vel flatu gravi superbiæ mentem donis præditam obruit et obdurat, vel saltem aura levi teneræ faciei pulchritudinem subobscurat. Difficile quippe cuivis est Virgini donis potioribus sese præditam intueri, et superbæ vanitatis vel non quati ariete, vel flatu quantumvis modico non moveri : egregiam forma, vultu laudabilem se sentire, et laudanti frequentius flexo nunquam animo consentire. Unde necesse est, ut quæ superbia non vult tangi, sibi speculum non apponat, ne cum pulchram se viderit, forte cæteris se præponat : imo ut nec ad modicum blando consentiat deceptori, ignotam sibi faciem casto tantum cognoscendam præbeat amatori. Amator itaque castus non nisi sibi volens Virginem complacere, ipsam propriæ faciei vult notitiam non habere, vult ut Virgo se nesciat, suam pulchritudinem non miretur, ne admirans sive laudans, in se magis quam in Domino glorietur. Felix ille angelus haberetur, si quodammodo se nesciret, cum in deliciis paradisi splendore Luciferum præveniret; felix, inquam, si non de his quæ acceperat superbiret, et a Deo conditus, Deo paria non sentiret. Longe satius, longe felicius, Abraham se nescivit, cum divinum colloquium, se quasi nesciens, requisivit, cum oblitus quod magnus meritis, vita clarior haberetur, prudenti consilio se non nisi pulverem esse et cinerem fateretur. « Loquar, inquit, ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis (*Gen.* xviii). » Felix etiam rex David, qui quoniam legis litteram quam didicerat non vult scire, vilipendens propriam, in Domini potentiam meretur introire, et suam non constituens, Dei justitiæ cervice subdita famulatur, et oblitus suorum, eorum solummodo quæ sunt Domini memoratur.

« Quoniam non cognovi, ait, litteraturam, introibo in potentias Domini ; Domine, memorabor justitiæ tuæ solius (*Psal.* LXX). » Econtra miser ille Nabuchodonosor qui sui a se notitiam non amovit, qui divitem, præpotentem, variis successibus præditum se cognovit, qui sese imperantem, quam eum per quem reges imperant, plus attendit, et se magnum intuens, auctorem suæ magnitudinis parvipendit. « Nonne hæc est, inquit, Babylon magna, quam ædificavi in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei? » (*Dan.* IV.) Quod si quis objecerit quia nonnulli inveniuntur præclara sua opera revolvisse, in quo tamen Scriptura non judicat eos reprehensibiles exstitisse : attendat tempus, causam **142** discernat, quibus id fieri comperitur : et sciat quando, et quare id tam licitum quam necessarium invenitur. Cum enim sentit quis ad patiendum vel faciendum mala gravius se compelli, si ab his prudenti consilio tanquam pedes a laqueo vult evelli, potest, imo et debet, bona quæ jam obtinuit amabiliter recensere, ut memoria meliorum mala possit imminentia removere. Inde est quod Job cum multo malorum pondere, simul et numero quateretur, et ut Deo tandem malediceret uxoris instantia moneretur : bona quæ jam acceperat revocat ad memoriam et revolvit, et bonorum memorem, malorum congeries impatientiæ maculis non involvit. « Cor viduæ, inquit, consolatus sum, et justitia indutus sum : et vestivi me sicut vestimento. Oculus fui cæco, et pes claudo ; pater eram pauperum. Cumque sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator (*Job* XXIX). Nunc autem deridet me juniores tempore (*Job.* XXX). » Et supra : « Si bona suscepimus de manu Domini, quare mala non sustineamus? » (*Job.* II.) Bona sua vir bonus digna premi silentio non putavit, cum eum circumquaque tanta malorum multiplicitas angustavit, ut bonorum suavis recordatio levem redderet pressuræ sarcinam incumbentis, ut longe post admonuit Scriptura cujusdam Sapientis : « In die, inquit, malorum ne immemor sis bonorum (*Eccli.* XI). » Ad hoc valet, ut existimo, dictum illud, quod litteræ gentilium tam favorabiliter extulerunt, et ut dignum memoria scriptum ad posteros transtulerunt, quod nonnulli asserunt unum e septem Græciæ sapientibus protulisse, alii potius asseverant Apollinem eleganti oraculo respondisse : « Scito, inquit, te ipsum, homo. » Quia sapientes sæculi ex anima rationali et corpore constare hominem cognoscebant, quorum alterum cum diis, alterum commune habere cum belluis asserebant, quorum erat doctrina sanior, rationem corpori præferebant, quo judicio belluis detrahentes, diis (ut erat convenientius) deferebant. Volebant itaque ut homo ratione prævia regeretur, et caro bestialis rationali spiritui subderetur ; et evecto spiritu, homo de inter bestias auferretur ; et si non loco, vel (67) merito in deorum consortium transferretur. Ad hoc quippe et propter hoc censebant hominem factum esse, hoc inter hominem et pecudem naturaliter interesse : quod terrenis pecus licenter inhiat, homo ad cœlestia jubetur aspirare, quod etiam os homini sublime datum (68) videtur indicare. Hujus rei vult Apollo prudenter hominem reminisci, scire unde veniens, quo debeat rationis merito proficisci : suum infra posterius, velut somno deditum oblivisci ; ad id quod est anterius agilitate virium expergisci. Quia vero plures a tramite declinant et exorbitant rationis, qui more belluino immerguntur terrenæ sordibus actionis, qui delictis gravibus manus implicant et involvunt, pedes injiciunt voluntariis, ab objectis criminibus non absolvunt, quorum vix aliquis qui vivat secundum hominem invenitur, imo juxta philosophum suem vel asinum vivere comperitur ; ideo vates clamat, silere tripodem non permittit, sonat oraculum, doctrinam censoria vox emittit : Magnus Apollo tonat, et emisso fulgure vult timeri, vult equum et mulum, suem et asinum ab errore et ignorantia deterreri ; vult meliores quosque ad honestam scientiam commoneri, suosque auditores ad intelligendam rationis excellentiam promoveri. « Scito, ait, te ipsum, homo. » Cujus sententiæ Paulus non inscius cum ad patiendum gravia cogeretur, cum infirmitati et scandalo Corinthiorum tenere compatiens ureretur, ne plus justo aliena sarcina gravaretur, vel forte ut gravatis audiri dignior videretur : recurrit ad scientiam, scire se hominem profitetur, qui non carni deserviat, sed qui cœlo inseri glorietur. « Scio, inquit, hominem in Christo raptum usque ad tertium cœlum ; et scio hujusmodi hominem, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit, quoniam raptus est in paradisum, et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XII). » Et Adjunxit : « Pro hujusmodi gloriabor (*ibid.*). » Videtis Paulum scire se hominem ad cœlum tertium sublimari, paradisum invisere, et pro tanta gratia gloriari? Ad hoc videlicet, ne pseudoapostolis Corinthii plus deferrent, ejusque doctrinæ et meritis doctores subdolos anteferrent. Alioquin si hæc, vel huic similis causa vel necessitas non fuisset, quæ virum sapientem ad hanc velut insipientiam coegisset, profecto illud de Evangelio suis dictum coapostolis meminisset, et dignum memoria tam in sermone quam conscientia tenuisset : « Cum omnia bona feceritis, dicite, quia servi inutiles sumus (*Luc.* XVII). » In quo dicto datur intelligi quia non omnia bona quivis facere comprobatur, si non istud dicere bonis cæteris apponatur : et bonorum congeriem digna satis superficie non colorat, qui eam vanitatis vitandæ gratia non ignorat. Ut igitur perfecte sanctam et humilem noveritis Sponsam esse, hanc in ea Sponsus docet ignorantiam esse, quæ dum festinat ad reliqua quæ nondum dat filius, sed promittit, ea quæ jam obtinet, glorianti memoriæ

(67) Pro *sautem*.

(68) Ovid. I Metamorph.

non committit. *Si ignoras*, inquit, *te, o pulchra.* Quod enim dicit Si, non dubitativa, sed affirmativa conjunctio est; sicut ille poeta : « Dii, si qua est pietas cœlo. » Dicit itaque Sponsus : *Si ignoras te, o pulchra*, quod quidem difficile est, sed tamen **143** virum est, *Egredere.* Egredere autem, unde et quo, nisi a contemplatione tua ad opus tuum? Egredere a consideratione pulchritudinis tuæ ad informandum pulchritudinem aliorum, tui quasi negligens, esto sollicita plurimorum : informa discipulos, apostolos doce, quæ de me perfectius cognovisti : Joanni condescende, quem ut filium mater suscepisti. *Egredere*, inquam, *et abi post vestigia gregum.* Qui gregibus præsident, post eorum vestigia gradiuntur, eorum sollicitudinem habere præ oculis cognoscuntur; ne quis erret, ne quis lassus resideat, oculos vigiles circumducunt, adgaudent saniori, infirmum quemque reportant in humeris vel reducunt. Est igitur insigne potestatis gregibus præsidere, et Virgini præsidenti apostoli monentur assidere, ut eis Virgo imperet, et ut mater omnium curam gerat, et illi matrem audiant, sicut Evangelium asseverat. « Mulier, inquit, ecce filius tuus (*Joan.* XIX); » ad discipulum autem : « Ecce mater tua (*ibid.*). » Cum enim Joannis cura matri Virgini delegatur, aliorum sollicitudo non ab ea, ut existimo, relegatur, sed quod certi causa mysterii uni specialius assignatur, omnibus generaliter esse necessarium designatur. Nec enim solus Joannes Mariam suscipit, susceptam veneratur, nec solum Joannem Virgo affectu devotæ sollicitudinis amplexatur, sed omnes diligens, omnibus studet utilem se præbere, doctrina præcipuam, imitabilem omnibus exhibere. « Omnes, inquit, erant unanimiter perseverantes in oratione cum Maria matre Jesu (*Act.* I). » Post eorum itaque Virgo abire vestigia commonetur, ut processus ipsorum diligenti oculo perscrutetur, quid agant, quo tendant, qua transeant sollicitius investiget, dignum laude promoveat, devium quoque non prætereat sed castiget. Greges sunt apostoli et qui eis fide et operibus aggregantur, qui evangelicis imbuti sacramentis ab errore ignorantium segregantur, qui venerantes Virginem et ejus credentes auditui, ad æternam pascuam suspirantes, quæ mundi sunt, habent contemptui. Quibus per Ezechielem dicitur : « Vos autem greges mei, dicit Dominus (*Ezech.* XXXIV). » Quos ideo forte plurali numero greges voluit appellare, quia jussi apostoli verbum Evangelii credituris gentibus prædicare : divisi ab invicem ducente Spiritu diversas mundi partes elegerunt, in quibus multos greges et conventus hominum, multas ecclesias prædicandi studio collegerunt. Qui, etsi loco, tempore, virtutum merito sunt diversi, tamen dum ad fidem catholicam et doctrinam evangelicam veniunt universi, multi greges in unum, in unam Ecclesiam plurimæ rediguntur : omnesque indiviso sacramento fidei et baptismatis uniuntur.

CAPUT IV.

Et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum. Hædos vocat apostolos, qui cum verbo Virginis et exemplo ad multam sanctitatem proficere non negentur, tamen dum mortali vita vivunt et carnis ergastulo detinentur, juxta Sponsi consilium servos inutiles se fatentur, et suam justitiam ignorantes, peccata sua voce humili confitentur (*Luc.* XVII). Quorum unus : « Si dixerimus, ait, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* I). » Et alius : « In multis, inquit, offendimus omnes (*Jac.* III). » Quos itaque reddit agnos candor conscientiæ, innocentiæ pulchritudo, morum simplicitas, meritorum eminens sanctitudo : eosdem hædos facit peccati confessio cum timore, dum adhuc nescit homo utrum odio dignus sit an amore. Proinde cum justi quilibet appellantur agni, et eorum laudes innocentia promeretur, quæ digna commendari nisi Christi munere non habetur : « Meos » dicit, sicut Petro longe postea designavit, cum ei diligenti curam diligentium assignavit. « Simon Joannis, diligis me? pasce agnos meos (*Joan.* XXI). » Cum autem eos peccati merito hædorum nomine vult censeri, quos Jacobus et Joannes sine peccato asserunt non haberi, dicit « tuos » ut Virgini curam illorum ingerat ampliorem qua eisdem curandis invigilet, et ad statum Virgo provehat meliorem. Sicut Moysi dictum est : « Descende, peccavit populus tuus (*Exod.* XXXII). » Vel quia sicut agni evangelico testimonio dextram sortiuntur, sic hædi ad sinistram Sponsi constitui cognoscuntur (*Matth.* XXV); per hædos non incongrue omnes actus Virginis vult signari, quidquid scilicet in hac vita Virgo temporaliter jubetur operari. Castigatio enim sui, aliorum sollicitudo, prædicatio vel doctrina, sudores et algores, vigiliæ, jejunium, disciplina, dona quidem Christi sunt, sed ad sinistram ejus videntur pertinere, quia gradu non fixa stabili, cito finem merentur obtinere. Attamen si pascantur, faciunt et proventum, non sicut apud Osee : « Stultus Ephraim pascit ventum (*Ose.* XII), » sed juxta pastorum tabernacula pascere Sponsa curet, id est, ut præceptis Scripturarum et earum auctoribus se configuret. Pastores sunt Abraham, Isaac, et Jacob, Moyses et David, patriarchæ et prophetæ, quorum nonnulli ad litteram inveniuntur in pascendis gregibus laborasse, omnes in regendis et corrigendis moribus multo sollicitius vigilasse. Et **144** forte ideo hujusmodi pastores in tabernaculis eligunt habitare, quia de virtute in virtutem docent et diligunt festinare; et eis præsens quidquam non sufficit majorem tendentibus ad profectum, donec evacuato quod ex parte est, tandem venerint ad perfectum. Juxta quorum tabernacula, secundum quorum doctrinam et exemplum, actus suos regere et dirigere Virgo præcipitur, ut sequatur regulam Scripturarum, quam sciendam et tenendam proposuit longa retro series prophetarum. Etsi enim eosdem auctores Virgo mater speciali quadam gratia jam præcedit, tempore tamen eam illorum auctoritas antecedit, nec est injurium si ad eorum formam et doctrinam commendabilem invitetur, ut videlicet sequatur

exemplo, quos præcellere meritis jam videtur. Unde autem hoc Virgini ut prævaleat facere quod monetur, ut se ignorans exeat, et abiens hædos pascere gratuletur, ostendit Sponsus ei, ut in solo Domino glorietur, et suæ nescia faciei, solam illius faciem admiretur. Ideo addit : *Equitatui meo*, etc.

CAPUT V.

Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea. Amicam dicit, cujus animus auditui penitus concordat, cujus conversatio a mandatis nec ad modicum jam discordat, quæ sic agere et peragere studet omnia quæ mandantur, ut eum diligens qui mandavit, ab ipso diligi mereatur. Sicut in Evangelio scriptum est : « Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis (*Joan.* xv). » Porro hanc, ut amica fieret, assimilavit equitatui suo in curribus Pharaonis. Alludit rei gestæ, historiam tangit, quæ describit filios Israel profunda maris sicco vestigio præterisse : currus vero Pharaonis et omnem prorsus illius exercitum interisse. In quo autem huic populo Virgo mater similis habeatur, congruum est videre ; videtur enim hujusmodi similitudo dignam satis convenientiam non habere, præsertim cum in illo transitu non inveniatur equos populus Israel habuisse, et non fuerit equitatus, cui constat equos et equites defuisse. De Pharaone quippe scriptum est : « Equum et ascensorem projecit in mare (*Exod.* xv), » et infra : « Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare (*ibid.*). » Transeuntibus vero filiis Israel, equorum vel curruum nulla fit mentio, minasque Pharaonis non evadunt tali præsidio, ne quod sola Dei manus mirabiliter voluit operari, dignum quisquam existimet equis vel curribus assignari. Denique mare, etsi forte navigio, tamen equo aut rota volubili non transitur ; in transitu autem illo, sicut non navigium, sic nec vehiculum populus experitur, sed divisis fluctibus, et hinc inde stantibus, instar muri, pede sicco transeunt, Ægyptiorum ultra impetus non sensuri. Non itaque ob aliud recte dicitur equitatus, nisi quia Deus ei spiritaliter insidebat, subjectoque populo rector misericorditer præsidebat ; ejusque præsidentis ille currus exstitit vel quadriga, et quadrigæ subsidentis iste dux esse voluit et auriga. Cui Moyses : « Dux fuisti, ait, in misericordia tua populo quem redemisti (*Exod.* xv). » Et Habacuc : « Qui ascendis super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio (*Habac.* III). » Cujusmodi equitatum, sicut, inquit, in curribus Pharaonis, id est supra omnes currus Pharaonis feci meum, meo servitio mancipavi, cum eductum de Ægypto de inter manus persequentium liberavi, sic profundo mysterio mirabili cuidam ministerio te addixi, cum electam matrem Sponsam in mulieribus, id est supra omnes te mulieres benedixi. Omnes quippe motus, omnes impetus quos caro suggerit, quos mens congerit enervata, omnes vitiorum turbas quas emittit et immittit Ægyptus perdite depravata, submersi et exstinxi aquæ diluvio deprimentis, tuas ex tersi maculas gratiæ beneficio diluentis. Exstinctis autem hostibus, meo te servitio liberius assignatam, levi jugo et suavi, cervice voluntaria mancipatam : potens eques, auriga doctus per medium maris duco, et hinc inde remotis fluctibus ad terram viventium solidam te perduco. Stat a dextris et sinistris aquarum imminens altitudo, quas in modum maceriæ fixas tenet invisibilis fortitudo, obstupescunt et mirantur novo et insueto genere se teneri, quadrigæ dari viam, et undas labiles non timeri. Sic enim versans et conversans inter medium peccatorum, hinc gentium stultitiam, illinc attendens scandala Judæorum (*I Cor.* I); ex eorum malitia non culpam tibi contrahis, non peccatum, non frangeris opprobriis, non iter deseris præmonstratum. Nec solum caput tuum non premit vel opprimit undæ congeries imminentis, sed nec rivus præteriens pedes attaminat incedentis, imo pede sicco, puro vestigio, munda vita, viam præteris hujus mundi, nullo vitiorum attactu lacessita. Tanto autem donata munere quomodo non amica, cujus in mundo tam immundo conversatio tam pudica, quæ animi mei custos, secreti conscia spiritalis, vera mater facta es, tori nescia maritalis ? Quod vero in concipiendo, torum non noverit maritalem, imo extunc et deinceps attactus venereus **145** non læserit animum virginalem, verbis sequentibus Sponsus videtur intimare, quibus illius pudicitiam evidentius voluit commendare.

CAPUT VI.

Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. In genis constat Virginis pulchritudinem amplius apparere, in quibus invenitur color niveus subrubere; imo candor et rubor sibi ad invicem videntur invidere, dum quisque velut certat genarum solus superficiem obtinere. Vel, si magis placet, imo quia placet, cum toti faciei candor largo munere se infundit, et rubor se in genis aspersione tenui superfundit : arrident alterutrum, et fit quædam colorum societas amicalis dum ex nivali roseus, et ex roseo gratior fit nivalis. Genæ itaque decore Virginis commendabili colorantur, quæ non confusa sed diffusa in eis gratia decorantur ; in quibus color rubeus vel rubor sanguineus candori sociatur, et alter alterum non fastidit, sed fauce semper avida satiatur. Candor Virginis est carnis munditia et integritas virginalis, quam non lædit macula, non corruptio corporalis; quæ munita securius violento prædonis impetu non sordescit, reclusa diligentius flatu flante durius, non pallescit. Rubor vero qui decenter colori niveo copulatur, fervor est sive calor quo mens interior ardere gratulatur; qui cum velut in camino semetipsum intus vix possit continere, foris in operibus tanquam in genis videtur apparere. Quantum enim intus Virgo ardeat amore spiritali, non ad plenum potest exprimere foris opere corporali; sed ex abundantia quam interna conscientia comprehendit, foris in facie quædam velut scintilla rubea se ostendit. Hoc rubore et candore genas Virginis pulchras existimo perhiberi, quarum pulchritudinem amator

ejus diligit intueri ; et quam a Virgine, ut ante dictum est, humilitatis gratia vult nesciri, ei ipse non invidus laudes amat congruas impertiri. Nec putandum quod aliquam eidem inferat pulchritudini læsionem, quod in ejus laudibus facit turturis mentionem, quia turtur, etsi nullius meriti, nullius esse creditur sanctitatis, pudicitiæ tamen typum, et modestæ præbet formulam castitatis. Unum quippe sortitus comparem alterum ultra nescit, illi soli servans fidem nosse alterum erubescit : illo forte perdito, nec sic alterum vult habere, dolet tanquam viduus, nec in ligno viridi vult sedere. Quantus amor, quanta fides, quantum desiderium castitatis, quam sanctam et imitandam pudicæ præfert speciem honestatis, ut præsentem, sic absentem amat singulariter quem elegit, in cujus semel consortium fide media se redegit? Cui turturi quæ melius, quæ potest dignius comparari, quam illa Virgo virginum in qua Deus voluit incarnari, cum ad eum singulariter diligendum toto jam desiderio raperetur, ut abhorrens omnem virum, ad ingressum etiam angeli turbaretur? Nato autem filio nihilominus nulla viri concupiscentia matrem læsit, sed genito genitrix, Sponsa Sponso amore insolubili sic adhæsit, ut ultra non inferret carnalis impetus casto spiritui detrimentum, nullum ultra vel sentiret amoris alterius blandimentum; inhærens soli cœlo, nesciret fragile pavimentum, carnem sic in filio, ut in Sponso amaret sacramentum. Sponso quidem fide firma diligit adhærere, eique uni viro virginem se castam exhibere, cujus nimirum et lætatur per tempus aliquod præsentia corporali, et beata prædicatur amore et commercio spiritali. « Beata quæ credidisti, » ait Elisabeth (*Luc.* I)! Illo autem velut perdito, cum scilicet mortuus et resurgens consortium humanum fastidiret, et eo unde venerat, hoc est, ad Patris dexteram jam rediret : hæc abhorrens publicum, corde casto, facie verecunda, vidua perseverat instar turturis gemebunda. Et quia Sponsum, cujus virens et delectabilis fuit præsentia, non habebat, absenti fidem servans in ligno non nisi arido jam sedebat; qui non alter ei Sponsus pari privilegio præsidebat, etsi forte gratia ministrandi alter ei velut filius assistebat. Quodpropter, ut æstimo, cum in cruce positus Joanni assistenti Christus matrem Virginem commendaret, et illius obsequio discipulum sollicite manciparet; signanter non ait : Mulier, ecce Sponsus tuus; ad discipulum autem : ecce Sponsa tua, sed ait : « Mulier, ecce filius tuus; ad discipulum autem: ecce mater tua (*Joan.* XIX). » In multis quippe filiis salva fide conjugali matris fecunditas commendatur, in multis vero sponsis intemperantiæ castitas accusatur : et ideo ut Virgo uni viro servetur vel absenti, non alter ei Sponsus, sed alter ei filius astitit in præsenti. Denique alius Joannes, major quo inter natos mulierum non surrexit, ut plane cunctis indicat, hoc mysterium intellexit, qui cum possit credi Christus, qui proprius Virgini Sponsus erat, non se tamen Christum, non esse Sponsum evidentius asseverat. « Ipsi vos, ait, testimonium mihi perhibetis, quod dixerim, ego non sum Christus. Qui habet Sponsam Sponsus est. Amicus autem Sponsi, qui stat et audit eum : gaudio gaudet propter vocem Sponsi (*Joan.* III). » Videtis quia Joannes digno considerationis oculo diligens **146** se metiri, aliis de ipso mentientibus, ipse prudens eligit non mentiri; et proprias sciens metas, non se Sponsum asserit, sed amicum, ne usurpans falsitatem, se reddat potius inimicum. Nullus itaque Virgini Sponsus nisi Christus, qui in ejus utero miras et incomparabiles nuptias celebravit, eamque non masculino coitu, sed divino Spiritu fecundavit, cujus præsentia eidem semper Virgini viridescit, et ad virorem ejus, virgo diligens hilarescit. Quandiu enim cum ea sponsus est, non potest non gaudere, in quo videt carnem suam carnis maculam non habere; qui in thalamo uteri secum factus est caro una, unione quidem nullum habente vitium, sed saluti omnium opportuna. Et quia tale, tam spiritale commercium, nihil sensit contrarium in junctura, nimirum concepto nullum intulit vitium genitura; et natus Christus non sicut cæteri et iræ filius ex natura, sed munda vixit carne, impulsu non necessario, sed voluntario moritura. Denique moriturus : « Si in viridi ligno, ait, hæc faciunt, in arido quid fiet? » (*Luc.* XXIII.) Lignum viride seipsum Sponsus dicit, cujus radix in conceptu occulto vermiculo non mordetur, cujus stipes, id est vita, putredine, quamvis modica, non tenetur; sermonum tanquam ramorum diffusio flatu noxio non arescit, sed, ut concludam brevi, vigore ingenito tota materies viridescit. Cui melius convenit quod Paulus dicit : « Quod si radix sancta, et rami (*Rom.* XII). » Lignum ergo aridum recte quivis homo alius appellatur, cujus et conceptio non satis defæcata, et conversatio vitiis impugnatur; qui ex se vel per se non germinat, non justo germine fecundatur, nisi Sponso largiente ros divinæ gratiæ ei desuper infundatur. Proinde Virgo quandiu Sponsus cum ea est, ligno viridi jucundatur, eo vero absente omne lignum aridum arbitratur; nec aliud invenit in quo pes turturis vel ad modicum requiescat, qui vel originali vel actuali vitiorum attactu non arescat. Ostendens igitur de Sponsi absentia se dolere, dum nec habet quem diligit, nec alterum loco simili vult habere, sedet in arido, et gemens, viduam se ostentat, et tam situ quam gemitu formam turturis repræsentat. Nec putandum quod ex hoc sua privetur gratia pulchritudo, quod sedere et gemere cogit viduam mœstitudo, quia sicut digne in Sponsi præsentia Sponsæ facies hilarescit, sic non est alienum a gratia si in ejus absentia contabescit. Genas itaque Virginis pulchras recte sicut turturis commendavit, cui tam præsenti quam absenti fidem Virgo debitam conservavit, quæ sciens illum hominem solum counita præditum deitate, se totam, se devotam verecunda illi contulit castitate. Cui Sponsus subjungit :

CAPUT VII.

Collum tuum, sicut monilia. Laudans Sponsus Virginem, comparationibus utitur inauditis, et ut prima prætendit facies, non satis ad exprimendam similitudinem exquisitis, quia nec genæ turturi, nec monili collum videtur convenire, si non lector sollicitus latentem studeat convenientiam invenire. Collo innectitur vinculum, ut qui ligatus fuerit, teneatur, tentus hinc, illuc, illinc, alias juxta tenentis libitum abducatur; et si malevolus abductor fuerit, abductus misere captivatur, et libertate perdita fortioris imperio mancipatur. Quo miserator Dominus aliquando pressam et oppressam quamdam Virginem intellexit, quæ decepta et illecta fraudulentas primo blanditias non despexit; postmodum vero præbens collum ad vincula, duci ad ignominiam se neglexit, et oblita libertatis ingenitæ ad servitutem noxiam se deflexit. Hanc videns et miserans Dominus, ad id quod erat perditum reinvitat, monet ut alio se teneri ultra vinculo non permittat, et quæ laxo pudoris claustro permisit ingredi corruptorem, ut solvatur ab ejus vinculo, castum et salutiferum audiat monitorem. « Solve, ait, vincula colli tui, captiva filia Sion (*Isa.* LII). » Tu, ait, quæ olim digne Sion filia dicebaris, cum Deum mente videns, ab eodem vice benevola videbaris; a collo tuo in quo non lapis pretiosus, non jam aurum rutilat, non monile, sed illud deturpavit mens corrupta, carnis æstus, desiderium juvenile; solve, quæso, vincula, ut quod sordet inconcessæ turpitudini prostitutum, tergatur forti manu, honestati reddatur absolutum. Illa sorde hujus nostræ Virginis, quam habemus in manibus, collum non sorduit, non cervice obstinata, non indomito corde obduruit; sed illud voce blanda, molli manu Sponsus defricuit, defricato, levigato onus leve, et suave jugum imposuit. De quo et mandatum accepistis: « Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI). » Collum igitur Virginis est ejus humilitas mansueta, mansuetudo humilis obedientiæ legibus assueta; cujus formam vel exemplum ipse Sponsus voluit se præbere, cum Patri obediens, in utero virginis Deus homo voluit apparere. Cujus obedientiam Virgo dignam satis et imitabilem intellexit, et amatrix formæ hujus collum tumide non erexit, sed auditu audiens tulit jugum, non quod Adam super filios aggravavit, sed quod leve et suave ferentis collum gratius levigavit. **147** Sicut enim, juxta ethnicum, non honor est, sed onus quæ ferentem species est læsura, sic e regione non onus est, sed honor species ornatura; et profecto Christi jugum diligentem non onerat, sed honorat, collum obedientis non dedecorat, sed decorat. Quantus mentis decor vobis videtur in verbis Virginis elucere, quanta de collo ejus non palearia, sed monilia dependere; quæ ad verbum angeli quo Deum parere prædocetur, non nobilem de stirpe regia, sed ancillam humilem se fatetur? Nec novum quidem et subitum erat ei divinis monitis A obedire, quæ diebus retro quamplurimis Deo consueverat deservire; ita ut fideli proposito mansuram quoque Virginem se voveret, unde tamen vel mandatum in Scripturis, vel formam in præcessoribus non haberet. Solo ejus docente Spiritu qui dignanter interius præsidebat, ipsa suam castitatem illibatam servare disponebat; meruitque a spe et desiderio non fraudari, imo quod amplius et mirabilius est, hujusmodi manente proposito, fecundari. Novo autem genere et Virgo permanens et fecunda, cum ante et post nec fecunda quæ Virgo, nec Virgo manserit quæ fecunda: de tanta prærogativa nihil altum, nihil incompositum loqui voluit vel sentire, nec ab eo quem Magistrum mitem et humilem corde noverat, dissentire. Itaque leve onus, jugum suave B nullus hominum sic portavit, obedienti Sponso non se quisquam sic alius conformavit; sicut ipsa quæ illi carnis suæ præbuit indumentum, cujus collum obediens digne considerantibus videtur ornamentum. Denique ipsa est quæ invenitur Christo capiti sic subesse, ut non sit dubium reliquo eam corpori superesse; et ipsa inter caput et corpus videtur locum medium obtinere, nec ad Sponsum filii Sponsi possunt nisi Matre media pertinere. Præsente ipsa nobis Sponsa, bonum est adhærere, absente vero non possunt membra capiti cohærere; nobis longe infra positis per ipsam Dei Filius condescendit, ad quem nisi per ipsam nostra infirmitas non ascendit. Ipsa prior, ipsa felicior accipit grande munus, per quod multi et diversi facti sunt velut unus; per quod duo C parietes una fide, uno baptismate sunt uniti, et ad Christum concurrentes, ei personaliter cuniti. Ipsa denique Sponso et filio, interventu medio, nos commendat, invitat nos ad precandum, illum submonet ut attendat; Sponsi mater et ancilla, nostra omnium imperatrix, disjunctos jungit, junctos retinet potens et efficax mediatrix. Videns quippe nos aridos, vinum in nuptiis non habere, et sciens sine vino non digne satis nuptias complacere; siti miserans perituros, festinat sollicita prævenire, et pro defectu vini fiducialiter Filium convenire. Dicit, inquit, Mater Jesu ad eum: « Vinum non habent (*Joan.* II). » Et attendens non cassari piæ precis humilem interventum, sed venire nobis, imo cunctis discumbentibus ad proventum, dicit ministris: D « Quodcunque dixerit vobis, facite (*ibid*). » Illis autem juxta verbum Virginis aurem inclinantibus ad mandatum, aqua implentur hydriæ, et vinum redditur defæcatum: re digna miraculi nostra insipientia vertitur in saporem, in ignem frigus torpidum, contemptus negligentior in amorem. Collum bonum, bona interventio, bona denique mediatrix, quæ jungit quos disjunxerat Eva noxia separatrix; quæ filium ad largitatem, ad obedientiam nos invitat, agitque ut et nos deferre obsequium, et ille conferre beneficium non omittat. Nec alis re est, quod idem collum Sponsus laudat sicut monilia, quæ opulentiæ matronalis et honestæ castitatis gerunt insignia; quæ facta ex auro et lapidibus arte docta.

specie præeminenti, collum ornant, tegunt pectus, claudunt oram duplicem vestimenti. Auro nostis plerumque sensum et sapientiam designari, lapidibus vero virtutes et opera figurari; et lapides in auro ponit artifex et ordinat diligenter, cum fortia operatur, et opera disponit sapienter. Et recte collum Virginis Sponsus comparatione monilium insignivit, quia mansuetudo humilis, qua Virgo ferre jugum eo dulcius, quo diutius obedivit, seu prærogativa meriti qua vicinior capiti reliqua membra corporis antecessit, qua ad Sponsum pro filiis mediatrix efficax intercessit; auro sapientiæ rutilat, lapidibus operum solidatur, digna virtutum copula per manum artificis adornatur. Quis enim fortius, quis sapientius tulit jugum suave diligenti, quis dilexit ferventius, quis obedivit gratius snaviter omnia disponenti, quam Virgo in qua Verbum Patri coæternum, Dei Sapientia carne voluit sic vestiri, ut quod erat permanens dignaretur habitu ut homo inveniri? (*Philip.* II.) Virginis autem prærogativa roborata hujus munere sacramenti, tanquam monile aureum clausit oram desuper vestimenti; cum non solum decorem, sed et confert Virgini munimentum, ut intra sinum carnis non sentiat prædonem fraudulentum. Sicut enim a mente, sic et a carne Virgo omne noxium repulsavit, imo quietis ejus sinum prædo impudens non pulsavit; videns et invidens mira cum gratia desuper præmuniri, ne cui malevolo ingressus posset uspiam inveniri. Et ob hoc forte Sponsus non monile, sed monilia nominavit, in quo multiplicem vel saltem duplicem prærogativam gratiæ designavit; qua scilicet in salutare suum amore tenero Spiritus Virginis defetiscit, et qua caro jam domita nihil adversus spiritum concupiscit. In **148** Paulo, sicut ait (*Rom.* VII), duæ sibi leges ad invicem obluctantur, cujus tam spiritus quam caro, non quæ volunt, plenius operantur; mente serviens legi Dei monile unum creditur jam habere, carne autem legi peccati nondum prævalet alterum obtinere. Quanto itaque Paulus miserior, qui adhuc rapitur in diversa, cujus Spiritus quæ sursum sunt, caro insolens vult adversa; tanto Virgo felicior, cui monile geminum jam donatur, cujus Spiritus hæret Deo, caro adversus Spiritum non luctatur. Felix, inquam, quæ munita monilibus non admittit prædonem impudicum, quæ pudicitiæ virginalis longe arcet a foribus inimicum, quæ nec ad januam canes improbos, carnis vitia sustinet vel latrare, a quibus suum thalamum Sponsus diligens voluit serenare. Verumtamen assultus cæteros non sic penitus ab eodem thalamo relegavit, eisque dure irruentibus qualemcunque aditum non negavit; in quo, etsi digna est argui sæva malignitas inferentis, non tamen sibi culpam æque humilitas contrahit sufferentis. Propter quod Sponsus ait :

CAPUT VIII.

Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Murænula piscis est, qui nutritus in aquis, undoso earum diluvio tundi se multoties sustinet et propelli, gaudet tamen ad mortem impulsu aquatico non compelli; tempestate concussus absorberi non timet in profundum, caudam, ut dicitur, ponens in ore sese complicat in rotundum; captus arte piscatoria epulantium mensas ditat, et ad sui appetitum sapore gratifico nos invitat. Cujusmodi piscem forte Sponsus promittere Virgini videtur, si non in promittendo manifestius monstraretur; quod intellectum ad litteram nobis penitus interdicit, cum eumdem piscem aureum vel argenteum esse dicit. Denique non ait : Dabimus tibi; quod intelligi poterat ad edendum, sed : *Faciemus tibi*, quod intelligitur ad habendum, quia et piscator dat quidem murænulas, sed non facit, Sponsus vero sua non solum dat munera, sed et facit. Ejus quippe sunt munera, auctor quæ pretiosa facit. In hujus itaque vitæ statu non stabili sed undoso, in hoc mari nimis horribili, fide perdita naufragoso, multis Virgo sentit molestiis et tribulationibus se pulsari, sed usque ad defectum et impatientiam non gravari. Sponsus enim in ea quamdam velut piscium fortitudinem operatur, qua in medio stans aquarum, illuvione multifaria non laxatur; et invocato eo cujus amore æstuat, cujus æstu inexstinguibili detinetur, diluvium non formidat, non aquis profundioribus absorbetur. « Salvum me fac Deus, ait, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam (*Psal.* LXVIII). » Et digne consequenter : « Non absorbeat me profundum (*ibid.*). » Inquieta undarum profunditas, fluxa tribulationum multiplicitas non sufficiunt admirari, quod festinant adversus Virginem facto velut agmine congregari; et tamen nullo assultu, nullo impetu frangere prævalent resistentem, illæsam inter undas instar piscium persistentem. Impellunt, non expellunt; convellunt, non evellunt; concutiunt, non excutiunt a statu solidæ firmitatis, obstupescunt attendentes tantæ Virginem gravitatis; quam sicut nova gratia, incomparabilis species, inaudita prosperitas non extollit, sic dura tribulatio, persecutio malignorum, aquarum fluxa congeries non emollit. Manens enim in carne, erat spiritu non carnalis, sed aurea, id est dives auro et thesauro sapientiæ spiritalis; non molle quid, non fluidum, nihil in se retinens hebetudinis imperitæ, sed solida et lucida, sensu gravi, thesauro fortitudinis exquisitæ. In camino quippe tribulationum ad odorem ignis instar paleæ non præventa, non feno, non stipulæ, sed auro primo similis est inventa (I *Cor.* III); et quam prudentem maris in profundum aquarum illuvio non demersit, non turpavit caminus ignis fuligine sed extersit. Nullum quippe scrupulum, nullum offendiculum in ea tribulationum invenit magnitudo, cui posset adhærere quævis noxia sive dedecens turpitudo, sed per eam, vel super eam cum fluctus et ignes certatim transierunt, eam nimirum et fluctus murænulam, et ignis auream invenerunt. Quod autem se facturum Sponsus non murænulam, sed murænulas affirmavit, non unam, ut æstimo, virtutem, sed plurimas designavit, quas potentiæ suæ docta manu bonus

artifex fabricavit, et opere compactas mirifico, ad ornatum et munimen Virginis præparavit. Porro murænula caudam ad os referens ex seipsa circulum sive annulum facere tunc videtur, cum virtutis bono intuitu inchoatæ, finis ad initium retorquetur; cum patientia Virginis ejus causa quem diligit, eligit quævis gravia sustinere, et nulla adversitas a proposito eum prævalet removere. Altera vero murænula ejus obedientia potest dici, qua ex quo est ab angelo salutata, invenitur mandatis cœlestibus sic addici ut juxta Gabrielis verbum operante Spiritu juncta fideliter uni Sponso, omnem alterum respuens, placere intendebat ei soli qui videt in absconso. Et quis de illa murænula loqui valeat vel sentire, quod vobis videatur ejusdem satis laudibus convenire, cum scilicet nullo mediante hominum sermo angeli fit ad illam, ille benedictam in mulieribus, **149** illa perhibet se ancillam; ille viro incognitam jam præsentis matrem Domini fore spondet (*Luc.* I), illa fidem adhibens, tamen humilem se respondet; novum hominem pariens qui apud Deum in principio Deus erat (*Joan.* I), nihil altum, nihil tumidum referens abjecta et humilis perseverat? Et etiam major et excellentior: illa murænula quæ dilectio sive charitas nominatur, quæ in thróno residens, sceptro quodam regio cæteris principatur, quæ fidei et spei dignitate præeminens, potentatu nobili superducta, procedit efficacius, gaudet securius in ipsum Sponsi cubiculum introducta. Ex hujusmodi murænulis velut quibusdam maculis rectis contexitur vel catena, auro quidem solidior et a sorde pulveris aliena; in camino tribulationis docta manu aurificis fabrefacta, aquis in mollitiem, in favillam igne fumido non redacta. Nunquid vobis non videtur diversas Paulus murænulas compegisse, et compactas in unam restem vel catenulam texuisse; cui pressura tribulationis fornax exstitit et incudo, ex qua miro processit opere murænularum aurea gratitudo? « Scientes, ait, quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris (*Rom.* V). » Videtis ergo quia de camino et incude tribulationis patientiæ producitur æramentum, quod restis vel catenæ radix constituit et immobile fundamentum; cui superimittitur virtutum sequentium celsitudo, quam consummat charitatis auro præeminens pulchritudo. Hæc est autem non ficta charitas, et digne commendabilis virtutum connexio, quam vermiculat et distinguit argenti grata commistio; cum sic murænularum restis operosior est conserta, ut inveniatur ei argenti vermiculatio interserta. Vermilio qui rubeus color est, seu vermiculus qui vermilioni concolor est, Christi significat passionem, cujus in cunctis quæ agimus, necesse est fieri mentionem, ut cum ei servire, obedire, eum diligere nos putamus, ea diligenter quæ pro nobis indigne pertulit, recolamus. Ipsius quidem pro nobis, Isaia perhibente (*Isa.* LXIII), rubuit indumentum, et velut calcantium in torculari A sorduit vestimentum; in cujus typo nostis mandatum antiquitus promulgari, ut pro peccatis rufa vitula debeat immolari (*Num.* XIX). Vitula rufa, ille est qui dicit in Psalmo: « Ego autem sum vermis et non homo; opprobrium hominum et abjectio plebis (*Psal.* XXI). » Hujus vermis et abjecti, hujus opprobrii debet diligentius reminisci, qui promissas Virgini murænulas optat perfectius adipisci, quia non aurea virtutum connexio dat sufficiens ornamentum, si non interseritur vermiculus rubeus et argentum. Denique vermiculus in orbem et circulum multiplicem retorquetur, ut in eo prædictæ memoriæ digna perfectio figuretur; et abscissus, et in duo distantia divisus adhuc vivit, cum signans qui percussus ligno crucis paululum obdormivit, sed statim evigilans B « jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). » In cujus fide et amore et amanda recte memoria Virgo vixit, cum in ejus non tam corpus quam animam persecutor dure gladium fixit; et cum usque ad cor Matris tenerum, Filii mors devenit, mortem tamen fides Matris et dilectio non invenit. Annon ille mortuus est, qui mortem negatione timida subterfugit (*Marc.* XIV), et ille qui timore concussus relicta sindone nudus fugit; et illi qui relicto eo omnes fugam festinantius inierunt, et nec vermiculi nec argenti significantiam tenuerunt. Argentum quippe lucidum et sonorum eloquii formam tenere perhibetur, cujus castitas in fornace, in igne examinatio vocem reddere non veretur; quod nihil C plumbeum, nihil habens stanneum, non incendio tenebrescit, sed illæsum transiens, lucidius et sonorius hilarescit. Habetis quia eloquium Domini eloquium castum, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum (*Psal.* XI). Et per Isaiam; « Si transieris, ait, per ignem, non combureris; et flamma non nocebit in te (*Isa.* XLIII). » Petri eloquium ignis non sonorum, sed instar plumbi sordidum comperitur (*Marc.* XIV); Joannis vero eloquium non satis lucidum invenitur, cum ille exprobrantibus sibi, verbum bonum, verbum veridicum non respondit; iste fuga inita sub silentio se abscondit; lecto sed neglecto quod scriptum est: « Ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque (*Psal.* CXVIII). » Et iterum: « Et respondebo exproD brantibus mihi verbum (*ibid.*). » Virgo autem passionem Christi amplectens ulnis fidei diligenter, dilectionem ejus non premit silentio negligenter; sed quod credens diligit, cum tempus exigit, prædicat evidenter, sicut vere diligens sic verbum fidei proferens confidenter. Digne igitur murænularum speciali donatur ornamento, quæ vermiculatæ et distinctæ probabili sunt argento, cum perfectis ejus virtutibus passionis suæ Sponsus diligentem memoriam interponit; quam Virgo et perferre in moribus, et proferre sermonibus non postponit. Cujusmodi ornatum Sponsus non se fecisse Virgini asserit, sed facturum, ostendens in hac vita non illi esse præsens id muneris, sed futurum, quia dum laborat et desudat et contendit Virgo fortiter in agone, non

viandi completio, non gaudium ei acceptio, sed promissio dat coronæ. Hic enim tanquam in incude macula tunditur, producitur perfectio promissiva, et gratia prosperante recurvatur, ut fiat completiva, ut cauda **150** capiti cohæreat, finis initio conformetur, et conformatio perfectiva clavo stabili confirmetur. In hujus typo Moyses offerri caput et caudam præcipit animalis, innuens ut finem ad initium retorqueat conversatio spiritalis, ut integretur macula, fiat annulus, murænula retundatur, actio bene cœpta fine simili consummetur. Quod, quia dum hic vivit Virgo nondum plenius obtinet, sed exspectat, exspectanti Sponsus timorem vel diffidentiam non objectat; sed præstolantius animum spe confortat, promisso confovet, dat securum; asserens quidquid ejus perfectioni convenit se facturum. Nec moveat quod non sit: *Murænulas aureas* faciam *tibi*, sed *faciemus*. Licet enim solus hic loqui vel promittere Filius videatur, non tamen solus effectum promissi muneris operatur, sed constat Patrem cum filio et sanctum æque Spiritum operari, quos certum est ab invicem sicut non natura, sic nec opere separari. « Pater meus, inquit, operatur, et ego operor (*Joan.* v). » Et iterum : « Quæcunque Pater facit, hæc et Filius similiter facit (*ibid.*), » haud dubium quin et Spiritus sanctus. Quorum Filius, in Evangelio : « Veniemus, ait, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* xiv). » Idem Sponsæ virgini loquens : *Murænulas*, inquit, *aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Et illa :

CAPUT IX.

Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Prolatis laudibus, quibus Sponsus genas et collum Virginis commendavit, facta promissione murænularum qua puellarem ejus animum confortavit, velut cedere et recedere a conspectu Virginis jam videtur, sed ab ore et amore non elongans, grata ejus memoria retinetur. Conversa enim Virgo ad eas quæ secum adolescentulas demorantur, quæ sermones eorum mutuos auditu sollicito præstolantur : loqui de Sponso gaudet et ejus excellentiam commendare, et quid ei contulerit excellens ejus benevolentia, prædicare. *Cum esset*, inquit, *Rex in accubitu suo.* Sponsus meus, ait, non degener, non plebeius, non impotentiæ vilioris, sed summi regis filius, rex et ipse excellentiæ non minoris; de consessu patrio, de sede regia, de absconso magnitudinis inaccessæ, ubi ejus faciem angeli vident et desiderant indefesse; huc ad terras venire voluit in salutem pereuntium animarum, et in meo quievit thalamo, amore delectabili nuptiarum : In meo, inquam, utero Rex ille gratanter accubuit, cujusmodi accubitus accumbenti satis complacuit; et cum in foveis vulpium, in volucrum nidis gratam sibi requiem non haberet, nihil in me conquestus est invenisse quod ejus accubitui displiceret. Accumbens vero sua mirabiliter gratia me replevit, dum conservando virginem, sterilitatem Virginis abolevit; et me in holocaustum ignis ejus efficax adolevit, totamque domum non nidor carnium, sed unguentorum odor suavissimus adimplevit. Cum enim in hoc suo accubitu caput suum majestas illa suavius reclinaret, et in meo se utero ad assumendum carnem Deus Dei Filius inclinaret; accepit virtus mea augmentum non mediocre, profectum gratiæ largiorem, et facta est velut nardus intus vigore fragrans, foris congruum dans odorem. Nardus ad litteram, herba est humilis, calidæ naturæ, succi pinguioris, densa foliis, odore ingens, confidendis aromatibus congrua. Per quam non incongrue virtus Matris virginis figuratur, quæ ante adventum Sponsi parva, et soli Deo cognita videbatur; eo autem præsente longe lateque dedit suavitatem odoris, effundens ad exteros notitiæ beneficium amplioris. Accumbente quidem Sponso in utero Virginis, justus Joseph ignotum mysterium admiratur, sed, revelante Angelo, sacramenti magnificentiam odoratur (*Matth.* 1); intelligens Virginem non corruptam, nec de utero altero concepisse, sed conceptum mirabilem dono sancti Spiritus accepisse. Hunc odorem Elisabeth nare prophetica vidotur nihilominus persensisse, cum Virgo jam gravida ad montana legitur ascendisse, ad cujus vocem salutantis in utero Joannes parvulus exsultavit (*Luc.* 1); magnoque tripudio tota montis habitatio velut echo tinnula resultavit. Sensit enim Elisabeth, sensit et infans in ejus utero Verbi accubitum incarnati, et nardi hujus prætiosæ suavem fragrantiam odorati; sacerdos voce, infans motu applaudunt Virgini venienti, attollunt salutantem, dignum reddunt obsequium præferenti : « Unde hoc mihi, ait sacerdos, ut veniat mater Domini mei ad me (*ibid.*). » Et adjungit de Filio : « Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo (*ibid.*). » Quibus gaudentibus Virgo prægnans sic diligit adgaudere, ut tamen velut nardus inveniatur humilis permanere, et plenior gratia, et merito ditior ampliori, officiosa sedulitate ministret juvencula seniori. Tribus enim mensibus cum sacerdote voluit demorari, congruum ducens cum matrona vetula per id temporis conversari, curam agere, ferre **151** opem, parturienti sollicitius assidere, doloribus compati, sedare gemitus, gratum solatium exhibere. Nec solum puerperæ Virgo solatium præbuit assistricis, sed, ut nonnulli putant, velut officio functa est obstetricis; non quod tali ministerio Virgo rudis fuerit assueta, sed ut erga puerperam pronum animum ostenderet mansueta; et ut nascentem parvulum prima tenens et intuens, redderet meliorem, quem prophetam Altissimi, quem Christi nasciturl noverat præcursorem (*ibid.*). Videt Elisabeth humilitatem Virginis et considerans admiratur, Spiritu prophetiæ, nardi hujus humilem excellentiam odoratur : rubum illum mirabilem et cunctis prædicabilem sæculis illæsum videt uri (*Exod.* III), nardum natura calidam, imo ferventem spiritu non comburi : sentit nardo humili succum inesse pinguiorem, in utero Virginis scaturire fontem misericordiæ puriorem; videt nardum humi-

lem foliis condensari, abundare Virginem verbis modestiæ, doctrina salutari. Quorum omnium etsi nardus Virginis effectum nondum exhibet pleniorem, sensim tamen nonnullis nares sanas habentibus dat odorem, ut sensu vel modico percipiant quanta virtus in Virgine, quanta gratia sit virtutis, in nardo aromatica quanta sit infirmantibus spes salutis. Quisquis enim in seipso morbum senserit vel languorem, si nare avida, si amore debito perceperit hunc odorem; non solum non gravari, nec se corruere dolebit in defectum, sed magis mitigari et transire gaudebit ad profectum. Denique et ipse odor nardi profectum accipere comperitur, cum processu temporis Virgo majorem sui notitiam impertitur; cum post ortum Filii, qui sapientia profecit et ætate, mater ejus esse cognoscitur incorrupta Virginis castitate (*Luc.* II). Cum enim in carne Verbum, Deus in homine inter homines versaretur, et a multis homo tantum, vel ignorantia vel malitia diceretur; plures tamen Deum et hominem veraci eum judicio cognoverunt, et sicut ante partum, sic post partum, Matrem ejus esse Virginem crediderunt. *Cum* igitur, *esset rex in accubitu suo*, id est cum Deus in homine magnus ut humilem se præberet, et occultus incredulis, latens exteros, suis tantum cubicularii appareret, *nardus mea dedit odorem suum*, id est, lux mea sub modio, in obscuro virtus non latuit, sed tam Petro quam cæteris veram habentibus fidem innotuit. Unde quærenti: « Quem dicunt homines esse Filium hominis (*Matth.* XVI); » et iterum: « Vos autem quem me esse dicitis (*ibid.*). » Petrus respondit: « Tu es Christus Filius Dei vivi (*ibid.*). » Ille de se interrogans, Filium se meum hominis appellavit. Petrus hausto nardi odore Dei vivi Filium affirmavit; intelligens quia Christus meus virginis filius sic habetur, ut recte non et vir, sed Dei Filius prædicetur. Hunc odorem nare sana gentiles non percipiunt, non Judæi, qui nescientes me virginem, illum negant Filium esse Dei; et derogantes Matri, cui Pater prorsus defuit ad junctura, tam gignentis quam geniti non appendunt ineffabilem geniturum. Proinde naribus obfirmatis, cæco visu, auditu surdo, manibus impiis me affligunt, qui odore non percepto Christum ut purum hominem crucifigunt, quorum non sano sensui recte centurio contradicit, cum viso terræmotu Christum Dei Filium esse dicit: « Vere, inquit, Filius Dei erat iste (*Matth.* XXVII). » Multo autem amplius redoluit nardus mea, virtus enituit, cum Rex in throno regio et in sede quietis accubuit; in qua semotus a terrenis locum reperit gratiorem, et procul ab invidis non injuriam pertulit, non laborem. In hoc enim degens mundo et in vita morti subdita constitutus, in qua velut a divino visus est patrocinio destitutus: tot et tanta pertulit, per angustias ambulans semitæ durioris, ut recte judicetur non quietis hæc habitatio, sed laboris. In qua: « Deus Deus meus, ait, utquid dereliquisti me? (*Matth.* XXVII.) » Et de qua: « Laboravi, ait, sustinens (*Isa.* I). » Et Jeremias: « Domine, ait, dedisti eis scutum cordis, laborem tuum (*Thren.* III). » Cum vero iter laboriosum triumphata morte moriens explevisset, et resurgens immortalis ad cœlos, unde venerat, ascendisset: sedit ad dexteram majestatis in excelsis, tanto melior angelis jam effectus, quanto præ illis nomen hæreditarium est adeptus (*Hebr.* I). In hac sede vel throno regio cum Rex iste pace debita potiretur, accumbens in consessu patrio cœterna gloria lætaretur; nardus virginis inventa est copiosius et fructuosius redolere, virginalis fecunditas eo gratius quo uberius emittere. Misso quippe Spiritu et in linguis ignis descendente, cum de cœlo super discipulos vehemens sonitus fit repente (*Act.* II), procul ab eis cæcitas ignorantiæ et timoris angustia propelluntur, et tam prudenter quam fideliter quæ de Christo noverant, eloquuntur. Virgo nimirum eis longa retro serie de Sponsi osculo vel de fœdere nuptiali, lege non facto corporis de conceptu sive ortu recensuerat corporali; et quoniam uniti fuerant assumens personaliter et assumptus, ille non degenerans in assumpto, iste assumentis gloria non consumptus: Deus homo verus, Christus sapientia profecerat et ætate, suam tandem animam et ponens et resumens libera potestate. Hæc et multo plura quæ in præsenti loco non est facile recenseri (præsertim cum tanta sint, ut vix codice possint contineri), per multos retro annos virgo multis multoties studuit explicare, quos idem Sponsus voluit sibi **152** familiarius applicare. Quæ omnia misso de cœlis Spiritu quia plenius intellecta, intellectu pleniori gratius sunt accepta; et quæ Sponso laborante et mortali minus placuerant cooperta, immortali accumbente in requiem, placent amplius deoperta. Nardus ergo virginis suum, id est sibi congruum fidelibus dat odorem, cum virtus ejus et sanctitas notitiam sui exhibet pleniorem; cum Sponso accumbente in dextera divinæ majestatis, plenius innotescit, suavius indulcescit prædictæ scientia veritatis. Miror si non illa mulier hoc ipsum visa est designare, quæ libram unguenti nardi pistici pretiosi Christo recumbenti voluit propinare (*Joan.* XII), quod supra pedes ejus reverentia debita, super caput vero effudit gratia largiore, totaque impleta est felix illa domus Simonis ex odore. De quo ipse Jesus testimonium perhibens: « Bonum, inquit, opus operata est in me (*Matth.* XXI). » Vere bonum opus, nec potest facile melius inveniri, cum inter convivas suos recumbens Jesus pedes et caput suum nardo gaudet pistico deliniri; humanitatem suam ignorantiæ non premi silentio, divinitatis culmen scientiæ plenioris attolli præconio. Quam nostra virgo studuit non tam sermonibus quam moribus commendare, tam vivendo quam loquendo commendabilem prædicare, ne videretur tanquam verbosus miles de bello et victoria disputare, qui delicatus noluit castrorum gravamina, congressus talium tolerare. Ideo adjungit:

CAPUT X.

Fasciculus mirrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Mirrha species est amara, juxta sententiam medicorum, qua, si quis perunxerit diligenter corpora mortuorum, amaritudo ejus tam efficacem cadaveribus dat medelam, ut in longitudinem dierum non vermis, non putredinis sentiant corruptelam. Mirrhæ ergo nomine recte Sponsus virginis figuratur, cujus amaro fasce hujus conscientia non gravatur; sed quod alteri non amanti grave et amarissimum reputatur, ei salutis avidæ quo salutiferum eo suavissimum judicatur. Amaritudo mirrhæ verbum Sponsi est, vel mandatum, cujus primum velut gustum sic nonnulli inveniuntur abhorrere, sic eis prima facies, sic illius auditio displicere; ut corde indurato non solum non eligant consentire, sed tanquam a noxio et sibi contrario festinent longius resilire. Nostis cum de perfectione cuidam juveni Christus in Evangelio loqueretur, eumque ad contemptum divitiarum et paupertatem voluntariam hortaretur; ille oblatum saporem ut tristem respuit et amarum, quod audivit non tenuit; magis facto quam verbo prædicans se avarum: « Cum audisset, inquit, adolescens verbum, abiit tristis; erat enim habens multas possessiones (*Matth.* XIX). » Alibi cum dixisset Jesus: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo: multi, ait, audientes ex discipulis ejus, dixerunt: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt, inquit, retro: et jam non cum illo ambulabant (*Joan.* VI). » Videtis istos fidem auditui non deferre, verbum durum tanquam mirrhæ amaritudinem non sufferre; cum hujusmodi adversario consensum utilem non habere, sed mente perdita mandatum illud salutiferum abhorrere. « Esto, ait, consentiens adversario tuo, dum es in via cum eo (*Matth.* V). » Virgo autem quam habemus in manibus, hujusmodi mandatum non respuit, sed mirrhæ amaritudinem animo libenti sustinuit; et quam male delicati palato læso reputant acriorem, ipsa meliori consilio concordi Spiritu habere diligit gratiorem. Quodpropter et ejusdem mirrhæ non fascem, sed fasciculum nominavit, in quo divini mandati suavem, ut ita dixerim, amaritudinem designavit; quæ collum vel humeros non premit, non aggravat sufferentis, sed in ea dilectionem auget, dilectio jugum levigat imponentis. Quidquid enim in hac vita sibi necessarium arbitratur, non tanquam Simon in angaria, sed amore sponsi perficere vel peragere gratulatur; eoque fasciculo carnes suas condit, studet statu mansorio solidare, dum, quod in carne gerit, totum dilecto diligit commendare. Noster quidem miserorum labor, vel actio misera computrescit, quoties in nobis Christi dilectio refrigescit; et si forte Spiritus promptus amore illius inardescit, mirrha nobis amarus fascis est, cum vel caro infirmatur, vel adversus Spiritum insolescit. Neque enim possumus nostras prorsus frangere voluntates, non penitus relegare A mundi vel corporis voluptates; nosque infelices hujusmodi sarcinam multo ferimus cum labore, dum alternis vicibus et spe timor, et iterum vincitur spes timore. Dilectum vero suum virgo tam tenere, tam suaviter amplexatur, sic illius amore suavis hujus conscientia delectatur, ut quidquid amaritudinis sufferre cogitur in præsenti, leve ducat et minimum amore illius quem jam gustat, gustatura plenius in sequenti. Ideo dicit: *Mihi dilectus*, inquit, *meus mihi*; etsi alii, inquit, fascem durum videntur **153** sustinere, qui nondum meruerunt concordiam carnis et Spiritus obtinere: mihi tamen dilectus meus jam se fasciculum voluit exhibere, quæ sopita lucta cărnis concessa sum continuis ejus amplexibus inhærere. Attendens quippe Virgo eum quem diligit, B Regem esse, et ideo potentem, divitem, nobilem illum esse; non curat si quando foris obstrepant quævis dura, cum intus in amplexu illius gaudeat jam secura. Ipsum enim quem paulo ante Regem dicit: « Cum esset, inquiens, Rex in accubitu suo (*Cant.* I), » nunc dilectum diligit nominare, ut ostendat non invalidum, non inopem, non degenerem se amare; in cujus amplexum affectu fervido se suspendit, quidquid infra, vel retro est digno fastidio parvipendit. Eapropter cum dixisset: *Fasciculus mirrhæ dilectus meus mihi*, adjungit: *Inter ubera*, etc.

CAPUT XI.

Inter ubera mea commorabitur. Bonus iste Fasciculus et optabilis non mediocriter diligenti, qui C dorsum vel humerum non incurvat nec fastidium ingerit sufferenti; sed grata suavitate inter sua ubera commoratur, ubi non tam sustineri quam teneri et astringi cernimus quod amatur. Non sic ille de quo scriptum est: « Divertit ab oneribus dorsum ejus (*Psal.* LXXX). » Et legistis, quia ovem perditam et inventam pastor in humeris reportat ad gregem (*Luc.* XV). De qua idem conquerens ait: « Laboravi sustinens (*Isa.* I). » Virgo autem ferens prædictum mirrhæ fasciculum, non se existimat laborare, nec in dorso vel humero eum dicit fasciculum se portare, sed, novo loquendi genere, inter sua illum gratanter ubera commorari, ubi sedes cordis esse et dilectio dicitur principari. Ubera vero Virginis videntur D dilectionem ejus duplicem figurare, qua scilicet Virgo Sponsum, tanquam Deum et hominem diligit adamare: Deum utpote Creatorem et totius Dominum creaturæ, hominem ut filium gratia mirabilis et ineffabilis genituræ. Cui recte convenit quod per Prophetam dictum est: « Deus cordis mei, et pars mea Deus (*Psal.* LXXII). » Denique nullus est qui nesciat, quia inter sua ubera mater filium amplexatur, quem ex eo quod mater est, naturæ quadam lege amare comprobatur: et Virgo suum Filium dilectionis gratia fasciculo comparavit, quem sermo propheticus humilitatis merito puerum, sive parvulum nominavit. « Parvulus, inquit, natus est nobis (*Isa.* IX). » Parvulus iste inter matris ubera suaviter commoratur, quem non natura, sed gratia prævа-

lente mater fortiter amplexatur : et amore irremisso hinc Deum, inde hominem, imo totum simul filium tenet firmius nec dimittit, amat, et amare nullo impulsu amaritudinis intermittit. De quo infra dicit : « Tenui eum, nec dimittam (*Cant.* III). » Nec solum mater filium, sed et Sponsum Sponsa tenerius amplexatur, et sicut illa, sic ille amplexu mutuo gratulatur, qui cum eam, ut dictum est in principio dramatis, osculatur, profecto inter hujus ubera ipse dulcius commoratur. In osculo enim (si tamen avidius et sincerius consummetur) sicut os ori, sic pectus pectori conjungi perhibetur ; nec ad unguem proficere amor osculantium comprobatur, si osculum ore datum amplexu gratifico non firmatur. Recte ergo inter ubera sua Virgo Sponsum asserit commorari, id est amorem tenerum amplexus glutino confirmari qui ne more aliorum brevis et perfunctorius æstimetur, non eum aliquando fastidire, sed in eo Sponsus moram facere perhibetur. *Inter ubera*, inquit, *mea commorabitur*. De quo subjungit : *Botrus*, etc.

CAPUT XII.

Botrus Cypri Dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Mirabilis et multum amabilis hic dilectus, cujus excellentiam meus vel mei similis non capit intellectus, quem ut tamen utcunque capiat, nunc mirrham, nunc botrum audio nominari, nihil tamen horum esse, sed his eum sciens nominibus figurari. Botrus fructus est, qui processu temporis maturitate adepta congruus ad edendum, postmodum pressus prelo liquorem vini eliquat ad bibendum. Quo nomine non immerito Sponsus Virginis appellatur, cujus cognitio in corde recte credentium profectu congruo maturatur; eaque maturata ipse diligentium affectu avido manducatur, ciboque spiritali vita manducantium spiritaliter vegetatur. Quod asserens in Evangelio : « Qui manducat, inquit, me, ipse vivet propter me (*Joan.* VI). » Felix qui hunc cibum vult et valet substantia vendita comparare, tali edulio fauces cordis avidas præparare : gustu ejus tam suavi vires intus marcidas reparare, et abjecta carnis cura diligenti studio Spiritum roborare. Felix, inquam, in cujus conscientia botri hujus cognitio maturescit, cujus æstuat appetitus, cujus faucibus indulcescit, qui sapore gratifico palatum diligens delinire, vitalem ejus succum **154** ad interna sentit vitalia pertransire. Quo transito caro marcet, spiritus impinguatur, defetiscit exterior homo, interior renovatur : sensus carnis detumescit, spiritus accipit incrementum, illo quasi emortuo iste tendit festinantius ad proventum. Non enim jam contentus fauce botrum famelica manducare, post vitalem cibum optat fecundum calicem epotare ; neque satis ei sufficiens videtur comestio concupita, si non vino suaviori et gratiori poculo sit condita. Itaque prelo devotionis et amoris frixorio botrum premit fortiter jam maturum, acinos projicit, vinum colat gratius placiturum : et qui eatenus aliquanto velut manducaverat cum labore, bibit suavius, plenius hilarescit dum nil sentit contrarium in amore. Cibus enim in potum, in vinum botrus videtur quodammodo transmutari, dum divino quis amore invenitur tam suaviter debriari, ut oblitus præsentium, solo futurorum desiderio teneatur, et nescius tristitiæ, frui jam illo sui Domini gaudio videatur. Cujus suavitatem cunctis plenius Virgo beatissima prægustavit, cujus vino vel amore longe vehementius æstuavit ; præsertim cum post mortem Filii (qua visa Mater non potuit non dolere), inventa est caro ejus resurrectionis beneficio reflorere. Quæ enim illo moriente cujusdam mirrhæ tristem amaritudinem degustavit, eodem resurgente velut pota vino suavius exsultavit ; et ut ejus gaudium excellentius cæteris liquido cognoscatur. Botrus, de quo sermo est, a loco non incongrue commendatur : *Botrus*, inquit, *Cypri dilectus meus mihi*. Cyprus insula est, cæteris circumjacentibus prior, potius quam secunda, ut aiunt, qui viderunt, vini peroptimi tam fecunda, ut non solum sibi ejus fecunditas grata et sufficiens habeatur, sed et inde in alias regiones vinum sui merito transvehatur. Cujus botrus ad videndum pulchrior, gratior ad edendum, ad bibendum suavior invenitur, cum maturo tempore torcular calcantium experitur ; et sicut visui sic et gustui videtur arridere, eique præludenti diligentis gaudet animus respondere. Recte ergo botrum Cypri suum virgo dilectum voluit appellare, qui sibi diligenti tantum dignatus est gaudium propinare, ut mœrore terso quem intulerat passio morientis, velut ebria redderetur gustu suavissimo resurgentis. Qui, etsi pluribus aliis botrus exstitit ut gauderent, ut resurgentis gratia resurgendi carne et spiritu spem haberent, sibi tamen nonnisi botrum Cypri virgo eum asserit exstitisse, cui amplius et perfectius gaudium Sponsus creditur præstitisse. Noverat quippe virgo et mortem Filii delendis vitiis profuturam, et resurrectionem ejus justificationis meritum largituram, et in utroque aliis varie diffidentibus non diffisa, quo firmius credidit, amavit robustius, eo amplius est gavisa. Digne itaque eum, in quem credidit, quem dilexit, botro Cypri quodammodo comparabilem intellexit, cujus amor apud ipsam profectu incomparabili maturescit, quo plenius et suavius degustato ipsa fortius et jucundius hilarescit. Ut autem botrus iste ampliore adhuc gratia commendetur, vinearum Engaddi mentio non tacetur ; et cum Cyprus nominata videretur sufficiens, satis esse, Engaddus est adjunctus, ut non commendationi valeat quid deesse. *Botrus*, inquit, *Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi*. Ut videtur, botrum Cypri in Engaddi vineis esse dicit, cui dicto ad litteram rei veritas contradicit ; quia et Engaddus a Cypro longe remotior esse scitur, et transferri botros de vineis in vineas non consuetudo, non necessitas invenitur. Si enim quis botros ferre de vineis in vineas moliatur, prudentium judicio ineptiæ cujusdam accusatur ; tanquam si sensu perdito in silvam ligna portet, vel in mare plenissimum aquas fundat, cum id illo potius sit ferendum, ubi certissime non abundat. Denique

Engaddus vineas dicitur non habere, sed quasdam arbusculas, quas constat vineis prævalere; quæ si docta manu, opportuno tempore compunguntur, sudare oleum imo liquorem balsami cognoscuntur. Cujusmodi arbusculas quia multa diligentia excolunt possessores, ut tanquam vineæ ad producendum liquorem reddantur promptiores; ideo forte divinus sermo vineas appellavit, quo et culturæ subditas et liquore pretioso uberes designavit. Quia ergo botrum Cypri non est in his vineis sive arbusculis invenire, neque potest, quod dictum est, juxta litteram convenire, necesse est in hoc verbo spiritalis intelligentia requiratur, quæ, sicut jam accepistis, in hoc magis dramate principatur. In ligno vel arbuscula non incongrue Sponsus virginis figuratur, qui si tactu et amore digne credentium compungatur; sudat oleum, pretiosi balsami dat liquorem, amanti multam profert gratiam, refundit spiritum gratiorem. « Ergo, inquit, diligentes me diligo (*Prov.* VIII). » Et in Evangelio : « Tetigit me, inquit, aliquis : ego enim sensi virtutem de me exisse (*Luc.* VIII). » Sponsus iste cum tangitur affectu placito diligentis, sacrum refundit balsamum, virtutem spiritus affluentis; eam, quæ morbos sedat, omnem arcet sua præsentia læsionem, eam profert quæ pulso tam errore quam ignorantia docet de omnibus unctionem. Hoc autem beneficium ipso loci nomine videtur intimari, siquis ipsum expressius volverit aut valuerit perscrutari, quia Engaddus, *fons hædi*, sive *temptationis oculis* interpretatur, cujus **155** interpretatio tantæ rei mysterio famulatur. Hædus in lege reprobatur, qui in desertum emittitur a ministris (*Levit.* XVI), et in Evangelio idem peccati merito ponitur a sinistris (*Matth.* XXV); et hoc propter, per eum, peccatum vel peccator non incongrue figuratur, qui merito sui, ab eo qui nonnisi justitias diligit, reprobatur. Fons autem hædi ipse est Spiritus, cujus infusio peccatum lavat, emundat peccatorem, carnem leprosi Naaman reddit puero puriorem (*IV Reg.* V), hædum in agnum mutat, dans vitæ meritum innocentis (*Joan.* IV), fit in eo qui biberit fons uber, fons aquæ salientis. Oculus quoque temptationis idem Spiritus non immerito perhibetur, luce cujus et gratia longe temptatio prævidetur; qui hominem docens scientiam, sapientiam formans, dirigens intellectum, tersa noctis caligine, diei deducit ad perfectum. Botrus itaque Cypri in vineis Engaddi, hujus nostræ virginis est dilectus, quia amor et gaudium quo ejusdem animus est affectus, in ipso Christo, in ipsius digne Spiritu solidatur, ipsum in ipso diligens, de ipso et non de alio gratulatur. Ipsi quidem lignum est fructiferum, medicinale balsamum, fons vitalis, injustitiæ lavacrum, lumen scientiæ, oculus spiritalis; et quidquid vel in depellendis malis, vel obtinendis bonis necessarium judicatur, in ipso et ab ipso haberi veraciter prædicatur. A quo beneficio ne nos alieni penitus judicemur, licet nequaquam tanto hujus virginis merito coæquemur, cum sacri baptismatis sacramento, visibiliter quædam accepimus in invisibilium monumento. Ungimur enim oleo in figura cœlestis medicinæ, qua torpore procul pulso præparamur agili disciplinæ, ut divino spiritu perunctus noster spiritus in luctu fortior habeatur, et de manu vel laqueo adversarii expeditius elabatur. Postmodum fonte mundo aquæ visibilis perlustramur, ut a sorde, non tam carnis quam animæ spiritaliter abluamur; et motus hædi asperos omni mansuetudine commutemus, et in nobis nil sinistrum, nil dignum judicio reservemus. Tertio lumen nobis accenditur, ut noster oculus non caliget, ut cum noxia quæque prævideri, vel prohibeat vel castiget, ut Satanæ astutias non ignorans quid videlicet simulent, quid intendant, sicut in die honeste ambulet, et non eum tenebræ comprehendant. Sic athletam strenuum, cum recens accingitur in agone, baptista suus erudit, magis significationibus quam sermone; ut cum horum quæ dicta sunt, vivacem perceperit intellectum, summo nisu cum gratia pervenire studeat ad effectum. In quibus virgo omnibus nulli par esse creditur non secunda, sed longe prior cæteris amore Sponsi fruitur lætabunda; eique privilegio speciali digne competit illud dictum, quod adhuc nobis novimus meritis exigentibus interdictum. *Botrus*, inquit, *Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* Postquam hæc de dilecto virgo adolescentulis est locuta, et quid patientiæ, quid in illo gaudii habeat, mystice prosecuta; ille ad hanc se quasi referens, non differt gratius respondere, laudans et commendans quod intelligit, et in ea diligit præeminere.

CAPUT XIII.

Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra : oculi tui columbarum. Tu, ait, quæ præ cunctis mihi mulieribus es amica, totius malitiæ, totius turpitudinis inimica. Ecce, id est, non solum cum justis omnibus in sequenti, sed longe laudabilius præ cæteris omnibus in præsenti : *Ecce*, inquam, *tu es pulchra*, pollens quadam pulchritudine singulari, cui non prior, non posterior ulla potest mulierum comparari. Decet enim ut speciosus forma præ filiis hominum habeat sibi talem, quæ singulari gratia pulchritudinem præferat specialem, cujus faciem turpitudo indigna et degenerans non obscuret, sed dilectam dilectio, ei a quo diligitur, configuret. Cum autem dixisset : *Ecce tu pulchra es, amica mea;* quid est quod repetiit : *Ecce tu pulchra?* Quid sibi vult pulchra et pulchra? Forte ad hoc repetivit, ne quis de prædicta pulchritudine dubitaret, sed præmissum testimonium sequens assertio confirmaret; quia et omne verbum stare in ore duorum testium prædicatur (*II Cor.* XIII), et in duobus præceptis legis et prophetarum pendere auctoritas memoratur (*Matth.* XX). Nonnulli aiunt ideo eum pulchram virginem bis dixisse, ut eam designaret duplicem pulchritudinem habuisse; quæ concipiens et pariens, Virgo mirabiliter perseverat, et in tanta prærogativa humilem se veraciter asseverat, cum plerum-

que inveniatur quælibet aut humilis, sed corrupta, aut aliquantulum superbior, si forte fuerit incorrupta. Digne igitur pulchra, quam nulla integritatis læsio deturpavit, et iterum pulchra, quam incomparabilis humilitas honestavit, ut humilem spiritu redat virginitatis flosculus clariorem, flore claram virgineo, spiritu humilis pulchriorem. Ego vero (non præjudicans eis quos constat irreprehensibiliter hoc sensisse), æstimo Sponsum repetendo quiddam amantis proprium expressisse, qui tenere diligens a quo diligi gratulatur, grata dicit nec sufficit semel dicere **156** quod amatur. Habet quippe hoc sibi familiare et proprium vis amoris, ut cum aliquem illexerit affectus vinculo charioris; illum excitet, ut de eo quod diligit loquatur gratiosa, et nisi repetantur, non sibi videantur satis eadem fructuose. Monet dilectio diligentem loqui libentius, et ut affectum exprimat repetere verbum frequentius; nec videtur diligenti lectio hæc justo amplius requisita, etiamsi fuerit juxta poetam decies repetita. Unde et David cum dilectionem, quam erga filium habuerat, signanter vellet exprimere, et dolorem mortis ejus silentio non posset comprimere; lugens et operto capite, dignitatis regiæ oblitus incedebat, et loquens de filio eumdem frequentius sermonem repetebat : « Absalon fili mi, fili mi Absalon (*II Reg.* XVIII). » Idem in Psalmo : « Deus, Deus meus (*Psal.* XCII). » Et alibi : « Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus (*Psal.* LXVI). » Videtis, quia loqui semel quod placeat amanti sufficiens non putatur, sed affectus tenerior iterare quod dixerat gratulatur, quia quidquid dici potest, necdum satis amori deditus magnipendit, quantum ad id quod animo verbis inexplicabile comprehendit. Eapropter Sponsus aggrediens blandis sermonibus Virginem compellare, quod eam, ut audistis, secundo pulchram voluit appellare, non tam ejus (quæ multa est) repetendo nisus est pulchritudinem commendare, quam affectum, quo tenetur erga eam, audientibus intimare. Quia vero plurima pulchritudo in oculis elucet puellarum, in ejus laude habere eam asserit oculos columbarum, quos vult intelligi, ut existimo, non hujus capitis, non carnales, sed illius interioris hominis spiritales. Habent columbæ quasdam sibi proprietates insitas a natura, quas a prioribus in sequaces transfert lege ineffabili genitura, in quo longe a cæteris differre avibus referuntur, quibus hæc naturæ dona non omnibus omnia conferuntur. Septem quippe naturas sive naturæ virtutes habere perhibentur, quibus et appetunt utilia, et a noxiis prohibentur; quas nominatim proferre et conferre virtutibus sanctitatis (forte dicturus alias), nunc differo gratia brevitatis. Denique Spiritus sanctus in columba visus est apparere (*Luc.* III), nobis insinuans non parvam cum illa similitudinem se habere, dum et ipse septem donis principalibus insignis invenitur, et ista grato naturæ septenario, ut prædictum est, insignitur. Cum ergo Sponsus oculos Virginis esse perhibet columbarum, commendat in ea septem munera gratiarum; non capitis lumen occiduum, sed animi virtutes inspectivas, justi et injusti magis, quam dierum et noctium discretivas. Et recte laudat eam quam suo Spiritui sic conformem, habere considerat virtutum gratiam septiformem, a qua longe faciens carnis somnolentiam, torpores femininos; vigilantiam spiritalem et oculos ei contulit columbinos. Nulli quidem mulierum ipse quoque Spiritus abundantius acquievit, quam eidem Virgini, in qua septempliciter requievit, dum quod figuraliter columbæ corporales obtinent ex natura, totum ei dedit in spiritu, in veritate potius quam figura. Unde gaudens et acceptis Sponsi laudibus non ingrata, ipsum quoque pulchrum dicit, laude nihilominus duplicata; suoque laudatori vicem reddere gratulatur, et sic laude vicaria dilectio mutua confortatur.

CAPUT XIV.

Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Quia mundato corde mihi pulchritudinem tua contulit sanctitudo, ex hoc novi quod et tibi multa sit pulchritudo, quia si deformitas terso nondum oculo me teneret, tua mihi nullo modo lucufenta species appareret. Nunc vero instar columbarum oculis spiritalibus insignita, attendo perspicacius quam sit tibi facies expolita : videoque adesse tibi formam præ filiis hominum pulchriorem, quem plerique vident tantum non habentem speciem vel decorem. Corvina quippe acies quæ turpi nigredine perurgetur, te non nisi deformem, non nisi hominem intuetur; et errore detenta indigno satis judicio te addicit, dum Joannem, aut Eliam aut unum te ex prioribus esse dicit (*Matth.* XVI). Mihi autem, cui non quassa fides, acies non corvina, sed gratia septiformis, et species præsto est columbina : tua longe mortalitas infirmitatis, longe est turpitudo, et suavis allucescit utriusque naturæ incomparabilis pulchritudo. Tu nimirum pulcher es mira ac præcipua deitate, cum Patre et Spiritu, substantiali præditus unitate : habens cum illis eamdem excellentiam naturalem, magnitudinem coæternam, regnum et potentiam coæqualem. In quo nullus decorum tibi similis invenitur, nec tanta Deus alter prærogativa pulchritudinis insignitur, quia, etsi Patrem alterum, alterum et Spiritum sanctum dat intelligi distinctio personalis, unum tamen, et non alterum Deum reddit substantia naturalis. Quidquid ergo pulchritudinis Pater et Spiritus cognoscuntur habere, dilecte mi, fide certa, in te perspicio relucere : et hoc est quod me allicit ut diligam et eligam te dilectum, ut te sequar, nec desistam, donec consequar et veniam ad perfectum, et quia non me latet in **157** præsenti divinæ tuæ pulchritudinis celsitudo; placet non mediocriter humanitatis quoque miranda pulchritudo : qua homo inter homines, mortalis inter peccato mortuos sic haberis, ut cum pœnam sufferas, culpa tamen mortalium non graveris. Quem decorem nullus filiorum Adam obtinere meruit ex

natura, quia nullius conceptio, nullius carnit vitio genitura ; sed te solum decoravit singularis munditia, excellentia specialis, quem divino conceptum Spiritu solum fudit uterus virginalis. Hoc autem non prius, non amplius cuiquam hominum manifestas, quam mihi, mi dilecte, quam singulari merito sic honestas, ut te Deum et hominem certa pariam veritate, mater Sponsi, Sponsa filii, mira et incomparabili castitate. Mihi ergo tu pulcher es, mihi præcipue decorus illucescis, qui et Deus in homine, et homo Sanctus super homines innotescis, quem Filium Deo Patri æqualitas naturæ configurat, et hominem lex peccati et generalis hominum conceptio non obscurat. Pulcher, inquam, es, quia candor lucis æternæ, speculum sine macula divinæ majestatis, paternæ splendor gloriæ, figura substantiæ, imago veritatis (*Hebr.* I); lux de luce, sol oriens, diem mundo afferens matutinum, dies de die, cubans in meridie, occasum nesciens vespertinum. Cum rapta in excessum, et a visibilibus in Spiritu sublimata, tam pulchrum te considero mentis acie defæcata ; velut oblita mei, te, quem talem intueor, non possum non amare, ardeo te dilectum tuamque pulchritudinem commendare.

CAPUT XV.

Ecce tu pulcher es, dilecte mi. Nec mihi sola placet deitatis tuæ miranda pulchritudo, quam cum Patre et Spiritu coæqualis tua obtinet celsitudo ; sed et illo me decore non mediocriter accendisti, quo abundante gratia excelsus ad humilia descendisti. Neque enim parvus est decor ille quem, præcingens te, fortiter es indutus, cum a Patre super Sion montem sanctum ejus es constitutus (*Psal.* II); cum in me sumens carnem, et ei personaliter counitus, processisti Sponsus e thalamo (*Psal.* XVIII), humilitate potentialiter insignitus. In qua carne, super carnis legem, carnis vitia non sensisti, sed conceptus de Spiritu vigore ingenito floruisti : carnisque pœnam sufferens, in conspectu persequentium defecisti ; in conspectu vero fidelium, salutare mundo mysterium perfecisti. Necesse enim erat ut in carne vivens pœnaliter nos doceres, vivendi te magistrum tam moribus quam sermonibus exhiberes ; incude et malleo Evangelii regulam fabricares : mortem in carne sufferens auctorem mortis Zabulum triumphares. Morti vero addictus, die tertia surrexisti, et immortalis redditus, fidem roborans, spem dedisti : ad cœlos unde veneras, nostræ carnis substantiam evexisti, tuisque dato Spiritu eorum illuc animos erexisti. Quis digne considerans, quod sic nasci et vivere, mori et resurgere potuisti, et hæc alto consilio homo propter homines agere voluisti, non stupeat, non miretur, non diligat hunc decorem, non amplectatur avide tam validum: tam benevolum largitorem? Quod, etsi latet alios, quibus culpa exigente hujusmodi gratia vel aufertur, vel danda in posterum occulto judicio nunc differtur ; mihi tamen in præsenti hujus rei series declaratur, mihi patet, mihi placet quod tua in homine Deitas operatur. *Ecce*, inquam, *tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.* Ecce, hoc est, in evidenti mihi pulchritudo tuæ est majestatis, revelato fidei oculo se præsentat excellentia deitatis ; quæ suo largo munere mentis meæ perfundit intellectum, declarato intellectu amoris insolubilis dat effectum. Ecce iterum non me latet humanitatis tuæ dispensatio salutaris, conceptio, nativitas, conversatio meriti singularis ; virtus, munditia, patientia, laus doctrinæ, miraculorum coruscatio, morum integritas, perfectio disciplinæ. In quibus omnibus homo supra homines decoraris, præcipuoque decore, non prophetæ, non apostolo compararis : et ideo te præ cunctis diligo, te solum eligo, mi dilecte, quamvis adhuc, dum hic vivitur (ut videre videor) imperfecte. Cæterum ut me justo amplius imperfectio non molestet, opto ut mihi propius tua se præsentia manifestet ; et ne pulchrum et decorum ad turpia videar invitare, locum amanti congruum studui præparare.

CAPUT XVI.

Lectulus noster floridus ; tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina. Quia pulchrum et decorum Virgo nobilis reperit amatorem, non rusticano more illum provocat ad laborem, quia nescit amor delicatus degeneri labore atteri vel tortura, sed quietem amat et otium, gaudet osculo vel junctura. Hujus adhuc inexpertus **158** amator, ille rudis videtur exstitisse, nec ei suus amor dignam satis requiem præstitisse ; qui eam, quam diligit, ad hoc postulat sibi dari, ut laborare valeant simul, nondum vero gaudeant feriari. « Hanc amavi, et exquisivi, ait, eam, et quæsivi sponsam mihi assumere ; et amator factus sum formæ illius (*Sap.* VIII). » Et infra : « Mitte illam de sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret ; et sciam quid acceptum sit apud te, scit enim illa omnia et intelligit (*Sap.* IX). » Vidit iste adhuc sibi esse congruum ut laboret, et ea, quam diligit, secum Sapientia collaboret, ut labore communi amator adhuc minus sapiens doceatur ; et cum doctus fuerit, ad quietem lectuli provehatur. Denique illa mulier cujus fortitudo prædicabilis commendatur, manum ad collum mittere, et fusum digitis apprehendere memoratur : viroque suo videtur effici gratiosa, eo quod panem suum non comederit otiosa (*Prov.* XXXI). Virgo autem nostra longe et hanc, et illum supergrediens amatorem, quietem, non tumultum : otium jam obtinet, non laborem ; et non gymnasium agonistæ, sed offert lectulum amatori, quem decorare et parare ornamento studuit cultiori. Lectulus Virginis, est secretum cordis ejus, quod excolit et emundat manu et sollicitudine diligenti, ne quid inhonestum et indecens Sponso appareat venienti ; et ut suavem accubitum illius tantæ præbeat dignitati, fulcit et implet eum grata mollitie operis accurati. Et, quia præter substratam mollitiem gaudet amator nobilis et decore ; Virgo rei non inscia, ornat lectulum grato flore ; multaque diligentia sparso flore mirandæ castitatis, eumdem reddit lectulum tanquam hortulum volu-

gratis. Ne quis enim audito Virginis lectulo ægre sentiens dubitet de profectu, et a tramite sanctitatis grosso et carnali deviet intellectu ; ipsum Virgo perhibet ornatum floribus congregatis, flores autem sunt, castitas, et ejusdem opinio castitatis. Castitas quippe virginea secretam illius ornat scientiam instar floris, gratum reddit lectulum, decoris fundens gratiam et odoris; quia ipsa est quæ virtute et merito præeminet excellenti, et, ut formam se præbeat fama vel nomine rutilat eminenti. In quo nil corporeum, nil intelligitur bestiale, nil peccato deditum, sed totum penitus spiritale, quia drama vel canticum vel epithalamium nuptiale, verbis floret mysticis, nil habens feneum vel carnale. Cum autem sic floreat et valeat, quem dilectio diligentius præparavit, non tamen Virgo lectum, sed magis lectulum nominavit; quo nomine legem illam satis sibi cognitam adimplevit, qua tam verbo quam opere humilia tenere consuevit. Quodpropter et eumdem, inquit, lectulum non meum proprie, sed communiter nostrum dico, et (quod dignum laude est) mihi præsumptorie non addico, quia, etsi vocanti et adjuvanti inventa sum obediens consentire, illius tamen et prævenientis gratia et subsequens misericordia efficaciam voluit impertire. Non ergo meus recte, sed noster debet lectulus appellari, quem utriusque nostrum consortio opere et diligentia præparari; quem tu manu gratiæ, ego laboris et industriæ serenavi, tu beneficio, ego exercitio, tu virtutum, ego morum floribus adornavi. Cujus ad hoc tam signanter facere volui mentionem, ut pulchritudine provocatus, ad ejus dignanter venias mansionem: et longe a tumultu, cui scio te non frequentius interesse, gaudeam quo nil melius, in secreto florido tecum esse. Etsi enim propter fratres et proximos loqui est necessarium et exire, tamen ut te intuear, multo est gratius ad silentium introire; et in quietis otio tua præsentia deliniri, amplexu frui mutuo, amoris fructum, gaudium Spiritus experiri. Ad quod etiam promerendum domus nostræ meum studium videntur æmulari, et pede licet tardo quiescentem in lectulo me sectari; quæ etsi nondum valent ad hoc, ut fiant lectulus, promoveri, jam tamen inveniuntur gratiam non mediocrem promereri. Et in hoc gaudeo, sed et gaudebo, quia non solum places, cum in lectulo tua præsentia jam tenetur, sed cum juxta Prophetam (*Psal.* XLVII), esse in domibus cognoscetur; quibus duntaxat in tignis cedrinis das imputribile firmamentum, in laquearibus cypressinis durabile nihilominus ornamentum.

CAPUT XVII.

Tigna domorum nostrarum cedrina; laquearia nostra cypressina. Domos dicit fidelium ecclesias, congregationes justorum, conventus claustrales, in quibus simpliciores quique possunt lapides æstimari; majores vero et prudentiores tigna et laquearia convenientius appellari. Tigna seriatim super ædificium in modum testudinis constituta, et ab ejus utroque latere contra invicem distributa; infra quidem extensis velut brachiis ædificii latitudinem amplectuntur; supra vero junctis velut capitibus, clavo solido connectuntur. Laquearia vero tignorum altitudini substernuntur, et ab uno ad alterum parietem strata longitudine protenduntur; eosdemque parietes coercent et astringunt quadam veluti ligatura, ne impulsu noxio declinent a rectitudine vel **159** statura. Tignorum autem nomine figuratur ordo non incongrue prælatorum, quos a terrenis suspensos celsitudo commendat meritorum, qui perferentes imbrium et ventorum molestias, duros videlicet impetus perditorum, ab his tegunt et protegunt mores teneros subditorum. Qui erecti ad superna, omnes ad intuendum unum illud necessarium se angustant, amoris clavo devincti fortius, dum vident, augustius inhærent, suavius et degustant ; cum Christo esse melius judicantes (*Philip.* I), dum ejus excellentiam contemplantur, adhuc autem in carne vivere propter fratres necessarium arbitrantur. Qui ergo ad sapiendum quæ sursum sunt, subtili desiderio se suspendunt, ad revisendum proximos benevola sollicitudine condescendunt ; eosque sub alas congregatos, fovent et protegunt ut gallina, animatos ad virtutes exemplis muniunt et doctrina. Et ii quidem ut magis digno virtutum merito commendantur, tigna quorum vicem gerunt cedrina perhibentur ; quia Cedri, ut aiunt, natura imputribiles et proceræ, odore tanto vigent, ut serpentes eam dicantur abhorrere. Illi ergo digne inveniuntur ad prælationis fastigium promoveri, qui excelsi meritis cœlum desiderio diligunt intueri ; quorum semper opera virtute vigent stabili, ne putrescant, quorum tanta opinio, ut ad eam quique malevoli perhorrescant. Nec abhorret a prælatis quod Cedrus igne dicitur non comburi, eorum formam gerens, qui non sunt passionum incendio perituri ; mira quorum fortitudo, carnis concupiscentia frangi nescit, nec odor suavissimus ad odorem ignium cinerescit. Laquearia vero quæ dicuntur etiam cypressina eos signant, quorum viget et præeminet inter cæteros disciplina : forti quorum opere et obedientia perfectæ voluntatis, forma datur persistendi minoribus in Ecclesia congregatis. Cypressus quidem et ipsa imputribilis et odorifera perhibetur, insuper enodis est et in ea scrupulus non habetur ; eum recte significans qui promptior et planior divino magis munere, quam natura, sine mora obediens, nunquam recalcitrat in junctura. Est enim in nonnullis virtus obedientiæ tam nodosa, tanto scatens murmure, tantis querimoniis scrupulosa ; ut mandatum adveniens viam non præambulet planiorem, sed plerumque in contemptum vel in iram offendat graviorem. Illi autem quibus vigere datum est planitie cypressina, enodes et politi gaudent obedientiæ disciplina ; amant quidquid mandaverit prælatorum discretio vel doctrina, nec mandato se opponit labes impatientiæ repentina. Illis ut tignis et laquearibus domus proficiunt spirituales, teguntur, muniuntur, casus vitant perditos

et carnales; viget eorum sancta et mirabilis pulchritudo, quia, juxta quod dictum est, decet domum Domini sanctitudo (*Psal.* XCII). Has autem domos ideo Virgo nostras voluit perhibere, ut ostendat cum Sponso communionem præ cæteris se habere, quia et quod Sponsi est, Sponsa nostrum jure existimat nuptiali; et ut Christus, sic et Virgo sollicita est de profectu nostro omnium spiritali. Attendens ergo non solum se, sed et suos spiritaliter profecisse, prælatos et subditos ad cedri et cypressi similitudinem pervenisse; exsultat et invitat Sponsum, ut in his etiam gratuletur, et relinquens inquietos, grata domorum requie delectetur. Et ille :

CAPUT XVIII.

[CAP. II.] *Ego flos campi, et lilium convallium.* Si Sponsæ, inquit, lectulus vernat flore, decore rutilat virginali, si nitet et redolet ornatu et pulchritudine spiritali, si dives cultu regio videtur digne considerantibus arridere, quid habet quod ab alio veraciter asserat non habere? Neque enim a seipso habet, ut rutilans florido sit decore, nec floret quem perhibet Sponsa floridum, nisi flore; et hoc propter in seipso non glorietur floridus, sed in flore, cum profecto non habeat a seipso ut floreat, sed a flore. Quod si nosse cupit attentius unde floreat quisquis floret, ne decorum et floridum turpis ignorantia decoloret; Ego Deus in Patre Filius, lux lucem habitans inaccessam. *Ego*, inquam, *flos campi* factus sum, habens pulchritudinem indefessam. Radix Jesse germinavit et flos prodiit de radice, nec latere voluit in conclavi sub modio, aut in lectulo sub lodice; sed flos campi factus est, ut cunctis planius innotescat, nec sit dignus excusari, quisquis tam conspicuum non cognoscat. Qui enim ab æterno Deus eram absconditus ne viderer, de hoc monte descendentem campus excepit ut tenerer; nec intravi portas et muros urbium, montem rursum arduum non ascendi, ne vel nesciri possem, vel a sciente non facilius apprehendi. Ad montem quippe ascendente valido, excusatus debilis remaneret, in civitate vero civis advenam prohiberet; **160** et sic prævalente injuria causaretur alter alterum promptiorem, et me silentii Habacuc (*cap.* I) argueret, devorante impio justiorem. Ego igitur esse flos in campo volui et non rure, quod nimirum rusticus hæreditario vindicat sibi jure; quod proscindit aratro, vomere sulcat, fodit sarculo studiose, eo quod illud non nisi operi manuum respondet fructuose. Campus autem nulli proprie hominum assignatur, nescit cultoris manum, non rupta superficie seminatur; sed sole animatus, perfusus cœlesti pluvia sive rore, intepescit et germinat, et processu temporis congruo ridet flore. Nec abhorret, si hoc campo signari Virgo Virginum asseratur, in qua nullus hominum, non carnale commercium operatur; sed carne integra, descendente, ut in vellus, pluvia spiritali, fecundatur et germinat, decore gaudet florido vel nivali. Hujus enim campi quem non læsit cupidus operator, manus rustica non aravit; non extulit tumor noxius, sed diffusa humilitas complanavit; ego sum flos, non utique humano procedens studio, non cultura, sed cœlesti editus munere, incomparabili præditus genitura. Ego sum flos, quo hujus campi grata planities decoratur, nec floret a seipsa, sed meo munere sic beatur; et ideo licet Virgo digne tanto beneficio gratuletur, in me tamen, et non in se, in flore, non in florida glorietur. Fructum quippe etsi statim flos ut nascitur, non emittit; tamen daturus eum opportuno tempore, jam promittit; et sicut non flos alter meo, vel me potior invenitur, sic nec fructum meliorem in altero quispiam experitur. Ne autem soli Virgini videar misericorditer providisse, meamque misericordiam quibusque minoribus invidisse, qui flos campi factus sum, donans Sponsam privilegio speciali, florui et in vallibus, multo quidem, sed non beneficio coæquali.

CAPUT XIX.

Et lilium convallium. Valles, imo convalles quas hinc inde vicinis montibus obumbrantur, et, ne arescant siti, aquis utrinque defluentibus irrigantur; eos mihi signare videntur humiles et depressos, quos amor disciplinæ sub majorum tenet' legibus indefessos. Qui cum nihil altum vel tumidum de supino referant Mæcenate, servos sese inutiles humili judicant sanctitate, inclinantque aurem Scripturarum monitis et utrique diligentius testamento, abundare cupientes meritorum magis copia quam frumento. Hujusmodi convallium Christus lilium se fatetur, quia, etsi excelsior, humilia tamen respicere perhibetur (*Psal.* CXII); nec nisi super humilem et mansuetum ejus Spiritus requiescit, cujus conscientia humilitate munda et munditia humili renitescit (*Isa.* LXVI). Et digne satis ipse lilium voluit nominari, signans eo quid inter valles, propter valles venerit operari; ut adventus sui causam recte attendentibus non obscuret, quos cum doctos reddiderit, sibi efficacius configuret. Lilium foliis candidioribus, instar vallis, cingitur in rotundo, habens intrinsecus quiddam rubeum in profundo : in foliis quidem honestum et lucidum se ostentans, in rubeo autem sanguinis speciem repræsentans. Candor lilii assumptæ carnis munditiam figuravit, quam non prius conceptio, non posterius conversatio denigravit; sed de carne genita virus carnis proprium ignoravit, et virtutum merito, velut splendore niveo, radiavit. Illud autem rubeum gratam præfert memoriam passionis, qua fuso diluit sanguine chirographum pridem initæ pactionis; quam parentes pristini cum auctore peccati misere pepigerunt, cum ad ejus arbitrium interdictam arborem tetigerunt. Christus itaque lilium est, cum vitæ merito rutilat innocentis, cum in carne non tenetur labe vel glutino vitii cohærentis; cum eum hominem malitia hominum impetit et accusat; et homo propter homines dura pati et aspera non recusat. Lilium est convallium, cum abjectis et humilibus exemplum et gratiam dat vivendi, commendat innocentiam,

amorem inserit continendi, cum prior passus gravia, ad virtutem provocat patiendi, docens magna, majora faciens, tempus prædicat faciendi. Si vero dicatur quod rubet intra lilium ignis speciem obtinere, « Deus autem ignis est, » sicut certum est Scripturam perhibere (*Deut.* IV); rubor ille, ut video, splendore niveo circumseptus, Deus est in homine mundæ carnis trabea cooperlus. Cujus se involucro sapientibus et prudentibus occultavit, sed fide intuentibus parvulis et humilibus revelavit (*Luc.* X); qui sic foris aspiciunt assumptæ carnis opertorium vel candorem, ut igneum occultæ deitatis introspiciant et ruborem. Quorum Petrus : « Tu es, ait, Christus Filius Dei vivi (*Matth.* XVI). » Et Nathanael : « Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel (*Joan.* I). » Et centurio : « Vere Filius Dei erat iste (*Marc.* XV). » Harum convallium sic se lilium Christus fecit, cum non solum hominem, sed Deum se intra hominem suis humilibus patefecit ; quibus mundo candore innocens ejus est humanitas sic ostensa, ut etiam occultam Deitatem fide cernerent inoffensa. Quos postquam edocuit quid sit eis de ipso fideliter sentiendum, laudes repetens Virginis, invitat eos dil gentius **161** ad videndum qualiter ipsa Sponsum inter vitæ hujus molestias imitetur, dum quies nondum plena, nondum pax indeficiens obtinetur.

CAPUT XX.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Etsi ut audistis, lilium me convallium dixi esse, adhuc tamen noveritis spinis me gravioribus interesse; a quibus tangi frequentius, pungi molestius me permitto ; sed tactus et compunctus, statum vel candorem debitum non amitto. In hanc formam amica mea inter mala hujus sæculi conversatur, et virtute mirabili lux lucere in tenebris comprobatur; ejusque lucem floridam circumfusæ tenebræ non obscurant, integram ejus pulchritudinem minaces tribulæ non triturant. Ipsa tanquam lilium inter spinas oritur, et accrescit, inter obscuras lucet, inter asperas mansuescit; flante vento impulsa nonnullas videtur sentire functiones, sed candoris et odoris nullas sustinet læsiones. Spinas graves esse reor curas et sollicitudines hujus vitæ, quibus justorum mentes (dum hic vivitur) lacessitæ; gemunt et expetunt ut ab ipsis plenius expeditæ, tandem cum Christo fructu pacis gaudeant acquisitæ. Spinæ sunt nihilominus Judæi pariter et gentiles, qui grandævi malitia, sensu perdito pueriles, qui fidem exsecrantes, tenebris grossioribus obvoluti, Christum et Matrem ejus gravi sunt odio persecuti. Inter quos Filius et Mater, instar lilii floruerunt : illæsumque pariter candorem et odorem proprium tenuerunt ; dum nil culpæ sibi ex illorum malitia contrahentes, invicta patientia linguas respuunt detrahentes. Imo quo amplius vita malignantium tetra fuligine tenebrescit, eo magis istorum digne considerata sanctitas enitescit, nec habet minus decoris et gratiæ intemerata lilii pulchritudo, si juxta videatur spinarum aspera turpitudo. Habet ergo lilium inter spinas laudis titulum ampliorem, dum illis tenebrescentibus istud formam retinet gratiorem, quia dum adversus Dominum, et adversus Christum ejus tam gentes quam Judæi lingua infremunt serpentina (*Psal.* II), Christus flos et lilium moribus mansuescit, fulget miraculis et doctrina. Cui flori et lilio virgo studet diligentius similari, amans et appetens tanta similitudine gloriari; et sicut inter spinas lilium decore splendido venustatur, sic Sponsa inter filias virtutum merito decoratur. Filias, eos dicit, qui carentes rigore virili, spiritu masculino; mollitie torpent muliebri, sopore dormiunt femiuino; ad honestum opus invalidi, ad molle et noxium efficaces, ad blandiendum subdoli, ad detrahendum perfidi vel procaces. Qui videntes vel audientes Matrem filio lætabundam, induti sensu perdito negant aut virginem aut fecundam; et singulari præditam munere, secundum suam omnium legem carnaliter metiuntur, dum eam peperisse non nisi modo cæteris experto mulieribus mentiuntur. Eum vero quem genuit, Joseph filium arbitrantur, habere fratres plurimos (cum sit unicus) attestantur; nesciunt eum hominem de homine genitum sine Patre, abhorrentes quod audiunt Deum, Dei Filium sine matre. Inter istos et istorum blasphemias virgo non frangitur, non marcescit, sed mens fide roboratur, florens gaudio Spiritus juvenescit; illum radicis florem tenerum et immarcescibilem amplexatur ejusque decorem studio non tam gressuum quam profectuum imitatur. Denique juxta Salomonem : « Animus gaudens ætatem floridam facit (*Prov.* XVII). » Sicut ergo filius flos et lilium inter spinas oriens, non tamen spinas sentit, dum earum malitiæ affectu simili non consentit; sic mater et amica, inter filias conversans, nescit tenebras filiarum, filia lucis lucet, non habens opera tenebrarum. Imo, ut plus dicatur, non solum spinæ lilio nihil inferunt detrimenti, sed et spinis lilium confert plurimum ornamenti; et candor præcipuus qui in lilio, naturali beneficio, se diffundit; spinis vicinioribus non parum gratiæ superfundit. Nunquid non lilium circumquaque incomparabile beneficium diffundebat, cum devotas preces Christus pro persequentibus effundebat? cum manu misericordiæ spinarum turpitudinem abradebat, et rhamnum in florem, in fructum aculeos convertebat? « Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII). » Hujus precis perfusa velut rore spinarum asperitas mansuescit, interna cedit ariditas, benevolentia virideseit; novo more germinat frondetque ramusculus et floreseit; et imitari lilium candore vel modico flosculus hilaresc.t. Quis nesciat nonnunquam spinas pridem aridas æstivi dono temporis efflorere, et in eis non tam aculeos veteres, quam recentes flosculos eminere; qui assistentes lilio, etsi longe impares magnitudine vel decore, candore tamen utcunque simili gaudent et vicinia propiore? Nobis igitur Christo propinquantibus nihil turpitudinis sibi con-

trahit lilii pulchritudo, sed ex ea non parum gratiæ nostra sibi acquirit turpitudo; et dum nos sic admittit lilii amœnitas, **162** velut horti consiti plenitudo, nostra pridem arida, jam nunc tandem florida gaudet plurimum solitudo. Quod Isaias prævidens : « Lætabitur, inquit, deserta et invia, et exsultabit solitudo; et germinabit quasi lilium (*Isa.* xxxv). » Deserta et invia mens nostra non immerito nominatur, cum a Deo derelicta, non virtutum, non operum civibus habitatur, non in ea benevolus auctor deambulat, non amat intueri, attendens eam vitiorum aculeis tanquam spinis solitudinem obsideri. Quam cum divina gratia tanquam verna temperies visitabit, et intra horti plantaria candens lilium advocabit, profecto ipsa lætabitur, ipsa novi dono muneris exsultabit, quia juncta lilio quasi lilium germinabit. Abhorrens quippe rhamnum, quam spinarum erat asperitas paritura, quia spinosos mores pœna manet aspere sævitura; proferet suaves flosculos candore lilium æmulantes, et spe fructus exsultabit habens primitias germinantes. Inter hujusmodi spinas illud candens lilium; imo candor lucis æternæ mirabiliter operatur, aspera in planitiem, in florem aculeum vertere gratulatur; ea bonitate, quæ sua est, eo rem quandoque perducturus, ut flos fructum pariat, fructu gaudeat fruiturus. Sic et inter filias amica recte creditur conversari, earum curam gerere, salutem sollicitius operari; eas pridem mente vagas, elatas oculis, lingua procaces, operum infecundas, suo tandem dignans consortio reddit agiles et fecundas. Quas enim intra suæ exauditionis nobile secretarium intromittit, assistentes sibi manere steriles non permittit; sed erudiens verbo, forma præmuniens, adjuvans interventu, invitat ad amandum, ad operandum sollicitat, lætificat de proventu. Et sic eas quæ aliquando vitæ merito filiæ fuerant Babylonis, introgressas Hierusalem reddit filias visionis; inter quas lætabunda videt Sponsum, diligit amplexari, et sicut ille Sponsam, sic illum ista dignis laudibus venerari. Unde ait : *Sicut*, etc.

CAPUT XXI.

Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Audiens Sponsa dignis Sponsi laudibus se laudari, a quo habet ut digna sit laudum præconiis honorari; ne ingrata videatur; festinat vicem reddere laudatori; gratas esse non ignorans laudes reciprocas amatori. Quem recte satis malo voluit comparare, quam inter ligna silvestria constat non tam excelsius quam excellentius emicare; quia cum ligna silvarum fructum non proferant, qui humano possit esui convenire, in malo est fructum bonum, refectionem optimam invenire. Christus enim lignum est, cujus robur nihil sustinet detrimenti, cujus non cedit folium vento durius sævienti (*Psal.* I); cujus omnia prosperantur, et in suo tempore fructum dabit, quo eos, qui esuriunt, nunc invitat, postmodum satiabit. Christus est lignum vitæ, omnibus qui eum fortiter apprehendunt, qui ad capiendum fructum ejus forti desiderio se suspendunt; qui cætera quæcunque occurrerint, apprehendere sensu devio non contendunt, dum ex eis fructum vitæ poma pendere salutifera non attendunt. Ego omnes homines credo posse ligna silvestria nominari, qui, etsi verborum frondes habent, fructu carent procul dubio salutari, quia in eis non est salus, non est vita, non indeficiens vis naturæ, sed virtutum quædam sterilitas, carnis culpa vitio genituræ. Non enim sic in eis, ut etiam ex eis quidquam vitale, commendabile, gratiosum, non est quidquam in altero salutare sibi, cæteris fructuosum; quia quidquid in aliquo, si quid tamen in aliquo dignum et necessarium invenitur, non de suo, sed de Christi novit esse quisquis veraciter experitur. Christus autem homo inter homines, malo non incongrue comparatur, qui conceptus de Spiritu, non naturæ sterilis accusatur, cujus radix innocua, cujus umbra densior, ab æstu noxio nos abscondit, cujus fructus salubrior, odor longe suavissimus se diffundit. Denique tria hæc in malo possunt pariter inveniri, nec ea in silvis altera quæ tribus istis pari modo se gaudeat insignire sed in malo præcipue umbra, fructus, odor, copulantur nectura naturali, et ex eo, qui Deus homo est, procedunt abundantia spiritali. Quibus refrigerat, pascit, mulcet eos qui eum receperunt, qui accepta pietate dici et esse filii meruerunt; qui quondam de tenebris ad lumen se fidei contulerunt, felici mutatione de lignis silvestribus, in Dei se filios transtulerunt. Quos attendens Christus, Dei filios et hæredes, fratres eos non confunditur vocare, amare cohæredes (*Matth.* xxv), ut in multis fratribus ipse primogenitus emineat honore principali, unicus olim filius filiorum gaudeat numero jam plurali. Ipse etenim Deus de Deo, natus unicus fuit Patris, natus autem homo de virgine, unicus item Matris; sed electis consulens, sinum gratiæ largius patefecit, et quos natura negaverat, adoptionis beneficio fratres fecit. Cujusmodi fratres vel filios ipse Dei et hominis Filius sic excellit, sicut malus fructifera silvarum arbores antecellit, quia et illarum infecunditati **163** mali fecunditas antefertur, et Christo quivis hominum (quantumvis justus fuerit) non confertur. Quod intelligens Petrus, cum ei justo amplius deferret centurio, et puro daret homini quod Christo religiosa debet devotio; non sibi temere quod non suum esse noverat usurpavit, sed quis esset, quam sterilis, quantum malo dissimilis indicavit. « Procidens, ait, Cornelius ad pedes ejus, adoravit eum. Petrus autem levavit eum dicens : Surge, et ego ipse homo sum, sicut et tu (*Act.* x). » Et infra : « Annuntians, inquit, pacem per Jesum Christum; hic est omnium Dominus (*ibid.*). » Videtis quia Petrus a Cornelio non vult neque sustinet adorari, ostendens non debere sic purum hominem honorari; dans intelligi, quia Jesu Christo privilegium hoc debetur, ut ipse homo inter homines divino solus obsequio veneretur. Reor quia nec angelus tale sibi vult obsequium exhiberi, et licet major homine, tamen invenitur hominem revereri; in quo jam per pi-

eit novum quid et cunctis retro generationibus inexpertum, absconditum a sæculis, nostri plenitudine temporis deopertum. Unde cum Joannes gaudens sibi ab angelo plurima demonstrari, et demonstrantem volens digno, ut putabat, humilitatis obsequio venerari, ad pedes ejus caderet, volens ei honorem majoribus debitum exhibere, seipsum digne metiens, visus est angelus abhorrere. « Postquam audissem, inquit, et vidissem, cecidi ut adorarem ad pedes angeli, qui mihi hæc ostendebat, et dixit mihi : Vide ne feceris (*Apoc.* XXII). » Et supra : « Cecidi, ait, ante pedes ejus, ut adorarem eum, et dixit mihi : Vide ne feceris, conservus enim tuus sum et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu, Deum adora (*Apoc.* XIX). » Non vult Christo angelus, servus Domino coæquari, non ligno fructuoso silvarum infecunditas comparari; sed sicut malum constat inter ligna silvestria præpollere, sic novit Christum angelus inter filios præeminere. Denique et angeli nonnunquam in Scripturis filii nominantur, qui semper Dei Patris videre faciem prædicantur; et juxta Job filii Dei ut assisterent Domino leguntur advenisse, inter quos et nequam ille angelus Satan legitur adfuisse (*Job* I). Moyses quoque : « Constituit, ait, terminos populorum, juxta numerum filiorum Israel (*Deut.* XXXII). » Filios Israel, angelos appellans. Quod alia translatio evidentius insinuat, dicens : « Statuit terminos gentium, juxta numerum angelorum Dei. » Tot quippe a nonnullis Deus creditur salvandos ex gentibus elegisse, quot inveniuntur angeli aliis cadentibus remansisse; ut ad videndum eum tot ex hominibus ei filii præparentur, quot inter angelos jam videntes æque filii continentur. Inter hos autem filios Dilectus Sponsæ præeminet quasi malus, quia sicut puro in homine, sic etiam in angelo non est salus; sed in Christo, qui, etsi minor angelis propter mortis utique passionem, tamen longe excelsior propter Dei et hominis unionem. Ideo cum dixisset Joanni angelus. « Vide ne feceris, » causam addit dicens : « Conservus tuus suum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu, Deum adora. » Ego, ait, non solum Dei, sed Dei hominis digne servus, tuus et eorum qui fide et opere Jesu testimonium perhibent sum conservus; nec decet servum, ut tollat Domino sua jura, cum potius Creatori omnis deferre debeat creatura. Tu ergo non angelum, sed Deum adora, Deum, qui non angelum, ut salvaret angelum, apprehendit, sed semen Abrahæ, ut eum salvum faceret, apprehendit; Deum qui se exinaniens, et accipiens formam servi (*Philip.* II), ut homo habitu est inventus, secundum quem hominem etsi minor angelis est inventus, non tamen multum minor, sed minor paululum reputatur, si quod Scriptura perhibet sensu non devio capiatur. « Minuisti eum paulo minus ab angelis, ait David (*Psal.* VIII). » Et Paulus : « Eum, ait, qui modico quam angeli minoratus est propter passionem mortis (*Hebr.* II). » Christus nimirum ex Deo constat et homine, homo autem ex anima et corpore; anima vero major pars hominis est, major, inquam, non mole, sed dignitate et excellentia; eo quod in anima ad imaginem et similitudinem Dei homo factus sit. Corpus autem, minor, hoc est, inferior pars hominis, secundum quam partem Christus minor angelis invenitur, eo quod angeli natura morituræ carnis involucro non vestitur; sed ille Spiritus immortalis, intellectu vigens, præditus ratione, in eo quod factus est, sine mortis permaneat læsione. Spiritus quoque hominis ejusdem, vel similis naturæ perhibetur, præditus et ipse ratione, habens initium, finis angustia non tenetur; sed infusus corpori, quod originali corruptum vitio generatur, lege mira, satisque miseranda illius meritis aggravatur. Unde legistis : « Corpus quod corrumpitur aggravat animam; et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* IX). » Anima igitur, quæ ejusdem cum angelo vel similis est naturæ (sunt enim unius quasi generis rationis merito hujusmodi creaturæ); prius quidem ex carnis consortio decolorat speciem genuinam, postmodum vero assensu voluntatis, vitiorum labitur in ruinam. Verum quia caro Christi concepta de Spiritu, originale sibi vitium non contraxit, ad culpam, quam non noverat, infusam sibi animam non attraxit; sed sicut istam tam conceptio, quam conversatio servavit impollutam, sic illam creatio et creantis dignatio ab omni **164** labe reddidit absolutam. Anima vero cujus naturam immortalitas, intellectus, ratio sic honestant, et nec incorporatio prævalens, nec quævis attaminatio dehonestant, qualem Christus in unitatem sibi personalem credendus est assumpsisse, nec assumptæ dignitatem assumens creditur consumpsisse; anima, inquam, tali, non angelus, non quælibet major est creatura; solus ille major est, cui Creatori nulla par potest effici creatura. Secundum quam animam non debet Christus minor angelis existimari, quæ dignitate pollens ingenita nullo potuit vitio depravari; quod non posse etsi factor facturæ non contulit faciendo, huic tamen animæ assumens contulit assumendo. Quod enim non angelus, non anima obtinet conditionis privilegio, vi naturæ, Creator, cui voluit, cum voluit, contulit creaturæ; et qui prius angelis contulerat ne quis ultra posset cadere, vel timeret, postmodum animæ, quam assumpsit, dedit, ut sancta confirmatio æque vestigio permaneret. Restat ergo ut secundum carnem tantum Christus minor angelis asseratur, quæ, ut ante dictum est, altera pars hominis minor vel inferior judicatur; et ideo recte non multo minus angelis, ne secundum totum hominem videatur, sed paulo minus legitur minorari, ut so ius carnis mentio fieri cognoscatur. Nos autem miseros multo minores angelis culpa fecit, quorum et carnem conceptio, et animam incorporatio sic infecit, ut utrobique culpabiles accusemus nostram merito genituram, dura detenti lege, eo quod versum est vitium in naturam. Unde Paulus : « Sumus, inquit, natura filii iræ (*Ephes.* II). » Quod,

etsi bonos angelos culpæ sarcina non gravavit, sed eos bene conditos gratia melius confirmavit : inter ipsos tamen sicut et inter homines Christus credendus est præeminere, et sicut malus inter ligna silvestria, sic inter hujusmodi filios primatum obtinere. Christum quidem non Deum solummodo, sed Deum hominem angeli venerantur, in quo salutis fructum, umbram protectoriam contemplantur ; per quem homines pressos et oppressos fasce gravi damnabilium delictorum, vident nec invident converti et reverti ad salutarem excellentiam meritorum. Quod non fruges, non aries, non vitulus, non denique homo vel angelus poterant operari, nec erat nomen aliud in quo datum fuerit nos salvari ; sed sic vita de languore, salus conqueritur de jactura, ut ad fructum vel medelam inefficax omnis sit creatura. Quia ergo vitam, fructum, efficaciam potentis medicinæ non dabat silva sterilis, non cujusvis artificium officinæ ; et ægrotanti mundo promissores jam dilationis merito sunt invisi, ortum est lignum vitæ malus fructifera, in medio paradisi. Cujus umbra suavior longe faciens incentiva, fructus gratis reficiens quos fames læserat oppressiva ; non solum hominem ad amissum olim consortium angeli retulerunt, sed et naturam humanam supra dignitatem angelicam extulerunt. Nostram quippe naturam jam Deo counitam in Christo angelus intuetur, cujus fructum considerans, digne sterilem se fatetur, quia qui non valuit vel cadentem coangelum vel hominem perditum reparare, Christo, qui potuit cuncta quæ voluit, non se debuit comparare. Quod attendens recte Virgo : *Sicut malus*, inquit, *inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios.* De quo subjungit :

CAPUT XXII.

Sub umbra illius quem desideraveram, sedi; et fructus ejus dulcis gutturi meo. Si meum, inquit, dilectum, ut audistis, volui commendare, si eum malo fertili inter ligna sterilia comparare, ne putetis eorum quæ vobis profero me incertam, et affluentem verbis, rerum laudabilium inexpertam ; experimento didici quia utilis, quia bona sit ista malus, sensi quantum in ea refugium, quantum refrigerium, quanta salus ; quia sub ejus umbra non solum esse mihi datum est, sed sedere æstus fugere noxios, quietis gratiam obtinere. Bona quies, quam non iræ persequentis, sed manus diligentis gratiæ fabricavit, cui non mors tenebrosa, sed malus spatiosa ramis et frondibus obumbravit ; in qua non peccator desperationis vel ignorantiæ tumulo sepelitur, sed mens justa suavi refrigerio profectionis beneficio delinitur. Miser ille populus, qui in tenebris et in umbra mortis diu voluit residere oblitus cœlestium, terrenis carnaliter inhærere ; vitam vitalem nesciens, caligavit morte criminum subobscura, cujus umbræ corpus est mors sine termino secutura. Peccatum enim quo, anima velut gladio pertransitur, et ab eo, qui vita est, fieri longius invenitur prima est mors animæ, in futuro tristior, A nunc jucunda, quæ vero juste sequitur æterna damnatio, mors secunda. Et illa quidem mors est, et mortis umbra prævia subsequentis, ista vero et mors est et umbræ veritas præcedentis ; in quarum prima licet esse contigerit, non est consilii nos sedere, id est sine respectu pœnitendi quietem perditam obtinere. Nam qui sedet in umbra, nec timet venturam mortem prævenire, cum illa veniens festinat torpentem **165** invenire ; et quem invenerit in obscuro et in proprio velut jure, ligat et in carcerem projectum detinet insolubilis vi necturæ. Verumtamen nonnullos miserans spiritus, vehemens terret, et concutit sonitu repentino, et ex alto visitans oriens, perfundit lumine matutino ; eductosque de somno et umbra duri discriminis et nocturna, dies lætus excipit, B umbraque suavior et diurna. Est autem dies fidei illuminans : virtus spei, est umbra suavior prægnito speciei, in qua cum sit bonum esse, vivere melius, optimum est sedere, donec tandem concedatur lucem plenam plenius obtinere. In umbra est diurna qui non solum præsentia, sed et sequentia novit esse, qui videt per speculum quod constat nondum visibiliter præsto esse ; qui fide non dubia intelligit invisibilem Deum esse, qui eum remuneratorem in se sperantium credit esse. Paulus : « Oportet, inquit, accedentem ad Deum credere quia est ; et inquirentibus se remunerator sit (*Hebr.* XI). » Sine hac fide Deo quispiam non placebit, nec est digna conscientia, cujus Deum scientia non tenebit ; quia et ignorans, ut legistis, legitur ignorari, et revera C qui nesciur, a nesciente non potest acceptari (*I Cor.* XIV). Ideo Propheta : « Credidit, propter quod et locutus est (*Psal.* CXV). » Tu es ipse Deus meus. Sine fide ergo non potest quispiam justus esse, imo, ut plus dicam, qui non crediderit, nec dici debet esse ; qui autem non est, consequenter nec in umbra est. De qualibus scriptum est : « Ne tradas regnum tuum his qui non sunt (*Esther* XIV). » Non esse recte dicitur, qui Deum esse nescit, cui facto necdum is a quo factus est, innotescit ; qui mente obcæcata longe a merito pellitur existendi, necdum fidem assecutus, quæ est umbra vel initium subsistendi. De qua Paulus : « Si tamen, inquit, initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus (*Hebr.* III). » Qui ergo fidem habet, tenens D firmiter Deum esse, est, et in umbra est, sed non sufficit illic esse ; imo laborandum est ei, quem jam merito fidei constat esse, ut vivens in eo, mereatur etiam justus esse. In fide enim esse, nondum est justum esse ; sed fide vivere, vel in fide vivere, justitia reputatur, quia fides mortua, etsi non diligens, operatur. Dilectio quippe vita est fidei, et ideo non qui credit, sed qui diligens credit vivere comprobatur ; et vivens in fide dignus laude, justitia commendabilis prædicatur. Unde per Habacuc : « Justus, inquit, meus ex fide sua vivit (*Habac.* II). » Etiam non justus erit in fide, sed nonnisi justus vivet in fide ; quia et in fide est cui dicenti : « Domine, Domine (*Matth.* VII), » non ta-

men aperitur; et in fide vivit, qui voluntatem Domini faciens, exauditur. Et quia fides optatæ præsentia non est rei, sed sperandæ substantia et umbra, ut ante dictum est, speciei (*Hebr.* II); justi quos sua nondum merita ad eamdem speciem intromittunt, in umbra ejus interim non tam esse, quam vivere se promittunt. « In umbra, inquiunt, ejus vivemus in gentibus (*Thren.* IV). » In umbra justi vivent, cum in fide diligent operari, cum juste, pie, sancte, dabunt operam conversari; cum eis datum fuerit fide viva in gentibus, hoc est inter homines gratulari, quibus nondum inter angelos inventa datur specie gloriari. Vivent quidem in umbra, cum eum quem in utero constat Virginis incarnatum, fide firma tenuerint ante sæcula Deum natum; cum eum, qui homo pro hominibus inventus est dura pati, Deum esse dilexerint, paternæ coæternum et consimilem majestati. Denique vivent, cum tanquam retro positis, quæ ille homo inter homines indigna voluit sustinere, intelligent, et diligent benedictum in sæcula Deum, super omnia præeminere; cum relicto quod videre et tenere possunt quilibet animales, id maxime habebunt præ oculis quod habere promerentur nonnisi spiritales (*ibid.*). Ideo præmittunt: Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Christus Dominus ante faciem nostram spiritus tunc habetur, cum eum nostra fides jam non secundum carnem, sed secundum spiritum intuetur, cum illius solam carnem quidquam intelligens non prodesse, eum qui vivificat, Deum spiritum novit esse (*Joan.* VI). Quæ enim de illo secundum carnem plurima prædicantur, qui carnem adhuc sapiunt, nimis pueriliter amplexantur; et posteriora Christi, posterius non reponunt, sed fide læsa ignorantes ordinem, anteponunt. Quorum Petrus cum audiret passionem illius proximam prædicari, inventus est carnem quam spiritum paulo tenerius amplexari; et ante faciem suam Christum quidem habuit, sed hominem moriturum, non spiritum suscitantem, non Deum vitæ mortuos redditurum. « Absit, inquit, a te (*Matth.* XVI), » non fiet istud, non morieris. Et ille: « Vade, ait, retro, non sapis quæ Dei sunt (*ibid.*). » Ideo Paulus ab his quæ sunt hominis removens auditores, ad ea quæ Dei optat effici promptiores, intelligens quæ sunt carnis recto judicio posthabenda, Deum et ea quæ sunt ejus, ante faciem proponenda. « Ut ambuletis, inquit, digne Deo (*I Thess.* II). » Et alibi: « Etsi novimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus (*II Cor.* V). » In hac umbra seu fide in qua esse conceditur et injustis, vivere autem non, ut ante dictum est, nisi justis; multum quidem laboratur, dum in ea vivitur cum timore, nescit enim miser homo utrum odio dignus sit an amore (*Eccle.* IX). Cæterum virgo Mater quæ præ cunctis invenit gratiam apud Deum, in ea sabbatizat, felicem obtinet jubilæum: et non solum vivit (quod est omnium laborantium generale) sed, ut secura, **166** sedet, quod quiescens obtinet speciale. Ipsa enim est cui sanctus ille Spiritus supervenit, in qua virtus Altissimi gratam sibi requiem adinvenit; quam umbræ velamento longe a culpa faciens vel timore, sessionem placidam ei solo contulit in amore. *Sub umbra*, inquit, *illius quem desideraveram, sedi.* Desiderio desideraverat, ut in eam Deus Dei Filius adveniret, ejus partum ut conceptum inexperta cunctis gratia præveniret; osculatam deosculans castitatis sigillo præmuniret, sicut mentem, sic et carnem illæso flore virgineo custodiret. Quo percepto, jam culpæ Virgo nescia vel timoris, sedet velut in solio sub umbra refrigerii gratioris; cæterisque infra laborantibus quos meritorum adhuc inopia coangustat, ipsa in cœnaculo grandi strato suavitatem ineffabilem jam degustat. *Et fructus*, inquit, *ejus, dulcis gutturi meo.* Fructus umbræ vel Spiritus obumbrantis suavitas est æterna, quam palatum jam sentit Virginis, gustat suavius mens interna; sed adhuc ille sapor tanquam in gutture detinetur, venter vero inhiat, cujus aviditas non repletur. In hac profecto vita quidquid supernæ dulcedinis præsentitur, quidquid mens carne obsita divinum et incorporeum experitur; adhuc tanquam in gustu est, quo gustantis desiderium delinitur, nondum ad ventrem pervenit, quo perfecta satietas invenitur. Ideo recte Virgo, ut ostendat non parum dulcedinis se adeptam, et quandiu hic vivitur omnem dulcedinem imperfectam; *fructus*, inquit, *ejus dulcis gutturi meo;* nondum ventri meo, quia et inpræsentiarum gaudet gustu suavissimo delectari, et exspectat ad perfectum, cum illius apparuerit gloria, satiari. Novit autem quisquis officium comedendi paulo attentius experitur, quia cibus in gutture nondum quidem glutitus est, sed glutitur; et glutitio sic proximat, ut non vel vix foris ad os valeat revocari, sed ut comestum reputet quod in gutture senserit comedens jam versari. Sic et Virgo dum versatur adhuc lege mortalium in hac vita; amore tam suavi præ cæteris mortalibus est ignita, ut amoris vel amati fructus in ejus gutture jam dulcescat, et fiducia prævalente non illic timor imminens amarescat. Est enim inpræsentiarum illud summum, illud venturi sæculi bonum desiderabile sic experta, ut tendens ad perfectum, de eodem sit reliquo non incerta: jamque tenet in gutture, quod adhuc nos longe impares esurimus, quod nos adhuc inopes vix in summo linguæ, sive labiis præsentimus. Necdum quippe ad hoc vel nos vel nostri similes sunt perducti, ut gaudeant plenius, in illud Dei sanctuarium introducti; de quo adhuc in carne vivens, non modicam virgo fiduciam sibi sumit; et quod plenius est futurum, tanquam factum fiducialiter jam præsumit.

CAPUT XXIII.

Introduxit me rex in cellariam vinariam: ordinavit in me charitatem. Quem et quare nominet regem, supra recolo me dixisse, cum in regis cellaria introductam Virgo meminit se fuisse; quæ, etsi digne multis refecta divitiis existimantur, non tamen esse

vinaria memorantur. Nunc vero in cellam vinariam Virgo se perhibet introduci, innuens ad profectum conscientiæ, processu temporis se perduci; in quo non solum de percepto dono gratiæ jam lætatur, sed lætitia incomparabili tanquam vini abundantia debriatur. Si enim justos quoslibet quam præclarus ille (*Psal.* XXII), de quo legistis, calix inebriat, ut de cœlis cadente Spiritu tanquam madentes musto linguosos efficiat (*Act.* II), cujus meriti virginem æstimamus, in cujus Deus utero se abscondit, cui gratius introductæ tota cella vinaria se effundit? Quomodo introducta mentem potuit ebriam non habere, cui non calix angustior, non sapientia vinum miscuit in cratere; sed cella redundans; domus vinaria diffusam protulit ubertatem, perfudit eam uberius tanquam fluminis impetus civitatem? Suum enim proprium volens Altissimus tabernaculum venustari, sanctum cæteris sanctius condignis virtutibus honestari; ad ipsum munuscula manu avara de suo interiori sanctuario non produxit, sed ipsum intra sui arcana sanctuarii gratius introduxit. Ubi soli sola dilecta jungitur dilectori, et ex ipso vel in ipso fonte haurit aquas gaudio pleniori (*Isa.* XII); quibus lota candidatur, quibus pota suavius hilarescit, inebriatur gaudio, tanquam vino fortiter incalescit. Hæc autem ebrietas non perturbat animum, mentem virgineam non confundit, memoriam non obscurat, non aufert scientiam, sed infundit; malum non cogitat, non agit perperam, diligit æquitatem, iram non suscitat, non infert odium, amorem nutrit, ordinat charitatem (*I Cor.* XIII): *Ordinavit*, inquit, *in me charitatem*. Non parvi est meriti, non parvæ denique sanctitatis, in qua non solum charitas, sed et ordo præeminet charitatis; et cum in cæteris pluribus dilectio sit diffusa, in ea præcipue diffusio permanet inconfusa. Nam plerique, etsi amant, non tamen tenent ordinem in amore, sed vel ignorantia caligantes, vel oppressi negligentia graviore, **167** amplius diligunt quod minus, vel minus quod fuerat amplius diligendum, vel loco ponunt ultimo quod digne fuerat præponendum. Virgo autem in his omnibus prudenter erudita, et ad explendum quæ noverat nullis negligentiæ maculis præpedita; amat, ut dignum est, in Domino semetipsam, amat, sicut scriptum est, omnem proximum ut seipsam (*Matth.* XXII). Inter eos autem quos proximos fides efficit vel natura, quos auctoritas legis scriptæ jubet diligi cum mensura; Virgo prudens novit discernere, quem minus, quem amplius diligens amplexetur, cui minus deferat, quem majore diligentia veneretur. Denique et in Christo quem de sancto conceptum Spiritu generavit, in quo Deum et hominem personalis unitas copulavit; utrumque vera Mater discreto judicio sic amavit, ut charitas non erraret, quam in ea idem filius ordinavit. Primo enim Deum quem cœlestium et terrestrium noverat Creatorem, et eorum quæ creavit ordinatissimum dilectorem; carni veræ cognitum, factumque hominem miro modo, dilexit toto corde totis viribus sine modo. In hac quippe dilectione teneri non jubetur modus aliquis, non mensura, et quantum diligatur Deus, non scriptor aliquis docuit, non Scriptura; sed quisquis invenitur diligendi modum subtilius expressisse, videtur non quantum, sed ex quanto diligi debeat docuisse. « Ex toto, ait, corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis (*Luc.* X). » Iste est modus, si tamen modus quo Deum in Christo gaudet Virgo mater diligere, cujus profunditatem humanus ad liquidum sermo non potest exprimere; tantam cujus dulcedinem, etsi utcunque valet ferventior animus experiri, tamen qui verbis explicet facile non valet inveniri. Ex toto igitur quod habuit, quod potuit, in filio dilexit, potentiam potiorem, incarnatæ deitati applicuit affectum promptiorem; omni prorsus creaturæ digna reverentia prætulit Creatorem, Deum homini cognitum habuit super omnia gratiorem. Hominem vero, quem noverat suam Virginis carnem esse, conceptum sine viro, sine suo matris gemitu natum esse, natura, naturalique nectura proximum suum esse, dilexit ut seipsam, sicut legerat dignum esse. Nam, cum nemo carnem suam odio habeat (*Ephes.* V), sicut recolitis vos legisse, quamvis eidem carni culpam quamlibet noverit adfuisse; quantum credenda est Virgo mater Filium dilexisse, in quo et culpa nihil habuit, et natura obstupuit jus inolitum perdidisse? Concipiens quippe Virgo, non amplexum pertulit, non juncturam, pariens, nullum sensit dolorem corporis, non læsuram; originalis culpa, quæ pridem quasi versa fuerat in naturam, longe pulsa doluit, nec omnino potuit talem comprehendere genituram. Solebat ab antiquo lex peccati prævenire quamlibet parituram, et tam matrem quam filium impellebat velut tributarios ad usuram; cunctis æque nascentibus imprimebat proprii numismatis percussuram, nec erat quis tam felix ut evaderet hanc pressuram. Sola Virgo proferens miro modo primogenitum singularem, in conceptu et in partu non experta sententiam generalem; gavisa est talem proximum, imo et talem filium se habere, in quo nihil proprium originalis injuria potuit obtinere. Hunc itaque proximum recte Virgo diligit ut seipsam, et si credi fas est, dicenda est plus diligere quam seipsam, quia tantum hominem supra hominem omnem judicat diligendum, et tam seipsa quam cæteris tenerius et avidius amplectendum. Quod autem docente Spiritu intelligit, intelligens diligit faciendum, eodem operante non est impotens vel ineffícax ad explendum; et ideo filium hominem quem modo inenarrabili genuit ex seipsa, sicut diligendum intelligit, sic diligere potest, et diligit plus seipsa. Nos profecto miseri quæ perfecta et summa sunt, vel intellectu capere non valemus, vel ad explendum ea, perfectam et efficacem gratiam non habemus; et ideo forte Deus nostras infirmitates miserans et nosipsos, temperaliter imperat diligere quemvis hominem ut nosipsos. Virgo autem plena Deo, dives dono gratiæ plenioris,

ad montana provehitur, et ad gradum meriti celsioris; et hominem quem noverat ex se natum materialiter, nullis maculis originaliter præpeditum, carne mundum et Spiritu Deo cunctis inaccessum genere cognitum; super omnes diligit quos donatos intelligit meritis et gratia parciore, dignum ducens ut seipsam illi non solum non præferat, sed nec etiam conferat in amore. Hunc diligendi ordinem ipse qui diligitur, inspiravit, et in Matre diligente charitatem præcipuam ordinavit, ut quam in ortu suo filius esse dederat Virginem mirabiliter et fecundam, miro satis æque modo redderet, si non parem meritis, vel secundam. Solo quippe Christo inferior reliquis omnibus luce præeminet sanctitatis, sanctitatem vero reddit lucidam non nisi excellentia charitatis, quæ quanto subtilius et expressius necessarium ordinem apprehendit, tanto perfectius atque efficacius Christi proximam se ostendit. Hoc in cella vinaria Christus beneficium operatur, in quam Virgo introducta flagrare charitatis incendio gratulatur; nil gratius, nil delectabilius judicans quam ardere, nil in præsenti salubrius, quam æstu charitatis affici vel languere. De quo subjungit: *Fulcite*, etc.

168 CAPUT XXIV.

Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Qui amant illicita, et eorum adhuc compotes non habentur, ægrotare et deperire dilato desiderio perhibentur; et languoris molestias eorum perdita mens incurrit, si voluntati miseræ voti expletio non succurrit. Unde Ammon qui Thamar sororem Absalon adamavit, cum explere nondum posset quod male concupierat, ægrotavit; et desperans posse duci affectatam nequitiam ad effectum, attenuatus macie ibat per dies singulos ad defectum. « Factum est, inquit, ut sororem Absalon Thamar adamaret Ammon filius David, et deperiret in eam valde; ita ut ægrotaret propter amorem ejus. Ad quem Jonadab: Quare, inquit, sic attenuaris macie, fili regis, per singulos dies? Dixitque Ammon: « Thamar sororem Absalon amo (*II Reg.* XIII). » Si ægrotat et deperit qui amore illicito prægravatur, si affectu pressus venereo per dies singulos maceratur, quomodo credenda est Virgo mater Sponsum diligens ægrotare, quæ non incestu Veneris, sed æstu casti vulneris in suum deficit salutare? Amat enim, et amando, vulnere velut quemdam labitur in defectum, dum nondum apprehendit, et tamen sic intendit mentis aciem ad perfectum, ut habitis non contenta, totum effundat desiderium in habendis, et quasi nil obtineat, sic inhærere ardeat obtinendis. Tendens igitur ad optatum, et nondum sentiens consummatum, languet et deficit, nec potest quod desiderat obtinere, affectat et exspectat et effectum adhuc se conqueritur non habere. Quid hoc languore sanius, quid hac sanitate languidius in hac duntaxat vita Virgo poterat experiri, quæ, quidquid terram sapit, intra suum nolens animum inveniri, volebat soli Deo indeflexis complexibus adhærere, et adhuc cogebatur forte propter alios hic manere? Volebat, nec valebat irrefragabiliter frui Deo, gravi solvi a corpore, labore non ateri, gaudere jubilæo; frui bonis invisibilibus judicans bonum esse, cum adhuc, ut videtur, teneri eam visibilibus sit necesse. Sic itaque volenti nec valenti sua est in carne conversatio aliquantulum onerosa, sed pro certo adolescentulis, quæ nutriendæ sunt, non mediocriter fructuosa; quia sanctis apostolis exemplum Virginis profuit et doctrina, dum per eam inter illos ordo vitæ, morum viguit disciplina. Quæ attendens ab eo quod amplius diligit se differri, exspectationi suæ consolationes aliquas vult conferri; et eas quæ secum degunt adolescentulas invitat ad profectum, ut viso eo sustineat suum quasi patientius imperfectum. Si me, inquit, adhuc non excipit perfectæ præsentia requiei, si transire nondum potest fides in regulam speciei; si languet impossibilitas, quia nondum possibilitas consummatur, si gemens afficior quandiu perfectione imperfectio non sanatur; volo saltem vos interim ad profectus congruos promoveri, meoque tam verbo quam exemplo eamdem mecum beatitudinem promereri. Si rerum ille summus et discretus provisor vult diutius me hic esse, si profundo consilio meam vobis præsentiam vult prodesse; si me differt a gloria, differentis beneplacitum non accuso, et quandiu illi placuerit, laborem impositum non recuso. Vos interim dum tempus est, ad lectum meæ quasi ægritudinis convenite, et dilato desiderio laborantem vernis floribus, id est bonis vestris affectibus me fulcite; ariditatem pristinam, hiemis intemperiem a vobis longius removete, et avocamento florido solatioque vernali, amoris æstu languidam refovete. Erit enim non parva consolatio, non modicum refrigerium æstuanti, malagma sive oleum, sive ligatura reputabitur ægrotanti: si pulso procul hiemali gelicidio, vernali decore floreatis, si post flores affectuum, maturiores fructus operum proferatis. Bona equidem arbor grato veris tempore decoris floribus venustatur, venustate non contenta fructu operum postmodum onustatur; quibus videns rusticanus cultor, qui in ea laboraverat, se stipari, gaudet laborem adhibitum fecundo munere compensari. Sic et Virgo eas, quæ secum sunt, adolescentulas bonæ vicem arboris vult tenere, et in horto Sponsi positas, fide et desiderio vult florere: processuque temporis bonis operibus abundare, quibus fulta vel stipata, Sponsum possit eo ditius, quo diutius exspectare. Quo enim plures verbo ejus et exemplo proficere merebuntur, et in ejus consortio cum Sponsus advenerit habebuntur; eo illi venienti ipsa ditior et festivior apparebit, et non solum pro suis, sed et pro illarum meritis majorem gloriam obtinebit. Fulciri ergo floribus et stipari malis recte desiderat et exposcit, ut quia Deum adhuc facie ad faciem non agnoscit; interim de profectu illarum quas erudit, gratuletur, et cum tempus advenerit, de illis et cum illis amplius glorietur. Et non solum fulciri

floribus, sed et malis postulat se stipari, quia flore sine fructu non potest quis esuriens satiari, quorum etsi a priore posterior necessario prævenitur, flos tamen alludit quidem visui, sed profecto non esui sufficiens invenitur. Et revera **169** sicut sine virtute non est pietatis species fructuosa, sic fides sine opere legitur et intelligitur otiosa (*Jacob* II); et affectus non sufficit, qui, si tempus et locum habeat, non perducitur ad effectum; et intellectus bonus est omnibus, non habentibus, sed facientibus intellectum (*Psal.* CX). *Fulcite* ergo *me*, ait, *floribus, stipate me malis*, ut gaudeam cum audiero vos dicere : « Oportet obedire Deo, magis quam hominibus (*Act.* V). » Et illud : « Non possumus quæ audivimus et vidimus non loqui (*Act.* IV). » Gaudeam et cum sensero vos ire gaudentes a conspectu concilii (*Act.* V), quoniam digni habiti estis pro nomine Jesu contumeliam pati. *Fulcite me*, inquam, *quia amore langueo*, non capitis injuria, non membrorum paralysi, sed amore, non febris angustia, non corporis quavis molestia, sed amore; quo nihil ardentius, nihil vehementius potest quilibet experiri, dum gustatur quod amatur, et videtur nec tenetur, præsentari creditur et ardenter quæritur, nec potest inveniri. In quo autem et illius præsentia sentiatur, et doleatur absentia, mox supponit; præsentisque benevolentiam et dilationem absentis uno versiculo sic exponit :

CAPUT XXV.

Læva ejus sub capite meo; et dextera illius amplexabitur me. Læva Sponsi sub capite Sponsæ indicat hunc præsentem, dextera vero amplexatura potius quam amplexans innuit hunc absentem, ut cum de illius absentia tristis querimonia contrahatur, de ejusdem qualicunque præsentia non immerito gaudeatur. Dicto enim : *Læva ejus sub capite meo*, subjunxit, *et dextera illius amplexabitur me*, non : amplexatur me : per hoc innuens sinistræ beneficium præsentialiter jam teneri : præsentem vero adhuc amplexum dexteræ non haberi. Quia vero amoris incendio Virgo dixerat se languere, ut languori congruat verbis sequentibus innuit se jacere, dum non appositam sed suppositam lævam capiti videtur perhibere, et certum est non stanti, sed jacenti manum consolatoriam subjacere. Denique in Evangelio puer Centurionis jacere perhibetur, et si causam quæritis, quia paralyticus, et torquetur; pro quo idem Centurio festinat misso nuntio Dominum prævenire, orans ut jacenti dignetur verbo potentissimo subvenire. « Domine, inquit, puer meus jacet in domo (*Matth.* VIII). » Quare jacet? Paralyticus, ait, et male torquetur. Quid tibi vis fieri? « Non sum, inquit, dignus ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus (*ibid.*). » Alias quoque legitur in quinque porticibus jacere maxima multitudo, et causa interseritur non nisi varia corporum ægritudo; qui exspectant ut descendat ad movendum lavacrum more solito angelus in piscinam, ut qui post motum aquæ prior descenderit, toto corpore sentiat medicinam. « In his, » ait, porticibus « jacebat multitudo magna. » Quare jacebat, exponit : « Languentium. » Quare in porticibus, adjungit : « Exspectantium aquæ motum (*Joan.* V). » Si ergo multitudo, si puer Centurionis jacere perhibentur, eo quod scilicet languore vel paralysi detinentur, non est absonum, si Virgo quæ amoris violentia perhibet se languere, quod suum est languentis intelligitur et jacere. Cui languenti et jacenti Sponsus se diutius non absentat, sed dilectæ dilectus grato beneficio se præsentat; et ne amor durius langueat, languor moram sufferat duriorem, lævam supponit capiti, pulvino vel quovis reclinatorio molliorem. Læva Sponsi (ut nonnulli asserunt) est prosperitas temporalis, fortitudo, divitiæ, pulchritudo, genus, scientia litteralis; et quidquid in hoc mundo videtur temporaliter arridere, quæ, nisi dante Deo, nullus prævalet obtinere. Quæ ideo læva satis congrue nominantur,, quia in hac præsenti vita malis æque ut bonis talia non negantur; et ea præcipue totis illorum nisibus appetuntur, quæ ad lævam districti Judicis in illo vero et severo judicio reponuntur. Quæ omnia Sponsus præsens sub capite Sponsæ ponit, cum sanctam ejus mentem omnibus transitoriis superponit; et quæ perversus quisque corrupto judicio summa reputat blandimenta, Virgo premit et contemnit, pro Christo judicans detrimenta. Sicut enim ille talium appetitor exsultat et tripudiat in obtentu; sic, imo longe aliter, gaudet Virgo sapiens in contemptu : et unde hæc Sponso placet, dum ejus intuitu velut capite superposito cætera cuncta spernit, inde ille displicet dum eisdem transitoriis se substernit. Dextera vero Sponsi est illa suavitas gratiæ fructuosior et vitalis, quam obcæcatus corde homo non percipit animalis; sed ille solum novit, imo illius Spiritus immortalis, cui dat intellectum quem docet scientiam unctio spiritalis. Hanc itaque Virgo in hoc adhuc posita corpore jam degustat, sed ne sinu capiat dilatato, carnis eam præsentia coangustat; hanc percipit, et percepta gaudet plurimum delectari, delectatur et esurit, et esuriens necdum prævalet satiari. Hæc nimirum delectatio hic habet initium sed non finem, amantibus se infundit, desiderantibus **170** spondet finem; donat autem digne perseverantibus, illum finem, cujus inchoatio molestiam, consummatio nescit finem. Quod intuens Propheta : « Delectationes, inquit, in dextera tua usque in finem (*Psal.* LI). » Quæ dextera quoniam amanti et exspectanti adhuc plenius non confertur, sed vita præsens quasi læva eo molestior, quo et longior antefertur : istam sentit nec consentit, sed et mentis excellentia superfruitur; illam sperat, et futuram asseverat, quæ, etsi non tempore, tamen sui merito jam præfertur. *Dextera*, inquit, *illius amplexabitur me*. Ille, qui suam mihi ex toto non negavit præsentiam vel adventum, dum ista, quæ ab ipso temporalia donantur, adduxit in contemptum; multo mihi plenius, multo jucundius videbitur præsentari, cum ipsius me dextera, et vita indeficiens dignabitur amplexari.

Sunt qui velint in læva supposita, sensum posse alterum inveniri, signari videlicet spiritalia quæ divina Sponsæ gratia vult largiri; quibus eam, dum hic vivit Sponsus, diligit insignire, et sub sole laborantem suavi eorum refrigerio delinire. Quia enim illa æstu se amoris languere fatebatur, et languore detenta, ut supradictum est, jacere videbatur; et decumbentis languor urgente mora in tædium non declinet, Sponsus lævam capiti subjicit, ut super eam languida se reclinet. Dolet quidem Virgo visione Conditoris adhuc sibi plenius non concessa, vult dissolvi, eo quod illa est cunctis mortalibus inaccessa; dilatione gravi languet et decumbit mens interior velut fessa, supponit se firma fides, spes certior, charitas indefessa. Harum virtutum grata societas vel gratia socialis, sollicitudo præsens, fida custodia, consolatio spiritalis; cum non sufficiat stipari Virginem floribus sive malis, menti ejus languidæ, capiti velut fesso, explent officium cervicalis. Dum me, inquit, tempus gravat, dum dies mali sunt, hic aliquantulum requiescam, dum amore langueo, dum jaceo languore, vestro in gremio delitescam; hic requies, hic habitatio, donec tandem non annorum, sed meritorum centenario consenescam, quo expleto, cedat languor diutinus, sicut aquila, juvenescam. Extunc quippe et deinceps juxta poetam vice Nestoris annos dextera computabo, imo ad dexteram transiens de sinistra juxta Prophetam de mane vigilabo; mane astabo vigilans, et desideratum, vel magis meum desiderium contemplabor, et sub ejus dextera, apparente ipsius gloria satiabor (*Psal.* XVI). Jam non læva id est præsentium virtutum consolatio capiti languido supponetur, sed dextera et æterna plenarie Dei visio conferetur; quæ me stantem et videntem ulnis charioribus amplectetur, totam me circumdabit, nihil undique languidum relinquetur. Interim vero, dum futuram illius dexteræ gloriam præstolabor, non gratiam jam præsentem, non sinistræ solatium aspernabor; sed in ea delitescens, pro loco, pro tempore gratulabor, cum fides in speciem, et spes in rem transierit, gloriabor. Considerans autem Sponsus tanto Virginem amore lacessitam, et in molli sinistræ gremio sub spe dexteræ consopitam, sic ait: *Adjuro*, etc.

CAPUT XXVI.

Adjuro vos, filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. Loquens Sponsus adolescentulis, nostris se moribus configurat, easque humano more obtestatur durius et adjurat: sciens quia infirmorum aures negligentia vel oblivio claudit aliquoties et obturat, et transgressio mandatorum impunita diutius non perdurat. Monens igitur eas ne putetur mandare negligenter, et mandatum quasi levissimum observare non curent diligenter; astringit eas durius et interserit juramentum, ut quibus torporem infirmitas, timorem incutiat sacramentum. Nolo, ait, ut dilectam cui lævam supposui spiritalem, cui quiescenti in gratia præstolari dedi gloriam æternalem; nolo, inquit, revocetis ad negotium vel curam temporalem, donec ipsa viderit eamdem curam vobis fieri salutarem. Novit enim melius quando vacare debeat otio vel negotio spiritali, quando vobis consulat verbo et providentia temporali; quando legat devotius, oret instantius, angustius meditetur, quando se ad vos referat, quarum immemor non habetur. Quæ cum suum reditum et præsentiam viderit necessariam vobis esse, quæ profecto non tam proferri vobis diligit quam prodesse; spiritali otio quamdam velut injuriam irrogabit, et actus necessarios in voluntarios commutabit. Volo ergo vos, donec velit, suum ad vos reditum æquanimiter sustinere, volet enim, cum viderit tempus vobis congruum imminere; sciens vestra debere negotia penitus non dimitti, sua vero otia teneri quidem præcipue, sed tamen aliquoties intermitti. Qui in Ecclesia cæteris cura et officio præponuntur, hac doctrina, si velint attendere diligentius, instruuntur, ut scilicet summo studio dent operam otio spiritali, nec ab illo resiliant blanditiis et lenocinio temporali. Plerumque erga spiritalia tantis negligentiæ **171** funibus præpedimur, et ad ea tam tepidi vel frigidi potius invenimur, ut magis festinemus discurrere, audire, videre, verbosari, nil gravius, nil importunius judicantes, quam sedere, legere, scribere, meditari. Ad cumulum vero mali, si quos viderimus nolle negotiis sæcularibus inhærere, discursus aspernari, loqui parcius, rumores abhorrere; dare operam lectioni, meditationi gratius insudare, et, si quid intellexerint, scripto memori commendare: hos contracto labio, unca nare, adducto supercilio subsannamus, et cum desint lapides, lingua detractoria lapidamus. Quare hoc? nisi quia Sponsi monita, quibus adjurat filias Hierusalem, non audimus, vel magis audientes occurrente malitia nullatenus obedimus; illius iram sine dubio nobis contrahentes, qui Judex severior, odit et persequitur detrahentes! « Detrahentem, inquit, proximo suo, hunc persequebar (*Psal.* C). » Verumtamen proprium est eorum, qui videntur in Ecclesia cæteris præsidere, non dominari clero, sed formam subditis se præbere; non curis exterioribus, non negotiis sæcularibus animum irretire, sed mente prona studiis spiritalibus inservire; non causis forensium, non sæcularium contentionibus libenter interesse, sed studio litterali, et spiritali otio intentione congrua præsto esse. Illis potioribus tota eorum conferat se voluntas, ad hæc inferiora necessitas eos referat, non voluptas: in illis abscondantur, ut occulta sapientiæ hauriant diligenter, ad ista referantur, propter fratres et proximos patienter. Qui autem volunt illis detrahere, et a proposito spiritali retrahere, Sponsi monita vereantur, quibus et adjuvatur Sponsa et filiæ Hierusalem adjurantur; quia et eorum studia nostro invidorum murmure non lædentur, et iniquos detractores indignatio et animadversio districti Judicis persequentur. Sed quid est quod per capreas cervosque camporum filiæ Hierusalem adjurantur, quasi hujusmodi animalia timere vel dili-

gere cognoscantur, ut per istorum factam diligentius mentionem, illæ attentius moveantur ad tenendum auditam jussionem? Mandatum vero sic adjurantis quis credat sollicitius observari, et non magis inutile et prorsus frivolum æstimari, cum vix aliquem teneat cujusvis reverentia juramenti, si, per quod adjuratur, nullius reputatur ponderis vel momenti? Verum in hoc dramate etsi carnalia et contemptibilia videntur nominari, in his tamen sanior intellectus amat spiritalia perscrutari; et abhorrens quod personat et obstrepit superficies litteralis, illud solum magni pendit quod inquirentibus se ostendit continentia spiritalis. Capreæ igitur, ut aiunt, hoc est insitum a natura, ut contenta non sit campis et vallibus in pastura; sed excelsos montium vertices appetit summa cura, quasi nusquam alias gratam sibi sufficientiam inventura. Diffusam camporum latitudinem, valles humiles et depressas, cunctis passim pecoribus naturæ legibus ab initio jam concessas; fastu quodam præterit, adit rupes cæteris inaccessas, illic pasci delectabiliter, fiducialiter dare saltus, moras facere diligit indefessas. Per quam non incongrue virtus illa potest figuraliter designari, quæ bonis transitoriis non contenta, studet summa et cœlestia speculari; quæ excedens ea in quibus communis multorum infirmitas videtur immorari, ardua quædam minoribus inaccessa vult et valet gratius amplexari. Quæ præsentis vitæ molestias tanquam retro positas obliviscens, angelorum inserta cœtibus, imo ultra angelos desiderio proficiscens, inferiorum planitiem supergressa, amore rapitur supernorum, et de summis pendens verticibus, suavitate pascitur æternorum. Cervus autem qui fame et aviditate congrua serpentes devorat et venenum, quod abhorrent et ab esu animalia cætera judicant alienum; illam signat virtutem animi, quæ peccata mortifera diligit absorbere, et ad destruendum ea edacem diligentiam adhibere. Sunt quippe nonnulli qui contemplandi quidem excellentiam non attingunt, sed ad destruendum vitia forti gladio se accingunt; qui, sicut escam panis, plebem devorant perditorum, et salubri edulio annullant efficaciam delictorum. Quibus cum inhæserit fraus impugnantium et sagitta, cogunt eam resilire arte citius requisita; ferrumque noxium diu in vulnere non sustinent dominari, sed educto eo convalescunt medicamine salutari. Quia vero hanc virtutem quorumvis humilium constat esse, quos non pravitate asperos, sed planos morum benevolentia constat esse; qui, etsi magna fecerint, servos tamen se inutiles dicunt esse; ideo cervos dicit camporum, qui scilicet latum geminæ dilectionis mandatum fortiter amplexantur, viam currunt mandatorum, cum corde et animo dilatantur. Denique cervi cum per aquarum profunda transire disponunt, sic in ipso transitu ordinatim invicem se præponunt, ut præcedentis clunibus caput subsequens superponat, et idem alteri subsequenti modo simili se supponat. Is autem qui se cunctis præposuit et nullo prævio suffulcitur, cum ad sufferendum natandi et portandi laborem lassitudine præpeditur; relicto eo qui supponitur, festinat ad ultimum se referre, quem novit adhuc liberum et sequentem alterum non sufferre. Sic sua invicem onera portantes legem Christi satagunt adimplere (*Galat.* VI); ædificium imitantes in quo lapis amat lapidem sustinere; quorum sustinentiam operatur affectus charitatis, **172** forti cujus navigio, subducuntur naufragio, et ducuntur ad portum voluntatis. *Adjuro vos*, inquit, *filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum.* Vos, ait, quas Hierusalem, id est pacis filias decet esse, sine qua nullo modo præsens vobis Dei visio potest esse; per eas virtutes, quibus et calcatis vitia, et amatis præmia, volo vos adjurare, ne seducto concilio præsumatis saniori desiderio Virginis obviare. Per eas, inquam, virtutes quæ investigando et contemplando Deum altius suspenduntur, per eas itidem quæ in amorem proximi latius extenduntur; adjuro vos, ne quiescentem proximam molestiis impugnare, et Deo, in cujus læva recumbit, inveniamini repugnare. Hæc enim hujus requies quiescenti utilis est et grata, mihi plenius cognoscenti quid cui expediat, non ingrata; ideoque et illam, cum tempus est, quieti volo diligentiam adhibere, et vos infirmiores a murmurio vel judicio prohibere. Quis mihi det, ut non solum non suscitem nec evigilare faciam quoslibet dormientes, nec mandati reus inveniar temere judicans quiescentes; sed et in læva Sponsi sua dantis gratia requiescam, et ab æstu et turbine et pluvia in abscondito tabernaculi delitescam? Felix enim si sic mori merear, sic dormire, si me dignetur Sponsus beneficio mortis hujus, somni gratia delinire; si hoc prohibeantur filiæ Hierusalem impedire, ne compellar scilicet vel ad vitæ molestias, vel ad culpæ vigilias resilire (*Num.* XXIII). Felix, inquam, si anima mea morte justorum moriens et deficiens in atria Domini concupiscat (*Psal.* LXXXIII), si aut in læva Sponsi, aut in Sponsæ saltem genibus obdormiscat; si addiscat experimento, somnus ille quam suavis fuerit Virgini, quam jucundus, cujus ab osculo primus liber sumpsit exordium, in somno finem accipiat hic secundus. Dignum enim judico, ut ad præsens, stylus meus ad prosequendum cætera non festinet, sed dormiente Sponsa, iste paululum se reclinet; cum illa evigilare voluerit, tunc ad loquendum vigilem charitas hanc constringet, stylus ad laborem intermissum potius quam dimissum pro viribus iterum se accinget.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Vox dilecti mei. Recte Sponsus filias Hierusalem sub juramento voluit ammonere, ne dilectam, donec velit, præsumerent a somno vel otio removere, sciens illam, cum opportunum tempus fuerit, convenientius expergisci, referre se ad illas, quarum compellit eam charitas reminisci. Quæ sopore degustato, quo in læva meruit obdormire, saporem illic haustum non vult silentio præterire; sed gratia proximorum intermittens paululum quod incœpit, suscitatur, evigilat, nobis renuntiat quod percepit. Prius vero Sponsum loquentem indicat se audisse, vocem loquentis tanquam bene cognitam percepisse; qui pro ejus somno sollicitus, non solum sub dormientis capite lævam ponit, sed et cum terribili juramento molestiis occurrentibus se opponit.

CAPUT II.

Vox dilecti mei. Vox, inquam, ista quæ sub otio et suavi silentio me serenat; quæ a sereno quiescentis cubiculo forenses molestias alienat; quæ intonat et adjurat, importunosque impetus longe facit, quæ ex parte, non ex toto dormientis desiderio satisfacit; vox, inquam, ista, illius est procul dubio quem dilexi, quem in fovendo, defendendo, mihi propitium jam frequenter intellexi. Recognosco quem diligo, vocem ejus sentio jam præsentem, ex auditu percipio, quia diligit et non negligit diligentem; vox ejus pro me sonat, de me loquitur, mihi favens tribuit munimentum, vobis infra positis non inutile, non contemptibile documentum. Vox ejus me dilectam astruit, meam sibi patenter innuit placere voluntatem, vos docet disciplinam, docet et scientiam, docet etiam bonitatem (*Psal.* CXII); me in pacis gratæ cubiculo, vel potius, quodam vestibulo admittit et permittit paululum obdormire, vobis præstolantibus **173** non tacet quod considerat interius expedire. Ego igitur amica Sponsi sto et gaudeo propter vocem Sponsi (*Joan.* III), cum apparuerit qui auditur, amplius gavisura, et utinam mortem, donec illum videam, non visura. Quando autem veniat? Cur moras innectit? Putas, video? Utinam disrumperet cœlos et veniret (*Isa.* LXIV). Volo quidem jam præconem non præloqui, præambulum non præire; sed ipsum qui loquitur, propius advenire, ut videat et gaudeat cor meum impleri verbum illius prophetiæ, quam veraci præconio per os protulit Isaiæ: « Ego ipse, ait, qui loquebar, ecce adsum (*Isa.* LII). » Verumtamen quantum præsagire, imo quantum jam sentire mihi videor, ecce venit, viam prudentiæ, modum viandi, tempus congruum adinvenit; et quem desidero, cui suspiro, quem votis amplector continuis, ecce venit cum impetu, et propior jam est in januis.

CAPUT III.

Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Ardet Virgo eum, quem diligit, propius intueri, videns nec invidens inutilem ejus præsentiam non haberi; et quem prior venire percipit, denuntiat cuivis audienti, ut ad verbum nuntiantis accurrat et occurrat audiens venienti. Neque enim movetur invidia si et aliis copia hujus detur, si dilectus adveniens præstet sese videndum et cæteris, ut ametur; cujus amor amantes conciliat, et consensum eis ingerit spiritalem, ut signa prius ardeat, habere non timeat æmulam non rivalem. Ideo et hic virgo dilecti non abscondit præsentiam vel adventum, sed denuntiat filiabus, optans ut veniat omnibus ad proventum, quem ob hoc paulo supra prædicavit pulchritudine gratiosum, ut ostenderet consequenter non soli sibi, sed et cæteris fructuosum. Ait supra: « Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus (*Can.* I). » Et paulo post: « Sicut malus inter ligna silvarum; sic dilectus meus (*Can.* II). » Quem vero illic pulchrum denuntians plane innuit non absentem, cur hic tanquam non sit præsens prædicat venientem, cum illic non dixerit post indultam eum præsentiam recessisse, ut dicat necessario eum iterum accessisse? Sed, ut experto notum est, proprietas est amantium vel amoris, ut qui amat et teneri desiderat affectus vinculo strictioris; aliquando subtrahat se, ut dilectam trahat post se, et sollicite requiratur, aliquando redeat, ut illam demulceat, et avidius teneatur. It autem et redit, et nunc absens, nunc præsens dicitur nobis esse, is quem nunquam, nusquam credit fides sanior non adesse, quia qui semper et ubique præsens est incircumscriptæ privilegio majestatis, absens tamen dicitur cum suspendit, præsens vero cum impendit suæ nobis gratiam bonitatis. Nunc igitur Virgo illum gaudet et denuntiat advenire, designans in adventu non moram, illum non obstaculum invenire; sed in montibus salientem, colles obvios transire, ut sic ad destinatum videatur progressu celeri pervenire. Sed mystice loquens Virgo montes voluit bonos angelos appellare, quos certum est primævæ sanctitatis excellentia coruscare; qui sublimes conditi, non superbiæ flatu, non impulsu avaritiæ defecerunt, sed merito persistendi, vel sola gratia ad firmamentum indeclinabile profecerunt. In quibus Deus salit, cum apud se solum occulta sui consilii non retentat, sed illis mirabilem in consiliis super filios hominum se ostentat; cum quod in hominibus disponit processu temporis actitare, in cœlesti solio totum simul dignatur angelis revelare. Salutem quippe hominum quam in medio terræ Deus voluit operari, distribuens per diversa loca et tempora dispensatione et providentia salutari; totam simul

angelos in cœlo voluit prius scire, quibus ministrantibus sua terris beneficia postmodum impertire. « Nonne omnes sunt, inquit, administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? (*Hebr.* I.) » Ad Virginem ergo veniens Deus, in qua mirabile mysterium operatur, prius salit in angelis, quibus cita plenaque notitia præsentatur; nota facit Gabrieli, quæ instructus ille postmodum perferat ad Mariam, simul Deus angelo, seriatim vero angelus texit Virgini prophetiam: « Ave, ait, gratia plena; ecce concipies et paries filium (*Luc.* I), » etc. Salit quoque Deus in angelis, cum non per seipsum, sed per illos nos aggreditur erudire, dare salutis monita, quodvis beneficium impertire, et cum ad nos vel docendos vel regendos illi inveniuntur progredi subito vel salire; ille hoc facere dici potest, cui constat eos qui hoc faciunt obedire. « Audivi, ait Daniel, vocem viri inter Ulai; et clamavit et dixit: Gabriel, fac istum intelligere visionem (*Dan.* VIII).» Et Mariæ quærenti: « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco (*Luc.* I)? » angelus ait: « Spiritus sanctus superveniet in te (*ibid.*). » Sive autem in angelis, hoc est ad angelos, sive ad homines forte per angelos Deus saliens asseratur, ut suam et suorum præsentiam eis abundanti munere largiatur; colles tamen transilit, cum ab ejusdem gratia muneris eos frustrat, sua eos notitia beneficio simili non illustrat. Colles vero sunt dæmones, **174** quos terrenis hominibus constat naturæ privilegio superferri, supernis tamen spiritibus culpæ merito non conferri; qui deinter illos lapsi æquali ultra culmine non grandescunt, et delapsi ad homines, super eos nequius intumescunt. A quibus sacramentum a sæculis absconditum Deus celat, adventus sui gratiam, pietatis magnæ mysterium non revelat; sed eis præteritis quorum naturam bonam superbiæ pravitas dehonestat, melioribus vel angelis vel hominibus, se suamque sapientiam manifestat: « Sapientiam, ait Paulus, loquimur inter perfectos; quam nemo principum hujus sæculi cognovit (*I Cor.* II). » Et Michææ verius prophetanti, Sedecias filius Chanaam dixit: « Mene ergo dimisit Spiritus Domini, et locutus est tibi? (*III Reg.* XXII.)» Plane est ita. Superbos et mendaces dimittit et transilit Spiritus veritatis, humiles vero spiritu salvat, docet suæ dono et præsentia bonitatis; ad istos tanquam gigas exsultans festinat et sentiri præsentius se permittit, illos oblivioni deditos saltu levi transvolat, et ad sui notitiam non admittit. Nec abhorret a sensu congruo, si et Virgo in seipsa montes et colles habere perhibetur, ut ejus celsitudo in bonis spiritalibus et temporalibus commendetur; quorum spiritalia recte montibus comparantur, collibus vero temporalia (quæ etsi magna) tamen spiritalibus non æquantur. Montes equidem in Virgine illarum præcipue munera sunt virtutum, per quas, vel propter quas eidem Virgini novimus attributum, ut cæteris in Ecclesia fastigio sublimi digna sit præeminere; et ei (qui mons montium veraciter appellatur) merito A complacere. Mons est ejus dilectio, mons humilitas, mons est castæ integritas puritatis, in quibus salit Sponsus, id est monstrat se præsentem divinæ magnificentia majestatis; quibus tota se infundit juxta verbum angeli, gratiæ plenitudo (*Luc.* I), ut in his emineat et gaudeat Sponsæ incomparabilis celsitudo. Quod autem multa fuerit ejus dilectio, non cui tamen delinquenti indulgentia plus dimisit, sed cui diligenti dilecti gratia plus commisit; ipsa in hoc dramate paulo supra innuit, dicens: « Læva ejus sub capite meo; et dextera illius amplexabitur me (*Can.* II). » Et meritum præmisit: « Quia amore langueo (*ibid.*) » Ejus vero humilitas, cujus excellentiæ, cujus meriti sit credenda, ipsa quoque indicat, et dubitatio nullatenus est habenda, ut respectus ille Dei hanc B elegerit ut videret, aut electam Virgo crediderit, ut de ea fiducialius responderet: « Quia respexit humilitatem ancillæ suæ (*Luc.* II). » Denique integritas puritatis ut in carne, sic et corde non latuit Isaiam, et angelus longe posterior confirmavit veterem prophetiam; et cum non sit ante, non postea simile quid auditum, constat illud præcipuæ sanctitatis excellentia præmunitum: « Ecce, inquiunt, Virgo concipiet et pariet filium (*Isa.* VII; *Luc.* X). » Hujusmodi montes iste veniens et saliens virgini auferre voluit et conferre, conferenti Virgo eosdem referre studuit et offerre: in his iste huic larga manu, plena gratia reddidit se præsentem, in eisdem ista illi præ cunctis mulieribus se placentem (*Psal.* XLIV). Denique vultum Regis leguntur filiæ Tyri in muneribus C deprecari, et hic iste in montibus, hoc est, in præcelsis vul muneribus præsentari; et hæc munera sua et data sua quibus præcipuis Virginem sublimavit, referri sibi videns, eis quasi totum saltu gratifico se donavit. Colles vero quos perhibetur iste saliens transilire, illa sunt Sponsi munera quæ, etsi magna Virgini voluit impertire; in his tamen religionis summa, vitæ perfectio non consistit, sed honestas elucet, quæ personæ congrua, religioni comes individua non assistit. Forma enim, genus, scientia, quæ in Virgine, quadam excellentia floruerunt, honestati convenientia, saluti vero sic necessaria non fuerunt, ut sine his non inveniatur aliquoties apud aliquos cœna duci, nec desperat illis absentibus cu- D jusvis sanctitas in Domini sui gaudium introduci. Cæterum Sponsus volens Virgini sic honestum, ut necessarium; nil deesse, sanctam bonis interioribus, elegantem vero eam exterioribus dedit esse: ad illa totum se conferens, nec deserens gradu stabili permansura, hæc attendens in transitu, utpote naturæ privilegio transitura. Hæc transiens sive transiliens, fastu vel odio non despexit, sed flore lucentia transitivo, defixo intuitu non aspexit; melioribus conferens ea quæ præsens extulit gratia, finis læsit, se potius ad illa transferens, istis finem habentibus non inhæsit. Finem habet vultus elegantia, species corporis loro stabili non tenetur, transit parentum gloria, series generis pro magno diutius non habetur; cessabit, ut legistis (*I Cor.* XIII), prophetia, scientia

destruetur, hæc et horum similia, ipse qui dat, non abhorret, sed quasi transiens, intuetur. Non enim propter ista præcipue Virgo commendabilis prædicatur, sed magis propter illa quæ sanctitas incomparabilis operatur; in quibus tanquam in montibus iste veniens vult salire, ista meriti non æqualis, instar collium transilire. Ipse quidem summus largitor bonorum, et amator omnium quæ largitur, in quo omnis æquitas, et nulla iniquitas invenitur; multa suis distribuens, uno cuncta modo vel pondere non metitur, sed discernit singula, et condignam cuique diligentiam impertitur. Quod propter et de eo Virgo subjungit : *Similis est*, etc.

175 CAPUT IV.

Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum. Plerique ad id quod agendum est subtilitate congrua non ducuntur, sed aut tenentur negligentia, aut ignorantia seducuntur, et cum hæret pes tardior, vel anterior caligat intellectus, digna quæque non affectant, vel prosperos non ducunt ad effectus. Quod genus pestilentiæ nulli apud homines arbitror inexpertum, sed a parente primo cunctis ejus posteris inevitabiliter est insertum, ut plerumque vel non videant, vel non valeant illuc ire, ubi vitam, ubi lucem tam suam quam suorum gaudeant invenire. Quod enim primo parenti primitus delinquenti solo accidit vitio non natura, nobis posterioribus longe miserioribus inest, tam vitio quam natura, et lege satis misera jam vel nolumus, vel non possumus ab hujusmodi nos maculis expedire, et Paulus nimis verax est : « Natura, » inquiens, « filii sumus iræ (*Ephes.* II). » Utinam esses, Paule, vir non habens spiritum, et mendacium potius loquereris (*Michæ.* II), utinam non contra legem spiritus lege carnis alia ducereris; quamvis jam tu recte volens, sed plenius nondum valens nihil damnationis æstimes tibi esse, quia quidquid ita vis, et nondum plene potes, Deus computat factum esse! Cæterum ego miser longe Paulo inferior, cujus oculus tenebrescit, cujus languet spiritus, languore ad exitum incurvescit, operante natura vitiosa, prævalente vitio naturali, carnis ligatus lege, legi non obedio spiritali. Cum igitur quis mihi novum legit Evangelium, veterem ingerit prophetiam, cum in psalterio decachordo David frequentius personat psalmodiam, cum me Paulus stimulat, urgens monitis durioribus ut procedam, ut prælatos digne sequens, æque subditos antecedam; ego duræ cervicis, quid nisi asinus sum ad lyram, et stimulo nil agente, bos gravis naturali pondere stans ad iram? Sumens quippe psalmum et Scripturæ tam novæ quam veteris harmoniam, jussusque dare tympanum, concordem reddere symphoniam, non novi nisi rudere, male dulcem strepere melodiam, Debboram sequi nolo (*Judic.* V), imitari Moysen vel Mariam (*Exod.* XV). Infelix ego homo cujus animæ, corpus quod corrumpitur, cauterium hoc impressit, cujus sensum intentum pluribus terrena inhabitatio sic depressit (*Sap.* IX), quem obtusum et stolidum asinina efficit hebetudo, tardum et retrogradum pigra boni similis ægritudo. E regione felix ille homo, cujus concepti de Spiritu (69) mentem carnis sarcina non obtundit, cujus velle non nisi semper bonum impossibilitas non retundit; qui sagaci intellectu incerta et occulta cæteris contemplatur, efficaci potentia, quidquid voluerit, operatur. Felix homo, inquam, qui asini hebetudinem, pigritiam bovis nescit, qui tam ad subtilia quam remota solus virtute ingenita efficaciter invalescit; qui ad utraque prævalet visum habens capreæ similatum, hinnulo quoque similis qui cursu præpeti transit velocius ad optatum, sicut ferunt qui noverunt naturas varias bestiarum. Est enim in diversis multa diversitas naturarum; caprea, etsi cervo tardior, acutius tamen cernit, et quæ pascenti vel congruant, vel forte non congruant, videt subtilius et discernit. Denique intra se humorem quemdam habere perhibetur, quo si quis ungat prudenter oculum, ad videndum melius acuetur; et sic, non solum illa prævalet visus acumine promptioris, sed et nobis videndi gratiam interni hujus unctio dat humoris. Quis huic digne similis, nisi cui omnis voluntas loquitur, et absconditum cordis patet, ille Sponsus et dilectus Virginis, quem nil latet; qui districto et acuto examine omnium causas judicat et discernit, et malos ab optimis, bonos a pessimis longe removet et secernit? Ipse quidem inter homines solus homo, eoas partes simul et hesperias intuetur, ab intuendo illas, non spatio, non obstaculo prohibetur; quem in rerum scrutinio falsa species non seducit, et a vero judicio error vel oblivio non abducit. Denique in illo humor ille medicinæ congruens invenitur, sicut melius longe novit qui non tam sciens quam sentiens experitur; quem si videndi avidius quis diligentius oculo superfundit, cæcitas removetur, lippitudo aciei nebulam non offundit. Humor est Christi Spiritus, aqua sapientiæ, fons aquæ salientis, virtus de illo exiens ad medelam mulierculæ deposcentis (*Luc.* VIII); illius aqua Siloe in qua is qui, ut cæcus fieret, non peccavit, sputo prius illitos non sine fructu oculos suos lavit (*Joan.* IX). Hinnulus vero cervorum per camporum planitiem rapido cursu fertur, et non solum capreis, sed et cervis ævo maturioribus antefertur; et dum illi præsto est robur congruum, corpus agile, junior adhuc ætas, obices spernit, superat frutices, sepes transilit, nescit metas. Sic utique morsus canum, insidiantium pedicas, decipulas occurrentes non curat, non formidat, sed quosvis prævolat insequentes, et cum præsens creditur, dicto citius se absentat, cum absens æstimatur, adventu subito se præsentat. Huic iste dilectus Virginis non incongrue similatur, qui assumpta Deus carne carnis onere non gravatur, quin omnia quæ displicent **176** velit et valeat transilire, et ad quidquid voluerit, statim cum voluerit, pervenire. Ipse funes extensos in laqueum (*Psal.* CXXXIX), ipse positum sibi juxta scandalum prætercurrit, ipse la-

(69) Allusio ad illud Symboli : *Conceptus est de Spiritu sancto.*

queum in via qua ambulabat absconditum pede lapso vel labili non incurrit (*Psal.* CXLI) ; patres, de quibus secundam carnem natus est, meritis longe potioribus antecurrit, nobis tardioribus pro sua voluntate nunc subtrahitur, nunc occurrit. Subtrahitur autem, cum visu capreæ simili non tam in facie quam in secreto conscientiæ nos attendit, et corda male saucia, renes dure compositos deprehendit ; cum nos considerat inanes meritis, vitiis graves, moribus imbenignos, et hoc propter sui præsentia, id est sua gratia judicat nos indignos, cujus cum intra nos præsentem gratiam non sentimus, et, eo vigilante, sub umbra vitiorum graviter obdormimus ; cum æstimamus eum nostrorum excessuum negligentius oblivisci, intentum alias, longius proficisci, nobis non prævidentibus instar hinnuli subitus mox occurrit, punit vitia, vitiosos damnat, si tamen judicium misericordia non præcurrit. Plerumque etiam cum abjectis, ut putamus, vitiis, studiis melioribus insudamus, et pro his beatam spem et adventum Domini recte propitium exspectamus ; caligante intellectu, amarum in dulce, in lucem tenebras collocamus, et bonis cognitis justo amplius inhærentes, non digne satis mala incognita castigamus. Cum itaque in pluribus offendentes, nostram ignorantiam non sentimus, incerti procul dubio utrum amore an odio digni simus (*Eccle.* IX), subito iste hinnulus ruit velox, et advolat de supernis, et subtilis oculus capreæ scrutatur nostram Hierusalem in lucernis (*Soph.* I). Scrutatur, inquam, mentis abscondita quibusdam ignorantiis obscuratæ, lumen inferens, discutit graves tenebras dealbatæ ; et videns ad liquidum, quidquid indecens nostra premitur cæcitate, nostras quas putamus justitias, tanquam pannum reputat meustruatæ (*Isa.* LXIV). Ferit ergo, et feriens quod dignum præmio putabatur, quid nisi nobis subito iste hinnulus præsentatur ; qui quasi erat absens, et longe positus dum parcebat, dum speratum falso præmium differebat ? Qui nonnunquam errorem nostrum miserans, ultorem gladium retrahit in vaginam, nosque pie commonet salutarem apprehendere disciplinam (*Psal.* II), ut non stulti et seducti pro pœna præmium præstolemur, sed, juxta Jeremiam, vias nostras indagine sollicita perscrutemur (*Thren.* III). Quia vero scrutatio torpet in caligine, efficacior in lucernis, adest ipse ut caprea illuminans mirabiliter montibus ab æternis ; et humorem illum sui spiritus nostris interioribus oculis superfundit, ut declarari videant quidquid noxium in nostra conscientia se abscondit. Quo everso et absterso, cum de nostra munditia jam lætamur, eum, cujus dono et gratia in nobis opus tam magnificum operamur ; amamus diligere, et habere deinceps volumus gratiorem, miscere colloquia, mereri propitium, sentire propiorem. Qui amantes nos sentiens, et amantium votis consentiens, quamdam sui copiam nobis præstat, demulcet nos muneribus, percussionibus non infestat ; longe facto quidquid grave de præterito nos molestat, ut gustemus quam suavis est, suavitatem sui desiderantibus manifestat. Et dum putatur velut in oculis præsto esse, in manibus jam sentiri, subtrahit se ut hinnulus et ardentius vult requiri ; absentatur non deserens, non tanquam pœnam inferens ; sed attendit, si amor intemperans in absentis desiderium se suspendit. Qui, si viderit amore tenero nos teneri, æstuare in absentem, nullis præsentibus refoveri ; ardere desiderio, præter ipsum nobis gratius nil haberi ; non sustinet diutius ejus absentia nos torqueri. Quem enim non videntes velut abliisse credimus in longinquum, de repente veniens rursus exhibet se propinquum ; et quorum de excelso, ut caprea, jam sanum desiderium intuetur, suo instar hinnuli adventu subito humiles nos tuetur. Ideo forte hic non cervus, sed cervorum hinnulus meruit appellari, qui etiam puer et parvulus homo per Isaiam voluit prædicari (*Isa.* IX) ; quia qui excelsus super omnes deos in seipso continens omnia se abscondit, dignatione humili, humilibus spiritu se infundit (*Psal.* XCV). Quod, quia nulli quam Virgini melius est compertum, (indignus enim quisque dolet se hujus satis muneris non expertum), ideo recte Virgo fiducialiter hoc testatur, cum esse illum capreæ aut hinnulo similem attestatur. Si quis vero auditorum curiosius optat scire, is (qui capreæ et hinnulo similis saliens et transiliens dictus est advenire) quo tendat tam festinus, ubi denique gressum fixit, audiat, ibi esse, ubi eum gradum sistere Virgo dixit.

CAPUT V.

En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Iste optatus dulcius, exspectatus diutius, etsi venit, adhuc tamen, ut videre videor, non pervenit ; sed appropinquans Sponsæ, cujus amorem noverat alieno remedio non foveri, stat post parietem, sciri volens potius quam videri. Paries hoc in loco vita præsens **177** non immerito nominatur, quæ horarum et dierum, mensium et annorum, tanquam lapidibus juxta vel supra invicem positis, fabricatur ; intra cujus angustias dum temporaliter coarctamur, vel ignoramus Deum, vel ejus nondum faciem contemplamur. Unde ad Moysen : « Non videbit me homo et vivet (*Exod.* XXXIII). » Hoc est, nemo intra hujus carcerem temporis, intra septa positus hujus vitæ (licet magni sit meriti, mentis diligentius expolitæ), in mea natura, in meæ naturæ gloria me videbit, quæ gloria post hunc parietem satiandis egredientibus apparebit. Tantæ igitur visionem gloriæ vitæ præsentis obscuritas non admittit, intra hujus tenebras videri se illius facies non permittit : nemo carnem gerens ergastulo temporis obvolutam, Dei videt claritatem a nebulis temporalibus absolutam. Quod intuens Joannes ait : « Deum nemo vidit unquam (*I Joan.* IV). » Unquam, hoc est in tempore, dum scilicet subjicitur vanitati, id est transitorio tempori creatura, non videt ipsum Deum in sua specie vel natura ; quamvis nonnunquam juxta sciat imo et sentiat illum esse, excitare ad precandum, exaudiendis precibus

præsto esse. Et signanter non ait Virgo : *En ipse stat intra parietem*, sed *post parietem nostrum*. Iste quidem noster paries temporivus, tendens semper ad occasum, tendentium pariter oppressivus; suis intus quibusdam tenebris caligat utpote vespertinus, non aurora consurgens, non sol eum excipit matutinus. Intra cujus positi terminos, Sponsi faciem, Christi gloriam non videmus, sed post ipsum, id est postquam ipsius terminos excedemus; cum ejus transito limite nil transitorium jam sciemus, tunc ad mane post vesperam, ad lucem post tenebras veniemus. Unde et David : « Mane astabo tibi et videbo (*Psal.* v). » Et Job : « Post tenebras, inquit, spero lucem (*Job.* xvii). » Pulchre item Virgo post parietem, non meum, sed nostrum dixit. Etsi enim Virgo gratia plenior ampliore, nostrorum jam reatuum est immunis, iste tamen vitæ præsentis paries noster omnium est communis; in quo Virginem non jam culpa, non caro gravis culpa videndæ (ut videtur) subtrahit veritati, sed quod ipsa creatura prædictæ est adhuc subdita vanitati. Nos quidem longe infra Virginem culparum sarcina prægravati, carnalibus illecebris, tenebris densioribus obscurati; quot motus, quot affectus in nobis gerimus interni spiritus oppressores, tot inter nos et Deum muros constituimus divisores. Virgo vero quæ plena gratia talium jam instantia non urgetur, sed præsente solum vita, nolens quidem et invita adhuc sub tempore detinetur; non jam multos parietes, sed unum magis asserit interesse, et hunc, non sibi proprium, sed communem omnium dicit esse. Quæ etenim plures a se muros vel parietes gratiæ excellentia longe fecit, unum tam suum quam omnium pro velle statim et desiderio non abjecit; et quæ nobiscum vivens, culpas tamen nostras habere diutius non consensit, ipsam vitam, velut parietem, gravem et oppositam sibi sensit. Volebat quippe volens facie ad faciem videre quem amabat, sed a suo eam desiderio lex illa stylo scripta ferreo retardabat, quæ a Deo ad Moysen, ad homines per Moysen multis ante sæculis promulgata, et tunc et nunc et deinceps manet scripto indelebili confirmata : « Non videbit me, inquit, homo, et vivet (*Exod.* xxxiii). »

En, inquit Virgo, post parietem nostrum intelligo Sponsum stare, qui quantumvis appropinquet, non vult se ad liquidum hic viventibus demonstrare; et cum aliis forte quibuslibet longe sit, quorum multos constat parietes interponi; en, hoc est in proximo mihi stat, quæ nisi unum sentio non opponi. Stat vero ut diligenti sollicitudine me attendat, exire cupienti adjutorem promptulum se ostendat; confortet demorantem, manum porrigat annitenti, consoletur præsentibus, meliora spondeat insequenti. Denique Stephanus cum sustinet lapides et opprobria Judæorum, non tam pro se dolens quam malitiæ condolens perditorum (*Act.* vii); instans orationi, suavem raptus est in excessum, videlque Jesum stantem, miseris lapidantibus inconcessum. Stabat quidem Jesus, ut luctanti daret vires, spem victoriæ moriturо, fidenti manum porrigens, parietem solveret egressuro; egredientem susciperet, susceptum eriperet de conversatione sæculi turbulenta, eo deinceps considente in pulchritudine pacis, in requie sessurus opulenta. Sic dum Virgo vitæ præsentis solo pariete detinetur, Sponsus tanquam foris stare post ipsum parietem perhibetur, ut eamdem exituram stare interim super sui custodiam adhortetur, et ipsum custodem sui exitus, stans et constans illa virili fortitudine præstoletur. Interim vero dum Virgo moram sustinet intra hunc parietem constituta, dissolvi quidem cupiens, sed nondum plenius absoluta; Sponsus respicere per fenestras, per cancellos prospicere memoratur, Virginis curam gerens suo eam respectu gratiæ consolatur. Ne domus male cæca sit, et ejus interius tenebrosum; per fenestras et cancellos lumen introfunditur gratiosum. Et fenestræ et cancelli in hoc mihi videntur ab invicem differentes, quod fenestræ in longum extensæ sunt, cancelli formam velut oculi rotundam præferentes. Per fenestras igitur oblongas Sponsus introspicere tunc videtur, cum incolatum Sponsæ quo intra parietem longiuscule detinetur, spe longanimi, constanti **178** reddit patientia luminosum, sine cujus gratia luminis, nihil odio dignius, nihil amplius tædiosum. Pressus David tædio : « Heu, ait, quia incolatus meus prolongatus est (*Psal.* cxix). » Læto perfusus lumine : « Tu es, inquit, patientia mea, Domine, spes mea a juventute mea (*Psal.* lxx). » Per cancellos vero Sponsus introspicit, cum inconfusa gratia ipsius subtilius actus suos Virgo circumspicit; et non inveniens in transitoriis ubi pedem requiescere patiatur (*Gen.* viii), mentis figit oculos in eum, quem sauiori desiderio præstolatur. Per cancellos prospicit, cum a Sponsa longe faciens affectus et motus animales, infundit ei, vel infundens illuminat oculos spiritales, quibus circumspecta Virgo, non solum non inhæret præsentibus, non attendit cupide transitura, sed pupillis declaratis, videt, amat avidius sine termino permansura. Quibus oculis non solum mundativa, sed et munditiæ servativa Dei visio se infundit, et per illos consequenter in toto quasi ædificio se diffundit, quorum teres et rotunda perfectio augustiorem sinum forinsecus adaperta, latiore intrinsecus cuncta reddit infuso lumine deoperta (*Ezech.* xl et xli). Miror si hoc ipsum ædificator prudens Ecclesiæ non aspexit, qui partem hujus illam quam digniorem meritis intellexit, in rotundum ædificans cancellum voluit nominare, in quo poni significantius Sanctum sanctorum voluit et altare. Quæ pars primum suscipere divini respectus gratiam promeretur, primum sanctificata morbo avaritiæ non tenetur; sed aperto et referto sinu mysteriorum lumine præcellenti, toti passim Ecclesiæ refundit velut oculus beneficium sacramenti. Unde et illic præcipue cerei sive lampades accenduntur, quæ prædicti gratiam luminis signare expressius ostenduntur; ex quibus illa Dei visio illic primum intelligitur præsentari, et ab ipsis ad reli-

quas, sparso quasi lumine, dilatari. Sic ille qui stans post parietem necdum patitur se videri, per fenestras et cancellos dilectam diligit intueri vidensque et non visus, ut tamen valeat non nesciri, suam loquentis vocem tanquam de oraculo vult audiri.

CAPUT VI.

Et dilectus meus loquitur mihi. Mihi inquam, quæ intra parietem adhuc teneor vel invita, et, si jam non aliis, tamen vitæ præsentis maculis præpedita; ille qui post parietem stans volentem et nondum prævalentem egrêdi me exspectat, et interim per fenestras et cancellos misericordiæ oculis introspectat; ad cumulum beneficii addit etiam ut loquatur, et sermone gratifico suaves amoris lineas prosequatur. Et recte dicitur visum consequenter locutio comitari; quia quam dilectam videre contigerit, statim volumus et affari; et ut tuba præliantes, admissum equum stimulo vel calcari, sic eam verbo grato ad majorem amoris vigilantiam adhortari. Loquitur ergo Sponsus, et suo eam gaudet alloquio delinire, suam illi voluntatem insinuat, docet humilem obedire; fateri se ancillam, post auditam maxime salutem Gabrielis, tenere memoriter illud dictum quod longe ante scriptum noverat Samuelis : « Loquere, ait, Domine, quia audit servus tuus (*I Reg.* III). » Huic ergo ancillæ Dominus, imo dilectus Sponsæ loquitur audienti, Sponsa diligens et pervigil aurem patulam dat loquenti; ille auditui hujus gaudium et lætitiam dat loquendo (*Psal.* L), humiliatur ista vocem Sponsi gratius audiendo. Et digne gratius, quia noxia, quia tristia ut adversarius non loquetur, sed suavia, sed utilia ejus benevolentia prosequetur, quia qui diligit et diligitur, non sævit, non irascitur in dilectam, sed pacem ei porrigit, quamvis adhuc, pariete velut interposito, non perfectam. Quam vero pacem porrigat, vel ei quid pacificum eloquatur, ne vos diu lateat, sequenti versiculo declaratur.

CAPUT VII.

Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Hic primum objici potest, quare is qui paulo superius adolescentulas monuit ne turbarent, ne ipsam, donec velit, inter lævam quiescentem et dexteram suscitarent; nunc velut oblitus quod monuerat, eam provocat ad surgendum; instat quoque ut properet, tanquam non sit jam diutius differendum. Verum qui cohibens filias Hierusalem, quarum ad hoc non sunt oculi revelati, surgere autem Virginem, ejusdem (ut nostis) reliquit voluntati; multo amplius novit ipse quid, quando congruat, vel expediat sanctitati, a quo et Virgo habet ut prudenter vel otium vel negotium impendat veritati. Cui, cum inspirat Sponsus post quietem otii, negotii voluntatem cum ad curam proximorum ejus excitat et suscitat charitatem; ad opus jam necessarium ejus urget suavi stimulo tarditatem, ut scilicet « audiens, dicat : Veni (*Apoc.* VI), » docta doceat veritatem; quid ei dicit vel indicit, nisi, Surge et propera? hoc est ut in

 otio, sic in negotio festinanter mihi obtempera? Tu, ait, quæ supra lævam infra dexteram suaviter delitescis, quæ intra parietem ad respectus meos non inaniter hilarescis; surge, amplexus infecundos suavis otii paulisper intermitte, exi cito in plateas et vicos, claudosque ac debiles huc admitte (*Luc.* XIV). Quod quia vis cum volo, et cum nolo non vis, meam recte dixerim te amicam, attendens cunctis voluntatibus mihi displicentibus inimicam. Cui dicto non solum præsens veritas Canticorum, sed et verax sententia digne concinit ethnicorum (70). Idem, inquit, velle et idem nolle, ea demum firma amicitia est; quæ autem amica es, dum mecum per omnia vis sentire, meorum conscia secretorum, mei voluntatem animi custodire : columba es nihilominus, dum ad ea quæ sunt mundi præsentia non aspiras, sed propter æternorum absentiam gemis inconsolabiliter et suspiras. Etsi enim ad instruendum proximos nonnunquam voluntarie te exponis, eum tamen (quo in me æstuas) desiderium non postponis (*Luc.* XI); et accedens ad hæc plurima, unum illud necessarium non dimittis, sed paulisper solum vacandi et contemplandi otium intermittis. Et quia discretione congrua præpolles, omnibus in utraque laudem sive meritum tibi contrahis ab utroque, et in nullo eorum deformem te exhibes, sed formosam, formæ hujus merito meam, id est mihi non mediocriter gratiosam. Tu igitur, *amica mea, columba, formosa mea; surge, propera, et veni.* Surge ab otio, accingere fortiter ad laborem, propera, obedi sine mora, ne te inveniat proximorum indigentia tardiorem; et veni, non procul a me post vestigia gregum, post greges sodalium abitura, sed laborans me astante, sine quovis dispendio vel jactura. Ne enim cum tu surgens properaveris, desistas velut impatiens ab incœpto, adero te confortans et fingens laborem in præcepto (*Psal.* XCIII); nec te, cum tua virtus defecerit tanquam longe positus derelinquam, mihi, cum ad me venies laborans, invenies te propinquam (*Rom.* XIII). *Surge*, quia hora est jam te de somno surgere; *propera*, quia hilarem datorem diligit Deus (*II Cor.* IX); *et veni*, quia ego tecum sum, dicit Dominus. Quod autem hora sit, consequenter declarat, dicens : *Jam hiems*, etc.

CAPUT VIII

Jam enim hiems transiit, imber abiit [et recessit]; flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis advenit. Dum hiems est et dure terra gelu frigido coarctatur, dum nive superfusa premitur ejus superficies, non vere facies coloratur; dum habenis laxioribus per hujus campos aeris gaudet aquilo desævire, et auster non comparet, differtque Favonius advenire; nimirum agricola exire ad opus suum, aratrum exponere non festinat, domi sedet, vacat sibi, igne gaudet, epulis lautioribus se saginat. Item, dum imber est, pluviis diu defluentibus importune, et campos pridem aridos jam quasi stagna occupant vel lacunæ; dum de altis montibus

(70) Cicero, De Amicitia.

torrentes cum furore sese præcipitant, et flumina suos excedunt alveos, et hinc inde longe exorbitant; dum obruuntur sata, domus fluctuant, arbores evelluntur, et aquæ diluvii non repressæ imperio non obstaculo repelluntur; quis arator exeat ut boves moveat ad juncturam, quis colonus apponat vineæ falcem noxia vel superflua recisuram? Cæterum cum hæc dure increpat manus potentior et retundit, et serenato sere terris verna suavitas se infundit; cum imbris et hiemis molestior importunitas jam abstersa, et absterso nubilo sua rebus facies est reversa; tunc denique arator hilarescit, reditque animus operandi, exit homo ad vineam, quia tempus congruum est putandi. Hiems nostra illa est, cum duro animi frigore detinemur, cum Deum diligere ignorantia vel negligentia prohibemur; cum spiritus nequam ut aquilo flatu continuo nos obdurat, et mundus positus in maligno suæ nos malitiæ configurat. Imber vero noster est, cum affectuum carnalium fluxus nostris mentibus se infundit, et enervis eorum mollities undoso passim impetu se diffundit, multaque inundatio modum excedere, supergredi mensuram invenitur, dum nec coercetur alveo disciplinæ, nec justitiæ manu obvia prævenitur. Tunc quippe torrentis instar, furit passio, fremit illuvies vitiorum, mentem mergit et suffocat, redditque nesciam mandatorum; et si quid boni satum conceptumque in spe fuerat vel in herba, rapit aqua diluvii, tollit flumen Ægyptium, obruit mors acerba. Denique mens jam perdita, ad **180** appetendum foris illicita se extendit, in suos trahit usus quidquid mollius et suavius deprehendit; suavitate ciborum, molli tactu mulierum delinitur, nec nisi carnem sapit, et quidquid carni miseræ sic blanditur. Quod si divina gratia dignetur quandoque tantis calamitatibus misereri, supradictam mentis duritiam misericordiæ oculis intueri, ut eam gelu noxio diu pressam calore tandem spiritus velit solvi, et a mortis merito indulgentiæ beneficio nos absolvi; hiems tenax et durior miserorum eatenus oppressiva, statu concussa perdito, jam efficitur transitiva. Transit, inquam, et in ejus transitu redit viror et temperies rediviva, auster venit, spirat favonius, verna suavitas sequitur, et æstiva; ridet florum pulchritudo sequentium fructuum promissiva, vitis lætatur falce sarmentorum inutilium putativa. Eadem flante gratia serenatur aer, multa pluviarum inundatio tenuatur; exsiccatur diluvium, intra suos fluvius terminos revocatur; exsultantibus parcimoniam, luxuriantibus continentiam indicit non inaniter disciplina, arefacto reumate vitiorum honestatur virtutibus mentis interior officina. Qua mundata et interno munere fecundata, non solum abit imber defluus et recedit, sed et terræ novus decor, nova quædam facies jam accedit; et unde hiems transiit, imber abiit nec comparet, illic flos bonorum operum venturi scilicet spes præmii jam apparet. Cujusmodi gratiam quia filiabus Hierusalem Sponsus voluit impertire, ut scilicet evulsis perversæ voluntatis ruderibus ad profectum ampliorem jam desiderent pervenire; ad occurrendum et succurrendum illis gaudentem otio Virginem exhortatur, ostendens quo tempore, qua præcedente convenientia digne et utiliter id agatur. Surge, ait, *jam enim hiems transiit*, illa scilicet duritia, quæ mentes auditorum aliquandiu potuit præpedire, ne verbum Dei vel audirent, vel audito diligerent obedire; quæ illis manu gravi duro cum imperio se injecit, induratas frigore aquas defluas stare fecit; nives terræ frigidas velut grave pallium superjecit, presso diu gravamine oves teneras interfecit. Hæc nimirum duritia inventa est Petrum gravi ungula tenuisse, cum ille quem noverat, respondit se hominem non novisse (*Marc.* XIV)[a]; et ei, ut nec verum posset loqui, timoris colaphum servus intulit aut puella, ne juvaret magistrum discipulus, manum piger tenuit sub axilla (*Prov.* XIX). Meministis, ut arbitror, quod Evangelii veritas asseverat, quia cum negaret, et se Petrus calefaceret, frigus erat (*Joan.* XVII); et ideo tunc temporis Virgo surgere non præcipitur ad loquendum, sed miserante gratia negans ille primo respicitur ad deflendum. Flevit enim amare, duro sentiens frigore se teneri (*Luc.* XXIII), et ignem, cui astat, ad repellendum illud satis congruum non haberi; sed eadem hieme transita respectu gratiæ miserentis, Petro Maria mittitur nuntiare potentiam resurgentis (*Marc.* XVI). Denique multus imber, aquæ multæ malitia temporis vel diei, nunquid non videntur vobis tenuisse Joannem Zebedæi; eum velut suffocato spiritu inflexo rigore castitatis, amplecti festinaret mollem carnis copulam, perituræ nuptias voluptatis? Maxime vero multus imber, multa eum munditia suffocavit, cum magistrum passioni proximum Petrus fidentior ter negavit (*Marc.* XIV); et ipse nihilominus amore vitæ hujus passione territus supradicta, raptus in præcipitium nudus fugit sindone derelicta. Et revera non mediocris est culpæ, nec parum deviat vel delinquit, qui in diluvio passionum, amorem cœlestium mundiorem sindone derelinquit; quo nullo quis honestius, nullo potest utilius investiri, si tamen juxta suam formam Christus nos in ea dederit sepeliri. « Involvit, inquit, eum in sindone munda, et posuit in monumento (*Matth.* XXVII). » Sed Joannem amor sui, contemptus sindonis profugum denudavit, Judam Magistri odium, morbus avaritiæ, reatus sceleris enervavit; omnes denique tulit aqua, læsit diluvium, culpa mersit, sed cæteris per gratiam evadentibus Judas perditus non emersit. Ille quippe diffidentia suffocatus, laqueato gutture se suspendit, Joannes arcem gratiæ, videndi fastigium apprehendit, quia Christus in cruce patiens curam Judæa sua longe benevolentia relegavit, Joannem vero diligens, curam ejus matri Virgini delegavit : « Mulier, inquit, ecce filius tuus (*Joan.* XIX). » Postquam igitur fide Christi resurgentis, procul hiemis et imbris molestias voluit amovere, et in his quos elegerat, gratia liberatrix eminentius apparere;

sollicite Virginem invitavit, ne surgere, properare, venire, pigritetur, quia tempus est jam loquendi, cum terra scilicet prædicto imbre vel hieme non tenetur. Nec solum tanta intemperies abiit et recessit, sed et verna suavitas, florida pulchritudo, fructuum spes accessit; in terra nostra flores obedientiæ, patientiæ, continentiæ jam relucent, adhuc unum modicum, et fructum optabilem jam producent. Non est ergo differendum, quin proferatur interim falx et admonitio purgativa, quæ diligenter resecet vitulamina negligentiæ rediviva (*Sap.* IV); radat ignorantiam, fidem instruat, putet mores, ut ad proferendum fructum digna reddat sollicitudine promptiores. Cum enim tempus vindemiæ, dies fructuum illucescet, putatio jam non erit, tam cophinus quam fossorium conquiescet; quæ decursa hieme jam convenientius se præsentant, cum vernat viror novus, flores in terra varii se ostentant. **181** *Flores*, inquit, *apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit.* Et adjungit : vox, etc.

CAPUT IX

Vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos : vineæ florentes dederunt odorem suum. Vox turturis non levatur juxta musicos in acutis, nec eorum auribus est amœna; non nimis dulce canit, sicut juxta quemdam ethnicum, philomena; sed versatur in gravibus presso quodam gemitu luctuosa, non accepta gaudentibus, lugere volentibus gratiosa. Cujusmodi vocem videtur ille querulus imitari, qui suum in terra incolatum dure queritur prolongari; qui præsentibus non inhærens, et in eis respuens consolari, pro absentia futurorum gemens non desinit lamentari. « Heu mihi, ait, quia incolatus meus prolongatus est (*Psal.* CXIX). » Et illud : « Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus, non est qui consoletur eam (*Thren.* I). » Si meministis hæc vox in discipulis est audita, cum tenera eorum dilectio, spes dilato desiderio lacessita, inter se disputant, et suspirant, et instar turturis conqueruntur, et inter conquerentes multa dubitatio, sermonesque varii conferuntur. « Qui sunt hi sermones, ait ille, quos confertis ad invicem, ambulantes et estis tristes? (*Luc.* XXIV.) » Et illi : « Nos sperabamus, inquiunt, quod ipse esset redempturus Israel (*ibid.*). » Cum ergo in terra jam hujus turturis vox auditur, recte ad promovendam fidem sollicitudo virginis accersitur, ut sciat quia non inanis ejus prædicatio, non inefficax invenitur, quæ sic devoto gemitu sic gemente spiritu prævenitur. Denique turtur in montibus et in locis secretioribus diligit conversari, non lætatur conventu avium, non publico, non frequentia populari; formam tenens illius sapientiæ spiritalis, quam non vaga forensium multitudo, non homo percipit animalis. De qua Job : « Trahitur, inquit, sapientia de occultis (*Job* XXVIII). » Et David : « Incerta, inquit, et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi (*Psal.* L). » Et Paulus : « Loquimur, ait, Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est (*I Cor.* II). » Paulus qui se noverat debitorem ut sapientibus, sic et stultis, inter perfectos loquens trahit sapientiam de occultis : et quem forensium hebetudo, vel hebes ignorantia non molestat, aures æque habentibus incerta et occulta sapientiæ manifestat. Vox itaque est turturis, quæ abscondens turbis caligantibus occulta sapientiæ vel incerta, paucorum admodum reddit oculis sive auribus deoperta : quæ tegens multitudini secretum, secretum Isaiæ, prophetiam Elisabeth, vaticinium Zachariæ, eis tantum qui accepto spiritu ad montana festinant, suaviter insusurrat, quorum aures audiendi aspis subdola non obturat. Denique vocem turturis illa mulier promere videbatur, quæ se vidisse Dominum cum a mortuis surgeret, lætabatur; et quem solum sola viderat, desiderio jam completo, nuntiabat, non turbis in platea, sed apostolis in secreto : « Venit, inquit, Maria Magdalena, annuntians discipulis quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi (*Joan.* XX). » Marcus vero : « Surgens, inquit, Jesus mane prima Sabbati apparuit primo Mariæ Magdalenæ, illa autem vadens, nuntiavit his qui cum eo fuerant (*Marc.* XVI). » Illi quoque discipuli in secreto excellentiæ instar turturis demorantur, qui absente Thoma Dydimo videre Dominum gratulantur, cui cum reverso nuntiant, æstimantes eum æque tali nuntio gavisurum, ille diffidens asserit non se, nisi viderit, crediturum. Nec abhorret, si eumdem Dominum vultis etiam turturem perhibere, qui resurgens a mortuis, tam mulieribus quam discipulis voluit apparere, quem prorsus turbis absconditum foro gaudentibus vel platea, non nisi suis videndum secreto præbuit Galilæa. Cujus vocem turturis illam procul dubio reor esse, qua suis, ut crederent, se innotuit præsto esse, quam remotam longius ab auditu malignantium obdurato, illis tantum intulit quos teneri comperit affectu diligentium inchoato. « Pax vobis, inquit, ego sum (*Luc.* XXIV). » Bona ista vox turturis, vox de excelsis montibus, vox secreta, quam non capit turba fremens, fori litibus et tumultibus assueta : quam nesciunt nisi pauci, quorum auris digne audit, oculus pertinacia non caligat, quorum vigens intellectus secreta sapientiæ sollicitius investigat. De qua voce scriptum est : « Non audietur in plateis vox ejus (*Isa.* XLII). » Quæ nimirum vox, postquam terræ insonuit et a discipulis est audita, terra sinus lætos aperuit duro prius frigore præpedita : nova vernans temperie, ut jam digna sit nostra dici, quæ maledicta in primo homine, secundo resurgente meruit benedici. Cui enim pridem ne peccaret districte Dominus interdixit, et transgressam interdictum in ira et furore durius maledixit : eamdem resurgens a mortuis respectu suo, sua gratia benedixit suisque muneribus innovatam novitatis merito nostram dixit.

182 CAPUT X.

Vox turturis audita est in terra nostra. Quæ olim,

cum peccaret, alieno se dominio mancipavit, et recentem sibi Deum possessoremque alium usurpavit : postquam novo afflata spiritu, a prædictis erratibus fit immunis, nostra jure dicta est, amborum videlicet possessio jam communis. Quorum enim unus est spiritus, una caro, nil deinceps habere dicendi sunt non commune ; sed quod sponsæ est, sponsus sibi satis vindicat opportune, cum et id quod suum est, velit tanquam non sibi proprium retinere, sed cum illa communicet, ut omnia communia simul gaudeant se habere. « Pater noster qui est in cœlis (*Matth.* VI). » Si Patrem, inquam, qui est in cœlis non meum proprie, sed communiter nostrum dico, recte sponsa terram quoque non tuam, sed potius nostram dico, quia, sicut dono dedi participem fieri te meorum, sic meo magis quam tuo dantis munere particeps sum tuorum. Alioquin, si terra tua tantum, et non nostra potius haberetur, forte in ea prædicti non vox turturis audiretur, et ficus grossos suos, quos audito turture protulit, non proferret, eisque non prolatis, non fructus alios tardi temporis subinferret. Omnes fere arbores quarum diversa est species vel figura, hoc velut sibi proprium, hoc sibi habent insitum a natura, ut quæ fructus suos maturo est tempore prolatura, prius quidem gaudeat quadam florum sobole transitura. De qua scriptum est : « Mane floreat et transeat (*Psal.* LXXXIX). » Cum autem arbor viduata flore fuerit transitivo, natura operante fecundatur accessu fructuum secutivo ; et quidquid ante doluit, quidquid damni sustinuit defluo nuda flore, novo compensat gaudio, mutat copia meliore. Ficus autem non cæteris in hoc similis invenitur, nec ubertas in ea fructuum flore gratia prævenitur, sed cum florent aliæ, proferre fructus dicitur primitivos, processu quidem temporis succedentibus aliis transitivos. Sic nimirum ficus insueto cunctis genere fit fecunda, nullo flore prævio dives prima ubertate fructuum et secunda, quorum grossi qui præcedunt, non sunt ejus gratiæ, non saporis, qui succedunt quo tempore tardiores, eo succi procul dubio melioris. Aliquando tamen inter grossos qui alios dicti sunt prævenire, est nonnullos quamvis raros admodum invenire, qui et præcedunt et non cedunt loco et tempore successuris, sed aliis decidentibus stant diutius et permanent cum venturis. Inter duos quippe ramusculos nasci grossus aliquoties invenitur, qui velut collateralium diligenti circumstantia custoditur : et repausans in angulo hinc inde succum sibi hauriens et fomentum, non solum non defluit, sed ampliorem cæteris ducitur ad proventum. Huic enim et coævi qui defluunt, pares in gratia non habentur, et postremi qui succedunt, æquari procul dubio non merentur, sed tam istis quam illis, et odore et sapore meretur anteferri, aptus cibo nobilium, dignus mensæ nisi regiæ non inferri. Ficus non incongrue potest plebs Judaica nominari, quæ cum audiret Christum commendare cœlestia, terrestria docere non amari : sacris imbuta litteris, statim protulit credituros ; sed in verbo fidei, firmitate operum non mansuros. Qui producti festinato et assumentes speciem pietatis, sed virtutem abnegantes et carentes pondere veritatis, ad primum venti flatum immaturo tempore ceciderunt, vel vento necdum flante suo graves pondere defluxerunt. Et forte non immerito grossi hujusmodi homines appellantur, qui grosso magis sensu, quam corpore arcana et subtilia nequiter aspernantur, qui juxta Pauli (*Ephes.* IV) vocem obscuratum grossitudine habentes intellectum, credunt quidem ad tempus, sed tentationis tempore corruunt in defectum. Satis, imo plus quam satis grossos illos arbitror exstitisse, qui loquenti Christo in Evangelio leguntur astitisse ; et cum ille de manducanda carne, et bibendo suo sanguine mystice disputaret, et æternam in se habere vitam, non nisi eos qui manducaverint, affirmaret, illi de quorum lateribus videbatur grossa nimis arvina dependere, non capientes mysterium, inventi sunt verbum mysticum abhorrere. « Durus est, inquiunt, hic sermo, quis potest eum audire? » (*Joan.* VI.) Cum sermonis hujus duritia rudes illi misere quatiuntur, et flatum aquilonis veritate non solidi patiuntur, ferentes ægre purum in sermone scandalum subobscuro : evidenter velut grossi tempore defluunt immaturo. « Ex hoc, ait, multi abierunt retro ; et jam non cum illo ambulabant (*Joan.* VI). » Illis autem recedentibus, ne putetis de eodem populo deinceps nullos esse, qui audire velint Christum, et eum audientibus interesse ; alios postmodum septuaginta duos quocunque se venturum noverat, antemisit, quos de illo assumens populo ficum manere prorsus sterilem non permisit. Denique Judas proditor qui Magistrum aliquandiu inter apostolos est secutus, ad ultimum usque ad proditionem et odium insanabile persecutus, cum se lapsum in profundo velut grossum suo ipsius pondere deprehendit, multo pejus referens se in altum laqueo se suspendit. Sed ne locus Apostoli diu **183** vacuus haberetur, et uno corruente sacrati numeri digna perfectio frandaretur : Mathias, ut legistis, data sorte in apostolum est electus, et sic nec ficus vacua, nec duodenarius exstitit imperfectus. Quod si parum et insufficiens quibuslibet auditoribus hoc videtur, si diligens lector putat quod hic aliquid dignum scrupulo continetur : transferat se ad illos qui ad verbum Petri de illa plebe postmodum crediderunt, et nunc tria millia, nunc vero quinque millia numerum decidentium suppleverunt. De quibus non est dubium quin digne quo tempore tardiores, eo Juda et prædictis apostatis dici debeant meliores : et plus longe Christo placuerit eorum successio et conversio vespertina, quam illorum recessio et præcipitatio matutina. Illi vero grossi qui aliis cadentibus pauci admodum restiterunt, et cum lapsis non elapsi cum succedentibus etiam perstiterunt ; apostoli recte possunt intelligi, qui a Christo inter

primos et forte primitus eliguntur, et ab eo non prece, non pretio, non minarum impetu repelluntur. Quos cum aggrederetur Magister bonus diligentius convenire, utrum aliis retro abeuntibus et ipsi vellent ire : Petrus ad loquendum promptior, quid intenderet non abscondit, sed præ cæteris (ut eorum primus et præcipuus) sic respondit : « Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes : et nos credidimus et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei (*Joan.* VI). » Petrus ergo inter duos velut ramusculos, videlicet inter legem et Evangelium delitescit, hinc inde fomentum sibi sumens ad persistendum fortiter invalescit; in amborum pausans confinio, super utrumque suaviter se inclinat, diligenter innitens alteri, prorsus ab altero non declinat. Intelligit enim quia lex vetus novam signis et ænigmatibus præfigurat, nova facit intelligi veterem, non obscurat; vetus novæ non præjudicat, sed præcurrit, nova non adversatur veteri, sed occurrit. Legislator et dator Evangelii videntur Petro non ab invicem dissidere, dum lex Christum prænuntiat, Christus legem non vult solvere, sed implere; et in ipso tanquam in angulo vetus novæ legi quadam convenientia counitur, cui Petrus innitens firmiter, munimento duplici custoditur. De quo et ipse ait : « Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in obscuro [*alias* caliginoso] loco (*II Petr.* I). » Hoc de veteri. Quid de novo? « Agite, ait, pœnitentiam et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi (*Act.* II). » Petro igitur et ejus coapostolis, qui in Christum primitus crediderunt, et nonnullis recedentibus cum illo in suis tentationibus permanserunt; idem Christus tantam maturitatem morum, gratiæ suavitatem voluit impertire, ut certum sit eos vivendi merito, tam coævos quam posteros, prævenire. Huic ordini nullus ordo, non apostolo vir alius potuit se conferre, ut nonnulli æstimant, non prior, non posterior vita et meritis anteferre; sed odore tam suaves, et maturitate fiunt operum tam maturi, ut eis digne satis tam præsentes cederent quam venturi. Quos cum ficus protulit, non tam malis præferendos, quam bonis utique meliores, majores instar mostium, meritorum copia grossiores : recte Sponsa invitatur, ut tales revisere diutius non postponat, sed otio speciali aliquando proximorum negotium anteponat. Vult Sponsus ut non diu absens Virgo, apostolis adhuc adolescentulis sit molesta, sed gratanter eis loquens occultis conferat manifesta; fidem illorum roboret, rudem instruat intellectum, affectus inchoatos promoveat, et ducat ad perfectum. Vult, inquam, Virginem sollicitudine vigili laborare, ut rudes apostoli, sub vite sua, sub ficu sua caput valeant reclinare; et dum transeat præsens iniquitas, eisque dies plenius illucescat, unusquisque sub potenti manu Christi, sub umbra sancti Spiritus interim requiescat. Et ut cura Virginis elaboret in eisdem adolescentulis patienter et fructum speret proximum, si perstiterit diligenter : odorem, inquit, suum florentes vineæ jam dederunt, uvas dabunt autumnales quæ jam primo tempore floruerunt. Vineas dici æstimo conversas jam ad fidem animas singulorum, in quibus Dei vocatio miserentis operatur gratiam meritorum, quæ vernantes infusa temperie jam evidenter proferunt suum florem. Flos nondum fructu dives suum interim dat odorem. Et sicut locum vineæ sua reddit præsentia flos amœnum, sic eumdem floris odor mundiorem efficit et serenum; dum in eo non serpentem, non reptile manere sustinet, non venenum, sed vi quadam indivisa reddit ab his omnibus alienum. Bonum florem, bonum illum odorem, dixerim, quo animam recens conversio sic honestat, ut primo pellat longius quidquid eam intrinsecus dehonestat, ut ad ejus primitias intuentis digne oculus hilarescat, et odorem ejus bonum venenosus livor non sustinens expavescat. Mali bonum nolunt vel nequeunt æquanimiter intueri, et a duobus dominis non potest locus justior possideri; sed cum flos recens, decens odor largo munere se diffundit, fugit culpa, virus excluditur, procul iniquitas se abscondit. Denique odor et fetor sibi dure invicem adversantur, et non bene conveniunt, nec in uno contubernio demorantur; sed cum virtus digne floret, et ejus opinio suaviter invalescit, annullatur vitium, et quidquid male est fetidum, evanescit. Cum Simon Petrus æstiva **184** florens gratia longe lateque odorem suum daret, et novam habendi nil proprium regulam larga munificentia promulgaret, nonnulli qui odore bono pasci munda conscientia voluerunt, possessionibus venditis ad pedes apostoli earum pretia posuerunt (*Act.* V). Verum Ananias et Saphyra qui venenosa fraude, mente perdita, laborabant, qui morbo avaritiæ tanquam internis febribus æstuabant, ad fastigium apostolicæ paupertatis nolentes liberaliter aspirare, ad odorem verbi hujus coacti sunt miserabiliter expirare. Sic Petrus, sic irradiant fratres qui convenerant novo flore ut lucentes coram hominibus totam domum repleant ex odore; tantusque invenitur rigor in Ecclesia præpollere, ut nec velit nec valeat Simon Magus Petrum, Nicolaus Stephanum sustinere (71). Bonæ quidem vineæ, quæ sic illo tempore floruerunt, felices multum animæ quæ odorem tam prævalidum protulerunt, in quarum consortio serpens invidia, fraus venefica non persistit, odori salutifero perditorum fetens malignitas non resistit. « Non poterant, inquit, resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur (*Act.* VI). » Nostræ autem nunc vineæ, cum dies mali sunt, non mediocriter hebetescunt, virtus obscurior, amor invalidus, merita negligentius elanguescunt, intra nostræ

(71) Ita coll. 241, 330, 361, damnabilem producit Nicolaum, unum de septem primis diaconis, a quo quidam hæretici spurcissimi, dicti Nicolaitæ; fueritne autem talis, an non, examinari solet ab iis qui scribunt in Acta apostolorum, c. VII, v. 5; Apoc. II, 15, præsertim videatur illustrissimus cardinalis Baronius ad annum Domini 68.

conscientiæ claustra male proficiens morbus serpit, A sursum flores decolorat dum in radice tenera nos decerpit. Nobis igitur Virgo sancta nimis, ut video, demoratur, nobis dormit, vacat sibi, sua requie delectatur; super lævam Sponsi jacens, ejus dexteram speculatur, nostri forsitan oblivisceris, suam solius curam agere gratulatur. Quis suscitabit eam? Quis dicet ei : « Exsurge, quare obdormis? » (*Psal.* XLIII.) Quia enim a labore et vigilantia languor et desidia nos remisit, et nos hostis intuens, torporem nostrum, nostra sabbata jam derisit, Virgo plenos foliis, sed flore et odore tenues non revisit, et jam pridem revisere culpis exigentibus intermisit. Quæ si nostrum reflorere florem viderit, senserit et odorem, non negabit surgere, et impendere diligentiam gratiorem; et quæ suis adolescentulis inventa est misericorditer B subvenire, nobis longe miserioribus ampliorem dignabitur misericordiam impertire. Non enim deest eis, quibus et Sponsum suum viderit non deesse, quibus illius præsentem gratiam noverit sic adesse, ut et odore non careant, et eumdem velint proximis non negare, sed datum sibi gratis, cæteris nihilominus gratis dare. Nam qui virtutem non habentes, virtutis speciem sibi sumunt, qui non student obtinere bene vivendi gratiam, sed præsumunt; odorem non suum, sed alienum potius largiuntur, dum virtutis præsumptæ, potius quam assumptæ formam dare cæteris moliuntur. Quæ vero virtutis alicujus donum gaudent veraciter se habere, illudque non abscondi sub modio, sed proximorum volunt oculis apparere, C si ex eo suam magis ostentantium quam gloriam intuentium aucupantur, odorem suum non dare, sed venundare verius affirmantur. His ergo tacitis qui odorem vel alienum dare, vel suum venundare convincuntur, eorum faciens mentionem, qui odorem suum dare, ut florentes vineæ, cognoscuntur; ad eos monet surgere Virginem, cura pervigili properare, et ne tardet admonita, hoc ipsum diligit iterare.

CAPUT XI.

Surge, inquit, *amica mea*, *Sponsa mea*, *et veni*, *columba mea*, *in foraminibus petræ*, *in cavernis maceriæ*. Non sufficit amanti semel eam quam diligit admonere, sed iterat et inculcat, volens eam ad explendum monita non torpere; et ut corporis nesciam possit magis ,voluntariam promovere, studet eam D blanditiis blandisque nominibus demulcere. Quam igitur amicam, columbam, formosam, cum primo *Surge* diceret, nominavit, iterum *surge* dicens, amicam et columbam nihilominus nominavit; Sponsæ nomen interserens, quod nusquam eum supra recolo nominasse, cum tamen inveniatur aliter eam sæpius appellasse. Quia Sponsæ amanti otium et Sponsi amplexibus inhærere, nil durius quam ab illo mentis aciem ad actus publicos retorquere, cum eam Sponsus monet et iterat ab eo quod plus amat paululum removeri, hoc illi nomen objicit quo eam novit ad obedientiam plus teneri. Videntur enim Sponsus et Sponsa quodam sacro vel sacrato mysterio sic vinciri, hunc iste illi terminum ponere quem non liceat præteriri, ut scilicet Sponsus geret curam, potens imperet, legem scribat; præbeat aurem sponsa, dictis obtemperet, amet imperium et subscribat. Cum igitur audit Virgo sponsam diligentius se vocari, memorans non tam onus quam honorem, quo a vocante diligit obligari, intelligit non se Sponso debere vel in modico refragari, sed illius beneplacitum semper suæ salutis meritum arbitrari. Non enim eam deserit, cum ad dandum foris exemplum cæteris hanc invitat, cum suggerit ut ad horam, gratum illa contemplandi otium intermittat; non invidet ejus profectibus, cum ab his qui circumstant, ejus operam vult videri, sed eos vult proficere, qui bona ejus opera dilexerint intueri. **185** Ejus quippe sanctitatem sic ille intuentibus B vult proponi, ut gaudeat illa propositam ventis et turbinibus non exponi; sic exire ad publicum, ostendique vult cæteris vel invitam, ut tamen illa sentiat imperantis cura vigili se munitam. Hoc est forte quod dicit : *Columba mea*, *in foraminibus petræ*, *in cavernis maceriæ*. Sponsam, inquit, volo nonnunquam adolescentulis demonstrari, ut valeant et gaudeant exemplo necessario confortari; sed tamen eam nihilominus petræ foraminibus contineri, et incursus accipitris, hostilesque insidias longius prohiberi. Petra (satis notum est) Christus dicitur in figura, quæ ad tactum Moysi virgæ mysticæ percussura, reddit fontem, aquam fundit, largo munere dat fluenta : siti male aridus bibit populus et jumenta. Cujus petræ foramina, Christi C vulnera, passio, mors dicuntur, quorum fides et dilectio munimen salutiferum largiuntur; in quorum vel memori diligentia, vel diligenti memoria quisquis in spe et silentio delitescet, nec præsentibus opprimetur, nec futuras molestias pertimescet. Nec absurdum æstimo, si Christi foramina, lex et gratia, misericordia et veritas, justitia et pax, et quævis similia nominentur, quæ aperta et comperta ab incursu malignantium nos tuentur : in quibus, id est in quorum digno si quis delituerit intellectu, et ad profectum evehunt, et nocivo eum liberant a defectu. Maceria vero simplex lapidum congeries appellatur, quæ instar sepis extensa cæmento medio non ligatur; sed levi quodam opere ad custodiam compacta vinearum, sepit eas et liberat ab D incursu noxio bestiarum. Hæc autem maceria dici potest illa societas angelorum, quæ jussu Creatoris ordinata pridem ad custodiam electorum; ad persistendum firmius non indiget legis, non Evangelii ligatura, cui confirmata per gratiam conditionis primæ sufficit quadratura. Cujus cavernæ et internæ velut mansiunculæ vel recessus, quos patentes invenit quisquis digne vineas fuerit introgressus : cura et dilectio sunt, quas hominibus angeli videntur exhibere, quos columbarum similes a malignis volunt incursibus prohibere. Virgini ergo quæ ad revisendum florentes vineas invitatur, ut ad horam postponens otium, morum formam intuentibus largiatur; ipse qui invitat vitæ foramina et

cavernas maceriæ pollicetur, ut columba tali freta præsidio, fiducialibus expleat quod jubetur. Tu, ait, cujus vacare et videre devotio mentis ardet, surge et propera, nec timor aliquis te retardet, quia, etsi animus tuus secreto inhians publicum velut odit, non est tamen cur timeas, quam in suis petra foraminibus jam custodit. Bona petra, quæ manu sollicita fodientium aperitur, quæ aperta fodienti munimen salutiferum impertitur, quam et Sponsa non fossorio, sed desiderio meruit aperire, et in ea non fallacem fiduciam, sed fidam custodiam invenire. Ipsa quidem laboris degeneris impatiens terram fodere fastidivit, fastu vigens laudabili, non immergi lutulentis desideriis appetivit; sicut ille nequam servus, qui accepto Domini talento nimis sollicitus de jactura, fossa humo illud operuit, nec reddere voluit cum usura. « Abiens, inquit, fodit in terram; et abscondit pecuniam domini sui (*Matth.* xxv); » et infra : « Timens, inquit, abii, et abscondi talentum tuum in terra : ecce habes quod tuum est (*ibid.*). » Longe iste felicior si labori huic operam non dedisset, si terram lutulentam molli negligentia non fodisset ; si avaro domino, duplicato fenore gratius respondisset, et abscondi sic in petra, non in exteriores mitti tenebras meruisset : « Inutilem, inquit, servum ejicite in tenebras exteriores (*Matth.* xxv). » Denique illi qui foderunt manus et pedes Christi, latusque lancea foraverunt, nonnisi terræ dediti ad petram solidam non venerunt ; mollioribus inhærentes, mersi negligentius in profundum, mandatum primum nescientes, non tenuerunt simile vel secundum. Virgo ergo, etsi ab utero factum carnem optime Verbum novit, tamen secundum carnem, ejus excellentiam jam non novit ; sed in petra exaltatur, supra petram solidam pedem ponit, in petræ foraminibus columba nidificans, pullos ordinat et disponit. Supra petram, vel potius in petræ foraminibus constituta, rapaces vitat impetus, ab insidiis manet tuta ; stans in ore foraminis gaudet florentes vineas intueri, et, ut magis proficiant, ab eisdem sustinet se videri. Digne ergo eidem Virgini cavernæ maceriæ non clauduntur, sed recessu patulo ad capiendum eam latius diffunduntur ; et providentem vineis, sub divo, laborare æstu et pluvia non permittunt, sed circumstantes angeli curam ejus agere non omittunt. Denique ab antiquo in hac maceria cavernæ patuerunt, ex quo inde angeli lapsu perdito corruerunt, quas prudens architectus ex eisdem lapidibus noluit resarcire, sed loco decidentium, gratia et meritis homines introire. Et quoniam interrupta maceria exspectat per homines resarciri, nulli quam Sponsæ amplius diligit aperiri ; omnesque suos aditus, omnes illi exerit aperturas, ut libere virgo introeat quascunque sibi viderit profuturas. Cui in foraminibus petræ et in cavernis maceriæ refugium sic habenti, hoc munitæ præsidio nullos malignantium impetus jam timenti : Sponsus loqui adjiciens, ejus sibi faciem vult ostendi, forte scire curiosus, utrum possit quid in ea reprehensibile deprehendi.

186 CAPUT XII.

Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, et facies tua decora. Postquam in cavernis maceriæ, et in petræ foraminibus Virgo esse dicitur et columba, æstimo non tam gemens, quam securo munimine lætabunda ; admonetur ut faciem tantis beneficiis enutritam, Sponso videndam offerat, decoris sui merito concupitam. Nihil enim jam in ea Sponsus æstimat residere, quod oblatum intuenti debeat displicere, cum secura mente velut jugi convivio facies hilarescat, et illius interna puritas in hujus superficie manifestius elucescat. Quod innuens Salomon : « Animus, ait, gaudens, ætatem floridam facit : spiritus tristis exsiccat ossa (*Prov.* xvii). » Cum ergo tristitia languet animus, mens ægrescit, consequenter siccantur ossa, facies contabescit ; deformitatis conscia exire ad publicum erubescit ; et, si forte optat, a diligente videri pertimescit. Virgo autem cujus, si qua fuit antea turpitudo, cujus jam gaudet animus, floret conscientiæ pulchritudo ; audita voce Sponsi, pallio se degeneris verecundiæ non obducet, sed ostendet formam suam, quæ nimirum in facie plus elucet (72). Adam peccati conscius ad tristes tenebras mox recessit, tristi deformis facie Deo vocanti obviam non processit ; sciens maculas sordium quas tristis culpa intulit faciei, non placituras Deo qui amator legitur specici. Facies vero Virginis quam sibi Sponsus tam sollicite vult ostendi, sciens eam non sordere, non turpitudine sordida reprehendi ; ejus est conscientia pollens quadam gratia singulari, cui præferri nulla, non denique potest mulier altera coæquari. Hæc enim et otium quærit ardentius, et invento novit suavius cæteris adgaudere, et injunctum negotium eo sanius quo patientius sustinere ; nunc per istam, nunc per illam semitam claudicare nescia, sic incedens, ut currat ad mandatum fines sibi positos non excedens. Cujusmodi conscientia nihil nisi Sponso fiducialiter se ostendit, quæ ad vocem imperantis quidquam sibi proprium non attendit ; difficultate proposita excusationis pallium non obtendit ; sed quidquid ille imperat, ista extensis manibus apprehendit. Hanc autem faciem signanter Sponsus ostendi sibi poscit, quia neque Virginem, nec alium quemvis hominem nisi per faciem recognoscit ; et qno eam tersa fuligine viderit puriorem, eo gaudet se habere notitiam illius ampliorem. Quia tibi datum est bonis multiplicibus præeminere, volo ex perceptione præsentium talem fiduciam te habere, ut mihi non formides facie ad faciem apparere, conspicuam meo conspectui tuam conscientiam exhibere. Quæ cum se mihi quo purius, eo securius ostentabit, consequenter et vox tua meis in auribus

(72) Respicit ad id quod dicitur Genes. xxxiv ante finem.

personabit; quia præsentata facie os tuum merito jam non claudis, sed erumpit confidenter gratiarum actio et vox laudis. Visa enim facie, privilegio gratiæ tam serena, intra claustra silentii jam non se continet vox amœna; sed ut facies visui digne conspicabilis et decora, sic vox auditui suavis redditur et sonora. Quæ enim Sponsum adhuc imperfectionis merito vel timet vel offendit, et ideo postulanti aut forte recusanti securam faciem non ostendit, hujus vox in illius auribus adhuc satis consona non erumpit, sonum cujus, ne dulcescat, aversa facies interrumpit. Vocem ergo Virginis Sponsus in suis auribus vult sonare, quam nimirum invenitur dulcedo nimia commendare, quæ suavis et jucunda soni consonantia dulcioris, inter voces sonat mulierum, sicut inter strepitus anserum vox oloris. Nulla quidem mulierum sic manus exerit ad præcepta, nullius consequenter exsultatio vel confessio sic accepta; nullius facies tanta conspicuat gratia vel decore, et ideo vox nullius melodia personat dulciore. *Vox*, inquit, *tua dulcis, et facies tua decora.* Ideo, ait, vocem tuam auris mea sinu patulo vult audire, quia illa istam sono invenitur consono delinire; et cujus visa facies tantæ placet merito speciei, vox gratiam accumulat prævisæ consona faciei. Bonus ordo, ut primum internæ facies conscientiæ decoretur, et sic vox digne sonans commendabilis prædicetur, quia cujus ob turpitudinem adhuc ostendi facies non meretur, ejusdem laus vel doctrina dulce satis sonare non videtur. Et forte cujusvis facies in silentio nonnullam habet gratiam et laudatur, cum ille scilicet juste vivit, nec facultas suppetit, vel necessitas expetit ut loquatur; cum Deo secretius munda cordis facie se præsentat, et hoc ipsum exterius vocis præconio non ostentat. Verum nunquam proficit, et nonnunquam officit vox clamosa, si non antecesserit vocem facies speciosa, quia et in ore peccatoris non est laus, sicut legitur, pretiosa, et cum odio disciplinæ narratio justitiæ est nihilominus odiosa (*Eccli.* xv). Virgo vero quæ majorem cæteris ducitur ad profectum, quam Sponsus et filius duci voluit ad perfectum; et facie decora floruit, miram proficiens in virtutem, et doctrina exemploque insonuit, digne audientium **187** ad salutem. Interna cujus facies nobis, hodieque ostendi appetit, dum nos amat, dum exemplo nos admonet, nobis loquitur, nobis clamat: in utroque studiosa nobis consulit, nobis favet, sui jam non sollicita, nobis trepidat, nobis pavet. Quod si noster caligat oculus, et auris (ut aspidum) obsurdescit, et si nobis absconditur illius facies, vox rancescit; nihilominus tamen in oculis Sponsi decor Virginis et nunc et tunc creditur floruisse, vox laudans et exsultans in eisdem auribus dulciter sonuisse. Ideo forte signanter ait: *Ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis.* Etsi, ait, faciem videre volentibus non ostendis, si aures obturantibus vocis beneficium non impendis, mihi tamen et facies tua ostenditur, qui munera mea nequeo non videre, et vox meis sonat in auribus, cui eas dignum arbitror adhibere. Ut autem præsentia Virginis circumstantibus non esset otiosa, sed digne intuentibus adolescentulis fieret fructuosa: ab eis Sponsus voluit quæque noxia removeri, ut eam revisentem mererentur fructuosius intueri. Ideo addit: *Capite nobis*, etc.

CAPUT XIII.

Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas; nam vinea nostra floruit. Quos, nisi canes suos, videtur Sponsus ad capiendum vulpes parvulas invitare, ne bestiolæ seductrices intra vineas audeant latitare, quas in absentia canum inveniuntur rodere, lædere, demoliri, ut sit necesse canes ad capiendum eas sollicitos inveniri? Eos itaque Sponsus, quos custodiendis vitibus jam præfecit, quos prælatos Ecclesiis venandi quæque noxia gnaros fecit; monet ut vigilent, et indagine sagaci fallaces bestiolas persequantur, insistant, nec desistant donec capiant quas venantur. De qualibus per Jeremiam: « Mittam, inquit, venatores multos et venabuntur eos (*Jer.* xvi). » Et in psalmo: « Lingua canum tuorum (*Psal.* lxvii). » Isti canes quibus jungere Sponsus voluit nostri curam, inchoantibus nobis astant, arcent dispendium vel jacturam; instant sollicite ut in ortu ipso mala nobis imminentia jam facescant, antequam negligentiæ vel ignorantiæ nostræ durius adinerescant. Nonnunquam enim præsens nos conversatio secretioribus gravat culpis, mollis quarum seductio latenter se ingerit instar vulpis; et per anfractus cæcos discurrens subdole, vult nesciri, et nos male providos eo licentius, quo latentius demoliri. Cumque majores nostri sua conveniunt nos doctrina, erudiunt nescios, devios arguunt disciplina; ostendunt unde tentatio veniens quo procedat, cui suggestioni quæ demolitio vel quæ denique mors succedat: cum recentes morbos lingua censoria reprehendunt, velut canes providi vulpes in nobis parvulas deprehendunt. Unde et qui jubentur hoc agere sollicitius et non curant, qui venari pigritantes somno suam negligentiam configurant: per Isaiam velut per canem alterum vocantur « canes muti (*Isa.* li), » dormientes et amantes somnia, loco vigilum constituti. Et nimirum nobis quoque incumbit multo amplius ea cura, ut scilicet invenire studeamus eadem vigiles in captura; et in nobis ipsis vulpes indagine sollicita persequamur, donec earum latebras odoratu venatorio prudenter assequamur. Quo cum venerimus, mala morbi semina, dum nova sunt, juxta poetam (73), opprimere; et ad petram parvulos nostros, juxta Prophetam (*Psal.* cxxxvi), debemus allidere; ne vel obducente ignorantia, vel abducente negligentia erroris devio seducamur, et in lapsus mortiferos, et tentationum laqueos inducamur. Nonnunquam enim tentatio subdola, vel nullam vel minimam se mentitur, animoque negli-

(73) Ovidium.

genti, fraudulento lenocinio sic blanditur, ut cum nonnullet sive attenuet quod in abscondito concupiscibiliter præsentitur, contemni postmodum faciat quod ei actualiter consentitur. Cumque mens seducta diligenti satis oculo non attendit quomodo serpit cancer, concepta nequitia quid intendit ; vulpem, quæ ante parvula, intulit se latenter, non parum nocuisse, demolitio ipsa vineæ indicat evidenter. Hujusmodi ergo vulpeculas quæ se mentibus nostris ingerunt fraudulenter, jubemur attendere, venari, capere diligenter, ut quod primo latuit velut in conclavi, sub pallio reverenter, erumpat et prodeat, et se tandem ostendi gaudeat impudenter. « Lætantur nonnulli, ut scriptum est, cum male fecerint : et exsultant in rebus pessimis (*Prov.* II). » Sed nonnulli aiunt (si tamen auditum memoriæ vestra diligentia commendavit) quod præsens hic libellus quem Salomon, ut ante dictum est, in modum dramatis ordinavit (74), verba in se continet nonnisi quatuor veluti personarum, quæ de amore nuptiali, de spiritali loquuntur castimonia nuptiarum. Sponsa enim et adolescentulæ, Sponsus et sodales Sponsi, velut personæ quatuor inducuntur, quæ ad texendum drama velut de scenis ad medium deducuntur, ut ab ipsis ad ipsas invicem **188** sermo fiat, et sermone vicario dramati epithalamico satisfiat. Sponsus ergo qui supra nunc Sponsæ, nunc adolescentulis est locutus, et quod Sponsæ congruit, grata diligentia prosecutus ; hic ad sodales suos sermonem convertere jam videtur, ut assistentes nuptiis, ad capturam vulpium exhortetur. Sodales autem Sponsi sanctos angelos dicunt esse, quos nimirum præsentibus constat nuptiis interesse, sicut nostis Gabrielem ad Virginem in principio missum esse, et tam illum, quam cæteros hominum ministerio non deesse. In his quidem nuptiis Sponsum non mediocris urget cura, ut provideat Virgini, sibique assistentibus profutura, ut Virgo prius et excellentius thalamo gaudeat nuptiali ; secundo, adolescentulæ non careant profectu spiritali. Adolescentularum nomine longe supra dictum est apostolos virosque apostolicos figurari, qui Matrem Sponsi Virginem affectu pedissequo videntur specialius comitari ; dum ejus partum admiratione sedula, fide solida diligunt venerari, ejusque fecunditatem, pariendo quoque, non coitu, sed spiritu filios imitari. Quos pastores et doctores vult Sponsus supra posse malignorum incursu spirituum non gravari, sed benigno angelorum affectu et patrocinio liberari, ut in flore primi temporis fraude vulpium vineæ non arescant, sed bonorum cura spirituum ad fructum serotinum invalescant. Bonos ergo spiritus, qui in hoc epithalamio sunt sodales, esse Sponsus monet sollicitos, ad profectus tendere nuptiales ; eis astare propius, eorum agere digne curam, quorum Virgo sollicita non vult exterminium vel læsuram. Est enim Virgini de adolescentulis sive apostolis multa cura, quorum conversatio sibi quidem est plurimum, multum cæteris profutura : a quibus angelorum sollicitudo præcipitur diligenter arcere nocitura, hoc studio vel ministerio tam Sponso quam Sponsæ non mediocriter placitura. Quibus loquens Sponsus ait : *Capite*, etc.

CAPUT XIV.

Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas. Vos, inquit, angeli quos non caro hominibus, non culpa malis spiritibus pares fecit, quos a facie Conditoris superbia vel inobedientia non projecit ; qui manetis, et permanetis mecum ab initio in perpetuum ut sodales, accepta similitudine gloriosi, non æterna magnitudine coæquales ; nobis, id est mihi et Sponsæ nuptias celebrantibus volo sedulos vos adesse, quidquid obniti nititur, inefficax et invalidum per vos esse. Nonnulli quippe cum aperta violentia, plano tramite jam non currant, cæcis anfractibus illabentes, venenosis fraudibus insusurrant ; et detrahentes Virgini, ejus resistere voluntatibus elaborant ; dum quod astruit illa de Christo, dolo dissuasorio decolorant. Dissuadent ne vel occulta Christi divinitas fidei oculo videatur, vel quam fides viderit, ne firmiter animo diligatur ; et incutiunt durum ignorantiæ vel timoris colaphum negaturis, vel inserunt amorem visibilium, fidem invisibilium neglecturis. Qui sunt isti, nisi nequam dæmones docti malitia, pleni fraude, qui nihil sanctum diligunt, nihil appetunt dignum laude ; quibus cum deest violentia, adest amor et peritia seducendi, et juxta quemdam ethnicum (75), mille artes et eo amplius sunt nocendi ? Isti artis miræ versutia, non jure potentiæ, non virtutis, seducunt Judam Iscariot avarum pecuniæ magis quam salutis ; et ne magistrum diligat ; dolo multiplici dissuadent, eumque reum odii proditorem fieri persuadent. « Cum misisset, inquit, diabolus in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariotis (*Joan.* XIII). » Isti Petrum Simonem qui paulo ante sortem se promiserat ad constandum, timoris tonitruo paulo post concutiunt ad negandum ; et intra bestiarum fauces subdolus negator subitus deperisset, si non ei Magistri miserentis potens oratio subvenisset : « Simon, inquit, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum : ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua (*Luc.* XXII). » Nec solum ante resurrectionem Christi apostolorum numerum versutia malignantium decurtavit, sed et post resurrectionem electis diaconibus laqueum præparavit, in quem, etsi Stephanum plenum fide et spiritu, vel quinque reliquos non induxit, septimum tamen advenam Nicolaum ad novam hæresim introduxit. Fraudulentam quorum versutiam recte Sponsus vulpium nomine designavit, cujusmodi animalia multis natura viribus non armavit, sed tanta calliditate, tanto ea munivit fraudium refugio diversa-

(74) Vide supra in initio, ante explic. capit I Canticorum.

(75) Ovidium.

rum, ut dicantur in Evangelio multiplices in nobis habere recessus fovearum : « Vulpes, inquit, foveas habent (*Luc.* IX). » Habent dæmones recessus absconditos, et latibula tenebrosa, habent discursus investigabiles et vestigia tortuosa ; adeo ut simplex quisque ad investigandum ea non facile pedem mittat, cum ea videre aut non possit, aut si forte viderit, mox amittat. Aliquando vulpes, cum videtur eam famis necessitas perurgere, ad refugium fraudis currens, fingit mortuam se jacere ; et cum aves accesserint, sperantes pastum in cadavere mortuo se habere, **189** illa rapit improvidas, gaudens victoriam de viventibus obtinere. Sic ille nequam spiritus qui semper invenitur nostram perniciem esurire, cum apertis non potest retibus pennatos quoslibet irretire (sicut enim Scriptura meminit (*Prov.* I), et affirmat veritas expertorum, frustra rete jacitur ante oculos pennatorum) fingit sese mortuum, et adversus justos penitus nil valere, credit, et velut jam concedit illos ad bona quæ voluerint prævalere. Qui cum stare se æstimant quasi deinceps non casuri, profectu diutino congaudentes usu plurimo jam securi ; accedunt nonnunquam ad hoc mundi morticinum, appetentes paulo immoderatius transitura, nil credentes inesse noxium, sed magis usibus necessariis profutura. At ille nequam, tenens memoriter ne tangatur morticinum lege pristina prohiberi (*Levit.* II), videns justos, legis scriptæ reos vel ad modicum jam teneri ; incautos temporalium appetitus esse judicans sui juris, male subito reviviscens, manum fortem injicit avibus perituræ. Sic nimirum qui capere se putabant, et in suit capta usibus retorquere, inveniuntur capi, et viventes mortuis subjacere, quia, dum culparum morticina vivi paulo incautius concupiscunt, in vivorum perniciem, illa velut mortua, fortiter et veraciter reviviscunt. Samson ille prudentius vulpes exsecrans fraudulentas, viventes apprehendit, nec minus tenuit quam trecentas ; binasque simul alligans, liberis capitibus, vinctis caudis, supposito caudis igne, mysterium texuit dignum laudis (*Judic.* XV). Samson iste prudens, qui et brachio dicitur esse fortis, qui prudenti fortitudine abstulisse creditur portas mortis ; hujus, de qua sermo est, nostræ Virginis est dilectus, quem Deum et hominem verax fidei prædicat intellectus. Qui non unam, non duas tantum, sed trecentas vulpes pariter apprehendit, quia omnem malitiam omnium malignorum spirituum deprehendit ; sic homo ut et Deus attendit omnia circumspecte, nec apparet ejus conspectui quidpiam imperfecte. Centenario, sicut notatis, quævis perfectio figuratur, et perfectio centena triplicari non incongrue memoratur, cum propter id quod maligni spiritus nobis vel tenuiter suggesserint in affectum, quod verbo, quod opere qualemcunque traxerint ad effectum, omnes illos judex iste severior unca manu colligit ad perfectum, et omnibus ignem parans, trahit cunctos miserabilem ad defectum. Et quidem nunc tanquam soluto capite, A ore libero nequam spiritus debacchantur, sed postrema eorum insolubiliter alligantur ; et cum in fine rerum interdicitur eis possibilitas sæviendi, igne meritis reddito, urget eos labor indeficiens patiendi. De quo in Evangelio : « Ignem, inquit, æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV). » Et Paulus : « Cujus, ait, consummatio in combustionem (*Hebr.* VI). » Interim vero dum adhuc illa consummatio differetur, dum postrema combustio colligatis nondum vulpibus inferetur ; sodales suos Sponsus, id est bonos angelos, vult diligentius admonere, ut ad capiendum malos velint diligentiam adhibere. Quia enim homines impugnati a dæmonibus repleti multis miseriis non subsistunt, si spiritus administratorii nocentium B insidiis non resistunt ; accedunt boni, et malorum fraudulentias deprehendunt, deprehensas, hominibus (ut sibi caute caveant) præostendunt. Ad hoc quippe hominibus administratorii spiritus sunt prælati, ad hoc illorum curæ et custodiæ deputati ; ut quod illi non prævalent natura et negligentia tardiores, isti, quos tam natura quam meritum longe reddidit acriores, prævideant, præcaveant, præmoneant homines, et adjuvent ad cavendum ; nequando inimici exsultent et insultent, et dicant : Prævaluimus ad nocendum. Homo quidem infirmior parare vel reparare volens internæ mœnia sanctitatis, restaurare Hierusalem, resarcire interrupta olim dirutæ civitatis ; multos habet qui impetunt et impediunt laborem improbum sic instantis ; qui cum C vident, invident, et ut minus, derident vigilem instantiam laborantis. Qui, quando attendunt per se non prævalidum ad structuram, vix illæso vestigio evadere irrisionem hostium vel pressuram ; inchoatum opus despiciunt, nec posse duci asserunt ad perfectum, sed derisorio saltu vulpes transituras leviter imperfectum. Unde apud Esdram Tobias Ammanites : « Si ascenderit, inquit, vulpes, transiliet murum eorum lapideum (*II Esdr.* IV). » Et subditur : « Audi, Deus noster, quia facti sumus despectui, ne operias iniquitatem eorum, et peccatum eorum a facie tua non deleatur, quia irriserunt ædificantes (*ibid.*). » Videtis nequam æmulos laborem ædificantium irridere, et illis proficientibus de D futuro saltu vulpium jam gaudere ; quorum derisui, vel præsumpto jam saltui ad plenum illorum infirmitas non resistit, si eis laborantibus angelorum solers custodia non assistit. Quia igitur in restaurando mentis ædificio justorum sedulitas elaborat, et opus inchoatum nonnunquam irrisio vel oppressio malignantium decolorat ; sodales suos Sponsus monet instantius et instigat, quorum cura valentior fraudulentias impugnantium plenius investigat. Vos, ait, qui potestis invidorum spirituum versutias visu agili prævenire, capite nobis vulpes, quæ se putant murum ædificantium transilire ; ne, quod illi ædificant, istarum saltus dedecens inhonoret, vel, quod civitas reformatur, quævis hostium **190** fraudulentia decoloret. Qui dicunt, ait Isaias, « animæ meæ :

Incurvare, ut transeamus (*Isa.* LI). » Quo contra et Nahum propheta : « Non adjiciet, inquit, ultra, ut pertranseat in te Belial (*Nahum.* I). » Quis dabit ut in nobis ultra Belial non adjiciat pertransire, nec opus ædificii vulpes habens contemptui transilire ; nisi sodales Sponsi, qui mandantur in hoc hominibus subvenire, et saltus vel assultus derisorios prudenti vigilantia prævenire? Capiant igitur nobis vulpes, dum parvulæ et adhuc invalidæ videntur inveniri, ne grandescant et transeant murum, qui parvus potest facile transiliri ; cujus si parvitatem saltu libero concessæ fuerint experiri, proficientes in pejus, nostras festinabunt vineas demoliri. Quæ cum florent et ad fructum æstiva sperant tempestate promoveri, necesse est vulpeculas inde longius removeri ; vel digna providentia sic earum fraudulentias deprehendi, ne (etsi velint) valeant habere in proficientibus vim nocendi.

CAPUT XV.

Nam vinea nostra floruit. Qui paulo ante (vineas) consequenter (vineam) nominat singularem, cum potius de numero singulari soleat numerando fieri transitus ad pluralem ; per hoc innuens quod animas quibus dare Sponsus vitam voluit salutarem, unione fidei et consensus, in cœtum redigit popularem. « Nos, inquiunt, populus ejus ; et oves pascuæ ejus (*Psal.* XCIX). » Et dicunt se (populum) ut fidei singularitas commendetur, et (oves) se appellant, ut multorum diversitas demonstretur, quia multos vel in fasciculum vel in manipulum unitas colligit opportuna, unumque reddit populum unus Dominus, fides una. Ut autem expressius hujusmodi videatur unitas commendari, in eis quos apostolos in unum Christus voluit congregari (*Act.* IV), sic amor simul omnia possidendi longe fecit quidquid obstitit importunum, ut anima cunctis una, et cor esset omnibus unum (*Act.* II). Ista forte vinea specialiter dicitur floruisse, cui die quinquagesimo suum Sponsus legitur spiritum infudisse ; quæ novo dives munere, novæ fervens amore sanctitatis, novos et inauditos protulit voluntariæ flosculos paupertatis. De qua prædictum est : « Vinea Domini Sabaoth domus Israel est (*Isa.* V). » Recte vinea Domini Sabaoth miros flores proferens, fructus æque mirabiles prolatura, domus Israel appellatur, cæcitate procul dubio non obscura, domus spe Deum videns in præsenti, postmodum revisura, multum gaudens ea fide, specie plurimum gavisura. Intra hujus septa vineæ vulpes decet parvulas non admitti, vel, si forte admissæ fuerint, manere diutius non permitti ; sed cum Ananiam et Saphyram (*Act.* V) adhuc male teneros occulta fuerint avaritia demolitæ, capi eas citius, ne procedant et expleant fraudis malitiam concupitæ. Sodales enim Sponsi Petro fideliter assistentes, et occultum morsum vulpeculæ in falsis fratribus ostendentes, non permittunt in reliquis venenosas illius tendiculas passim tendi, dolentque seductrices suum frangi propositum, suas fraudulentias deprehendi. Quibus enim ad salutem A sensérint angeli se præesse, et de illis cognoverint Sponso veraciter curam esse ; eos nolunt nec sufferunt terræ deditos vulpium partes esse (*Psal.* LXII), sed prænonent et adjuvant illarum fraudibus non subesse. In hoc ergo tempore vulpes non immerito parvulæ perhibentur, dum facile a rapina angelorum ministerio prohibentur ; quæ, cum finis temporum venerit, malitiosius jam grandescent, cum scilicet viribus effrenatis, ad sæviendum quo brevius, eo liberius incandescent (*Apoc.* XX). Tunc sollicitudo angelica velut non sufficiens, ad majorem illas audientiam provocabit, et ipse noster Samson igne supposito caudas omnium alligabit ; et in messes allophylorum festinabit immissio vulpium desævire, ut tam istarum quam illorum opera uno B mereantur incendio deperire. Nequam enim tunc spiritus igne peremptorio, sed non consumptorio deperibunt, homines quoque mali morte nihilominus immortali miserabiliter interibunt ; illi posterioribus insolubiliter colligatis ad libertatem nequitiæ non redibunt, istorum velut allophylorum messes, tam opera quam et operum spes peribunt. Quod quia procul a vineis sua Sponsus benevolentia vult arceri, et angelos ad arcendum illud, dum tempus congruit, adhiberi ; Sponsa gaudet et eo magis amanti Sponso modo simili diligit respondere, quo eum proniorem erga suas videt adolescentulas se habere. De quo subdit : *Dilectus*, etc.

CAPUT XVI.

C *Dilectus meus mihi et ego illi qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.* Quid sibi vult, quod cum de dilecto loquitur hic dilecta, ejus hæc locutio videtur aliquantulum imperfecta ; **191** nec in ea sensus plenior invenitur, si non ad inveniendum foris aliquid subauditur? Quid autem verius, quid certius velit ipsa quæ loquitur subaudiri, facile, ut arbitror, non potest ad liquidum inveniri, ab his præcipue quos constat mentis caligine præpediri, nec sibi Scripturarum occulta merentur aperiri, quia ergo tenuis intellectu, meritis non abundo, supplementum verbi hujus ipse mihi et non alius sic abscondo, ut et loquentem non arguam et ejus verbum sensu devio non infirmem, dum si quid illic dixero, magis conjiciam quam affirmem. Paulo supra dicens Virgo : *Dilectus meus mihi*, addidit : « loquitur, » D et « Dilectus, inquit, meus loquitur mihi ; » nec videtur ea constructio subauditionis nubilo circumventa ; quæ instructa partibus necessariis, plane sufficiens est inventa. Nunc vero dicens : *Dilectus meus mihi ;* non adjunxit, quod vel faciat ut loquatur, ut quid horum subaudiri velit, dubium relinquatur ; et quo illud incertius, eo conceditur cuivis liberius invenire, quidquid præsenti loco licenter viderit convenire. Denique amor intemperans sua ipsius vix sufferens incentiva, verba sæpe non invenit affectuum suorum plenius expressiva ; et ideo nonnunquam invenitur ejus locutio suspensiva, aut, ut dicam amplius, brevi supellectile defectiva. Cum enim ad id quo æstuat, toto desiderio se extendit,

illi soli tenendo inhians, cuncta reliqua parvipendit; et si forte verbum de illo faciat, tempus, modum, ordinem non attendit, et dum modo totum desideret, verbo totum exprimere non contendit. Inde illa in Evangelio, sublato quod amabat, nesciens nisi flere, solum tenens animo cujus sepulcrum dolebat vacuum apparere, videns quemdam subito, et errante oculo æstimans hortulanum, grammaticam non satis memorans, non timens aliquem Priscianum : « Domine, ait si tu sustulisti eum, dicito mihi; et ego eum tollam (*Joan.* xx). » Quæ de eo nil ante dixerat inconsideratius eum ponit, et ad quem eum referat verbo digne prævio non exponit; auditori putans sufficere quod ipsa plene cogitat, plene sentit, etsi pleno ejusdem sensui semiplena foris locutio plenius non consentit. Nec mirandum si amor absconditus, cum ad ostensionem sui opem exigit alienam, locutionem sibi satis putat sufficere semiplenam; qui plerumque suspirio, plerumque solo etiam desiderio verbosatur, audirique non desperat, etsi pleno verborum strepitu non loquatur. Hujus ergo amoris gratiam nostra sedule Virgo pensans, perceptamque illius copiam copioso eloquio non compensans; intra cordis absconditum miros motus inexplicabili modo claudit, et vel tenuiter evaporans verbis illi paucioribus sic applaudit, ut loquendo et notam auditori faciat hunc amorem; et curiata verborum supellectile suspensum deserat auditorem. *Dilectus*, inquit, *meus mihi, et ego illi.* Ille, inquam, dat mihi quod suum est, et ego illi do quod meum est, ut et sua mea, et mea sua sint : et sic nostra pariter habeamus, et quod exigunt jura sponsalia, nobis esse cuncta communia gaudeamus. Cujusmodi sensus, si in verbis istis credi potest congruentius elucere, videtur Sponsa Sponso ad id quod ille dixerat respondere; qui præcipiens vulpes capi, eo quod vinea floruisset, eam nostram appellavit, neque verbis consequentibus demonstravit unde hæc communio commendabilis accidisset. Non enim dixit : Vinea mea vel tua, sed : « vinea nostra floruit. » Quod verbum prudens Virgo aure sedula diligenter advertens, Sponso veluti recedente, ad prædictas iterum adolescentulas se convertens; de illo gaudet loqui, verbisque paucioribus intimare unde hæc sit communio, quam Sponsus voluit designare. Ut non sua, inquit, non mea, sed magis « nostra vinea » posset dici, vicaria fecit collatio per quam duo pariter sunt amici, quia ille dignatione sua ancillam humilem me respexit, respicientis gratiam mea humilitas non despexit; ille meo forte non merito, sed suo beneplacito me dilexit, mea dilectæ fides diligendum illum digne pro meritis intellexit. Verbum caro disponens fieri, meo ancillæ utero se infudit, in me ex me carnem sumens sua gratia me perfudit : ego meipsam obtuli, contuli carnem meam, obedientiæ me addixi, jubentis beneplacito modum, metam, ordinem non præfixi; mea carne, quam assumens ab omni vitio sic exemit, eam, quæ floruisse dicta est, emit sibi vineam vel redemit; et quæ, cum adhuc aresceret, emitur vel redimitur carne nostra, cum jam florens diligitur, signanter et dicitur esse nostra. Si patriarchæ olim quos constat post invicem uno patre, licet, sicut meministis, non omnes genitos una matre (*Gen.* xxix, xxx); dicunt de penultimo Joseph, « Frater enim et caro nostra est (*Gen.* xxxvii); » quanto magis Mater Sponsi, Sponsa filii potest dicere, caro nostra? et de vinea quæ hac carne redimitur, item filius dicit « nostra? » Dilectus, inquit, meus mihi quod suum erat dedit, cujus beneficium, cujus in omnibus misericordia me præcedit; et ego illi quod meum erat obtuli vice digna, ut deinceps et rerum et verborum nobis communio sit benigna. Ille quoque mihi monita vel imperium dat surgendi, et ego illi offero aurem promptulam audiendi; ille ut surgam et properem hortatur, et admonet diligenter, ego illi resignans otium, laborem suffero patienter. Dilectus meus mihi est, quid? nisi diligens vel dilectus? **192** et ego illi refero, quid? nisi dona similis diligentiæ vel affectus? ut ejus qui primus et longe est præcipuus, sit dilectio primitiva, et mea non nisi suo munere sit redditio secutiva. Dilectus meus mihi dat mandatum, dat benedictionem, nihilominus cum mandato, ego illi per viam mandatorum corde cursum agilem dilatato; ille mihi auxilium, ego illi obsequium; ille mihi benevolentiam, ego illi obedientiam; ille mihi dat quod est gratiæ, quod amoris, ego illi quod reverentiæ, quod honoris. Mihi dilectus, meus munus confert salutiferum indigenti, ego illi refero affectum voluntarium exigenti; et qui Deus magnus et prepotens ex me voluit homo nasci, mea non tam inter ubera quam inter lilia gaudet pasci. Qui olim patriarcham Jacob a juventute sua pavit, qui multo recentius de quinque panibus quinque millia hominum satiavit (*Matth.* xiv), unde sic indigens, vel potentiæ suæ negligens ut pascatur, cum pasci, non potentiæ, sed indigentiæ videatur? Denique cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit (*Matth.* iv). Cui nequam ille diabolus proponens lapides ut tentaret, non suggessit ut eos dicto in lilia transmutaret, putans illum non voluntario, sed necessario defectu aliorum instar hominum esurire, et ob hoc esurienti panes magis, quam lilia convenire. Tu, ait, fauces cujus, ut sentio, lassante jejunio sunt inanes, dic ut lapides isti efficaci potentia fiant panes; quia, dum esuries subtractis panibus est jejuna, liliorum species (etsi forte oculis) non est faucibus opportuna. Quamvis nonnunquam et oculi suam videantur esuriem sustinere, cum scilicet pruriunt ad videndum, nec se prævalent continere; et cum eis concupitæ rei deoperta species indulgetur, eorum curiositas pasci non incongrue perhibetur. Hoc est forte quod Virgo asserit inter lilia pasci Sponsum, eo quod ejus oculis res optata non tam verbo quam specie dat responsum; et aviditas gratiosa, æstusque fervention amatorum, non gustu, non sapore, sed visu vel odore pascitur liliorum. Propter quod

e. signanter ille non pasci liliis, sed inter lilia moratur, inter quæ versans, et conversans eorum decore odorifero gratulatur; et sicut Virgo amore languida malis vel floribus vult fulciri, sic iste inter lilia grato eorum munere deliniri. Quid autem vel candet hilarius vel fragrat suavius quam in Sponsa matre integritas virginalis, fides cor purificans, fecunditas pudicitiæ matronalis; munditia, innocentia, dilectio spiritalis, morum suavitas, forma justitiæ, excellentia meriti specialis? Inter quæ Sponsus velut calle graditur spatioso, videns et arridens visu pascitur gratioso; decore et odore meritorum excellentium delectatur, ipse flos et lilium inventa similitudine gratulatur. Ipse etenim florem campi, et lilium convallium se fatetur, et in Sponsa Virgine vernantem quoque lilii gratiam intuetur; et sic inter utrumque pasci quodam gaudio se ostentat, dum subtili discursu, nunc plenius Virgini se præsentat, nunc ad sua se referens, reddit se incomprehensibilem et absentat, neque enim vel in sinu patris, nobis invidens, assidue se abscondit, vel in matris gremio assidua quasi benevolentia se refundit; sed ab illo exiens, ad istam dignatione humili nunc excurrit, et ab illa se subtrahens, ad illius thronum inaccessibilem nunc recurrit. Excursus ejus a patre, ait Ambrosius (76), recursus ejus ad patrem. Hanc Sponsi voluntatem, qua nunc absens Virgini, nunc præsentior invenitur, qua nunc supra hominem, nunc ultra hominem adesse comperitur; Virgo diligens et dilecta manere illi, propriam experitur, dum adhuc manent umbræ, et ad diei sequentis gratiam non venitur.

CAPUT XVII.

Qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. Nam cum inclinata nocte nil obscurum, nil in nobis noxium jam incurret, et ortu matutino spirabit aura lenior, indeficiens lux occurret; Sponsus forte jam inter lilia pascendi gratia, non discurret, dum semel nobis visus ad proprium abscondendus iterum non recurret. Extunc quippe, et deinceps inter utrumque lilium non pascetur, non vel alterum deserens, vel se ad alterum referens ostendetur; sed sic in uno erit, ut assidue alteri præsentetur, imo sic in utroque ut neutri vel ad modicum absentetur. « Ego, inquit, in Patre, et Pater in me (*Joan.* XIV); » et infra de Spiritu : « Apud vos, inquit, manebit, et in vobis erit (*ibid.*). » Igitur Deus in Deo, Deus in seipso manens, continens omnia semper erit, nihilominus et in omnibus omnia Deus erit; et qui quando vult, quo modo vult, et ubi vult, modo spirat, omnis diurno vel magis diuturno perfundens lumine tunc aspirat. Cui enim dum hic vivitur, sanctus ille spiritus digne spirat, cui non solum ad vitam, sed ad vitalem vitam benigno munere se inspirat; ei dies lucidior additamento ineffabili tunc aspirat, adversus quem antiqua nox, umbrarum deinceps importunitas non conspirat; Deus quippe dies est, dies occasum **193** nesciens, dies una, cujus et nunc spiratio, et tunc magis aspiratio non mediocriter opportuna. Dies qua plenius aspirante inclinantur umbræ, cedunt tenebræ nocturnales, expelluntur demter superos, deprimuntur usque ad inferos nequam spiritus, vel nequitiæ spiritales. Infelices quidem umbræ, quæ die aspirante coguntur inclinari, cervice compassata, pœnis infernalibus aggravari : sæviendi perdita potestate, non angustia patiendi, exsecrantur suam gravem essentiam vel æternam male miseriam existendi. Longe feliciores, si ad nihilum redigi mererentur, si, ut nequam potentia, sic et prorsus essentia privarentur, quia malo vel homini, vel angelo erit melius jam non esse, quam in tanta non nocendi sed patiendi miseria semper esse. Verum hujusmodi umbræ, tenebrarum confusio, vox obscura : malignorum potestas spirituum quod inique gessit tandem plenius receptura : diei aspirantis impatiens fasce duro graviter inclinatur, ignique ultorio, et vermi vivido irremediabiliter deputatur. Interim vero dum differtur mundi consummatio, ultimus finis rerum, vel dum prædictæ Virgini nondum præsto suorum terminus ert dierum : ire sponsus et redire, nec manere stabilis invenitur, dilectusque diligenti pleniorem sui copiam non largitur. Nunc cœlo vicinior longe tanquam factus a Virgine vult requiri, nunc terris appropinquans permittit raptim et ad modicum se sentiri : illic præsentior videtur longius hinc abesse; illinc autem regredi, cum Virgini proximus vult adesse. Ergo inter lilia non incongrue dicitur conversari, excursu et recursu instar instabilium delectari : inter duo pasci littora, ad eorum quodlibet fixo vestigio non converti : modo absens, præsens modo, abire citius, mox reverti. Ad quem Virgo subinfert : *Revertere*, etc.

CAPUT XVIII.

Revertere, dilecte mi : similis esto capreæ hinnuloque cervorum, super montes Bethel. Quæ præcedens capitulum de Sponso adolescentulis est locuta, vel forte sibi ipsi in secreto mentis cubiculo constituta : propositum loquendi tenorem non est diutius prosecuta, sed ad illum facit apostrophen a quo sibi creditur destituta. Amor insufficiens, consequenter et impatiens invenitur, carere non vult eo quem semel gratum, semel suavissimum experitur; et quidquid vel offertur vel confertur suspiranti avi.e præter illum, fastu digno despicit, nec ei quidquam sufficit, donec referat se ad illum. Quo igitur necdum frui valet ejus faciem plenius intuendo, ad eum apostrophen frequenter facere vult loquendo; et cum de ipso loquitur ad ipsum, mox compellitur verbo precatorio retorqueri, ut ab eo quem videre desiderat, eo desiderio digna sit vel videri. Quia vero sua mortalitate obvia sentit illum frequentius recedere vel averti, nihil cum sollicitius postulat

(76 In hymno De Natali Domini.

quam revertl, ut revertens et advertens quo amore Virgo tenera teneatur, ille amanti gratiam et largiorem sui copiam largiatur. Ut autem ille vel abire longius vel morari diutius non apponat, congruum ducit Virgo, ut postulationi meritum interponat, ut, etsi forte preces ille exaudire citius non disponat, sua ipsius compulsus æquitate, postulantis meritum non postponat. *Revertere*, ait, *dilecte mi*. Si enim, ait, quem non diligo, magnum aliquid deprecarer, repulsam pati fraudarique a desiderio non mirarer; sed cum preces fundo, cum expando manus supplices ad dilectum, unde tibi duritia, ut quod postulo, non ducas ad effectum? Quis enim tam severus, tam austerus, ut si tenere diligi se perpendat, par pari prompta benevolentia non rependat: et dilectus diligenti postulatum beneficium non impendat, ut jura sive leges amoris durior non offendat? Amor verus et sincerus aurem diutius non avertit, danti gratum et optatum non negat similia, contraria non impertit: ejus quæ pure diligit, tenetur et afficitur multa cura, diligentem amplectitur, teneroque affectui respondet cum usura. Denique tu Scripturæ testimonio diligentem diligere te dixisti (*Prov.* VIII), imo etiam nonnullos (ut experti prædicant) antequam diligerent, dilexisti (*I Joan.* IV); et qui meritis non præcedentibus prior diligere laudabiliter prædicaris, quis non durum judicet, si preces bene promerentium aspernaris? Certum est autem quia diligens diligi promeretur, et quæ digna est diligi, a justo consequenter fraudari desiderio non meretur: præsertim cum non ea quæ sua sunt, instar quorumdam carnalium aucupetur, sed solum te, nec nisi propter te, præsentem fieri deprecetur. *Revertere, dilecte mi*. Tu, ait, cujus amore teneor, respectu cujus cætera mihi sordent, cujus gravor absentia, dum me pungunt præsentia, sive mordent, qui cum crederis præsto esse, subito te avertis, gravamen vix ferendum incutiens rudibus, inexpertis; tu, quæso, convertere, ut revocanti benevolum te ostentes, imo (ut plus dicam) revertere, ut amanti optata dulcedine te præsentes. Redde, inquam, libentius, quod libens frequentius jam dedisti, diligenti redde quod meruit, qui necdum meritam dilexisti: itera **194** jam ex debito quod antea gratuito contulisti, vel potius revertere tandem conferens quod diligentibus promisisti. Promisisti quippe finito vitæ cursu, facie ad faciem te videri (*I Cor.* XIII), videntes satiari plenitudine satiatos fastidio non teneri: tua lætos præsentia non deinceps absentia nos gravari, nulla pressos molestia, tua semper tecum in gloria nos lætari. Ad hoc ergo te reverti volo et postulo, mi dilecte, ut quod aliquantulum gustavi et vidi per speculum imperfecte: sublato carnis obice, mortalitate penitus relegata, perfectius jam teneam et videam facie revelata. Quia vero fervens desiderium largitate præsentium non expletur, et inexpletus amor ad præstolandum absentia satis patiens non habetur; rogat Virgo ut non solum is quem diligit revertatur, sed revertens capreæ, hinnuloque cervorum similis habeatur. « Similis, inquit, esto capreæ, hinnuloque cervorum (*supra* IV). » Caprea, ut supra dictum nostis, hanc habet vim in oculis naturalem, ut cernat et discernat cito sibi congruentiam pascualem: et vel in cursu dijudicet quid sibi utile, quid conveniens ad edendum, quid vero inconveniens, et ob hoc sui merito respuendum. Hinnulus autem cervorum, cui et ætas junior et natura potentior suffragatur, cursu fertur præpeti, et ubi vult subito præsentatur: tantumque sibi esse velocitatis privilegium gratulatur, ut inter feras reliquas non tam pedes quam pennatos pedes habere videatur. Cum igitur Virgo sponsum hujusmodi animalibus similem rogat esse, ostendit fidentem sibi et securam conscientiam non deesse, quam in præsentiarum tam ignorantia quam negligentia non accusat, et hoc sibi volens cito retribui, videri antea non recusat. Tu, ait, cujus præsentiam mens diligentis animus concupiscit, ad cujus reditum mea nequaquam conscientia contremiscit: scrutare et perspice quanto desiderio, qua instantia te affectem, quo affectu, quo amore postpositis præsentibus venturum solummodo te exspectem. Esto similis capreæ, ut interiora mea diligentius perscruteris, et quid bene, quid melius vel postponam vel præponam discutere, vel discernere non graveris: et cum pro certo noveris quid in me virtus singula mereatur, ad reddendum quod meruit, tua justitia velox tanquam hinnulus, habeatur. Ad recipiendum quidem præmii beneficium adeo sum festina, ut me non terreat præcedens scrutinium et discussio repentina: tantoque æstu desidero agilem hinnuli benevolentiam advenire, ut non recusem capreæ subtilem vigilantiam præsentire. Novi enim quod ad lætitiam pleniorem hinnuli mihi gratia non accedat, si ad discutiendum conscientiam interiorem veritas capreæ non præcedat: nec meum hujus hilaris adventatio desiderium consummabit, si dignum consummari non vera illius discussio primitus judicabit. « Judica ergo et discerne causam meam » non solum « de gente non sancta (*Psal.* XLII), » quæ mihi nullatenus comparatur, sed et de gente sancta, cujus mihi comparata sanctitas non æquatur: quæ forte scrutinium reformidans sic superventura gloria vult vestiri, ut non antea compellatur vannum discussoriam experiri. Nesciens enim utrum odio digna sit an amore (*Eccle.* IX), timens servit, et exsultat Domino cum tremore: nunc se in illum efferens spe optati muneris hilarescit, nunc se ad se referens, eo severum quo et verum scrutinium pertimescit. « Quis scit, ait, si convertatur et ignoscat; et relinquat post se benedictionem? » (*Joel.* II.) Virgo vero dilectum suum procul dubio scit converti, conversum fiducialiter postulat et reverti: suaque interiora subtili revertentis intuitu vult adverti, certum habens quovis ariete constans mentis ædificium non everti. In qua igitur perspicax oculus capreæ invenerit nil non suum, in ea consequenter dabit hinnuli benevolentia saltum suum; et cujus

conscientiam præcurrens judicium approbabit, ejus mundítiam velox retribuentis gratia munerabit. Amat enim et caprea subtilius vel discretius intueri, et hinnulus agilitate cursus hilaris et benevolus vult videri; et utrique super juga montium, virtutum culmina gaudent ferri, iste sequi justa remunerans, illa subtiliter cuncta considerans anteferri. *Super montes*, inquit, *Bethel*. Ut aiunt qui notitiam Hebræorum nominum æstimant se habere, quam nos vel nullam meruimus vel satis modicam obtinere (77): Beth, *domus*; el vero *Deus* interpretatur; et Bethel *domus Dei* Latino eloquio nominatur. Domus autem Dei non incongrue interna Virginis conscientia judicatur, thalamus scilicet spiritalis, qui Deo Dei Filio præparatur, quem ad inhabitandum elegit divinæ præsentia majestatis, decorans et honorans eum miræ excellentia sanctitatis. Quæ nimirum domus vel inhabitatio, jure dicitur montuosa, non jugis asperis et inæqualibus, sed variis virtutum meritis copiosa, a quorum altitudine nostra inferiorum longe planities removetur, solus inter homines sponsus illi digne supereminens perhibetur. Ipse quidem capreæ similis aut cervorum hinnulo superfertur, cujus excellentiæ quorumvis altitudo montium non confertur, qui super montes Virginis, et ardua spectabilium meritorum, et eorum subtilis est cognitor, et agilis redditor præmiorum. Dumque adhuc Virgini optata præmiorum gloria non occurrit, quam novit non occurrere, si digna largitoris consideratio non præcurrit: optat Virgo et postulat eum quem diligit diutius non morari, **195** sed citius revertentem capreæ et cervorum hinnulo similari, ut super montes meritorum et virtutes conscientiæ virginalis, et præcurrat inspectio, et retributio sequatur amicalis. Est enim retributor ille cervus amicitiæ et pullus gratiarum. Qui, etsi dignanter affectuosas Virginis preces audit, tamen statim ad effectum ejus desiderium non exaudit; videnque Virginem, necdum facie ad faciem vult videri, sed instar amatorum subtractus absconditur, et vult quæri, de quo subjungit: *In lectulo*, etc.

CAPUT XIX.

[Cap. III.] *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea. Quæsivi illum, et non inveni.* Lectulus hic, ut arbitror, dici potest angustia quædam mentis, in qua se ipsam colligit et astringit voluntas vel intentio diligentis, cum scilicet ei quem diligit summo desiderio vult placere, ei solum colloqui, arctis ejus amplexibus inhærere. Quo æstuans proposito dum ab his sensibilibus resilire, averti a terrenis solum invisibilem vult sentire: carnis velut nescia, amore Sponsi ebria quem prægustat, unus cum illo spiritus brevi tanquam lectulo se angustat. Quo contra eam quæ pari se angustiæ non committit, quæ resoluta mente, affectus perditos intromittit: accusat et redarguit sermo veridicus Isaiæ, imo per Isaiam verax spiritus prophetiæ. « Suscepisti, ait, adulterum, dilatasti cubile tuum (*Isa.* LVII). » Dicens sermo propheticus quod adulterum suscepit mulier impudica, apponit ostendere quod non satis angustæ solitudini sit amica, quæ cubilis amplitudinem in brevem lectulum non redegit, nec intra fines arctos breviato lectulo se coegit. Dilatavit enim cubile suum, cum mentem perditam foras fudit, susceptique alterum, vel magis, adulterum, cum peccati lenocinium introfudit, cum enervi mollitie divaricatis pedibus dissoluta, in cubili dilatato cum illicitis amatoribus est polluta. Virgo vero nescia prædictæ latitudinis in quadam mentis angustia se recludens, nec præter eum, cum quo unus est spiritus, quemquam pariter introcludens, ipsum quem diligebat, in hoc apud se lectulo requisivit, præsto eum esse sperans, quæ prorsus alterum non admisit. Denique in Psalmo legerat: « Prope est Dominus omnibus invocantibus eum (*Psal.* CXLIV), » quærit ergo Virgo sponsum, sed quærentis aciem nox retundit, quæ volenti quæsitum invenire, tenebrosa facie se offundit, qua offusa lux quæsita plenos radios non effundit, sed revocato lumine, quodam velut sub pallio se abscondit. Nec vox una, sed plurimæ quærenti Virgini se opponunt, quæ, ne possit quæsitus inveniri, molestum parietem interponunt, et ob hoc, recte virgo non tam noctis facit quam noctium mentionem, objecto quarum adhuc sibi negari percipit optionem. Nox est difficultas quærendi, nox dilatio inveniendi; nox est molestia differendi, nox miseria sufferendi. Nox est inexpletio desiderii spiritalis, nox caro moritura, etsi jam conversatio non carnalis; nox denique est onerosa præsentia hujus vitæ, quantislibet laboribus vel laborantis virtutibus expolitæ. Per has noctes Virgo sponsum asserit se quæsisse, et, quoniam in prima remansurus non occurrit, a proposito non desiisse, et licet iterato quæsierit, non tamen adhuc juxta libitum invenisse, experimento probans luci ad has tenebras conventionem plenariam non fuisse. *Per noctes*, ait, *quæsivi quem diligit anima mea: quæsivi illum, et non inveni.* Ideo sponsum cum quæreret Virgo non prævaluit invenire, quia nox subobscura quærentem visa est prævenire, imo velut ex condicto turba noctium convenire, nitens et enitens quærentis manus et oculos præpedire. Etsi enim Virgo a cæteris occupationibus fortiter se restringit, et arctata in lectulo ad quærendum sollicitius se accingit; ad illam tamen Sponsi lucem inaccessibilem non attingit, quandiu ejus studio prædictarum turba noctium se impingit. Unde idem Sponsus: « Quæretis me, ait, et non invenietis; et, ubi sum ego, vos non potestis venire (*Joan.* VII). » Est nimirum Filius in sinu, in consessu, in dextera Dei Patris, coæqualis gloriæ, unius substantiæ, ejusdem majestatis: coæternus æterno, par invisibili, lucem quoque habitans inaccessam, nec solum cuivis nostrum, sed et Matri,

(77) Auctor aliquam notitiam habuit Hebraicæ linguæ.

dum hic viveret, inconcessam. Ad thronum enim gloriæ in quo et in Patre Filius, et in Filio manet Pater, non Joannes, non Jacobus, non denique pervenit Virgo mater; et sicut illis ad consedendum non datur dextera vel sinistra, sic nec Matri, quæ humanitatis Filii lege mortalium est ministra. Etsi ergo hic Sponsus quæritur sive illorum desiderio sive Matris, non tamen invenitur in dextera, sive in gloria Dei Patris, quo non sublato, sed dilato, consilium videtur hæc inisse, et vel soli sibi loquens, vel forte adolescentulis intulisse : *Surgam*, etc.

196 CAPUT XX.

Surgam, et circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea. Quia in lectulo coarctata, quem diligo non possum invenire, surgam; et aggrediar civitatis amplitudinem circuire; surgam ab otio et diligentia contemplandi, et accingar ad studium et negotium operandi. Nec imitabor Dinam (*Gen.* XXXIV), ad videndum foras mulieres non exibo, non comparabo villam, ad negotia sæcularia, non rus ibo, sed munitam civitatem intra ejus ambitum circuibo, avocandi et confortandi gratia ad cor Hierusalem introibo. Culpæ non attribuam, non corpori, vel otio noctes meas, sed ad dicendum bene extollam in noctibus manus meas (*Psal.* CXXXIII), et eum quem diligo quæram per vicos diligentius et plateas, quem non possum in lectulo, si forte invenire valeam apud eas. Aliquando enim profectum quem in otio non sentimus, in loquendi negotio largius invenimus : et cum fratribus et proximis curam debitam impertimus, adest ille præsentior cui per hoc officium obedimus. Vicos arbitror illos dici, quos rectitudo fidei spesque longanimis dirigit certitudo, plateas vero quos provectæ charitatis suavior excipit latitudo, per quos Sponsum Virgo se asserit quæsituram, quia illis curam impartiens, huic se æstimat placituram. Quia enim eam supra Sponsus invitaverat ad surgendum, « surge, inquiens, propera, amica mea, » ut scilicet revisas proximos ad docendum : Virgo parens monitis, assumptum paulisper otium intermittit, et surgere, et per vicos et plateas Sponsum quærere se promittit. Eos quippe qui munitæ civitatis religioso ambitu continentur, qui intra septa Ecclesiæ cives sanctorum et Dei domesticos se fatentur revisere et circuire, Virgo diligit digna cura, interventu suo noxia quæque removens, exemplo conferens profutura. Per vicos autem et plateas in eadem ambulat civitate, cum rectos fide, spe longanimes, diffusos charitate juvat et instruit, et ad melius satagit promovere, ut cui se probavit, mereatur amplius complacere. Sic enim ille et quæritur a diligentibus et vult quæri, et quærentes suam ipsius, qui quæritur, gratiam promereri. Sic per angustos et subtiles intelligentia, dilatatos scientia, sollicitudinem quærentium exerceri, et cum ad inveniendum necdum satis proficiant, ad majus saltem meritum promoveri. Sic, inquam, per homines Ecclesiæ, tanquam per vicos et plateas civitatis, suam ille faciem vult requiri, sed cum invisibilem necdum per visibiles inveniri, quia, etsi dando quærendi gratiam, majus meritum vult acquiri; non vult tamen requirentes optatam requisitæ adhuc plenitudinem experiri. Cum ergo Isaias clamat : « Quærite Dominum dum inveniri potest (*Isa.* LV), » non videtur ut arbitror hoc sentire, quod quæsitum hic quærentes ad purum valeant invenire; sed potius qui student ad quærendum vigilem diligentiam adhibere, possunt in præsentiarum non meriti præmium sed præmii meritum obtinere. Qui ergo adhuc ex fide habent vivere, spe futuri, Dominum Deum quærunt, non statim eum, sed postmodum inventuri; per noctes diem quærunt, non statim ejus præsentia fruituri, nec ad plenum gaudium, donec dies illuxerit perventuri. Per noctes enim etsi dignum in quærendo studium impertitur, non tamen lux, sed inveniendi lucem meritum invenitur; et in præsentia noctium tempus congruum est quærendi, inventoque merito restat præmium obtinendi. Nam quis per noctes diem æstimet invenire, cum nisi noctes cesserint, recuset dies gratior advenire; nihilque aliud noctium præsentia quam solis absentia possit dici, et oriente sole constet fugam noctibus mox indici? Dum nox quidem præsens est, sol orbem lucidum non emittit, tenebrisque manentibus ille suam videri faciem non permittit, sed ad ortum properans, ut præconem luciferum antemittit, quo indice non præsentem, sed venturum citius se promittit. Ille autem lucifer (quo nuntio sol adveniens prævenitur), dum noctes adhuc præsto sunt, a quærentibus invenitur, quo invento, ipsæ noctium tenebræ jam rarescunt, sed nonnisi orto sole penitus evanescunt. Dum per noctes igitur sol absens requiritur, nonnunquam lucifer se ostendit, qui solem ostendere præsentibus adhuc noctibus non intendit, sed quærentes instruit quo tendant, quo dirigant oculum inventuri, ex qua parte scilicet sperent solis præsentiam adventuri. Quandiu enim mundum tenet, et opprimit nox profunda, et nostras miserorum urget conscientias fex immunda; quis novit (necdum viso lucifero) unde habeat sol oriri, cum nullo præambulo nec ad illum via valeat inveniri? Verum cum is qui solem quærit, præcedentem luciferum intuetur, eo doctus prænuntio, quadam certitudine jam tenetur, quod ab ipso qui prænuntiat longe solis præsentia non habetur, sed quia nox interpolat, adhuc ejus facies non videtur. Quærens itaque lumen per noctes, lumen invenit, sed nocturnum, inventurus hoc lumine lumen postea, sed diurnum; et dies iste proximus, sol venturus qui suam præsentiam vult differri, **197** ut ad illam certius veniatur, vult luciferum anteferri. Hoc accipit qui petit, hoc invenit qui quærit, hæc pulsanti janua reseratur, quærenti solem in præmium, prius via tanquam lucifer demonstratur; prius, inquam, ex gratia datur meritum laboranti, et sic tanquam ex merito datur imo dabitur sol in præmium præstolanti. Neque enim ut meritum, statim et præmium sponsus donat, etsi forte omnis homo vinum bonum ei quod est deterius anteponat

(*Joan.* II), seu verus sol, qui solus super omnia diligi promeretur; et videri quidem vult, et, nisi præmisso lucifero, non videtur. Ideo forte cum dixisset Evangelium : « Omnis qui petit accipit, et qui quærit invenit (*Matth.* VII), » dari signans meriti beneficium in præsenti : ostendit quod restaret dandum aliud in sequenti : « Et pulsanti, ait, aperietur (*ibid.*). » Qui petendo, ait, et quærendo gaudet sibi præcedens meritum impertiri, pulsando, hoc est instando gaudebit sibi postmodum januam aperiri, quia qui per noctes gratia cum merito tanquam lucifero promovetur, aperta solis regia plenæ lucis gloria perfruetur. Paulo supra cum diceret, petite, quærite, pulsate, verba subinferens singulis responsiva, nil in præsenti contulit, sed protulit (utens futuro tempore) promissiva : suspensos nos faciens utrum intra noctes, hoc est in hoc tempore, fierent completiva, an simul ad optatam æterni solis præsentiam transitiva. « Petite, ait, et accipietis, quærite et invenietis; pulsate et aperietur vobis (*ibid.*). » Sed ne diu sit dubium, nihil in noctibus nostro petentium desiderio non conferri, nihil æque donec dies illucescat et oriatur sol potius quam lucifer non differri, statim intulit : « Omnis enim qui petit accipit, et qui quærit invenit (*ibid.*). » Hoc de præsenti tempore. Non enim dicit, accipiet et inveniet, sed « incipit et invenit. Et pulsanti, ait, aperietur. » Hoc de venturo sole. Non enim ait, « pulsanti » aperitur, sed « aperietur, » ut distinguat inter istud quod nobis obtinendum conceditur in præsenti, et illud quod promittitur concedendum multo melius in sequenti. Sic Jacob petenti et quærenti non Liam in conjugium, sed Rachelem (*Gen.* XXIX), morem servans patriæ Liam pater prius contulit quam Rachelem; in nuptiis priorem natu prætulit, non æqualis quidem pulchritudinis, sed fecundam, promittens quia juveni daretur introitus postmodum ad secundam. Similiter et Virgo, per noctes, per vicos et plateas quærens quem præ cunctis noverat speciosum, prius accipit, prius invenit munus meriti fructuosum, sed quia non tam ad meritum quam ad præmium, ad laborem quam ad requiem jam anhelat, nil invenisse creditur, quandiu ille suam faciem non revelat. Ideo iterat : *Quæsivi*, etc.

CAPUT XXI.

Quæsivi illum, et non inveni. Ecce nunc tertio Virgo cum quem diligit asserit se quæsisse, et quæsitum conqueritur necdum juxta libitum invenisse : eoque non invento, non labore frangitur, a proposito non desperat, sed in spe inveniendi, et quærendi studio perseverat. Amantis est semel, et iterum, et multoties quærere quod amatur, si mora intervenerit, ab eo non desistere quod speratur; et si dure afficitur, dum id quod requiritur, citius non occurrit, non tamen defeciscat, dilato nimis desiderio spes succurrit. Quærit igitur Virgo ejus quem diligit faciem intueri, et quærenti nil sufficit, quandiu se perspicit a suo desiderio prohiberi, lectuloque non contenta (in quo digne videretur puellaris posse A verecundia custodiri), circuit civitatem, vicos perambulat, in medio platearum jam non refugit inveniri. Tantus eam urget amor, æstus intemperans sic accendit, qui contemptor personarum, quid cui conveniat non attendit, qui cum semel exarserit, rationis judicium jam non curat, et quos ardere fecerit, suæ intemperantiæ configurat. Ea virgo intemperie quo fortius eo delectabilius exardescens non timore nocturno revocata, non publicum virginibus invidum expavescens : quærit quem diligit, et semel quærere non contenta, dum iterat, et huc illucque properat, ab occursantibus est inventa.

CAPUT XXII.

Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem. Cum vagabunda circuit, et sollicita circumfertur, B dum cursitat et quæritat, et quæsiti præsentia non offertur; illi, quibus commissa est cura vel custodia civitatis, qui super muros excubant vigili sollicitudine charitatis; adveniunt et inveniunt somno eam degeneri non torpere, amantes vigiliis, et amori sollicito Virginis adgaudere. Ad hoc enim sodales Sponsi angelica sublimes dignitate, mira fulti gratia et in sua stabiles sanctitate mittuntur in ministerium, et super nostra vigilant civitate, ut profectus amantium et videant, et prompta foveant voluntate. Inveniunt ergo isti et inventa Virgine gratulantur, **198** amantem considerant, et amoris magnitudinem admirantur; et qui plurimos amatores longa retro serie noverant commendari, vident nec invident C sponsum nunc a Virgine plus amari. Recensentes quippe sursum versus per ordinem cives et domesticos illius civitatis, quibus amasse datum est gratiæ largitorem, auctorem veritatis perpendunt in omnibus minorem diligendi gratiam exstitisse, gaudentque Virginem in amando nulli parem mortalium invenisse. Et signanter non vigiles a Virgine, sed Virgo a vigilibus est inventa, quia super civitatem ad hoc sollicitudo vigilum est intenta, ut quærat diligentius quis defectum, quis profectum accipiat sanctitatis, et alteri condoleat et congaudeat affectuosæ benevolentia charitatis. Virgo vero, sicut non homines, sic nec angelos requirebat; sed Dominum angelorum invenire summo desiderio satagebat; et ideo si quos forte sibi obviam percipit advenire, inveniri se ab illis quam illos perhibet invenire. D Quam inventam inventores cum vellent forsitan convenire, sciscitari unde, quo tenderet, quidve intenderet invenire; hæc oblita sexus feminei, loquturos festinat prævenire, et amoris impatiens suum illis desiderium aperire

CAPUT XXIII.

Num quem diligit anima mea vidistis? Debuerat Virgo modestior in silentio sustinere, dum priores loquerentur, quos dignitatis gradum ampliorem noverat obtinere, donec angeli occurrentes apponerent feminam prænonere, eisque primum loquentibus illa sic admonita respondere. Cæterum uti modo vel moderamine immoderatior amor nescit, non sexum, non ordinem, non prætergredi terminos pertimescit;

omnium jura legum quodam mentis fastu videtur A oblivisci, justum putans ejus quem diligit solius incessabiliter reminisci : « Domine, inquit, memorabor justitiæ tuæ solius (*Psal.* LXX). » Eum itaque solum indeclinabili tenens memoria, gratia cujus immeritos, et meritos amat justitia, cum ad custodiam civitatis sentit angelos præsto esse, monere imperfectos, perfectioribus non deesse; eorum præsentiam non sibi æstimat satis esse, donec illum invenerit, quem longe super angelos credit esse. Hoc propter ab eisdem qui super curam civium vigilant studiose, conveniri non sustinens eos potius convenit curiose ; et amor igne fortior sub favilla cineris nesciens contineri, flammescit evidentius et a circumstantibus vult videri. Cumque tardior ad silendum, ad loquendum promptior habeatur, illum solum in ore ventilat, B nec de altero verbosatur, illum, inquam, quem diligit, quem dilectum quærit ardentius invenire, et cum nondum inveniat, nova saltem de illo curiosius vult audire. Vos, ait, quibus datum est patris semper faciem intueri, quos ab intuendo constat non culpa, non carne, non quamvis molestia prohiberi; eum quem diligo, quem invenire desidero, non vidistis, in Patre Deo Deum æque Filium num vidistis? Num vobis sodalibus ea felicitas est collata, quæ mihi desponsatæ lege gravi eatenus est negata, ut scilicet perspicaci oculo Sponsum meum in sua gloria possitis intueri, qui meo matris et Sponsæ necdum sustinet se videri ? Illum, quæso, apud quem tam felicem gratiam invenistis, si placet, si videtur congruum, dicite si vidistis; mihique æstuanti, vel cum C in quem prospicere concupiscitis, demonstrate, vel saltem vestram ipsorum visionem verbo consolatorio nuntiate. Erit enim mihi non mediocre solatium, si eum nuntiaveritis vos vidisse, cujus videndi gratiam necdum mereor invenisse, quia non sum quæ doleam felices quosvis alios prævenisse, quo me longe tardiorem nondum gaudeo pervenisse. Dicite, inquam, si vidistis, imo quia vidistis, laudabiliter nuntiate, quod de illo plenius persensistis doctrina salutifera commendate ; quia dignum arbitror vobis docentibus aurem dari, qui faciem illius meruistis (nobis adhuc caligantibus) contemplari. Vos quidem faucibus non esurie laborantibus, sed beatis, indefesse desiderantibus, pulso tamen longe fastidio, satiatis, in illius D regno, panem vivum, incorruptibilem ambrosiam manducatis; cujus refecti adipe omnem prorsus molestiam ignoratis (*Matth.* XVIII). Qui, etsi nobis in terra laborantibus, consolandi gratia, nunc adestis, mensæ tamen et convivio semper illius interestis; et cum per importunas noctes esuries urgeat nos jejuna, in atriis illius Domini vobis datur plena refectio, dies una.

Ad requisita Virginis non inducuntur angeli respondere, forte quia respondendi moram Virgo noluit sustinere, cujus animum æstuantem omnis dilatio jam molestat, et ob hoc, quid impatiens moræ fecerit, manifestat.

—

199 CAPUT XXIV.

Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea. Sentit eum quem diligit non esse aliquem angelorum, nec ostendi posse ab angelo manentem longe super excellentiam angelorum, certum habens Sponsum et filium, suam Dei faciem sic velare, ut non eam videat nisi cui voluerit idem filius revelare. In his ergo nolens Virgo diutius immorari, neque responsa horum auditu sollicito præstolari ; ad quærendum Sponsum festinat citius pertransire, quem non nisi pertransiens, poterat invenire. Vel forte, ut prædictum est, de Sponso vigiles requisiti, ignorantia non torpentes ad respondendum promptius, expediti; non tacent in sua illum gloria se vidisse, ne videantur requirentis affectibus vel profectibus invidisse. Docent ergo Virginem, quia non apud ipsos is quem diligit sit videndus, sed longe ultra diligenti vigilantia requirendus, et transitus requirenti (ut videre valeat) faciendus, quo facto dilectus diligenti juxta suum ostendentis placitum ostendendus. Virgo, aiunt, et videntes eum quem diligis, gratulamur, et quod vidimus et audivimus hoc testamur; et (si vere desideras ut ejus æque visio te confortet) non stare, non hærere, sed potius transire te oportet. Perspiciens mutabilem esse naturam totius creaturæ, habentis quidem initium etsi finem non similiter habituræ, transi et invenies alterius et dissimilis hunc naturæ, quam nescit immutatio vel vicissitudinis obumbratio successuræ. Hæc, vel his similia vigiles forte Virgini responderunt, eique inventionem ejus quem sic diligit, sponderunt ; sed Virgo festinantior non illorum dicta per ordinem replicavit, sed quid fecerit ipsa, compendiosius explicavit : *Cum pertransissem*, inquit, *eos, inveni quem diligit anima mea.* Eorum, ait, a quibus cum dilectum quærerem sum inventa, verbis consolatoriis aliquandiu sum detenta; sed ardens inexplebiliter, tali solatio non contenta, ad id quod ultra est, habenis laxioribus sum extenta. Videns quippe angelos meum mihi desideriam non supplere, custodes civitatis efficacem supplendi gratiam non habere, transivi considerans utrum cherubin et seraphim, et spiritus excellentiæ dignioris conferrent æstuanti donum sufficientiæ plenioris. Sicut enim sunt angeli qui, missi in ministerium salutis, hæredibus administrant, sic forte alii digniores, qui cum non mittantur a Domino, sed assistant; quanto istis inferioribus et ministrantibus sunt prælati, tanto illi, cui gaudent incessanter assistere, sunt substrati. Transivi ergo angelos, cum ascendi ad illos spiritus digniores. Pertransivi, cum attendi neutros mei posse fieri desiderii suppletores; cum intellexi esse apud angelos non solum invalidum ordinem, sed naturam, meoque desiderio nullam sufficere penitus creaturam. Transivi, cum attendi vigiles, sive angelos, factos esse. Pertransivi considerans non a seipsis, sed ab alio factos esse; et eum qui fecerat, horum esse, et omnium sic auctorem, ut suis prorsus ipse,

non seipsum, non quemvis alium habeat creatorem. Transivi, cum mihi veraciter datum est istud nosse, factos scilicet angelos, sine ipso, qui fecit, penitus nihil posse. Pertransivi, considerans eum qui factor est, posse omnia per seipsum, qui mihi ad omnia solus sufficit dans seipsum. Sic autem vel transire vigiles vel eos potius pertransire, quid est nisi eum quem anima mea diligit invenire; qui nisi transita creatura non potest plenius inveniri, quod non nisi pertransiens digne prævalet experiri? Sic igitur pertransiens vigiles, eum quem diligo sic inveni, ad ejus qui non factus sed factor est, excellentiam sic perveni; inveni Creatorem super omnem creaturam longius præeminere, et ideo præter ipsum, quidquam diligi non debere. Cum vero dicat Virgo se illum quem diligit invenisse, quid est quod præmittit sese paululum vigiles pertransisse; cum non paululum, sed plurimum transisse omnia videatur, quæ illum invenisse (qui longe est super omnia), gratulatur? Sed quia dum tenetur lege mortalium, carnis vinculo gravioris, quantumcunque proficiat æstu desiderii purioris, non tamen Sponsum invenit, nisi oculo tantum fidei vel amoris, recte dicit paululum, respectu gratiæ plenioris. Quæ, etsi studio et gratia suum mundat et provehit intellectum, provectuque mirabili supergrediens angelos, pervenit ad dilectum: tamen quia hæc perventio, dum hic vivitur, habet aliquid imperfectum, parvo quasi transitu putat oculus fidei se transvectum. Magnus vero posset hujus transitus recte dici, si sibi jam perpenderet nullo carnis onere contradici; si non fide, sed re, non spe, sed specie plurimum exsultaret, si Sponsi facie frueretur, et fruentem nulla perturbatio revocaret. Magnus esset transitus, si videret se mortalitate ingenita spoliari, supervestitam gloria digne super angelos exaltari; in throno Sponsi regio jure non injurio consedere, Sponsam matrem filio singulari quodam privilegio cohærere. Interim vero dum **200** hujusmodi aut res aut species non donatur, fide et spe ipsum quem diligit amplexatur; et propter quem inveniendum dicit se vigiles paululum pertransisse, inventum asserit nexu firmissimo tenuisse.

CAPUT XXV.

Tenui eum, nec dimittam donec introducam eum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ. Sponsum Virgo, ut ante dictum est, iterato proposito requisivit, nec invenit requisitum, donec interpositos vigiles pertransivit; quia quandiu inter quærentem et quæsitum videtur quisquam alius interponi, requisitus non satis sustinet requirentis desiderio se exponi. Cum ergo illa vigiles lincæo visa est oculo præterire, gavisa est quem quærebat perspicacius reperire; quantum duntaxat viventi datur homini prævalere, imo prævalendi gratiam supra reliquos ista meruit homines obtinere. Invenit Virgo, quia ille ab homine vivente ad purum non poterat inveniri, non videri invisibilis, insensibilis non sentiri; et quo subtilius contemplando illum esse incomprehensibilem deprehendit, eo ama fortius, et amare præter illum quidpiam non intendit. Sic illum quem non pede investigandum judicat, sed affectu, investigatum non oculo, sed acuto reperit intellectu: non gumphis, non glutino, non tenet vinculo, sed amore, non nectura ferrea, sed complexu alligat fortiore. Tenet, inquam, et alligat, et manus tenendi avidas non remittit, non amorem, non affectum, non intensum proficiendi studium intermittit; diu desideratum ad secreti cordis cubiculum introducit, introducit gaudet præsentia, præsentem ultra recedere non dimittit. Illum quidem inveniuntur nonnulli aliquoties tenuisse, et ad suam voluntatem quibusdam nexibus attraxisse; sed intra eorum videtur retinacula sic admitti, ut tanquam moræ impatiens tandem postulet se dimitti. « Cerno, inquit ad Moysen, quod populus iste duræ cervicis sit: dimitte me ut irascatur furor meus contra eos et deleam eos (*Exod.* xxxii). » Justus Dominus cujus videt et approbat oculus æquitatem, populi duritiam exsecratus, et perversam idololatriæ pravitatem; contra eumdem populum disponit graviter succensere; indignari peccantibus, et in eos vindictam celerem exercere. Vult furorem suum adversus idololatras durius effrenare, sed obsistit Moyses, et furentem nititur refrenare (*Jud.* x); tenet quem diligit et intelligit nonnunquam precibus diligentium obedire, compescit irascentem, nec permittit juxta propositum contra noxios desævire: « Aut dimitte eis, inquit, hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti (*Exod.* xxxii). » Non nostro Deus more sæpius stylum vertit, notas semel exaratas, tanquam ductus pœnitentia, non evertit; quem ascriptum æternis civibus salvare sua gratia jam decrevit, non abrasit postmodum et de libro viventium non delevit. Rogans ergo Moyses aut de libro quem Deus jam scripserat se deleri, aut ipsum Deum remissa noxa populo misereri; per id quod divinæ æquitati novit nullo modo convenire, eam ad hoc provocat quod æstimat convenientius expedire; tenetque firmius et quasi alligat vel invitam, ne concepti furoris incontinens manus exerat ad vindictam. Quæ vero sic tenetur ad vindictam, ut videtur, ideo vult dimitti, quia nihil impunitum illius justitia vult remitti; et tam grande piaculum justa morte omnium putat Moyses ultum iri, si manus ultoria lenito vultu misericordiæ non se sustinet prævenire. Ne igitur in illos sic desæviat, ut omnes penitus deleantur, non suis ipsorum, sed Moysi meritis adjuvantur; qui rogantem se dimitti non vult Dominum exaudire, sed firmius alligatum suis cogit precibus misericorditer obedire. Longe ante, cum Jacob legitur vir luctari, qui nunc vir, nunc angelus, nunc invenitur etiam Dominus appellari; qui attendens colluctatorem suum non posse facile superari: « Dimitte me, ait, jam enim ascendit aurora (*Gen.* xxxii). » At ille: « Non dimittam, inquit, te, nisi benedixeris mihi (*ibid.*). » Deum, cum quo Jacob valide colluctatur non vult dimittere nisi

pretio redimatur, nisi victus victori benedictionis A gratiam largiatur, sine qua, victor ipse nulla victoria gratulatur. « Et benedixit, inquit, eum in eodem loco (*Gen.* XXXII). » Ut dimitti mereatur, munus porrigit postulatum, suumque dimissorem reddit gratia Dominus cumulatum; et sic tandem accepta quam postulaverat libertate, dimittitur, et dimittens optati gaudet muneris novitate. Virgo vero non jam datis gaudet muneribus, sed datore, non aliud vult beneficium, quam illius frui præsentia largiore; tenere quem diligit, ab ejusdem complexibus non abduci, ad dimittendum illum quovis pretio non induci. Nolo, inquit, ejus quem teneo, mihi gratia sic accedat, ut accepto munere dator muneris jam recedat; sic dilectæ dilecti benedictio præsentetur, ut ipse quem diligo cum benediverit, absentetur. Sua enim diligo non nisi propter ipsum, et quæcunque dederit mihi non sufficiunt præter **201** ipsum; imo, si amanti negatis, cæteris det seipsum, eo contenta solo in pace dormiam in idipsum. Nec soli mihi eum, de quo sermo est, teneo vel tenebo, sed ut ipsum et cæteri mecum teneant providebo; nec enim morbo avaritiæ aliorum utilitatibus invidebo, sed quo magis proficiam, eo magis cæteris proficientibus adgaudebo. Tenebo igitur quem teneo nec dimittam, donec eum in domum matris meæ, imo et in cubiculum intromittam; ut bonum quod prius et amplius filia meruit jam sentire, consequenter genitrix sese gaudeat invenire. Mater sive genitrix hujus Virginis Judæa est, quæ prius carne C genitam unius dolore parientis; ad unius Dei cultum legalibus postmodum genuit sacramentis. Ideo forte mater et genitrix pariter appellatur, ut repetito nomine duplex genitura signari videatur; cui gigneuti genita beneficium reddere se promittit. Reddit autem, cum dilectum in illius domum vel cubiculum intromittit. Domus Judææ fides est, qua Patrem et Filium, et amborum Spiritum Deum novit, qua fide ab infidelium meritis et consortio se removit; delitescens et quiescens sub hujus umbra tegminis ut secura, solis æstus importunos et turbinem sive pluviam non sensura. Cujusmodi tectorio gentium infidelitas non munitur, non umbra, non culmine, non fidei tegulis operitur; sed in campis sive sub divo libera tanquam onager invenitur, nescit domum, D plaudi non sustinet, pariete vel maceria non sepitur. Cum ergo intemperies, cum nix, grando, glacies, spiritus procellarum, cum denique supervenit potestas aliqua tenebrarum; quam vagam et deopertam invenit, statim rapere gratulatur; et illa instar paleæ nullo fixa pondere ventilatur. Judæa vero clausa domo, velut castri robore præmunita, excelso gaudens culmine, et quibusdam propugnaculis insignita; minas graves aeris forti repulsorio longius alienat, et in absconso fidei, reclinato capite conscientiam jam serenat. Cum enim ruunt venti, cœlum intonat, aer sævit, qui sævire minaciter, nimisque tenaciter in nostris partibus consuevit, nihil putat serenius quam legi constantius fidei munimento, si tamen munimentum innitatur stabili fundamento. Architectus quippe lignorum et lapidum congeriem colligens in structura, si digne sollicitus sive timidus fuerit de jactura, in profundum fodiens petram satagit invenire, supra quam ædificium firmo gradu valeat stabilire. Alioquin ipsa domus columnis evectioribus sublimata, miroque labore et opere in oculis intuentium consummata, quo major et operosior fuerit, tamen quia petræ non innititur firmiori, eo illisione fluminum ventorumque impulsu ruinæ subjacet graviori. Ut ergo Judææ domus, id est fides dignum capiat firmamentum, Virgo matri providens spondet se inducere fundamentum; illam scilicet petram, quæ Christus est, introducere se promittit, quæ firmitate sui ædificium superpositum ruere B non permittit. Deus quidem, ut legistis, ab antiquo notus fuerat in Judæa (*Psal.* LXXV), extensum cujus calceum necdum noverat Idumæa, quia illis in diebus qualemcunque sui notitiam credentium cordibus impertivit, sed in eorum oculis carne se visibili personaliter non vestivit. Verum cum nova gratia, cum temporis adfuit plenitudo, cum infirmis condescendens, infirmari Dei voluit fortitudo: Virgo fecunda spiritu, Deum peperit incarnatum, et invisibilem deitate ad homines protulit calceatum. Quæ pro certo intelligens non venturos esse deinceps ad salutem, nisi eos qui crederent Christum Dei sapientiam et virtutem: Christum, inquam, ante luciferum ex utero genitum Dei Patris, in fine vero temporum factum hominem ex utero suæ matris, curavit summopere, ut hæc rei notitia Judææ conferretur, et hoc velut fundamento ædificium fidei firmaretur. Hunc igitur Virgo tenens, spondet quia manus avidas non laxabit, donec eum genti suæ tenendum firmius intimabit; donec eum recens natum pastoribus credulis præsentabit, et postmodum grandescentem apostolis tardioribus commendabit. In his quippe Judæorum fides Mariæ verbis et meritis eruditur, ne deserta domus ruat, hujus ope et opere subfulcitur, ea pariente et partum verius exponente, Christum Judæa suscipit et honorat, hominem Deum credit, creditum diligit et adorat. Hoc est forte quod hujus Virginis signat promissio, cum non solum domus, sed et cubiculi grata fit mentio, quia scilicet Judæa in apostolis et in Christum credere, et ipsum diligere se gaudebit, Virginisque interventu, duplex hoc beneficium obtinebit. Domus tanquam latior multos indiscrete suscipit confluentes, remotum vero cubiculum solos secretius admittit diligentes; et ideo domus fidem indicat quam communem esse cernimus plurimorum, cubiculum vero dilectionem quam nostis esse propriam electorum. Non sufficit ergo Virgini quod Judæa sic Christum prædicat ut credatur, sed curat summopere, ut ab ea pariter diligatur, dum illum asserit et Deum de Deo natum ante sæcula sine matre, et ex se recens factum veraciter hominem sine patre. Ad quod et credendum, et diligendum cum suis tam monitis quam meritis illam ducit, Christum

in illius domum et cubiculum introducit; nec cessat a studio, donec suum pauperis desiderium videat exaudiri, et dilectum gaudeat in secreto diligentium inveniri. Quo invento non invidet, tanquam æmula non tabescit, sed respirat a **202** labore, ab ægritudine convalescit; dum charitate flagrans bonis proficientium hilarescit, et in eo velut accubitu, hilari conscientia requiescit, cujus favens quieti, Sponsus ait: *Adjuro vos*, etc.

CAPUT XXVI.

Adjuro vos, filiæ Hierusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Monet Sponsus apostolos, et eos qui videntur ex Judæa pariter credidisse, verbo et cura Virginis Christum in secreto fidei suscepisse; monet, inquam, ne susceptam semel gratiam parvipendant, et contemptu præsentium ad priora, vel forte pejora prioribus se extendant. Si enim fides horum, si dilectio gravius sit concussa, obstrepent somno, Virginis aure durius repercussa; et a quietis gaudio quod ex eorum Virgo voluit moribus adipisci, invita compelletur ad molestias expergisci. Monet igitur Sponsus ne inter apostolos Judæ proditio dure tonet, ne doctrina Nicolai discordans a cæteris male sonet, ne audito sermone mystico multi ex discipulis scandalo feriantur, et abeuntes retro jam non cum illo rupto dure proposito gradiantur. Nec solum ii apostatæ, vel quisquis similium Christo veraciter non adhæsit, sed et metus electorum non mediocriter Virginis aures læsit; Petri negatio, nudatio Joannis, fuga omnium graviter strepuerunt, et quiescentem Virginem suscitari ad vigilias coegerunt. Sponsus ergo tenere sollicitus Virginis quam dilexit, eos monet, quos turbari metu persequentium intellexit; ut a forma et doctrina, quam eis Virgo dederat, non fatiscant, vel fatiscentes forte citius resipiscant. Filiæ, inquit, Hierusalem, non est conveniens ut velitis, quod necdum illam velle, quæ vos prænonet, invenitis, nec est vobis liberum noxium sive indecens quidquam velle, donec et illa velit, quam constat penitus nunquam velle, apostoli quidem contra velitum deserente gratia voluerunt, cum occurrenti culpæ ad unguem non resistere valuerunt; illa vero nil tale voluit quæ digne valuit culpis occurrentibus refragari, et ob hoc inventa est non suo, sed suorum strepitu a quiete placita suscitari. Postmodum tamen recte hujus memores adjurantis, visitati plenius præsentia spiritus roborantis; secreto morum et meritorum quasi cubiculo venustantur, quo Sponsum introduci ope et opere Virginis gratulantur. Eo autem introducto ipsa quoque Virgo non mediocriter hilarescit, somnoque præoptato in illorum moribus requiescit; a quo et suscitari Sponsi diligentia prohibetur, ne affligatur pœna, cujus culpæ conscia non habetur. Supra igitur cum eisdem verbis filias Hierusalem Sponsus voluit adjurare, ut Sponsam quiescentem inter amplexus Sponsi non præsumerent suscitare; in suis vel de suis gaudere Virgo profectibus indicatur, quos sibi acquisisse, gratia et meritis prædicatur. Hic vero cum iterari eadem adjuratio reperitur, de aliorum Virgo meritis gaudere comperitur, quorum sollicitudo Sponsi diligentia convenitur, ne repellant gratiam, quæ tam grata desiderio Virginis invenitur. Illic inter amplexus Sponsi grata Virgo requie delectatur, hic Sponsum quiescere in proximorum cubiculo gratulatur; illic in suis, hic in proximorum profectibus obdormiscit, et in utroque somno Sponsum tenens in ejus atria concupiscit. Quia vero illic idem utcunque versiculus explanatur, non duxi necessarium ut hic eadem explanatio repetatur; ne, si quod ante dictum est, dicatur iterum in præsenti, superflua repetitio fastidium ingerat audienti. Sicut ergo illic secundus liber hujus operis sumpsit finem, ubi super lævam Sponsi Virgo fecit quietis gratia se reclinem, ita et hic dignum extimo præsenti libro calcem sive terminum superduci, ubi Sponsa gaudet Sponsum in matris domum vel cubiculum introduci, ut ubi datur Sponsa delicatis profectibus soporari, ibi stylus noster silentio tanquam somno gaudeat reparari.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii? Hucusque in hoc dramate dilectus et Virgo ad invicem vel de invicem sunt locuti, et quod fuit amoris et gratiæ, sermone vicario prosecuti; nec alii quilibet ad loquendum **203** videntur introducti quamvis ad audiendum adolescentulæ vel sodales pariter sint adducti. Nunc vero quibus dederat locum et gratiam audiendi, ampliori Sponsus beneficio sodalibus spatium dat loquendi ut eis jucundius efficiatur epithalamium nuptiale, cum in eo et ipsi pariter velut symbolum dederint sociale. Sodales igitur, id est angeli qui Sponso assistere in hujusmodi nuptiis perhibentur, qui et si hominibus administrant, non tamen ab ejus facie prohibentur, attendentes quo affectu Sponsus erga virginem teneatur, qua gratia, quo merito supra omnes virgo mulieres provehatur, hærent, stupent neque digne sufficiunt admirari, nec inveniunt quibus eam laudibus possint congrue venerari. Illos quidem affectuosa devotio commonet ut quid dicant,

consideratio mirandæ magnitudinis revocat ne quid dicant, parum enim sibi videtur et insufficiens quidquid dicant, dignos tamen se putant argui, si penitus nihil dicant. Mira quidem dicendi (78) copia inopes illos facit, et nimirum inopia grandi nequaquam desiderio satisfacit; dicunt tamen ut in nobis affectum susciten' audiendi, nobisque auditoribus qualemcunque fiduciam dant dicendi. Neque enim quisquam nostrum dicere tantæ laudes Virginis attentaret, si angelorum excellentia velut sibi non satis conscia penitus refutaret; sed eorum qui sunt administratorii spiritus forma et sollicitudine commonemur, ut pro posse qualicunque et nos Virginem laudibus veneremur. Nam et ipsi ut eis possibilitas suppetit, non ut dignitas Virginis expetit, hoc ipsum agere se ostendunt, qui necdum satis quanta sint merita Virginis deprehendunt, et ideo ad unguem ea exprimere verbis sive laudibus non intendunt, sed mirantur, mirantes sciscitantur, quæ sit illa quam mirabilem sic attendunt. Quæ est, inquiunt, ista? Revolvimus, aiunt, mulierum seriem præsentium vel præcedentium ab antiquo, ex quo Eva quæ primum facta est consensum præbuit inimico, quarum multis diversorum dona charismatum sunt indulta; internæ mentis species tam gratiæ quam industriæ manibus et exculta nullam harum huic similem possumus invenire, sed hæc omnes invenitur ineffabili gratia prævenire. Quæ est igitur ista cui soli datur excellentia specialis ut mulier nulla prior, nulla et posterior sit æqualis, ut nostro etiam videatur jam patrocinio non egere, imo ut hominibus ita et angelis non natura, sed gratia præeminere? Quæ est ista quæ deflexo poplite instar delicatæ mulieris non incedit, sed robusto et indefesso gradu viriliter ambulat et procedit: arduum agit iter femineis passibus inexpertum, et apprehensa scala quam vix videre Jacob promeruit ascendit fortiter per desertum? Desertum ut video via est et conversatio singularis, quam nescit multitudo neque terit ungula popularis, quæ luto non tangitur, non respergitur pulvere platearum, quam culpa non attaminat, non operit quævis superfluitas palearum. Jacob cum caput ejus lapis suppositus visus est sustinere, somno sopitus mystico hujusmodi scalam meruit vix videre (*Gen.*, XXVIII), quæ, ut illi visum est, humano more viventibus interdicta, solis angelis ascendentibus et descendentibus est relicta. Descendunt quippe angeli favorabili gaudio profectibus Virginis occurrentes. Ascendunt vero, proficientem festivis laudibus præcurrentes: eum qui scalæ innititur festinantes Dominum convenire, sciscitantes quæ est ista, quæ angelos natura potiores festinat meritis prævenire. Quæ est ista, inquiunt, cui virginalis fecunditas vel fecunda virginitas est concessa, cunctis retro sæculis tam angelis quam hominibus inaccessa; quæ vivens in corpore mortis necessitatibus obvoluto, vitam vitiis obnoxiam cursu peragit impolluto?

(78) *Id est*, ejus quod dicendum est.

A Ascendit enim sicut virgula fumi, quæ cum subtilis et gracilis ab inferioribus oriatur, attollens se in auras tennes et ipsa tenuatur; sic in altum proficiens ut secreto nubium se committat, et velut se exinaniens oculos intuentium non admittat. Virgo nimirum quamvis de terrenis parentibus procreata, terrenis tamen abrasis fæcibus disciplinæ studio tenuata; ad tantam meritorum altitudinem supra homines est progressa, ut recte asseratur capacitatem admirantium supergressa. Quæ sic proficiens longe lateque suavissimum dat odorem, doctrinam justitiæ, disciplinæ formulam gratiorem: largitur suffragia, gaudet benevolentiam exhibere, quæ digne considerantibus tanquam aromata videntur redolere. Ideo forte fumus, cujus virgulæ Virgo proficiens comparatur, non de abyssi puteo, sed ex aromatibus prodire memoratur: ad quorum confectionem specierum multiplicitas est collecta, et ex myrrha et thure c universo pigmentarii pulvere sunt confecta, Myrrha mirabilem mortuorum corporibus dat medelam, et vi quadam naturali a carnibus fluxis et mollibus removet corruptelam: thus igne concrematum Deo in sacrificiis allegatur, et odore fumifico devotio sacrificantium commendatur. Myrrha ergo, ut videtur, similis est virtuti, qua Virgo corpus suum digne subjicit servituti ut jejuniis, vigiliis, munditiis, vitiosa corruptio longe fiat, et restrictis naturæ legibus nihil in eo molle, nihil fluidum putrefiat. Thure vero humilis devotio vel devota humilitas Virginis signatur, quæ cum in thuribulo mentis, **204** igne sancti Spiritus concrematur; liquefacta in amorem, velut fumus dirigitur ad superna, imo instar virgulæ restringens se in angustum festinat intentius ad æterna. Pulvere autem pigmentarii cujus velut congeries superadditur universa, virtutum reliquarum universitas est expressa: quam ille pigmentarius a quo salus medicinalis omnium est inventa, exquisi e congerens et prudenter conterens redigit in pigmenta. Ex quibus omnibus salutari congruentibus medicinæ, congestis et attritis in corde Virginis tanquam in mortariolo disciplinæ; in conspectu pigmentarii fumus dirigitur, odor spirat, ad quod digne admirandum sodalium consideratio vix aspirat. Quæ est ergo ista apud quam velut spicarum multiplicitas in manipulum se redegit, imo universitas specierum in ejus mortariolo se coegit cujus merita examinatione subtilissima instar pulveris atteruntur; et coram pigmentario sicut fumus, imo fumi virgula ascensu mirifico deferuntur? A quibus delatis et oblatis idem pigmentarius non declinat, sed in ipsa offerente velut in lectulo grata benevolentia se reclinat; eumdemque lectulum vallo fortitudinis circumcludit, per quod ab illo longius quidquid indecens, quidquid noxium est excludit. De quo sodales subjungunt: *En lectulum*, etc.

CAPUT II.

En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt

ex fortissimis Israel. Quem pigmentarium dixeram, eum Salomonem videntur nominare; qui auctor et amator pacis lectulum sibi voluit præparare in quo a conturbatione hominum absconditus caput suum quietis gratia reclinaret, et se non solum nomine, sed et re pacificum veraciter demonstraret. Lectulum autem ejus, ipsam Virginem æstimo posse dici, quæ amoris gratia invenitur Salomonis obsequio sic addici ut in se quempiam alienum, quietem capere non permittat, et intra mentis angustæ continentiam, hostem subdolum vel ad modicum non admittat, quod propter et ipsa non lectus, sed lectulus meruit appellari, ut hoc diminutivo quædam videatur ipsius angustia designari, quæ ad capiendum pariter alterum non extenta, soli sponso placere nititur, solo quem legitime diligit est contenta. Cui digne congruit illud vaticinium Isaiæ, et diversis prolatæ temporibus sibi conveniunt prophetiæ : ostendentes cuivis diligenti quamdam mentis angustiam convenire, amantem, plurimos non amplecti, duobus dominis non servire. « Coangustatum est, inquit, stratum, ut alter decidat : et pallium breve utrumque operire non potest (*Isa.* XXVIII.) » Stratum profecto mentis commendabiliter angustatur, cum patere et placere nonnisi legitimo meditatur, cum in se mansionem, locum, spatium alteri non consedit, cum cadere alter compellitur, vel forte longe territus non accedit. Denique pallium verecundiæ virginalis quod non texit dissolutio, superfluitas non orditur, circa legitimum se coarctat, alter eo nullatenus operitur, nec communem accipit Sponsus cum adultero portionem, nec illum secum patitur sub eodem pallio facere mansionem. Unde illam quæ non arctavit lectulum neque pallium breviavit, sed invitato adultero male omnia dilatavit; ipse sponsus per eumdem Isaiam invenitur gravius accusare, et tam adulteræ quam adulteri indignum consortium recusare. « Dilatasti, ait, cubile tuum, suscepisti adulterum (*Isai.* LVII.) » Virgo autem cubili coarctato cujusvis adulteri maculam non admisit, breviato pallio quemquam operiri subdolum non permisit, sed ab angusta mentis requie quidquid ei contrarium est, removit, et sponso fidem servans, totam illi singulariter se devovit. Hanc igitur quæ studio cum gratia sese lectulum voluit et potuit exhibere, ut hostes et æmuli necessario cogantur abhorrere; Salomon pacis amans, præliorum nihilominus habens curam, armato munit milite, fortique munimine dat securam. Quæ nimirum non muris, non turribus, non propugnaculis materialibus circumcincta, sed quibusdam fortibus mysteriali numero sexaginta, manet intrepida sub manu provida prædicti Salomonis, dum illi custodes conferunt, et hostes nihil inferunt noxiæ læsionis. Custodes vero qui non nisi fortes merentur appellari, virtutes sunt spiritales, quibus constat Virginem roborari, quæ illi ex una tantum parte sine altera non assistunt, se prudenter dispositæ ordinato ambitu circumsistunt. Quarum perfectio in numero sexagenario figuratur, qui ex senario et denario multiplicatis per invicem consummatur quorum senarius perfectionem indicat operum vel laborum, denarius vero perfectam consequentiam præmiorum. Quia enim sex diebus opera sua Deus creator omnium adimplevit, qui, sicut nostis scriptum, ab operibus quæ patrarat, die septimo requievit (*Gen.* II), recte per senarium operandi perfectio designatur, in qua plenius obtinenda toto dierum spatio laboratur. Sunt qui volunt senarium non debere perfectum ideo judicari, quia in eo sua Deus voluit opera consummari, sed ob hoc **205** sex diebus primordialia quondam opera facta esse, quia perfectum Deus hunc primum numerum novit esse, ut ex perfectione numeri sua Deus opera commendaret, et perfecto completa numero, perfecta nihilominus demonstraret. Per denarium autem ideo perfectio præmii recte dicitur designari, quia ipsum paterfamilias laborantibus in vinea jubet dari; et quisquis injuncto labore intuitu obedientiæ fideliter est detentus, hoc subjuncto numero in fine temporis est contentus. Senarius igitur decies vel denarius sexies ducitur, et fiunt sexaginta, cum Virgo et labore diurni ponderis, et spe certa futuri muneris fortiter est præcincta, tum perfectis operibus dare gaudet operam in præsenti, et omnino nihil timet, nihil dubitat de sequenti. Quare autem vel senarius vel denarius secundum arithmeticos perfectus debeat judicari, qua etiam perfectione sexagenarius inveniatur commendari, quia in Responsione de Obedientia (79) aggressus sum plenius expedire, hic brevitatis gratia silentio volui præterire. Illi quippe senarium nondum videntur plenius obtinere, qui operantes magna, majora nequeunt adimplere, qui si forte in cavendis nequam operibus satis provide circumspecti, in verbo tamen adhuc minus debito sunt perfecti. « Qui non peccat, inquit, in verbo, hic perfectus est vir (*Jacob.* III). » Nonnulli etiam, etsi custodiunt vias suas ut in lingua labili non delinquant, tenentes jam senarium, tamen nondum satis ad denarium appropinquant, quia, etsi sperant se recepturos præmium pro labore, nondum tamen plene sciunt utrum odio digni sint an amore. Horum omnium merita et profectus, ut ita dixerim, defectivos (nullus quippe similium in hac vita obtinere meruit completivos) Virgo sancta prætergredi imo longe supergredi tam gratia quam meritis invenitur, et nobiscum adhuc degens, sexagenario mystico sic ambitur, ut eam et perfectam observantia reddat operum et laborum, et securam faciat certa prorsus exspectatio futurorum. Et pulchre ipsi qui ambiunt, fortes ex fortissimis Israel merentur appellari, quia inter omnes virtutes quarum merita Deum appetunt contemplari: fortes illas esse constat et præcipua fortitudine commendari, quibus Virgo et ambitur, et ambita diligit conservari.

(79) Vide infra

CAPUT III.

Omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi. Quanta isti Virginem ambiant fortitudine, quanta cura, sicut mysticus numerus, sic ostendit etiam armatura, ne si ad muniendum illam veniant vel conveniant non armati, quanto numerosiores, tanto repreheosibiliores justo judicio sint cassati. Tenet ergo unusquisque et exerit gladium bis acutum, ut si quis forte prædo transire affectaverit institutum : repercussa protinus ejus præsumptio penitus evanescat, vel magis viso gladio longe resiliens expavescat. Gladius hic non ferrens quo feriuntur sensibiliter nequam rei, sed gladius est spiritus, quem esse Apostolus asserit verbum Dei, quia sermo Dei vivus et efficax et penetrabilior omni gladio prædicatur, quo recessus animæ, et interior conscientia penetratur (*Heb.* IV). Gladius est testimonium fidele, præceptum lucidum, liber legis, quem sacerdos Joiada in manu dare voluit Joas regis (*II Paral.* XXIII), ut omnibus ostenderet quia divinæ legis cognitio decet regem, imo rex non tam scire quam tenere manu, hoc est, opere debet legem. Dederunt, inquit, in manu regis tenendam legem, et constituerunt eum regem. Ideo sexaginta non habere sed tenere gladios memorantur, quia non qui habent, mox et tenent, sed qui tenent, habere non negantur : et parum, sive nihil prodest habere gladium in vagina, si non illum exerit manus, id est operum disciplina. Omnes igitur fortes qui ambire Virginem perhibentur, tenent gladios, obediunt verbo, dignis operibus exercentur, tantoque munimine fortem reddunt Virginem et securam, ut a longe hostibus repercussis non læsionem illa sufferat, non jacturam. Qui autem sic muniunt, profecto doctissimi sunt ad bella, quorum eruditio est profectu magis quam tempore non novella, quia scire, necdum facere quæ sunt recta, doctrina est simplex, rudis et ut novi temporis imperfecta. Intellectus quippe non habentibus, sed facientibus intellectum, non solum scientiæ, sed et conscientiæ dat profectum; et ut conscientia sine scientia non satis eruditur, sic et scientia sine conscientia rudis et imperfectior invenitur. Illi ergo non solum docti, sed et doctissimi dici debent, qui ad bella peragenda obediunt verbo, gladio manum præbent, quorum sollicitudo ad repellendos hostium impetus sic procedit, ut horrori sit omnibus, dum manus a gladio non recedit. De cujusmodi gladio subinfertur : *Uniuscujusque*, etc.

CAPUT IV.

Uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos. **206** Diligenter sodales considerant et attentius admirantur, quo illi sexaginta modo vel ordine tuitionem Virginis operantur : et ad tuendum illam quam sunt providi, quam sagaces, et non solum fortitudine, sed et prudentia propositi habentur efficaces. Unusquisque enim acceptum semel gladium non deponens, sed quem tenere manu dicitur, femori superponens; sic habetur sollicitus ad debellandum forinsecus quælibet nocitura, ut sui non sit negligens, sed eum teneat diligens sui cura. Femur carnem significat quæ de femore propagatur, caro autem infirma est et deficere naturaliter comprobatur, et ideo per femur sive carnem, signatur infirmitas vel defectus, quem velut ex natura incurrit nostra firmitas vel profectus. Virtus enim hominis quantavis magnitudine sublimetur, non habet a seipsa ut in proposito roboretur, sed si deserente gratia, paululum a diligentia relaxetur, tanquam alis perditis gradu stabili non tenetur. Super femur ergo ensem virtus ponere tunc videtur, cum verbo Domini lucido quod penetrabilius omni gladio perhibetur : infirmitatem suam digne cohibet et castigat, et rigore firmat verbi quod invalidum naturaliter investigat. Ensem tenet super femur, cum super sui custodiam digne vigilat et intendit, quæ non solum se infirmam, sed infirmam naturaliter deprehendit; et ob hoc sollicitior sic a defectu sibi præcavet ruina, ut et defectus causas tanquam femur verbi comprimat disciplina. Sic profecto vigilans et intendens quæque noxia removere, gaudet virtus Virginis a nocturnis timoribus non timere; et omnia quæ machinari nititur ut hostis subdolus vel tentatio tenebrosa, hujus docta et terribilis circumspectio reddit penitus otiosa. Quod attendentes angeli qui amici et sodales Sponsi, ut ante dictum est, appellantur, hunc Salomonis lectulum et ejusdem custodiam ineffabiliter admirantur : et adhuc commendare verbis eum aliis prosequuntur, parum satis æstimantes quidquid in laude Virginis eloquuntur.

CAPUT V.

Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum : ascensum purpureum, media charitate constravit propter filias Hierusalem. Quem lectulum dixerant, dicunt et ferculum, in quo multa Salomoni fercula deferuntur, et epulanti cibum qui non perit, sed qui permanet, opponuntur. Ferculum itaque Virgo est, per quam Deo inveniuntur sanctorum animæ commendari, ejusque precibus et meritis ad Sponsi convivium sublimari, quam sibi ad hoc idem Sponsus voluit præparari, ut per eam mererentur quæ per se non poterant præsentari. Etsi enim animæ sanctorum variis virtutibus insignitæ, et instar epularum sapore gratiarum multimodo sunt conditæ : longe tamen a convivio Salomonis jacent tanquam penitus destitutæ, si non Virginis interventu velut mensa offertoria sint adjutæ. Ideo ipsa Sponsa recte nostra omnium mediatrix, ipsa mater non incongrue dicitur imperatrix, quia sponsum rogans, imperans filio, furorem ejus in gratiam, in amorem suavissimum iram vertit, amaros in dulcorem precis suæ farinula nos convertit. Qui ergo silvestri prius amaritudine fuerunt odiosi, suscepti a ferculo fiunt suscipientis merito gratiosi, nec est qui Salomonis convivio placere mereatur, nisi quem offerri sibi a Virgine velut a mensa propitiatoria gratulatur. Est enim tanti meriti prædictum ferculum sive mensa, ut quibuscunque ejus propitiatio diligentius est impensa,

Salomonis convivio fiducialiter se præsentent, alieni vero a mensa consequenter et a convivio se absentent. Est enim facta de lignis Libani. Libanus mons est quem attollit conspicabilis altitudo, honestat superficies, vestit nemorum pulchritudo, cujus arbores procera subrigit magnitudo, venustat mira species, firmat imputribilis fortitudo; Libanus autem interpretatur *candidatio*, Christum significans, qui candor lucis æternæ, mons domus Domini præparatur : bona cujus arbor fructum nonnisi bonum facere comprobatur; ligna cujus plantata secus aquas Siloe non arescunt, frondibus non nudantur autumno, hieme non marcescunt, sed indefessa longitudine et imputribili fortitudine juvenescunt. Ex his lignis asserunt sodales ferculum fabricari, ut recte videatur opus velut a materia commendari, quia sanctitas Virginis ex Christi virtutibus est compacta, et ad nostros profectus omnium, in mensam et ferculum est redacta. Quam quia potens Salomon ex forti et imputribili materia sic compegit, non sensit vermiculum, non admisit illa cariem, sed abegit; non est læsa malleo, vetustate temporis, non disrupta, sed mansit et permansit integritas ejus fortitudinis incorrupta. Ut autem mensa eadem a Salomonis præsentia non declinet, ut nunquam sive nusquam ex parte aliqua se inclinet : eam idem Salomon inniti voluit nobili firmamento, supponens ei non tripodes instabiles, sed columnas **207** immobiles ex argento. Mensam quippe virgineam præsentavit Salomoni eminens altitudo, immobilemque tenuit columnarum argentea et inflexibilis rectitudo, cujus mores lucidos, opinionem tinnulam, oris temperantiam, vim sermonis acceptavit et firmavit benevolentia Salomonis. Argentum splendore conspicuans, et tactu congruo dans tinnitum, in columnas redigitur, et quod superimponitur stat munitum, cum virtute Altissimi, verbum Patris Virgo permanens est enixa, et non suæ sed illius fortitudini firmiter est innixa. In qua etiam reclinatorium aureum dicitur inveniri, quia nusquam noster Salomon gratiorem sibi requiem visus est experiri, ubi caput suum velit aut valeat reclinare, ad assumendum carnem deitatis excellentiam inclinare. Quod et satis congrue, non plumbeum, sed magis aureum perhibetur, quia in omnibus metallis auro melius nil habetur; quod et pretio carius, et pondere gravius et sub malleo fortius constat esse, ut ex eo reclinatorium dicatur merito factum esse. Auro dilectionem Virginis æstimo figurari, quam certum est cæteris ejusdem virtutibus principari, quia, etsi fides et spes, et aliæ quamplures dignæ sunt commendari, earum tamen nulla dilectioni potest merito comparari. Quæ et suo librata pondere sic gravatur, ut non flexa mobilitate a dextro vel sinistro latere dilabatur, non discurrat, non fluctuet, ad amandum quemlibet alium non prorumpat, solum sponsum amplectatur, amplexusque amborum tertius non abrumpat. Denique sponso adhærere tam forti desiderio, tam solida fortitudine concupiscit, quod adversis non frangitur, tribulationis malleo non fatiscit; et cum Petrus crepuit, Joannes resiliit, fugerunt omnes non ferentes malleum sævientem, sola Virgo perstitit, nec amare destitit sponsum sponsæ intuitu morientem. Tale ergo reclinatorium in Virgine sibi Salomon fabricavit, quod gravis et solida et comparanda nulli dilectio commendavit, in quo ipse fabricator caput suum a conturbatione hominum reclinavit; et tanquam refecturus ad easdem et nos epulas invitavit. Sed idem reclinatorium non facile a nostri similibus invenitur, ad quod nisi cum labore, nisi conatu plurimo non venitur : ad quod obtinendum (ut experto compertum est) plenius non pertingit, nisi qui ascensurus digna fortitudine se præcingit. Sunt enim gradus sive scalæ per quas ad reclinatorium est ascensus, in quibus a Virgine labor non mediocris est impensus, quas quoniam recte considerans non obscuras fuligine, sed purpureas esse novit, per eas usque ad summum honesta similitudine se promovit. Antiquorum temporibus purpura solis regibus competebat, quæ forma vel colore dignitatem regiam ostendebat, ut cum plebes attenderent purpura quemquam nisi principem non vestitum, monerentur revereri signis regalibus insignitum. Quia ergo ad reclinatorium, in quo Salomoni grata requies impertitur, non saltu præsumptorio, sed ascensu purpureo pervenitur; Virgo prudentissima cum ad tantum venire meritum concupivit, ut regina monstraretur, regali purpura se vestivit. Monstravit autem indiciis competentibus se reginam, cum assumpsit avide quamdam novi generis disciplinam, cum virginalis continentiæ tramitem cunctis retro sæculis intentatum, prior ausa est ingredi casto mentis proposito consecratum. Monstravit se reginam, cum sibi superinduit purpuram seu virtutem, qua corpori tenerrimo duram superintulit servitutem, cum suum dedit sanguinem manu carnificis non effusum, sed Deo soli consecrans virginei vas corporis non pertusum, reginam se studuit non femineis, sed purpureis vestibus insignire, cum elegit fastu mentis lenocinia corporis non sentire, dominari carni suæ quod nulli (ut arbitror) satis est compertum, qui refuga gymnasii se hujus exercitii exhibuerit inexpertum. Virgo igitur mollitie mulieBri non confusa, sed rubens et pertusa martyrio regiæ passionis, ad hoc venit et pervenit ut reclinatorium fieret Salomonis, per ascensum nonnisi purpureum ad tam excellens meritum est progressa, ut in ea discumbens Salomon cibum fame caperet indefessa. Hujus autem ferculi media non tapetibus ex Ægypto, non florum transitoria novitate, sed meliori longe consilio stravit Salomon charitate, ut in eo aliquid nusquam penitus appareret, quod honestatis avidus discumbentis oculus abhorreret. Cunctis quippe virtutibus, quibus Virgo præcipua redditur et insignis, supradicto congrua ferculo meritis excellentibus et condignis : insertæ charitatis necessario superadditur ornamentum, sine quo omnes reli quæ fiunt tanquam inutile purgamentum. Nihil enim

sufficiens in præfato ferculo potest poni, cui diffusa charitas non sit necessaria superponi : imo cuncta circumquaque posita non digne colligantur, si cæmento charitatis non illorum media suppleantur. In omnium igitur medio charitas necessario collocatur, ut exinde omnibus circumpositis quædam velut alimonia diffundatur, ut cuncta recte facta, ne ab invicem dissiliant, hujusmodi teneat loramentum, etsi perperam quid forte resederit, sufficiens habeat tegumentum. « Charitas enim et vinculum perfectionis est (*Col.* IV) ; » et « operit multitudinem peccatorum (*I Petr.* IV). » Et hoc quidem non tam propter Virginem, quam propter filias Hierusalem æstimo dictum esse, quibus datum fuerat sponso et sponsæ colloquentibus **208** interesse, ne cum audirent columnas argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum prædicari, ad illa se pertingere non præsumerent arbitrari : et ab illo sibi ferculo repercussæ longius viderentur, cujus nulla vel modica similitudine tenerentur. Quæ cum audiunt quod in illorum medio charitas invenitur, grato cujus velamento peccatorum multiplicitas operitur; non diffidunt quin et ipsæ ad illud possint ferculum pertinere, si diligant et eligant diligenti diligentius adhærere. Etsi enim in ipso ferculo multa posita memorantur, quæ non satis nostri similibus, sed Virgini specialius comparantur, tamen quod in illorum medio poni charitas perhibetur, a filiabus Hierusalem alienum procul dubio non habetur; sed earum mediocritati non mediocriter proficit et medetur, quibus in hoc, et facilitas accedendi et procedendi non inefficax spes præbetur. Tale quippe ferculum Salomon, sponsus sponsam, Christus Virginem sibi voluit exhibere, quæ et cunctis mereretur virtutum excellentia præeminere; et tamen a consectatu suo non videretur Hierusalem filias prohibere, quæ, etsi non prorsus per omnia, saltem diligendi gratia vellent ejus vestigiis adhærere. Ut autem adhæreant et videant cui debeant adgaudere, ipsi qui loquuntur sodales vel angeli videntur admonere : convertuntque ad eas non tam vultum forsitan quam sermonem, ut eo commonitæ festinent sollicite videre Salomonem.

A

B

C

CAPUT VI.

Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua, in die desponsationis ejus, et in die lætitiæ cordis ejus. Quia Virginem sodales, nunc lectulum, nunc ferculum Salomonis esse prædixerant, et illum quidem multa fortitudine, istud vero multa pulchritudine ornatum descripserant, ne in hoc sponsæ quam sponso viderentur amplius contulisse, et commendantes Virginem Salomoni minus debito detulisse; invitant filias Sion ad studium intelligentiæ largioris, ut attente considerent, Salomoni supradicta quid attulerint gloriæ vel honoris. Quodpropter ad egrediendum signanter illas satagunt prænonere, ne scilicet in suis aut vitiorum gurgustiis aut ignorantiæ velint tenebris remanere, quia non sunt ad videndum idonei quorum vita vitiis irretitur, vel intellectus quorum offusa caligine præpeditur. Vos igitur, aiunt, quas invitamus diligentius ad videndum, scitote quia in his quæ sunt retro, non est vobis diutius remanendum; et ob hoc de obscuro, de involucro nequam volumus vos exire, vestros exeuntium pedes a maculis præpedientibus expedire. Exite ergo de gurgustio vitæ intelligentiam obscurantis, exite de medio ignorantiæ caligantis; exite de grosso et rusticano populorum caligantium intellectu, proficite in filias, habetote sollicitudinem de profectu. Egredimini et egressus merito efficimini filiæ speculantes, manu sollicita purgate oculos lippitudine laborantes : proposito veluti speculo tergite maculas faciei, et instar puellarum obtinendæ curam impendite speciei. Hoc egressu et progressu de interna negligentia reprehensibilis officinæ, hoc speculandi studio, et speculo disciplinæ; illam vobis necessariam obtinebitis visionem, qua in suo diademate videre vobis dabitur Salomonem. Salomonem, inquam, regem, quem suo videre nequeunt in decore, nisi sancti facie quidem lota, oculo mundiore, qui ad pulchritudinem obtinendam fervent sollicitudine puellari, qui caligantibus inaccessa defæcato valent oculo speculari. Diadema Salomonis, carnis est passibilitas, qua illum coronavit intemerata matris virginitas, cum novum quid Dominus fecit, et femina virum circumdedit, juxta vaticinium Jeremiæ (*Jer.* XXXI), Virgo tamen concipiens et pariens, testimonio nihilominus Isaiæ (*Isa.* VII). Cujusmodi caro vel carnis passibilitas non immerito nomine diadematis honoratur, quia, etsi in oculis caligantium dedecus vel ignominia reputatur, tamen quisquis recte intelligit quævis turpia non digna Salomone, et intelligens diligit quis finis sit in hujusmodi passione; in carne quantus agon, quanta sit utilitas in agone, profecto nomen ei attribuit non ignominiæ sed honoris, non dedecoris sed coronæ. « Videmus, ait Paulus, Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum (*Hebr.* II). » Huic coronæ Virgo mater in utero materiam ministravit, ministratam docta manu artifex Spiritus fabricavit, eamque texuit in rotundum opere tam perfecto, ut incomparabiliter superemineat auro, lapidi vel electro. Hanc Judæus intuens, nonnisi spinas æstimat et laborem, infidelis considerans, non habere putat speciem vel decorem : oculus defæcatior speciosum forma præ filiis hominum intuetur, non solum quia Deus est, sed quia homo hominum debitis non tenetur. **209** Ei quidem carnis materia cum hominibus naturaliter est communis, sed eadem communitas a vitiis carnalibus est immunis; hujusque mysterii virtute in unitatem sui personaliter nos admittit, semelque sibi junctos a se dividi non permittit. Quod pulchre diadematis rotunda signat perfectio, cujus integritatem nulla prorsus abrumpit divisio; unde et diadema divisionem demens signare perhibetur, quia nescit dividi quisquis hujus coronæ ambitu continetur. In hac igitur corona, id est in

D

carne sua nos sibi copulat et conjungit, et agonis participes ab honore et gloria non disjungit; quam gloriam Salomoni quodammodo mater dicitur impertisse, cum Virgo Deum hominem in utero creditur concepisse. Quis Virgini laudes non deferat, quis non dignam ejus faciat mentionem; quæ coronavit non auro, non lapide, sed carne propria Salomonem, quæ regi contulit unde velit et valeat gloriari, in quo vincat et dignus sit victoriæ merito coronari? Quod nimirum in die desponsationis ejus memorant factum esse, a quo et facto innuunt noctem vel caliginem procul esse, quia thalamo nuptiali præsens desponsatio tenebras non induxit, cui dies sanctificatus et sanctificans lux illuxit. Ingresso quippe Sponso incomparabilis lux est orta, nec alius admittitur, nullisque exterioribus patet porta; sed consensu pari cunctis supervenientibus aditum omnem claudunt, sodales vel angeli pro foribus festive tripudiant et applaudunt. In die ergo lucida desponsatio mystica celebratur, uni viro casta Virgo spiritali commercio copulatur; circumdat virum femina, Salomon diademate coronatur, Deo naturaliter immortali, natura mortalium personaliter adunatur. In hac autem die qua Creator Virginis factus est Sponsus ejus, quis enarret quæ vel quanta fuerit lætitia cordis ejus; cum in ejus utero nostra in Deum humanitas est assumpta, assumentis consortio obumbrante Spiritu non consumpta? Quanta fuerit lætitia cordis ejus, non est nostrum eloqui vel sentire, qui ad tam sacrum et secretum sanctuarium non meruimus introire; ipsa cui plenius et perfectius Deus illud voluit aperire, præceptum corde gaudium vix potuit vel ad modicum effutire. « Exsultavit, inquit, spiritus meus in Deo salutari meo (*Luc.* 1). » Quidquid ergo in Virgine agitur, procul dubio noctem nescit, cui regem coronanti dies infunditur, lux splendescit, splendore diurno vel magis diuturno matris spiritus hilarescit, ad quod digne capiendum noster infirmorum oculus non clarescit. Neque enim vel ista est Bersabee quam Uria nesciente David adulterio deturpavit, sed Maria flos Virginum quam singularem sanctus fecundare Spiritus usurpavit; nec iste est Salomon qui a Dan usque Bersabee annis quadraginta regnasse perhibetur, sed Christus cujus regni finis, cujus imperii terminus non habetur. Cujus carnis gloriam, cujus digne pensare diadema, non Judæus, non Gentilis, non potest quilibet anathema, qui, etsi nomine Christianus pietatis specie dealbescit, ejus tamen virtutem abnegans, meritorum inopia tenebrescit. Ideo Sodales vel angeli quibus datum fuerat felicitatis merito jam videre, ne videantur aliis acceptum beneficium invidere, abscondendum sub modio non putant, non silentio contegendum, sed invitant filias Sion, ut fervore et studio sese præparent ad videndum. In hoc quippe non solum Salomoni, sed et Virgini laus defertur, et collata coronato coronanti gloria non aufertur; imo quidquid in filio carnis assumptio dignum gloria videtur operari, in Mariam refunditur, ex qua idem filius voluit incarnari. Propter quod ab illa suam diu Sponsus præsentiam non avertit, sed post verba sodalium ad laudes ejus iterum se convertit, ut ostendat diademate coronatum, speciosum gloria sic se esse, ut constet etiam coronanti coronæ pulchritudinem non deesse.

CAPUT VII.

[CAP. IV.] *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es, oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.* Quia verba hæc, ut potestis meminisse, retro sunt posita, et in secundo hujus operis libro utcunque exposita; non sunt in isto vel loco vel tempore iterum exponenda, sed ad prædictum librum sollicitudo legentium remittenda. In his tamen verbis, ut video, mutatum aliquid invenitur, et laus ista virginis alia hic particula prævenitur, quia illic dictum est: *Ecce tu pulchra es, ecce tu pulchra;* hic vero; *Quam pulchra es, quam pulchra.* Illic *ecce* dicitur, nimirum ostensio confirmantis, hic vero *quam* ponitur, exaggeratio scilicet admirantis· illic intelligitur testificatio tantum pulchritudinis ostensiva, hic admiratio multæ pulchritudinis expressiva. *Quam pulchra es,* inquit, *amica mea, quam pulchra.* Quantum ait, pulchra es, quanta pulchritudine decoraris, tu quæ mea es **210** amica, et secreti mei conscia comprobaris; lingua volubili, sono transitorio quis effatur, vel quis auditor capere potest etiamsi dicatur? Ad quod tenacius confirmandum valet quod hic habetur suppositum, quod necdum dictum fuerat, et ideo supra non est expositum; in quo innuitur quod et multa est Virginis pulchritudo, et eidem pulchritudini nulla inest subdola turpitudo: *Absque eo,* ait, *quod intrinsecus latet.* Sunt nonnulli quibus præsto est pulchritudo exterior, pulchra superficies, et ovina, intrinsecus autem lupi rapacitas, fraudulentia serpentina, et quod patet exterius superducta est hypocrisi speciosum, sed quod latet interius malitiosa turpitudine tenebrosum. Sunt alii, qui, etsi non dealbantur foris hypocrisi fraudulenta, etsi eos intrinsecus non inficit assiduitas virulenta· tamen dum tenentur in corpore, quadam peccati lege sic pœnaliter aggravantur, ut nonnunquam velint nolint (80), in culpam vel modicam dilabantur, et quia non quidquid mali nostra cogitatio concipit, statim potest aliis apparere, cum nos quoque plerumque lateat quod in nobis dignum est sui merito displicere; cum absque eo quod intrinsecus latet Sponsus Virginem dicit esse, immunem eam non solum ab evidentibus, sed a culpis quoque latentibus probat esse. Quis ille est sanctorum qui absque eo quod latet, se esse glorietur, et non magis delicta non intelligens, ab occultis mundari deprecetur? quis est, inquam, qui non sollicitus occultorum, Domino serviat in timore, timens, quia nesciens, utrum odio

(80) Alludit ad illud Rom. VII, v. 15, *non quod volo hoc ago*, etc.

dignus sit an amore ? (*Eccle.* IX.) Virginem igitur, A quæ nequaquam erat sibi conscia delictorum, et tamen non nescia suorum fuerat occultorum; recte Sponsus pulchram semel et iterum asseverat, apud quam, sicut extrinsecus, ita et intrinsecus dedecens nihil erat. Cujus pulchritudinem per partes exsequitur, subjungens *Capilli tui*, etc.

CAPUT VIII.

Capilli tui sicut grex caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaath. Dentes tui sicut grex tonsarum quæ ascenderunt de lavacro. Per capillos æstimo sensus posse corporis figurari, qui deintus prodeuntes, foris appetunt dilatari, et accepta libertate inveniuntur justo amplius evagari, nisi forte revocentur censura et moderamine regulari. Unde et Job : « Pepigi fœdus cum oculis meis (*Job* XXXI); » Et B David : « Averte, ait, oculos meos ne videant vanitatem (*Psal.* CXVIII). » Et sic de reliquis. Ut autem capilli digne ad ornamentum capitis perseverent, eidem capiti infiguntur radicitus et inhærent; alioquin exstirpatis a radice grata cæsaries jam non restat, decussaque cæsarie caput calvities dehonestat. Sic et sensus corporis, qui omnes in capite collocantur, in eo vires obtinent, in eo principaliter operantur; si turbato capite velut a sede propria repellantur, non solum ipsum caput, sed et membra reliqua honore maximo viduantur. Si autem sano capite velut in radice solidi steterint et tenaces, et ad explendum naturale officium satis fuerint efficaces; instar capillorum nonnunquam longius aberC rantes vaga licentia dissolvuntur, si non manu apposita, et lege superposita restringuntur. Capillos igitur Virginis et bene radicatos reddit quædam veluti vis naturæ, et foris castigatos regularis convenientia ligaturæ; cum suos illa sensus subtili providentia reddit solidos in affectu, et potenti censura, dissoluto cohibet ab effectu; cum in corde suo sensualibus affectibus modum ponit, et foras prodeuntibus disciplinæ redimicula mox imponit. Capillos quoque suos Virgo digne redigit sub censura, cum internæ sensus mentis tenet diligentius sub mensura; cum eos per quos debet quæ spiritalia et vitalia sunt sentire, non permittit vaga licentia transitoriis et peremptoriis consentire. Cujusmodi sensus sive corporeos, sive nihilominus spiritales, ut D quod dicitur facilius capiamus, nos parvuli, nos adhuc sensibus animales, Sponsus capris comparat quæ sunt animalia rusticorum, quæ pascuntur in rupibus, et in ipsis verticibus montium supernorum. Et recte sensus Virginis capris Sponsus voluit comparare, quia Virgo spretis inferioribus, solis amat superioribus aspirare; et cum nobis inaccessa contemplandi et amandi saltu velocior apprehendit, more tamen rusticano humilem et degenerem se attendit. « Respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ (*Luc.* I). » Et signanter non capris, sed gregi caprarum capillos Virginis comparavit, in quo sedulum auditorem ad intelligendam collectionem sensuum invitavit, quia eos ab invicem vaga discursio, vel furtiva dissolutio non abegit, sed in gregem casta confœderatio sub pastoris cura et baculo sic redegit, ut in eorum quemlibet irrumpere fera bestia non auderet, sed esurie fatigante apertis nec expertis faucibus obstuperet. Ut autem hujusmodi capræ adhuc amplius commendentur, non descendere sed ascendere de monte Galaath perhibentur; cum magis, sicut de campo ad **211** montis sublimia fit ascensus, sic de monte ad campestria significatione verborum propria sit descensus. « Descendens, ait, Jesus de monte stetit in loco campestri (*Luc.* VI). » Et de Moyse : « Ascendit Moyses in montem, et fuit ibi quadraginta diebus (*Exod.* XXIV). » Et infra Dominus ad Moysen : « Descende, inquit, peccavit populus tuus (*Exod.* XXXII). » Cum igitur de monte non ascensio, sed descensio rectius dici possit, quid sibi vult quod prædictæ capræ de monte Galaath non descendere, sed ascendere memorantur; nisi quod profectus magni capillorum, id est sensuum indicantur, ad quos relata litteralis illa contextio dignam convenientiam invenire, quæ capris materialibus non videtur litteraliter convenire? Neque enim de ascensu caprarum cura fuit sancto Spiritui disputare, sed profectus Virginis hujusmodi similitudinibus nobis, infirmioribus demonstrare; quæ de monte in montem, hoc est in virtutem de virtute spiritalis pascuæ gratia proficisci, et non juga montium, sed excelsa profectuum satagit adipisci. Unde et mons iste, de quo sermo est, Galaath nominatur, quem interpretari *acervum testimonii* Hæbræorum sententia protestatur, quia cum Laban sedato furore minarum et iræ contumacis, cum nepote suo Jacob inire disponeret fœdus pacis; acervum lapidum pari manu congestis lapidibus erexerunt, quem in testimonium pacis initæ superventuris generationibus reliquerunt. Nullius autem excellentia magis videtur Christo testimonium perhibere, quam dilectio Virginis, quæ cæteris invenitur sui merito præeminere; quæ de vivis et electis lapidibus congeritur, et erigitur in augmentum, et tam præsentibus quam futuris dat indelebile monumentum. Virgo igitur de monte Galaath proficiscitur et ascendit, cum sanctitatis culmen congestis virtutibus apprehendit; et ex eo non suam ipsius gloriam tanquam descendens aucupatur, sed profectu congruo solam Christi potentem misericordiam attestatur. « Fecit, inquit, mihi magna qui potens est (*Luc.* I). » Quodpropter et Sponsus dentes laudat Virginis consequenter, ut non solum in capillis decor ejus appareat evidenter; sed etiam in dentibus utilitas non mediocris ostendatur, si tamen, quod dictum est, non litteraliter, sed spiritaliter attendatur. *Dentes*, inquit, *tui sicut grex tonsarum quæ ascenderunt de lavacro.* Dentes Virginis morsu forti pestem hæresum eradicant, ne falsitatis germina veritati valenter contradicant; sermonemque durissimum de incarnato Verbo congruis assertionibus commastiCant, ut huic credulitati jam facilius parvuli se addicant. Qui dentes non incongrue gregi ovium

comparantur, non illarum quæ velleris et sudoris dura molestia prægravantur; sed quæ tonsis vellevibus nil jam superfluum habere se ostendunt, et quod forte videntur habuisse, confessione lavatoria reprehendunt. Virgo igitur quæ diligentis fervet amore legitimo, tanquam Sponsa, recte de lavacro ascendere dicitur velut tonsa, quia eo a superfluis culparum oneribus studuit mundius expediri, quo ad commendandum Sponsum credibilior voluit inveniri. De quibus subditur : *Omnes gemellis*, etc.

CAPUT IX

Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est intereas. Omnes, videlicet, tam capræ quæ de monte Galaath ascenderunt, et de summo illius vertice, gressu intrepido pependerunt, quam oves quæ tonsis velleribus se laverunt, et de lavacro prodeuntes, velleris et sudoris duro gravamine caruerunt. Omnes, inquam, pari sunt gratia tam fecundæ, largo fecunditatis beneficio tam jucundæ, ut in eis et sterilitatis aliqua non damnetur, et dono ampliori unaque fetu gemino gratuletur. Res digna miraculi, quod in grege non capra, non ovis sterilis est inventa, quod fetu singulari, nulla fertilium est contenta; quod virtutes Virginis, quas capillis vel dentibus duximus figurari, et amore fecundantur, et contentæ non habentur amore singulari. Amant enim Deum, amant et hominem, nec Deum propter hominem, nec propter Deum hominem aspernantur, sed juxta legem novam et veterem, mandatum primum et secundum simile venerantur; dum in eodem Christo substantiam gigantis geminam ulnis geminis amplexantur. In uno quippe Christo quem sponsum et filium Virgo diligit se habere, duas videt substantias sibi personaliter cohærere, quarum diversa quidem et dissimilis (utpote Dei et hominis est natura), quæ tamen unum Christum, personam unam constituunt in junctura. Hunc amare tenerius et amore tenero jucundari, hoc est esse non sterilem, et, gemellis fetibus fecundari; quia de capris vel ovibus non est sancto Spiritui multa cura, sed magis de virtutibus et virtutum commendabili genitura. De quarum commendatione adhuc subjungit : *Sicut vitta*, etc.

212 CAPUT X.

Sicut vitta coccinea labia tua; et eloquium tuum dulce. Labia Virginis clausa, scientiam legis servant, et quæ servanda noverunt, in cordis secretario coacervant; clausura quorum infructuosi silentii argui non meretur, cum sapiens usque ad tempus taceat et tacentis cor prudentiam meditetur. Denique « Maria conservabat, inquit, omnia hæc conferens in corde suo (*Luc.* II). » Quæ cum ad proferendum collata et servata manu pulsantis concutitur, et a clausis ejus labiis pessulum vel sera tandem excutitur; pulsat obediens tempusque accipiens jam loquendi, non nisi disciplinam profert aures habentibus audiendi. Ad quod obtinendum propheta, ostium vult habere, ut scilicet labia sua possit lege congrua cohibere; ne vel immoderato silentio videat et pœniteat se depressum, vel culpa non minore, levi multiloquio transeat in excessum. « Pone, inquit, Domine, ostium circumstantiæ labiis meis (*Psal.* CXL). » Domine, ait, congruentem meis labiis da clausuram, da nihilominus cum tempus fuerit, aperturam, quatenus in cardine discretionis instar ostii sic volvantur, ut nec clausa sint ad tacendum, nec ad loquendum tempore nisi congruo resolvantur. « Væ mihi, ait Isaias, quia tacui (*Isa.* VI). » Et alius econtra : « Vir, inquit, verbosus non justificabitur (*Job.* II). » Ad evitandum utrobique periculum labia Virginis efficaciam invenerunt, et tam silentii, quam multiloquii culpas digna custodia prævenerunt; quæ ne superflua loquerentur, clausura se laudabili compresserunt, opportunoque tempore quod honestum, quod utile visum fuerat, expresserunt. Quodpropter non immerito vittæ coccineæ comparantur, qua capilli capitis ne licenter effluant revocantur, quia puellaris coma ne vagetur nativa levitate, redimitur et vincitur, et imperii premitur potestate. Ad hoc enim Virgo vittam sibi mundam præparat et subtilem, ut cum processu temporis comam crescere sibi senserit juvenilem, illam huic, moderamine congruo, superponat, ne hæc vel tempore illicito vel modo incomposito se exponat. Porro cum prudens Virgo tempus viderit imminere, quo dignum sit comam suam liberius et manifestius apparere; manu sedula tenuem vittam solvit, et ab ejus tanquam imperio ad tempus comam liberat et absolvit. Eo autem illa intuentium oculis gratior jam videtur, quo diutius antea sub vittæ custodia continetur; latensque sub signaculo componitur et fovetur, gratamque promeretur pulchritudinem adipisci, quæ honestius emicat cum ad conspectus hominum vitta seposita jam conceditur proficisci, si tamen illius sepositæ nunquam desinat reminisci. Sic nimirum cum loquentis discretio sub silentio fuerit erudita, et consertis labiis longo tractu temporis expolita; eis tandem resolutis locutio natalem deserit officinam, et procedens in aures hominum, congruentem resonat disciplinam. Unde bene additur : *Et eloquium tuum dulce.* Nam cum labia instar vittæ internos affectus digne compresserint, et quæ proferenda sunt, malleo et incude silentii prudenter formaverint; tunc eorum solutio, tanquam vittæ depositio, non reprehenditur, non vilescit, sed placet locutio temporiva, et eloquium audientibus indulcescit. Alioquin et sermo in vacuum obscuratur, et eloquium amarescit, quod sub labiis non formatur, nec in silentio coalescit : at quod proferendum prius labia non obtinent vicem vittæ; sed quidquid in buccam venerit, ore patulo proferunt imperite. Sed quid est quod labia Virginis vittæ nonnisi coccineæ conferuntur, nisi quia in hoc etiam nostris longe dissimilibus præferuntur, quæ nostra etsi claudi et aperiri diverso tempore se ostentant, digne tamen inspicientibus non coccum, sed forte lutum potius repræsentant? Coccus speciem ignis gerens, dilectionem recte significat, quæ ignita sive ignis velut in camino aurum purificat; quæ potiores

auro justos, reddit fervidos et ardentes; quæ urit nec comburit, sed excoquit et mundos efficit diligentes. Huic cocco sive igni Virginis labia similantur, quæ tam silentio quam eloquio, amori tenero famulantur, quæ luti nescia instar cineris non pallescunt, sed rubore coccineo modeste subrutilant et ignescunt. Clausa quidem et silentio dedita vacant Deo, ineffabilem meditantur, adhærent invisibili, gaudent eo, ad interna et æterna ferventi desiderio se suspendunt, amplexu tenent avido, quem incomprehensibilem deprehendunt. « Quam magna, inquiunt, multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te (*Psal.* xxx). » Soluta vero nec tamen dissoluta in exterioribus se extendunt, aggrediuntur loqui, loquendo proximis condescendunt, quæ intus prælibaverant, foris indigentibus jam impendunt, et in hoc nihilominus ardere vel rubere coccino se ostendunt. « Propter fratres meos, ait ille, et proximos meos loquebar pacem de te (*Psal.* cxxi). » Quia ergo labia Virginis vittæ similitudine venustantur, et cocco rubeo vel amore igneo irreprehensibiliter commendantur; sicut ejus silentium, sicut meditatio **213** amaritudinis umbram nescit, sic ejusdem eloquium dulcoris gratia relucescit. De cujus laude adhuc subjungitur : *Sicut*, etc.

CAPUT XI.

Sicut fragmen mali Punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet. Quia tanta est hujus, quam habemus in manibus, Virginis pulchritudo, ut eam ad liquidum nostra non facile capiat hebetudo : infirmitati nostræ laudator illius eligens misereri, varias proponit similitudines, ut per eas illam utcunque possimus intueri. Quarum etsi nulla æstimari potest sufficiens, aliqua tamen videtur ex parte conveniens; quantum duntaxat materialia possunt spiritalibus coaptari, speciosis vilia mansoriis transitoria similari. Inde est quod genæ Virginis quæ vernant rubore verecundo, malo Punico similantur, quod nitet cortice rubicundo, quod cum frangitur, collecta granorum interius apparet multitudo; in quibus et relucet non minima candoris pulchritudo. In genis juvenculæ tanquam in eminentia faciei, thronum sibi collocat excellentia speciei; illicque sedens, regalem obtinet principatum, innitentem gratiæ, non privilegio roboratum. Intendens ergo Sponsus pulchritudinem Virginis commendare; genas illius amat malo Punico, imo et fragmini comparare; ut unius fragminis duplex color, foris rubeus, intus niveus, Virgini laudes dicat, pari sonet præconio, et neuter alteri contradicat. Color rubeus sanguinis formam gerens typus est passionis, quam Virgo sancta sustinet sui desiderio Salomonis; quæ quidquid mundus vel promissionibus insonat vel terroribus intonat, animo forti spernit, æquo propulsat pede, et a minoribus maxima non discernit. Tonsionibus et pressuris opponit corticem quasi scutum, illud commendabile Salomonis amplectens fortiter institutum, quo beatum tore spondet eum qui ad petram parvulos nunc allidit, et pati oportere omnem qui pie vivere non fastidit. Itaque ad pressuras et fracturas Virgo patiens, non ægrescit, imo (si non premitur, si non frangitur) erubescit; fracta vero et contrita, defectu lurido non pallescit, sed interno decore conspicuat, et hilari conscientia dealbescit. Denique malum necdum fractum, visui placitum dat ruborem, fractum vero gustui congruum dat saporem; necdum fractum miræ suavitatis patulis naribus dat odorem, fractum vero non minuit, sed longe porrigit ampliorem. Sic et Virgo non depressa, non concussa malleo vel tortore, colore splendet punico, rubet desiderio vel amore; cujus conversatio est oculis intuentium rubicunda maturo vigens actu, modesto intuitu, facie verecunda. Si vero premat eam, frangat eam, et velut in frustum redigat manus gravis, nec tam corpus quam animam gladius vel tribulatio transeat insuavis : non nigredo sordet interius, sed apparet decor alius gratiæ non minoris, videlicet interna puritas, hilarisque securitas conscientiæ mundioris. Cujusmodi fragmen digne considerans quisquis sapit, suavitatem ejus non dente, sed potius mente capit, et non solum candore vel rubore intelligit oculis gratiosum, sed dulcore et sapore palato interiori et sano gustui fructuosum. Cujus etiam odor vel opinio præcipue tunc fragrescit, cum non solum opera, sed et discussa ejus conscientia dilucescit; cum pressuris et fracturis pulsatur ejus patientia, mens quassatur, et in ea nonnisi virtutum collectio et earum candor vel munditia demonstratur. Hanc Virginis pulchritudinem quæ et ab ipsa et ab altero utcunque potest sciri, si tamen ejus cognitor quisquam potest hominum inveniri, laudat Sponsus genarum nomine, quæ in facie se ostentant, geminumque ruboris et candoris decorem instar prædicti fragminis repræsentant. Id autem quod inpræsentiarum non dat Virgini, sed proponit, hujusmodi laudibus, sive comparationibus non exponit: sed nos ad capiendum invalidos illud præcipuum vult latere, ut ostendat omnibus hic acceptis longe excellentius præeminere. *Absque eo*, inquit, *quod intrinsecus latet*. Ex eo, ait, quod patens est. Virgo debes laudanda prædicari, ex muneribus gratiæ quæ utcunque possunt rebus temporalibus comparari. *Absque eo*, hoc est eo tacito quod adhuc absconditum non videtur, quod penitus incomparabile longe ab oculis sub signaculo continetur. Ex quo tibi digne præcipua laus daretur, si vel dici posset, vel si dictum ab hominibus caperetur; sed quod oculus non videt, auris non sustinet, in cor hominis non ascendit, ad exponendum illud præsens locutio non intendit. Parcens igitur eis quos in hujus dramatis auditorium introducam, ad proferendum ea quæ capi poterunt me reducam : et eo tacito quod nondum capere mortalium prævalet intellectus, humano more loquens tuas laudes disseram et profectus.

214 CAPUT XII.

Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est

cum propugnaculis. Quia in genis malo vel ejus fragmini comparatis, commendata est Virginis pulchritudo, in collo consequenter commendatur ejusdem fortitudo, quæ se ad infirma et egena mundi transitoria non inflectit, suamque rectitudinem enervi mollitie a proposito non deflectit. Ipsa quidem hujus vitæ præsentiam, carnis sarcinam, onus grave, forti patientia, patientiæ constantia sustinet ut suave; et quidquid mundus incutit, qui omnium colla præsentium colaphizat; hanc a statu non excutit, nec more infirmantium scandalizat. Tanto enim amore, tanto fervore spiritus est repleta, ut onera pendat vili tanquam talibus assueta; et instar vitulæ quæ docta est jugum diligere vel triturам, usum gravia sufferendi, fructum æstimat, non læsuram. Propter quod ejus collum turri simile perhibetur, quæ suo fixa pondere, impulsu ventorum sive illisione fluminum non movetur; quæ tantæ est fortitudinis, ut locum suum non dimittat nequam spirituum potestati, et munimen inexpugnabile toti conferat civitati. Unde et David dicitur, qui interpretatur *manu fortis*, Christum significans, cujus manum inexpugnabilem et invictam; pronam ad auxilium boni, mali sentiunt ad vindictam. Cujusmodi turris ad hoc in Hierusalem est erecta, ut a longe possit hostes prævidere sollicitudine circumspecta : et, si forte appropiare præsumpserint, ab eorum incursibus vel assultibus se defendat, et quidquid intulerint, sua fortitudine parvipendat. Nec solum sibi ipsi, sed et toti civitati ejus proficit munimentum, cui et necessariam dat fortitudinem, et non indecens ornamentum; ad quam civitas invalidior, si hostis assiliat, mox recurrit, et illa potentior recurrenti dat fiduciam et succurrit. Sic et Virgo instar turris Davidicæ, a longe hostem prospicit, imo despicit, et non curat, ad cujus intuitum horret ille et refugit, et in proposito confidentiæ non perdurat; et quidquid minarum vel fraudium præsumpserit machinari, eliditur, et in se reliditur malitia præsumentis, tantum horrorem incutit, tam potenter repercutit hostem facies intuentis. Est enim turris ædificata cum propugnaculis suis. Propugnacula turri cohærentia videntur aforis prominere, turrim munire fortiter, graviter hostibus imminere; ex quibus conti, jacula, lapides et hujusmodi cætera jaciuntur, quibus defensa turre hostes valide quatiuntur. Ipsa sunt, ut æstimo, præcepta vel monita Scripturarum, prophetarum eloquia, spiritalis scientia litterarum; quæ stabili memoria constat forti animo Virginis inhærere, varioque provectu operum, quæque noxia longius prohibere. Scripturarum quippe subtilitas et intelligentia spiritalis, tenax memoria mandatorum, manifesta scientia litteralis; reddunt sui prominentiam conscientiam Virginis inconcussam, et instantiam hostium promptis operum jaculationibus repercussam. Hujusmodi propugnaculis turris Davidica se defendit, et ad repulsandum improbos quibusdam velut brachiis se extendit : quia indeflexa Virginis fortitudo (quæ per collum dicta est figurari), gaudet appositio Scripturæ sanctæ patrocinio confortari. Illic quippe accipit unde fortior et securior habeatur, unde hostes reprimat, amicos fideliter tueatur; quod ad suum ipsius munimentum videtur ei firmius adhærere, ad nostrum vero, etsi non pari, tamen non contemptibili ex ea beneficio dependere. Unde subjungitur : *Mille*, etc.

CAPUT XIII.

Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Quam in propugnaculis, eamdem et in clypeis videtur Scripturam figurare, eamque propter effectus varios nominibus variis commendare; quia cujus ad adjuvandum efficacia multiplex invenitur, non est mirum si vocabulis multiplicibus insignitur. Ex turre igitur Sponsus dicit clypeos dependere, et ne paucos æstimemus, addit numerum non tacere; ut cum hostes non impetunt, non solum ad dependentes clypeos recurramus, sed in numero clypeorum spe non deceptoria confidamus. Millenarius qui supremus habetur in ordine numerorum, quia ex perfectis conficitur, perfectissimus dicitur perfectorum, quia, sicut ex decem unitatibus denarius, ex decem denariis centenarius, ita ex totidem centenariis millenarius adimpletur, quo in numeris major singularis alius non habetur. Quo numero commendatur fortis defensio clypeorum, perfecta utilitas, appensio utilis perfectorum, qui non solum ad ornatum vel munimen turris Davidicæ disponuntur, sed et nobis ad turrim fugientibus largo munimine proponuntur. Virgo quidem cujus collum turri, ut jam dictum est, comparatur, ad nostram omnium defensionem multiplici fortitudine præparatur, quæ seriem Scripturæ veteris nobis dilucidat et exponit, ostendens in se factum realiter, quod futurum mysteriaiiter illa ponit. Quod enim de femina circumdatura virum longe ante prædixit Jeremias (*cap.* XXXI), quod de Virgine conceptura et paritura filium Isaias (*cap.* VII), quod de porta non aperta Ezechiel (*cap.* XLIV) cæco satis ænigmate prophetavit, quod de virga Aaron Moyses mirabiliter præsignavit (*Num.* XVII), quod multis locis multisque modis olim perhibuit, nec exhibuit prophetia, qui attendunt, hoc perpendunt pendere nobis evidentius ex Maria. Pendet, inquam, ex ea, nec in ea seris aut vectibus est inclusum, sed evidenti beneficio ad nostram usque notitiam est diffusum, ut recurrentes ad Virginem gaudeamus manifestius invenire, quod avara nobis antiquitas mysteriali nubilo voluit operire. Cujus mysteria quæ nobis ex Maria dicimus dependere, hoc est ab ipsa et per ipsam nobis sursum aspicientibus elucere; recte in hoc epithalamio sponsus clypeorum nomine designavit, quos proponens nobis inferioribus turri propius et specialius assignavit. Ipsa quippe Virgo prius et perfectius novit mysteria Scripturarum, quæ de ipsa et dicta et prædicta sunt obscuro vaticinio prophetarum, quorum ænigmatibus subtilius et excellentius instituta, ad nos ea protulit, et amantibus obtulit quasi scuta. Scuti cava planities civem protegit et abscondit, impetentis malitiam ex opposito retinet vel retundit,

215

sic et Scripturarum profunda, et non hosti pervia latitudo, ope larga Virginis fit nostra civium fortitudo. Nimirum per illam dies sanctificatus nobis olim caligantibus jam illuxit, per illam in clypeo Scripturarum noster intelligentiæ sol refulsit; per illam Christum olim promissum figuris et ænigmatibus obvolutis, jam videmus, jam tenemus Scripturarum promissionibus absolutis. Per illam luculenta Scripturarum perfectio nobis longe inferioribus condescendit, apertoque sinu, quibusque studio et intelligentia proficientibus se ostendit, in qua est videre perfectorum seriem mandatorum diligentibus profuturam, vivendi modum, ordinem, omnem denique fortium armaturam. Quisquis enim digna fortitudine vult armari, invenit in Scriptura, unde recte valeat gloriari, in qua vitalis ædificatio sub umbra litteræ delitescit, quæ digne requirentibus Virginem, ejus beneficio dilucescit. Quibus autem requirendi gnaviter, et proficiendi fortiter non est cura, invenire non prævalent armaturam utilem in Scriptura quia nescientibus Virginem, Scripturæ facies est obscura; nec est ignorantium, sed fide fortium armatura. Hinc est quod gentiles, quos dure stulta infidelitas colaphizat, et Judæi, quos non minori pernicie partus Virginis scandalizat; Christum Dei virtutem et Dei sapientiam non inveniunt in Scriptura, cujus nobis ex Virgine pendet cognitio non obscura. Quia enim ad Virginem digna reverentia non accedunt, non conceptum mirabilem, non partum tam ineffabilem digne credunt; restat ut et non videant, aut videntes abhorreant clypeos dependentes, et inermes langueant, languore depereant, armatura fortium non utentes. Quorum vero sinistra pendente gladio non munitur, quorum præsens conversatio Scripturarum intelligentia non salubriter eruditur: eorum dextera non salute, non futura beatitudine gloriatur, imo eorum æstimatio non pertingit ad dexteram, sed fraudatur. Collum ergo Virginis turri non incongrue similatur, per quod nobis tam multiplex Scripturæ beneficium promulgatur : per quod nobis incarnati Verbi mysterium divulgatur, per quod verbum Patris transiens nostris auribus imo et oculis præsentatur. Illud quippe verbum bonum quod ipsum cor Dei Patris ineffabiliter eructavit, cum venire ad homines et videri se ab hominibus ordinavit : assumpto quasi vocis vehiculo hujus collum Virginis semitam sibi fecit, per quam habens transitum non quærentibus et non interrogantibus se objecit. Ex cujus verbi transitu ipsa ejus semita tam magnifice decoratur, tanta fortitudine collum Virginis roboratur, ut ad sufferendum nostra infirmorum onera non insufficiens habeatur, et instar turris validæ nos invalidos tueatur. Denique turris a tuendo (ut nonnulli asserunt) nominatur, eo quod et se et quævis adjacentia tueatur, ejusque tuitione spes recurrentium sit secura, maxime si dependet clypeorum millena series, et omnis fortium armatura. Quibus quia Virgo videtur abundantius præeminere, adhuc Sponsus prosequitur laudes laudibus adhibere; amansque amabilem, agit quod agere proprium est amici, qui pariter arbitratur quidquid de amica commendabile potest dici. Ait ergo : *Duo ubera*, etc.

CAPUT XIV.

Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. Longe supra Virgo Sponsi ubera commendavit, et meliora vino fragrantia unguentis optimis affirmavit, quod Sponsus forte memorans, et si mora velut temporis intercessit, illius item ubera transire sine laudibus non concessit. Post collum igitur quod turri munitissimæ comparavit, transiens ad ubera, eis quoque miram similitudinem coaptavit, ducens ad medium non aliquid juxta litteram ejusdem speciei, sed hinnulos qui pascuntur umbrarum potius tempore, quam diei. Ubera signant Virginis illam, ut videre videor, ubertatem, qua fovet et promovet nostram infirmantium parvitatem, qua nos lactat nec abiactat, donec venire faciat ad profectum, donec dies adveniat, et nox tandem perveniat umbris rarescentibus ad defectum. Movet autem me quod ducens ad medium Virginis ubera, dicit *duo* cum cujusvis mulieris ad litteram non sint ubera nisi duo : et ideo si dixisset tantum ubera, tacens *duo*, nullus tamen recte sapiens intelligeret nisi duo. Sed in hoc forte signare voluit eam, quam prædixi, esse geminam ubertatem, quia simpla satis plenam nobis non effunderet largitatem; dupla vero sufficit juncto beneficio nos nutrire, nec tertiam, nec eo amplius quisquam sanus expetit invenire. Habet quippe Virgo affectum quemdam benevolentiæ largioris, erga eos quos perspicit indigere patrocinio fortioris, quos redemptos a filio velle considerat et eniti, et tamen perficere suo pressos pondere non permitti. Amat ergo talibus Virgo uber tenerum immulgere, affectuque benevolo invalidos ad quævis fortia promovere : certum habens Mater sancta redemptori Filio non placere, ut pereant, quos voluit reos originalis debiti non tenere. Sed quoniam uber istud et affectus benevolentiæ insufficiens haberetur, si benigno affectui non effectus valentior jungeretur; habet Virgo a Filio et obtinet efficaciam vel effectum, ut qualem voluerit perducat invalidos efficaciter ad provectum. Cui enim affectuosa sollicitudine miseretur, huic efficaci potentia subvenit et medetur; et uno quasi ubere ad compatiendum miseris se inclinat, altero vero auxilium indigentibus necessarium jam propinat. Ex his ergo duobus uberibus videlicet affectu et effectu Virgo nobis nutritorium lac infundit, manuque sollicita a turbine et a pluvia nos abscondit ; et quidquid leo intonat, repulsat minis potentioribus et retundit, sanat lacte medico quidquid aspis venefica superfundit. Unde et ubera non indecenter hinnulis conferuntur, qui noxia respuentes, ad utilia libere transferuntur, qui a longe congrua cernunt et discernunt oculo perspicaci, et quævis nocentia saltu vel potentia transeunt efficaci. Quod nimirum constat a matre caprea contraxisse, cui natura potens id muneris creditur con-

tulisse, ut videat acutius et discernat discretius quæ- A cui, etsi flabra ventorum facto velut agmine hinc libet profutura, et respuat sollicitius, et velocius transeat nocitura. Sic affectus et effectus Virginis a matre gratia obtinent hanc virtutem, ut discrete pervideant quos sollicite provehant ad salutem; eos vero transeant, quos persenserint non ad gratiam pertinere, et sordentes abhorreant, permittantque reprobos plus sordere. Quod autem hinnuli non dispares, sed gemelli potius asseruntur, eo quod una matre geniti, uno lacte pariter nutriuntur, videtur prædicto affectui et effectui convenire, quos una mater gratia grato beneficio voluit parturire. Qui nimirum sociantur fraternitate quadam, fœdere conjunctivo, dum quod primus aggreditur, secundus prosequitur opere completivo, nec affectat anterior nisi quod posterior prævalet consummare, nec secundus B perficit, nisi quod primum perspicit diligentius affectare. Qui pascuntur in liliis donec virtutibus proficientium delectantur, qui candore morum et odore boni testimonii prosperantur; qui et intus non rubore, sed amore sanius inardescunt, et foris operibus candidatis tanquam foliis dealbescunt. Et hi quidem largo virginis beneficio non desinunt prosperari, eorumque profectibus Virgo æque non desinit gratulari: donec eorum expolitis ad unguem spiritibus dies suavior aspirabit, et diei hujus impatiens umbrarum obscuritas exspirabit. Cum enim matutina vesperam nesciens lux accedit, præsentis ignorantiæ, et omnis molestiæ nox recedit; collectaque lilia summo regi tripudialiter offeruntur, in cujus sanctuario, decore septemplici, et immarcescibili C perfruuntur. Ubi nulla esuries, ubi jam hinnuli non pascuntur, ubi Virginis ubera nullis proficientibus infunduntur, ubi nullum Virgo jam educat, neminem erudit, nemini miseretur, quia illic infantia, illic ignorantia, illic et miseria non habetur. Hic igitur Virgo pascit, ubi nos adhuc pascere perhibetur, ubi stantibus adhuc umbris diei facies non videtur, ubi die jam lucida vir a proximo non docetur, ubi juxta prophetiam (*Jer.* XXXI) a minore Deus usque ad maximum cognoscetur. Laudatis vero sponsæ uberibus, sponsus tanquam subtrahens se ab illa, reddensque se sodalibus, eisdem loquitur sed de illa, quia tenere diligenti sollicitudo adeo vehemens est de illa, ut in hoc loqui cantico non nisi ad illam noD verit, vel de illa.

217 CAPUT XV.

Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris. Amanti non sufficit ad eum quem diligit montem ire, sed etiam iter suum verbo eligit prævenire; et dum illum revisere differt potius quam omittit, verbo quidem præcurrente, ire postmodum se promittit. Si a montis, inquit, præsentia paululum me subtraxi, ab eo tamen memoriam vel amorem tenerum non retraxi: mihique illius vel contemptum, vel iram, vel odium non contraxi, sed ejusdem erga me amorem et desiderium fortius sic attraxi. Porro mons, est hujus nostræ virginis celsitudo, quam reddit commendabilem fixa et immobilis firmitudo, inde minas incutiunt, non tamen a gratia, non a statu mansorio montem dejiciunt. Huic quippe virgini sagittas et jacula frequenter hostes injiciunt, et malitia procedente arietum impetus et balistas graves adjiciunt, quæ omnia virginis montana celsitudo, et immota firmitudo procul rejiciunt, et cassatis nisibus hostes durius repercussos ad ima dejiciunt. Nam sive præsens, sive absens æstimetur manus potentis adjurata, tamen tantus amor ad virginem, tanta est de virgine sponso cura, ut illa instar montis, hujus patrocinio sit secura, et cassetur quidquid intulerit ventorum rabies sævitura. Cum enim ab illa videtur sponsus recedere, illa cedere non permittit, aliquando se absentans reverti citius se promittit; et eo quod ipse novit, consilio ire se perhibet et redire, prout novit multum sibi virgini plurimum expedire. Recedens velut a virgine, amoris tamen maculas non evadit, paululum absentatus iterum illud vadit; et nec accessus, nec recessus torpori militat sed amori, ut arctius vinciantur, et loro sibi cohæreant fortiori. Ad hoc sponsus se subtrahit, ut non data sui copia jam vilescat, ad hoc vadit ad virginem, ut amor tenerius recrudescat, ut qui amat et vult a virgine plus amari, eo conflatorio illam vehementius faciat inflammari. Vadit ergo ad virginem, ut illius amor ardentius reignescat, et ea plus amante ipse amplius bilarescat, ut cum illam amplius torreri æstu senserit vel amore, proficientem diligat et amplexu foveat gratiore.

CAPUT XVI.

Unde alia translatio habet: *Ibo mihi ad montem myrrhæ.* Ibo ad Virginem, et ne frustra ire videar, ibo mihi, illi quidem consulere, illi quærens satisfacere, sed et mihi: profecto non vacuus, non superfluus illuc ibo, sed et illi conferam, et mihi multum afferam cum redibo. Vadam ad virginem, cujus altitudinem myrrha mirabiliter jam usurpat, cujus carnem integram nativa sanies non deturpat: integritatem cujus mira castigatio cunctis mulieribus excellentem, cujus excellentiam reddit solidam non tumentem. Magnus iste mons quem constat castigatis actibus sic addici, ut non mollis et fluidus, sed mons myrrhæ specialiter possit dici: eo quod non virginem illecebrosa mollities enervavit, sed rigor illibatus, et myrrha continentiæ conservavit. Quam etiam non indecenter sponsus nominat collem thuris, eo quod famam bonam spargat tam præsentibus quam futuris: et accensa carbonibus æstusque violentia vel amoris, attollatur in cumulum, Deoque sacrificium det odoris. Cujus devotio, cujus fervens affectio suavior omni thure, Creatori se offerens, superefferens creaturæ; mons est ridiculum nesciens parturire, collis vero elatus de se nisi humilia non sentire. Cum restringit et exstinguit, et non sinit carnis lenocinia vel mutire, cum affectus vermescentes myrrha studet probatissima prævenire: cum propriis voluntatibus jugum adhibet, legem ponit, cum quidquid sapit caro sale cohibet et componit,

utique bonis est, cui præsto est tam incomparabilis altitudo, magna virtus, magna constantia, magna sapientiæ fortitudo. Cum vero a studiis et operibus transitoriis se absolvit, et quam dulcia internis faucibus sint cœlestia mente volvit, cum amore igneo in thus liquidum se resolvit, et immemor terrenorum speculandis tota superioribus se involvit; profecto collis efficitur, dum quo excelsior meritis et devota, eo corde humilior et quasi a cæteris plurimum non remota. Quam cum solam in conclavi meditationi deditam angelus inveniret, eumque futuri partus nuntium jam ipse qui miserat Dominus præveniret; illa ad verbum Angeli, imo ad verbum Patris amore devotissimo se suspendens, nobisque inferioribus necdum magna satis capientibus condescendens: « Ecce, inquit, ancilla Domini (*Luc.* I). » Cum nostram planitiem nova gratia virginis mens excessit, viditque se præventum qui tanquam nuntius **218** intercessit, quanta humilitate Virgo devotissima se depressit, quæ jam dicta Dei mater sibi nisi nomen ancillulæ non concessit? Admoto igne valido in fumi nebulam thus liquescit, in altum fumus tollitur, odoris suavitas jam fragrescit: longo lateque mundus montis hujus excellentia videtur occupari, et tamen adhuc collem cogit se Virgo humilis nuncupari. Ad hunc montem meritis, humilitate collem ire se sponsus spondet, et citius dicto præsens loquenti Virgini jam respondet, vel magis loquturam ipse prævenit et commendat, ut illa in amorem commendantis arctius se accendat.

CAPUT XVII.

Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te. Ex quo injunctum sibi verbum Angelus Virgini nuntiat et salutem, sanctusque supervenit et obumbrans ei Spiritus dat virtutem: in ea non obtinet suum privilegium lex iniqua, non peccati permanet recens attaminatio vel antiqua. Porro alia turpis, alia turpis tota, alia vero pulchra, alia tota pulchra est. Turpis quidem illa est quam offuscat et incurvat ira pristina, lex naturæ, quæ sibi culpam contrahit ab initio, et a vitio genituræ, cujus est tam prepotens, tam inextricabilis difficultas, ut carere prorsus ea non virtus suppetat non facultas. Tota vero turpis legi pravæ corruptam subjicit voluntatem, et consensu pestifero exsecrandam fabricat nuitatem, dum quod lex suggerit vel potius ingerit oppressiva, voluntate prosequitur et actione obsequitur completiva. E regione pulchra est, quæ legem scriptam quæ mandatorum seriem intelligit bonam esse, donante jam spiritu diligit datam esse, ad quam diligentius adimplendam instinctu voluntario promovetur, sed adhuc obtinere ut prævaleat non meretur. Velle quidem adjacet, sed luctam contradictoriam experitur, eo quod voluntati necdum difficultatis ostium aperitur; dum illa pulsat fortiter, nititur pertinaciter et insistit, ista repulsat fortius, obnititur contumacius et resistit. Illa manu diligentiæ faciem excolens vult eniti, ut tersa omni macula ad optatum valeat intromitti; ista huic proposito resistere satagit et obniti, et nonnunquam potentior gaudet ad victoriam se præmitti. Tota vero pulchra est, quam lex vitiosa, naturæ contumelia, morbus iræ, jam non premunt, non opprimunt, non sufficiunt impedire quin ad repellendas culpas et desiderio voluntas provocetur, et ei præcedenti digna possibilitas suffragetur. Est pulchra tota, cujus mentis acies viget, spiritus non ægrescit, cujus caro quieta est, nec adversus spiritum insolescit; spiritus cujus nullam rebellionem sustinens a subjecto, Deo soli obtemperat, nec jam claudicat in præcepto. Tota pulchra est quæ raro exempli genere ad hoc fastigium jam pervenit, cui tanta spiritus obumbrantis gratia supervenit, cujus omnem maculam manus potens misericordiæ sic abstersit, ut non solum culpa, sed et culpæ timor anxius non supersit. Quod ut quisquam nostri similis valeat obtinere, dum hoc tempus volvitur, et sub eo gemit et conqueritur se manere, ut vobis verum fatear, certam mihi notitiam non assumo, et ideo quod non novi, affirmare temere non præsumo. Nam et si novæ gratiæ lux nostris oculis est infusa, cujus ortu disperiit caligo parentum vitio superfusa, est tamen quædam macula nostræ velut impressa faciei, qua urgente dum hic vivimus, vel ad modicum sumus rei. De qua scriptum est: « Nemo mundus a sorde (*Job* XV). — Non est homo qui non peccet (*II Par.* VI). » Hujusmodi maculam videtur lex severa nobis miseris impressisse, et hoc velut cauterio nostram pulchritudinem infecisse, ut quamvis studeamus eam manu sollicitudinis expolire, non tamen valeamus ab hoc jure injurio, eam penitus expedire. Porro macula est nevus tenacior, stigma dedecens, dissona turpitudo, qua se dolet infici, vel, ut plus dicam, affici adjacens et contermina pulchritudo, cui abstergendæ etsi manus adhibet multam curam, non tamen eliminat quod est jam inolitum et versum in naturam. In hac autem virgine si quid inerat vitii naturalis, mundat et demaculat superveniens gratia spiritalis; et quod in nobis durius perseverat lege misera vel tenaci, in illa manus gratiæ medicina diluit efficaci. Et quia eam nostra omnium generalis iniquitas non offuscat, sed in conspectu sponsi speciali meritorum excellentia jam coruscat; recte illam sponsus tenerius diligit et invitat, ut ad ipsum veniens, ipsi devotius et attentius se committat.

CAPUT XVIII.

Veni de Libano, Sponsa mea, veni de Libano, veni. Eam quæ tota pulchra est, ut nec levi macula teneatur, ne forte sine fructu dedisse operam pulchritudini videatur, monet sponsus ut veniat, de magna scilicet pulchritudine ad **219** majorem, de eo quod datum est, docto pede transeat ad datorem. Neque enim in his quæ accepit quis, conceditur remanere, eisque toto desiderio et avaris manibus inhærere, sed ab his non despectu vel odio, sed profectu et consilio ad ipsum qui contulit, mentis oculos retorquere, et non ipsa, sed jam ipsum, dum ipsa propter ipsum, charius obtinere. Libanus

illum mihi videtur candorem designare, cui sponsus virginem, imo quem potius virgini voluit designare, candorem videlicet continentiæ et virgineæ puritatis, quem sponsæ matri filius dono suæ contulit bonitatis. Suam enim matrem sponsus in candore voluit conversari, ut tanquam a loco mereretur ejus excellentia commendari, ut mons ipse Libanus, id est candor excellentiæ virginalis, fecundam sic saeraret, ut fecunditas fieret spiritalis. Quamvis, si dici potest, imo forsitan quia potest, non tam locus virginem, quam locum Virgo sacrare videatur, neque virgo a monte, sed mons a virgine commendabilis habeatur, nec tam virginem iste candor, quam virgo extulerit hunc candorem et in oculis digne considerantium prorsus reddiderit gratiorem. Nam et ante virginem sicut mons Libanus, sic potest et virginitas inveniri, sed honore vel parvo vel nullo dicitur insigniri, nec est inventus quisquam decore virgineo commendari, sive cujus merito ipsa virginitas sese gaudeat illustrari. Nostro quidem tempori et huic nostræ virgini istud novimus reservatum, ut hoc monte sublimata, ipsum potius montem redderet sublimatum, et mirum in modum ipsa candidior Libanum candidaret, decoremque virgineum ipsa sui merito decoraret. Magna igitur Virgo et incomparabiliter prædicanda, nullis ante mulieribus, nullis posterioribus comparanda, quæ candori virgineo nullius ante meriti vel honoris, meritum attulit, munus gratiæ contulit amplioris. Qui ergo multis retro sæculis erat inter mulieres dedecens et onustans, extunc et deinceps gratus redditur et venustans; et quem filia Jephte negligens quasi devovet et deplorat, virga Jesse prudenter eligens, attollit sacratius et honorat. Sed quia nihil gratiæ, nihil habet Virgo meriti non acceptum, ab ipso qui dedit, audit et accipit hoc præceptum, ut de tanto candore, cujus prior ipsa munere jucundatur, ad eum se referat, quo auctore ipsa virginitas fecundatur. *Veni*, inquit, *de Libano, sponsa mea.* Tu, ait, quæ montem Libanum novo munere candidasti, quæ candorem virgineum meritorum excellentia sublimasti, veni, ipsum tamen virgineum decorem non deponens, sed eo non contenta sponsi gratiam anteponens. Veni, non ut a virginitatis proposito jam desistas, sed ut mihi largitori jungaris propius et assistas, ut quæ gaudes supra solidum candore virginali, exsultes propensius sponsæ privilegio fœdere nuptiali. Ideo dicitur: *Veni de Libano sponsa.* Cum autem repetitur: *Veni de Libano*, nec additur *sponsa*, illud, quantum extimo, voluit bis monere, cui sentit virginem eo tenacius quo diutius inhærere, unde eum sic monita non odio, sed dictante consilio se avertit, ad ea quæ offeruntur, faciliore transitu se convertit. Cum vero iterat tertio *Veni*, nec apponit, *de Libano Sponsa*, hortatur illam non solum ab his quæ jam obtinet proficientibus meritis amoveri, sive ad ea quæ proponuntur sponsalia præsentialiter promoveri, sed ut quidquid profecerit, et hoc, tanquam gemino sudaverit in agone, totum amore præmii, totum faciat spe coronæ. Veni ergo, ait, ab his quæ jam obtines, proficiendi gratia te averte, veni secundo, ad amplexus sponsales familiarius te converte. Veni tertio, ut non solum honore virgineo et sponsali cubiculo jucunderis, sed ut in sede regia cum filio mater in gloria coroneris. Unde subjungitur: *Coronaberis*, etc.

CAPUT XIX.

Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Ad hoc Virgo sponsi mater venire tam sollicite commonetur, ut insignibus regiis digne pro meritis honoretur, ut corona detur ei de auro vel argento, de electris, vel lapidibus non compacta, sed novo quodam genere, de excelsis montibus fabrefacta. Cujus faber optimus montem Amana primum ponit, montem Sanir et Hermon illi superordinat et apponit: leonum cubilia, juga pardorum, prudens artifex interponit, et sic mira prudentia opus mirificum fabricat et componit. Sed quid est, quod de tam multis ubique terrarum montibus tres elegit, quos nominatim exprimens, in hoc opus mirificum sic redegit, ut Amana primum, secundum Sanir, Hermon tertium ordinaret, et divisos loco ab invicem in hoc opere sociaret? Facile non occurrit in hoc facto quid mysterii figuretur, nisi forte ipsorum nominum interpretatio suffragetur, quæ diligentius discussa caligantem declarat intellectum, et coronam Virginis ducit mysterialiter ad perfectum. Amana interpretatur *dens vigilans*, nequam designans spiritum, quem constat quibusque integris mentibus invidere, qui semper invidens amat et appetit nos mordere: morsuque pestifero ad mortem vel ad vitia perurgere, et nonnunquam in tali gaudet se negotio prævalere. Ad tantum enim facinus invenitur somno torpido non torpere, sed malitia vigili constans et sollicitus permanere, qui, etsi vigilantibus, et super custodiam suam stantibus non se improbus manifestat, somno tamen deditos, et sui minus providos mordet vigilans, et infestat. A quo non dissonat et Sanir, cujus fit mentio consequenter, cujus interpretatio eamdem vigilantiam exprimit evidenter, videturque et hoc nomine idem nequam spiritus designari, cui constat malitiam, nonnisi semper vigilem assignari. Sanir quippe interpretatur *avis nocturna*, sive *fetor*. Avis pennarum utens remigio, alarum vehiculo se sustentat, cum longe esse creditur, volatu præpeti se præsentat; et si ejus forte proposito non favere creditur lux diurna, avis malitiæ spiritalis ad seducendum miseros fit nocturna. Fit nocturna, cum incautum et securum tentatio appetit fraudulenter, cum deprehensa forte sub altera specie ingerit se latenter, cum languoris et somnolentiæ subsannat sublatum, et deridet, cum ignavus instar bovis ad victimam ducitur, imo seducitur, et non videt. Nec immerito Sanir dicitur etiam fetor esse, quia tentatio etsi refugit prævideri, tamen sensibiliter vult adesse; et cum velut coluber repens in silentio studeat non audiri, morsu tamen inferens fetorem veneficum, vult sentiri. Tentatio

non prævisa tanquam nare patula non sentitur, cum tentatus mente pressa gravem culpæ sarcinam experitur: et quacunque se verterit in lectulo caliginis sub lodice, fructum fetoris percipit incertus forsitan de radice. Radix plena vitio, suggestio est latenter oppressiva, fructus autem fetidus, consensio vel expletio secutiva, cujus fetor cum nares inficit et internum afficit odoratum, totum reddit hominem venenatis interioribus enervatum. Cui recte subjungitur Hermon, qui interpretatur *exsecratio*, sive *anathema ejus*. Extunc enim et deinceps, non solum nihil boni iste perditus operatur, sed ampliore malitia, bonum, quod aure percipit, exsecratur, quia per rimas narium tanta influit vitiorum collectio vel sentina, ut ad ipsum cor ingredi nusquam verbi valeat disciplina. Exeluso autem verbo, nequam ille miserum amplius cor obdurat, eoque obdurato, aurem quoque, instar claudit aspidis et obturat, ut non solum recto auditui jam non credat, neque diligat obedire, sed quod etiam rectum proponitur, eligat postmodum nec audire. Sic nimirum exsecratur quidquid morum suggerit rectitudo, ut omnem illi aditum claudat intromissa nequiter hebetudo, solis vitiorum fetoribus gaudens nares patulas exhibere, immundisque illuvionibus internorum lacus recessuum adimplere. Quia ergo menti obduratæ non admittitur commonitio, non Scriptura, loco ducit anathematis quidquid verax habet religio vel cultura; soliusque luti mollitie, et immundis amans fœcibus detineri, nihil exsecrabilius putat quam a talibus amoveri. Unde scriptum est: « Exsecratio autem peccatori sapientia (*Eccli.* 1), » qui proficiens in pejus, non solum sibi nequam, sed et cæteris vult obesse, potensque malitia, horrori minoribus gaudet esse, de quo procedens feritas, tanquam leo insidians de cubili, omnes sibi reliquos timore succumbere vult servili. Nonnullorum enim crudelitas non facile intra mentis angustias retentatur, sed fremit et æstuat, ut ad nocendum cæteris extendatur; et cum æstu malitiæ fornax incanduerit vel caminus, foris in quosque subditos desævire furor expetit leoninus. Qui si forte consideret sibi vim non sufficere potestatis, novum quærit aucupium, dolum videlicet falsitatis, et nunc quasi leo rugiens quærit quem devoret furiosus, nunc se pardum exhibet dolo multiplici maculosus. Est enim spiritus ille nequam multipliciter bellicosus, ad debellandum miseros nunc utens potentia, nunc dolosus, volentibus, nolentibus nunc consentaneus, nunc rebellis, artibus mille nocens, et juxta pardi speciem, versipellis. Et signanter sponsus cubilibus leones, pardos montibus assignavit, in quo malignorum spirituum et fraudulentum robur, et robustam fraudulentiam designavit, quorum nonnunquam de cubili vel insidiis procedit effera fortitudo, nonnunquam de excelso potentiæ peremptoria nihilominus fraudium multitudo. Sive ergo fallaces et subdoli ad exercendam fortitudinem evidentius se extendant, sive robusti et sublimes ad texendas fraudium maculas jam descendant, tam incautis quam invalidis bellum inferunt noxiale, et nisi Virgo adveniat, et miserans subveniat, vexillum referunt triumphale. Cæterum Virgo sancta festinat hujusmodi nequam hostibus obviare, ægre ferens electos quoslibet a proposito filii deviare; et miserans quos hostilis fere malitia jam peremit; interpellat filium, eique reconciliat quos redemit. Placato autem filio ad impugnandos hostes fiducialiter se convertit, frangit eorum vires, nudat fraudulentias et evertit; et quod tumet mons Amana, quod Sanir, sive Hermon elato vertice se attollit, ut lutum platearum calcat Virgo fortiter et emollit. Ergo digne, cum de illis plena victoria reportatur, ornatur manus lauro, auro caput Virginis coronatur; et de ipsis eisdem montibus dicitur **221** coronari, cum de horum victoria plene jam conceditur gloriari.

CAPUT XX.

De capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, etc. Sed non reor incongruum, si prædicti montes interpretatione dextera venustentur, nec per eos maligni dæmones, sed conversi ad fidem homines figurentur, de quorum Virgo fide gaudens, sollicita de proventu, sua eos benevolentia fovet, promovet interventu. Amana, ut dictum est, *dens vigilans* interpretatur. Dens autem vigilans, prædicator ille non incongrue nominatur, cui tanquam vigili nostra infirmorum custodia commendatur, cui dum offertur linteum plenum animalibus, vel potius more viventibus animali (*Judæ* 19), mactare et manducare non realiter, sed mysterio mandatur spiritali. «Macta, inquit, et manduca (*Act.* x). » Pastor enim super gregem suum digne vigilias non assumit, qui doctrinæ commonitorio illius duritiam non consumit; vigili cujus oculo cum reprehensione dignum quidpiam se opponit, ad resecandum citius dentem mordacius non apponit. Quo contra de aliis scriptum est: «Peccata populi mei comedent (*Ose.* iv).» Post mentem vero Amana, montem Sanir Sponsus voluit nominare, cujus interpretatio *avem nocturnam* videtur resonare, quia nobis torpentibus vitiorum consuetudine diuturna, pastor semper sollicitus avis procul dubio fit nocturna. Cum enim ad peccandum, imo ad persistendum cæca mollities nos invitat, pastor bonus, qui non dormit super nostram custodiam nec dormitat, instar nocturnæ avis, importunus et subitus videtur advenire, et mores male securos verbi gladio durius convenire. Denique Judas Machabæus cum noctes premi silentio jam sentiret, ejusque magnis ausibus opportunitas temporis consentiret, incautis hostibus superveniens magnas fortiter strages dabat et securo torpore quiescentes bello vigili triumphabat. Vir enim bellicosus æstimabat plurimum non referre, utrum noctis an diei præsentia auderet hostibus se inferre, dum tantummodo segnis et ignava hostium incircumspectio cederet cautiori, et vel fortitudine dolosa, vel fraude bellicosa daretur victoria bellatori. Porro apud antiquos celebri est sententia promulgatum, et, ne illud deleret oblivio, apud ethnicos litte-

ris est mandatum, ut in bello sola virtutis præstantia non quæratur, sed et fraus conveniens, ut hostium malignitas callide conteratur. Dolus, inquit, an virtus, quis in hoste requirat? (Virgil. II Æneid.) Prudens itaque princeps, cum hostilem malitiam vult subjicere servituti, prout habet necessitas, nunc dolo manum applicat, nunc virtuti, ut si hostis dolo restiterit, virtutis malleo pressus cadat, et, si eum per diem sol non usserit, noctis fraudulentiam non evadat. Ea forma doctor bonus nobis torpentibus superveniens velut avis, nostræ saluti consulens, importunus voluntati, moribus insuavis; somno graves contulit, et a nobis excutit torporem exsecrandum, jam vigiles, ut aquila pullos provocat ad volandum. Qua vero fiducia sive efficacia istud potest aggredi vel implere, nisi quia quæ tenenda prædicat, prior diligit et tenere: nulloque desiderio præsentis noctis caliginem amplexatur, sed transvolans velut Sanir, velut Hermon quæ infra prospicit exsecratur? Nam ille nos invitat eo efficaciter quo fiducialiter ad doctrinam, qui quam verbo prædicat, commendat moribus disciplinam, qui seipsum non negligit proponens cæteris medicinam, sed quidquid mundus olet, exsecratur et refugit ut sentinam. « Quæ mihi, ait, fuerunt lucra, hæc arbitror ut stercora (*Philip.* 3). » Hermon autem non solum *exsecratio*, sed etiam interpretari dicitur *anathema* et quod *ejus* apponitur, hoc est anathematis anathema, ut *anathema ejus*, hoc est separatio separationis doctor merito tunc dicatur, cum ab eo, a quo separari docet, tota et ipse diligentia separatur. « Non acquievi, ait Paulus, carni et sanguini (*Galat.* I). Est igitur Paulus anathema ejus, hoc est anathema anathematis, separatio separationis, separans a seipso quod ab aliis nititur separare, vel separans a cæteris, quod prius a seipso studuit separare. Et mirandum hujus Virginis texitur mirabiliter diadema, in quo dens vigilans, nocturna avis, anathematis ponitur anathema, quamvis si verborum seriem velit quis diligentius perscrutari, expresse non dicatur Virgo de his montibus coronari. Non enim dictum est: Coronaberis de Amana, de Sanir, de Hermon, sed *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon.* Caput, ut cunctis notum est, membris reliquis, totique corpori principatur, vertex vero, ipsius capitis summitas appellatur; et non caput in vertice, sed vertex in capite continetur, dum non caput pars verticis, sed vertex pars superior capitis habetur. Per caput itaque figuratur ordo non incongrue prælatorum, quos propheta nominat optimates, capita populorum; per verticem vero videtur chorus apostolicus designari, quem in ordine prælatorum constat quadam excellentia principari. Vel caput forte potest ipse ordo apostolicus nominari; **222** vertex vero, Petrus est, quem primum constat et præcipuum prædicari, qui sicut in apostolis, ita et præ apostolis cœli claviger constitutus, manente sic Joanne, Christum specialiter est secutus. Isti quoque apostoli figurate cubilia sunt leonum in quibus se deponunt reges, et Excelsi principes regionum, cum feritate posita, qua solent minores quoslibet deterrere, ad istos se inclinant, nec recusant eorum meritis subjacere. Cum enim imperator, seposito diademate quo præfulget, scepiri obliviscitur, dignitati regiæ non indulget; et seipsum humilians Petro obsequitur, Pauli monitis acquiescit: quid nisi leo stratus in cubiculi apostolico requiescit? Isti nihilominus sunt et montes meritis Excelsi, solidi sanctitate, qui non terreno fastigio, sed spiritali præeminent dignitate, ad quos levat oculos quisquis optat decorari facie luminosa, qui se pardum intelligit pelle varium maculosa. Qui sub fasce multiplicium vitiorum, virtute propria non securus, et de victoria non confidens, in valle vel in campo contra spiritalia nequitiæ pugnaturus: ad illorum excelsa transiens, quærit sibi venire auxilium et doctrinam, et ne pereat, apprehendit docto eorum magisterio disciplinam. « Levavi, ait, oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi (*Psal.* CXX). » Sic et leonum cubilia et montes pardorum recte apostoli perhibentur, quos tam reges quam præsides, et qui varia vitiorum multitudine detinentur, audiunt, et auditis, divini gratia muneris obsequuntur; et posita bestiali ferocia, ordinatam vivendi regulam prosequuntur. Ipsos autem ordinatores, cum tanquam vivos lapides Sponsus ordinet et disponat, eis rite dispositis, ambit reginam Virginem et coronat; et ad honorem ejus, illos reddit meritis digniores, ut in choro justorum hominum ipsi Sponsæ fiant speciali excellentia propiores. Quod quia non conferre statim plenius invenitur, ei quam diligit, promissorium spem largitur, ut promissione facta Virgo spei præsentia jam lætetur, et quod verius est, futurum certa fiducia præstoletur. *Coronaberis*, inquit. Quo autem merito Virgo spei præsentiam digna sit adipisci, sua Sponsus gratia videtur reminisci, ut omnibus innotescat perfectum cuipiam præmium non conferri, cujus non invenitur digne meritum anteferri.

A B C D

CAPUT XXI.

Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Solent hostes ab hostibus timore vulnerum absterreri, et qui forte vulnus intulerit, majus odium promereri; et quantum gaudet qui ad nocendum et inferendum vulnera se intellexerit prævalere, tantum, imo amplius dolet qui coactus fuerit sustinere. Hic autem Virgo vulnerat, et vulneratus odium non rependit, illa quasi prævalet, iste manus ad injurias non extendit; illa compos victoriæ, hilarescit facie, manu plaudit, iste quasi pungitur, compunctus non conqueritur, sed applaudit. Manus enim docta ad prælium, et sagitta vulnus validum inferentis, non ira, non jactura, non est læsio sufferentis; sed gratiora, sed meliora judicantur vulnera sic amantis, quam fraudulenti oscula, et fraudes nequiter osculantis (*Prov.* XXVII). Amat quippe Sponsus vulnerari fortiter, sed amore, transfigi non gladio, sed affectu diligentium fortiore, de profundo cujus vulneris manat

gratia, dulcius amor spirat, et profuso non cruore, sed dulcore amat vivacius, non expirat. Et recte suum, non caput, non pedem, non quidquam simile perhibet vulnerari, quo nonnunquam vulnerato videmus vitæ hominem reservari, sed cor ipsum nominat, quod vel ad modicum vulneratum manum medicam non admittit, sed carens tam spatio quam remedio, vitalem spiritum mox emittit. Cum igitur cor suum, Sponsæ vulnere, velut asserit infirmari, verboque repetito vult ejusdem vulneris certitudinem confirmari : innuit tale vulnus intelligi, non pestiferum, non mortale, quia et cor non corporeum neque morti obnoxium, sed vitale. Sed quia cor corporis sedes est animæ, vitæ locus, domicilium odii vel amoris, cor nominans, vult intelligi secretum diligentiæ gratioris, quo receptat et acceptat eam quæ illuc meruit specialiter pervenire, et singulari merito gratiæ sanctuarium introire. Hunc autem introitum expressit nomine vulneris, non cruenti, non furore, sed amore, non ira, sed benevolentia violenti, quia illuc non penetrat ignavia degeneri somnolentus, sed mundus corde, acer animo, irremissa constantia violentus. Porro huic sanctuario efficacem violentiam non intorquet, qui pede **223** minus recto ad amorem temporalium se retorquet, sed qui nisu prævalido studet omnia quæ prætereunt obliviscì, et inhærens soli Deo, æterna sola diligit adipisci. Unde et hoc loco iste simul sponsam nominat et sororem, ut signet his nominibus affectum communis benevolentiæ firmiorem, quia et sponsæ, quod sponsi est, jure matrimonii non negatur, et divina lex exigit ut soror cum fratre paternæ hæreditatis consors et comparticeps habeatur. Est autem Virgo, soror Christi, Christus Virginis æque frater, quibus et in terris una cognatio, et in cœlis unus dicitur esse Pater, qui licet non pro sexu, sed pro meritis portionem unam pro omnibus non concedat, tamen juste distribuens, sicut non filium, sic nec filiam exhæredat. Cujus Patris Virgo sicut filia, sic et hæres, Christi non immerito dicitur soror et cohæres, cujus affectus gratior, amor sororius et sponsalis, fratrem et sponsum vulnerat, non jaculi sed oculi cuspide spiritalis.

A suæ voluntatis beneficio, non naturæ. Primus autem et præcipuus ille est oculus spiritalis, qui se longe removens ab intuitu facturæ temporalis, transcendensque angelos et omnem penitus creaturam, attollit se ad videndum Creatoris faciem vel naturam. Qui quia mundum nesciens, in salutare Dei laudabiliter defetiscit, et erga plurima non turbatur, sed unum illud necessarium concupiscit, unus recte dicitur hoc est, non amore multiplicium multiformis, sed unum unice Deum amans, et eum solum intuens uniformis. Iste oculus qui se foras ad vivendum plurima non effundit, sed collecto intuitu Christi secretario se infundit; cor illius vulnerat, dum illic acutior gladio se recondit, ubi Christus oculum nisi unum et simplicem non abscondit. Nec solum B in oculo, sed etiam in crine se Sponsus asserit vulnerari, qui verbum repetens, ipsum plane vulnus indicat iterari, quia nec Virgini satis erat unum quasi jaculum intulisse, nec item satis Sponso unum, secundo tacito, retulisse. Vulneratur igitur Sponsus in oculo Virginis, vulneratur, ut asserit, et in crine, eo quod crinium multiplicitas honestatis amans, patiens disciplinæ non vento rapitur, non dispergitur per inania noxiæ libertatis, sed mature colligitur, et tanquam redigitur ad ipsius regulam unitatis. Nulla, ut reor, mulier cunctis retro sæculis est inventa, quæ decisis crinibus relicto uno singulariter sit contenta, quæ unius crinis merito sic sit digna commendari, nisi cum redimita pluralitas in unum cohibetur magisterio regulari. Sic et Virgo multis C gaudens crinibus, hoc est, virtutibus venustari, ne vanitatis aura compellatur ipsa multiplicitas, ventilari, omnes simul aggregat, et quadam colligat unitate, miroque magisterio sub una redigit charitate. Quidquid enim acquiritur multitudine sive copia meritorum, si dilectionis vinculo non ligatur, caret gloria præmiorum, neque digna laus approbat quidquid multiplex meritis invenitur, si non instar crinium charitatis redimiculo cunitur. Bene de illa Paulus (*I Cor.* XIII), prout dignum fuerat, æstimavit, quam volens commendare, perfectionis vinculum nominavit, quia licet virtutum reliquarum innumerabilis sit collecta, hoc non ligata vinculo manet penitus imperfecta. Ligata vero munit fidem Virginis et venustat, et velut crinis collum ornat potius quam D onustat; talique ornamento, tali fides opere gloriatur, digne quidem glorians, cum per dilectionem quod lex divina præcipit operatur. Quos enim gravis et quasi corporea moles a capite semovet et disjungit, fides, velut collum, Christo nos continuat, nos conjungit; sine qua impossibile est ipsam quoque Deo virginem complacere, interventu cujus illam Elisabeth voluit beatam perhibere. « Et beata, ait, quæ credidisti quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino (*Luc.* I). » Et apostolus : « Habitare, inquit, Christum per fidem in cordibus vestris (*Ephes.* III). » In hujus colli crine qui prædicto dilectionis vinculo cunitur, cujus, non onere, sed honore fides Virginis insignitur · cor suum vulnera-

CAPUT XXII.

In uno oculorum tuorum. Hoc dicto insinuat duobus Virginem oculis luminosam, sed eorum altero amplius et suavius gratiosam, quorum unum approbans, evidenter nequaquam alterum reprehendit, alterum non accusans, illum unum excellentius magnipendit. Alter forte est oculus cui visibilia datum est intueri, mundum quidem et omnia quæ mundi constat ambitu contineri, qui ea quæ simul, aut post invicem ordo rerum explicat vel natura, attendit et intelligit mutatione mobili, vel motu mutabili transitura. Imo quidquid est conditum, ad qualemcunque transitum considerat naturaliter festinare, et sicut in corporibus, sic et in spiritibus sibi quidpiam non constare, nisi quod auctor rerum potens, et dominus creaturæ, quosdam angelos jam firmavit,

tum læto Sponsus tripudio manifestat, innuens quod affectum ejus tenerum robustus amor Virginis potenter afficit nec molestat. In cujus laude subjungit : *Quam pulchræ*, etc.

224 CAPUT XXIII.

Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa : pulchriora ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Mammas vocat Virginis quibus parvulos erudit ut grandescant, fovet grandiusculos, ut processu temporis juvenescant ; quas et pulchras perhibet, ut Judæis littera legis gloriantibus non vilescant, sed tam illis, quam cæteris auditoribus gratius elucescant. Quæ sive prius mammæ, sive postmodum ubera nominentur, vino legis comparata, majoris esse pulchritudinis perhibentur ; dum illius austeritas, Judæos velut ebrios et vecordes, horum autem suavitas nos Deo gratos efficit et concordes. Quia vero ubera Virginis non longe superius nostis apposita, et prout Deus contulit, illic exposita ; ad exponendum denuo moram supersedeo facere longiorem, ad ea quæ jam dicta sunt remittens sedulum auditorem. Sed quia hic non solum uberibus, sed et mammis pulchritudo inesse perhibetur, quarum illic vel supra uspiam, mentio non habetur ; subtilius intimare videtur aliquid forte novi, cui, diligentius exponendo, manum sive studium non admovi. Mammæ, ut dicitur, non parvulis lac emittunt, sed cum tempus fuerit, emissuras potius se promittunt, delitescentes interim sub umbra temporis immaturi, nondum fructu congruo, sed turgentes potius spe futuri. Quandiu enim Virgo attendit nos indociles, induratos, et ad vitalem vitam culpis exigentibus necdum natos ; intra mammas tenet doctrinæ beneficium, nec producit, nutrire non præsumens quos ad vitam nativitas congrua non educit. Novit enim quia Christi est nobis pridem mortuis vitam dare, de caligine uterina ad lucis gratiam innovare ; natis vero ipsum jam conceditur beneficium impertire, et ut jam capacibus ubera largius effutire. Si electos, inquit, tuos, ad eam quam præopto lucis gratiam dares nasci, ut te vivificante, quovis beneficio possent pasci ; mammæ meæ ad ubertatem uberum devenirent, et viventes spiritu, digno lacte efficacius enutrirent. Illis quidem de tuo vel conceptu vel partu sensim explicarem, et auri audienti secretum mysterium revelarem ; et quod mente incredula non gentiles capiunt, non Judæi, mea sugens ubera, hauriret Joannes Zebedæi. Hujusmodi mammas et ubera in matre Virgine Sponsus laudat, quorum laudes ut debito et æque mystico fine claudat ; apponit commendare non lactis alimoniam, non ejus rivulos aut fluenta, sed prælatum cunctis aromatibus odorem maximum et unguenta. *Et odor*, inquit, *unguentorum tuorum super omnia aromata*. Ex uberibus antedictis quibus Virgo partu mirabilis insignitur, non lac femineum, sed unguentorum manere copia reperitur ; super quo si pigmentariorum universa retro series convenitur, omnis illorum confectio non tempore sed odore admirabili prævenitur. Quidquid enim a principio subtilitas protulit antiquorum, quidquid de mundo mire condito apprehendit curiositas ethnicorum ; quidquid sophi, sive juxta Pythagoram, philosophi subtilitate seductoria confecerunt, quo velut aromate corruptivo magistri discipulos infecerunt, totum longe supergreditur prædicatio Virginis et doctrina, in qua veritas principatur, vivendi prævalet disciplina. Quidquid etiam patriarchæ et prophetæ freti dono intelligentiæ prævidentis, verborum obscuritatibus texuerunt, sive mysterialibus sacramentis ; quidquid patres præteriti nare prophetica præsenserunt, qui adventum veræ lucis nuntiare præconio vigili consenserunt ; Virgo, regina virginum supergressa est profectu speciali, quæ hominem, salutem hominum parturivit utero virginali. Cujus partus et conceptus confecta novitas, nova confectio, primum thalamo virginali efficax sanitas, sana relectio ; ad nos postmodum certo Virginis magisterio sic procedit, ut ipsa quæ largitur, transcendat quidquid promissorium antecedit. Veritatem enim venturam nullus præcedentium sic expressit, quomodo Virgo sancta, cui divina bonitas hoc concessit ; ut supra quam ab homine vel ab angelo dici posset, incarnati Verbi mysterium expressius et sensibilius ipsa nosset. Cujus notio et suavis recordatio notionis, tam mira est confectio, et antiquæ abolitio læsionis, ut eis delibuta Virgo tanquam aromatibus vel unguentis, vulnus culpæ jam nesciat quam intulit Evæ malitia vel serpentis. Quæ unguenta Virginis, quibus meruit medicinaliter deliniri, clausa quodam signaculo non possunt nostris plene sermonibus expediri, quia sic in Virgine dignata est unguentaria lux oriri, ut, sicut est, ab altero non possit homine vel sentiri. Odor vero vel opinio unguentorum suaviter et salubriter nobis spirat, suavitate cujus noster languentium animus jam respirat ; et ad tantillum illud, quod de certa plenitudine Virgo dixit, hausto velut odore naribus, noster spiritus jam revixit. Recte ergo non unguenta **225** Virginis, quæ nobis longe inferioribus non apponit, sed, quod minus est, odorem unguentorum cunctis aromatibus anteponit, quia beneficio quod apostolis per Virginem datum est odorari, nulla priorum scientia nulla possunt aromata comparari. Non sine causa, cum Christus ad Patrem, unde venerat, est regressus, relictisque apostolis necdum in linguis igneis Spiritus est concessus ; dignum ducunt apostoli, ut cum Maria matre Jesu in oratione unanimiter perseverent, ut quod ab illa hauserint, et constantius, quo et certius, asseverent. Quibus enim largiore copia intelligentiæ sol refulsit, eis ex ipsa Virgine odor mellifluus sic influxit, ut si cui priorum sensui vel auditui conferatur, suavi dulcedine superferri procul dubio mereatur. De quo subjungitur : *Favus*, etc.

CAPUT XXIV.

Favus distillans labia tua Sponsa, mel et lac sub

lingua tua; et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. Bene favus debent labia Virginis nominari, quia et apis nomine ipsa Virgo dicitur figurari, quæ privilegio naturali pascitur floribus, vivit rore, nescia concubitus, fetus mirabiliter legit ore; sobole fecundatur sine gemitu vel dolore, casta sinu Virgineo fit mater non luxuria, sed amore. Arte vigens, callens ingenio, sollicitudine non pigrescit, miro satis studio suam prudentiam innotescit; dum favum sibi fabricans, distinctas in ordine cellas ponit, intra quarum angustias ore sedulo mel reponit. Huic api non incongrue Virgo similis æstimatur, quæ decore virtutum florido pasci spiritualiter delectatur, quæ vivit in spiritu, divina desuper gratia tanquam rore, virum nesciens, concipit, parit filium non labore. Quæ sollicito studio spiritales divitias coacervans, verba sensu gravida in corde conferens et conservans; secretum conscientiæ replet dulcedine tam suavi, ut intrinsecus mellea dici valeat, instar favi. Hanc autem dulcedinem, quam perfectius et plenius ipsa gustat, non morbo invidiæ non clave avaritiæ coangustat; sed, quod roris et dulcoris divinus ei Spiritus desuper voluit instillare, sua laxans labia, permittit nobis assistentibus distillare. Attendens enim Virgo, quid prius, quid posterius nobis congruum sit audire, non cuncta simul exerit quæ dignum judicat operire; nec tanquam vas reversatum, quidquid continet, mox effundit, sed ad cuncta minus idoneos tenui stillicidio nos perfundit. Non sic Testamentum Vetus, figurata locutio prophetarum, antiquorum ænigmata, obscura superficies Scripturarum; non sic, inquam, favus distillans esse vel dici etiam merebantur, quæ, etsi favus erant, clausa sub signaculo tenebantur. Favum enim, possumus obscuritatem præcedentium appellare, quæ intus mel tenebat, sed non noverat distillare, quia sensus mysticos, dulcores intimos, et profectus nequaquam perducebat ad nostros caligantium intellectus. Favus igitur ille suo quodam pondere tunc depressus, tempore multo jacuit manu ædificantium non expressus; nec accessit, qui eumdem nostri miserens elevaret, elevatum grata manu in os esurientium reliquaret. Virgo vero non tam melle quam dulcedine plena mentis, dives non pecunia, sed spiritalibus documentis; quod in favo reconderat melle dulcius, jucundius omni vino, non patulo tanquam vase, non effudit impetu repentino; sed ostio circumstantiæ aperturam moderans labiorum, id proferre maluit, prout sufferre valuit ipsa capacitas auditorum. Minus ergo illius labia stillaverunt, dum Christus adhuc inter homines homo vixit, amplius vero cum triumphata morte, majore gloria jam revixit, quia et Judæos pertinaces tunc premebat cæcitas superfusa, et nunc apostolis major cognitio dono Spiritus est infusa. Sunt igitur labia Virginis distillantia tanquam favus, quæ non serantur pessulo, nec inseritur eis clavus; sed clausa parte oris, altera pars aperta, quæ tempori A conveniunt, reddit auditoribus deoperta. Non enim ut linguosa mulier, quidquid in buccam venerit, subito verbosatur, sed abscondita secretorum discreto silentio moderatur; dignum judicans sub velamento linguæ quædam cautius retentanda, quæ, cum tempus imminet, jam committit labiis distillanda. Ideo forte sub lingua mel et lac habere perhibetur, in cujus secretario duplex scientia continetur: altera quæ videtur parvulis et lactentibus expedire; altera jam provectis et grandioribus convenire. Lacte etenim parvuli necessario nutriuntur, ad comedendum vero mel grandiusculi provehuntur; illi Christum hominem vere natum de Virgine protestantes, isti eumdem Deum de Deo natum ante sæcula venerantes. Lac de carne prodiens, B dici potest Christi humanitas, mel de flore vel rore veniens, ejusdem est vera divinitas, quarum notitiam Virgo sub lingua continet in secreto, nec passim, neque statim sermone ventilat indiscreto. Cum autem Christus Deus et homo ad hoc **226** prius hominem se ostendat, ut visibili cognito, cognoscentis, ad invisibile, cor ascendat; quid sibi vult, quod non lac et mel, sed mel et lac sub lingua Virginis dicit esse, quæ prius illum hominem Deum postea docet esse? Nulli dubium quin in Christo, dignitate deitas antecedat, et ideo dignum ducit, ut in locutione, sua prior humanitas non procedat, sed, si pariter de utraque vel aperta locutio vel operta mysterio componatur, præcellens dignitate in loquendi quoque ordine præponatur. Vel potius C duplicem volens scientiam Virginis demonstrare, quam sub lingua in secreto diutius illa voluit occultare, quæ illarum non solum dignior, sed etiam anterior fuerit, signanter exprimit in sermone, mellis prius, lactis posterius facta mysterialiter mentione. Prius enim adesse Virgini Deum angelus nuntiavit, quo præsente postea concepturam esse filium indicavit, ut in eo quem præsentem Virgo novit, firmius jam confidat, et percepto jam majori, de minori munere non diffidat. « Ave, inquit, angelus, gratia plena, Dominus tecum (*Luc.* 1). » Et subjungit de altero: « Ecce concipies et paries filium (*ibid.*). » Docet per angelum Dominus Virgini se præsentem, infundit scientiam melle suavius D dulcescentem, gustata scientia vel sapore melleo quem præmittit, per eumdem nuntium conceptum quasi lacteum repromittit. Non enim de concepto posset illa satis credula præmoneri, si non de divina præsentia gauderet certius edoceri, nisi sciret et sentiret sanctum sibi Spiritum desuper advenire, cujus umbra, sanctum efficitur quidquid illa dicitur parturire. Hæc autem scientia de Dei præsentia, filii de concepto, diu sub lingua latet in ipso Virginis intellectu, quo tamen beneficio virginalis discretio penitus nos non privat, fontemque repositum non subito reddit expositum, sed guttatim elicit et derivat. Cujus tanta discretio, discreta operatio ipsam quasi vestiunt et commendant, si qui tamen fuerint, qui ejus digne merita jam per-

pendant; qui prævidere sciant qualiter obscuris et negligentibus eligat nec mutire, stillare vero diligentibus non prodigis manibus diligat effutire. Vestimentis, ut notum est, nostra nuditas operitur, vestimentorum gloria virginalis nobilitas insignitur; nec placet forte Sponso nisi quæ bysso et purpura sic vestitur, ut non solum frigus non timeat, sed et cultu decens appareat, dum ornata duplicibus invenitur. Quamvis in præsenti loco non descripserit vestium qualitatem, non expresserit definire ipsius numeri quantitatem; hoc reservans illi mulieri, quam, ut alias dictum est, quis invenit, cujus procul pretium, et de ultimis finibus huc advenit. Quæ nimirum mulier, quævis anima potest dici, quæ suorum sollicita, invenitur negotio sic addici, ut ab æstu vel frigore et incursu præcavens repentino, manum mittens ad fortia, laboret, tanquam sedeat in textrino. Hic autem habetur in manibus non quævis anima, inopiæ timida generalis, sed quædam anima meriti vel excellentiæ specialis; cujus non tegunt ignominiam, non frigus jam respuunt vestimenta, sed in conspectu Sponsi festivam eam exhibent ornamenta. Quia vero quam solemnis in oculis Sponsi apparuerit quam festiva, non permittit nos videre mentis cæcitas oppressiva; hic ille vestimentorum nobis non expressit numerum, non decorem, sed ne totum taceat, facit transitum ad odorem. In eo quippe quod de Christo Virgo vel apud se intus sentit, vel stillare jam consensit, quantum velut apis melle gaudens fuerit operosa, vel tanquam favus stillans discreti moderaminis studiosa; illi amplius totum placet, solis cujus oculis patet totum, nobis velut odor thuris cum carbonibus est admotum. Nam cum divino igni thus virgineum se immergit, in defectum salutarem modo ineffabili totum vergit: fortioris tamen imperio damnabiliter non consumptum, sed amoris et decoris merito delectabiliter est assumptum. Quantum autem vel ardeat, vel hoc ardore placeat, non sentimus, sed odorem vel tenuem tanquam longe positi vix haurimus, quia thure liquefacto ad Sponsi latitudinem fumus tendit, odor vel opinio ad nos latitudine se extendit. Ille igitur virtutes quibus Virgo nobilis honestatur, honestate nobili divino conspectui præsentatur, quædam sunt vestimenta, non operiendæ necessaria nuditati, sed convenientia præferendæ fiducialius honestati. Quæ præfertur et offertur divinis conspectibus instar thuris, non auro, non vestibus, sed conspicua moribus placituris, grata cujus suavitas placere Domino sic videtur, ut nos tangat et odore, dum nostri sua benevolentia miseretur. Ad nihil enim aliud foras diligit evagari, sed magis intra duo hæc vallo fortitudinis coarctari, ut scilicet sponso exhibeat suo plenius commendabilem se decore, et distillans tenuius, suo repleat nos odore. Unde subjungitur. *Hortus*, etc.

CAPUT XXV.

Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Quia in horto primo primam serpens mulierem supplantavit, hortum sibi alium **227** Deus Dei Filius tunc plantavit, cum beatam Virginem supra morem cæteris mulieribus attributum, sua replevit gratia, multo non herbarum genere sed virtutum: in illo quippe horto mulieris est simplicitas circumventa, vir gustavit prohibitum, gustato nuditas est inventa, victuros in æternum transgressionis merito mors prævenit, tam illis quam posteris mortalitatis maledictio supervenit. Iste autem hortus arbusta non continens, herbas, flores, ligna densarum frondium, fructus transitorios et odores; alia quædam habet digna talibus vel conferri, vel, ut dicam verius, transitoriis omnibus superferri. Habet enim quod sane sapiens gustus judicat fructuosum, quod sibi odoratus recto judicio pretiosum, quod visus interior tersa caligine gratiosum, quod abstergit omnem inopiam mira plenitudine copiosum. Huic enim lignum vitæ fixis radicibus est insertum, de quo qui comederit (sicut experientibus est compertum), morte gravi non læditur, sed dicto felicius vita vivit, quam qui potuit obtinere, ultra vivere non desivit. Habet etiam thus admirabile, vel aroma commendabile, vel unguentum, quod non in Arabia, sed in terra negata morientibus est inventum, cujus qui odorem hauserit, fetores nesciet serpentinos, nec somnolentia prævalente morsus sentiet repentinos. Habet nihilominus illum rosæ vel violæ, vel etiam lilii gratum florem, vel si quem in floribus constat esse visui gratiorem, quem qui digne attenderit, et illi se intenderit oculo perspicaci, quidquid triste nox murmurat, gaudio transiet non transitorio, sed tenaci. Est enim in horto lignum vitæ effusum oleum, flos formosus, ipse Sponsus Virginis, forma præ filiis hominum speciosus, quo præsente illum non turpis inopia, non inops obsidet turpitudo, sed in eo habitat divinitatis corporaliter plenitudo (*Coloss.* II). Deum quippe in Christo, Christum autem in Virgine non umbraliter, sed veraciter constat esse, et ob hoc ipsum hortum bonis sufficientibus plenum esse, quem ipse qui plantavit, prudenti concilio voluit sic concludi, ut qui videt et invidet, doleat se excludi. Et revera sicut non obstruitur fideli penitus et amico, sic vallata fortitudine clauditur inimico: non Judæum, non gentilem, non fide vacuum intromittit, et quem dignum attendit odio, forti repulsorio longe mittit. In eo igitur, non sicut in antiquo, subdole serpens serpit, fructus ejus non toxicat, odorem non attaminat, flosculos non decerpit; non esurit prava mollities, ad effectum esuries non procedit, non serpenti mulier, vir mulieri non obedit. Verumtamen non desertum, non solitarium lædit fastidium, dolor non stimulat, dum ejus ipse auctor in eodem festivus deambulat: vultu cujus hilari res in horto fructificant, species vigent rerum, forma præ hominibus specioso arridet multiplicitas specierum. Eo enim deambulante cujus in vultu decor, gratia in labiis est diffusa, respondet hortus Virginis læto

spiritu, facie non confusa : placens deambulanti omni prorsus turpitudine sic exclusa, ut intus non nisi pulchritudo restet forti munimine circumfusa. Quid autem sibi vult quod hortum conclusum semel sponso dicere non est satis, sed hoc ipsum ingeminat eisdem nominibus iteratis, nisi quia, ut jam dictum esse recolo, hujus est intemperantiæ vis amoris, ut frequenter sermone repetito magnitudinem exprimat affectus gratioris? Vel forte ob hoc voluit hortum dicere bis conclusum, ut ostendat malum duplex ab eadem virgine sic exclusum, ut et carni teneræ spiritus enervi mollitie non assistat, et spiritui fortiori caro contumaciter non resistat. Nos enim etsi mente servimus per gratiam legi Dei, carne tamen per legem insitam aliquantulum sumus rei, et cum nobis videmur vigilante spiritu circumspecti, carne somno resoluta invenimur non mediocriter imperfecti. Vel ideo bis conclusus hortus iste meruit appellari, quia sic invenitur Virgo duplex studium amplexari, ut in neutro penitus reprehensibilem se ostendat, sed mente circumspecta ab incursu quorumvis hostium se defendat. Sic enim, cum exegit necessitas, negotio sese contulit actuali, ut datis huic manibus non detraheret spiritali, rursus contemplativo spiritalem oculum sic infixit, ut activum non horreret, cui ad pœnam Deus peccati merito maledixit. In excessum contemplandi dulcore melleo se suspendit, ad colligendum proximum affectu lacteo condescendit, ab utroque latere vel potius in circuitu sic munita, ut locum daret nulli, a multis incursantibus expetita. Quia vero indiget hortus irriguo, ne arescat; sed ut abundet potius plantariis congruentibus, et silvescat : hortus iste non tam fonte dicitur irrigari, quam expressiore significantia fons vocari. Fons autem a fundendo, ut nonnulli asserunt, nominatur, eo quod de occultis aquam vivam fundere videatur, et perenni vena ebulliens, ubertate non forensi vivere, sed interna, non torrentibus tanquam lacus, non aquis pluvialibus ut cisterna (*Prov.* v). Fons igitur et hæc Virgo satis congrue dici debet, cujus non arescit intelligentia, non æstu arido sensus habet, sed interni gratia muneris docetur ineffabiliter et ditescit, et mirabili jugitate supra quam dici valeat, hilarescit. Quæ profecto revelatum sibi mysterium tanquam sub signaculo diu celat, ubertatem vividam minus capacibus non revelat : fecunditatis modum, nuptiarum formam, excellentiam cælibatus, clausa tenet **228** scientia veluti fons signatus. Nam qui talem illi scientiam, tam singularem conscientiam assignavit, non reliquit eam ut vas sine operculo, sed signavit, ne audientes et non capientes indigni scandalo perturbentur, festinentque magis ad lapides quam mysterium venerentur. Nuptialem itaque thalamum virginis, penetralia secretorum, fontem aquæ salientis, miram scientiam divinorum ; ipse auctor muneris, claudit seram, clave Davidica sibi signat, blasphemo caliganti, digno carenti pretio non resignat. Stat foris concio popularis, vulgus perstrepit indiscretum, A signaculo non soluto, non fontem percipit tam secretum : philosophorum argutia, mundi principes sunt jejuni, oblatrantes non capiunt, nil proficiunt importuni. Multa quidem copia, multa subtilitas est in fonte, unda salit, saltus perpetuat vena ex interioribus prodeunte ; sed clavis apposita sic videtur cunctis forensibus operire, ut infidelibus nil omnino, parum vero quid dignetur fidelibus aperire. Ipsum tamen quod parum est, quantum ad residuam ubertatem nobis sic exuberat, nostram sic exsuperat parvitatem, ut illud nonnisi mens collecta, nonnisi amor capiat indivisus, quia serpentem lividum non admittit hujuscemodi paradisus. Unde subditur : *Emissiones tuæ*, etc.

CAPUT XXVI.

B *Emissiones tuæ paradisus malorum Punicorum cum pomorum fructibus.* Quæ conclusus iste hortus, vel munitus signaculo fons emittit, qui nullos vel paucissimos ad secreta suæ plenitudinis intromittit, velut quædam paradisus vel delectatio sunt malorum, intus colore niveo, foris autem rubeo Punicorum. Hortus quippe si prudenti manu vel consilio sit plantatus, et irriguo aquæ vivæ temporibus congruis humectatus, quid proferre convenientius asseratur, quam quod vel fames expetit ad edendum, vel infirmitas judicat salubre atque efficax ad medendum? Emissiones itaque virginis quæ horti vel fontis nomine figuratur, ipse qui commendat, paradiso similes attestatur : imo loquens expressius paradisum malorum C Punicorum cum pomorum fructibus dicit esse, et cætera quæ sequuntur, quæ medicinalia constat esse. Fuit pridem paradisus serpentinæ suasoria pravitatis, fraudis novæ conceptoria, peremptoria sanctitatis, in qua vir feminæ molli consilio cessit fortis, gustus pomi prohibitus, expertis intulit fructum mortis. Ista vero paradisus quæ de horto vel fonte virginis est emissa, recompensat potentius quæ in illa curiosius sunt amissa, existens malorum Punicorum, quæ intra nivei, extra rubei sunt coloris ; et pomorum aliorum, quæ comedentibus saluberrimi sunt saporis. Color in malis Punicis rubeus qui exterius se præsentat, amorem passionis et tolerantiam repræsentat, quam potest in Virginis vita et moribus intueri, qui ad similiter patiendum ejus magisterio D vult doceri. Candor interius flos est conscientiæ, mens secura, quæ, cum mundus sævit extrinsecus, minaturve passio sævitura ; puritatem amplectitur, virginalem munditiam non relinquit ; injuriis non turbatur, pulsata molestiis non delinquit. Fructus vero pomorum aliorum qui cum malis Punicis emittuntur, ejus bona sunt opera quæ non solum grata visui præmittuntur, sed et gustantibus, hoc est imitantibus non mediocriter fructuosa, et non colore seductibili, sed sapore perutili pretiosa. Verum quia oculo curiosius intuenti grata satis una vel altera species non est rerum, ad cumulandas laudes, multa subdit genera specierum, ut emissiones multimodæ multum nos faciant admirari, dignaque multis laudibus modis congruentibus venerari.

CAPUT XXVII.

Cypri cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis. Cypri arbusculæ sunt graciles quæ in multam altitudinem diriguntur, quarum grana in oleo, medicorum perita sollicitudine decoquuntur, cujusmodi coctione commendabile fit unguentum, quo perunctis doloribus optabile redditur lenimentum. Sic et virtutes Virginis, subtiles admodum et directæ, in excelsum dignitatis, non ramis, sed meritis sunt evectæ, quarum fructuosi actus coquuntur in oleo spiritali, cum in amore sancto spoliantur humore noxio vel carnali. Nardus vero quæ est arbor minuscula hujusmodi cypris adjungitur, cum virtutum excellentia humilitatis respectu deprimitur : et quo magis inter mulieres Virgo titulis singularibus est evecta, eo suis in oculis plus apparet humilis et despecta. Bene igitur *Cypri cum nardo* in hoc catalogo medicinalium sunt **229** præmissæ, quæ instar paradisi de horto Virginis sunt emissæ, quia virtutum excellentiam adjuncta humilitas sic commendat, ut secure tanta confectio ad nostram notitiam se extendat. Item *nardus et crocus.* Ex sola, ut aiunt, nardo, sine altera specie vel mistura, fit unguentum laudabile et confectio profutura ; et Maria Magdalena pedes Domini ungere voluit hoc unguento, sicut satis innotuit lectionis evangelicæ documento. « Sumpsit, inquit, libram unguenti nardi pystici pretiosi, et unxit pedes Jesus (*Joan.* XII). » Nardus est cordis contritio quam offerunt humiles et devoti, qui ad tantam gratiam contribulato spiritu sunt promoti, ut ungant pedes Jesu, et ad caput ipsum profectu veniant ampliore, et nares circumstantium, vel potius totam domum repleant ex odore. « Domus, ait, impleta est ex odore unguenti (*ibid.*). » Et supra in hoc epithalamio : « Nardus, inquit, mea dedit odorem suum (*Cant.* I). » Huic nardo tam arbori quam unguento crocus assidet et assistit, quæ præsentes febres fugat, venientibus obviat et resistit, quæ in superficie præfert decus aureum vel colorem charitatem significans, quæ thronum possidet altiorem. Quæ nimirum charitas devotæ humilitati diligit præsto esse, contritoque spiritui comes individua sic adesse, ut quem devotiore affectu compungi noverit et inungi, plus amare faciat, et ab eo, quem dilexerit non sejungi. Si qua enim tristitiæ vel accidiæ amaritudo febricitans intercurrit detrimentum inferri non sustinens, proxima charitas mox occurrit, quæ infirmans noxia, devotum spiritum stare commonet in incœpto, ne hostis malevolus triumphum referat a decepto. *Fistula*, inquit, *et cinnamomum.* Fistula quæ coloris est subrubei, corticem habens durum, signat robur constantiæ molestiis incursantibus non cessurum, quæ prædictis virtutibus tam jugem exhibere diligit comitatum, ut pro eis non damnum sanguinis, non martyrii respuat cruciatum. Quæ nimirum constantia præmissis speciebus videtur necessario sociari, ne, quod amat devotio, prohibeat fatigatio consummari, ne bonum propositum, cum non frangat subitatio violenta, pedetentim attenuet manus diuturnior et extenta. Et quoniam juxta mandatum sua semper novissima sapiens memoratur (*Eccles.* VII), adest statim cinnamomum, quod colore, cineri similatur : monens ut in omnibus ad quæ profectu congruo meretur sapiens proficisci, quis, unde, quo perveniat nunquam desinat reminisci. « Terra es, inquit, et in terram ibis (*Gen.* III). » Et Job : « Ago, inquit, pœnitentiam in favilla et cinere (*Job.* XLII). » Denique Abraham cum ad loquendum Deo affectu et effectu prospero se suspendit, in hoc tamen excellenti fastigio cinerem se attendit, ostendens de oblato sic beneficio se gaudere, ut sua digne memorans, videatur quasi de proprio nil audere. « Loquar, inquit, ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis (*Gen.* XVIII). » Hæc sunt arbusta aromatica salubri proficientia medicinæ, excolendis plus apta moribus, veraci congrua disciplinæ, cum cæteris quampluribus quæ aspectu et effectu ab invicem sunt diversa, et simul ad medelam profert Libanus universa. Christus quippe, quem plerique aiunt Libani nomine figurari, vult suarum virtutum seriem ad nos per Virginem derivari ; et, quod multis retro temporibus prophetalis dixit promissio, ad effectum nostris in manibus virginalis duxit emissio. *Myrrha*, inquit, *et aloe cum omnibus primis unguentis.* » Superioribus descriptis virtutibus sub ænigmate vel figura, quibus internæ mentis amor instruitur spiritaliter adfutura ; ad aliorum videtur charismatum species pertransire, quas constat corporibus medicinali mysterio convenire. Ut enim caro, cui est a conceptu lex imposita naturalis, ut plus minusve vivens, necessario sit mortalis, cum florem matutinum occasu decusserit vespertino, non tamen putredine, non verme defluat serpentino : myrrha potens imperat, videtur et imperio prævalere, et in hujus præsentia non timet illa naturalibus subjacere. Myrrha enim unguentum est, quo caro mortua gaudet ungi, quo peruncta, ejus integritas, lege miratur insita non disjungi, quæ vigore privata vivido, sciens se jam invalidam, jam inermem, miro tamen myrrhæ præsidio putredinis olim inolitæ nescit vermem. Hoc ipsum et aloe potentia suæ fortitudinis operatur, unde et satis merito in hoc illi epithalamio copulatur, ut quarum diversarum una est operatio vel effectus, earum innotescat socialis quædam amicitia vel affectus. Cæterum hoc habet aloe jure quodam et privilegio speciali, quod obtinere myrrha consortio non prævaluit generali, ut præter id quod unctio est mortuorum corporum servativa, fiat quoque potio viventium viscerum purgativa. Myrrha igitur est jejunandi assiduitas, abstinendi asperitas, restrictio continendi, laboris exercitium, meditandi frequentia, studium addiscendi, quæ primo quidem gustu miræ sunt amaritudinis prolativa, sed usu validius operante carnalis putredinis expulsiva. Verum

quia nonnisi in mortuis carnibus ad unguem prævalet hic effectus, necesse est ut tollatur vivendi suavitas et affectus; et, ut sufficientius prosit afflictio forinsecus expetita, nobis, qui caro sumus, fiat de medio præsens vita. Nos enim, etsi nonnunquam affligimur foris gravi qualibet actione, male tamen vivimus, radice adhuc virulenta, vivida passione; et expedit ut prudens medicus tacta vena internorum motuum **230** habita notione, humores male vividos purgatoria faciat egeri potione. Hæc autem potio aloe est, vel potius amor intimus est virtutis, qui bonum gignit odium culpæ et peremptoriæ servitutis, qui a cordis finibus longe expuens turpem fæculentiam Pharaonis, illud sane defæcatum reddit Christo porticum Salomonis. Cujusmodi fæculentiam et fæcis immunditiam oppressivæ, et amoris potionem, et virtutis efficaciam expulsivæ; bene quidam ethnicus non expers vel inscius similis medicinæ, demonstravit non vagis et negligentibus, sed in auditorio residentibus disciplinæ (81-82).

Oderunt, inquit, *peccare boni virtutis amore.* Bonus amor, bona virtus nihilominus est amoris, quæ perfecto condemnat odio, sentinam immunditiæ turpioris : et districti scopa Judicii radit quidquid invenit cœnulentum, sponsoque venienti sternit grato marmore pavimentum. Postquam autem interiora virtutis amore tanquam potionis efficacia permundantur, extunc et deinceps myrrha et aloe pariter operantur, voluntasque et operatio nobis transeunt in unguentum, quod adversus æternam putretudinem, non vitio, sed natura carnalibus dat sufficiens munimentum (*Rom.* VIII; *Ephes.* II). Neque enim voluntas sine opere ad obtinendum meritum languens otio perveniret, nec opus sine voluntate apud Deum gloriam inveniret, sed affectus per effectum gaudet forinsecus laudabiliter elucere, et effectus de affectu testimonium evidens perhibere. Cum igitur voluntas, sive amor virtutis, priorem obtinere loculum videatur, et voluntatem præviam opus sequi nulli dubium habeatur, quid sibi vult quod in hoc loquens epithalamio non præmisit aloen in sermone, quæ, etsi non unguento, tamen prævenit potione? Non enim ait, aloe et myrrha : sed *myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis*, quia labor operis, quem per myrrham diximus figurari, amorem virtutis (qui potionis vicem dictus est operari), quasi ducit et educit, et in publicum repræsentat, non enim labor per amorem, sed amor per laborem, quasi visibilem se ostentat, ideo myrrha prius nominatur, quæ prædux et prævia primitus vult videri, munere cujus amor meretur cognoscibilis exhiberi. « A fructibus, inquit, eorum cognoscetis eos (*Matth.* VII). » Recte Nicodemus in Evangelio ferens misturam myrrhæ et aloes libras centum, eodem prorsus ordine sibi conficiens hoc unguentum : carnem Christi mortui ungere voluit hac mistura; ostendens quia non sit lege mortalium ad putredinem transitura. Et hic nimirum myrrha prius, postmodum aloe nominatur, eo scilicet quod voluntas jam visibili opere demonstratur; et in unam misturam in oculis recte credentium convenerunt, quo conventu nostris doloribus unguentum utile confecerunt. « Oblatus est enim quia ipse voluit (*Isa.* LIII); » et « Christus pro nobis, ait, mortuus est (*Rom.* V). » Quod autem misturæ hujus libras centum Nicodemus legitur attulisse, innuit Christum in pondere et numero suum nobis beneficium contulisse; et quod ante fuerat verbis et significationibus transitoriis prophetatum, tandem esse certo pondere, perfecto numero consummatum. « Consummatum est (*Joan.* XIX), » inquit. Fallor si Virgo misturam hujusmodi non confecit, si hac confectione non vermes, non putredinem longe fecit; si in conficiendo vel pondus, vel numerum, vel ipsum ordinem prætermisit, et non magis paradisum unguentariæ plenitudinis huc emisit. Et, ne forte cuilibet hoc unum insufficiens videretur, quia multiplex necessitas uno plerumque beneficio non suppletur, addit, *cum omnibus primis unguentis*, ut signetur emissio Virginis opulenta, quæ cum myrrha et aloe reliquorum nobis charismatum dat unguenta. Prima vero et præcipua sunt unguenta geminæ charitatis, quæ conclusus iste hortus profert de promptuario sanctitatis; dignisque auditoribus distillat Virgo monitis salutaribus et doctrina, doctrinam accumulans exemplo, moribus, disciplina. Quæ quoniam non solum hortus conclusus, sed et fons signatus supra meruit appellari, explicitis jam quæ horto possunt specialius assignari, ad ea consequenter non differt Sponsus loquendo pertransire, quæ signato quoque fonti videntur probabilius convenire.

(81-82) Horatius, libro epistolarum.

CAPUT XXVIII.

Fons hortorum, puteus aquarum viventium quæ fluunt impetu de Libano. Sicut emissiones tuæ mala sunt Punica, vel cætera quæ sequuntur, quæ de horto voluptatis, vel ad edendum vel ad medendum congrua proferuntur, sic emissio tua, est non horti unius, sed potius fons hortorum, quo amant irrigari corda fructificantia plurimorum. Quisquis enim vult hortus fieri, et campo sterili se præferre, qui decorem floridum et fructum utilem vult proferre; ad hunc fontem conspicuum et illimem debet studiosius se conferre, vel oblatæ forte gratis repulsæ contumeliam non referre; ad hoc quippe Virginis benevolentia (quam multa constat sapientia reducere), nobis infirmioribus tanquam fontem voluit se præbere, ne quibus suadere videtur aviditas spem bibendi, **231** repulsam duriorem difficultas ingerat hauriendi. Nos enim quibus placet inventa suavitas sentiendi, sed claudit velut aditum labor nimius requirendi; illius non exasperat, sed magis se contemperat fonti similis plenitudo, et jam quidem avidos, sed adhuc invalidos ejus suscipit latitudo. Sed quia grandioribus qui ardent plenius exaudiri, fontis plana tenuitas videtur citius exhauriri, eis-

dem sapientia Virginis profundo mysterio se subducit; et eos cum labore ad suam plenitudinem introducit. Illi vero, quo amplius considerant illud quod desiderant removeri, et sperant in puteo largiorem aquarum copiam contineri; accensi desiderio, instantia valida se accingunt, scientes quod profunda nisi hauritorio non attingunt. Eo igitur non contenti quod videtur quasi patulum pluribus et commune, in profundum putei dimittunt hauritorium longo fune; persistuntque in opere nullis concussionibus interrupto, donec plenum hauritorium fune retrahant indisrupto. Haustum cujus degustantes, ad tantam dulcedinem obstupescunt, et ad capiendum eam non satis suis viribus invalescunt, cujus pleni abundantia tandem sitim aridam non abstergunt, sed more vel amore hydropico ipsi puteo se immergunt. Cum autem, juxta quemdam ethnicum (83)

Capiant vitium ni moveantur aquæ,

in fundo putei non stativas, non situ degeneri, non standi vitio corruptivas, sed modo mirabili reperiunt, reperientes hauriunt, aquas vivas, sicut multæ plenitudinis sic et miræ dulcedinis ostensivas. Ad has quidquam morticinum, quidquam noxium non accedit, non serpens insibilat, non venefico flatu lædit; non lapsus desuper ramus turbat, limus influens non succedit, custos earum Sponsus quidquam inesse turbidum non concedit. Ipse qui est Libanus semper candens nivibus non solutis, imo summæ lucis candor et divinæ speculum est virtutis; ex seipso fundit aquas, et aquarum affluentiam spiritalem, et occulto replet ductu fontem sive puteum virginalem. Cujus profundos lacus, etsi largiore copia non haurimus, qui angusto quidem vase, et incapaci desiderio convenimus; quisquis tamen pensare prævalet qua ubertate Libanus aquas fundit, novit quanto impetu earum abundantia huic puteo se infundit. Ad hunc fontem aquarum viventium longe positi convenite, et quos tenet mundi sapientia, ab ejus vos compedibus expedite: tumorem philosophicum iteratis vomitibus effutite, vino draconum ebrii, vestri ruinam studii, potu aquæ vivido resarcite. Bonus hortus qui fontis vel putei vocabulum est sortitus, multo pomorum genere et specierum medicinalium insignitus; aquæ dives irriguo, non situ putido vernescentis, sed impetu fluentis de Libano et in vitam vigore vivido salientis. Cujus horti sponsus tenetur tanta sollicitudine, tanta cura, profectus accumulans, tam perfecte removens nocitura, ut non solum conclusum signaverit, ne furi vel prædoni pateret violento, sed protexerit et desuper, ne tangeretur vel ad modicum nequam vento.

CAPUT XXIX.

Surge aquilo, et veni auster, perfla hortum meum: et fluent aromata illius. Pulcher ordo. Prius quidem alloquitur et longe removet aquilonem, ne festinus præveniat, et præoccupet regionem: ne per campos lati aeris libere se diffundat, et horto fructibus diviti flatus graves sive grandinem superfundat. Tu, ait, qui tibi posuisti sedem quasi regiam ad arcturum, disponens imperare, et mundum tibi subdere serviturum, surge, nec diutius teneat hæc præsumptio te securum, quem volo procul cedere, et non super horti pulchritudinem sæviturum. Putasti similem te fore Altissimo qui tantum Lucifer dicebare, cum soli, qui solus est, non sit per alterum luminare, et tuæ nequitiæ, ipso quod profers constet nomine contradici, habens enim similem jam nec Altissimus potest dici. *Surge* igitur et hujus sessionis folles tumidos jam compesce, a sede pulsus tumida in auras tenues evanesce, tanquam pulvis tenuior, in tui similes te disperge, vel fumus inanior, superborum oculis te immerge. Inter nostra seria non tua ludibria, non ludificantium placet jocus, in horto sanctitatis tibi perdito non est locus, qui Evam corrupisti ridens et prævalens in ea paradiso, virgo vel hortus virginis claudit tibi ostium jam deriso. Surge ergo quem lædit æstimatio, tumor propius exinanit, dum juxta spem falsariam intra horti hujus terminos non insanit: hortum conclusum fortiter, ne cures jam inaniter circuire, da locum potiori quem venientem expedit introire. *Et veni*, inquit, *auster*. Illo remoto longius, cujus præsentia, cujus est vicinia recte gravis, veni auster, veni horto saluberrimus et suavis, quem axis meridianus et sol tepidior huc transmittit, cujus transmissio aquilonem frigidum non admittit. Tu igitur qui non gaudes illius noxio comitatu, nec in horto sanctitatis illum sinis gaudere principatu, quia eo procul facto adhuc Virgo tali est beneficio non contenta, ad supplendum quod exigit, vultu ei **232** placido te præsenta. De occulta sede illa in qua nil habetur caliginis, nil obsceni, puro dives lumine spirans suavius auster veni: spira et fla, imo *perfla*, hoc est perage leni flatu, ut ornetur hortus iste et fixo gaudeat de ornatu. Mihi videtur auster typum sancti Spiritus obtinere, suavem cujus flatum non potest aquilo sustinere, quem cum ille venientem vel tenui præsentit odoratu, horret et de præsumpto festinat cedere prioratu. Nam illius malitiæ sic istius potens beniguitas adversatur, ut destruat sua præsentia quidquid ille nequiter operatur; et quos ille pressos gelu, fixos tenet, et durum colligat in errorem; iste solvit, et solutis dat currere more torrentium in amorem. Iste conclusum hortum adventu visitat pleniore, et diversos ejus fructus aura fovet et promovet leniore, ut ex eis fiant aromata medicinalibus congrua disciplinis, quæ fluant imo influant curandorum non corporibus, sed amoribus intestinis. Et recte sponsus austrum venire vel præcipit vel hortatur, quia sicut Pater Spiritum, sic et Filius mit-

(83) Ovidius, Libro de Ponto.

tere se testatur, qui spiritus etsi ubi vult, et quando vult, adesse creditur, et prodesse, ab eo tamen mittitur, cum quo habet naturaliter unum esse. « Cum venerit, inquit, Paracletus quem ego mittam vobis (*Joan.* XV). » Mittit ergo spiritum filius horto sive thalamo virginali, ut veniens ille spiret et aspiret, et flatu eum leniat spiritali, et cum dulci spiramine mirabilem illi virtutum infuderit suadelam, hortus aromatizans fluat, et nobis tanquam superfluat ad medelam.

CAPUT XXX.

Surge aquilo, et veni auster. Vel, si cui magis placet, prædictis verbis ipse sponsus non prorsus removet aquilonem, sed volenti surgere concedit liberam optionem, quia, etsi plenus ille malitiæ, non tamen ad nos venire prævalet, nisi missus, nec ad opus nequam exsurgere, nisi data licentia sit permissus. Videns igitur hortum sponsus conclusione incomparabili satis fortem; nec timere minas horribiles, vibrantem gladium, sævam mortem : assultuum vel impulsuum molestiis posse non deficere, sed probari, probationis merito dignius et gloriosius coronari; ad eum se convertit qui persecutor fieri semper gaudet, et, nesciens rei finem, in quosvis justos mittere manus audet. *Surge*, ait, *aquilo*, erumpe de latibulo pravitatis, exere totas vires et perversæ malitiam voluntatis : intona, fulgura, perstrepe, ingere turbines, grandines et procellas quascunque potes, congere, adde veteribus et novellas. Sed ne putes adversus virginem effrenata malitia prævalere, venit auster dans virgini quidquid ingeris æquanimiter sustinere; perflans hortum intrinsecus et miro inebrians blandimento, ut vel prorsus non sentiat, vel saltem non deficiat in tormento. Tu aquilo surge et insurge, et foris persona violenter, tu auster intro spira, da quod ille personuerit sufferri patienter; tu maligne domum exaspera, ut paries proximus ardere videatur; tu benigne confirma thalamum, ut eo bene tuto nec incendium timeatur. Nunquid non vobis visus est aquilo durius desævire, cum Judæos propinquos generis in Mariam compulit insanire, ut argumento partus integritatem virginis abnegarent, et lege nostra omnium, ejus et Dei Filium genitum affirmarent? Nunquid non dure intonat, cum eumdem filium Judæi persequuntur, cum eorum consortes malitiæ alterius nationis homines adjunguntur, cum exteros propinquorum urget furor pertinax et clamor insuavis, et utrique immeritum crucifigunt. illi vocibus, isti clavis? Non est dictu facile quem matri colaphum, imo quam gravem malleum tanta persequentium vis incussit, et tamen horto suæ decorem fidei et patientiæ non excussit, quia intus regnans auster vallo illum fortitudinis circumclusit, et a fide et patientia omnem oppressoriam vim exclusit. Sic affectu vario et effectu contrario auster et aquilo conseruntur, sic diversa et adversa fronte instar belligerantium colliduntur, fortique fundamento graves impetus fluminis illiduntur, unde et victrice constantia et illæso ædificio reliduntur. Quo conflictu, qua pressura Virgo non ut cremium exarescit, sed oliva fructifera medicinaliter impinguescit, ex qua sudat oleum quod omni pretiosius est unguento, digna fluunt aromata, non auro comparabilia non argento. Non ergo illi soli aquilonis et austri prodest contentio, quorum contendentium tam diversa manet intentio, sed ad nos usque pervenit collata utilitas, manus extensio, assumpta gaudens reddere, non claudere cuncta silentio. Sed, quoniam post laudes Virginis quas dignatus est plurimas recensere, in præsenti loco sponsus voluit jam silere; dignum duxi, ut et stylus noster paulisper ori digitum superponat, et hujus operis quartus liber finem sibi congruum jam imponat.

LIBER QUINTUS.

233 CAPUT PRIMUM.

[Cap. V.] *Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum.* Videns Virgo et approbans horti similitudinem se habere, plantatam virtutibus, meritis congruentibus se florere, profectuque mirifico se nisi sponsi faciem non ardere, non potest diutius desiderium sub silentio continere. Quo enim eam ille munit sollicitius ut defendat, quo munitam et defensam attollit diligentius et commendat : eo ista plus diligit, plus dilecti faciem vult videre, putans parum si quid habet, dum se dolet reliquum non habere. Ille, ait, qui hortum suum manu potens, verbo non invalidus radicare, radicatum voluit aquis viventibus irrigare, qui eum concludere et quibusque voluit claudere nocituris, ut ei non prævaleant imo ut nec habeant quidquam juris : ille, inquam, veniat, et quod suum est, dignetur propius intueri, benignoque intuitu augere gratiam et tueri. Quod enim aquilo surgere præcipitur vel conceditur desævire, quod auster ex opposito mandatur blandiens advenire; fiet, et hortus factum sentiet, et erit utile sentienti, si dilectus veniat suam exhibere præsentiam diligenti. Eo præsente aquilo frendet malevolus, noxius non nocebit, auster suavior et efficacior apparebit : ille tribulans, patientiam, patientia probationem, spem probatio non confusam, iste, operabitur charitatem quæ in nostris præbet cordibus se diffusam. Et quis dilectus suam diutius neget præsentiam vel adventum horto quem plantavit, quem rigavit, cui dedit etiam incrementum : a cujus continentia, quidquid erat noxium, scopa judiciaria procul jecit, et conclusum forti munimine, specialiter suum fecit? Quem vero non moveat, quod dilectus est, quem venire diligens deprecatur, et non nisi suum est, ad quod tanquam Dominus invitatur, cum possessorem ad possessa

venire deceat etiam non vocatum, et ipse amor, clamor sit, ut non vocare nequeat sic amatum? Ergo dilectus veniat in hortum, non alterius, non in jus alienum, sed in suum, et suo se ostendat amabilem et serenum; et gratum habens quod in eo utile viderit et honestum, manu carpat, imo et comedat, nisi forte senserit intempestum. Poma mea, ut arbitror, ad colligendum congrua se ostendunt, imo sua, quæ maturitatem nisi suo munere non prætendunt, quæ non sicut nonnullorum visa placent, tacta protinus evanescunt, sed odore sapido et sapore solido maturescunt. Horum pomorum non solum superficiem oculis speciosam, sed potius maturitatem avido gustui fructuosam comedat ille veniens, id est sibi assumere delectetur, tollat de medio, et in suo recondere secretario gratuletur. Etsi enim manere hic ad acquirendum meritum est necesse, illic tamen gaudere præmio magis optimum duco esse : et ideo non tam in agro laboris, quam in quietis horreo vellem esse, meumque agricolam pasci et refici sua messe. Audit sponsus verba sponsæ, imo desiderium, et respondet; et venturum, vel etiam comesurum juxta preces Virginis non se spondet; sed, quod longe est amplius, monstrat dicto citius se venisse, nec adventum postulatum aure surda vel ad modicum distulisse.

A

B

CAPUT II.

Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis. Sicut mittens ad Virginem supradictus est Dominus angelum prævenisse, et apud eum Virgo dicta est gratiam invenisse : ita et hic postulatus ut veniat, non adventum suum petenti pollicetur, sed venisse et fecisse quod visum sibi congruum fuerat, se fatetur. Tu, inquit, sollicite petis ut veniam, sed jam veni : tempus a te quasi propositum et petiti muneris spem præveni; et supra quam rogares et peteres, benevolus venire festinavi, et hortum meum non jam præambulo, sed mea ipsius præsentia visitavi. Nec enim dignum est ut quem manu propria consitum ordinavi, quem plantatum et rigatum ad proventum congruum provocavi : mea nudum præsentia in manu decipientium resignarem, et priora dona profectuum, novissimis deterioribus infirmarem. Quem igitur hortum feci, virtutes varias inserendo, eumdem meum reddidi, custodiam utilem conferendo, quem conclusi et signavi, quæque noxia prohibendo, meum fovi et promovi, meam illi jugem præsentiam adhibendo. Quomodo enim sororem, quam cognato affectu mihi Pater unicus obtulit diligendam, quomodo sponsam, quam severo **234** et sincero commercio suasit mysterialis unitas amplectendam, quomodo, inquam, mea sollicitudine, mea præsentia defraudarem, et non bona magis initia meliore termino collaudarem? Cujusmodi nominum videlicet Sororis et Sponsæ, quia significatio utcunque est superius expedita, supersedeo replicare, ne fastidium generet toties repetita, et prudens lector nequaquam forte solis præsentibus inhærebit, sed ad superiora mentem et oculum sollicitius retorquebit. Quid autem in horto dignatione sua fuerit operatus, ostendit, qui venire tanto fuerat desiderio postulatus, ne putetur illic torpore et negligentia nil egisse, quamvis necdum omnia juxta libitum Virginis peregisse. *Messui*, ait, *myrrham meam cum aromatibus meis.* Districta castigatio, abstinentiæ fortis austeritas, continentia virginalis, tam corporis quam mentis integritas : mira satis unctione ab æterna læsione virginis carnem servant, et supra jus naturæ, supra naturam iræ, meritorum congeriem coacervant. Cujusmodi myrrham in hortum suum veniens sponsus jam messuit, quia matris continentia sic filio perfectæ complacuit, ut eo incarnato cum natura miraretur inenarrabilem genituram, rei tamen novitas non inferret extollentiæ cariem, non vermiculum, non læsuram. Fecundam quippe integritatem cunctis ante et postea virginibus inconcessam, tulit sponsus de area tanquam in horreum jam demessam, cum suo eam beneplacito et custodia voluit sic munire, ut ad eam non posset agri bestia, non avis alta sapiens introire. Voluptas enim carnis quæ fecunditatem consuevit bestialiter prævenire, miratur nil suum in conceptu Virginis invenire; et in terreno campo messem crescere tam maturam, et sublatam velut furto nil depopulatorium perpessuram. Volatilia cœli quæ honestum aliquid vel utile saluti non seminant, sed aliorum sata edaci aviditate plerumque exterminant : indiscreta præsumptio et inanis elatio quæ ex bonorum profectibus solent nasci, et innata pravitate illorum defectibus gaudent pasci : prædictam myrrhæ messem dolent quasi de medio sic subduci, ut ad eam non violentia, non fraudulentia, vel ad modicum valeant introduci. Conqueruntur aviculæ se fuisse diutius debito somnolentas, et metentis amore, studioque vigili se præventas; nunc vero ad rapinam manus habere vigiles et extentas, sed clausura horrei et sera irreserabili se retentas. Cujusmodi horreo sua quoque aromata sponsus claudit, et signatis clave Davidica voces oblatrantium non exaudit, quia pudorem virginis præripit quodam veluti messione, ne in agro feris exposito lædatur invido susurrone. Inimicum hominem qui super triticum zizania plerumque seminat, qui lædere vitam non prævalens, famam saltem bonorum attaminat; a contactu Virginis obviante manu foras eliminat, et hostem pudicitiæ a pudoris claustro procul exterminat. Non vult enim ut illius opinio redolentior aromatibus vel unguentis, deturpari valeat sophistæ cujuslibet validioribus argumentis, quin eam et Virginem et fecundam teneat fides certa, et prædicet re veraci, quamvis cæteris inexperta. Sic myrrham cum aromatibus subducens æmulo, vellicanti falce metit, et horreo tradit fidelius conservanti, dum illius castum propositum et odorem suavissimum castitatis, coacervat, et conservat forti patrocinio veritatis.

C

D

CAPUT III.

Comedi favum cum melle meo : bibi vinum meum cum lacte meo. Dives anni successibus myrrhæ vel aromatum messione, non addit se perfusum juxta litteralem consequentiam unctione, sed comedit, cum non myrrha videatur esui convenire, et bibit, cum non dicat aromata quispiam se sitire. Verum quia Virginis conversatio pressuris et tonsionibus exposita, meritorum perfectio non molli somno, sed studiis vigilibus acquisita ; et quidquid denique in præsenti Virgo sibi congerit per laborem, Sponso danti et amanti nihil amaritudinis ingerit, sed dulcorem : ideo messe facta jam se perhibet comedisse, in eo se ostendens profectus Virginis esurisse. Denique in Evangelio : *Anima*, inquit ille, *habes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare* (*Luc.* XII). Iste ergo dives, non cujus nocte repetenda est anima pro commissis, sed clauso dives horreo messibus intromissis ; non spem tendit falsam in dies plurimos vel in annum, non eisdem messibus triturам adhibet neque vannum. Miro enim loquendi genere, quam myrrham vel aromata dixerat in metendo, nunc favum invenit, nunc mel esse perhibet comedendo, quia gustus comedentis nil melle dulcius experitur, et nulla Christo gratior, quam matris, integritas invenitur. Nostis favum quamdam velut thecam repositoriam appellari, quam cereis distinctam cellulis invenitur apis sagacior operari, quæ operandi callida quodam tectorio se absconditi, in quo, favum, et in favo, miro studio mel recondit. Hujusmodi favum ipse, cujus protectio diligit operire, et cura pervigili totum in circuitu custodire : ipse, **235** inquam, lædi non sustinet, arescere non permittit, sed cum melle insito ad mensam propriam, ad suum beneplacitum intromittit. Favus quidem tenerior dure læditur et arescit, et negato sibi melle ariditate perditus inanescit : cum carnis integritas amore Christi sapido non dulcescit, odientique peccare virtus sui pretio non clarescit. Caro enim fragilis recte dicitur esse cera, quam in favum redigit conversatio studiosior et austera ; cui mel inseritur et dulcedo incomparabilis latet clausa, cum assumptæ castitati amor Christi dulcior est in causa. Favum igitur, quem interna siccat inanitas, et consumit ; in suum Christus cibum, in suam Sponsus gratiam non assumit ; et ei digne reproba carnis castigatio vel integritas est puellæ, quæ proferri et offerri præsumitur arida sine melle. Illa vero suo conspectui, suo fidenter esui præsentatur ; quæ melle copioso, quæ amore gratioso plenius impinguatur ; cujus pingui dulcedine, sive dulci pinguedine comedens hilarescit, et quo magis epulatur eo esca ditior invalescit. Quia vero comestioni bibitio jungitur congruenter, non solum quia biberit, sed etiam quid biberit Sponsus, innuit consequenter, ut et doctam et divitem ostendat Virginem quæ propinat, et potum commendabilem, qui bibentem reficit et saginat. *Bibi*, ait, *vinum meum cum lacte meo.* Prudens Virgo, studiosa sedulo ministerio complacere, dilecto digne pranso vinum miscuit in cratere, ut cum refectus cibo, vino pariter fuerit hilaratus, largior sit ad dandum quidquid fuerit postulatus. Et recte famulatui dedita non corruptibili, sed divino Sponsum non aquis turbidis, sed melius et consultius, potat vino ; ostendens in complexu et ministerio nuptiali non algere se defectu, sed affectu fervere spiritali. Vinum quippe non illud insanabile, et veneno comparabile aspidum vel draconum (*Deut.* XXXII), quo furit et deviat error perditus nationum ; vinum, inquam, amorem significat rusticanis et pannosis pauperibus inconcessum, quo rapiuntur divites gratia, mente nobiles in excessum. Denique sapientia ad amorem provocans nos divinum, non aquas insipidas, sed prudenti mysterio miscet vinum, ut nostra parvulorum vel infantium conversatio juvenescat, et vino bibito dignis profectibus maturescat. *Bibite*, inquit, *vinum quod miscui vobis : relinquite infantiam, et vivite* (*Prov.* IX). Vos, ait, quos tenet infantia non annorum, morum infirmitas, non ætatis, qui non defectu virium, sed more carnalium affectu languido laboratis, vinum, quod vobis miscui, bibite, non Falernum, sed amorem spiritalem quo ebrii vivere merentur in æternum. Relinquite infantiam, quæ nequaquam ad majora sufficit aspirare, quæ non amat, vel potius, nonnisi carnaliter scit amare ; quæ amantes amore inconsulto præpedit et obscurat, obscuratos, obscuranti, noxia hebetudine configurat. Cujusmodi amantes non ad lucem promovet, sed a luce removet suus amor, delectatio non serenat, sed magis alienat a suavi requie durus clamor ; eorum corda concutit, et cæcitatem incutit amoris species deceptiva, et profectu pessimo, gradu tandem ultimo mortem ingerit oppressiva. Qualibus quidam ethnicus :

Quid vos, ait, *perdiaerit, dicam : nescitis amare.*

Isti non vino vel draconum forte et aspidum vino poti, longe a salutifero sapientiæ poculo sunt remoti ; quod illa suis auditoribus manu porrigit non avara, potos reficit, refectos suavitate inebriat quampræclara. Hoc vinum sapientiæ, gratiæ calicem et virtutis, quo potus efficaciam vitæ consequitur et salutis ; Virgo Deum generans bibit plenius, bibens, suavius jucundatur, quæ modo inæstimabili Virgo permanens fecundatur. Quæ filium ex Deo et ex se genitum, quem concepit utero Virginali, cujus Sponsi et Sponsa est, alto consilio, mysterio nuptiali ; sinu casto continet, affectu colligit spiritali, sicut Sponsali filium, sic et Sponsum amore diligit filiali. In cujusmodi nuptiis non exhauritur hydria, calix regius aquam nescit, non princeps in triclinio mysterii nescius obstupescit ; non conqueritur quispiam timore vel præsentia paupertatis, non Sponsus arguitur, indoctæ vel præposteræ largitatis. Ille etenim qui a summo cœlo, a secreto sinu Patris egreditur, qui thalamum nuptialem salvo signo firmitatis clausum ingreditur, et inde in celebrato nuptiarum mysterio Sponsus egreditur ; tantam secum attulit ; tantam voluit plenitudinem nuptiis interesse, ut

constet eis et honestum et necessarium nil deesse. Quia igitur celebrari non debent nuptiæ sine vino, maxime quæ non fiunt solius carnis intuitu, sed divino; in istis nuptiis non vinum deficit, sed abundat, quod ipsos nuptiarum celebratores non solum reficit sed fecundat. Amor quidem spiritalis, quem constat vino fortius æstuare, tanto fervore spiritus invenitur Virginem debriare, ut aquarum obliviscens, quarum diluvio periclitatur conteri munditia castitatis, indefesso desiderio tota in amorem transeat veritatis. Veritas autem Christus est; Christus vero Deus et homo est. Amat igitur Virgo Deum Christum amore procul dubio non carnali, sed quia Deus Spiritus est, amore diligit spiritali; Deum, inquam, spiritum amat spiritu vehementi, quidquid male sapit caro, fortiter et efficaciter conterenti. Deus enim Spiritus qui non visibiliter vult videri, gaudet similitudine **236** et invisibili glutino vult teneri; et illo amore velut avito mero præcipue delectatur, quo eum quis diligens spiritaliter amplexatur. Cujusmodi amorem angelicis spiritibus contulit ab antiquo, in quo si permansisset, qui hostis fieri voluit ex amico, non falleretur homo, nec doleret mortis meritum incurrisse, quæ illius invidia in orbem terrarum legitur introisse (*Rom.* v). Quia vero inventus est amor iste in angelis minorari, vult eum Deus, non in illis, sed in hominibus restaurari; et ante legem, et sub lege a patriarchis et prophetis spiritaliter amari se deposcit, exortisque diebus gratiæ, hunc amorem expressius in matre Virgine recognoscit. Quem in illa sentiens sua dantis gratia plenius abundare, eo jucundius, quo suavius, instar vini voluit acceptare; gustuque avido oblatum a Virgine potum hausit, et in abscondito beneplaciti sui, eo firmiter, quo irrevocabiliter illum clausit. Recte ergo vinum suum Sponsus asserit se bibisse, hoc est, amorem divinum, quem Virgini contulit, haustu gratifico recepisse; amorem quo illa toto corde, tota anima, totis viribus Deum Christum voluit amplexari, idem Christus acceptare, et accepto creditur delectari. Verum, quia Verbum caro, Deus homo ex Virgine nasci disposuit, Virgo Deum diligens, ipsum et hominem diligere Mater apposuit; sciens mandatum legis non satis utile, non fecundum, si primo et maximo non addatur simile vel secundum. Amat igitur proximum, legi satisfaciens vel Scripturæ, amat Christum hominem, memor inenarrabilis genituræ; carnem suam in filio non persequitur odio novercali, sed affectu materno complectitur, et jure diligit naturali. Neque enim duritia lapidum ejus duritia; nec mens ejus ænea potest dici (*Job* VI), sed invenitur Mater amori tenero sic addici, ut attendens Christum factum hominem ex seipsa, illum tanquam se diligat, vel si dici valeat, plus seipsa. Hæc autem dilectio, hæc matris affectio sive cura, lactis nomine figuratur, quod imperavit genito gen trix ex natura, quia mater sinu vel gremio filium continet vel recondit, et amore tenero, et affectu sollicito lac infundit. Cujus amor lacteus vigens dulcore naturali, non divino derogat, non vino præjudicat, non semper est adversarius spiritali; sed meretur apud Deum gratiam non mediocrem invenire, si non solus principari, sed in copula diligit subservire. Denique lator legis evangelicæ, dicens: *Qui amat filium vel filiam plus quam me, non est me dignus* (*Matth.* x), naturæ privilegium non damnavit, sed duorum affectuum prudenter copulam ordinavit, ut prælatus amor Dei modo careat vel mensura, amor vero naturalis secundum locum teneat in junctura. Etsi enim nonnulli eo anterius, quo facilius capiunt naturalem, qui necdum sunt idonei vel intelligere vel diligere spiritalem, illum tamen qui Dei est, primum et maximum constat esse, qui velut in junctura secundum sibi proximum vult adesse. Et secundus quidem sine primo in nonnullis aliquoties invenitur, in quibus vel ignorantia, vel degeneri negligentia prævenitur; primus vero qui perfectione vigens non novit invidere, secundum introducens eum semper secum in copula vult videre. Quod igitur Paulus prius tanquam secundum insinuat, cum nonnisi crucifixum Corinthiis prædicare Christum assiduat, parcit infirmitati, profectui consulit, promovet fidem, ut qui necdum poterant Christi capere deitatem, ejus saltem erga ipsos et intelligerent et diligerent charitatem; et quem pro ipsis, imo pro omnibus gratuito nossent pati, ejus tantæ, vel amando, vicem redderent bonitati. *Non judicavi*, ait, *scire me aliquid inter vos nisi Jesum Christum et hunc crucifixum* (*I Cor.* II). Et paulo infra: *Tanquam parvulis*, ait, *lac vobis potum dedi non escam* (*I Cor.* III). Qui autem pastu lacteo sic fovet et promovet imperfectos, sciens quid cui tribuat, sapientiam loquitur ad perfectos; Christumque Dei Filium Deum prædicat æternalem, natum ante sæcula, gignenti genitum coæqualem, sic lacte parvulos, grandiusculos vino potat, in quo profectus varios, vel profectuum gradus notat; habens docere eos, et a quibus infirmioribus facilius amor capitur naturalis; et eos, quibus grandioribus jam digne congruit spiritalis. Virgo vero ex quo, novo genere genitrix est effecta, ad tantum perfectionis fastigium divini gratia muneris est evecta, ut Christum vere Deum summo diligat desiderio, justo jure, et eidem homini impertiat pariter debitum jus naturæ. Amat in Filio Deitatis excellentiam mente pura, amat et carnem suam tenere vel suaviter ex natura; ad diligendum illam æstu rapitur et evehitur fortiore, ad hanc quasi nititur gressuque reducitur molliore. Ad illam se subrigit vehementius ebria, ad hanc sobria se lenius inclinat: illi vinum fortitudinis, huic teneritudinis lac propinat, viget amor duplex in Virgine, et alter alteri non detrectat, utriusque concordem copulam Christus suscipit et acceptat. *Venite*, ait Isaias, *emite absque argento: et absque ulla commutatione vinum et lac* (*Isa.* LV). Sciens propheta Christum amore solitario non placari, sed geminæ gigantem substantiæ geminato munere delectari: ad eme-

dum vinum et lac prudenti nos consilio voluit erudire, innuens vinum Deo, lac homini, imo vinum et lac Christo Deo et homini convenire. Cum autem hoc vinum et lac emi juxta prophetæ debeat documentum **237** quid sibi vult quod huic emptioni non admittitur ulla commutatio, non argentum, nisi quod ille duplex amor, quo Christus Deus et homo pariter vult amari, non auro, non argento, non terreno potest pretio comparari? Non enim pecuniarum congerie, sed spiritus pauperie emitur et acquiritur illud regnum, in quo omnis qui sane Christus amat, cum eo permanet in æternum, cujus et amor in præsenti nihilominus pretium vile nescit, nec ab eo vult teneri qui abundantia temporalium intumescit. Recte ergo Isaias ad hanc illos provocat emptionem, qui nullam in emendo argenti præferunt mentionem, sed qui magis offerunt tenuem spiritum, mentis intimæ puritatem, carnis continentiam, relicta molli sindone nuditatem. Hoc munitam pretio credo Virginem ad nuptiales nundinas introisse, et inventum et coemptum vinum et lac Sponso pariter miscuisse, ut Deo et homini Christo, gemino calice descriviret, sciens quod alterum ille sine altero non sitiret. Quo potus et refectus ille rursum convertitur ad sodales, eosque sollicite ad epulas invitat nuptiales, ut qui thalamo secretorum conscio velut asseclæ famulantur, mensæ quoque divitis convivæ et comparticipes habeantur.

CAPUT IV.

Comedite amici, bibite et inebriamini charissimi. Amicos vocat angelos, qui in ejus amicitia perstiterunt, cum amare Lucifer et plures ejus consentanei destiterunt: qui celebranti nuptias, pulsis longe non amantibus, astiterunt, et secreta nosse mysteria digno ministerio familiarius institerunt. Quos astantes, et instantes scientiæ profectus capiant opportunos, Sponsus non esse inopes sustinet, non jejunos, sed aperto cellario et ostensa munerum largitate, velut ad mensam provocat *medullatorum pinguium, et vindemiæ defæcatæ* (*Isa.* XXV). *Comedite*, inquit, *amici*. Vos ait, quos sodales et amico præsentibus volui nuptiis interesse, remotisque non amantibus, amantium oculis præsto esse: in mea mecum mensa comedite quæ vobis apponuntur, hoc est intelligite, quæ intellecta placere merebuntur. Intelligite quid nuptiarum solemnitas, quid mysteriorum profunditas habeat gratiæ vel saporis, quid Virginis fecunditas, quid matris integritas gloriæ vel honoris: intelligite, *Verbum caro factum est* (*Joan.* I), quid contineat sacramenti, quid humanis divina, terrenis cœlestia conferant adjumenti. Hæc autem intelligentia recte comestio nominatur: et cum ad comedendum angeli vel hujusmodi alius invitatur: divinus sermo non indigentiam intendit pellere corporalem, sed requirendam innuit intelligentiam spiritalem. Denique cum ad Ezechielem in visione manus Domini mitteretur, et in ea clauso liber signaculo deferretur: *Fili*, ait, *hominis comede volumen istud, et vadens loquere ad filios Israel* (*Ezech.* III). Quid nihil vel parum prodest quod manus missa librum attulit sigillatum, si prophetam lateat quid idem liber continet exaratum, ad comedendum volumen ille necessario commonetur, ut scilicet, non dente, sed mente capiat quod in volumine continetur. Comedens quippe non sola cibi contentus specie vel decore, ardet magis et appetit gustu reflci vel sapore; et quivis recte sapiens, non Scripturæ sono tinnulo, vel affectu, sed magis ad profectum digno pascitur intellectu. Quo quia pasci nequit suæ solius viribus voluntatis, sed donatus gratia, et divinæ beneficio largitatis; propheta post auditam vocem Domini vel mandatum, necdum sibi sufficit, sed ab illo perhibet se cibatum. *Et aperui*, inquit, *os meum, et cibavit me volumine illo* (*ibid.*). Provocanti, ut comedam, os meum nisus sum aperire, monenti ut intelligam, apposui studium obedire; et ille jam præventum monitis oblatis, intentum expanso volumine me cibavit, hoc est larga scientia et intellectu litterario me donavit. *Expandit*, inquit, *illum coram me: et dixit, comede volumen istud* (*ibid.*). Librum quidem quem missa mihi manus attulit involutum, nullo mihi studio nullis reddidi viribus absolutum; sed ipsa quæ attulit, velamen abstulit supereminens vel oppansum, et quod in volumine claudebatur, evidens reddidit vel expansum. Nam, etsi meum est monenti obedire, dare quasi manus consentaneas ad profectum, ejus tamen est gratiæ dare mihi, vel cuivis, agilem intellectum: meum est os aperire ne ex toto a pastu sim dignus abigi: illius est implere, hoc est, dare prudenter intelligi. *Dilata*, inquit, *os tuum, et ego adimplebo illud* (*Psal.* LXXX). Et alibi: *Da mihi intellectum ut discam mandata tua* (*Psal.* CXVIII.) Et ille: *Intellectum*, ait, *tibi dabo, et instruam te* (*ibid.*). Loquens ergo sodalibus quos secretis mysterialibus Sponsus voluit interesse, rusticanos ad nuptias jejunos inter noluit eos esse, sed mensa proposita profundæ magnitudinis et plenitudinis exquisitæ, amicos longe fecit ab inedia multitudinis imperitæ. *Comedite*, inquit, *amici*, hoc est intelligite mysterium mirabile, inenarrabile sacramentum, quod cæteris, non amicis, ignorantiæ aperit velamentum: vobis autem **238** mihi ministrantibus et assistentibus dedi, nosse quibus quod natura non obtinet, mea solius gratia subest posse. Neque enim, ut nonnulli aiunt, ab initio angeli naturaliter obtinebant, ut sacramenta nossent, quæ in Deo abscondita plenius permanebant, quæ cum venit plenitudo temporis, ut Deus Dei Filius vellet nuptias celebrare, illis prius et familiarius voluit revelare. Unde Apostolus: *Quæ sit*, inquit, *dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, ut innotescat principibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei* (*Ephes.* III). Dei sapientia in seipsa permanens uniformis, agens foris multa et varia, dici meruit multiformis, quæ principibus et angelicis potestatibus quasi multiplicius innotescit, cum secretum incarnandi Verbi mysterium eis cla-

rius mucescit. Quia vero non angelo, non nomini satis ad meritum sufficit intellectus, si non intellectui diligendi suavior applicet se affectus : recte post comestionem, amici etiam libere commonentur, ut et docta confectio, et perfecta refectio vitalem sufficientiam operentur. *Bibite*, inquit, *et inebriamini, charissimi*. Si me, inquit. donante sacramenta recondita capitis intellectu, adhuc eo non contenti, estote solliciti de profectu ; et, ut satis proficere, et tanquam perficere videamini quod cœpistis, comedentes bibite, hoc est, diligite quod intelligentia percepistis. Nihil enim vel parum prodest intelligere quæ magna fuerint, quæ perfecta, si non gratia potiore dilexerimus intellecta : et sicut populus non intelligens, Osee testimonio (*Osee.* IV), vapulabit, sic non diligens intellecta, servus nequam, reum se negligentiæ condemnabit. Recte ergo sodales vel amici non solum intelligere, sed et diligere commonentur, ut cum profunda jucunde perceperint, dulcorem suavissimum admirentur ; et qui pridem quasi doluerant de casu misero peccatoris, jam præ gaudio stupeant ad tam mirabile consilium redemptoris. Cujus cum altitudinem intelligendi et diligendi tanquam manibus apprehendunt, stupore et gaudio debriati in tantam velut exstasim se suspendunt, ut obliti vulnerum quæ fraus hominibus pridem intulit serpentina, jam nonnisi de medico vel de præsenti cogitent medicina. Comedunt, cum intelligunt vitale mysterium, salutares nuptias celebrari, bibunt, cum diligunt in priorem, imo in ampliorem gratiam hominem reformari : inebriantur, cum stupent et hærent, et præ gaudio non sufficiunt admirari, quod assumpta in Deum humanitas meretur super angelos exaltari. Hujus secreti conscios sponsus loquens amicos nominavit, ebrios autem amore et gaudio charissimorum nomine cumulavit : innuens et eos sibi gratos qui ad sciendum subtilia spiritalem applicant intellectum, et eosdem gratissimos, cum diligendi veniunt et perveniunt ad profectum. Quibus refectis cibo, potu ebriis gratiore, sponsa reclinans caput in suavi conscientia vel amore, oblita visibilium, in invisibilibus se suspendit, et quid gustet, quid sentiat, nobis non invidet, sed ostendit.

CAPUT V.

Ego dormio, et cor meum vigilat. Cum sodales et amici assistentes operi tam divino, attendentes admirantur, inebriati stupore profundæ magnitudinis, et non vino : sponsa intra cubiculum molliore accubitu se reclinat, cui sponsus optabilem miri saporis calicem jam propinat. Amicis vigilantibus et quasi nitentibus ad capturam, et ad rei tam profundæ modum stupentibus vel mensuram : Virgo forum forense judicans quidquid alto silentio non applaudit, nuptiali pausat in thalamo, et oculos vel ad modicum somno claudit. Pulso quippe negotio vel negotii sollicitudine perstrepentis, excluso foris strepitu, clauso velut ostio puræ mentis : inter amplexus sponsi eo avidius quo suavius obdormiscit, et in illum deficiens, defectuque proficiens, sola insensibilia concupiscit. Manens in corpore, ab his quæ sunt corporis aliena, curarum obliviscens in excessum rapitur mens serena : evecta raptu placido, gaudet quidquid est inferius oblivisci, in his dormiens et quiescens quæ præcipue diligit adipisci. Ne vero dormitio videatur incutere negligentiam vel torporem, et hostium insidiis præbere fiduciam, aditum pandere laxiorem : ponit virgo vigilem qui excubias celebret indefesse, qui a longe prævideat quidquid obstrepit inconcesse. Ea quippe dormiente, et in sponsi amplexus teneros resoluta, oblitaque posteriorum et a curis temporalium absoluta cor ipsius vigilat procul a somno pellens nubes phantasmatum, inanes phantasias, graves mundi strepitus, sirenarum seductibiles melodias. Vigilat cor ipsius agens sollicitudine circumspecta ne inventam somni dulcedinem turbet moles forensium actuum superjecta, ne secretum cubiculi quævis intret molestia vel latenter, quæ ingressa desæviat, et somnum excutiat violenter. Denique vigilat cor ipsius, ut cum omnem sollicita manu repulerit adversantem, auscultet et audiat sponsum tenui murmure susurrantem : et clauso velut ostio cuivis durius obstrepenti, aurem sponso præbeat dulcius et subtilius **239** alloquenti. Quo enim illi amat jungi arctius, cupidius adhærere, eo audire gratius, et propter vocem sponsi gaudio vult gaudere : dansque aurem auditui, sese durius lædi putat, si propter vocem ejus, quidquid aliud insonuerit, non refutat. Ille etenim somnum fovens, et favens desiderio dormientis, cum sic eam lactaverit, ad cor loquitur diligentis : et huic sicut otio, sic et negotio, quam voluerit, ponit metam, sicut olim promisisse legitur per prophetam : *Lactabo*, inquit, *eam, et loquar ad cor ejus* (*Osee.* II). Lactabo, ait, cum in sinu meo inclinato capite se deponet, mutuisque amplexibus nihil se medium interponet, cum avida silentii, sub umbra mea delectabitur obdormire, inventamque dulcedinem haurire sitiens, hauriens et sitire. Loquar vero ad cor ejus, cum eam, ut evigilet, commonebo, cum a propriis eam utilitatibus proximorum intuitu cohibebo, ut paulisper seposito haustu dulcedinis prægustatæ, ad opus foras exeat, fraterna vigilans charitate. Lactat ergo Virginem sponsus, cum ad sui arcana pectoris introducit : loquitur ad cor ejus, cum eamdem ad nos vigilem revocat et reducit ; cum gustata somni dulcedine, in qua temporalium diligit oblivisci, ad amorem et curam proximorum eam præcipit expergisci. Quæ, dum dormit et degustat quæ sit suavitas quiescendi, et cor ejus vigilat sollicitudine diligentius obsequendi : ecce quædam subito dulcoris interruptio jam percepti, pulsat quasi manus ad ostium, aurem concutit vox dilecti. Cujusmodi concussione Virgo se intelligens lacessitam (vocem quippe recognoscit, quia sæpius jam auditam) soli sibi vel assistentibus sibi videtur adolescentulis respondere, et quam, cujus vocem audierit, verbo memori recensere.

CAPUT VI.

Vox dilecti mei pulsantis. Cum in meo, inquit, accubitu præoptato somni munere sum detenta, et corde satis vigili Sponsi beneplacito nihilominus sum intenta : de occulto quædam, ut sentio, velut ad publicum vox erumpit, quæ meum dormientis profectum, ne, ut volo, veniat ad perfectum sollicitius interrumpit. Importunitas cujus meas durius aures pulsat, et ab eo quod ardebam firmius apprehendere me repulsat : repulsamque tam validam, ut verum fatear, ægre ferrem, si non meæ voluntati illius digne beneplacitum anteferrem. Novi quidem illius voluntati non mediocriter complacere, ut sanctæ mentis ostium inveniatur exteris non patere, ut quisquis præterierit per vias devias lenocinii sæcularis, clausum illud inveniat, non instar patuli lupanaris. Ipse quoque sponsus cum ad idem ostium vult venire, clausum potius quam apertum diligit invenire, ejusdemque tam tenax, tam insolubile signaculum experiri, ut nunquam prorsus noverit, nisi cum ipse pulsaverit, aperiri. Mens enim sancta intra spiritalem sese cohibens officinam, sic studium contemplandi, sic amplecti debet otii vel silentii disciplinam, ut non sibi claustrum aperiat, non prorumpat ad officium prædicantis, nisi pulsata fuerit, et vocem hauserit imperantis. Ideo Virgo dormiens, et somno delectabili delinita, claustro gaudens coerceri tanquam maculis mollioribus irretita : non solum non cuivis, sed nec sponso festinat aperire, nisi tandem cum pulsata præcipitur et præcepto cogitur obedire. Quæ nimirum præceptorem, ut præcipiat, non reposcit, sed pulsantis vocem vel tenuem, citius recognoscit : et licet ad aperiendum non audit vel exaudit quælibet monita deceptoris, sic aurem non obturat cum vox insonat præceptoris. Insonat autem et pulsat ostium, sive otium quiescentis, cum his qui foris sunt consulere beneficio vult docentis, cum pupilli cæcitatem et inopiam miserans ignorantis, tergi virgineo vult labore et augeri meritum laborantis. Quid vero vox illa superintonet, vel quid dicat, quid sponsæ dormienti blandiens imperet vel indicat, ipse sponsus non solum secretius vel sacratius voluit sponsam scire, sed etiam ad exteros vel tenuiter voluit pervenire.

CAPUT VII.

Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. Tu, ait, quæ prædoni malevolo mentis cubiculum obfirmasti, quæ claustrum virgineum, quæ custodiam vigilem adversus quæque confirmasti : mihi non invido, sed cupido tui thorumque profectus et coronæ, laxa fores, paulisper otium vel silentium jam sepone. Surgens evigila, meam pulsantis salubrius vocem audi, excute poste seram mihi quippe nihil penitus debet claudi, quod hosti, quod mundo, quod cuivis extero digne claudis, mihi soli aperire certius experire dignum meriti, sive laudis. Cum te vacare 240 patior et somno quietius indulgere, agere tui curam, dare manus otio vel silere (fateor) claudi debet thalamus, ostium obserari, secretum virginale non vitio, non forensi negotio reserari. Clauso enim ostio pater ille spirituum vult orari, suam requiri faciem, requirentis osculum serenari : negotiorum turbis tam fecundum otium non turbari, sed aura leniore et cursu efficacissimo prosperari. Verum cum asto et pulso diligentius ad clausuram, cum vox mea insonat, et dari sibi postulat aperturam, non est consilii, sub umbra silentii diutius te latere, sed stare ad mandatum, et ei subditam te præbere. Aperi ergo mihi somni dulcedine intermissa paululum, non projecta, ut quod in cubiculo percepisti, prædices super tecta : et oblita velut tui, meorum mihi assistentium recorderis, et pacem prægustatam propter fratres loqui et proximos non graveris. Neque enim tuis solummodo debes desideriis indulgere, supernique lactis dulcedinem tuis tantum labiis immulgere, sed etiam cum tempus exigit aliorum utilitatibus providere, ne quod prius vel amplius haurire valuisti, videaris non valentibus invidere. Denique non est cui debeat claudere soror fratri, qui hæredes imo etiam cohæredes una militant summo Patri, quos carnis cognatio, quos jungit præpotens vis naturæ, quos amor unus, una concordia reddit unanimes justo jure. Sicut igitur claudis, et recte claudis vecte sollicitudinis inimico, sic amica detrahe vectem, seram excute fratri pariter et amico, quæ amica facta es animi diligentia, vinculo charitatis, custos fida secretorum, meæ conscia veritatis. Et, quia non ut pavo cæca oculorum gaudes pulchritudine vel tumescis, sed mea irradiante gratia innocentiæ spiritu mansuescis, quæ soror et amica es, mea recte diceris et columba, spe futurorum hilaris, eisdem nondum plene præsentibus gemebunda. In his et hujusmodi aliis meo satis munere circumspecta, immaculata Virgo digne diceris et perfecta ; perfecta, inquam, non quod præsenti nihil penitus desit vitæ, sed quia sic tota pulchra, ut jam macula non sit in te. Tu igitur, quæ hujusmodi nominibus, imo ipsa re nominum insigniris, quæ in horum largitate munerum me tam propitium experiris ; vocem pulsantis audi, aperi fores clausas, et ne pules otiosam pulsantis instantiam, vide causas. Quia caput meum plenum est rore : et cincinni mei guttis noctium. Caput Christi, Paulo teste, Deus est. Ros vero quem nox terræ gelida superfundit, sol dissolvit, ut nebulam cum rebus matutino jubare se infundit : infidelium frigus est, et subtilis malitia perfidorum, qua tenentur nationes, friget iniquitas Judæorum (*I Cor.* II). Qui, dum Christum hominem Deum esse, Dei Filium non intelligunt, non fatentur, quid nisi caput ejus gravare et offendere non verentur, tantisque illud gravaminibus et molestiis adimplere, ut laborem tam plenarium quasi non valeat sustinere ? Unde per Isaiam Deus : « *Plenus sum, inquit* (*Isa.* I). Et iterum : *Laborari sustinens* (*ibid.*). » Tanto, ait, rore, tam nocturno frigore me gravatis,

ut affectus et plenus tædio vestræ mihi videar pravitatis; et qui turbari nesciens, tranquillus mundum judico nequiorem, in sufferendo vestras iniquorum sarcinas elaborem. Ros quidem Judaicus et malitia frigida non credentis, loquens in Evangelio verba profert durius opprimentis, qui videns Christum hominem illum esse, non aliud intelligit vel non amat, in hoc offendens maxime, quod ille Deum veraciter se proclamat. *De bono*, inquiunt, *opere non lapidamus te, sed de blasphemia; et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum* (*Joan.* x). Et supra : *Propterea magis quærebant eum Judæi interficere, quia Patrem suum dicebat Deum æqualem se faciens Deo* (*Joan.* v). Videtis caput Christi satis frigido premi rore, et Christum digne conqueri de malitia nequiore, cujus non solum caput, sed et cincinni frigore simili deprimuntur, dum eos infideles odio et contumeliis persequuntur. Cincinni, capillorum globi, sive congeries appellantur, qui capiti radicitus inhærentes, foris, quodam propinquitatis fœdere sociantur, qui dum locum singuli servant debitum vel tenorem, ipsi præbent capiti tegumentum pariter et honorem. Per quos, ut video, sancti non incongrue figurantur, qui ad fidem de diversis vel locis vel nationibus convocantur, quos ejusdem firmitas fidei facit capiti tenacius inhærere, et fraterna foris propinquitas instar apum sibi invicem cohærere. Quales in primitiva Ecclesia illos arbitror exstitisse, qui leguntur ad Christum devoto spiritu convenisse, qui vel ante passionem passurum breves numero sunt secuti, vel eo suscitato, resurrectionis fidem largius assecuti. De quibus Marcus : *Vocavit*, inquit, *ad se quos voluit ipse, et fecit ut essent duodecim cum illo* (*Marc.* III). Et Lucas in Actibus apostolorum : *Erat*, inquit, *turba hominum simul fere centum viginti* (*Act.* I), *et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis* (*Act.* II). Et infra : *Baptizati sunt*, inquit, *et appositæ sunt in illa die animæ circiter tria millia*(*ibid.*). Et paulo post: *Factus est numerus virorum quinque millia* (*Act.* IV). Et longe infra : Paulo prædicante, *baptizati sunt*, inquit, *in nomine Domini Jesu, erant autem omnes viri fere duodecim* (*Act.* XIX). Hi sunt cincinni Sponsi de quibus non mediocrem habet curam, **241** quorum profectus diligens, ægre sustinet oppressuram : plerumque noctes guttis irrigantibus vel magis irruentibus ingravescunt, quæ longe facto sole tenebris frigidioribus hebetescunt. Sicut autem justus quisque dies vitæ merito nuncupatur, sic impius et peccator vivens perdite, nox vocatur, cui quia non est ortum lumen et justitiæ sol non fulsit, horridum sibi frigus et tenebras ignorantiæ superduxit. Cujusmodi nox, et obscura conversatio peccatorum odit justitiam, damnat innocentiam meliorum : eamque velut nudo sub aere mundo procedere gressu vetat, dum molestiis frequentioribus, tanquam guttis pluvialibus inquietat. Nonne vobis illa nox videtur importunior exstitisse, quæ chorum apostolicum gavisa est durius oppressisse, quæ, etsi totum cincinnum a capite, cui semel inhæserat, penitus non avulsit, unum tamen crinem excutiens in perditionis foveam introduxit? Cum enim Judæorum principes tenere Christum et occidere voluerunt, multis dolis, multis machinationibus studuerunt, ut Judam Scarioth quem præsenserunt avaritia malitiosius laborare, seducerent et inducerent, ut suum vili venderet Salutare. Reliqui vero omnes vento quidem formidinis graviter sunt concussi, sed a base supposita vel a radice insita non excussi, quos manus sponsi revocans, sub regula voluit coercere, ut deinceps et minas possent principum et guttas noctium æquanimius sustinere. Unde cum post resurrectionem principes sacerdotum minis et carceribus, verbis et verberibus intonarent, ut a proposito prædicandi, timore discipulos revocarent, illi : *Si justum est*, inquiunt, *vos potius audire quam Deum, judicate, non enim possumus quæ vidimus et audivimus non loqui* (*Act.* IV). Et infra : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* V). Hujusmodi cincinnos quos nectit charitas, amor copulat socialis, quos adhærere Deo interna facit fides et devotio spiritalis : noctes foris impetunt, et manus infidelium tenebrosæ, guttis frigidioribus et malitiis frequentioribus onerosæ. Sicut enim perhibente propheta frigidam cisterna facit aquam (*Jer.* VI); sic frigidam fecit malitiam suam. Ut igitur contra hostes et hostium gravamina cincinni fidei um muniantur, et non vel ignorantia, vel consensu voluntario nequiter opprimantur : monet sponsus Virginem ut ei aperiat januam secretorum, et quæ novit edisserens, mentes instruat proximorum. Etsi enim unctio spiritus justos de omnibus legitur edocere (*I Joan.* II), non tamen inaniter jubetur Virgo diligentiam adhibere, quia non officit, imo et proficit ad gratiæ spiritalis efficax incrementum, si plantando et rigando, ante conveniens jacitur fundamentum. Sed quia dulcius est vacare et videre quod suave est otium et jucunditas contemplandi, quam laborare verbo et sollicitudine prædicandi : Virgo claudi eligens et a proposito diligens non divelli, respondet, quasi doleat foras ad negotia se impelli.

CAPUT VIII.

Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? Nudus Adam factus est, nudo sub aere constitutus, non clausura cubiculi, non panniculis involutus, ut cœlum suspiciat vultu nullo tegmine præpedito, ut ad videndum Deum, gressu transeat expedito. Sed quia uxorius, voluntati seductæ mulieris condescendit, et offenso Creatore, ad id quod erat vetitum se extendit : reus mortis se et suos ærumnis et laboribus implicavit, et nuditate perdita, mortalitate misera tunicavit. Unde et pellicea post inobedientiam est indutus, ut a vita simplici et a nuda justitia destitutus, sibi noverit imminere pœnæ miserabilis detrimentum, cujus formam repræsentat de mortuis animalibus indumentum. Ad cujusmodi pœnam vi-

detur, sicut video, pertinere, labore ille sollicitus quo doceri appetimus vel docere; et, donec quod perfectum est videamus revelatq plenius oculo mentis sanæ, in sudore vultus nostri, vescimur nostro pane. A quo æstu vel sudore aliquantulum respiramus, cum remoto curarum onere ad invisibilia respiramus; et a pannosa laboris tunica suavi otio denudamur, cum internæ quietis dulcedinem clauso mentis ostio speculamur. Quam quia dulcedinem sponsa gustu avido jam præsentit, inquietanti sponso aperire citius non consentit, sed nudam veritatem gaudet fugiens relicta sindone contueri, a tam felici otio timens ad negotium retorqueri. Postquam, inquit, posita sollicitudine in qua laboriosius desudavi, a perplexa exteriorum tunica, pacis me intuitu denudavi, quomodo suavitatem inventæ dulcedinis intermittam, et ad forenses curas, quas non diligo, me remittam? Non recuso mandatum, obedientiam non abjuro, sed timeo subdi rursum oneri gravaturo : gustatis interioribus exteriora revisere jam non curo; et tamen imperanti aurem instar aspidis non obturo. Deposueram quidem vetustæ spolia gravitatis, mihique inveneram puræ gaudia nuditatis, lætabar ubi **242** fueram, imo et quæ fueram, jam non esse, profectu satis placito, nuda nudis videbar angelis interesse. Oblita visibilium invisibilia gratius intuebar, molestias nesciebam, angustis repagulis non urgebar, nihil mihi in hac mentis latitudine resistebat, quod amo, quod cupio, mihi largius assistebat. Unde si propria me voluntas retraxerit, digna sum accusari, si necessitas presserit voluntatem, videor aggravari; et sic quoddam quasi periculum imminet utrobique, cum durum sit agere invite quidpiam vel inique. Libera igitur a sollicitudine pannosa, quomodo iterum implicabor, exuta a temporalibus, qua rursus patientia tunicabor, quomodo pedes lotos ad lutum referam platearum, ut eos vel culparum molestiis inquinem vel curarum? Etsi enim in loquendo proximis et proferendo sollicite quæ jam novi, a justo pedem tramite, ut plerique assolente, non dimovi, tamen quædam inquinamenta mihi videor incurrisse, sentiens cordi meo curarum molestias occurrisse. Nam quidquid divinam contemplanti munditiam, vel ad modicum obviat et resistit, vel eidem contemplanti favente obsequio non assistit : si consideratione congrua ipsi munditiæ fuerit comparatum, quamvis sanctum in suo genere, tamen recte judicabitur inquinatum (84). Quomodo igitur gustata illius dulcedine, istam rursus amaritudinem sustinebo, et tantorum gressus profectuum, ad inquinamenta defectuum retorquebo, quo fructu alterius proprio gravamini me supponam, cum ultra non aggredi certamen desiderem, sed coronam? Sed dum hæsito, dum dubito, modum quasi nesciens invenire, quo ad id quod intermiseram velim aut valeam jam redire, dum gaudens silentio reverti differo solitum ad gravamen, ecce dilecti manum intromissam sentio per foramen.

A

B

C

D

CAPUT IX.

Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus. Voce sua monitam hærere me diutius non permittit, sed clausuram dilectus perforans, per foramen tenue manum mittit; clausæ menti subtilem instar foraminis aperit intellectum, quo aperto inserit quod mihi utile noverat ad profectum. Manus sponsi illa ejus gratia non incongrue nominatur, quæ intellectum aperit, aperto efficaciter operatur, quæ aperto intellectui infundit subtilius et inspirat, quo quis modo, vel ordine ad placendum sponso tendit perfectius et aspirat. Hujus igitur ope et opere subtilior percipit intellectus, quod sine sponsi bene placito non vacantium, non laborantium est profectus : et insistendum est otio, cum ad illud ejus benevolentia nos invitat, et qui ad hoc desistere jussus voluerit, ejusdem iram et judicium non evitat. Potest enim quis et in otio pertinax displicere, et in negotio, humilis meritum obtinere : et status neuter satis utilis invenitur, si non tanquam obediens Christi benevolentia prævenitur. Hoc subtiliter intellecto, non contendit jam resistere violenter, sed quod in se tanquam duruerat, molle redditur, quasi venter; et cor ejus manu grata emollitum concutitur fortiter et tremiscit, timensque ne offendat, jam non nisi sponsi beneplacitum concupiscit. Bona manus gratiæ, quæ valide perforat subobscura, dans lucem intellectui ut perspicacius videat profutura : ad subtilem cujus tactum si quid durum fuerat, emollescit, et quod molle redditur, tremor ad obedientiam invalescit. Quis det ut nobis iste per angustias foraminis manum mittat, et aperto intellectu, durescere quidpiam non permittat, sed cum intelligentiam subtilem dederit ad videndum, infundat consequenter diligentiam agilem ad explendum? Felix igitur Virgo quæ manu missa tangitur operantis, cujus cor molle tremit ad tactum vel efficaciam imperantis, quæ, audito imperio, in diversorium negligentiæ non secedit, non caligat intellectu, non affectu claudicat, sed obedit. Unde subjungit : *Surrexi*, etc.

CAPUT X.

Surrexi ut aperirem dilecto meo. Quæ paulo supra depositam resumere tunicam exhorrescit, et quomodo pedes lotos rursus inquinet, quasi nescit; jam plenius percipiens in quo, cui debeat obedire, surgit et accelerat ei, quem diligit, aperire. Apud se quidem grata sede vel cubiculo tenebatur, et velut in conclavi, suavi otio lætabatur : molli gaudens accubitu, reclinato capite quiescebat, tumultusque pervigiles, et quidquid foris obstrepit, nesciebat. De cujusmodi quiete otiosa, vel pacifica sessione, Virgo surgens, excutitur et præcingitur in agone : et quod apud eam sponsi non obtinuit vox emissa, effectu pleniore manus præ-

(84) *Inquinatum* pro *imperfecto*.

valet intromissa. Docet enim agere, non dat et agere vox audita; et auris quæ auditui, non statim et effectui redditur expedita, sed quod **243** nobis ad sciendum vox præloquitur imperantis, ad explendum exsequitur tactus gratiam operantis. Unde Isaias : *Domine, quis credidit auditui nostro* (*Isa.* LXIII)? Cunctorum passim auribus verba insonant prophetiæ, sed remota manu sponsi non fidem adhibent Isaiæ, quia verbum, quo foris aures infidelium percelluntur, fit instar cymbali tinnientis (*I Cor.* XIII), si mentes gratia non tanguntur. Post vocem igitur qua sponsus Virginem monuit aperire, quia monenti monita distulit obedire, ille operatrice gratia cor hujus apposuit emollire et tactu manuali, ad explendum quod præceperat, expedire. Unde et alibi eumdem Dominum invenitur Salomon commendare, ostendens illum quod ore præloquitur, manibus consummare, dans intelligi non satis sufficere, si promptus ille fuerit ad dicendum, nisi et benevolentia gratiore manus apposuerit ad explendum. *Ore*, ait, *locutus es : et manibus perfecisti* (*III Reg.* VIII). Ore igitur Sponsam Sponsus monuit ad laborem, tactu vero missæ manus eam reddidit promptiorem : somno vel otio quiescentem ore vigilem reddidit ut audiret, manu vero agilem, ut surgens vigilantius aperiret. *Surrexi*, ait, *ut aperirem dilecto meo.* Quæ jacens non potuit, vel, forte, noluit aperire, tactu manus tremefacta surgit et accelerat obedire; surgit, inquam, ne pulsantem videatur differens prohibere, utile sibi ducens, quidquid tandem illi percipit complacere. Intermisso itaque silentio surgit et se præparat ad doctrinam, ut cordibus auditorum moralem inserat disciplinam; active reddit manus ut formam cæteris det vivendi, et tam verbo, quam opere, sponso pandat semitam veniendi. Tunc quippe via Christo efficaciter aperitur, cum docentis in verbo veritas, in actu severitas invenitur, cum animos auditorum sic instruit prædicatio vel doctrina, ut virtutis præostensæ illos plus ædificet disciplina. Quod ostendens Virgo subdit : *Manus meæ*, etc.

CAPUT XI.

Manus meæ distillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima. Cum Virgo surgeret, et quasi pergeret aperire, sperans aperta janua Christum plenius introire : inter pergendum sensit ipsam facile januam non patere, si non manus validas ad tollendum pessulum studeat adhibere. Non enim aperta est janua statim, ut se perhibet surrexisse, nec eam, cum surgeret, statim asserit patuisse, quia, etsi ut aperiat, surrexisse procul dubio se fatetur, tamen aperiendi statim efficacia non præbetur. Non enim ait : Surrexi et aperui, sed ait : *Surrexi ut aperirem.* Quia vero surgenti quædam forte difficultas sese opposuit, ad removendam eam consulte Virgo manus apposuit, manus, inquam, non torpentes otio, non aridas, non fallaces, sed agili virtute validas, ad explendum digne propositum efficaces. *Manus*, inquit, *meæ distillaverunt myrrham.* Manus, actiones, myrrham vero videtur districtionem judiciariam appellare, quia Virgo quidquid egit, districtius voluit judicare : sciens eum merito venturum judicium non timere, qui voluntate humili præsens elegerit sustinere. Manus ergo virginis myrrhæ amaritudidem stillaverunt, cum omnes actus ejus disciplinæ regulam tenuerunt, cum quidquid in hac carne laboriosa studuit operari, restrinxit diligentius, ne præsumeret negligentius evagari. Myrrha enim molles et fluxas carnes dicitur confirmare, et ne lege naturali subjaceant putredini, conservare; et nostrarum manuum opera, ne forte naturalem veniant ad defectum, regularis districtio firmat, et ducit ad perfectum. Et quoniam non sufficit virgini si districte vivendo multam proficiat in virtutem, nisi et cæteros erudiat, et secum pertrahat ad salutem : manus suas non tenere, vel habere myrrham dicit, sed potius distillare, ut suorum profectus operum monstret se ad exteros derivare. Ah hoc enim surgit, ut ejus eruditio non hæreat, uspiam non vacillet, et quidquid novit utile cæteris, non clausum teneat, sed distillet, ut assistentibus sibi non solo prosit desiderio voluntatis, sed ostensa forma justitiæ, et exemplo districtæ sanctitatis. Ad aperiendum igitur virgo sollicita manus tendit, ad erudiendum proximos myrrhæ stillicidium præostendit : ratum habens tunc se efficacius erudire, cum eruditionem verborum festinaverit morum districtio prævenire. Verum quia vivendi severa districtio ad plenum sufficiens non habetur, si in ipsa discreta moderatio, vel moderata discretio non tenetur : post manus distillantes myrrhæ commendabilis unctionem, apponit consequenter digitorum facere mentionem. *Digiti*, ait, *mei pleni myrrha probatissima.* Digiti cum sibi subtus una tanquam radice cohæreant vel junctura, foras tamen discreti prodeunt inæquali modulo vel mensura; eorumque discretio tam prudenti naturæ artificio fabricatur, ut manui deserviens, tam utilis quam conveniens habeatur. Per digitos igitur virtus recte accipitur discretiva, quæ si nostris operibus comes adjungitur indivisa : quidquid in eis districtius non afflicit, angit severius vel angustat, **244** suo illa consortio reddit perfectius et venustat. Quæ nimirum, et si nunc brevius, nunc profusius se extendit, prout expedire oblato negotio pervidet et attendit : tamen sicut transire ultra fines debitos non contendit, sic citra consistere, indiscretum et, injurium deprehendit. Unde ipsa, quæ una et eadem dici discretio non negatur, multis, et variis negotiis tam multipliciter applicatur, ut non sit absonum, si non tam digiti quam digitorum nomine figuratur, eo quod plurima, dividens prout vult singulis, operatur. Hujusmodi autem digitos volens, Virgo prudentissima commendare, myrrha probatissima eos asserit abundare, quia sicut districtio nihil aut parum proficit indiscreta, sic discretio non elucet, nisi duris gravaminibus assueta. Lucet autem discretio et decore roseo venustatur, cum adjuncta districtio avaro li-

mite non arctatur, cum non cornu vacuo sed pleno potius myrrha digitis est infusa; et ejusdem plenitudo digne probabilis non confusa. Probabilis vero vel probata illa congrue potest dici, cui nostra laborantium studet conversatio sic addici, ut quidquid lutulentum sibi contrahit interruptio præsentis officinæ, diligenter excoquat superducta severitas disciplinæ. Cæterum Virgo myrrham qua plenos esse digitos intimavit, non probatam, sed magis, probatissimam nominavit : innuens forte eam, quæ probata est, cæteris cum gratia laborantibus posse dari, sibi vero veraciter, sibi specialiter probatissimam assignari. Probata est quæ corpus inquietum castigat, castigatum subjicit servituti, ne lex membris insita resistat vitæ penitus et saluti, quæ motus incompositos et passiones corporis incentivas pullulantes reprimit, nec effici patitur oppressivas. Probatissima vero est quæ omnibus vitiis aditum prorsus negat, quæ versutias hostium observato mentis ostio sic relegat, ut non solum permittat conceptum duci nequitiam ad effectum, sed profectu fortiore jam nec laxet januam in conceptum. Probatissima est, cum non solum manus opus illicitum non committit, sed mens longe purior, quidquam reprehensibile non admittit, cum non solum legi carnis fortior spiritus non consentit, sed tam caro quam spiritus quidquam dignum venia jam non sensit. Cujusmodi myrrha et si a nostris finibus videtur procul esse, eam tamen certum est huic tantæ virgini non deesse; sed dono excellenti sic ejus digitis præsto esse, ut eos non inopes, sed magis asserat plenos esse. Ipsa est enim cujus discretio districtionis amaritudinem plenius amplexatur, cujus districtio discreto moderamine gubernatur : quæ in utroque potens, et clausis foribus gaudet silentii gratam dulcedinem invenire, et non recusat penitus, cum manu sponsi tangitur, aperire. Unde subinfert : *Pessulum ostii*, etc.

A

B

C

CAPUT XII.

Pessulum ostii mei aperui dilecto meo : at ille declinaverat, atque transierat. Postquam Virgo manus et digitos myrrha commendabiles demonstravit, et se ad aperiendum discreto exercitio præparavit : ostium ante clausum amoto pessulo reseravit, et quod intus quasi absconderat, ad pulsantis imperium declaravit. Quæ enim antea dulci silentio lætabatur, jam pulsante sponso ad januam dignum judicat ut loquatur; eidem sentiens in loquendo nihilominus se placere, cujus gavisa fuerat in silentio gratiam obtinere. Ei ergo, quem diligit, acquiescit ostium aperire, hoc est, solvit silentium, et aggreditur proximos erudire : in novellis et rudibus fidei jaciens fundamentum, in provectis et grandibus editioris justitiæ cumulans firmamentum. Non sibi quidem, sed dilecto aperit ostium, reserat et clausuram, non sibi, sed pulsanti laxat fores, proponit aperturam, quia talentum Domini cum exponit cæteris ad usuram, non suæ sed illius gloriæ sive nominis agit curam. Charitas quippe qua mater sponsum, Virgo filium amplexatur, non quærit quæ sua sunt, non quidquam proprium aucupatur, sed sive otio contemplandi, sive negotio prædicandi dare operam videatur, ei solum quem diligit, devoto et toto spiritu famulatur. Quæ, etsi otium quam negotium plus affectat, inhærens tamen illi, huic penitus non detrectat; sed in negotio, cum ei jam se applicat, evidentius innotescit, qua causa teneatur, cum otio diligentius adhærescit. Otium quidem satis dignum laude maxima non habetur, si ejus suavitas causa commendabili non tenetur, nec summus ille judex sibi otium tanquam meritum vult prætendi, sed in ejus facie causam commendabilem præostendi. Quod intelligens Virgo sancta, non ostium aperuisse, sed pessulum ostii se fatetur, ut non pessulum ostio, sed ostium pessulo commendetur, quia ille invisibilis rerum invisibilium acutissimus perscrutator, non tam studii procedentis, quam causæ præcedentis avidus est amator, *Pessulum*, inquit, *ostii mei aperui dilecto meo*. Ad litteram, cum pulsare ad januam quilibet invenitur, non pessulum, sicut nostis, sed magis ostium aperitur; et pessulum quidem retro **245** pellit, qui pulsanti aditum vult præbere, quod intro pepulerat cum clausum vellet ostium detinere. Hic vero non ostium, sed ostii pessulum dicitur aperiri, in quo non littera, sed spiritalis intelligentia vult requiri, quia sicut non de ligno vel lapide habet construi thalamus nuptialis, sic ostium vel pessulum non admittit grossitudinem intelligentiæ litteralis. Ostii ergo nomine silentium non incongrue figuratur, sub cujus tegumento Virgo latet, et latibulo gratulatur : pessulum vero quod apponitur ostio ne volvatur, amor Sponsi est, propter quem Virgo silentium amplexatur. Factis quidem retro forensibus, cum Virgo sub silentio latet clausa, amor Sponsi omni vecte fortior est in causa : et concurrentibus sibi causa pariter et effectu, Virgo quietis vernula gaudet ineffabiliter de profectu. Quod si dilectus pulsat et Sponsam postulat aperire, profecto amorem suum in ipso vult silentio reperire : probatque illum assumpti silentii causam esse, si propter quem gaudet silentio, propter eum Virgo sustinet et forensibus interesse. Alioquin si dilecto pulsante Virgo obstiterit animo pertinaci, non dubium quin silentio instet desiderio, non veraci, quia vere amans, quem amat nesciens non audire, ut ametur amplius, amorem suum gaudet ei quem diligit aperire. Pulsante igitur Sponso, Sponsa non tollit, sed attulit pessulum evidenter, id est causam qua gaudet otio aperit diligenter, dum propter Sponsi amorem seponit otium et relegat, et propter quem vacabat otio, propter eum instare et negotio jam non negat. Propter quem intus claudi voluit victoriæ titulis assueta, propter eum jam foras exiens, iterum fit athleta, ostendens in negotio, quæ causa in otio teneretur, cantans illud propheticum quod in Psalmi versiculo breviter continetur : *Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te* (*Psal.* LXII). Stratum, quietem vocat, qua in cubiculo delectatur, cum clauso velut ostio a tumultu forensium seque-

D

stratur ; illa vero quæ post quietum noctis silentium redeunt matutina, recte satis dici possunt actio temporalium et doctrina. Qui ergo propter Christum veraciter grato sub silentio delitescit, propter eumdem etiam dare operam exterioribus acquiescit ; et cujus super stratum memoriam teneat vel amorem, ostendit, cum vocatus mane fuerit ad laborem. Sic et Virgo cum facto velut mane mandatum accipit ut loquatur, aperit Sponso pessulum, quo ejus ostium firmabatur, ostendit quo amore, quo spiritu sub silentio tenebatur, dum non refugit obedire, cum ad publicum egredi postulatur. Aperit, inquam, ut ei qui pulsaverat et præmoverat aperire, respondens satisfaciat, et foris eum gaudeat invenire, ut quem in silentio necdum satis poterat devincere, vocata in publicum obediendi valeat meritis irretire. *At ille declinaverat atque transierat.* Pulsat dilectus Sponsæ et sibi postulat aperiri, apertoque pessulo non potest inveniri : mirumque in modum ad illam hujus præsentiam se inclinat, et cum tanquam teneri jam putatur, ad sua refugiens mox declinat. Hujus enim sic excellentia incomprehensibilis est naturæ, ut cum largo beneficio se infuderit mortali creaturæ, quasi totum se offerat et amanti conferat spem tenendi, extensaque illius cupidine hujus immensitas non possit comprehendi. Incendit et extendit suave desiderium æstuantis, æstuantem provocat, spondet præsentiam provocantis ; et cum præsens jam putatur inter venas tenerius amplexantis, avidas manus fugit, subtrahitur faucibus inhiantis. Fugit, inquam, Virginem non offensa culpabili, sed corruptibili carne pressam, et ab ejus oculis avertit faciem inconcessam, neque rem auferens, sed magis differens, spem reddit indefessam, fidem illius firmat, lucem habitans inaccessam. Qui ab intuitu matris avertens faciem præoptatam, transit ad sinum Patris, et lucem nulli mortalium revelatam, cujus immortalitas etsi a mortalibus vult amari, nulli tamen eorum vult ad sufficientiam præsentari. Etsi enim ad adjuvandum vult aliis et aliis abundanter, et abundantius præsto esse, semper tamen omnibus aliquid vult deesse, quandiu vel culpa tendit ad remedium, morbus infirmior ad medelam, vel deponere satagit naturalem istud corruptibile corruptelam. Non solum enim culpa, sed et corruptio nos obscurat, et mundo, in quo vivimus, configurat, a quo ne liberius evolemus, quodam non satis exstricabili nexu ligat, quo loro noster oculus non penitus quidem obruitur, sed caligat. Videns ergo dilectus Virginem adhuc subditam huic necturæ, tenerique involucro carnalis non vitii, sed naturæ : eo quem vult modo vel ordine illi frequentius se præsentat, sed a mortali cito immortalis ejus excellentia se absentat. Immortalis enim etsi sciri et sentiri utcunque se promittit, tamen ad videndum se plenius, mortalem oculum non admittit, sed cum venerit et postulaverit Virginem aperire, mox declinat et festinat ad invisibilia pertransire. Venit quidem, cum menti puræ gratius et suavius se infundit ; transit, cum eidem ne facie videatur ad faciem, se abscondit : venit, cum ad veram et sinceram visionis optimæ spem inducit ; transit, cum speranti et festinanti adhuc desiderio se subducit. Venit, inquam, cum Virgini fontem boni lucidum dat sitire ; transit, cum sitienti non dat id quod expetit, **246** plenius invenire. Venit, cum fidem Virginis ad summum donat meritum pervenire ; transit, cum nondum sustinet fidem in rem, spem in speciem pertransire. Venit denique, cum jubendo vel pulsando Virginem obedientiæ transvehit ad profectum ; transit, cum illa non perveniens, quemdam velut resolvitur in defectum ; venit, cum in anteriora Virgo cursu prospero se extendit ; transit, cum illa currens necdum bravium comprehendit. A quo retrahens manum, magis quam animum, subjungit : *Anima mea*, etc.

CAPUT XIII.

Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. Quæsivi, et non inveni illum, vocavi, et non respondit mihi. Miratur Virgo, et supra quam dici valeat, obstupescit, et intra semetipsam stupore nimio contabescit, dum illius quem amat tenere jussibus sive monitis diligentius acquiescit, et tamen ad obtinendum, nullis adhuc viribus, nullis meritis invalescit. Ille quidem loquitur et monet Virginem aperire, illa surgit et festinat loquenti diligentius obedire ; imo audito verbo sic in affectuosam teneritudinem est redacta, ut sibi videatur forti velut incendio liquefacta. Illo præsente Spiritu qui stare diligit vehementer, verbum Sponsi, ut ignis in camino æstuans præpotenter ; totam torret Virginem, et omnem scoriam longefacit, et in amorem sui, ut materiam fusilem, liquefacit. Liquefacta nihil suum, nil videtur sibi proprium retinere, sed ad omnem velut formam, habilem et tractabilem se præbere, ut sive intus latere permittatur et spiritalibus interesse, sive foras exire jubeatur, loqui proximis et prodesse : cor ejus non turbetur, non proferat querimoniam de præcepto, sed jubenti assistere, et persistere gaudeat in incepto. Cum igitur vel otiis vel negotiis nonnisi spiritalibus gaudeat se intentam, et postpositis quæ sunt retro, solummodo in anterioribus se extentam ; quasi conqueritur quod eum quem tanto quærit studio, quærit acie tam purgata, necdum tamen invenitur, nec ad eum pervenit facie revelata. Illum, inquit, toto corde, tota illum anima, viribus amo totis ; vocare non desisto, jungo preces precibus, vota votis : quæsitusque statim subterfugit, necdum plenius dat quod spondet ; vocatus etsi audit, meo tamen satis desiderio non respondet. Quid est ergo quod cum ille loquitur, id est ejus mihi suavitas innotescit, mea degustans anima, amore tota igneo jam liquescit ; et cum quæro avidius, ille tanquam invidus se absentat, vocanti non respondet, id est quæsitam faciem non præsentat ? Qui tamen considerans in tanto me desiderio constitutam, omni prorsus solatio non me esse patitur destitutam ; sed ne nimis, dilato quod petebam, mihi videar cir-

cumventa, dum quæro, quæsita sum, dum non invenio, sum inventa.

CAPUT XIV.

Invenerunt me vigiles qui circumeunt civitatem : percusserunt me, et vulnerarunt me, tulerunt pallium meum custodes murorum. Longe retro eamdem Virginem dicti sunt vigiles invenisse (*sup.* l. III, c. 22), suosque inventores Virgo diligentius convenisse; qui fidelium civitatem student sollicitius circuire, neglectisque reprobis, electis curam debitam impertire. Super quo illic dixisse me recolo quæ tunc temporis occurrerunt, nescio si lectori placere vel sufficere meruerunt; et ne forte sit oneri eorumdem expositio repetita, ad exponendum transeo, quæ recens tantummodo sunt audita. *Percusserunt me*, inquit, *et vulneraverunt me.* Sodales Sponsi quibus cura fidelium est commissa, qui super gregem suum sollicitudine vigilant irremissa; circumeunt Hierusalem, laudantes nomen Domini super muros, foventque et promovent quos ad illum viderint perventuros. Nec sufficit semel invisere, sed et revisere non gravantur, affectusque proficientium inspicere, et perficere gratulantur; et quos de virtute in virtutem fortius et liberius noverint pertransire, eos frequentius requisitos in proposito diligunt invenire. Prius ergo inventam Virginem invenire iterum referuntur, illiusque amorem fervidum favore, debito prosequuntur; et quibus cura est ut amantes excitent et accendant, ut ametur amplius, attollunt eum qui diligitur, et commendant. Commendantes vero ineffabilem magnificentiam Creatoris, menti Virgineæ ampliorem ingerunt vim amoris: qui dum narrare cupiunt, nec tamen sufficiunt, quanta sit ejus excellentia qui amatur. Virgo percussa fortiter, acriori jaculo vulneratur. Est enim laus dilecti quoddam jaculum vel sagitta, qua cum mens hujus Virginis **247** digne fuerit appetita, non tam pungi graviter, quam compungi suaviter gratulatur, nec tam perfossa jaculo, quam lenita medenti poculo reputatur. Quo vel jaculo vel poculo in amorem dulcius resoluta, ab his quæ sunt corporis videtur sibi gratius destituta; et sensu corporalium enervato, quo erat durius involuta, amat eo tenerius, quo et liberius mente in cœlestibus constituta. Sic nimirum gaudet Virgo pallium sibi tolli, cum mente velut nuda sentit in cœlestibus se attolli; cum sentit a vigilibus laudes Sponsi nimias prædicari, et incentivo laudum a cura corporalium se nudari. Quæ enim corporeis, vel lege mortalium, vel amore carnalium est inserta, quodam quasi pallio laboriosius est operta; unde fit vel effectu penitus vel affectu devoti spiritus si exerta, gaudet Sponso aperire, et apertius inhærere facie deoperta. Ad quod cum vigiles monitis sive laudibus Virginem exhortentur, perculsam vulnerare, et pallium ejus tollere perhibentur; quorum dum præsentiæ vel colloquio mens intendit, oblita carnis suæ tota in amorem spiritus se extendit. Ad hoc quippe ad homines spiritus administratorii transmittuntur, ad hoc multa sollicitudine, cum missi fuerint, enituntur; ut minores quoslibet informent ad licita, ne delinquant, majores vero sollicitent, ut et licita fortiori desiderio derelinquant. Qui cum Virginem inveniunt amoris facibus æstuare, vulnus vulneri superponunt, studentque illam amplius inflammare, tollunturque illi pallium quo naturaliter amicitur, id est curam qua seipsam curare omnis mortalitas invenitur. Sic enim eum qui amatur clamant admirabilem, prædicant inaccessum, ut mentem virgineam totam rapiant in excessum, ut oblita corporis cujus plerumque dolet gravi præsentia se involvi, æstimet vel ad modicum ab ejusdem onere se absolvi. Verumtamen vigiles seipsos quoque diu Virgini non ostendunt, sed cito subtrahuntur ei, cui aliquoties condescendunt; non penitus voluntati, sed magis sanctitati subtili prudentia deferentes, et ad curam cæterorum, ad murorum se custodiam referentes. Murorum autem nomine apostolos æstimo figurari, quorum sollicitudine gaudet Ecclesia defensari; qui erecti et evecti, non, ut assolet, lapide vel cæmento, sed virtutum congerie et charitatis indissolubili firmamento; civitatem ambiunt ad custodiam fortiter expediti, si tamen a vigilibus digne fuerint custoditi. Quos Virgo devotissima evehi considerans ad profectum, quia necdum pertingere plenarie prævalet ad dilectum; ad eos se convertit fraterno solatio volens uti, non invidens, sed adgaudens illorum gratiæ vel saluti.

CAPUT XV.

Adjuro vos, filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut annuntietis ei quia amore langueo. Virgo postquam, ut retro dictum est, Dilecti monitis est præventa, et eo declinante a vigilibus est inventa; ipsi quoque se subtrahentibus, ad filias Hierusalem, id est apostolos vult redire, eosdem quoque super illo, quem tanto amat desiderio, convenire. Vos, ait, qui instar filiarum amoris teneritudine vehementius æstuatis, qui internum mentis cubiculum Sponso invisibili præparatis; vos admoneo, imo ne admonitio insufficiens habeatur, vos adjuro, volens ne quis prætereat quod tam firmiter adjuratur. Si quo igitur modo, vel ordine vobis fuerit id concessum, ut invisibilem invenire, attingere possitis inaccessum; nuntiate, prædicate amore tenero me gravari, ut vestro interventu ei, quem diligo, merear commendari. Si dilatio vos suspenderit defæcata, si ad Sponsum perduxerit prompto desiderio, acie permundata; æstus meos, amorem indefessum, languorem validum nuntiate, rogate ut attendat charitatis recolens vulneratæ. Quod si quemquam vestrum e corpore dies eduxerit præoptata, si prius perveneritis rejecta carnis sindone, facie penitus denudata: quia et novissimi gaudent plerumque fieri se priores, et qui primi videbantur conqueruntur effici tardiores; si divina gratia iter vobis dederit expeditum, et quem simul quærimus, prius inveneritis requisitum; volo, ut invento nuntietis, quo æstu teneat, quo amore, quo defectu

langueam, quo deficiam desiderio vel languore. Si vos, inquam, regis mensa susceperit, si vos ante perfuderit lux inventa, me manente in tenebris dum cum Joseph adhuc carcere sum detenta; mementote mei quæ teneor, nec in oblivionem recens prosperitas vos abducat, sed potentem rogate Dominum, ut et foras citius me deducat. Et, ut magis potens ille celeri misericordia moveatur, dicite quia langueo, et languor intolerabiliter aggravatur; et, ne de pœnis meis rideat et intolerantia graviore, nuntiate hunc languorem non gigni ejus odio, sed amore. Languor est immodicus, qui meam ipsius animam febre vehementiore calefacit, imo ceræ similem igne potentior liquefacit; quæ æstu liquefacta ad ea quæ sunt mundi transitoria penitus intorpescit, **248** et jam loqui nisi Sponsum neseiens, ad cætera languidius obmutescit. Quod perpendentes filiæ Hierusalem, respondent: *Qualis est*, etc.

CAPUT XVI.

Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum: qualis est dilectus tuus, quia sic adjurasti nos? Audientes filiæ Hierusalem a Virgine se diligentius adjurari, ut, si Dilectum invenerint, eam usque ad languorem nuntient infirmari; ad eumdem inveniendum videntur amplius inflammari, et qualis sit, qui quæritur, aggrediuntur studiosius sciscitari. Tu, aiunt, quæ dilectum miro dilectionis privilegio jam novisti, ex quo illi nova forma Sponsam matrem Virginem te novisti; ex hoc nobis inter omnes mulieres digne pulcherrima jam videris, quæ nostra omnium cæcitate, parique nobiscum merito non teneris. Quia nullis retro sæculis divina largitas hoc concessit, et ad placendum ei, de quo sermo est, nulla mulierum sic accessit; scimus quia nulla melius nostram ignorantiam poterit erudire; et ejusdem qui quæritur qualemcunque nobis notitiam impertire. Ob hoc fore de præsenti sæculo adhuc ille penitus non emisit, et in plena requie tuum adhuc desiderium non admisit; sed inter nos vel invitam illius providentia te dimisit, ut doceas quis sit ille qui frequentius te revisit. Quo enim sæpius et amabilius illum, quamvis per speculum, intueris, eo ejus ampliorem obtinere notitiam promereris; et eo visitante et pulsante, ad hoc aperire procul dubio commoneris, ut acceptam ejus notitiam minoribus non refundere pigriteris. Dic igitur, qualis est ille quem a nobis pariter vis requiri, cui nuntios nos allegas, si se dederit inveniri? dic qualis est, ne in quærendo temere seducamur, et errore caligantes, pro altero super alterum inducamur. Quia enim nos tam firmiter, tam amabiliter adjurasti, volumus non contemnere, sed magis attendere quod rogasti; verbumque juramenti revera fingimus in præcepto, tantummodo dic, qualis est tuus ille dilectus ex dilecto. Scimus quidem quia Patrem diligis, cujus Filium sic affectas, et genito genitorem in diligendo jungere non defectas; sed quia Patrem nisi Filius, et nisi per Filium nemo vidit, tibi autem idem Filius seipsum penitus non invidit; dic nobis, si quid habes de ejusdem Filii qualitate, de cujus nil, aut parum vel audimus vel intelligimus quantitate. Et quia ipsum quem diligis, nos etiam diligere non mediocriter gratulamur, dilectionis gratia non semel tantum, sed iterum sciscitamur, ut cum audis quod attentæ hujus inquisitio repetatur, prudenter intelligas quo affectu diligentium requiratur. Moveat ergo te inquisitio signanter repetita, ut non differas respondere ad diligentium inquisita; et dic qualis tuus ille dilectus debeat æstimari, qualiter Deus homo credi possit firmiter et amari. Ille quidem ex Deo Deus, lumen de lumine, et ex carne caro est, homo de virgine: et quid, cui debeamus, a te volumus edoceri, cum cuique substantiæ quod suum est proprium debeat exhiberi. Quodpropter et congrue prædicta inquisitio replicatur, in quo duplex dilectio substantiæ duplicis explicatur; cujus quia cognitio in quodam velut codice complicatur, ad solvendum ejus signaculum diligens inquisitio instanter applicatur. Quærit ergo semel, quærit et iterum sibi manifestius enarrari, qualiter ille gigas substantiæ geminæ vult amari, quid de se vult sentiri, secundum quod dilectus dicitur ex dilecto, quid, juxta quod dilectus appellatur, nec apponitur ex dilecto. Prima enim inquisitio cum dixisset: *Dilectus* statim *ex dilecto* supponit, secunda, *dilectus* repetens *ex dilecto* juxta quosdam codices non apponit: per hoc dans intelligi Deum dignum diligi ex Patre esse nihilominus diligendo, hominem vero etsi diligi, tamen dignum esse ex homine non æqualiter amplectendo. Deitas enim Filii amatur æqualiter et in Patre, Patrem vero nesciens illius humanitas non sic diligitur et in matre, quod illa duplex inquisitio videtur subtiliter admonere, quarum prima posuit *ex dilecto*, secunda voluit reticere. Quod si dixerit quispiam quia illud et prima posuit, et secunda non tacuit, nolo nimis contendere, pertinaciter reluctari, quia multos inveni codices huic testimonio suffragari. Nam, etsi non omnes, quos invenire potui codices, plerique tamen ex eis, sicut in prima inquisitione, sic et secunda habent *dilectus ex dilecto*; neque satis compertum habeo utrum *ex dilecto* repetitum fuerit ab auctore, an potius scriptum vitio vel errore. Dilectus autem ex dilecto dici potest homo ex homine, quia Virgo et filium diligit quod homo est, et id diligit ex quo est; diligit quippe carnem suam, *nemo enim carnem suam odio habuit* (*Ephes.* v). Nos quidem illum diligimus, quia homo factus nostræ particeps est naturæ, creator noster omnium susceptt humilia creaturæ; Virgo vero non solum factum hominem, sed factum ex **249** se hominem amat illum, et ex qua homo factus est seipsam magis diligit propter illum. Cujus cum humanatio digne ab angelo vel homine diligi mereatur, ei tamen amari plus competit, in cujus utero Virginis humanatur; et quod illi humanato exhibet necessario totius obedientia creaturæ, virgo ditior gratia agit quadam voluntaria vi naturæ. Quod

filiæ Hierusalem videntur inquirentes innuere, cum non dicunt : Qualis est dilectus noster, sed : *Qualis est dilectus tuus*, dantes per hoc intelligi, quia dilectus ille Virgini recte quasi specialiter assignatur, cujus dilectionem natura cum gratia potenter operatur. De quo dilecto inquisita Virgo non differt respondere, nec videtur requirentibus illius notitiam invidere : intelligens dissolvi cupientem, ad hoc tamen necessarium se manere, ut quod hausit in cubiculo super tecta studeat edocere.

CAPUT XVII.

Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. Dilectus, inquit, meus cujus necdum (ut videtur) notitiam acquisistis, sed acquirendi studio jam sollicite requisistis; non uno tantum, sed gemino splendore conspicuat, candor cujus inæstimabilis gratum sibi ruborem continuat. Candor autem lux est indeficiens caligantibus inaccessa, dies ignorans vesperam, tenebris succedentibus non depressa : lux candens æternaliter, æternæ nihilominus candor lucis, illuminans tam angelos quam homines, præsens tam manentibus, quam caducis. Candor est, inquam, lucis, lux præsens omnibus non ostensa, lucens quidem in tenebris, nec a tenebris comprehensa (*Joan.* I) ; candor sole lucidior, lux candorem nivem supergressa, vestimentum assumens rubeum, vestimenti maculam non perpessa. Deus enim, Dei Verbum, Patris Unigenitus, imago genitoris, servile corpus induens, miseriæ tunicam et laboris ; homo cum hominibus conversatus vitam vivit adeo verecundam, ut digne intuentibus offerat velut faciem rubicundam. Veram quippe carnem sumens aliorum, sic hominum similis est effectus, ut in oculis caligantium, non decor illi maneat, non aspectus : inopsque et invalidus, et, juxta Zachariam (*cap.* III) sordida præferens indumenta, ægrescit turpitudine, pallet facie lutulenta. Cæterum ego mater cujus mens non caligat, non hebet intellectus, cui meus præ cæteris partus innotuit, claruit et conceptus : novi carnem filii ab omni vitio penitus alienam, illum naturam sumere, de culpa nil præsumere nisi pœnam. Qui ergo tanquam refuga, ad omne prorsus vitium erubescit, solam pœnam illius sustinens, non sordet procul dubio, sed rubescit : nec est culpæ læsio, sed fuga potius læsionis, cum genas perfunditur sanguineo rubore passionis. Nec solum genæ, sed et totum rubet corporis indumentum, totum venustat passio, pœnale purpurat ornamentum : et quod peccanti cuilibet ignominia est, et intolerabile detrimentum, illi non nisi gratia, et gloriæ commendabilis est augmentum (85). Denique rubet ignis et sanguini concolor invenitur, cujus æstum culpa non sustinet, si non misericordia prævenitur; et cujus lignum, fenum, stipula, non lucem, sed incendium experitur, iste aurum, argentum, lapidem salvans, paria singulis remetitur (*I Cor.* III). Est igitur dilectus meus ignis comburens paleas, torrens lutum, ad nihilum deducens reprobos, castigans misericorditer dissolutum : ignis conclusus testa, rubens judiciaria potestate, quassans in circuitu judicando rubea potestate. Deus enim quem filium sibi ante sæcula voluit substantialiter conniri, eum in fine temporum, ut hominem habitu voluit inveniri, cujus humanatio non ab aliquo facile potest sciri, nisi cui ad hoc suam voluerit gratiam impertiri. Quam nimirum studiosorum desiderio studioque desiderantium vult requiri, vobisque, ut intelligo, digne requirentibus vult largiri, quibus non invideo, cum eadem gratia videar præveniri, sed requirentes doceo et gaudeo vos efficaciter erudiri. Est igitur ille splendor gloriæ, figura substantiæ, imago paternæ Deitatis, lucis æternæ candor, divinæ speculum majestatis (*Hebr.* I); candidus est in Patre candido, nulla respersus macula, semper mundus, matrem habere sustinens, fieri voluit rubicundus. Candens, inquam, ut lux lucis, rubere pariter appetivit, rubens vero ut nobis consulat, candere in seipso æternaliter non desinit : inter choros angelorum et turbas hominum vel conventus, non gigas potentior, non quisquam illi similis est inventus. Quod propter ex millibus Pater nostri sollicitius hunc elegit, quem voluntate missum lex dura vel necessitas non coegit, sed sacerdos factus et hostia, seipsum in sacrificium obtulit voluntate, assumptam ponens animam, positamque simili resumens potestate. Est autem egregie prædicto numero diffinitum, cum pro omni infinito ponitur hoc finitum, ut ex omnibus, tam angelis quam hominibus, qui nullo possunt numero comprehendi, solus ille sit electus ad ministerium offerendi. Non enim alius vel homo, vel angelus valuit sic offerre, nullius oblatio potuit efficaciter hoc conferre; et ideo ex millibus, hoc est, ex infinite omnium numero iste singulariter est electus, qui perfectius efficit, quod non sufficit imperfectus. Quod autem dignus sit eligi per quem beneficium hoc confertur : testimonio consequenti digna laudum consequentia subinfertur. **250**

CAPUT XVIII.

Caput ejus aurum optimum, comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus. Dilectus iste Virginis sicut non est unius genituræ, sic non esse creditur unius vel substantiæ, vel naturæ, quia et a Patre solo quod Deus est, et a sola matre habere creditur quod est homo : et sic duplicis substantiæ vel naturæ manet Christus pariter Deus homo. In qua junctura, qua in unam personam habent duplex natura convenire, est principale aliud, aliud secundarium invenire; et illud quidem potest caput dignitatis privilegio nominari, istud vero quodlibet aliud, si tamen videatur, aliqua similitudine coaptari. Caput igitur Christi illa est in ipso natura principalis, quæ a Patre genita gignenti creditur coæqualis, secundum quam, sicut non major Patre,

(85) Allusio ad Luc. II, v. 52; Philipp. II, v. 9.

sic nec etiam minor ipso (86), major autem sicut omni homine, sic veraciter et seipso. Caput autem istud auro non incongrue comparatur, auro, inquam, optimo quod præ cæteris approbatur, quod metallis omnibus digno sui pretio principatur, et in luto forte jacens, non natura lutea deturpatur. Deitas enim Christi quam cum Patre coæternam habere dignoscitur et communem, assumens carnem nostram, custodivit a culpis carnalibus se immunem : et ad nostrum quasi lutum alto consilio misericorditer inclinata, sub umbra carnis latuit, nullis ejusdem sordibus inquinata. Hoc igitur mysterio quo se Deus inclinavit, sua permanens in natura, jure voluntario potestatis factus mirabiliter creatura : concurrentibus his naturis, neutris conquerentibus de jactura, Deus homo Christus est tali nobis deditus ex junctura. In qua Deus vel deitas instar capitis superfertur, homo vel humanitas instar pedum sive corporis subinfertur. Et caput, velut aurum, est pretiosius omni ære, eo quod omnibus creaturis creator creditur præeminere. Pedes vero, sive corpus vas est luteum vel terrenum, quod ex læsa sumptum materia, a cunctis redditur vitiis alienum, cui velut caput supereminet qui assumit, qui assumptum promovet, promotum illuminat, non consumit. Cujusmodi caput in Christo sibi primatum immerito non usurpat, quod non decalvat turpitudo, calvities indecens non deturpat; sed facta procul turpitudine omni ingenita pulchritudine præmunitum, ad ostensionem sui est comis convenientibus insignitum. Comæ autem ejus virtutes procul dubio sunt cœlorum, creaturæ digniores, chorus supereminens angelorum, qui aliis defluentibus et ruentibus irrevocabiliter in infernum, inhærentes firmius capiti, fixi permanent in æternum. Qui privilegio excellentiæ et adeptæ merito dignitatis, non quibusvis arboribus, sed palmarum similes sunt elatis, quas triumphatis hostibus manu deferunt bellatores, cum festivo die præfulgidi ostentare cupiunt se victores. Elatæ vero illi palmarum esse ramusculi perhibentur, qui in altum præ cæteris procera rectitudine promoventur, qui cum promoti firmius cacumine steterint in excelso, cunctis æque temporibus tam rigore quam decore permanent indeflexo. Sic virtutes cœlorum in altum præ cæteris sunt elatæ, cum frui gaudent eo, a quo, cadentibus reliquis, sunt salvatæ; ad intuendam cujus faciem semper erigere se festinant, et desiderio persistentes, languente fastidio non declinant. Unde quasi triumphantes elatam palmæ gestare gratulantur, cum de se jam securi victoriæ titulis gloriantur, cum timore longefacto, diem celebrant jam festivum, manu ramum deferentes adepti muneris ostensivum. Ipsi quidem videre Deum quærentibus se prætendunt, et caput Christi nudum passim quibuslibet non ostendunt : splendorque auri oculos intendentium non admittit, sed ut possit utcunque sustineri, cæsaries obvia se præ-

(86) *Caute* legendum.

A mittit. Quæ nimirum ejusdem capitis non aufert præsentiam sed promittit, et processu congruo nos ad eam postmodum intromittit, in qua, etsi prius et propius quodam amoris glutino se suspendit; nobis tamen longe sequentibus quadam similitudine condescendit. Inhærens enim capiti clarescit comarum pulchritudo, nobis vero condescendens apparet earum turpitudo : candent comæ ut lilium, cum aureo capiti se præsentant, cum vero præsto nobis sunt, corvi nigredinem repræsentant. Considerantes caput Christi qui cum Patre Deo habet naturaliter unum esse, elatis palmarum proceris et rutilantibus similis gaudent esse. Considerantes vero quidquid intelligunt factum esse, factori candido comparatum, vident veluti nigrum esse. Erecti ergo angeli contemplandi nisibus ad factorem, vident longe B præeminere creaturis omnibus Creatorem; et illum quidem candere, vel, si quid potest clarius æstimari, istas quasi torpescere, et corvis nigrescentibus similari. Quo enim ad amandum illum **251** majori desiderio se suspendunt, eo non solum homines, nigros esse, sed et seipsos angeli deprehendunt; et quibus excellentia capitis auro clarius enitescit, eisdem sua ipsorum humilis consideratio denigrescit. Sic nimirum comæ Christi, palmarum, ut jam dictum est, similes elatis, cum attente considerant illius altitudinem deitatis; et tamen non incongrue instar corvi nigrescere perhibentur, cum longe illi dispares clamore proprio se fatentur. Nam cum fortiter et singulariter æternam pulchritudinem C ejus amant, se nigras et abjectas humili voce clamant : attendentes quia id quod initium habet ab altero, nec nisi per alterum caret fine, non comparatur ei quod per seipsum manet sine principio sine fine. Hæc autem consideratio qua Christi caput efferunt, se autem angeli humiliant in agone, non derogat, non detrahit eorum meritis, non coronæ; sed victoriæ ramum eo expetunt sive obtinent confidenter, quo se nigros et humiles, velut corvus, clamitant evidenter.

CAPUT XIX.

Oculi ejus sicut columbæ super rivos aquarum, quæ factæ sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima. Habet Sponsus et oculos quibus cuncta D circuit et perlustrat, et potenti circuitu visa provehit et illustrat, quos ad largiendum sua nobis dona diligit aperire, et, ne damnet, propter nostra nos merita festinat operire. Unde et hi oculi non districtionem habere dicuntur aquilinam, sed affectu gratiore simplicitatem obtinent columbinam, quia nimirum aquila videt longe districtius et acutius ad rapinam, columba innocentius signans mitem et simplicem lisciplinam. Cujusmodi oculi quia columbis potius quam aquilis similantur, non incongruum æstimo si gratia et veritas appellantur, quia gratia et veritate Deus fecit, facta vidit omnia valde bona, bonosque tam angelos quam homines dignatur præmio vel corona. Qui enim angelos, qui

non fuerant, dedit esse, eorum aliis corruentibus, voluit aliis permanentibus non deesse, et quos vidit gratia, nec superba caderent pravitate, ut cadere jam non possent, fixos et stabiles reddidit veritate. Ille autem angelus, quem Deus oculo gratiæ non respexit, ab ea in qua factus fuerat rectitudine se deflexit; et non præventus gratia, in veritate gradum stabilem non accepit, et ab utroque aversus oculo, miser irreparabiliter se decepit. Felix igitur homo ille, quem oculo gratiæ divina bonitas intuetur, cum exigente culpa ille sub arbore jam tenetur, cum uxoris falso consilio prælato regulæ veritatis, auditam vocem timet, ob recentem ignominiam nuditatis. Quem enim sub ficu tenebrosum visu gratiæ misericorditer illustravit, consequenter ad lucem veritatis grato satis ordine revocavit : attritumque laboribus, ut præsumptæ vicem redderet pravitati : erudivit gratia ut fixum redderet veritati. Ut vero toti humano generi beneficium hoc conferret, et læsa ejus origine, judicio misericordiam superferret : jam urgente mundo ad vesperam lux orta est subitæ novitatis, qua Verbum caro factum est plenum gratiæ, plenumque veritatis. Cujus ortus lucidior cum nobis caligantibus se infudit, duo ista nobis luminaria superfudit; dignatusque est homo factus oculo duplici nos videre, id est gratiæ prævidenti veritatem indivisam comitem adhibere. Nam quos vidit gratia, ut immeritos meritis nos donaret, vidit et veritate, ut jam meritos præmiis cumularet, qui profecto nonnisi immeritis merita prima donat, et item nisi meritos, meritorum præmiis non coronat Vidit ergo nos gratia, cum immeritos nos vocavit, vocatos ad justitiam et justitiæ merita provocavit, vidit et veritate, cum assensum nobis præbentibus sese contulit adjutorem, qui nonnisi gratis ante se contulerat promissorem. Gratia quidem fuit vocatio et promissio confortantis, veritas vero fuit exhibitio vel beneficium adjuvantis : nec est satis utile si quid boni larga manu gratia nobis spondet, si sponsioni ejus comes veritas non respondet. Recte ergo Sponsus habere oculos perhibetur, quibus electos quosque innocenter et simpliciter intuetur, quorum alter prævius non invidet, sed immeritos videt gratis, alter quasi meritos sequitur, et officio fungitur veritatis. Qui quoniam durius nos non vident, sed simplicitate innocua nos attendunt, non rapinam meditantur, sed ad salutem nostram omnium se extendunt : recte illos Virgo sancta columbarum similes dicit esse, quas natura propria simplices et innocuas facit esse. Quæ super rivos aquarum et fluenta plenissima conversantur, ut rapaces aves prævideant quæ nequiter simplicioribus adversantur, sicut aiunt, qui perquirunt curiosius avium de naturis, et rem ita se habere quibusdam approbant conjecturis. Quod autem columbæ perhibentur, non aquis, sed potius lacte lotæ, innuit quod longius a columbis materialibus sunt remotæ; et quia sic lavari columbas usus vel ratio non 252 admittit, evidenter sermo iste ad spiritalem intelligentiam nos remittit. Oculi ergo Sponsi, ut jam dictum est, similes columbarum, non solum super aquas, sed super rivulos sunt aquarum, cum illius gratia et veritas docent nos continentiam Scripturarum, ostendentes unde, qua, vel quo tendat prætérfluens doctrina prophetarum. Illi quippe haurientes in gaudio de fontibus Salvatoris ad nos usque deferunt promissiones multimodas Creatoris, quæ non cessant nos aggredi et prætergredi murmure promissivo, donec sitis exspectantium reficiatur munere completivo. Denique ad hoc super aquarum prætérfluentem abundantiam esse Sponsi oculi perhibentur, et nos ibidem collocant locatos gratia et veritas intuentur, ut nos doceant quidquam genitum instar rivuli non constare, sed fluxu naturali, motuque proprio ad interitum festinare. Super hoc quippe quod figura mundi prætérit, et volvitur cursu rerum, et nihil stare sinit inconstantia temporum et dierum, necessarius est mundior et simplicior intellectus, ut in his transitoriis firmior et solidior sit profectus. Ideo forte columbæ quibus prædicti oculi conferuntur, non aquis lotæ, sed lacte potius referuntur, quia lacti nivalis candor naturaliter assignatur, in quo gratiæ columbinæ munda simplicitas designatur. Quæ nimirum sic nos videt, sic nobis etiam dat videre, ut et nobis non noceat, et nos velit alteri non nocere : nostroque in conspectu Scripturarum speculum vult lucere, ut possimus aliorum nocivos impetus prævidere. Quam videndi munditiam in ipso domino Habacuc propheta commendans : *Mundi sunt*, ait, *oculi tui ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris* (*Habac.* 1). Boni quidem oculi, quos tanta constat munditia relucere, ut nostram malitiam misericorditer eligant non videre, qui ad nostram iniquitatem non possunt intuitum retorquere, sed in profectus nostros gaudent aciem promovere. Unde et consequenter juxta fluenta plenissima dicuntur residere, eo quod nos illuminant, et eisdem fluentis faciunt assidere, cum Scripturas evangelicas, quæ affluunt doctrina pleniore, docent nos aggredi et affectu complecti gratiore. Instar enim aquarum Scripturæ propheticæ nos fecundant, evangelicæ vero longe fluunt plenius et abundant, quia in illis intelligentiæ spiritales figuris et ænigmatibus involvuntur, in his vero plene lucent, verbisque planioribus evolvuntur. Fons quidem boni lucidus pridem nobis manente rivulo se infundit, postmodum vero largius magno fluminis impetu nos perfundit, quia et Scripturis veteribus irriguum nobis utile propinavit, et post evangelicis nostram sitim plenius satiavit. Quis istos non commendet Sponsi oculos similes columbarum, qui miscent nobis rivos et plenissima fluenta Scripturarum, quorum visus mala nostra nesciens, bona promovet et fecundat, secundoque profectu velut candore lacteo nos emundat? Quod enim oculi vel columbæ, quibus oculi similantur, vel aquis assidere, vel lavacro

uti lacteo memorantur; non frivolum, sed utile, non superfluum, sed magis debet mysticum æstimari, in quo salutem nostram gratia et veritate Sponsus diligit operari. De quo subjungitur: *Genæ*, etc.

CAPUT XX.

Genæ illius sicut areolæ aromatum, consitæ a pigmentariis. Post laudes oculorum, Virgo facit transitum et ad genas, quos a laudandi merito nequaquam judicat alienas, in quibus, ut longe retro dictum est (supra l. I, c. 2), pulchritudo elucet faciei, et laudari digna est facies merito speciei. Laudat igitur Virgo Sponsi faciem, id est pulchritudinem deitatis, quæ risu quodam floret, et flore rutilat honestatis, quæ pie intuentibus apparet hilaris et jucunda, et devote colentibus invenitur utilis et fecunda. Est quidem ille *forma præ filiis hominum speciosus* (*Psal.* XLIV), cujus decor inæstimabilis, et, supra quam dici valeat, fructuosus, cui, etsi nil omnino comparandum proprie judicavit, eum tamen Virgo areolis, quadam loquendi licentia comparavit. Areolæ autem sunt hortuli, non auro, non argento, non hujusmodi quidem rebus, sed arboribus aromaticis et multimodis divites speciebus, ex quibus medicinale docta manu pigmentarii fit unguentum, quo sanantur vulnera, datur doloribus lenimentum. Sic et Sponsi, id est ejus divina pulchritudo, in qua nihil inquinatum, nulla indecens turpitudo: flore quidem non colore transitorio, non arte fraudulentius inquisita, sed splendore ingenito formaque dignis virtutibus insignita. In qua pulchritudine initium æternitas, immortalitas finem nescit, lux indefessa lucet, fixa est immutatio, pax quiescit: potest potentia, sapit sapientia, ardet præsentia charitatis, viget quædam respublica, non civibus, sed virtutibus fœderatis. Quarum fœderatio non invalida, non inutilis invenitur, sed potentem et utilem, quisquis eam diligit, experitur, dum unguentum ejus aromaticum, dum confectio vel sagina, nobis ægrotantibus potens efficitur et sufficiens medicina. Nulla **253** quippe areola manu conseritur tam prudenti, ut ditescat tantis aromatibus, medicamine tam potenti: non quisquam pigmentarius plantariis tam efficacibus hortulum insignivit, tales in mortariolo herbas sive species non contrivit. Vel certe genæ sponsi, duæ sunt ejus substantiæ vel naturæ, uniri enim voluit Creator personaliter creaturæ; et in unum eumdemque sponsum inventa est substantia gemina convenire: conventuque mirabili unam velut faciem insignire. Quarum conventio longe divisos antea Deum et hominem adunavit, interjectam maceriam solvens, terrenis cœlestia sociavit; hominibus condescendens, exemplum eis attulit et doctrinam, infudit munus gratiæ, salutarem præbuit medicinam. Unde et hæ genæ areolis, id est hortulis conferuntur, ex quibus herbæ et species aromatibus congrue proferuntur, quas nimirum pigmentarii excolunt sollicitudine profutura, quos medica doctos arte sanandorum languentium tenet cura. Nam cum mundum peccato deperire per multa Deus annorum millia sustineret, et ad illud exstirpandum, non homo, non angelus prævaleret: tandem pigmentarii quasdam sibi areolas prudenter elegerunt, ex quibus aromata medicinalia, et salutis species collegerunt. Naturam enim divinam et humanam pariter conjunxerunt, quibus alto consilio velut quoddam medendi commercium injunxerunt, eisque in unam personam tanquam genis in unam faciem sociatis aroma confecerunt, et languentem refecerunt mundum gratia sanitatis. Nec alii pigmentarii quam Pater et Filius et eorum Spiritus videntur mihi esse, qui prædicto commercio, communi consilio, dicuntur interesse, quorum, etsi recte credendus est nonnisi Filius incarnari, incarnationem tamen Pater simul et Spiritus dicuntur operari. Genæ itaque sponsi, id est duæ naturæ quæ in unam personam mirabiliter convenerunt, tanquam areolæ a pigmentariis consitæ, aromaticas species attulerunt, quarum confectio et artis exhibitio peregrinæ, optatum beneficium salutaris nobis contulit medicinæ. Digne ergo, et propter genas sponsus diligi promeretur, in quarum unione altitudo fecunda mysterii continetur, quam nobis ægrotantibus idem vertit pigmentarius in unguentum, proficientibus vero, Patre simul et Spiritu cooperantibus in pigmentum. Unde subjungitur: *Labia*, etc.

CAPUT XXI.

Labia ejus lilia distillantia myrrham primam. Novit, ut arbitror, quisquis doctor non caret intellectu, quod nonnunquam in Scripturis efficiens ponitur pro effectu; et quia nisi ore et labiis ad effectum loquendi non venimus, os plerumque et labia pro sermone posita reperimus. Per labia itaque Sponsi Virgo verba ejus voluit figurare, quæ etiam apposuit, nova loquendi formula, liliis similare, quia lilia et inspecta, simplicius signant innocentiam per candorem; et contrita, prudentius medicinam conferunt largiorem. Verba enim Sponsi, non dolum, non fallaciam, non noverunt utique falsitatem, sed discussa diligentius firmam proferunt veritatem: intellecta gratius docent benevolentiam, innocentiam, castitatem, dilecta perfectius veram diligentibus conferunt sanctitatem. Quæ verba, sive labia, ideo myrrham primam, vel præcipuam dicuntur distillare, id est doctrinam efficacem, et cunctis necessariam prædicare, quia, etsi mundi sapientes, tam scriptis quam verbis damnare vitia, commendare virtutes voluerunt, tamen *velut æs sonans aut cymbalum tinniens* (*I Cor.* XIII) spirituali efficacia caruerunt. Labia vero Sponsi tam Vetus quam Novum proferentia Testamentum, in utroque auditoribus salutare conferunt documentum, quia, etsi forte in aliquo imperfectum illud dicitur quod prævenit cum tempus nondum gratiæ et auditores congruos non invenit, istud contulit supplementum, quod accepto tempore supervenit, cum sol respexit tenebras et in umbra sedentibus lux advenit. Et nimirum labiis quorum alterum alteri necessario

superadditur, ut loquamur, duo congruunt Testamenta, quorum recte monitis informamur, quorum Vetus per se invalidum videtur, et insufficiens subjacere. Novum superveniens illius insufficientiam adimplere. In quibus Testamentis, quando duobus sponsi labiis sunt prolata, et ad nostram omnium doctrinam et salutem prudenti artificio fabricata : idem sponsus auditores suos duplicem æque provocat ad profectum, qui tamen ejus dono spiritalem sortiti fuerint intellectum. Invitat enim eos, ut et Deum diligant, et curam habeant proximorum, ut temporalia dispensantes, sint non immemores æternorum ut justus quisque sic manus inserat studio vel negotio temporali, ut congruis temporibus insistat avidius otio spiritali. Quia ergo his duobus studiis sponsi nos instruunt documenta, recte labia ejus duo, et duo sunt nihilominus Testamenta, ut quæ rerum vel actuum quævis dissonantia non remordet, in his forma simili ipse quoque numerus non discordet. Quod propter et lilia honestæ gratia similitudinis intercedunt, quæ forma vel colore prædictum binarium non excedunt, in quorum medio parum **254** quid rubeum invenitur, quod repandis foliis et candore præfulgidis circuitur. Rubor ille medius laboriosam indicat actionem, quæ, dum in hac vita vivitur, multam ingerit passionem, nec est tam felix quispiam, ut vitare valeat præsentiam penitus ustionem, nonnullis pervenientibus ad ipsius quoque sanguinis fusionem. Candor vero in foliis, illam beatitudinem præfigurat, in qua nostra corpora suo Sponsus corpori configurat, cum candore superducto, qui meritis cum gratia nos contingit, abscondens, imo absorbens quod mortale fuerat, immortali gloria nos præcingit. Sic nimirum lilia labiis convenientia forma gemina vel colore, in brevi et rubeo signant præsentia, futuram gloriam in candore, quorum species myrrham primam, id est doctrinam perutilem tunc distillat, cum apud nos capaces ejus intelligentia non vacillat.

CAPUT XXII.

Manus ejus tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Manus Sponsi, ut arbitror, Virgo ejus opera nominavit, quæ et nondum natus, et jam natus de Virgine perpetravit, in quibus ipsius perpetrantis tam incomparabilis laus habetur, ut quod velle, id et posse facili efficacia comprobetur. Propter quod et easdem manus tornatiles dicit esse, voluntati operantis insinuans nil obesse, quia faber lignarius nihil torno facilius agere comperitur, et quod torno peractum est, rotundum penitus invenitur. In torno igitur facilitas intelligitur operantis, rotunditas vero laudem obtinet consummantis, quia ille quidquid vult, quam cito vult, deducit ad effectum, et quod volens efficit, potens quoque perficit, relabi nesciens in defectum. Quæ nimirum perfectio facilis et volubilis tornaturæ, non angeli, non hominis, non est cujuslibet simplicis creaturæ, sed illius tantum est, qui solus de Virgine nasci voluit homo Deus, qui potuit, quæcunque voluit, non homo simpliciter, sed et Deus. Cui recte congruit quod easdem manus Virgo aureas appellavit, quæ in auro, ut videtur, divinam potentiam figuravit, quia sicut aurum metallis cæteris dicitur prævalere, sic in Sponsi operibus divina potentia præeminere. Ut enim de aliis taceam, quod Creator factus est, suo ipsius opere creatura, sua Deus potestate uti voluit non natura (87), et quod in homine res agens mirabiles, pertulit et molestas, in præferendo, non ut videbatur defectus fuit virium, sed potestas. *Potestatem*, inquit, *habeo ponendi animam meam* (*Joan.* x). Et propheta : *Oblatus est*, ait, *quia ipse voluit* (*Isa.* LIII). In cunctis ergo quæ Deus in homine voluit operari, non plumbum, non stannum, ut quibusdam visum est, creditur principari, sed recte intuentibus aurum conspicuat, aurum lucet, etsi non a tenebris comprehensa, tamen in tenebris lux relucet. Divina enim potentia clarior et pretiosior omni auro, cæcis hominibus non apparens, viget tanquam secretius in thesauro, et quæ oculis infidelium nube carnis opposita se abscondit, foras (licet incognita) in ramos operum se diffundit. Illi vero qui eamdem digne intelligere potentiam promerentur, amore solo visibilium operum non tenentur, sed magis spe bonorum invisibilium accenduntur, et in eis, amore et desiderio suspenduntur. Ideo manus tornatiles Virgo non solum aureas appellavit, sed et hyacinthis plenas pari testimonio prædicavit; in hyacinthis qui lapides sunt aeri similes in colore, bona superna signans quæ appeti jubentur ex amore. Ipsa quidem opera quæ Deus factus homo, visus est perpetrare, digne intuentibus constat bonis cœlestibus abundare, dum ad veram eorum intelligentiam doctrina multiplici nos inducunt, et ad sperandum ea certis promissionibus nos perducunt. Nihil enim aliud incarnati Verbi dispensatio continet, quam hyacinthos, ad quorum emptionem invitat quosque agiles et præcinctos, quia temporalis Christi operatio, quæ nonnisi ad cœlestia bona tendit, ad eadem fidei merito comparanda promptos et vigiles ducere nos intendit. De cujus laude subditur : *Venter ejus*, etc.

CAPUT XXIII.

Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris. Quia venter in corpore, mollior et tenerior pars habetur, per eum recte Sponsi caro vel humanitas signari perhibetur, quia cum longe ante Deus esset, pro nobis tandem voluit infirmari, cæterisque hominibus natura, non naturæ vitio similari. Quia vero *Verbum caro factum* (*Joan.* I) culpas carnis penitus ignoravit, signanter Virgo ventrem ejus, non carneum appellavit, quia modum et ordinem ejus, quam si noverat genituræ, non læserat mollities nostræ consuetudinis vel naturæ. Illud quippe vitium

(87) Vide epist. 5 et 7.

quod peccantibus primis hominibus mox inhæsit, nostram omnium genituram illorum merito jam sic hæsit, ut nemo qui generet, ab eo se valeat penitus **255** expedire, sed in ipsum genitum culpam faciat velut naturaliter pertransire. Quod vitium quæ transitio, quæ velut altera jam natura, tam gignentes, quam genitos, cogens conqueri de læsura; ventrem omnium, id est carnem, sic genitam, infirmat, enerviter et emollit, vitiosam cujus mollitiem nullius labor vel industria sibi tollit. Quam legem dure insitam. Virgo sola concipiens creditur non sensisse, eo quod viri nesciam de sancto eam constat Spiritu concepisse; et culpa quæ gignentem more nostro omnium non prævenit, ad Filium sine Patre, de matre genitum non pervenit. Cujus carni conceptio non solum nihil intulit detrimenti, sed operante Spiritu non parum attulit firmamenti, quia sicut naturam dignam iræ nostra nobis incussit genitura, sic illius concepta de Spiritu caro, fortior fit et solidior ex natura. Ex eo enim quod conceptioni tam vir quam culpa defuit contra morem, et insuper sanctus ei Spiritus dedit efficaciam puriorem; ipse qui conceptus est, caro quidem substantia, vitio non carnalis (88); novum robur obtinuit cujusdam eminentiæ naturalis. Qua natura præditus ignoravit penitus passiones corporis incentivas, reliquorum hominum in hac carne viventium generaliter oppressivas; illas vero quæ non culpæ, sed culparum merito sunt pœnales, fortitudine velut eburnea reddidit subjugales. Nam in famem, sitim, somnum, lassitudinem, et quæ hujusmodi pertulisse illum Scriptura memoravit, non defectu virium lege nostra omnium necessario declinavit, sed legem nobis insitam vi quadam ingenita potentialiter supergressus, nihil horum, nisi quia, quando, quantum voluit, est perpessus. Remora igitur necessitate apud nos generaliter coactiva, sua usus est voluntate potentialiter effectiva; et qui homo conceptus de Spiritu humanas potuit non sufferre molestias, neque lædi, ferre tamen voluit læsiones, ut posset, ad quod venerat, ab hominibus homo credi. Ad hoc enim venerat, ut assumpta carnis substantia homo veraciter crederetur, et voluntarie patiendo, necessariis credentium passionibus mederetur, ut *venter eburneus*, id est humanitatis præostensæ occulta et ingenita fortitudo, in remedium verteretur quo nostra sanaretur vere languentium agritudo. Cujusmodi venter non solum indutus est eburneam fortitudinem, et præcinctus, sed et *sapphiris* pretiosis lapidibus est *distinctus*, quia carnem veram, quam mira fortitudine singularis conceptio roboravit, adjuncta divinitas miraculorum excellentiam venustavit. Lapis sapphirus cœlo est similis, cum serenum, cum velut tersa facie ab obscuris videtur nubibus alierum, per quem recte lapidem illa Sponsi opera figurantur; quæ longe supra hominem deitati specialiter assignantur. Homini quippe datur, quod caro est, et carnis incompositos motus nescit, quod adversus molles æstus invenitur durior et frigescit; eboris vicem gerens, cum, si panno lineo supponatur, pannus idem superposito carbone non uratur. Datur etiam homini, quod omnes molestias quas pœnaliter cogimur sustinere, ille a suo tam corpore quam animo potuit naturali tanquam privilegio prohibere; et easdem cum voluit, pront voluit, sibi nihilominus adhibere, adhibitas, ne plus vel minus valeant quam dispensatio exigit, cohibere. Deo autem datur, quod inter hæc aquam in vinum mirabili mysterio transmutavit, quod pane raro multa hominum millia satiavit; quod infirmos quosque optato remedio confortavit, quod denique mortuos solo vocis imperio suscitavit. Ergo venter eburneus, id est operum robusta series humanorum, distinguitur sapphiris, id est pulchritudine divinorum, cum inter illa quæ, pront voluit homo, potuit fortiter sustinere, cœlestis excellentia gaudet aliquoties in miraculis elucere. Neque enim vel humana semper, vel assidue divina diligit operari, sed operandi seriem distinctionis gratia decorari; et sic, plus quam Jonam vel Salomonem eburnea fortitudine hominem se commendat, ut etiam in homine, sapphiri pulchritudinem, Deum, recte credentibus se ostendat.

CAPUT XXIV.

Crura illius, columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Crura Sponsi nominat vias vel itinera, quibus visibiliter ad nos venit, cum invalidos et torpentes et viandi nescios nos invenit, cum apud se invisibilis, et homini longe dissimilis ex natura, hominibus condescendens, factus apparuit et innotuit creatura. Cujus unum crus exstitit quidquid ad incarnationem et conversationem temporaliter transituram, crus vero fuit alterum quod ad mortem pertinet, et ejus sepulturam, ut tota ejus actio, et ejus tota passio quasi fuerint duo crura, quibus ad nos venit salus, illis transeuntibus, permansura. Quæ ideo columnis marmoreis non incongrue comparantur, quia recta et fortia hæc ejus itinera comprobantur, dum in volendo quod potuit justa fuerit rectitudo, in explendo quod voluit, æqua et sufficiens fortitudo. Et quia nulli dubium, quin tota congeries operum confundatur, si, **256** quod bene videtur congeri, super basim solidam non fundatur; *columnæ marmoreæ super bases aureas fundatæ* memorantur, quibus suppositis illæ stabiles et commendabiles non negantur. Quidquid enim Deus agere vel pati voluit homo factus, egisse vel tulisse creditur non coactus, sed inniti visus est illi geminæ charitati, quæ auro pretiosior, assignat cuncta superposita firmitati. Dilexit quippe Deum, cujus mandato voluit obedire, dilexit et homines, quibus suam novit obedientiam expedire, in quorum altero teneri mandatum primum et maximum intellexit, in altero vero secundum et simile non neglexit. Di-

(88) Vide dictas epistolas.

lexit Patrem Filius, quia et Pater Filium diligebat, dilexit homines, quos cum Patre salvare pariter disponebat, quorum amorem geminum velut quasdam præjacentes causas obtinuit, quibus homo fieri et tam multa in homine vel agere vel pati sustinuit.

CAPUT XXV.

Species ejus ut Libani, electus ut cedri. Quia velut per partes sponsum Virgo superius commendavit, et a capite usque ad crura, laudes ejus per singula prædicavit, nunc sermone breviato quasi totum pariter comprehendit, et illius speciem comparatione Libani magnipendit. Inter montes cæteros, quibus terra Judæorum dicitur occupari, strata cujus planities conqueritur frequentia montium angustari, ut aiunt, qui noverunt, Libanus altior enitescit, arboribus fecundior, assiduis nivibus dealbescit. Qui bene sponsi typum tenere perhibetur, eo quod nulli sanctorum hujus excellentia comparetur, qui virtutum plantariis et densitate operum fecundatus, nescit uri vitiis nativo, carnis gelicidio dealbatus. Quem nimirum Deus Pater elegit, nostram omnium in salutem, ut per eum justus quisque de virtute provehatur in virtutem, ut ejusdem exemplis, moribus et doctrina, construatur Ecclesiæ, tanquam lignis imputribilibus, officina. Cedrus naturæ imputribilis defectus nesciens repentinos, odore sparso largius incursus removet serpentinos, quam prudenti consilio Salomon sibi voluit adhibere, cum vel domum sibi, vel promissum Domino templum studuit exhibere. Sic et sponsus Virginis, imputribilis est naturæ, nesciens culpa lædi a principio geniturae, cujus odor operum, virtutum opinio, laus doctrinæ, noxia quæque fugant procul a liminibus disciplinæ. Propter quod electus est ut in ædificio collocetur, ut per eum domus Dei digna fortitudine roboretur, ut quisquam dignum laude nihil penitus operetur, quod non hujus benevolentia, ut cedrorum forti præsentia, commendetur. Quidquid enim erigi studiis ædificantium invenitur, nequit stare, si cedrino hujus robore non munitur; et incautus operator, qui se digno judicio non metitur, quidquid agit sine cedris, ruinæ obnoxium experitur. Qui vero sponsum eligit sui totius operis munimentum, non ruinam invenit, nullum sustinet detrimentum, quia illius benevolentia et gratam ædificantibus patientiam dat laborum, et longe gratiorem confert ædificii vim cedrorum. De quo et subditur : *Guttur illius*, etc.

CAPUT XXVI.

Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis. Quia gustus in gutture continetur, et locum obtinet propiorem, in quo et dijudicat quæque sapida vel saporem : gutturis nomine gustum æstimo figura i, eo loquendi genere, quo solet pro contento continens appellari. Gustus itaque sponsi non tam suavior quam suavissimus perhibetur, ne, si minus dictum quid fuerit, deesse illi quidpiam æstimetur, quia eo quod ex illo procedit, si sano gutture degustetur, dulcedo suavior, suavitas dulcior non habetur. Sive enim quod Deus est, sive quod homo distincte quis attendat; et ad videndum quod cuique est proprium, devoto studio se extendat, nihil hac distinctione subtilius, nihil videt ista mirabilius unione, nil degustat suavius tam subtili, tam conspicua visione. Videt enim quia divinitas assumens hominem nullatenus est consumpta : nec defecit, sed profecit humanitas, cum in Deum mirabiliter est assumpta, ubi non confusio, non conversio alterius in alteram fit naturæ, sed personalis unio, virginalis in mysterio genituræ. Ad quod contemplandum si oculum gravis pituita non angustat, si secreti hujus dulcedinem aperto gutture mens degustat, quid hoc gustu suavius, quid isto gutture potest felicius inveniri, cui, quod angeli desiderant, jam conceditur experiri? Quod si angeli desiderant Deum quem incessabiliter contemplantur, et eum factum hominem admiratione inexplebili venerantur : digne et homines eumdem totum et desiderant et mirantur, totoque desiderio totum desiderabilem amplexantur. Est enim Deus, nec est alius præter ipsum, est homo indutus formam hominis propter ipsum : dignus diligi, non solum quia Deus, non solum 257 quia homo, sed quia mysterio salutari unus et idem pariter Deus homo : Homo, inquam, est, non qualis alias quivis homo, sed per quem salvus fieri valeat omnis homo, ut sicut homo hominum fuit præcipitatio vel ruina, ita, imo longe amplius, sit hominis iste hominum medicina. Quis ergo talem non totum desideret, non totum diligat, non totum admiretur, quis non toto desiderio tanquam Deum et proximum amplecti gratuletur? quis talem non quærat studiosius, non teneat avidius, si contigerit invenire, et alios ad quærendum non studeat monitis congruentibus erudire? Ideo Virgo prudens quæ in amore nescit æmulam, vel pellicem non veretur, eum quem diligit passim prædicat ut ametur, et quem talem videre meruit, non vult cæteris invidere, sed sibi assistentibus gaudet affectu sollicito providere. Propter quod sic concludit : *Talis est*, etc.

CAPUT XXVII.

Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Hierusalem. Talis est, inquam, ille cujus amore tenero sum detenta, et (ut videre videor) non sum deceptorie circumventa, nec amor intemperans, ut nonnunquam assolet, me fraudavit, quia illum adhuc digne sermo transitorius non laudavit. Etsi multa dicta sunt, quibus constat eum commendabilem prædicari, adhuc tamen insufficiens debet hæc prædicatio judicari, quia qualem illum gaudeo me sentire, necdum tamen valeo verbis transitoriis penitus effutire. Ad hoc autem prosequi laudes ejus tam multiplices sum aggressa, quamvis, quæ dici debuerunt, necdum satis congrue sunt expressa, ut ipse quem diligo, vobis aliquatenus innotescat, et in amorem ejus vester quoque animus incalescat. Nec enim potest diligi, si non fuerit intellectus, nec videtur intelligi si non fuerit et dilectus, ob hoc ipsum intelligi, et ab omnibus diligi cupio, quem

dilexi, quem fieri et amicum vere diligentibus intellexi. Vos igitur filiæ Hierusalem hunc amare et amari ab illo totis viribus laborate, quia nihil sanctius quam diligere tam benevolum, tam potentem, nihil beatius quam ab illo diligi qui nescit non diligere diligentem. *Ego*, inquit, *diligentes me diligo* (*Prov.* VIII). Explicitis Sponsi laudibus tam diverso genere figurarum, Virgo paulisper silet, et exsuectat responsa filiarum, considerans si forte hoc auditu perceperint gratiam pleniorem, qua illius, quem prædicat, rapiantur vehementius in amorem. Sed antequam in medium illarum responsio prædicatur, dignum duxi ut labori stylus noster aliquantulum subducatur; et, ubi Virgo siluit, stylus eligat et silere, ut hic tandem liber quintus finem sibi gaudeat obtinere.

LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum, quo declinavit dilectus tuus, et quæremus eum tecum. Audita laude Sponsi filiæ Hierusalem excitantur, et in amorem ejus majori desiderio provocantur; gaudentes quod de illo tam multa Virgo fuerit prælocuta; et qualitatem ejus de qua supra quæsierat prosecuta. Supra enim dixerant: *Qualis est dilectus ex dilecto*, et nunc gaudentes, gaudent eo mysticis similitudinibus intellecto, sed quia intelligentibus et utcunque diligentibus necdum sinit ad liquidum se videri, quærunt quo abierit, ut ab eis certius possit quæri. Cui cum pessulum ostii sui festinaret Virgo superius (l. IV, c. 10-12) aperire; sperans eum, cujus vocem pulsantis audierat in januis, propius invenire: *Ille*, inquit, *declinaverat atque transierat*, nec obtulit Virgini se videndum, forte, ut subtracta visione, magis sollicitam redderet ad quærendum. Quia igitur Sponsum Virgo inventa est multipliciter commendasse, et eum talem constat, ut jam ante dictum est, declinasse, quærunt filiæ Hierusalem, et volunt diligentius edoceri, ille abiens et declinans cui tanquam loco voluit exhiberi. Illum talem, inquiunt, cujus laudes tam multimodas texuisti, cui amorem, imo languorem tuum nuntiari tam sollicite monuisti, quomodo vel quæremus, vel quæsitum valebimus invenire, cum nesciamus locum, ad quem, cum nos subterfugit, eligit devenire? Dic ergo, si ad sinistram, vel magis ad dexteram festinavit, dic, si nosti ad quod vel cujus meritum declinavit, ut quærentes, **258** errore devio non feramur, et eum, ad quem venit, imitatione meriti prosequamur. Cum enim te docente locus vel loci meritum innotescet, ad festinandum illo noster magis animus inardescet; et ad quærendum Sponsum, si non pari, saltem simili tecum desiderio rapiemur, cujus inventione, nisi tua comitante benevolentia, non fruemur. Scimus quidem quia quisquis illum quæsierit te neglecta, talis inquisitio probabitur penitus imperfecta, nec vult Sponsus a nobis, vel cæteris quærentibus inveniri, si quærentes non videat tuo faventis consortio præveniri. Tecum igitur, id est tuo favente patrocinio requiremus, quem invenire sine te, tua benevolentia non valemus, tuo beneficio nostra illum devotio prosequetur: prædocta quo in loco, vel loci merito demoretur. Et revera non melius quisquam alius poterit nos docere, quo Sponsus abierit, vel ubi elegerit præsentem se præbere; quam tu, quæ dono gratiæ illius sanctuarium introisti: et spiritalis intelligentiæ secreta melius cognovisti. Ad hæc Virgo respondet: *Dilectus*, etc.

CAPUT II.

[Cap. VI.] *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatis, ut pascatur in hortis, et lilia colligat.* Scire vultis ille quem diligo quo abit, vel declinat, cum necdum penitus ad vestrum desiderium se inclinat, cum vobis quasi esurientibus refectionem plenariam non apponit, quibus interdum locis plenius et abundantius se exponit. Distulit quidem ille spem vestram, et desiderium non abjecit, eligens in hortum descendere, quem dono gratiæ suum fecit ut areolam aromatis dignetur prospera visione, et inventis liliis de matura eorum gaudeat messione. Qui cum apostolos juxta libitum plenius non exaudit, eorumque precibus effectu completorio non applaudit, forte diaconibus tanquam horto placito condescendit, in quo præ cæteris dignum meti Stephanum deprehendit. Ille quippe tanquam areola exultus diligenter, humilis in agone, instar aromatis attritus multifaria passione; et innocentis candore animi lilia representat, et veniente falce, messioni congruum se ostentat. Attendens enim quid pro salvandis salvator miserans sit aggressus, quæ ubera, quam mortem denique sit perpessus; æstuat, imo ardet imitari quod ille præostendit, ducens grave nimium, si primus vicem debitam non rependit. Igitur in sufferendo martyrium, timens ab altero prævenire, moræ impatiens studet paratior inveniri, existimans gloriam in ipso martyrio plusculam se habere, si tempore breviato primus illam poterit obtinere. Ad hunc et huic similes, dilectus diligit declinare, cum eos de area vult in horreum transportare, qui se tanquam subtrahens eis quos in hac vita diutius vult morari, præmaturis et hinc citius abituris festinat præsentari. De quo subjungit: *Ego dilecto*, etc.

CAPUT III.

Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Scio, ait, quia dilectus meus illis

quasi propius et manifestius se exponit, quos ad messem candidos colligere tanquam lilia jam disponit, quos tritos in area, et exutos pannoso tegmine palearum, transferre vult in horrea et plenariam requiem animarum. Ideo ego illi totis nitor viribus complacere, me hortum, me areolam, me candens lilium exhibere, ut cum venerit et invenerit cultu debito me florere, tollens me de medio, in æternum sibi faciat adhærere. Ego, inquam, dilecto meo gratam præparo pastionem, ut pascatur, et nullam patiatur amaritudinis læsionem; illi pasto et refecto in me præparo mansionem, ut detentus mansione, nullam deinceps fugæ faciat mentionem. Et dilectus, ut sentio, mihi præparat semetipsum, ut diligat et colligat, et me pertrahat ad seipsum: collectæ et attractæ nil daturus melius quam seipsum, ut dormiam et quiescam, pulsis longe sollicitudinibus in idipsum. Ille, inquam, adhuc in terra positam in amorem cœlestium me sublimat, et, ne diu terræ inhæream, falcem messoriam quasi limat; meis gaudet pasci liliis, non solum cum terræ adhuc radicitus sunt impressa, sed si mensæ proponantur maturo tempore jam demessa. Ego igitur ad hoc illi meipsam studeo præparare, et speratum gaudium volo meritis comparare; ille mihi vicem reddere, imo superaddere gratulatur, cujus benevolentia in conferendo beneficia delectatur.

259 CAPUT IV.

Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Hierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. Attendens Sponsus Virginem in ejus laudibus promptam esse, velle dissolvi citius, et cum ipso potius semper esse, etsi ex toto, ejus explere adhuc desiderium non festinat, tamen ad consolandum affectu benevolo se inclinat. Tu, ait, quæ tanto æstuas desiderio me videre, et laude mea pasceris, dum quod speras, necdum prævales obtinere: hoc affectu vel studio miram pulchritudinem tibi formas, et ei quem diligis pulchra similitudine te conformas. Pulchro igitur similis, pulchra satis congrue potes dici, quæ similandi studio gaudes et satagis sic addici, ut sollicite respuens omnes fæculentias inimici, amica in his gaudeas quæ salutaria, quæ delectabilia sunt amici. In quo affectu et profectu nescis cæteris invidere, sed forma et doctrina omnes amas in melius promovere: nullius æmula, nulli detrahens, nulli gravis, sed omnium sollicita, omnes attrahens, omnibus et suavis. Nihil enim suavius quam Deum diligendo, proximum sic amplecti, ut ab utroque pariter recte amans eligat non deflecti; sic Deum diligere et ulnis tenerioribus amplexari, ut prorsus non invideat, imo etiam gaudeat a quibuslibet proximis hunc amari. Virgo autem recte Sponsum diligens, non novit invidere majus quo nec Siculi, juxta quemdam ethnicum (88 *), tormentum invenere: non veretur æmulam, suspicione pellicis non torquetur, imo omnes colligit quas amare ipsum, quem diligit intuetur. Tam suavi nimirum viget spiritu, tam pacato, ut amari Sponsum ab omnibus gaudeat, doleat non amato, nec alio quovis modo suum gravari spiritum arbitratur, quam cum is, quem amari tantopere desiderat, non amatur. Videns itaque a filiabus Hierusalem hunc amari livoris nescia, magis eligit gratulari, jucundoque spiritus studet quidquid prævalet operari ut decorem operum intuentes gaudeant imitari. Suavis est, cum Sponso filias Hierusalem vult placere, decora cum se studet placendi formam verbis et operibus exhibere; suavis quidem, cum illis eamdem quam sibi gloriam vult adesse, excepto forte quod unico filio matrem unicam vult se esse. Quamvis et illis matrum non invideat dignitatem, sciens quoniam qui Sponsi, vel filii digne fecerit voluntatem; ille frater hujus, et soror, et mater merebitur appellari, sicut ipse idem invenitur in Evangelio protestari (*Matth.* XII). Sed quia inter matres excellentem hæc obtinere meruit principatum, quæ singulari gratia Deum de se genuit incarnatum: etsi aliis meritorum non parva conceditur celsitudo, hujus præ cæteris commendatur decor, suavitas, pulchritudo. Pulchra est, dum in eum, qui *forma est speciosus præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV) inardescit, cujus in moribus suavitas, decor in operibus relucescit, nullique hominum comparanda, illi Hierusalem similatur, quæ in cœlis posita Deum incessabiliter contemplatur. Illa quippe angelorum sancta et sibi consona multitudo quam instar civitatis munit indissolubilis fortitudo, tanto decore conspicuat, ut in ea nil dignum argui videatur, miro flagrans studio, ut et homo ad hoc ipsum venire mereatur. Ad quod quia Virgo Sponsi gratia creditur pervenisse, et in carne posita supra carnem meritum invenisse; recte, sicut Hierusalem, formoso prædicatur, cujus hostis decorem intuens terribiliter admiratur. Videns quippe illam tot et tantis virtutibus præmuniri, et tanquam in acie castrorum ordinata nusquam aditum inveniri, stupet in homine firmitatem vigere angelorum, et in una Virgine aciei ordinem, vim castrorum. In angelis enim tantus ordo tanta viget firmitas aciei, ut hostis ad occursum primæ resiliat faciei, et terrore concussus valido nil in eos præsumat persequi, nil audere, quos ordine fretos præcipuo, forti videt prudentia prævalere. Quos cum aliquando vidisset Jacob, ait: *Castra Dei sunt hæc* (*Gen.* XXXII). Et Eliseus ministro suo: *Noli timere*, ait, *plures enim nobiscum sunt quam cum illis* (*IV Reg.* VI). Non timet Elisens, et hostilis eum incursus non concutit, quem angelorum acies ordinata longe repercutit, cujus ordo fortior occurrentes hostium impetus non admittit, minantemque gladium castrorum ambitum ingredi non permittit. Pari terrore Virginem hostis refugit attentatam, admirans in ea et virtutum ordinem, et fortitudinem ordinatam: consideransque hominem castrorum cœlestium similitudinem obtinere, occursu primo deficit, et longius resiliens, non sufficit abhorrere. Et recte

(88 *) Horat. lib. I, Epist. ad Lollium.

Virgo sancta et castris, et angelis comparatur, eo quod in utroque castitatis excellentia commendatur, quia et angelos caro vel carnis copula nunquam lædit, et remotis a complexu domestico castris, castitas nomen dedit. Ut castrorum, igitur, acies, Virgo terribilis invenitur, quæ Deum carne gignens, non carnis copulam experitur, quam hostis prædicari castam audiens in conceptu, terretur et refugit, nec tale mysterium percipit intellectu.

260 CAPUT V.

Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt, Quamvis pulchra, suavis et decora meo judicio prædiceris, volo tamen ut altiora te et inscrutabilia non scruteris, neque putes dum hic vivis ea plenius obtinere, quæ nisi post hanc vitam nullis volo mortalibus exhibere. Eos igitur oculos quibus ad invisibilia te suspendis, quasi revoca, quasi cohibe, dum non posse te pertingere jam attendis; et dum in ea quæ sunt ante, spe et desiderio te extendis, scito, quia necdum illa plenarie vel efficaciter apprehendis. Sic nimirum videberis tuos a me oculos amovere, cum illos compelleris ad teipsam humiliter retorquere, et cum vivens adhuc mortaliter, ad tuam inefficaciam te convertes, a mea quasi excellentia non repulsam, sed dilationem sustinens, te avertes. Denique per Moysen vatem verissimum longo supra tempore sum locutus, quod vivens nullus hominum visionem meam fuerit assecutus, sed quisquis cinctorio carnis est mortaliter obvolutus, obscuratur et caligat, donec fuerit absolutus. *Non me*, inquam, *videbit homo, et vivet* (*Exod.* xxxiii). Homo quandiu præsentis vitæ maculis obligatur, quadam velut nebula, etsi non damnabiliter, tamen pœnaliter obscuratur, neque meam, sicut est, deitatem poterit intueri, si non desistat vivere, et carnis contubernio coerceri. Quo igitur attentius in lucem figis oculos inaccessam, eo illam amplius tibi percipis inconcessam; et cum videre niteris, et tamen compelleris oculos revocare, eisdem repercussis tibi videor avolare. Quia enim ad videndum totis nisibus se intendunt, et tamen quod affectant necdum penitus apprehendunt, ab eisdem avolo, dum se caliginosos et invalidos deprehendunt, vel cum etiam perspicaces me esse incomprehensibilem deprehendunt. De quibus avertendis quod sollicite tibi dico, non repulsa est, non imperium, sed prædico, ut scias nulli hominum visionem meam plenius posse dari, si non se prius gaudeat carnis onere spoliari.

CAPUT VI.

Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro. Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est in eis. Sicut cortex mali Punici, ita genæ tuæ absque occultis tuis. Ne quasi turbet Virginem quod Sponsi faciem necdum prævalet intueri, quod ille citus avolat, cum vere creditur jam teneri; festinat eam Sponsus delinire laudibus repetitis, ut moram patientius ferat auribus delinitis. Cujusmodi laudes, quia supra (l. IV, c. 8) fere verbis eisdem sunt positæ, et cum illic ventum est, præat Deus dedit, expositæ; in præsenti expositionem supersedeo replicare, ne lectioni moram, legenti fastidium videar applicare. Eas tamen laudes cum repetit, cum adducit Sponsus ad medium tam frequenter, non otiose agit, neque loquitur negligenter, sed amantis est proprium (si tamen ardeat vehementer), memorare quod diligit, imo et repetere diligenter.

CAPUT VII.

Sexaginta sunt reginæ et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus. Attendit Sponsus eos qui dono gratiæ fidem Catholicam assequuntur, et ejusdem fidei firmitatem vel re vel specie prosequuntur: diversa quorum merita volens figuraliter designare, diversa eis nomina videtur mysterialiter assignare. Reginarum nomine illi non incongrue figurantur, qui regio septi munimine, non fraude adversarii, non violentia superantur, qui cum vias suas custodiunt, ut in verbo, et opere non delinquant, æterni Regis toro, profectu spiritualium appropinquant. Ubi et sublimi replentur scientia et humili conscientia jucundantur, et in amplexu Sponsi jucunde quiescentes, ejus beneficio fecundantur; fecundoque doctrinæ seminario filios illi generant spirituales, quorum fertili genitura ditantur et lætantur thalami nuptiales. Qui recte sexagenario dicuntur numero comprehendi, quia in denario et senario constat perfectionem legis et operum commendari, quorum altero per alterum multiplicato habet sexagenarius consummari. Sicut enim sexies deni, **261** sic decies seni, sexaginta faciunt. Qui ergo decem præcepta legis operibus implere gratulatur, vel, qui juxta legis formam disponit quidquid temporaliter operatur. is profecto digne in sexagenario continetur, fecunda cujus dignitas regi summo placere perhibetur. Est etiam in hoc numero quinarium et duodenarium invenire, quorum multiplicatio videtur ad sexagenarium pervenire; quia duodecim quinquies vel quinque duodecies si ducantur, nulli dubium quin ad summam sexagenarii numeri perducantur. Quinque autem recte duodecies ducere prædicatur, qui, sensus quinos corporis, eo modo vel ordine moderatur, quem apostolorum forma vel institutio prudenter ordinavit, quorum perfectionem duodenarius numerus commendavit. *Et octoginta*, inquit, *concubinæ*. Sicut illi qui Sponsum caste diligunt, et ei gignunt filios, sunt reginæ, sic et illi qui non sincere diligunt, et tamen prædicant, concubinæ, quorum scientia et prædicatio gignit quidem filios spiritales, sed læsa conscientia, ipsi qui gignunt, permanent animales. Qui octoginta esse non incongrue referuntur, quia legis denarium tenere verbo et scientia cognoscuntur, sed amore carentes gemino, in octonarium relabuntur, dum ea quæ sunt mundi, vita et moribus amplectuntur. Quatuor quippe anni sunt tempora, quatuor mundi elementa, quatuor orbis climata, quatuor denique affectiones, quibus carnaliter quivis afficitur et laborat, et, si quid recte novit, voluntate perdita decolorat. Cujus-

modi affectiones prudens ille philosophus repelli præcipit et hortatur, sciens errare illum cui carnalis passio dominatur, quam naturaliter insitam etsi radicitus non evellit, errat tamen, si eamdem castigatione congrua non repellit.

Gaudia, inquit (89), *pelle,*
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adsit.

Quisquis sensu perditus invenitur prædictum quaternarium duplicare, id est affectus carnales contra philosophi vetitum affectu superaddito roborare : is nimirum complens octonarium necdum conceditur ad denarium pervenire, quia in malis, quæ peragit, non est forma dilectionis geminam invenire. *Et adolescentularum non est numerus.* Cum reginæ et concubinæ prædicant, et verbum seminant spiritale, quamvis illarum justum, istarum vero desiderium sit carnale : nova certe progenies generatur earum studio vel labore, quæ Sponsum fide capit, et affectu sequitur promptiore. Sive enim justi, sive injusti qui verbum prædicant, habeantur, verbo eorum plures in fide et scientia generantur : et sicut a bonis, sic a malis proles nascitur copiosa, nulli quidem hominum, Deo soli potius numerosa. De quibus dicit : *Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur* (*Psal.* CXXXVIII). Illi, qui doctoribus fidem prædicantibus acquiescunt, ei qui numerat multitudinem stellarum penitus innotescunt, nobis vero attendentibus congregatos ex omni genere piscium in sagena, eorum multitudo prorsus est innumerabilis ut arena. Qui, quia jam perceperunt auditæ fidei rudimenta, sed necdum profecerunt ad annuntiandum cæteris ejusdem fidei documenta : novitatis vel imperfectionis merito, a dolescentulæ nominantur, qui ab homine cujus hebet adhuc scientia, caligat oculus, ignorantur. Non sive boni sunt, qui in vasa postmodum eliguntur, sive mali qui emissi forinsecus respuuntur, quandiu in sagena confuso velut ordine contineutur, cuivis hominum numerabiles non habentur.

CAPUT VIII.

Una est columba mea, perfecta mea ; una est matri suæ, electa genitrici suæ. Multos quidem mihi amore legitimo certum est adhærere, multos abnegata, solam veritatis speciem obtinere ; verbo autem et doctrina prædicantium tam multi passim in fide generantur, ut cuivis attendenti sollicite, prorsus innumerabiles videantur. Virgo vero præ cæteris, mihi placens (*II Tim.* II), utilis, opportuna, pluralem nescit numerum, sed est una : meo solius flagrans desiderio, religiosa tenetur unitate, una uni jungitur, singulari sive unica dignitate. Una est, inquam, eo quod in diversa et perversa desideria non feratur; ab eo quem unicum unice diligit, nunquam, vel ad modicum auferatur ; terrenorum illecebris vel multorum affectuum vinculis non arctetur a Sponso plenius intuendo nonnisi solo carnis onere retardetur. Spe futurorum gaudens in præsentibus transitoriis gemebunda, fastiditis præsentibus, pro æternis adhuc absentibus ingemit ut columba, dum carne detinetur, dure sibi videtur errabunda, nihil ei sufficit, donec Sponsum videat plenius lætabunda. Una est, dum inhærens illi, nihil diligit præter ipsum, et, si forte quid videtur diligere, nonnisi diligit propter ipsum ; et ita, si quid agit, non refert ad aliud quam ad ipsum, ipsi uni una invigilans, donec tandem in pace dormiat in idipsum. Et quoniam in amorem unius effectu est vigili sic collecta, unitatis hujus merito mea dici meruit jam perfecta, utpote cui nulla deest, quantum vita præsens patitur, sanctitudo, **262** in qua me inhabitante, totius divinitatis habitat plenitudo. Neque enim est alia cui tantum velim munus gratiæ polliceri, donec tamen adhuc conqueritur carnis ergastulo se teneri, quæ videlicet si curam adhibeat seipsam intueri, dum vivit mortaliter perfectam audeat se fateri. *Non quia jam acceperim*, ait quidam, *aut perfectus sim* (*Philip.* III). Et alius : *Imperfectum*, inquit, *meum viderunt oculi tui* (*Psal.* CXXXVIII). Quod si Paulus et David se cognoscunt veraciter imperfectos, licet tuis, Deus, in oculis merito non despectos, cui vel novorum vel veterum tanta, vel præcipua laus defertur, nisi forte Virgini, quæ recte cæteris omnibus antefertur? Hæc igitur matri suæ una est, et in hac excellentia singularis, ad cujus singularitatem obstupescit turba reliqua, et conversatio popularis, quivis homo sic evectam, tam perfectam Virginem admiratur, mater sua pro tali, tam unica, tam singulari filia gratulatur. Mater autem quæ talem sibi voluit filiam enutrire, quæ fovit et promovit, et ad tantam dedit excellentiam pervenire, quæ tam digne, quæ tam recte, quam ipsa gratia prædicatur, cujus plenam munere Gabriel angelus Virginem attestatur? *Ave*, inquit, *gratia plena* (*Luc.* I). Ipsa quidem gratia, quæ bonitate, quæ sua est, nostras culparum maculas abolevit, excellenti beneficio prædictam Virginem sic implevit, ut una unum pariens, Virgo tamen integra permaneret, Virgo permanens gratiæ fecundanti nova et singulari sobole responderet. Una est igitur matri suæ, quia mater gratia, nec primam visa est habere similem nec secundam, quæ se forma pari exhiberet Virginem pariter et fecundam : non aliam tantis virtutum titulis honoravit, hanc unam vel unicam singulari privilegio decoravit. Sed ne quis putet eam hujusmodi privilegium meruisse; et non prius eligi, sed eam potius elegisse, sicut una matri suæ, sic et genitrici electa perhibetur, ut ejusdem non solum perfectio, sed et prævia simul electio commendetur. Hanc nimirum gratia elegit, et quasi genuit cum non esset, suscepit et aluit, promovit et adjuvit eadem, cum jam esset : in eligendo vel gignendo vicem obtinens genitricis, in alendo et promovendo fungens matris officio vel nutricis. Quæ

(89) Boet. De consolat. Philos., lib. II, metr. 7.

enim Virginem cognitione provida prælegit, ipsa eam affectu materno suscepit misericorditer, et collegit : illic tanquam genitrix cum in occulto illam venturam prævideret, hic mater, sive nutrix, cum eam evidentius ad profectum incomparabilem promoveret. Promovit quippe illam, et in sua formavit officina, formavit desiderio, moribus, disciplina; formavit et litteris, maturo consilio, prudentia serpentina, formatam consummavit simplicitas et perfectio columbina. Ideo forte *columba meu*, et *perfecta mea* pariter nominatur, ut ei præsto esse columbina perfectio cognoscatur, ut septem illæ quasi virtutes quæ columbis naturaliter sunt collatæ, in ista cognoscantur pari numero spiritaliter consummatæ. Sicut aiunt qui diligentius naturas avium sunt scrutati apponentes animum non famæ erraticæ, sed prægnitæ potius veritati : columba quodam virtutum septenario naturaliter insignitur, in quo spiritaliter figurari perfectio nostræ Virginis invenitur. De quibus, quia loqui longe supra (l. II, c. 13) invenior distulisse, cum in secundo libro primum columbas ad medium videtur hoc epithalamium protulisse, quod illic promiseram, utcunque prosequar in præsenti, cum jam mentio columbarum, nulla ponitur in sequenti.

Columba felle caret. Nostra etiam Virgo, ex quo eam angelus Gabriel salutavit, ex quo sanctus ei Spiritus superveniens obumbravit; nullam Deo vel actuum vel affectuum amaritudinem propinavit, sed mellitam morum dulcedinem favo suavius distillavit.

Non rostro lacerat columba. Et Virgo quibuslibet injuriam facientibus vicem meritam non rependit, sed in omni gravamine patientiam inflexibilem sic ostendit, ut etiam cum videret unicum tradi filium, traditum crucifigi, converti mallet impios quam eos juxta meritum sic affligi.

Alienos pullos nutrit columba Virgo quidem in hujus vitæ salo animum retinet tam serenum, ut etiam exteris et indignis, clementer subvenire non putet alienum : imo quibusque indigentibus, ut Judæis, sic gentibus; et sermonibus utilem dat doctrinam, et pari benevolentia ostendit moribus disciplinam.

Columba secus fluenta libenter habitat. Sic et Virgo diligenter fluentis incumbit scripturarum : amplexatur codices, vivit juxta monita prophetarum, divinis assidue lectionibus est intenta, vacat studio spiritali, curis exterioribus non detenta.

Meliora grana eligit columba. Virgo nihilominus, dum curam vel studium adhibet in Scripturis, non solum quævis utilia præponit omnibus nocituris, sed perspicaci oculo in bonis eligit meliora, amplectens avidius quæcunque Sponso noverit gratiora.

Columba libenter in petra nidificat. Virgo etiam in fide firma quidquid prævalet, operatur, cujus operatio petroso fidei munimine solidatur; fides supereminens, undarum diluvio non turbatur, ventosa rabie non fatiscit, timoris malleo non quassatur.

A Columba pro cantu gemit. Virgo, etsi prædicto virtutum senario modeste gratulatur, tamen, quia quem diligit, nondum revelata **263** facie contemplatur, etsi in his tanquam sex diebus omnia valde bona satagit operari, tamen, quia necdum datur in septimo plenius feriari, adhuc tanquam indigens et columbæ naturam exprimens ingemiscit, dum quod optat, non prævalet, dum tenetur, et dimitti citius concupiscit. Quo gemitu, nihil Virgo meritis, nihil suæ detrahit sanctitati, nihil ei, quam pro posse supra commendavimus, unitati nil subtrahit columbæ gemitus, quin pro loco et tempore sit perfecta, imo, si ad præsens non gemeret, rectius diceretur, et existeret imperfecta. De qua subditur : *Viderunt illam*, etc.

B

CAPUT IX.

Viderunt illam, filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt : reginæ et concubinæ, et laudaverunt eam. Filiæ Sion supra filiæ Hierusalem appellantur, quæ Virginem, ut ante dictum est, in hoc epithalamio comitantur, quæ præsentes nuptias fide veraciter intuentur, et, caligantibus cæteris, errore devio vel ignorantia non tenentur. Quæ attendentes Virginem tantis virtutibus insignitam, labore cum gratia tam perfecte, tam incomparabiliter expolitam : obstupescunt, admirantur, et prædicant non beatam (quod esse vident commune plurimarum), sed magis, beatissimam, hoc est, omnium excellentissimam reliquarum. Nam cum beatæ non immerito plures reliquæ possint dici, hanc inter omnes, hoc est super omnes mulieres et Angelus et Elisabeth asserunt benedici, quæ contra carnis morem, contra naturæ potentis interdictum, fructum ventris fecundati sola Virgo permanens protulit benedictum. Quod cum vident nec prævalent satis sufficienter tantum mysterium aperire, nec possunt in mulieribus simile quidpiam invenire : hanc attollunt filiæ Sion, et beatissimam prædicant confidenter, ejusque excellentiam sermone non invido nuntiant evidenter. Apostoli quippe Christum natum de Virgine intellectu lynceo pervidentes, idemque beneficium non Judæis, non gentibus invidentes; non solum filium, sed et matrem beatissimam astruxerunt, cujusmodi visione et ipsi pro suo modulo beatitudinem meruerunt. *Beati*, ait, *oculi qui vident quæ vos videtis* (*Luc.* x). Non solum apostoli, sed et doctores alii, loco et tempore successores, facti sunt in Ecclesia hujus tantæ Virginis laudatores, quorum alii fructuoso casti desiderii merito sunt reginæ, alii non amantes, sed amorem simulantes, dicuntur rectius concubinæ. In his quippe diebus quibus in universo mundo fructificans fides crescit, apud nonnullos vero abundante malitia charitas refrigescit; et multi laudant Virginem amore devotissimo provocati, et multi virtutem abnegantes, pietatis specie colorati. Honor enim Virginis usque ad id temporis sic excrevit, mundumque universum ejus fama vel notitia sic implevit, ut non solum veri, sed et falsi fideles videantur ejus laudibus exsultare, et quos non devotio, eos

C

D

vel occasio faciat collaudare. Ergo mira et miranda satis hæc Virgo potest dici, quam Angelus et propheta super omnes asserunt benedici (90), quam benedictam qui diligunt exaltare laudibus, recte gaudent, et qui amare negligunt, cessare tamen a laudibus jam non audent. In cujus laude subditur: *Quæ est ista*, etc.

CAPUT X.

Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Ad admirandum Sponsus devotos provocat auditores, ut in laudem Virginis reddantur merito promptiores; et cum audierint quæri: *Quæ est ista quæ progreditur ut aurora*, admoniti de progressu magis stupeant ad priora. Aurora consurgente, expavescunt tenebræ, nox rarescit, dissipatur obscuritas, umbra grossior evanescit: lux novella suboritur, quædam mundi facies elucescit, rebus color redditur, terræ superficies hilarescit. Nostra igitur Virgo huic similis est auroræ, quæ visitat nos oppressos tenebris profundioribus et umbra densiore, quibus dum majestate manus quasi terrorem incutit repentinum, illis disparentibus jubar nobis invehit matutinum. Luna vero suo, ut aiunt, non splendet lumine, sed magis alieno, et quod a sole accipit, refundit cæteris cornu pleno: ad lucendum quidem nocti specialiter assignata, sic solo sole minor, ut stellis reliquis sit prælata. Sic etiam Virgo, quidquid lucis obtinet, quidquid gratiæ vel honoris a Christo novit esse qui est excellentiæ potioris, quo solo minor, ipsa sanctis cæteris principatur, nostras fugat tenebras, lucem reddere gratulatur. Pulchra itaque nobis, imo pulchrior est quam **264** luna, quæ longa nocte pressos, luce tandem relicit opportuna, quæ errantes et palpantes ad viam face prævia nos reducit, et cura pervigili ad optatam solis præsentiam introducit. Est etiam electa ut sol. Sol factus est, ut tam stellis quam planetis majus appareat luminare, et quocunque se verterit, videatur supereminens coruscare: noctis umbram nesciat, incursu potentium non caliget, cursu firmo mundum circumeat, lapsus pœnitentia non castiget. Ex quo autem gratiæ plenioris Virgo sanctuarium est ingressa, non solum sanctos quoslibet, sed et priores apostolos supergressa; ardens amore nimio, sanctitate rutilans indefessa nostram omnium curam agit, quidquam in se peremptorium non perpessa. Mundum pressum tenebris gaudet cura pervigili circuire, ruinas frigescentes affectu ferventissimo resarcire: nostras culparum nebulas interventu lucido proturbare, nostrarum terram mentium respectu benignissimo fecundare. In hoc manet et permanet, ad hoc divinitus est electa, ut affectu et effectu inter sanctos reliquos sit perfecta: instar solis splendore stabili virtutum radiis insignita, sui nunquam negligens, nos longe infra positos non oblita. Quæ quoniam auroræ vicem gerens, inveniA tur nobis caligantibus elucere, et lunæ pulchri udinem novit nonnisi ab alio se habere, videturque in incœpto instar solis gradu stabili permanere, sicut recte intuentibus utilis est et grata, sic hostibus terribilis ut castrorum acies ordinata. Cujusmodi vel aciem vel terrorem, quia supra positum et expositum potestis recordari, non est necessarium expositionem præcedentium iterari.

CAPUT XI.

Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, et inspicerem si floruisset vinea, et germinassent mala Punica. Unde hoc Virgini, ut lunæ et soli, sicut prædictum est, similetur, ut prælata cæteris tanta virtutum excellentia decoretur; non latet, cum ad eam Sponsus descendere se fatetur, B ostendens quod ex sua præsentia illi misericorditer hoc donetur. Denique in Ægypto filiis Israel conferre beneficium se ostendit, cum oppressis luto et latere, de summo tandem cœli solio condescendit, cum afflictos miseria respectu misericordiæ visitavit, visitatos de servitute dura manu validissima liberavit: *Videns vidi*, inquit, *afflictionem populi mei, et descendi liberare eos* (*Exod.* III). In evangelio etiam descendere non inaniter perhibetur (*Luc.* VI), sed ut turbas in campestri loco positas consoletur, quos cum invados et rerum spiritualium inopes intellexit, et tamen ad montana, eo quod novit, consilio non evexit; in plano constitutos visitare præsentialiter non despexit, et de thesauri sui plenitudine benedictionum proferre munera non neglexit. Quod si in C Ægyptum, vel in campum hujus descensio invenitur fuisse fructuosa, multo rectius ad Sponsam descensio non æstimabitur otiosa, quæ non Ægypto tenebrosæ, non campo est similis turbulento, sed horto voluptatis pomis et mucibus opulento. Hortus nucum Virgo est, in quem se descendere Sponsus dicit, eo quod descendenti non aliquatenus difficultas, nulla importunitas contradicit, cui cum cœlum cœli et habitatio placeat angelorum, non tamen nuces horti, non flores vineæ, non malorum displicent germina Punicorum. In nuce cortex exterior non mediocriter amarescit, sub cortice testa dura, sed tamen fragilis delitescit; clausus vero sub testa nucleus comedenti suavius indulcescit. Hortus itaque nucum Virgo est, D cum passionum et tentationum amaritudine tribulatur, cum persequentium malitia ejus otio nequiter adversatur, cum quidquid mundus iste vel blanditur, vel intonat, ei penitus amarescit, cum ei totum sordet quidquid male sapientibus elucescit. Hortus est, cum velut testa durior mira fortitudine præmunitur, cum in vigiliis, jejuniis, orationibus indeficiens invenitur, cum Judæorum opprobriis, cum gladiis gentilium nullatenus emollitur, cum in omni angustia, rigore indefesso, stare fortiter comperitur. Quæ cum ad omnia inveniatur fixa et stabilis permanere, frangi tamen et dissolvi, et Christo cupit manifestius apparere, sciens illum non testa, non cortice,

(90) Intelligitur B. Elisabeth.

non quavis amaritudine delectari, sed oblato nucleo, quo suavius eo festivius epulari. Nucleus autem absconditus, interna est suavitas animæ diligentis, quæ seductos malitia latet oculos persequentis, quæ fracta testa non aufertur, sed defertur quasi manibus offerentis, et præsentatur Sponso, et ejusdem mensæ vel convivio præsidentis. In hunc hortum nucum, Sponsus diligens, tunc descendit, cum dilectæ laboranti propinquum et propitium se intendit, cum illam de virtute in virtutem (*Psal.* LXXXIII) sollicitus promovere, et in ea respectu gratifico poma convallium vult videre. Quod enim in Virgine virtutes humiles satagunt operari, quod ex suo labore vel merito fide certa diligunt præstolari videt Sponsus, et approbat **265** et facit omnia prosperari, et favore prospero tanquam flante favonio maturari. Poma quippe convallium, virtutum humilium sunt labores, sollicita sunt studia, manus ad opera promptiores : actus sunt fructuosi in horto bene consito gratiores, qui, etsi ad metendum vel recondendum necdum penitus sunt maturi, visui tamen placent, ad esum citius transituri. Visis vero pomis convallium amat sponsus nihilominus pervidere si digne florens vinea cultori accelerat respondere ; si virtutum series ordinata invenitur decore odorifero refulgere, si odore florido a suis finibus omne virus noxium prohibere. Virginem enim teneram ne livor læderet virulentus, munivit fama decens, decor extulit florulentus, quæ cum novo genere tumorem ad nos protulit uterinum, longe tamen illicitæ suspicionis maculam, et virus protulit serpentinum. Cujus non solum conscientiam culparum præsentia non confudit, sed et rumor sinister rubore faciem non perfudit, tanto flore vinea, tanto viguit flos odore, ut ejus integritas et culpa careat et rubore. In hujusmodi horto videt sponsus et mala punica non deesse, sed in abscondito voluntatis animum ad patientiam promptum esse : velle non solum mortem, sed et minacem gladium sustinere, et, si nondum in effectu, jam tamen in affectu effusionem sanguinis subrubere. Mala quidem Punica nondum manifestius se præsentant, sed diligentius intuenti velut in germine se ostentant : nondum rubet passio, quia carnifex gladium non educit, sed voluntas firmius radicata, germen in surculo jam producit. Ad hoc inspiciendum, sponsus nuntium non præmisit, sed humili benevolentia ipse idem confortat Virginem et revisit : descensu gratifico fovet hortum, gaudet poma convallium maturare, dat florere vineam, mala Punica germinare.

A

B

C

D

CAPUT XII.

Nescivi : anima mea conturbata est propter quadrigas Aminadab. Videns Virgo in hortum suum sponsum mirabiliter descendisse, et descensu mirabili gratiam æque mirabilem attulisse ; non satis potest eloqui quod in se spiritualiter intuetur, et præsenti gaudens scientia, priorem ignorantiam confitetur. *Nesciri*, ait, antequam Angelus me plenam gratia nuntiaret, et nube satis lucida sanctus mihi Spiritus obumbraret, antequam Dei Filius suo me osculo fecundaret, et novella fecunditas virginalem conscientiam honestaret : nescivi tantum mihi gratiæ, tantum muneris impertiri, posse ancillam humilem, tam inexperta cæteris, experiri. Antequam hortum suum concluderet, non tamen sepe, non maceria, neque vallo, antequam signaret fontem, non tamen sera ferrea, non vecte, non metallo, antequam in eumdem hortum descenderet, et eum inspiceret suo largo munere bonitatis, nescivi eum esse tam potentem, tam benignum, tantæ divitem largitatis. Cum igitur ad me descenderet, et se mihi utcunque ostenderet, sum turbata, expavi, obstupui, tantum beneficium admirata : anima mea in salutare suum defectu prospero laboravit, labore salutifero deficiens, vel magis, proficiens me turbavit. Videns enim sponsum non inopem, non indigum, non ut quemvis de populo descendisse, sed in equis vel quadrigis more potentium advenisse : non habui ultra spiritum, attendens quod ille et salutem potenter operetur, et in ipsa potentia digne religio conservetur : *Qui ascendis*, ait, *super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio* (*Habac.* III). Nostis quod arcam Domini quam Azotii captam per dies aliquot tenuerunt, compulsi læsis natibus tandem liberam reddiderunt, quæ imposita plaustro novo in domum Aminadab est relata, ubi et cultus ei reverentior, et religio convenientior est delata. Aminadab interpretatur *spontaneus* (91), illum significans qui de sinu Patris sponte voluit advenire, et in uterum Virginis naturam sibi hominis counire, qui angelicis virtutibus instar regis præsidet vel aurigæ, et agili concordia omnes ei subserviunt ut quadrigæ. Cujusmodi vel imperium, vel obsequium cum Virgo diligentius intuetur, eorum pridem nesciam turbari quodammodo ad hanc scientiam se fatetur : recolens priorum nuptiis festos conventus hominum solitos adhiberi, quadrigas angelicas et invisibiles tympanistrios non videri. Qui ideo forte in hoc epithalamio nomen vel speciem obtinent quadrigarum, quia mundo quadrifido concurrit et succurrit hæc solemnitas nuptiarum : et illa quatuor animalia quæ Joannis vel Ezechielis vaticinio describuntur, ut præcones vel jugales eidem negotio subscribuntur. Propter quadrigas igitur Aminadab Virgo prius nescia conturbatur, cum introducta in ejus sanctuarium ministrantia ei millia millium admiratur, cum tanquam liberatam ab hostium finibus vel Azotis, et regis potens excellentia, et religio excipit sacerdotis. Cui loquens Aminadab subjungit : *Revertere*, etc.

266 CAPUT XIII.

Revertere, revertere, Sunamitis : revertere, revertere, ut intueamur te. Ne suis Virgo meritis in domum Aminadab reverti videatur (ipsa est enim arca Dei quæ per tempus aliquod lege nostra omnium captivatur), ostendit Aminadab, quia non est efficacia

(91) Auctor legit I Regum, v, Aminadab, id est *populus spontaneus*, pro Abinadab, id est *Pater spontaneus*.

remeantis, sed magis miseratio et potens benevolentia revocantis. Revocat ergo sponsus eam quæ dicitur Sunamitis, ut a vinculis absoluta revertatur gressibus expeditis, ne inter Azotios et carnalium sensuum illecebras demoretur, sed quadratæ novitatis vehiculo in domum diligentis spontanee reportetur (91*). Sunamitis interpretatur *captiva* vel *despecta*, sive *coccinea* (92). Virgo autem, ut cæteri, naturaliter filia fuit iræ, a cujus eam maculis non potuit conversatio penitus expedire, in qua, etsi virtus ei adfuit culparum damnabilium expulsiva, adhuc tamen gravatur vinculo, et naturæ legibus est captiva. Quæ quoniam in peccatis naturaliter est concepta, ejus conversatio culpis vel levibus est infecta; infectionis merito mundioribus Dei oculis est despecta, sed ejusdem humilitas tandem per gratiam est respecta. Respexit enim humilitatem ancillæ suæ, eamque semel et iterum revocavit, et a captivitate et despectu, revocatione gemina liberavit, ut quam culpabilem lex iræ, lex tenuerat genuina, prorsus a culpa liberam servaret postmodum lex divina. Ideo et eamdem sponsus addit semel et iterum revocare, et ad revertendum, verbo iterato diligentius invitare; et quam prius revocatio eduxit a sententia duriore, secundo firmam facit statu sive gratia largiore. Dicto enim prius : *Revertere, revertere, Sunamitis*, adjunxit, *revertere, revertere ut intueamur te.* Quam reverti volo, ait, ut captiva et despecta non ultra teneatur, reverti volo, ut et mihi gratior habeatur, ut revocantem diligat, et ardeat, non incendio, sed amore, et coccinea digna sit nominari merito, non colore. Coccus ignis speciem tenet, amorem significans; ardet enim qui amat. Quia vero ignis iste, vel amor Virginis necessario geminatur, dum in sponso, ut jam dictum recolo, Deum et hominem amplexatur : eam quam præ cæteris tanto munere sponsus ditat, ut coccus sit bis tinctus, ad hunc amorem geminum bis invitat. Quam igitur prima geminatio captivam revocat et despectam, secunda longe firmius diligentem efficit et dilectam; et tam ipse, quam sodales quos huic mysterio præsentes et conscios vult haberi, talem tam coccineam videre diligunt et tueri. Quam attendentes angeli et a culpa liberam contra solitum jus naturæ, et amore coccineam, supra visibilis efficaciam creaturæ; tantam rei excellentiam non sufficiunt admirari, et adgaudentes Sponso, de Sponsa diligunt sciscitari.

CAPUT XIV.

[Cap. VII.] *Quid videbis, aiunt, in Sunamite, nisi choros castrorum?* Invitas, inquiunt, Virginem, totiesque et toties vis reverti, profectuque mirifico totam illam ad tuum beneplacitum vis converti? ut et culpa sui juris nil in ea valeat obtinere, et amoris privilegio digna sit nobis intuentibus complacere. In hac igitur Sunamite, quæ toties revertitur, quid videbis, et de illa, cum fuerit oblata tuo conspectui, quid censebis, in qua nobis considerantibus occurrit perfectio tanta morum, ut ei non homines, sed magis castra consonent angelorum? Angelos quippe castra invenitur divina lectio nominare, eo quod eorum cuneos non possit hostium violentia penetrare, tantamque fiduciam eis donat præsidens imperator, ut longe repercussus omnis fugiat impugnator. De quibus Jacob : *Castra Dei sunt hæc* (*Gen.* xxxii). Qui appellari etiam non incongrue possunt chori, eo quod et concordes affectibus, et indefessis laudibus sunt canori, quorum tanta in auribus præsidentis consonat melodia, ut non cœli, non stellarum, non etiam planetarum se illi comparet harmonia. Quibus autem virtutibus considerant angeli se vigere, eisdem quoque Virginem et vident, et non invident præeminere; et quoniam in illa vitam angelicam novitate mirabili recognoscunt, mirantur, et a sponso, si quid amplius noverit, jam reposcunt. Quid videbis, inquiunt, in hac quam revocas, Sunamite, nisi miram concordiam laudis et fortitudinis exquisitæ, nisi choros laudabiles, et antiquos exercitus angelorum, nisi virtutes consonas et robur indeficiens ut castrorum? Hæc nimirum in virgine, quam tantopere diligis, jam videmus, et, si quid adhuc latet, grato satis desiderio videremus; et tam ista, quam cætera quæ in illa gaudemus intueri, a te ipso, quem melius constat nosse, volumus recenseri. Ad hæc Sponsus : *Quam pulchri*, etc.

267 CAPUT XV

Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis. Ad inquisita Sponsus non differt benigne respondere, sed respondens ad virginem sermonem diligit retorquere; non æstimans in aliquo prædictis sodalibus displicere, si eis sciscitantibus huic affabilem eligit se præbere. Illis ergo interrogantibus spem silentio non præcidit, sed convertit se ad illam, cui loqui frequentius non fastidit; et cum illam aggreditur novis laudibus convenire, paranymphos assistentes, quidquid loquitur, vult audire. Nunc vero a gressibus laudes inchoat enarrare, qui supra (l. IV, c. 7 et 22) cum laudaret ab oculis voluit inchoare; forte ut si repetitio laudum fastidire commonet somnolentos, ordo alter, et color varius reddat vigiles et attentos. Denique supra (l. IV, c. 23) cum multoties velut per partes laudare virginem appetivit, si bene recolo, mammas ejus vel ubera non transivit, sed a superioribus inchoans, circa ea

(91*) Allusio ad Osee, c. XIV, v. 5.

(92) Auctor hic itemque alibi (coll. 284, 417, 449) solum Christum excipit a peccato originali. Legerat scilicet Aug. l. II De peccatorum merit. et remiss., c. 24; Ambr. in psalm. CXVIII, serm. 6; Athanas. serm. De mysterio Incarnat. Scribebat eodem tempore quo B. Bernardus, idemque asserebat cum illo, epist. 174, et l. I in Cantica. Viderat etiam ea quæ habet B. Fulgentius l. De fide ad Petrum, c. 2 et 26. Tenuerunt quoque sic S. Thomas III p., q. 14, ad 1. Bonaventura in III, dist. 3, q. 2, et alii qui omnes ita locuti sunt ut senserunt. Nobis autem hoc die observandæ sunt constitutiones : *Cum præexcelsa*, et *Grauenimis* l. III, *Extravag. comm.* tit. *De reliquiis et veneratione sanctorum.*

ejus laudatio sic versatur, ut a mammis deorsum, de membris reliquis non loquatur. Ipsa autem Virgo in præcedenti libro (l. v a c. 18 ad 27) laudans eum velut particulariter vel membratim, a capite ad crura et eorum bases descendit seriatim, cui Sponsus vicem reddens in hoc laudum ejus seriem ordinavit, sed varietatis gratia ipsum ordinem commutavit. Gressus virginis actus ejus æstimo nominari, quos nobis longe remotioribus voluit occultari; per quos in nostram venire voluit notionem, cujus sanctitas nos lateret, si pigram vel continuam eligeret sessionem. Quos nimirum gressus non suspensa claudicatio deturpavit, non puellaris levitas vagos et instabiles accusavit, ad infirma et egena mundi hujus elementa morbus aridus non retorsit, exactorque improbus ab eis quidquam tributarium non extorsit. Tam pulchræ valetudinis, tam validæ pulchritudinis exstiterunt, et in hac pulchritudine, tanta constantia perstiterunt, ut magis admiratio quam enarratio conveniat laudatori, cum non solum expressio, sed et prælibatio sufficere valeat auditori. Ut autem constet quidquam necessarium ab eisdem gressibus non excludi, incedentes per vitæ hujus inæqualia non sunt nudi; sed ne vel solis ariditas, vel hiemis asperitas quidquam inferat gravitatis, eos velut calceat quædam mortificatio voluptatis. Si quid ergo imminet vel delectabile vel molestum, quod velit evertere in illis quidquam utile vel honestum, ad repellendum illud quædam patiens insensibilitas se præmittit, quæ ad pedem tenerum pervenire quidquam pestiferum non permittit. In hujusmodi calceamentis, pulchritudo gressuum delitescit, quæ non satis nobis patens, sponso melius innotescit, qui eidem virgini amat in omnibus præsto esse, eamque sibi similem tanquam filiam facit esse. Ob hoc forte in præsenti, quod nusquam supra filiam nominavit, quod juxta formam suam illam specialius calceavit, eamque in calceis fecit sibi expressius et similius convenire, dum in carne positam dedit jura carnalium non sentire. Qui prærogativæ muneris recte dicitur principari, qui cum factus esset caro, carnalibus noluit obligari, qui assumptum hominem illæsum a vitiis voluit conservare, et electam virginem sibi tanquam filiam conformare. Tollens ergo de medio iræ privilegium contumacis, Isaiæ testimonio recte dicitur princeps pacis (*Isa.* IX), cujus pacem quisquis in se datur veraciter experiri (dicunt enim plures pax, pax, in quibus pax non potest inveniri); quisquis, inquam, hujus pacis, dono gratiæ, particeps invenitur, nomine filiali recte propter similitudinem insignitur.

CAPUT XVI.

Junctura feminum tuorum sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis. Pulchro loquendi genere integritatem virginis commendavit, dum junctura feminum fabrefactis monilibus comparavit, quia in feminibus plerumque figuratur carnalis genitura, A genituræ vero abnegatio et sterilitas feminum in junctura. Denique peccatrix anima quæ Deum illecebris carnalibus amaricat, sicut propheta (*Isa.* LI) meminit, pedes suos quibusque transeuntibus divaricat, et non contenta legitimo, viros alteros, imo adulteros lege suscipit dissoluta, angustias tori non sustinet, dilato cubili lenociniis prostituta. Virgo autem quæ in concipiendo nullum penitus virum sentit, quæ antiquo naturæ privilegio, sicut mente, ita et corpore non consentit, hujusmodi feminibus irresolubili junctura copulatis, tenet extunc et deinceps firmum fœdus perfectæ castitatis. Qualis enim in conceptu, prædicante Angelo (*Luc.* I), legitur exstitisse, talis fide pia, et a vero non devia creditur perstitisse; et nec a mente corpus, nec est a corpore B postmodum mens divisa, sed consensu continuo et illæsis affectibus indivisa. Quæ junctura recte monilibus debuit comparari, quæ constat docta manu ex auro et lapidibus fabricari, quæ non solum digno **268** sui pretio decus afferunt ornamenti, sed ad muniendum sinum virgineum superiores oras copulant vestimenti. Sic junctura feminum plus auro vel lapide pretiosa, carnem servans et spiritum ad acquirendum meritum operosa; munit quidem virginem, ne corruptor seductorius admittatur, monet quoque ut diligat eum, cujus beneficio sic ornatur. A muniendo quippe vel monendo, ut nonnulli aiunt, monilia nominantur, eo quod munita quæque tali munere moneantur, ut tali præsidio procul pellant C invidum corruptorem, et affectu vicario benigne diligant largitorem. Doctus enim artifex manu sua hæc monilia fabricavit, quæ negata pluribus, matri Virgini non negavit; quæ miro Paulus desiderio postulat sibi dari, nescio, dum hic viveret, si forte meruit sic beari.

CAPUT XVII.

Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Umbilicus partes ventris circumpositas copulat et compingit: et ne mollitie nativa defluant, vel forte perefluant, revocat et restringit: in quo et mulier gignendi seminarium habere perhibetur, quod tamen apud viros in lumbis maxime continetur (93). Umbilicus itaque virginis ejus stabilis est doctrina, quæ apostolis defluentibus timore carneo D et mollitie feminina; fide virita constat, neque simili defluit levitate, sed leves, et amplius justo vagos sua quadam revocat firmitate. Videntes enim viri a fidei se proposito levius destitisse, et concussam dolore nimio illam tamen firmius perstitisse, cum facta resurrectio nonnullis visionibus est ostensa, et Virgo studio contemplandi, et devotis orationibus est suspensa: revocati ad illam humiliter de præteritis erubescunt; et deinceps ejus auditui credibilius et constantius adhærescunt. Nam cratere tornatili ejus est plenior et perfectior tornatura, cui Christi resurgentis plenius innotuerat genitura; et omnia quæ de illo longa temporum serie leguntur in Scri-

(93) Allusio ad Job XL, V, 11.

ptura, hausit hæc abundantius, et refudit auditoribus cum mensura. Cujus crater tornatilis, vel perfectio facilis disserendi, non aresci inopia, non arctatur angustia capiendi, sed referta poculis vinoque sapientiæ debriata, cunctis longe populis, et sufficit, et nunquam deficit propinata.

CAPUT XVIII.

Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis. Venter, humanitas est, infirmitas vel conversatio temporalis, quæ indiget fomento vestium et alimoniæ corporalis, cujus quasi mollities ita curam exigit fomenti naturalis, ut in eo cumuletur profectus et eminentia spiritalis. Etsi enim carnem suam Virgo non habet odio, sed conservat, in cura tamen ejus vires spiritus non enervat, sed dum necessario fovet eam, duris laboribus se reservat, in quibus copiam meritorum instar tritici coacervat. Quæ copia, dum in altum quodam velut acumine se attollit, nec tamen palearum ventosa multitudine se extollit; et ad panem faciendum cultori habetur gratiosa, et ad semen faciendum nihilominus fructuosa. Non solum enim Sponso conversatio Virginis placere comprobatur, sed in his etiam qui assistunt, tanquam vim seminariam operatur, dum eosdem instruit, et ad quæque provocat meliora, et non verbo, sed exemplo eos crescere et extendere commonet in priora. Tanta cujus merita ne prædones auferre præsumant violenter, ne fures diripere, ne vel mures detrahere appetant fraudulenter; vallantur quidem non sudibus, non lapidibus, non cæmento, sed liliis, hoc est munditiæ et gratiæ inviolabilis blandimento.

CAPUT XIX.

Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ: collum tuum sicut turris eburnea. Hæc eadem dicta superius facit repetere vis amoris, sed exponenda rursus non sunt, moræ gratia brevioris; illud tamen quod mutatum potest, et tanquam differens æstimari, quæri potest, quid sibi vult, quid in eo debeat figurari. Supra enim dictum est (l. IV, c. 12): *Collum tuum sicut turris David;* hic autem *sicut turris eburnea.* In turre figuratur quædam virginis fortitudo, in ebore, casta et sincera ejusdem fortitudinis pulchritudo, quia, quam turris virtutum objectat hostibus præmunitam: frigus innatum ebori ab ignitis monstrat passionibus expolitam. Turris itaque, Virgo est, cum ab hostibus fortiter **269** se defendit, turris autem eburnea, cum a carnis æstu liberam se ostendit; turris, inquam, cum virtutum ejus congeriem occursus malignantium perhorrescit, eburnea, cum rigore frigido, ut brumæ gelicidio dealbescit.

CAPUT XX.

Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. De oculis quoque in secundo libro satis æstimo dictum esse (sup. l. IV, c. 7, et alibi), nec repeti quod dictum est, necessarium reor esse sed quia nova comparatio videtur hic apponi, ipsa quoque novitas postulat hic exponi. Hesebon est civitas quam populorum inhabitat multitudo piscinæ, fontes sunt, sive laci et aquarum congrua plenitudo, quæ in porta civitatis, rei posita veritate, ipsius urbis incolas multiplici reficit largitate. Oculi ergo Sponsæ non infecti fœcibus serpentinis, sed, ut liber secundus explicat, conformati moribus columbinis, ideo in præsenti forte similes sunt piscinis, quia lotos imbuunt, vel imbutos abluunt salutaribus disciplinis. Nam quos Virgo dignatur gratis oculis intueri, quibus dignanter eligit respectu benevolentiæ misereri, ab errore campestri revocans, ad portam utilem nos adducit, per quam ad cives et domesticos et frequentiam digne merentium introducit. Hesebon interpretatur *cingulum mœroris.* Respectu quidem suo a forensi Virgo licentia nos restringit, et ingressos portæ angustias mœror necessarius nos accingit; et a cunctis quæ foris perstrepunt, ultra non sustinet lætos esse, sed afflictos miseria, dignos misericordia vult nos esse. Quos cum tales Virgo miserans intuetur, ut cives et domesticos filiæ multitudinis nos tuetur, quæ filia, id est civitas multos quidem ad se convenas intromittit, sed, lege satis mira, nisi mœstos et miseros non admittit. Hoc habent refugium, hoc præsidio utuntur in præsenti, quod eos Virgo fovet oculorum beneficio competenti, quod mœrentes visitat sollicitudine diligenti, sic ad præsens benigne refovens, ut promittat longe melius in sequenti. Expertus sum quod aio. Cum divino perurgente judicio filii matris meæ contra me pugnaverunt, cum exteris parcentibus, ii quos mea credebam viscera, me læserunt, hujus cinis Hesebon mea ipsius mœstitia cogeret deperire, si non Virgo dignaretur extenta manu citius subvenire. Astitit illa mihi, et curam mei longius non abjecit, sed linguis malignantium sese mediam interjecit: et attendens quod non zelo justitiæ, sed factione fremerent inimica, forti manu misericordiæ obstruxit os loquentium tam iniqua. Cui recte convenit quod sequitur: *Nasus tuus*, etc

CAPUT XXI.

Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. Viri pestilentes, qui diaboli existunt pugiles et athletæ, ei, a quo mittuntur, similes, rixas commovent indiscrete; et cæcati malitia ignorant judicii rationem, et, si forte noverint, corrumpit rancor et invidia notionem. Virgo autem majoris patrocinio videns aliquos indigere, nescit deesse illis quos injuriam noverit sustinere, ostendens se habere recte considerantibus fortem nasum, non pressum, instar simiæ, non enervem mollitie, non abrasum. Etsi enim velut tacens permittit suos aliquoties tribulari, forte quantum expedit eos tribulationibus emendari, tamen cum invidorum malignitas excrescit violentius et impugnat, fortis hujus discretio, ut turris Libani prominet et repugnat. Eo autem prævalet et malignis efficacius adversatur, quo in Christo, qui mons est Libani, solide confirmatur, in quo sita et superedita Damascum respicit et prospectat, ut prospectu sollicito illam a proposito revocet et reflectat. Damascus interpretatur *sitiens sanguinem.*

Nostrum vero sanguinem sitit semper civitas perditorum, sed ne totum ebibat, respectu Virgo prohibet oculorum, qui et nobis pie petentibus salutare conferunt munimentum, et male sitienti potenter inferunt detrimentum. Novit enim hujus discretio, injusta sufferentes, quando, quomodo consoletur, inferentes vero, qua vel pœna referiat, vel patientia præstoletur; novit quos humiles et abjectos vultu respiciat miserente, quos econtra Damascenos despiciat, sic eorum malitia promerente. In quibus omnibus suum solius beneplacitum non attendit, sed Sponsi voluntatem, cui placere desiderat, magnipendit, cujus amicos diligens, ad eorum profectus hilarescit, super cujus inimicos, perfecto velut odio, contabescit. Cui bene subjungitur : *Caput tuum*, etc.

270 CAPUT XXII.

Caput tuum ut Carmelus, et comæ capitis tui sicut purpura regis juncta canalibus. Caput Virginis, mens ejus vel intentio non incongrue potest dici, cui opera reliqua, ut membra subdita, videntur sic addici, ut nec dirigi ad proficiendum, nec ad placendum erigi mereantur, si prævia intentione velut capite non regantur. Quæ intentio, quia eam non premit iniquitas, infirmitas non emollit, sed ad superiora sano placendi desiderio se attollit : montis eminentiam et nomen meruit obtinere, cujus interpretatio invenitur fructu mysterii non carere. Carmelus interpretatur *scientia circumcisionis*, vel, *sciens circumcisionem*. Circumcisio, ut Judæi noverunt, carnis est incisura, recidens præputium, id est carnale desiderium in figura, quam datam a Moyse Judæi litteraliter tenuerunt, illi vero spiritualiter qui deponere quod caro suggerit, studuerunt. Virgo igitur cujus intentionem constat desiderio præeminere, recte Carmelus dicitur, carnalibus nesciens subjacere, quæ corde et auribus cunctisque sensibus spiritaliter circumcisa, in gignendo filium, non viro, sed Deo soli placuit indivisa. Illa quidem nova mater miram montis excellentiam in se vidit, cum se Sponso copulans carnalium desideria circumcidit, cum sic ei obumbrat Spiritus, spiritalis eam circumcisio sic emundat, ut gignens ad genitum culpam carnis hæreditariam non transfundat. Cujus comæ capitis, id est sancti et subtilissimi cogitatus, quibus accedit capiti decor non mediocris vel ornatus; purpuræ regis junctæ canalibus similantur, dum fide et amore passionis Christi velut quodam sanguine purpurantur. Apud eos qui in hoc opificio dicuntur esse gnari, solet purpura per fasciculos in angustis canalibus alligari, cui alligatæ aqua superfunditur, modo debito vel mensura, qua superfusione ad purpurandam lanam utilis sit tinctura. Vel, juxta quosdam, apud Tyrum et Sidonem ubi præcipue hoc artificium frequentatur, lana subtilis et candida in canalibus angustatur, quæ sanguine piscis conchilii superfuso in colorem purpureum transmutatur, et deinceps purpurea, imo purpura nominatur. Quæ ideo perhibetur purpura regis esse, quia regum ab antiquo solebat quasi proprium illud esse, ut veste purpurea speciali privilegio vestirentur, et hoc signo discreti a cæteris reges sine dubio monstrarentur. Unde in Evangelio (*Matth.* XXVII ; *Joan.* XIX), quia Christus quasi præsumpserat se regem attestari, Judæi persequentes visi sunt intolerabiliter indignari : et antequam occiderent quem super se reguare noluerunt, eumdem irrisorie purpuream chlamidem induerunt. Comæ autem capitis in angustis canalibus disponuntur, cum cogitatus Virginis spiritalibus exercitiis supponuntur, cum passionis Christi fides locum sibi præparat mundiorem, cum in vellus descendens pluvia, totum illud convertit in amorem. Sanguis marini piscis ipsa est dilectio Redemptoris, qui in mundo factus homo ex præcepto æterni genitoris ; Virgini, quam attendit includi Irixorio disciplinæ, amorem sui sanguinis superfundit et infundit gratia medicinæ. Ex quo purpurea, imo purpura fieri perhibetur, et deinceps summo regi tam proprie, tam specialiter exhibetur, ut ultra non humano, sed divino tantum usui coaptetur; et non virum hominem, sed Deum et hominem nosse et diligere comprobetur. Qui etiam Deus homo non incongrue caput Virginis appellatur, qui excellentia principali mons domus Domini super verticem montium prædicatur, cui nomen assignatur forte non alterius, sed Carmeli, quia tam scienter quam potenter vero præputium eripit Israeli. Comæ autem quas capiti constat radicitus inhærere, et tamen longius evagari, nisi eas disciplina studeat coercere : omnes actus sunt Virginis quos in Christo a radice firmius solidavit, et a progressu nimio, districtione judiciaria revocavit. Quos in canalia, id est in depressas et humiles angustias voluit introduci, et passionis gaudium, ut tincturam purpuream, superduci, cujus tota conversatio non novit alium sapere, sed timere, et rubenti martyrio tanquam vivens hostia refulgere.

CAPUT XXIII.

Quam pulchra es, et quam decora charissima in deliciis? Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris. Quia laudes a gressibus inchoatæ ad caput vel comas recta serie devenerunt, nihilque non laudabile in prædictis omnibus invenerunt : pulchritudinem Virginis quodam quasi breviculo comprehendit, eam ardens charissimam, in qua nihil reprehensibile deprehendit. Quam pulchra es, inquit, voluntate **271** torporis nescia, sed vivaci, quam decora, justum velle manu prosequens efficaci; et ut laudes roborentur fine dignius cumulato, in tam multis deliciis mihi charissima delicato. In tali, tam laudabili nihil conqueror de jactura, quia palmæ commendabili tua similis est statura, quæ in imis angustior, in superioribus spatiosa, bono gaudet initio, meliore termino fructuosa. Denique palma sicut accincto proponitur bellatori, sic nimirum discincto traditur et victori ; et quæ ad laborem induxerat et excitaverat animum præliantis, in laudem erigitur, cum manu geritur triumphantis. Tua ergo statura huic palmæ similis invenitur, cum labor perseverans tantis laudum titulis insignitur, cum ab

imo inchoans, processu fructifico dilataris, cum mundi victo pugile, de jam certo præmio gratularis. Statura tua palmæ perhibetur non immerito similari quam in recto proposito stare constat potius, quam curvari, cujus quia statio ad perfectum indeflexa conceditur proficisci, palmam, id est dignum victoriæ titulum meretur adipisci. Et ubera tua quibus lactas, sive pascis abunde circumstantes, id est forma vitæ tuæ qua et moraliter et spiritaliter erudis ignorantes; similis est non herbis inutilibus, non arboribus infecundis, sed botris fertilibus vino recundito lætabundis. Qui enim attente perspiciunt tam in moralibus quam spiritalibus te perfectam, et de terræ gremio ad sublimem palmæ similitudinem sic evectam; admirantur, obstupescunt, et intra suos terminos non tenentur, dum inter omnes mulieres nullam tibi similem intuentur. Ubera ergo tua quibusdam considerationis manibus exprimentes, et ex eis utriusque perfectionem vitæ manare plenius prævidentes, quosdam velut sibi botros videntur expressisse, stuporisque et admirationis vinum inebrians protulisse.

A

B

CAPUT XXIV.

Dixi: Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus; et erunt ubera tua sicut botri vineæ; et odor oris tui sicut odor malorum. Unde Virgini tanta præ cæteris gratia conferatur, ut ubera ejus botris, palmæ statura similis habeatur, sequenti versiculo Sponsus innuit evidenter, ostendens quod prædixerit, et prædictum expleverit consequenter. *Dixi*, ait: *Ascendam, et erunt ubera tua botri.* Dictum ejus, propositum est quod ab æterno voluit ordinari, quod apud se fixum manens diutissime voluit occultari, tandem vero, cum illuxit felix temporum plenitudo, data est huic Virgini dicti hujus evidens certitudo. Qui enim apud se vel in Patre diu fuerat occultatus, misso quidem Angelo, præcedens tamen Angelum Virgini præsentatus; dictum illud mirabile quasi visibile voluit exhiberi, dum invisibilem per naturam, dedit per gratiam se videri. *Dixi*, ait, et quod dixi, diutius non tacebo, sed *ascendam in palmam*, hoc est visibilis apparebo: ascendam in Virginem, per eam cæteris me monstrabo, per assumptam ejus carnem, mundi principem triumphabo. Profundum quippe meæ divinitatis erat hominibus inaccessum, quorum amore ductus ascendam in excelsum, ut cum a profundo et occulto invisibili fuero visibiliter exaltatus, ad me traham omnia trahendi efficacia non fraudatus. Virgo igitur palma est, excelsa privilegio meritorum, in quam Sponsus ascendere tanquam in arborem voluit sicomorum, cujus ascensio, id est carnis assumptio fideli cuique ficus fatua reputatur, ei autem qui digne suspicit, et humiliter suscipit, fructum salutiferum operatur. Quem fructum ipse Sponsus gratanter apprehendit, cum in eo displicere nihil sibi penitus deprehendit, cum acceptat, cum approbat, cum suo gaudet beneplacito convenire, quod salutem fidelium datur palmæ fecunditas parturire. Apprehendit, inquam, cum ei custos fidelissimus appropinquat, cum præmunit, et præcavet ne quid illi exponendum avibus derelinquat, cum ipsam palmam fovet, et tantam provehit in virtutem, ut ex ipsa dependeat quidquid mundo congruit ad salutem. Dependet autem ex ea Christi caro, carnis passio, lignum crucis: culparum abolitio, noctis fuga, reditus veræ lucis, mundi reconciliatio, virtutum constantia, fiducia præmiorum, quæ omnia gratanter apprehendit, qui auctor et dispositor est eorum. Quibus apprehensis ubera Sponsæ botris vineæ similantur, quia ejus beneficiis mentes digne considerantium debriantur, et odores ejus, vel odor oris ejus efficitur ut malorum, quia fama ejus et doctrina bene sapit in naribus auditorum. Cui subjungitur: *Guttur*, etc.

C

D

CAPUT XXV.

Guttur tuum sicut vinum optimum. Si ut botri, si ut mala sunt quæ ad exteros fide nuntia deferuntur, quæ et quanta **272** credi possunt, quæ ab ipsa Virgine sentiuntur, quæ propinans larga manu esurientium faucibus opportuna, quis nisi cæcus æstimet quod a tantis et talibus sit jejuna? Ipsa quidem præ cæteris, tam multa, tam præcipua sentire gratulatur, ipsa haurit præcipue quæ in Sponso, et quam multa suavitas habeatur; quod alii vix prælibant, quos tanta meritorum excellentia non venustat, ipsa haustu avido sentit plenius et degustat. Cujus gustum Sponsus gutturis nomine figuravit, quem commendare volens, vino illud optimo comparavit, quia cuicunque gustus vel guttur Virginis innotescit, videtur sibi potus, eo quod ineffabiliter bilarescit. Nam cui gustum suum non invida Virgo notificat, cor illius tanquam vino potum lætificat: tantumque illa in secreto cordis sui scire conceditur et sentire, ut non gaudere nequeat, cui datum fuerit consentire. Et bene vinum istud Sponsus optimum prædicavit, quo quicunque potus est, nullum melius æstimavit: non vinea Naboth, non vinea forte Sorech simile propinavit, non bibit Noe melius de prima vinea quam plantavit. Quia vero gustus ille, vel guttur Virginis nulli plenius intimatur, vel de percepto eo magis alius non lætatur, quam Sponsus, qui non indiget ut verbo transitorio doceatur (videt enim et approbat quidquid utile cogitatur); sciens Virgo vinum illud præconi dignius complacere, ejus ab ore verbum quasi rapiens, festinat respondere.

CAPUT XXVI.

Dignum Dilecto meo ad potandum, labiisque, et dentibus illius ad ruminandum. Commendat, ait, guttur meum, imo quod in gutture jam dulcescit, quod non satis approbat quisquis palato stupidus hebetescit; ipse autem cujus dono tanta mihi gratia dilucescit, haustu bibit plenario, crater ejus inopia non arescit. Ego quidem vini hujus miram dulcedinem sum experta, et Sponso prædicante illam esse optimam, non incerta, de qua ne tacens arguar, fiducialiter sum locuta, et quod ille recte cœpit, digno præconio prosecuta. Ille discretus cognitor, vinum illud optimum dicit esse, et eo dicto freta

consequenter assero dignum esse; dignum, inquam, quod eidem ad potandum grato calice propinetur, cui nimirum, quidquid indignum fuerit, non debetur. Optima vero quæque nulli dignius debent dari, quam ei qui omnium debet optimus æstimari, qui sicut nullatenus fæculento calice vult potari, sic merum et illi me vinum sibi postulat præsentari. Guttur igitur meum quod ille vinum optimum nominavit, hoc est affectum cordis mei qui de illo tanta, tam ineffabilia degustavit : dignum duco ut ejusdem conspectui diligenter repræsentem, et ejus sitim expleam, potum offerens congruentem. Sitit enim ille, et nostra omnium bona sitit, qui tamen fel draconum et vinum aspidum non admittit (*Deut.* xxxii); non acetum Judæorum, non oblatam bibit amaritudinem, sed recusat; et iniquos longe facit, quos in Evangelio sic accusat : *Ite*, inquit, *maledicti; sitivi enim, et non dedistis mihi bibere* (*Matth.* xxv). Itaque dignum duco, ut vinum optimum offeram sitienti, quod non solum in primo gustu, sed et nihilominus placeat repetenti, ut avide bibens illud, et quod biberit habens gratum, fastidium non sufferat, sed magis diligat ruminatum. Labia et dentes, quibus constat munda animalia ruminare, retractationem et in retractatione districtionem æstimo figurare, quibus judex ille benevolus et acutissimus ad videndum quidquid in Sponsa diligit, retractat, et districte examinat ad placendum. Bibit quidem, cum illius vel sensum vel affectum gratanter amplexatur, ruminat, cum retractat et districte examinat quod amatur; et quo magis pervidet nullum prius, nullum posterius inconveniens apparere, eo magis diligit exquisitis et beneplacitis adgaudere. Sicut autem animal, quod non ruminat, lex immundum voluit prædicari, sic vel sensus vel affectus non satis mundus est, qui non sustinet retractari; sed quidquid latet in Virgine iteratum judicium non formidat, et subtilis ruminator in ea nihil invenit quod recidat. Ideo subdit : *Ego*, etc.

CAPUT XXVII.

Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. Ego, inquam, Dilecto meo gaudeo serviens et obediens inveniri, ei gratius adhærere, ejus gratam dulcedinem experiri; quidquid in me sentio, non veretur ei manifestius aperiri, non abhorret ejus scrutinio mea conscientia conveniri. Ego quidem per vanos et varios mundi anfractus levitate muliebri non distenta, matura gravitate ei, quem solum diligo, sum intenta; ab eo, non actu, non affectu vel ad modicum sum aversa, sed ad ejus faciem devoto desiderio sum conversa. Et ipse dilectus meus non dormitat me **273** custodiens, neque stertit, sed adest, cum clamavero, clamanti benevolum se impertit; a meis non solum precibus, sed etiam affectibus faciem non avertit, sed ad meum desiderium hilari facie se convertit. Et quoniam inter nos non adversio, sed conversio mutua prædicatur, placet ut ad ipsum meus quoque sermo iterum conveniatur, ut cujus faciem exquisitam exquirens mea facies speculatur, ipsam quasi ore ad os familiariter alloquatur.

CAPUT XXVIII.

Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Tu ait, quem diligo, qui supra non negasti vocatus advenire, quem venientem novi largiorem mihi gratiam impertire; adhuc veni, si me promptam et paratam diligis invenire, ut tuo jam mandato velim et valeam consentire. Supra quidem pedes lotos quasi formidaveram inquinari, et grato gaudens lectulo rursus ad forensia provocari, sed quia jam intelligo id multorum necessitatibus expedire, non recuso quidquid tuo videro beneplacito convenire. Veni ergo, Dilecte mi, et in agrum simul egredi festinemus, ut nomen tuum mundo, tuam gratiam nuntiemus, ut quæ pridem abscondita disponis jam diutius non latere, innotescant omnibus qui tamen digni fuerint hoc beneficium obtinere. Non solum in Judæa, quæ nostra quasi civitas appellatur, ubi nostri sunt concives et nostræ carnis generatio propagatur, sed in villis etiam, id est foris, in gentibus nostram faciamus notitiam divulgari, et ut efficacius divulgetur, non pigeat diutius ibidem commorari. In agrum autem dilectus et dilecta egredi tunc videntur, et in secreto thalami clausa janua non tenentur, cum Verbum carnem factum mundus fide diligit amplexari, et matrem veneratur, de qua Verbum voluit incarnari. Ad eos vero necdum mater et filius sunt egressi, qui agresti hebetudine fidem catholicam non professi : Deum simul et hominem, perenssi scandalo, non adorant, abhorrentes fecundam Virginem digna eam reverentia non honorant. Ideo Virgo videns non debere diutius hoc differri, occultorum notitiam tandem in medium vult proferri; et transferri fidem certam in apostolis ad Judæos, nec extorres fieri ab ejusdem gratia muneris Idumæos. In Idumæa enim calceamentum suum Christus extendere non negavit, et hostes in amicos, in domesticos alienigenas commutavit, cum doctrina et gratia remotis gentibus intimavit, quod nostra mortalitate ejus se immortalitas calceavit. In quibus gentibus moram facere Virgo monet, monitus non recusat, in quo duritiam Judæorum latenter arguit et accusat, qui post apostolos Christi fidem citius deserentes, sic permanent, converti usque in finem sæculi differentes. In villas vero, id est nationes quæ procul a civibus erant stultæ, quæ doctrinam propheticam rudes adhuc non noverant et incultæ : mater et filius veniunt, et apud eas morosam faciunt mansionem, dum sic illæ adhærent filio, ut et matris gratam habeant mentionem; quarum profectui Virgo diligens adgaudere, et hoc ipsum intelligens filio nihilominus complacere : adhuc instat et apponit illum fiducialiter commonere, ut quod bene cœptum est, persistat in melius promovere.

CAPUT XXIX.

Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala

Punica. Ibi dabo tibi ubera mea. Quia fideles quique nostram benevolentiam sibi utilem sunt experti, et de profectu suo, si perstiterit gratia, non incerti; mane surgamus, cum in lucem jam compellitur nox converti, illos reddamus vigiles labore et studio non inerti. Mane quidem ad vineas cultor sollicitus vult exire, procurare illis utilia, ab inutilibus expedire; amputare superflua, necessariis diligentiam adhibere, gaudens si perpenderit eas sibi profectu congruo respondere. Et nos itaque mane surgamus, id est, festinemus horrorem tollere vespertinum, auroram dare vineis, solem infundere matutinum : nostra visitatio tenebras ignorantiæ pulset longius et retundat, et gratiæ novum lumen Ecclesiis gentium superfundat. Sciant gentes quia Dominus nomen tuum, sciant et exeant, et incipiant opus suum; et quæ prius steriles et aridæ nocturna hebetudine gravabantur, mane proficiant et floreant, et ut vineæ fertiles habeantur. Nostra visitatio, nostra illis visio conferat incrementum, nec permittat plus justo tribulari, sed cum tribulatione faciat et proventum : insistamus operi, tu potenter et misericorditer antecedens, ego vero diligenter et fidenter pro Ecclesiis intercedens. Videamus si floruit, id est gratum habeamus quod vinea videatur floruisse, jam **274** nostram præostentat sese gratiam accepisse, jam viruit, jam floruit, jam cultori gaudet sollicito spem dedisse, et specie florulenta certorum signa profectuum edidisse. Et quia flos non sufficit, si ad fructum non datur pervenire, videamus, approbemus quod flores fructus videntur parturire, quia gentes quæ docentur in auditorium fidei convenire, non tardant ipsam fidem dignis operibus insignire. Videamus etiam si mala Punica floruerunt, perpendamus quod in illis, tanta plures fortitudine viguerunt, ut amore fervidi ad perferendum martyrium se exponant, etiamsi carnifices materialem foris gladium non apponant. Quod autem conjunctio syllabica, id est *Si* toties repliçatur, non est dubitatio, sed locutio confirmatur, quia nequaquam dubium, sed est certum virgini quod prædicit, nec ejus tali dicto, rei prosecutio contradicit. Plures enim in gentibus quibus mater et filius suam benevolentiam contulerunt, instar vineæ labore et studio speciem floridam protulerunt : et processu gratiæ affectus floridos in effectus fructiferos perduxerunt, et tam forma quam doctrina ad fructum cæteros adduxerunt. Nonnulli vero qui majoris desiderii facibus inardescunt, florent ut mala Punica, tribulationibus subrubescunt, tot et tantas molestias proposito perferunt in agone, ut a fructu martyrii sola mortis differunt passione. Spiritus enim qui ab invidia et mendacio non quiescit, plerumque adversus quosdam effrenata malitia sic ignescit, ut summo studio vel eorum vitam satagat infirmare, vel saltem nomen bonum sinistris rumoribus inquinare. Exit igitur, et inficit quos ad malitiam invenit proniores, armat impudentia, non magisterio, sed presbyterio seniores, qui cum suam concupiscentiam non valent juxta libitum adimplere, decernunt in Susanam totum pondus criminis retorquere. Fama sinistra volat, et totam concutit civitatem, obstupescunt et mirantur incompositam novitatem; et mulier innocua falso prorsus judicio deperiret, nisi misso Daniele divina tandem misericordia subveniret. Quis istam, quis Marinam, et Eugeniam, et alias ejusmodi non laudare, qui eas præsumpserit a martyrio præmio defraudare, quos dolus accusantium et impudens falsitas impetivit, et earum animas, non ferri, sed molestiæ gladius pertransivit? Denique Deus aliquando nonnullos decipi sustinens et perire, spiritum mendacii permittit in eorum auribus desævire; et prophetæ qui merentur vera et utilia non videre, prophetant suo spiritu quidquid regi noverunt complacere. Seducti ergo illi seducunt Achab, auribus prurientem, falsisque vaticiniis victoriam asserunt imminentem; Michæas vero, qui solus verum voce libera protestatur, primum cæsus alapa, statim carceri mancipatur. Sunt nonnulli qui amantes loqui vana, mendacia divinare, nullo modo sibi volunt quemquam veridicum obviare; et tam propheta, quam is cui blande et nequiter prophetatur, suam non satis prævidens, de fratris molestia gratulatur. Cujusmodi morbus vel pestilentia, hodieque serpit late, longius pervagatur, multos hæc labes occupat, largo spatio dilatatur; et habentur plurimi qui dilectionis speciem vultu et habitu præferentes, malitiose detrahunt, curiose audiunt detrahentes. Caligantes enim malitia æstimant suis laudibus plus conferri, si perpenderint fratribus honorem debitum non deferri; si aliorum famam quolibet vituperio noverint infirmari, putant suam vel stare firmius, vel copiosius cumulari. Itaque Michæam odientes, verax ejus vaticinium non sequuntur, regique mentientes, ejus desideriis obsequuntur; et cum tam rex quam ministri blandiente mendacio seducuntur, non deseruntur illi, quos injuste et nequiter persequuntur. Adest enim Virgo, et sua eos dignatur visione, quos prudenter intelligit injusta deprimi læsione; et ne læsi deficiant, sed ut magis tentati gaudeant de proventu, a præsentibus liberans, ad meliora eos suo promovet interventu. Ideo subdit Sponso : *Ibi dabo*, etc

CAPUT XXX.

Ibi dabo tibi ubera mea. Cum videro, inquit, vineam novis floribus insigniri, cum fructus secutivos decore florum prævio parturiri, cum oppressum quemlibet justo amplius tribulari, et in conspectu nostro Punica pulchritudine colorari : *Ibi*, id est tunc, hora scilicet opportuna, tempore congruenti mea infundam ubera, meum dabo auxilium indigenti. Et bene se daturam non uber, sed ubera Virgo spondet, quia plerique volunt, quorum voluntati actio non respondet; multi quippe videntur compati, quando miseros nos attendunt, sed inopia vel avaritia laborantes, manum auxilii non extendunt. De qualibus quidam ethnicus : Omnes, inquit, ignoscunt, nemo succurrit. Virgo vero et nostras

miserias affectu benevolentiæ miseratur, et manu potentissima, quidquid necessarium nobis viderit, operatur; et ne sub fasce duro fides elanguerat, spes vacillet, adest cito, ut utroque sic nos ubere refocillet. Quia vero nullius nostrum ejus benignitas miseretur, nisi propter filium, **275** quem nobis misericordissimum intuetur, ne causam beneficii referre videatur ad nos potius quam ad ipsum, quem utique non propter nos, sed nos diligit propter ipsum, ideo non dixit: *dabo* illis *ubera mea*, sed, *dabo tibi*. Quidquid, ait, impendero eis, qui sic indigent adjuvari, tibi totum attribuam, cujus in his video beneplacitum operari, nec illis, nec mihi quoque istud volo favorabiliter assignari, sed tam illos quam me ipsam in te solo justius gloriari. Quidquid ergo inveniar tuis misericorditer impertire, quos florere ut vineas, quos opera bona videro parturire, quos denique injusta patientes perpendero malis Punicis similari, ad nos tantum suspirare, nostrum patrocinium præstolari: quidquid, inquam, adjumenti talibus conferam, tibi dabo, quia per te, et propter te, et totum ad te referens, adjuvabo.

A

B

C

D

CAPUT XXXI

Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris. Quia villas et vineas, et mala Punica Virgo antea nominavit, in quibus Ecclesias gentium et profectus earum varios figuravit, ad Judæos faciens transitum, sub ænigmate nihilominus et figura, prædicit quod eorum quandoque conversio sit futura. Quorum conversionem naris prophetica et sagacissima sentiendi odoratur, et lætatur spe certissima convertendi, sciens et præsentiens conversionem populi Judæorum, quæ differenda quidem, in fine tamen veniet sæculorum. Quod præsignans: *Odorem*, inquit, *in portis nostris mandragoræ* jam *dederunt*, nares nostræ non obtusæ ignorantia præsenserunt, quod, postquam ingredi plenitudo gentium concedetur, tunc reliquiæ Judæorum, tunc omnis Israel convertetur. Mandragoræ, ut aiunt, herbæ sunt medicinæ usibus congruentes, humanam effigiem, excepto capite, præferentes, per quas Judæi prudentes et erronei satis congrue figurantur, qui ad cultum divinum lege scripta, utpote homines, informantur. Verum quia Christum caput fidelium nesciunt nec adorant, truncati et turpati totum corpus reliquum decolorant; et qui per scientiam Scripturarum et mandata legalia, fidelibus conformantur, per absentiam capitis, et infidelem ignorantiam deformantur. Qui etiam non mediocrem ægrotantibus conferunt medicinam, cum nobis legem legunt, cum vivendi proferunt disciplinam, cum nobis servant codices, ut fornacem moralium, ut spiritalium officinam, et quos habent severos judices nobis deferunt ad doctrinam. Et ii quidem necdum in ædibus, necdum in thalamo fructum proferunt pleniorem, sed in portis, id est sensibus spiritalibus gratum virgini dant odorem, quia quod eis divina bonitas disponit diebus ultimis impertire, jam a longe odoranti datur virgini præsentire; sentit quippe, quod postquam plenitudo gentium fuerit introgressa, Judæa, quæ nunc errans ab Ecclesiæ finibus est egressa, quæ laborans inedia, nec micas de mensa suscipit dominorum, tunc ad fidem convertetur, et vescetur panibus filiorum.

CAPUT XXXII.

Omnia poma nova et vetera, Dilecte mi, servavi tibi. Quod ad fidem gentiles novæ dono gratiæ convocati dignos fructus proferunt et opera congrua sanctitati: meum est desiderium, meum profecto studium, mea cura, quæ diligenter curo quæcunque tibi novero placitura. Item quod Judæi qui modo quasi ruptis vinculis evagantur, ad antiquam fidei ligaturam novissimis diebus revocantur; mea nihilominus sollicitudo id desiderat, id exposcit, quæ illis deviantibus affectuose condolet et ignoscit. Itaque, mi Dilecte, poma nova et vetera servo tibi, cum utriusque populi studiosius merita coacervo, cum gentilis et Judæi non permitto bona initia deperire, sed illius firmare propositum, hujus læsum studeo resarcire. Quæ merita, vel fructus, vel opera ideo forte Virgo poma voluit nominare, quia sponso ad vescendum gaudet hujusmodi munera præsentare, ut scilicet eorum et specie delectabili capiatur, et, ne tanquam fraudatus resiliat, re utili et commendabili teneatur. Poma servat gentilium, cum eorum fovet et amplectitur novitatem, cum eos gaudet inseri et insertis oleæ dari largius ubertatem, cum eis laborantibus potentem et benevolam se præsentat, et labores eorum fructuosos pia devotione filio repræsentat. Judæorum vero poma videtur nihilominus conservare, cum eos tandem miserans, vult diutius non errare, cum domesticos generis sui restituere satagit in antiquum, et populum diu hostem fidei manu data convertit in amicum. Nova servat et vetera, cum gentiles sic adjuvat ad novitatem fidei jam converti, ut a Judæis vetustioribus velit penitus non averti, cum ad fidem jam amissam vel potius **276** intermissam Judæos diligit sic reverti, ut tamen non invideat quod gentiles antea sunt inserti. Hæc autem servavi, ait, non mihi quærens videlicet gloriam propriorem, sed omnia prorsus tibi, tuum scilicet ad honorem, quia, cum de illis vel pro illis Virgo sollicita gratulatur, non in se, sed in Sponso, ut paulo ante dictum est, gloriatur.

CAPUT XXXIII.

[Cap. VIII.] *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam nemo me despiciet?* Optat Virgo ut quæ de gentibus et Judæis adhuc absentia jam prænoscit, innotescant foris mundo qui nisi evidentia non cognoscit; et ut Sponsi notitia, quæ sibi tanquam in thalamo jam patescit, foras in agrum exeat, ubi sol largius dilucescit, quis mihi det, inquit, hoc est quis tanto suo munere me beabit, quis depressum angustiis meum sic desiderium dilatabit, ut foris te fratrem meum valeam invenire, et quæ mihi nota sunt, cæteris ignorantibus expedire? Te quidem fratrem meum, imo et omnium, carnis efficit genitura, te pascit temporaliter mater, non necessitas, sed na-

tura : tu ejus sugis ubera, tu ab illa sumere parvulorum alimoniam non recusas, cum cibo, potu, veste, somno uteris, quibus te esse hominem non excusas. Quem talem, tam parvulum prædicat mater mea, quis mihi det ut foris inveniam in platea; inveniam, inquam, non hominem tantum, quod oculis infidelium non negatur, sed Deum factum hominem, quod nonnisi fidelibus intimatur? Volo, inquit, ut gentiles et Judæi qui cognitores nonnisi visibilium solent esse, te videant, intelligant, diligant Deum esse; et qui Deus absconditus prophetico vaticinio prædicaris, ab istis fide certa, revelato cordis oculo videaris. Quod si datum fuerit, ut te illic inveniam, gratulabor, et inventum apud homines gratanter osculabor, hoc est amore et honore tui nominis delectabor, cum scilicet te amari et laudari ab hominibus contemplabor. Nec tamen osculari Virgo, sed deosculari potius vult inventum, verbique compositio nihil minus innuit, sed augmentum : et illud deosculari, ut quibusdam visum est, affirmamur, quod per loca plurima exprimentes majus desiderium osculamur. Vult ergo illum Virgo, si apud homines invenire, ut totum deosculetur, et nihil compellatur sine gaudio præterire, ut ab illis Deum et hominem videat honorari, et insignem honore gemino deosculans gaudeat delectari. Cujusmodi honor cum digne filio deferetur, ipsi quoque Virgini reverentia debita non tolletur, eritque in oculis recte quærentium non despecta, quæ ad gignendum talem præ cunctis mulieribus est electa. Quisquis enim illum Deum simul et hominem intelligere et diligere se gaudebit, ipsam, de qua natus est, despicabilem non habebit, nec Judæorum scandalo, nec stultitia gentium ferietur, cum justo veritatis præconio, mira matris integritas astruetur. Quisquis, inquam, filio juxta ejus beneplacitum vult deferre, apponit quoque matri honorem debitum non auferre, quia bonus filius cujusquam obsequium non acceptat, qui deferre consequenter matri Virgini non affectat.

CAPUT XXXIV.

Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ, ibi me docebis. Cum prudenter intelligi, et te recenter diligi deprehendam, favens diligentibus, dilectum quasi manibus apprehendam : tenensque apprehensum, non permittam retro a proposito te reduci, sed in domum matris meæ faciam largius introduci. Absit enim ut desim diligentibus, ut despiciam non despecta, sed usque ad perfectum fovebo diligentius imperfecta : diligentes diligam, et ut diligant amplius, promovebo, ut illos, Dilecte, adjuves, indefessis precibus commonebo. Sic in domum matris meæ te ducere vel inducere procurabo, cum ad tuum illius introitum pia sollicitudine præparabo, cum mihi sollicite, ut matri filius, obsequeris, nec antiqua illorum merita, sed meum desiderium prosequeris. Mater Virginis, ut ante dictum est, ipsa mortalium est natura, quæ nos omnes in hanc lucem profert non dissimili genitura, quæ, ut habeat sibi domum in qua usque in finem sæculi sit mansura, parit sibi homines successione nullo tempore desitura. In hanc domum, hoc est in homines Virgo Sponsum ducere pollicetur, ut in eis misericorditer suam ipsorum salutem operetur, ut in eis deambulet, et ad cubiculum gaudeat devenire, ubi cubet, ubi pauset, et quietis accubitum valeat invenire. In domum **277** matris suæ, et in cubiculum virgo sollicita sponsum ducit, cum nostri pie miserens devotis illum precibus ad hoc ducit, ut in nobis habitet, in nobis deambulet suæ gratia bonitatis, in nobis demoretur, nec inde revocetur nostræ merito pravitatis. *Ibi*, ait, *me docebis.* Cum ad hoc ventum fuerit ut te ad electos quosque gaudeam introduci, et ab eorum salute peragenda culparum merito non reduci, tunc me docebis, et certam facies occultorum, tunc sciam et electos illos esse, et me sollicitam electorum. Docebis, inquam, me, cum spem, quam antea mihi dederas promissivam, largiore gratia in rem transferes completivam, cum illius gloriæ, cujus exspectantibus das affectum, cessante promissorio meliore termino das effectum.

CAPUT XXXV.

Et dabo tibi poculum ex vino condito : et mustum malorum granatorum meorum. Cum me doctam facies effectu cognito gratiæ plenioris, dabo et ego tibi abundantiæ munera potioris : offeram tibi poculum gustu suavissimum et sapore, conditum quidem vinum, amorem compositum ex labore. Illorum quidem merita quos tibi novero complacere, amores scilicet et labores quasi congeram in cratere, tuoque conspectui, vel magis, tuo potui propinabo, ut accipias gratius, devota benevolentia commendabo. Vino quidem si conferant aromaticæ species condimentum, docta manu adhibita vertitur in pigmentum; et amori si addatur tribulatio et angustia passionis, oblatus ille Sponso gratæ vicem obtinet potionis. Quod inculcans, ait : *Et mustum malorum granatorum.* Mustum fervet et ebullit tumultu sæviens et turbore, omnes a se projiciens sordes impetu fortiore : amorem illum signans, qui non curat vitæ hujus quiete deliniri; sed currens ad martyrium ardet pressuris et tunsionibus expoliri. Per mala vero granata, illos voluit figurari, in quibus, velut grana, virtutes constat plurimas congregari, quos interna virtutum collectio efficit pretiosos, passionum facies rubicunda in oculis recte videntium speciosos. Meorum vero forte ideo Virgo dicit, quia quisquis amans Christum, Passioni et martyrio se addicit : ipsa illi auxilium et curam impendere gratulatur, et quidquid ille proficit, totum proprium arbitratur. Mustum ergo malorum granatorum, fervor intemperans vel amor fervidus est eorum qui se promptos exhibent ad sufferendum omnia patienter, quæ mundus vel minatur horride, vel lætatur inferre violenter. Hujus vini vel musti poculum virgo diligit propinare, cum ferventes spiritu gaudet virtutibus coruscare, sublatosque de medio ad Sponsi tandem mensam vel convivium indeficiens pertrans-

ire, et epulantis gustum suavi meritorum excellentia delinire. Quod ne sibi assignare, justo amplius æstimetur, imo quidquid de illis gaudet divini esse muneris attestetur; ad eas, quæ assistunt, adolescentulas conversa dicit : *Læva*, etc.

CAPUT XXXVI.

Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me. Quod in domum, ait, matris meæ, et in electos quoslibet sponsum duco, quod ministro poculum, et muneribus munera superduco, ejus est beneficium, ejus læva, ejus consolatio temporalis, quæ me reclinem excipit longe mollius plumosa teneritudine cervicalis. Hoc enim solatio meam insufficientiam fovet, et sustinet in præsenti, qui largiore dextera me amplexabitur in sequenti, et qui nunc sic regit me, ut non deserat usquequaque, quandoque sic me reget, ut apponat omnem sufficientiam circumquaque. In illius fructu rei, et in hujus umbra spei jam suaviter delitesco, multum de præsentibus, de futuris amplius nilaresco, quod nimirum ideo vobis assistentibus innotesco, ut et ipsum diligatis, cujus tantis muneribus jam ditesco. Hic autem versiculus retro positus et expositus invenitur, qui alio designante languorem virginis prævenitur, quia cum silpari malis virgo postulat, fulciri floribus se languentem, statim lævæ fit mentio quæ sustentare intelligitur decumbentem. Hic vero ubi salus in janua est, et nulla mentio fit languoris, ubi ætas provectior, provectus est meriti fortioris, de suis jam secura, sollicita est de profectibus aliorum, sui tanquam obliviscens, perfectis gaudet meritis electorum. Videt illos amoris dulcedine, vino, musto, fervore spiritus conferendos, eosque mensæ regiæ et divino gustui dignius offerendos; oblationem quorum expleri desiderat tam ardenter, ut illius intuitu suam ipsius differri sufferat patienter. Considerans quippe quo fructu ejus conceptio, partus integritas fidelium cordibus innotescunt, quo fine ad diligendum sponsum, plures processu temporis inardescunt : non potest de talibus tam futuris quam præsentibus non lætari : et prævisa illorum **278** gloria, videtur suam lætius et quietius præstolari. Quod intuens sponsus, ait : *Adjuro vos*, etc.

CAPUT XXXVII.

Adjuro vos, filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Vos, ait, apostoli, vos doctores ecclesiastici ite, docete omnes gentes, et quos Virgo salvandos prophetico prævidet intellectu, videte, ne vestra negligentia præviso retrahat a profectu, ne si minus forte super eorum custodiam vigiletis, a quiete jam inventa hujus desiderium suscitetis. Hæc autem adjuratio, qua doctorum vigilantia tam sollicite convenitur, in secundo et tertio hujus operis libro nihilominus invenitur, ubi satis exponendo, si tamen lectori placeat, est attrita, nec exponi iam indiget in hoc ultimo repetita. Illud tamen dici potest, quod primo suam ipsius agens curam, gaudet otio spiritali, a quo revocari prohibetur negotio vel inquietudine temporali, ne, dum vacare diligit, et spiritalia contemplatur, redire, donec velit, ad proximorum sollicitudinem compellatur. Secundo vero curam agit, ne obfirmato corde Judæa seducatur, sed ut sponsi notitia in ejus domum vel cubiculum inducatur; nec sibi satis sufficit, sponso vel filio se fieri gratanter assistricem, si noverit a gratia suam prorsus deseri genitricem. A quo etiam tam affectu quam effectu sponsus eam prohibet revocari, ne scilicet apostolici doctores inveniantur sua negligentia refragari, sed curent et studeant diligentiam vigilem adhibere, ut profectui suæ gentis Virgo non desinat adgaudere. Tertio vero, vel tantum de gentibus, vel pariter de Judæis et gentibus agit curam, matrem suam nominans, infirmitatem hominum vel naturam, in cujus domum, hoc est, in omnem carnem, sponsi notitiam vult induci; et ab hoc desiderio sponsus eam quavis molestia non abduci. Ut impleatur quod scriptum est : *Et videbit omnis caro Salutare Dei* (*Luc.* III)

CAPUT XXXVIII.

Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super Dilectum suum? Spiritus angelici sponso et sponsæ colloquentibus assistentes, sponsalium conscii secretorum, profunda mysteria contuentes : hærent, nec satis prævalent obstupescere vel mirari, quæ, vel quanta Virgo est, cujus vident nuptias celebrari. Perpendunt quidem illam miro præditam intellectu, aliorum præsenti adgaudere, futuro sollicitam de profectu : ardere hinc sponsi desiderio, hinc sollicitudine proximorum, insignem virtutibus, venustam eminentia meritorum. Considerant quoque Sponsum sic illius adgaudere otio vel quieti, ut omnem prorsus arceat accessum cujusvis indiscreti, ut importunum quemlibet intra claustra quietis non admittat, et pausantem, suscitari, donec ipsa voluerit, non permittat. Cum autem his et hujusmodi aliis excellere virginem deprehendunt, cum tantam ejus gratiam, tanta vix ejus merita comprehendunt : loquuntur ad invicem et sermone mutuo sciscitantur, quæ vel quanta ista sit cuius eminentiam contemplantur.

CAPUT XXXIX.

Quæ est ista quæ ascendit de deserto, etc. Terrena inhabitatio longa retro serie temporum jam deserta, bonorumque cœlestium culpis erat exigentibus inexperta : quam Astræa deservit, urticis, spinis, tribulis pleniorem, et in astra se revehens (94), locum illic tenuit gratiorem. In qua solitudine, languore pressa mortalium natura decumbebat, dum corrupto vigore spiritus, carnalium lenociniis incumbebat, et submersa gravi diluvio nesciebat aditum emergendi, luto dure gravabatur, nec erat possibilitas abstergendi. Inde novo genere, novitate

(94) Metamorph., lib. I.

incomparabiliter admiranda, monstruoso quasi miraculo, re nulli cunctis retro sæculis comparanda, virgo surgit et eminet, vitiorum jam illuvie non infecta, ascensuque mirifico ad meritorum excellentiam est evecta. Quæ igitur vel quanta est ista? Ejus eminentiam digne quis perpendit, quæ de horrore pristino, de vasta solitudine sic ascendit, ut illic manens corpore, mente gradum teneat altiorem, et jam morum vitiis non effluat, sed meritorum deliciis affluat contra morem? Et revera nimiis videmus eam deliciis affluentem, et ei quem diligit, delicatarum instar mulierum, innitentem, quæ in terra deambulans, terram tangere vix attentat, cujus sursum delicias dilectus evehit et sustentat. Quis hanc digne consideret, quis hujus altitudinem non miretur, cum vel ante, vel postea nulli mulierum **279** comparetur, quæ in eo, quem diligit, innitens specialiter et confisa, nostri nihil indiget de profectu perseverantiæ non diffisa? Quod autem quæ sit ista ab angelis est tam sollicite requisitum, si vultis recolere, invenietis tertio repetitum; et quisquis inducatur hujusmodi facere quæstionem, de profectu Virginis facit ipsa quæstio mentionem. Primo quæritur : Quæ est ista quæ instar virgulæ disciplinis multiplicibus tenuata, fumoque aromatum et universo pulveri pigmentarii comparata : adhuc in carne degens sic in altum desiderio se extendit, ut odore vel exemplo delectetur, quisquis diligentius hoc attendit. Secundo quæritur : Quæ est ista, quæ progrediens similis est auroræ, dum relictis posterioribus velut umbra noctium densiore : lunæ pulchritudinem, imo et similitudinem solis obtinet vel diei; et hostibus terrorem ingerens castrorum est comparabilis aciei. Tertio quæritur : Quæ est ista, quæ matronarum instar nobilium delicata, oblita omnium, eo solo quem diligit delectata; sic a propriis deficit, ut in eis, nec ad modicum velit stare, sic in illo proficit, ut se totam super illum diligat reclinare? Quæ ut sciat, et recolat, unde, quo venerit, audit Sponsum dicentem : *Sub arbore*, etc.

CAPUT XL.

Sub arbore mala suscitavi te : ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. Tu, ait, quæ dilecto delicata teneritudine sic incumbis, quæ pulsa procul inedia supra pectus meum in convivio jam recumbis, cui debes quidquid habes, quis te ad hoc meritum sublimavit, nisi ille qui languentem et jacentem sub arbore suscitavit? Prima illa mulier quæ pomum vetitum male continens appetivit, esuque illicito virum male uxorium irretivit : statim sub arbore, languori vel morti potius est addicta, et eadem mors posteris, jure tanquam hæreditario, derelicta. Sub hac igitur arbore quæ fructu mystico venustatur, tota jacens posteritas mortis legibus onustatur, dum in culpa quam arbor intulit, languet omnis et ingemit creatura, quam de illis parentibus profert similis genitura. Sub eadem arbore Virgo pari vinculo tenebatur, cum divina bonitas (quod apud se multis retro sæculis tegebatur) respexit benignius, et præ cunctis mulieribus hanc elegit, ut per eam redimeret, quos damnari hæreditaria mors coegit. De ligno igitur ad lignum electam Virginem transportavit, cum eductam a culpa, ad majoris culmen gratiæ sublimavit, cum a nævo liberam paternæ et hæreditariæ læsionis, ad fidem et amorem futuræ suæ transtulit passionis. Accipiens enim Virgo Deum ex se, carne sumpta, hominem nasciturum, agnovit consequenter juxta carnem eumdem moriturum, in qua morte, quia vitam et salutem nostram omnium intellexit, amavit, si non mortem, profecto munus gratiæ quod advexit. Cum igitur de sub arbore malo, quæ mortem intulit, est erepta, sub arbore nihilominus malo, quæ vitæ fructum attulit, est transvecta; sub umbra cujus ad tantum fastigium est evecta, ut gratia et merito præ cunctis mulieribus sit perfecta. Quod autem dictum est : *Ibi corrupta est mater tua*, si ad primam arborem, quæ mortem intulit, referatur, natura humana non incongrue mater Virginis appellatur, quæ sub arbore illa, tantam læsionem pertulit et jacturam, ut corrupta corrumperet; et vitium nobis verteret in naturam. Si vero sub arbore crucis mater sponsæ creditur violata Judæa mater ejus recte intelligitur appellata, quæ, ubi Sponsus Virginem ad singularem gratiam fidei merito sublimavit, ibi mater Sponsum occidi postulans, cor pertinacia violavit. Sub ligno igitur crucis et fides sponsæ viget, et Judææ castitas violatur, quæ verum Sponsum abnegans, corruptori pertinaciter copulatur; et cui debuerat adhærere familiariter et configi, ipsum corrupta mente, iteratis vocibus postulat crucifigi. Ubi Virgo suscitata audit sponsum consequenter dicentem : *Pone me*, etc.

CAPUT XLI.

Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut inferus æmulatio. Quia de corde suo mater tua errore perdito me projecit, ab ejusdem cordis cubiculo salutem quoque proximam longe fecit; tu vero, mi Dilecta, quæ ibidem incomparabili gratia suscitaris, suscitantem dilige, ut diligens diligentius diligaris. Verum quia in diligendo satis appares vehemens, non infirma, hoc apponendum video : quod agis, age perseverantius et confirma; et cor tuum, in quo mea dilectio videtur larga plenitudine **280** contineri, apposito claude signaculo, quod versutia qualibet non possit aboleri. Hoc autem signaculum quod velut operculum cordi tuo moneo superponi, nulli quidem versutiæ, nulli subjacet læsioni, quia quod ars subtilior, non recens excogitat, manus eruditior non compingit, non reserat versutia, violentia non confringit. Me igitur quem lædi vel corrumpi constat nulla penitus factione, me, inquam, ipsum tuo cordi tanquam signaculum superpone, quo signante, ingressus vel egressus damnum inferens non patebit, non patente, dilectio constans et indeficiens permanebit. Idem

quoque signaculum tuo volo brachio superponas, ut scilicet nisi ex me, nisi per me operari quidpiam non apponas; et, cum quidquid egeris, tali recte signaveris munimento, scias tuum brachium subjacere nulli penitus detrimento. Ob hoc autem moneo ut quod agis, quod diligis, me superposito consignetur, quia tali fretum signaculo cor tuum sive brachium non lædetur, sed adversus omnia incomparabili fortitudine prævalebit, et ipsi morti comparandum, quævis occurrentia non pavebit. Sicut enim indifferenter omnibus fortis et intrepida mors assistit, eique assistenti quævis potentia vel industria non resistit : ita dilectio, si prædicto vere signaculo præmunitur, contra quæque noxia prævalere fortiter invenitur. Item sicut inferus, cum in quosque miseros gaudet durius desævire, duram ejus sævitiam non labor, non miserorum potest gemitus emollire, sic æmulatio, qua Deum ardet virgo diligens imitari, non vult a proposito, nec prece, nec pretio, nec mollitie revocari. Expedit ergo ut hæc in te dilectio, hæc æmulatio fortis et inflexibilis habeatur, ut a corde et brachio, ab amore et opere, mei memoria non tollatur, quia quisquis eo caret signaculo, facile violatur, et vas carens operculo, immundum legis testimonio judicatur (*Num.* XIX). Vas vero quod amoris flagrat incendio, et manu meæ sollicitudinis operitur, cor amantis fortiter, quod me, superposito ut signaculo, custoditur; vas est commendabile, exinaniri nesciens, copiosum, cor est incibile [*f.* lucibile], cor est lampadi simile, non umbrosum. Unde subditur : *Lampades ejus*, etc.

CAPUT XLII.

Lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum; aquæ multæ non poterunt exstinguere charitatem, neque flumina obruent illam. Non tu, inquit, solum, Virgo, quæ digno laudis titulo commendaris, eo quod et meritorum gratia, et amoris excellentia principaris, sed et quisquis diligit, lampas ignis dicitur et flammarum, resistens quidem casui, nec tamen refuga pressurarum. Lampas quidem quæ ad amorem obtinendum ore patulo se extendit, et apud male cordatos divites foris contemptibilem se prætendit, digne considerantibus ostenditur, et intelligitur lampas ignis, abscondens ignem suum male caligantibus et indignis. Flagrat enim et interno æstu delectabiliter exardescit, et ad ea quæ foris sunt, non videtur incandescere, sed frigescit, dum quidquid est hujus vitæ, tanquam sterile gelicidium jam non curat, et seraphin ardentibus interno se desiderio configurat. Verumtamen ut eamdem lampadem constet inutiliter non accendi, nec conqueratur proximus ex ea sibi quidquam utile non impendi, quæ prius lampas ignis, consequenter et flammarum dicitur lampas esse, ut non solum sibi, sed et proximus diligenter perpendentibus appareat non deesse. Nam qui amat, et amoris incendio fortiter concrematur, non languore torpet, non otio, sed vigilantius operatur : oculisque non lippientibus gratam largo munere fundit lucem, et se formam operantibus, ambulantibus præbet ducem. Quem ardentem et lucentem non exstinguit aquarum multitudo, non minis, non blanditiis cedit amans, vel ejus fortitudo; non denique flumina, non majorum inundatio pressurarum, non fames, non gladius obruent ignis exuberantiam vel flammarum. Charitas enim tanta viget violentia vel vigore, ut non possit obrui parvo tribulationum impetu vel majore, ut aquarum multitudinem, et roris guttulas pluvialis, et incursus majores fluminum amore sufferat præmii spiritalis. Huic igitur charitati recte quidquam perfunctorium non confertur, imo quidquid potest hic haberi, ei digne charitas antefertur : cuicunque caput sanum et judicii veritas non aufertur, hanc eligit et diligit super omne quod transitorium hic offertur. Unde subdit : *Si dederit*, etc.

CAPUT XLIII.

Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Quisquis non gaudet sola insensibilium vel irrationabilium portione, sed humanam figuram obtinens, præpollenti **281** fungitur ratione; si dederit quidquid habet acquirendæ intuitu charitatis, nil dedisse videbitur, si compos hujus factus fuerit voluntatis. Substantia nominatur quidquid in præsenti nostra vel necessitas, vel cupiditas coacervat, et in usus temporales vel expendit procuratio, vel conservat; substantia, inquam, non qua subsistimus essentialiter ad vivendum, sed quæ nobis viventibus substare vel subsistere dicitur ad utendum. Quæ ob hoc non incongrue substantia domus hominis appellatur, quia ejus necessitas talibus adminiculis sustentatur, eisquo domum suam ditat quisquis sollicitus, et honorat, qui tamen vel arcere pauperiem providus, vel augere divitias cupidus elaborat. Cujusmodi substantiam profligat largius et dispergit, qui profundo acquirendæ dilectionis desiderio se immergit, qui cum illam dederit, et istam se persenserit accepisse, datum conferens et acceptum, sibi diligentius intuenti videbitur nil dedisse. Tanta enim aviditate diligit et amplectitur hoc acceptum, ut ducens pro nihilo quidquid dederat sic despectum, et ejus quod præterit, ad id quod non interit, nulla comparatio videatur, sed ut nihil illud, occiduum, istud vero manens, ut magnum quid et præcipuum habeatur. Nec est abs re, si corpus hominis hoc loco substantia nominetur, cum in eo vel ex eo homo subsistere comprobetur; et ob hoc *domus suæ* addit Scriptura facere mentionem, quia illic thesaurus animæ habet tanquam in vase fertili mansionem. Si igitur corpus istud, cui constat animam tam tenaciter admisceri, ut ab affectu ejus non possit facile cohiberi (non est enim invenire, qui velit ab hac domo sive corpore spoliari, cum Paulus quoque optet supervestiri potius quam nudari; et Petrum ter amantem ab ista lege carnis amor penitus non reduxit, sed Christo prædicente, quo non vellet, alius illum duxit) : si corpus, inquam, istud, cui

gunfis tam tenacibus anima colligatur, homo cordatus dederit, nihil dedisse congruum arbitratur (*Rom.* VIII). Non sunt enim condignæ passiones hujus temporis. Quam dilectionem ob hoc attollit Sponsus tam multipliciter et commendat, ut tantopere commendatam Virgo diligens magnipendat; et cum perpenderit commendatæ culmen non modicum Sponsi munere se adeptam, intelligat se in hujus oculis non despectam. De qua sodales subjungunt : *Soror nostra*, etc.

CAPUT XLIV.

Soror nostra parvula est, et ubera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est? Videmus, inquiunt, Virginem in amoris gratia non mediocriter profecisse, sed tamen ad optatum necdum plenius pervenisse, quia, etsi amoris intuitu ad contemptum prædictæ substantiæ jam pervenit, adhuc tamen, quem sic amat, in decore proprio non invenit. Et quia soror nostra est præcelsis quidem meritis, non natura, unius Dei Patris hæreditatem nobiscum postmodum percepturæ, loquentes ad invicem de illa paululum conferamus, et, si forte nostri quid indiget, non jam singulariter, sed omnes pariter afferamus. Quantum nobis visum est, quod ista soror nostra, quæ, ut supra dictum est, in cubiculum meruit jam induci, adhuc tamen non se gaudet de cubiculo in cubiculum introduci; ista quidem causa est, quod necdum satis est sufficiens, nec adulta, sed laborans parvitate, et ad annos quasi nubiles non perducta. Solet amor inhonestus quem prævenit intemperantia vel libido, quem usurpat et deturpat Venus male suasoria vel cupido; solet, inquam, præripere ætate Virginem immatura, voluptati magis obtemperans, quam parans Virgini profutura. Sed quoniam amor iste quem habemus in manibus, etsi vehementior, tamen prudentior amat esse, et amator, hunc amorem non tam sibi quam Virgini vult prodesse; exspectat, reexspectat idem Sponsus, et habet patientiam in amore, quandiu Virgo meritis et gratia proficit ampliore. Adhuc ergo parva est, et videmus eam ubera non habere, quamvis supra fuit ostensum eamdem uberibus non carere, sed quia necdum plenam videntur sufficientiam obtinere, ea dicimur non habere, quæ sponso volunt quidem, sed nondum satis prævalent apparere. Non sunt aptæ nuptiis virgines, dum adhuc puerascunt, dum ætas est parvula, dum adhuc ubera non turgescunt, quæ, etsi parum prominent, et ætatis proferunt specimen profuturæ, adhuc tamen retinent priscam teneritudinem immaturæ. Quia igitur sic parva est, et sic eam constat ubera non habere, quid faciemus ei? quid ultra jam poterimus adhibere; quid quod ad nos pertineat ultra poterit jam conferri, ut diem nuptiarum tandem gaudeat non differri? **282** Alloquenda quidem est, et in secretiorem thalamum inducenda, sed ante de præsentibus, et necdum sufficientibus educenda, et ut possit hinc educi, quid ultra nobis est faciendum, quod scilicet proficiat ad diem tam desiderabilem obtinendum? In die illo hoc est, in respectu et profectu diei illius, quid conferre possumus huic sorori, quo nostro vel studio, vel amore eam præparabimus ampliori, ut ad diem perveniat, pro quo velut impatiens et tam sollicita nunc habetur, quando eam amator nobilis, consummata lege sponsalium, alloquetur? Etsi enim superius cum ea, vel de ea, multifariam modisque plurimis est locutus, non tamen munus completorium, sed studium est meritorum prosecutus; nunc restat ut hæc illum intra cubiculum cubiculi prosequatur, prosecutam eo quo novit modo ille ineffabiliter alloquatur. Alloquendi vocabulo mysterium tegitur spiritale, quia figuris familiariter utitur hoc epithalamium nuptiale, et hæc allocutio qua sponsum sponsam optamus et prædicimus convenire, ipsa est conjunctio, qua quærentis facies datur quæsiti faciem invenire. Allocutio est, cum præsentatæ præsens quidquam dici congruum non celabit, sed carenti corruptela suam illi faciem revelabit, nullisque mediantibus alter alteri sociabitur in secreto; et Virgo videns Verbum, amore satiabitur jam completo.

CAPUT XLV.

Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea. Si ostium est, conpingamus illud tabulis cedrinis. Quærentibus sodalibus quid faciant quod illi congruum sit diei, quo Virgo visura est optatam diu gloriam divinæ speciei, ipsi tanquam sermone vicario non differunt respondere, decernuntque Virgini sollicita benevolentia providere. *Si murus est*, inquiunt, compactus lapidibus et cæmento, imo virtutibus copulatis charitatis mediæ ligamento, restat ut super eum argentea propugnacula fabricemus, murique fortitudinem defensione superaddita confirmemus. Est Hierusalem civitas Sancti, collectio fidelium numerosa, addicta in præsenti fructuosis laboribus, spe inconfusibili gloriosa, quam in unum velut manipulum unus Dominus, una fides copulat et constringit, et eamdem Virgo sancta exemplo et doctrina, meritis et intercessionibus circumcingit. Si ergo murus est, imo quia est, gaudens civibus circumponi, expedit circumposito defensionem aliquam superponi, ut scilicet nostra sollicitudo, nostra cohortatio desuper vigilet et intendat, ne ad illum penetrandum hostis vel ad modicum se extendat. Etsi enim laborantem Virginem, necdum, sicut desiderat, possumus hinc transferre, hoc saltem laboranti debemus et volumus jam conferre, ut eam et nostra defensio reddat contra quævis occurrentia præmunitam, et frequens allocutio, ut patienter sufferat, eruditam. Sic muro propugnacula non lapidea, sed argentea præparamus, cum virginem sollicitis defensaculis, et alloquiis confortamus, cum hostium incursantium malitiam prohibemus fortiter ab accessu, et illis inclamamus, securam esse virginem de successu. Ne autem civitas hæc muro videatur circumposito sic inclusa, ut per eum, ab eis quæ non a se, sed quasi deforis habet beneficiis, sit exclusa; ipsa, quæ murus est, ostium nihilominus

appellatur, per quod quidquid civitati est necessarium ministratur. Per Virginem enim Sponsus ad collectionem fidelium diligit introire, per eam quoque omnibus in ea confidentibus subvenire; ipsa omni clausa viro, soli Deo fidei clavicula reseratur, ut per ipsam ad homines Verbum caro visibiliter inferatur. Si igitur ostium est, cedrinis illud tabulis compingamus, hoc est prædictæ hujus gratiæ invictam fortitudinem adjungamus, ut cuivis detrahenti occurrat odorifera latitudo, et forte durius insistenti resistat indeficiens fortitudo. Hæc interim dum laborat, et sudat Virgo nobilis in agone, præparemus et confortemus ejus patientiam spe coronæ; et revera non longe est quod sperat et postulat sibi dari, ut sentimus, jam videbit et gaudebit Sponsum nuda facie revelari.

CAPUT XLVI.

Ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens. Audiens Virgo angelos erga ipsam negligentes et desides non haberi, sed sui sollicitos, suum patrocinium, vel ministerium polliceri; brevi sermone monstrat quæ sibi gaudeat jam conferri, sperans mora longiore, quæ sunt reliqua, non differri. Ego, inquit, donante gratia et operante manus industria jam sum murus congeriem vivorum lapidum charitate ligante media non casurus, **283** cui mea supereminent ubera, sicut turris, honorem præstans muro, terrorem inferens hostibus accessuris. Sicut murus virtutum congeriem et internæ vinculum charitatis, sic ubera vitæ formam et doctrinam designant veritatis, quæ prodeunt et festinant foris omnibus apparere, ut diligentes instruant, cogant adversarios abhorrere. In quibus, etsi nondum ad complendum præsentes nuptias, est perfecta, ea tamen annis retro plurimis est adepta, ex quo scilicet coram eo quasi pacem meruit reperire, cujus pacem alteram affectat, et in proximo exspectat invenire. Ex quo enim ad concipiendum sanctus ei Spiritus obumbravit, non pacem, sed quasi pacem nasciturus ei Filius apportavit, quia pacem a vitiis, pacem in gratia, a strepitu carnalis genituræ, non pacem visionis, non pacem mansionis in æterna gloria permansuræ. Neque de suo solius profectu ostendit se gaudere, sed monstrat et cæteros profectum non mediocrem obtinere, qui per eam donante gratia adeo profecerunt, quod vinea non palmitibus, sed dives populis fieri meruerunt. De qua subjungit : *Vinea fuit*, etc.

CAPUT XLVII.

Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populos. Tradidit eam custodibus, vir offert pro fructu ejus mille argenteos. Ex quo operante Spiritu, coram eo reperi quasi pacem, vinea Domini Sabaoth profectum habuit efficacem; et quæ prius angustis Judææ finibus est detenta, nunc in ea quæ habet populos latius et feracius est inventa. Ea quæ habet populos, fides, vel unitas, vel dilectio potest dici, cui constat diversos populos unanimo spiritu sic addici, ut apostolis prædicantibus non solum multa crediderint A millia Judæorum, sed et in omnem terram sonus exierit, et audita prædicatio sit eorum. Cujusmodi vineam ad custodiendum, apostolis virisque apostolicis commendavit, quorum prædicatio eam non solum in Judæa, sed et in nationibus propagavit; et Paulus cum Judæam indurescere conspicit et perverti, extunc et deinceps ad gentes asserit se converti. Quæ prosperante gratia, parvo tempore sic excrevit, sic infantiæ novitatem et teneram inefficaciam abolevit, ut vir, id est potens non tam viribus quam virtute, pro fructu ejus mille argenteos, id est sua donet omnia pro salute. Flos vineæ, vitæ est conversio; fructus, est perfectio secutura, pro cujus centenario quisquis cupit esse vir, projicit transitura : fructus denique ipsa est retributio præmii B spiritalis, quod vir sibi comparat contemptu pretii temporalis. Qui enim non muliebriter, sed viriliter agere comperitur, pro fructu ejus vineæ dare quidquid poterit non metitur, sed avidus præmii spiritalis, ut illud recipiat cum usura, pretii temporalis prodigus, affert illud sine pondere, numero vel mensura. Nam mille argenteos, id est quidquid vel infinitum numero, vel magnum pretio possidebat, quod ejus oculis arridebat fallaciter, favorabiliter in auribus tinniebat, ad pedes apostolicos afferens, projicit, et habet vice stercoris in contemptu, ut æternum fructum recipiat, spretorum temporalium interventu. Enarratis autem Virgo tam suis quam profectibus aliorum, commendata vinea quæ magis viget populis quam multitudine pampinorum; non C jam angelos respondentes, sed arrectis auribus sponsum audit, qui et Virginis et vineæ favet laudibus, et applaudit.

CAPUT XLVIII.

Vinea mea coram me est : mille tui pacifici : et ducenti qui custodiunt fructus ejus. Ostendit Sponsus quod vinea quæ sequitur, et temporalia dat pro ipso, non ambulat in tenebris, sed est in lumine coram ipso, cui favens et approbans, quod datis propriis maneat jam in ipso, non par pari retribuit, sed duplum, sive centuplum cum seipso. Ille, ait, qui propter me temporalem habet substantiam in despectu, ut confortetur amplius, meo se esse noverit in conspectu; et legenti vel audienti notum fiat cuivis inexperto, quod diligentem diligens, inde D gratam faciem non averto. Illi quippe mille argentei quos, juxta verbum tuum, diligit vir afferre, qui secundum formam tuam amat invisibilia visibilibus anteferre, erunt pacifici, id est pacis præmia merebuntur, pacem illis conferet, qui pro æternis propria largiuntur. Nec pacifici solum dici poterunt, sed ducenti, id est pacem duplicem conferent largienti, quia pax sive perfectio, quam rerum distributio promeretur, et in præsenti magna est, in futuro maxima prosequetur. Sicut in mille perfectio, sic intelligitur et in centum, qui profecto duplicantur, cum vinea tam efficacem ducitur ad proventum, ut abjectis superfluis, pacem mereatur duplicem **284** invenire, quisquis illius fructus amat cura vigili custodire. Qui enim præesse forma, doctrina

commendabili vult prodesse, et supradicti fructus custos sollicitus amat esse : hic per mille argenteos pacem primam, sed non præcipuam introducit, et centum in ducentos commutans, secundam meliorem postmodum superducit. Ostenso autem breviter quod omnibus perfectis competit gratia generali, statim redit ad virginem amore et sollicitudine speciali; et cujus, supra omnes prædictæ vineæ palmites, habet curam, eam de pace transitoria vult transire citius ad mansuram. A

CAPUT XLIX.

Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam. Etsi, ait, tam eos qui afferunt, quam qui afferre differunt mille argenteos pro ducentis, ego adhuc differo, nec induci suffero ad optatum præmii consequentis; te, quam præ cunctis diligo, nolo diutius a desiderio cohibere, sed optione data, volo te, quidquid elegeris, mox habere. Tu ergo quam eduxi de habitaculo tenebrarum, de umbraculo duræ mortis, et excellenti gratia habitas non in arido, sed in hortis; elige verbum gratum, vocem tuam exere, dic tu ipsa, stant sodales, amici auscultant, audire cupiunt a te ipsa. Ego ipse qui novi melius, quidquid dicere jam disponis, audire volo vocem, et internæ beneplacitum optionis, ut dicendi modus non mihi sed cæteris innotescat, quos tua latet optio, si non vocibus elucescat. Apud te amor vane prætereuntium et timor supervenientium non arescunt, sed fides, spes, dilectio, tanquam horti rore florido dilucescunt; et tam mira istorum gratia tuum desiderium sic delectat, ut ad ea quæ infrà sunt, nulla concussio te inflectat. Optas quidem egredi, seu transire protinus ad superna, fastidiens quidquid est temporis, apprehendere citius vis æterna, quidquid ad præsens contuli, futurorum desiderio vis mutare, rejecto carnis pallio meam dilecti faciem præsentialiter salutare. Et illa : *Fuge*, etc, B C

CAPUT L.

Fuge, dilecte mi, assimilare capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum. Multis supra locis aut vicibus dilectum Virgo diligens invitavit, eumque advenire modis pluribus postulavit; et in ipso Cantici capite ejus osculum diligentius præoptavit, et per totum hoc epithalamium id se velle et expetere demonstravit. Quid ergo sibi vult, quod nunc repellit eum, cujus se languere desiderio supra clamat, quid causæ esse dicimus, quod monet fugere eum, quem sic amat, nisi forte quod amantes habent iras spe concordiæ gratioris, quia, ut quidam (95) prædicat : D

Iræ amantium, redintegratio est amoris?

Sed, ut videre videor, amor Virginis iras nescit, sed eum quem sic amat, videre citius inardescit : et quia novit eum hoc in loco vel corpore non videri, optat illo secum ire, ubi eum valeat intueri. *Fuge*, ait, *mi dilecte*, ad secretum Patris sanctuarium, cito redi, illuc tecum me advoca, ubi nullis ultra molestiis possim lædi; exue me citius ab hujus corporis corruptela, et ubi licet, quantum licet, mihi visibilem te revela. Et quia capreæ hinnuloque cervorum similari supra fueras assuetus, esto et nunc in hoc negotio velox, agilis, et discretus, quid deceat sponsam matrem digne consideratio tua cernat, et a cunctis pure hominibus excellentiori privilegio me discernat. Montes aromatici, supernæ sunt et angelicæ potestates, quæ nobis laborantibus varias et necessarias afferunt sanitates, quorum ministerio utilia nobis aromata comparantur, eo tamen disponente, cujus arte pigmentaria temperantur. Infra istos montes angelicos nolo mihi ulterius colloquaris, sed fuge supra eos, ut longe excellentior habearis : tene sedem in Patris dextera, tam angelis quam hominibus inaccessam, mihi tecum, ut video, matri cum filio jam concessam. Tene ergo manum dexteram meam, et me deduc in tua voluntate, sequar Agnum quocunque ierit (*Apoc.* XIV), nulla claudicans tarditate; fuge cito, ut fugiam, quia et ego fugere sum parata, te prævium videbo fugiens super angelos exaltata. Postquam autem virgo Sponsa, mater a Filio gloriosius est suscepta, et sedem gloriosam cum Sponso super angelos est adepta, quo honore gaudeat, quo se gaudio videat honorari, silendum magis censeo, quam de talibus audeam verbosari. Quod enim meus vel mei similis non capit intellectus, quis modus proferendi esse poterit vel effectus, cum etiam quod utcunque intellectus æstimat contemplari, non tamen possit facile verbis congruentibus explicari? Illud sane dici potest, quod ubi est Filius qui sumptam carnem ad Patris dexteram collocavit (quidquid illud vere est quod Scriptura dexteram appellavit); illic est mater ejus quæ illi carnem propriam ministravit, quæ ex suo utero integritate salva Deum hominem generavit. **285** Illic, inquam est, et honore glorioso vel gloria honorabili coronatur, et de illo, et in illo, et cum illo quem genuit, compos desiderii gloriatur; eique Sponso Sponsa veris et sinceris complexibus sic inhæret, ut amore satiato, irremissum amoris desiderium perseveret. Est igitur mater cum Filio non solum spiritu, de quo vel tenuis dubitatio non habetur, sed etiam corpore, quod nimirum incredibile non videtur, quia etsi hoc Scriptura canonica non clamat evidentibus documentis, ad hoc tamen pia fides adducitur verisimilibus argumentis, quod, etsi non satis probat quis in verbo et scientia repentinus, illud tamen dignum credi noster ille asserit Augustinus. Nec est molestum angelis si cum Sponso Sponsam, matrem cum Filio thronum vident regium obtinere, et quem prius in gremio, in cœlesti solio nunc tenere; si humanam carnem vident supra se in matre et Filio gloriosus honorari, et apud nos inchoatas feliciter, illic felicius nuptias consummari.

De quibus quia, ut valui, etsi non ut volui, sum

(95) Terent. *in Andria.*

locutus, et pede satis lento loquendi terminum assecutus : quæso te, Virgo sancta, ut, cum tuo in cœlestibus Filio nunc assistas, ab ejus, qui tuus est, cura et sollicitudine non desistas. Tuus quidem ego sum, si non satis condigno merito, affectu saltem paululum promptiore, tuus, tibi serviens, quamvis adhuc nesciens utrum dignus odio vel amore (*Eccle.* IX) ; tuus, tibi desiderans obsequiis et muneribus complacere, si tamen in proposito mihi dederis efficaciter prævalere. Tu igitur, Virgo sancta, de manu mea suscipe parvum munus, non est aurum, non argentum, non lapis regum donariis opportunus ; sed inculta verborum libatio, sensu prodita grossiore, parva satis oblatio, sed plena vigiliis et labore. Cujus exercitio tanquam rudi gymnasio postquam me contuli, multis molestiis sum percussus, et occursu malignantium velut a fronte graviter repercussus, opusque inchoatum multoties pressuris durioribus A intermisi, sed revocante et juvante tua gratiore memoria non dimisi. Tu igitur cujus ope, in camino pressurarum sub gravi malleo non defeci, sed utcunque respirando, opus cœptum in tuo nomine jam perfeci, nunc oblatum suscipe, offerentem corripe misericorditer, et emenda, emendatum dilige, dilectum tuo Filio me commenda. Scio enim quia si fuero tua illi benevolentia commendatus, vel me prorsus non mordebit, vel morsu non nocebit coluber venenatus ; et vel linguas detrahentium ad modestum silentium ille tuus Filius revocabit, vel rumores eorum veneficos in antidotum salutiferum commutabit. Sic nimirum a cunctis nocentibus, tuo spero interventu, tua gratia liberari, liberatus per gratiam donis potioribus cumulari : cumulato jam B concedes per te in Filio gratulari, et ut finem ponam libro, mihi tandem a malis libero vobiscum in cœlestibus gloriari.

Commentarius hic, quem in Cantica canticorum doctissime et sensu sublimi conscripsit D. Philippus ab Eleemosyna, est verbum bonum, purgatum eloquium et castum. Hoc ergo Reginæ dicatum opus, in quo illa pulcherrima mulierum assistere describitur in varietate meritorum suo præ filiis hominum forma speciosæ dilecto, sus.ipe et suscipe quisquis Sponsæ vis uberibus inebriari, et in cellam Sponsi vinariam ordinata charitate introduci.

Joannes Gallemart S. Theol. Doctor, et catecheseos professor in Universitate Duacensi, hac 7 Febr. 1618.

PHILIPPI DE HARVENG

ABBATIS BONÆ SPEI

286 IN CANTICA CANTICORUM MORALITATES.

PROŒMIUM

Dominis atque per omnia merito sanctitatis reverendis Patribus suis, Miloni Morinensium episcopo, Huconi Præmonstratensium abbati, ille servorum Dei pejor et ultimus, cujus nomen continetur in quinque primis litteris primarum quinque partium primi tomi : discretam ungulam habere pedis Ezechielis vituli.

Opusculum subjectum in Canticis canticorum divina gratia præcunte incœpi, hortatu et animatione cujusdam viri fidelis qui aliquando audierat me disputantem de quibusdam sententiis Divinitatis. Præterea quædam infirmitas a pueritia mea, licet per intervalla, frequenter me tamen pulsat et pulsavit, quæ maxima ex parte me ad hoc opus incitavit. Arbitratus sum enim, si huic operi ardentius insisterem, quod pulsantis infirmitatis interdum molestias minus sentirem. Ratus sum, inquam, quod instantia hujus operis a me expelleret infestationem præfatæ infirmitatis. Sane fateor omnibus rei veritatem. Opus quidem Deo aspirante a me incœptum est, sed tamen prædicta infirmitas parum mihi adhuc C mitigata est. Sed fortasse erunt aliqui mei vel alterius ordinis qui zelum Dei simulantes se habere, quamvis non secundum scientiam, dicant : Ille quis est, aut quæ est persona ejus vel vita ipsius, seu sapientia, quia hoc præsumpsit facere ? Quibus inquam : Ego quidem, sicut supra dixi, pejor et ultimus sum servorum Dei, persona corporis infirma, sermo contemptibilis, vita satis coram Deo despicabilis, sapientia vero mea nulla est.

(96) « Magna, inquit, multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te (*Psal.* XXX). » Vere magna et admirabilis est multitudo dulcedinis Dei, quam abscondit Deus timentibus et diligentibus se, et hic in divinis Scripturis et in futuro sæculo in contemplatione suæ majestatis. Sed hanc dulcedinem sæculi amatores capere non possunt, quia D delectationibus vanis et concupiscentiis mortiferis repleti ad ineffabilia gaudia cœlestis patriæ nullatenus suspirant (97). Hanc ergo brevem præfationem idcirco præmittimus, antequam ad librum perveniamus, quatenus auditorem nostrum ad intelligenda divinæ lectionis sacramenta studiosum et sollicitum

(96) Desiderantur hic nonnulla quæ legi non potuerunt in autographo lituris passim oppleto.
(97) Pauca desunt hic.

faciamus, ne in hoc libello quidquam corporale vel carnale requirat. Est enim hujus libelli littera ab eo quod sonare videtur satis aliena, et nisi hanc a Spiritu sancto per certo editam esse crederemus, indignum esse per omnia Spiritus sancti charismatibus adjudicaremus. Quis enim oscula audiens, oculos, et genas, et labia Sponsæ nominari, non statim ipso auditu merito indignaretur, eo quod talia in divinis eloquiis reperirentur, nisi Spiritu sancto dictante, de adventu Filii Dei ad humanum genus, de salute animarum fidelium hæc scripta esse crederentur? Verum quanto durius littera nos a carnali et exteriori intellectu repellit, tanto nos ad interiorem et Deo amabilem sui intelligentiam suavius introducit. Sane in hoc creditur quod a septiformi gratia Spiritus sancti liber iste conditur, quia omnes et singulæ sententiæ, quæ in eo reperiuntur, septem in se ad minus continere videntur, scilicet, **287** divinitatem et humanitatem Christi; conjunctionem Sponsi et Sponsæ, id est Christi et Ecclesiæ. Secundum vero rhetoricos flores, unimembrem vel bimembrem seu trimembrem aut quadrimembrem orationem. Juxta autem sæculares, disciplinas septem liberalium artium, tres partes philosophiæ : logicam, ethicam, physicam, id est rationalem, moralem, naturalem, sine quibus partibus philosophiæ non valet liber iste exponi.

Præterea, titulus qui huic libello præfertur, totius libri sensum in se continere videtur. Sicut enim in cœlo sol positus diffusis ubique radiis suis, et dilatata admirabili claritate sua, totum mundum præsentialiter illustrat, sic iste titulus, qui huic libello præponitur, quid iste libellus velit dicere, maxima ex parte jam nobis manifestat dicens : *Vox optantis Christi adventum.*

Quæritur in isto primo titulo cum duæ personæ introduci videantur, Christi videlicet et cujusdam optantis, cur istius optantis proprium nomen non exprimitur, cum Christi nomen manifeste nominetur? Ad quod dicendum, quia si quælibet persona nominatim exprimeretur vel proprie poneretur, aliæ personæ quæ in isto libro variis modis loquuntur, fortassis exclusæ viderentur. Christi vero nomen idcirco manifeste et sine velamine ponitur, quia de nullius alterius adventu, nisi de solius Dei Filii adventu et incarnatione prophetia libri hujus contexitur. Tum præterea possunt aliqui mirari cur Christus, qui dignior et excellentior persona est, in hoc libro primitus non incipit loqui. Sed ratio justa et auctoritate subnixa hoc expostulabat, ut inferior persona in primis loqueretur, et ipsum, sine quo salvari non poterat, ut ad sui liberationem veniret, humiliter deprecaretur, et diceret : *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant.* I). Beatus Paulus apostolus nos instruit, dicens : Quoniam quidem omnia quæ contigerunt patribus nostris, in figura contigerunt illis (*I Cor.* X).

Si ergo apud illos figura fuit, apud nos veritas esse debet. Multam igitur Scripturam Veteris Testamenti apud memetipsum revolvens, hujus veritatis figuram requirebam, si forte aliquis patriarcharum, vel prophetarum alicubi osculatus fuisset uxorem suam; quatenus figura præcedens, clarius nobis manifestaret subsequentem. Verumtamen hoc de nullo alio, nisi de solo Jacob patriarcha scriptum reperi. Siquidem de eo solo scriptum est quod osculatus sit aliquando uxorem suam, illam videlicet famosissimam Rachelem de qua nulli dubium est, quin teneat sanctæ Ecclesiæ figuram. Jacob vero et nominis interpretatione, et virtutis operatione, figuram Christi dignoscitur tenuisse.

Scriptum est enim in libro Genesis (*cap.* XXIX) quod quondam idem patriarcha Jacob ad terram orientalem proficiscebatur, qui veniens ad quemdam puteum, cum pastoribus regionis illius loquebatur, et ecce, inquit Scriptura, Rachel cum grege suo veniebat, nam gregem patris sui ipsa pascebat. Quam ergo cum cognovisset Jacob esse consobrinam suam, gregem illius adæquavit et osculatus est eam.

Postea vero flevit Jacob, et indicavit ei eo quod esset consanguineus ejus. Quis igitur ille est, qui ad terram orientalem proficiscitur, nisi Christus de quo propheta ait : *Ecce vir, Oriens nomen ejus* (*Zach.* VI). Quæ vero est terra orientalis, nisi beata et perpetua Dei Genitrix Virgo Maria, de qua Christus oriri dignatus est, quam Ezechiel (*cap.* XI) portam orientalem appellat? Quid puteus ille præfiguravit, nisi mysticam et occultam Scripturam quæ Christum nasciturum esse prædixit? Quid denique Rachelis grex significavit, quem Jacob adæquavit nisi gregem prophetarum, quem Christus aqua fontis salientis in vitam æternam potavit? Quid vero fletus Jacob insinuavit, nisi compassionem quam Christus de nobis habuit quando pro nobis mori disposuit? Quid est autem quod sanctus Jacob Racheli indicat quod consanguineus ejus est, nisi hoc quod Dominus per prophetam dixit : *Narrabo nomen tuum fratribus meis* (*Psal.* XXI), et in Evangelio : *Ite, nuntiate fratribus meis* etc. (*Matth.* XXVIII.) Quid vero designat osculum quod Jacob Racheli dedit, nisi hoc quod Christus naturam generis humani per incarnationis mysterium sibi sociavit? unde idem genus humanum in hoc loco de eodem Christo dicit : *Osculetur me osculo oris sui.* Idem ille qui quondam a patriarchis præfiguratus, et a prophetis prænuntiatus est, ille, inquam, veniat, et de mea natura carnem immaculatam assumat, et me ad paradisi gaudia, quæ per Adam perdidi, mirabiliter reducat. Dicat et sancta Ecclesia de Christo : *Osculetur me osculo oris sui,* id est Verbum caro fiat, et sicut olim de Adam dormiente Eva fabricata est (*Gen.* II), ita idem Verbum caro factum (*Joan.* I), scilicet, Deus homo factus, moriens in cruce, me sibi sponsam sanguine suo subarrhatam despondeat. Dicat et beata Maria mater Christi, dicat, inquam, et ipsa de Christo : *Osculetur me osculo oris sui,* id est sicut dudum per Isaiam prophetam promisit

dicens : *Ecce virgo concipiet* (*Isa.* VII), Filius Dei in me veniat, et de mea virginea carne, corpus sacrosanctum accipiat, ut tanquam sponsus de thalamo suo (*Psal.* XVIII), sic ipse carnis meæ purpureo decoratus pallio procedat de utero meo. Dicat etiam unaquæque anima fidelis de Christo : *Osculetur me osculo oris sui*, id est sic me sibi societ per fidem et operationem in hoc sæculo, quatenus in æterna felicitate 288 unus spiritus effici merear cum ipso. De hoc osculo Christi et sanctæ Ecclesiæ, id est Incarnationis mysterio, David prophetæ dicit : *Justitia et pax osculatæ sunt* (*Psal.* LXXXIV). Junge ergo, si tali placet, lilium violæ vel rosæ, tale est osculum Sponsi et Sponsæ, Christi et Ecclesiæ, id est conjunctio divinæ et humanæ naturæ. *Osculetur me osculo oris sui.* In ista sententia invenies septem sacramenta, Jacob et Rachelis, Dei et generis humani, Christi et sanctæ Ecclesiæ, Filii Dei et beatæ Mariæ, Christi et fidelis animæ, pacis et justitiæ, lilii et violæ.

RECAPITULATIO A SUPERIORIBUS.

Summa intentione et puro corde a nobis Deus exorandus est, declaratio sermonum cujus illuminat et spirituale intellectum parvulis malitia manifestat (*I Cor.* XIV), quatenus dignetur oculos cordis nostri revelare, ut valeamus mirabilia, quæ sunt in lege ejus, considerare. Auctorem igitur hujus libri Spiritum sanctum nullus sane sapiens dubitat. Salomonem vero organum fuisse Spiritus sancti, eo tempore quo librum istum edidit nullus ecclesiasticis litteris imbutus ignorat. Sine enim Spiritus sancti gratia non potuit proferre tanta ac talia Christi et Ecclesiæ sacramenta. Cum ergo ratum teneamus, quod Spiritus sanctus hunc librum fecerit, quærendum nobis est, quare idem Spiritus sanctus eumdem librum ab O littera incœperit vel quid sibi in hac littera, plus quam in aliis litteris placuerit. Verumtamen sacramentum hujus litteræ quæ est O, quantæ sit auctoritatis et dignitatis, ipse dignatus est ostendere, qui ejusdem litteræ nomen sibi imposuit, dicens : *Ego sum* α *alpha et* ω (*Apoc.* I), id est principium et finis. Principium, inquit, sum, dans principia existendi omnibus creaturis. Finis sum, id est consummatio; quia omnibus hominibus deficientibus, solus remaneo, quoniam ego sum Deus et mutabilitati nequaquam subjaceo, unde Jacobus apostolus ait : *Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio* (*Jacob.* I). Quod autem Christus finis sit, id est consummatio, Paulus manifestat cum dicit : *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X). Denique si sacramentum hujus litteræ, quæ est O, adhuc subtilius indagare voluerimus, in nulla alia littera tantam figuram, non solum totius orbis, verum etiam ipsius Dei reperiemus. Ex omni enim parte sui rotunda et perfecta invenitur, sicut orbis hujus sæculi a philosophis in modum spheræ rotundus describitur. Præterea si secundum Græca elementa attentius inspicimus, istam litteram ω procul dubio invenimus eam esse trimembrem, id est tria membra habentem. Quid igitur designant tria membra in unam ω litteram sursum respicientia, nisi tres personas in unius summæ Trinitatis substantia? Non ergo casu, sed certo Divinitatis mysterio Spiritus sanctus exordium hujus libri ab ω littera inchoat, quia illum liber iste per omnem textum sui prælicat, qui totum orbem de nihilo creavit, et seipsum unam esse in Trinitate personam in Evangelio declarat, dicens : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X). Tria igitur ω litteræ membra in cœlum respicientia, tres personas, ut prædiximus, declarant in una Trinitatis substantia. Et bene ejusdem litteræ membra sursum aspiciunt, et quasi de cœlo venientia deorsum litteram unam faciunt, quia cognitio sanctæ Trinitatis per Dominum Jesum ad nos descendit, et in unam sanctam Ecclesiam catholicam per fidei unitatem, sedem sibi collocavit. Eapropter in Evangelio ipse Dominus Jesus ait : *Hæc est autem vita æterna ut cognoscant te et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII) subauditur : et Spiritum sanctum, unum et verum Deum esse. Sane neque hoc a prudenti lectore negligenter arbitror prætereundum, quod iste liber ab osculo (quod est signum charitatis et pacis), sumit exordium. Illum namque mysticis et apertis locutionibus nobis insinuat, in cujus nativitate angelica multitudo clamat. *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Est præterea aliud sacramentum quod adhuc de osculo potest dici, quia non valet nisi a duobus osculum fieri. Duo ejusdem e diverso dentes accedunt, in uno pacis osculo conveniunt, sicque simul conjunctis labiis in charitate osculum perficiunt. Duo quippe e diverso accedentes et in unum convenientes, divinitas et humanitas Christi non incongruenter debet intelligi, quæ valde ex diverso accesserunt, quando altera de cœlo, altera de terra in unum beatæ Mariæ semper Virginis uterum simul convenerunt, et quasi perfectum osculum dederunt sibi invicem istæ duæ naturæ, quia sic operante gratia Spiritus sancti sunt inseparabiliter fœderatæ, quatenus sine fidei periculo ulterius non debeat dici Deus sine homine nec homo sine Deo; et hoc est quod dicere videtur eadem nostra natura in hoc nostro libro : *Osculetur me osculo oris sui;* ac si diceret : Opto ut sic me Deus Dei Filius in uterum Virginis assumat, id est, Verbum caro fiat, quatenus quod erat, semper verus Deus permaneat, et me immutatam de mortalitate ad immortalitatem secum in unam personam Dei et hominis æternaliter constit

Auctoritate Scripturæ sacræ didicimus (*Job* V), quia nihil fit in terra sine causa, eo 289 quod in manu Dei sumus, et nos, et sermones nostri. Quia ergo constat sine dubio quod quoniam in manu ejus sumus et nos et sermones nostri, profecto liquide patet, quia non possumus quidquam bene loqui, nisi aut illo cooperante, aut ab illo permissi. Denique, et si nihil sine causa in terra fieri dicitur, nos

hoc utique absque ratione factum esse arbitramur, ut in principio expositionis hujus libelli, liliis et violis et cæteris floribus uteremur. Dignum plane fuit ut expositio nostra a floribus sumeret exordium, quia de illo ipso adjuvante loqui disponimus qui ait : *Ego flos campi et lilium convallium* (*Cant.* II). Siquidem ipse est flos ille admirabilis, qui secundum Isaiam prophetam (*cap.* XI) de radice Jesse ascendit, id est Christus, qui de Maria Virgine carnem assumpsit, et sicut flos suaviter redolens, undique suum gratissimum emanat odorem, sic ipse notitiam suæ divinitatis et humanitatis in universum sparsit per orbem. Præterea sicut flores sine humano cultu ex se gignunt favos et mella, sic Deum et hominem absque virili contactu de se genuit Virgo Maria. Dicamus ergo hunc librum, qui de illo admirabili flore loquitur, florem esse florum, id est florem esse aliorum librorum, præter ipsius summi floris, id est Christi.

Omnes quippe sancti, flores in sancto colloquio sunt appellati, unde est illud : *Justus ut palma florebit*, etc. (*Psal.* XCI.) Justi florebunt sicut lilium ante Dominum. Sane omnes sacræ Scripturæ libri, flores appellari possunt, pro eo quod nos floribus, id est virtutibus spiritualibus florere faciunt. Igitur sicut Christus flos est aliorum florum, id est honos, gloria et decus suorum sanctorum, sic liber iste, qui appellatur Canticum canticorum, sicut supra diximus, excepto Evangelio Christi, flos est florum, id est flos aliorum librorum. Ecce, ut audivimus, Sponsus, id est Christus in hoc libro lilium se appellat, et ideo quia in omnibus pene sacri eloquii locis lilium virginitatem et castitatem munditiamque significat. Et quoniam ipse virgo et Virginis filius fuit, propterea maxime in Evangelio suo, inter reliquas virtutes, castitatem nobis commendavit, dicens : *Sint lumbi nostri præcincti* (*Luc.* XXII.) Ac si diceret : Quoniam amatorem virginitatis, castitatis et munditiæ me esse non dubitatis, videte ut in cogitatione, locutione et opere, castitatem, quæ mihi præ omnibus virtutibus grata est, custodiatis. Præterea denique et in Nazareth quæ interpretatur *flos*, sum nutritus, quia anima illa delectabiliter me pascit et nutrit piis operibus, quæ virginitatem spirat, castitate flagrat, munditiam amat.

Sicut igitur per lilium Sponsus idem Christus in hoc libro potest intelligi, sic etiam per violæ florem, Sponsa ejus, id est sancta Ecclesia debet interpretari. Et merito per hunc florem, scilicet violam, quæ purpurei vel ætherei coloris est, pia Mater Ecclesia designatur, quæ filios suos incessanter ad gloriosa martyrum certamina et ad superna perpetuæ beatitudinis gaudia adhortatur. Per purpureum igitur colorem accipitur gloria martyrii, per æthereum vero felix et gloriosa exspectatio regni Dei. Sed neque hoc sub silentio prætereundum videtur, quod idem flos, scilicet viola, temperativæ naturæ esse describitur, adeo ut illis mederi valeat, quos ultra vires immoderatus ardor carnis fatigat.

A Quod profecto sanctæ Ecclesiæ eleganter assignari debet, quæ filiis suis ab omnigena tentationum infestatione vulneratis, piæ confessionis et pœnitentiæ malagmata adhibet, unde et unusquisque fidelis debet dicere ad matrem suam Ecclesiam : *Secundum multitudinem tentationum mearum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

SECUNDA ALLEGORIA DE JACOB.

In memoria abundante, in Spiritus sancti delectatione recordari debemus quod in superiori parte hujus libri de profectione Jacob patriarchæ ad terram Orientalem locuti sumus, et (prout Spiritus sanctus eo tempore vires nobis subministravit) paupertas nostri ingenii ipsum Jacob, et terram Orientalem allegorico sensu interpretando discussit. Restat
B igitur, ut itidem repetamus, et non, ut dignum est, sed ut raritas nostri sensus utcunque capere potest, secundæ allegoriæ flores suaviter redolentes perquiramus. Ager enim quidam est redundans floribus divina pagina, in quo delectari debet fidelis anima, colligendo diversos allegoriæ flores, id est meditando sensus spirituales. Unde David propheta dicit : *Delectare in Domino et dabit tibi petitiones cordis tui* (*Psal.* XXXVI.) Terra igitur Orientalis, juste appellatur cœlestis Hierusalem, scilicet habitatio supernorum civium, de qua Psalmista ait : *Portio mea in terra virentium* (*Psal.* CXLI.) Ad quam profecto qui bene operando pervenire poterit, mortem ultra non gustabit, quia tunc in Deo æterna nativitate sanctus quisque renascitur, cum ejus vita temporalis con-
C ditionali morte terminatur. Eapropter elegans consuetudo in sancta Ecclesia inolevit, ut tunc sanctorum natalitia pronuntiemus, quando illos ex hac luce migrasse cognoscimus. Quis ergo est ille Jacob, qui *luctator* interpretatur, nisi spiritus **290** noster, cui colluctatio adversus spirituales nequitias sine intervallo indicitur? Proficiscatur ergo noster Jacob ad terram Orientis, id est festinet spiritus noster passibus bonæ operationis ad terram repromissionis : ad quam repromissionis terram Paulus suspirabat, cum dicebat : *Festinemus ingredi in illam requiem* (*Hebr.* IV). Sed festinantibus nobis ad cœlestem Hierusalem, puteus qui grandi lapide clauditur, obviat, quia sicut David propheta ait : *Judicia Dei abyssus*
D *multa* (*Psal.* XXXV). Cui Salomon concordat : *Omnia*, inquiens, *reservantur homini post mortem incerta* (*Eccle.* IX). Quid vero dicimus esse hunc puteum qui grandi lapide clauditur, nisi occultum et terribile Dei consilium, quod nullatenus usque ad diem judicii manifestatur? Quod propheta expavescens ait : *Venite et videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum* (*Psal.* LXV). Quid autem pastores illic cum gregibus suis significant, qui circa puteum accubant, nisi fideles animas tam prælatorum quam subditorum, quæ judicium Dei exspectant? Unde bene dicitur quod congregatis pastoribus cum gregibus tunc lapis ab ore putei removebatur, et sic oves adaquabantur, quia venientibus omnibus hominibus ad judicium Dei, terribile consilium ejus,

quod modo occultum est, manifestabitur. Tunc demum oves adaquabuntur aqua putei reserati, cum unusquisque damnabitur aut salvabitur secundum justum judicium occulti consilii Dei : *Ite, maledicti, in ignem æternum qui preparatus est* (*Matt.* XXV); illis vero qui a dextris erunt : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*ibid.*) Sicque mirabili et ineffabili modo Jacob recognoscet faciem cognatæ suæ Rachelis, cum spiritus noster contemplativam vitam aspiciet in cœlis, ad quam diu suspiravit adhuc positus in terris. Et inde est quod Rachel interpretatur *visum principium*, quia tunc non *in ænigmate* neque *per speculum*, sed *facie ad faciem* (*I Cor.* XIII) contemplabitur noster spiritus ipsum Deum. Osculum autem quod dedit Jacob Racheli possumus sub illa Dominica sententia interpretari qua dicitur : *Pater, volo ut sicut ego et tu unum sumus, ita et ipsi unum sint in nobis* (*Joan.* XVIII). Luce ergo clarius constat quia quando alter alteri osculum pacis dat, sine interpositione alicujus rei, charitativo affectu, os ori consociat. Hinc est quod beatus Joannes dicit : *Filii Dei sumus, et nondum apparet quid erimus, scimus autem cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est* (*Joan.* III). Non erit ergo inter Creatorem et creaturam aliqua oppositio, alioquin non esset vera et perfecta beatitudo.

RECAPITULATIO A SUPERIORIBUS SECUNDUM ETHICAM,

Id est moralem intelligentiam.

Ad moralitatem accedentes, et de moralitate disserere cupientes, morigeratos nos oportet esse, neque enim de moribus hominum possumus eleganter quidquam loqui, nisi parte ex aliqua fuerimus moribus instructi vel adornati. Superius præfati sumus (nisi forte a mente nostra exciderit) quod liber iste a perfectione, hoc est ab O littera, quæ perfectionem significat, initium sumit. Quæ littera secundum Latinos, ut philosophi aiunt, totius orbis formam in seipsa insinuat, et secundum Græcos formata sanctam Trinitatem pro modulo suo nobis repræsentat. Qui ergo istum librum legis vel audis, perfectioni stude, perfectus esse satage. Audi non me, sed Dominum in Evangelio dicentem : *Perfecti estote, sicut et Pater vester perfectus est qui in cœlis est* (*Matth.* V.) Verumtamen perfectus esse nullatenus poteris, nisi summæ perfectioni, quæ Deus est, remota iniquitate perfecte adhæseris. Quam utique perfectionem David desiderabat qui dicebat : *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII.) Perfecte ergo perfectus esse potes, si fidem sanctæ Trinitatis corde credis et retines, et eamdem fidem operibus bonis adimples. Perfecte, inquam, perfectum te Deo in die judicii repræsentabis, si in hoc sæculo, quantum vales, ab omni peccato immunem te custodis. Sed quia, ut beatus Gregorius ait, bonum opus nihil valet sine castitate, sicut nec castitas aliquid valet sine bono opere, ideo bene quidem in nostra recapitulatione sequantur lilia virginitatem, castitatemque, et munditiam significant. Sunt præterea quidam qui virgines et casti sunt, sed mundi non sunt, quia de virginitatis seu castitatis custodia insolenter superbiunt. Eva enim prima parens nostra, corpore quidem, virgo et casta fuit, sed mente immunda exstitit, quia magis diabolo falsa promittenti, quam Deo vera comminanti obedivit. Inde dicit divina Scriptura : Qui exaltat cor suum, mundus est coram Deo, nec prodest quidquam virginem et castum esse corpore, si fuerit incestus in mente. Refloreant ergo in nobis lilia spiritualia, scilicet virginitatis et castitatis et munditiæ cordis insignia, quatenus corpore et anima castificati, illa evangelica benedictione mereamur insigniri, qua nobilitantur illi quibus a Domino dicitur : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum* **291** *videbunt* (*Matth.* V.) Unde merito violæ in ordine recapitulationis sequuntur, quæ ætherea claritate refulgent, quia illi bene castitatem custodiunt, qui per illius observantiam pervenire quærunt ad cœlestis regni gloriam. Flores autem cæteri qui in hac expositione speciali nomine non exprimuntur, reliquas virtutes decenter insinuant, quibus supradictæ virtutes exornantur. Sine enim humilitate, obedientia, charitate, patientia, longanimitate, perseverantia, prudentia, et discretione, quæ mater est omnium virtutum, nullus potest perfectionem retinere, nec pacem, sive concordiam (quæ designantur per osculum Sponsi et Sponsæ) perfecte possidere.

PRIMA MORALITAS DE JACOB.

In veteri lege divina Scriptura nos edocet (*Levit.* I), ut qui de grege arietem, vel quodlibet animal sacrificiis aptum Deo offert, prius pellem detrahat, secundo carnem sacris ignibus admoveat, tertio adipes et ea quæ adipibus velantur, in holocaustum Domino offerat. Aries quippe sive vitula, est quælibet sententia, ex Veteri Testamento excepta. Cui sententiæ quasi pellem detrahimus, cum historicam intelligentiam pertractantes, veram esse sancimus. Caro autem tunc sacris ignibus traditur, cum allegoria spiritualibus sensibus intellecta delucidatur. Adipes vero, et ea quæ infra sunt, Deo offerre nos arbitramur, cum moralitatem, et illa quæ de moribus pendent, ad utilitatem fidelium animarum, et laudem ipsius Dei perscrutamur. Quoniam igitur in superiori tractatu historialem Jacob allegorico et spirituali sensu interpretati sumus, quasi pelle subtracta, carnes sacro igne concremavimus. Superest ergo ut adipes igni divino admoveamus, id est ut moralitatem morali et excelsiori intellectu in lucem proferamus. Caro equidem nostra tunc terra Orientalis efficitur, cum in illa vitia mortificantur, et virtutes spirituales oriuntur. Quam profecto Jacob spiritualis, id est Christus invisere dignabitur, si talis fuerit, ut ejus visitatione digna habeatur. Puteus autem ille ad quem historialis Jacob venit, cor nostrum significavit, quod si perfecte Deum dilexerit, et sermonem ejus servaverit, Christus ad illud veniet, et in illo manebit, unde ipse in Evangelio

dicit : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV). Lapis vero quo puteus clauditur, recte duritia cordis nostri intelligitur. Quam nimirum duritiam Dominus se nobis auferre pie repromittit, cum per Ezechielem prophetam dicit (*cap.* XI et XXXVI) : *Tollam a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum, et faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Tres greges ovium cum pastoribus suis qui juxta puteum a Jacob reperiuntur, tria genera cogitationum sunt, quæ circa cor nostrum versantur. Recordamur enim in cogitationibus nostris plerumque malorum quæ fecimus, præsentia Deo auxiliante præcavemus, pro futuris, ne nos dimersos obruant, Deum exoramus. Et bene quidem historia refert quod remoto lapide greges illi adaquabantur, quia ablata cordis nostri duritia præfatæ cogitationes spirituali compunctione et salubri lacrymarum irroratione debriantur. Pastores autem qui custodiunt supradictas oves, fides, spes, charitas sunt. quæ nostras simplices enutriunt cogitationes. Liquet ergo quia qui pro peccatis præteritis luget, præsentia cavet, pro futuris exorando timet, omni modo ab omni peccato immunem se exhibet. Sic demum ad illam virtutem quæ impeccantia dicitur, redit, in qua Deus ad imaginem suam primum hominem creavit. Eleganti denique stylo historia describit, quoniam quidem ibi Jacob consobrinam suam Rachelem recognovit, quia sine dubio tunc perfectius creatura recognoscitur a Creatore suo, quando secundum suum posse, homo se observat a peccato. Unde merito Rachel, *ovis* vel *visum principium* interpretatur, quia sic plane creatura ad initium suæ creationis revertitur, cum per simplicitatem et impeccantiam sine nævo peccati, suo Creatori repræsentatur. Fletus vero quo Jacob visa Rachel flevit, significat gaudium ineffabile et jubilationem incomprehensibilem, quam Deus apparens fidelibus suis donabit. Plerumque enim præ gaudio nimio solemus flere, sicut iste Jacob agnita consobrina sua Rachel præ exsultatione dignoscitur flevisse. Osculum autem quod Jacob Racheli donat, unitatem illam qua uniti ipsi Deo erimus, designat. De qua nimirum unitate Paulus apostolus mihi videtur dicere : *Qui adhæret Deo, unus spiritus efficitur cum ipso* (*I Cor.* VI). Præterea hoc quod historia non prætermittit, quia Jacob Racheli quod consanguineus ejus esset indicavit, non incongrue ita interpretari possumus, quia finito judicio nostram substantiam in nostro Creatore recognoscemus, quam dudum, nostri misertus assumpsit, cum de beata Virgine Maria nasci voluit.

292 INCIPIT MORALITAS SECUNDA FLORIBUS ALLEGORIÆ INTERMISTA.

De Isaac patriarcha textus historiæ nostris auribus retulit, quomodo olim, ut foderent puteum, servis suis præcepit. Qui altius fodientes, aquam abundanter repererunt, et propterea puteum illum Abundantiam appellaverunt. Quid namque puteus ille quem foderunt pueri Isaac, prætendebat, nisi Vetus Testamentum, quod, antequam exponeretur a doctoribus, terra obice obstrusum manebat? Spirituali ergo sarculo puteum istum fodiamus, et sine dubio aquas abundantes, *id* est sensus spirituales reperiemus. In præcedenti tractatu superius de Jacob allegorice et moraliter locuti sumus; nunc vero ad eumdem Jacob spirituali itinere redeamus, et in eo secundam moralitatem altiori intellectu perquiramus. Quæ moralitas interdum quibusdam allegoricis floribus flt intermista, ne a prudentibus et strenuis viris judicetur esse inculta. Intuere, o homo, temetipsum, et te considerato, invenies inter te, per figuram, totum mundum, et ut audacius loquar, si bene vixeris, ipsum Creatorem tuum. Si ergo tantæ dignitatis est homo, ut non solum totius orbis, verum etiam ipsius Dei similitudinem quodammodo teneat in seipso, ad imaginem quippe et similitudinem Dei factus est homo (*Gen.* I), non debet aliquibus absurdum videri, si spiritum vel animam nostram alternantibus vicibus, modo Jacob, modo terram Orientalem volumus interpretari.

Dicamus quod spiritus noster ipse sit terra Orientalis, et interim Jacob spiritualis. Sicut enim Jacob historialis cum Angelo luctatus est, et contra eum invaluit, et quomodo allegoricus Jacob, id est Christus mortem et diabolum triumphans, in ligno suæ crucis superavit; sic moralis Jacob, id est spiritus noster debet sibi crucifigere mundum istum, et pugnare contra se ipsum, ut dominans animo suo, fortior ut expugnatore urbium. Crucifigere, inquam, debet sibi mundum homo spiritualis, ut dicere queat cum apostolo Paulo : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI). Debet, inquam, ultra vires laborare interior homo, ut vincat seipsum et mundum, animatus exemplo Domini Jesu, qui ait : *Confidite quia ego vici mundum* (*Joan.* XVI). Nec minus summopere studeat ut terra Orientalis effici queat, de qua assidue vitia exstirpentur, et in qua spirituales virtutes oriantur. Via autem spiritualis Jacob, id est spiritus nostri, Christus recte debet intelligi, qui ait : *Ego sum via* (*Joan.* XIV). Via, inquam, quæ ducit ad Deum recta, ipsa est simplex obedientia. Unde et secundum historiam Jacob matri suæ Rebeccæ obediebat, quando viam istam de qua loquimur pergebat. Non est igitur rectior via obedientia, et non est vera et recta obedientia, nisi in ipso qui dixit : *Ego sum veritas et vita* (*ibid.*). Locus ille ad quem Jacob venisse prima mansione perhibetur, id est domus Dei, vel Luza, hoc est *nux Beth-el* vel *amygdalum* interpretatur. Spiritus ergo noster orationibus assiduis intentus, domus Dei efficiatur, quia sic Dominus dicit : *Domus mea, domus orationis vocabitur* (*Matth.* XXI). Verumtamen qui domus Dei effici optat, nux vel amygdalum fieri non renuat. Neque enim potest spiritus noster esse habitaculum Dei sine fortitudine et patientia, longanimitate et prudentia; quod significat horum fructuum durissima et pene indomabilis testa. Quod autem Jacob

voluit requiescere post solis occasum, significat quod spiritus noster tunc perfecte requiescit in Deum, cum in se mortificat et occidit omne quod pertinet ad peccatum. Lapides vero quos collegit et capiti suo supposuit, designant exempla sanctorum quæ nos in capite, id est in mente nostra recondentes, et secundum ipsa viventes, perfecte contemnimus mundum. Quod autem sancti, lapides sint appellati, testatur Petrus apostolus qui dicit : *Et vos tanquam lapides vivi superædificamini in habitaculo Spiritus sancti* (*I Petr.* II). Nec mirum sane, cum ipse Dominus Jesus in David (*Psal.* CXVII) lapis angularis sit appellatus, et in Daniele : *Lapis abcisus de monte sine manibus* (*Dan.* II). Jacob obdormitio prætendit quod nos debemus perfecte renuntiare mundo et adhærere Christo; vel significat contemplationem summæ Divinitatis et oblivionem totius sæcularis vanitatis. Scala e duobus lignis consistens quam Jacob in summis vidit, cujus cacumen cœli secreta penetravit, duo Testamenta sunt, quæ nos docent et instruunt, et ad cognitionem divinæ majestatis perducunt. Unde bene historia dicit, quia Jacob Dominum in summitate scalæ innixum vidit. Nulla enim ratione possumus pervenire ad ipsum Dominum, nisi pro modulo nostro spiritualiter impleverimus mandata duorum Testamentorum. O quam magna est clementia nostri Redemptoris! Quid enim innixio Dei in summitate scalæ præfigurabat, nisi descensionem ipsius ad redemptionem generis humani, quam tunc ex eo tempore jam quodammodo præparabat? Lapis ille quem Jacob peracto somno unxit præ cæteris lapidibus, significavit Christum præ omnibus sanctis impletum Spiritus sancti charismatibus.

293 De qua unctione spirituali et incomprehensibili infusione Spiritus sancti, David propheta loquitur ad Filium Dei : *Quia tu justitiam dilexisti, et iniquitatem odio habuisti, idcirco unxit te Deus Pater tuus oleo jubilationis præ omnibus sanctis tuis* (*Psal.* XLIV). Lapis vero quem Jacob unxit et erexit in titulum, significat quod Christus per Incarnationis mysterium in sancta Ecclesia locum pontificalis dignitatis debebat obtinere, et per universum mundum regiæ auctoritatis sceptra possidere. Unde merito Jacob dicit : *Quia vere Dominus est in loco isto* (*Gen.* XXVIII), quia extra catholicam Ecclesiam nullus potest salvari, nec placere Deo. Præterea si istam scalam juxta moralitatem interpretari volumus, non incongrue per duo ligna ipsius, fidem et spem intelligimus, quæ quasi in terra nos accipiunt, et usque ad cœli secreta nos sublevatos intromittunt. In hoc siquidem sæculo fides et spes nobis necessariæ sunt, quæ in cœlis nullum opus habebunt (*Rom.* VIII), quia, sicut dicit Scriptura : Deum in quem credimus et speramus, et quem per patientiam exspectamus, in futuro sæculo *sicuti est videbimus* (*I Joan.* III), et ideo ulterius fide et spe opus non habemus. Scaliones qui duobus lignis hujus scalæ inserti sunt, reliquæ virtutes intelligi possunt, sine quibus fides et spes prorsus inutiles existunt. Sicut enim corpus nostrum sine anima moritur, sic fides sine operibus, testante Jacobo, mortua appellatur (*Jacob.* II). Et ideo quidem bene post fidem et spem in ordine charitas sequitur, quæ in duo, hoc est dilectionem Dei et proximi dividitur. Qui enim solummodo in Deum credit vel sperat, et nec tamen ipsum Deum diligit, nec proximum suum pro Deo amat, et insuper quod bonum est operari, renuit ; patet profecto quia dæmonibus similis existit. De quibus Jacobus apostolus dicit : *Dæmones credunt et contremiscunt* (*ibid.*). Ponamus ergo hujus scalæ quæ ad cœlum ducit primum scalionem, humilitatem Dei et proximi dilectionem, bonas cogitationes, meliores locutiones, optimas operationes, corporis et animæ castitatem, cordis munditiam, pacem fraternam, concordiam, confessionem, pœnitentiam, corporalem disciplinam, jejunia, vigilias, orationes, corporis pro Deo exercitia, et in lege Dei spirituales meditationes, contemptum mundi, despectum corporis nostri, spiritualia desideria, et in summitate hujus scalæ ponamus obedientiam, quia ipsa est quæ nos ducit ad supernæ majestatis contemplationem. Sic enim dicit divina Scriptura de obedientia : Per obedientiam perveniunt ad occultorum Dei notitiam (*II Cor.* II). Ascendat ergo noster spiritus per istam scalam : *De virtute in virtutem*, donec videat Deum *deorsum in Sion* regnantem (*Psal.* LXXXIII). Propterea denique et Dominus, obedientiæ, quæ in summitate hujus scalæ posita est, videtur esse innixus, quia per obedientiam disponebat genus humanum sibi reconciliare, et juxta Paulum apostolum (*Coloss.* I), quæ in cœlo sunt et quæ in terra, spirituali concordia pacificare, unde idem Paulus dicit : *Christus factus est obediens Patri usque ad mortem* (*Philipp.* II). Et alio in loco : *Ex his quæ passus est, cum esset Filius Dei didicit obedientiam* (*Hebr.* V). Quod autem Jacob evigilans ait : *Vere Dominus est in loco isto* (*Gen.* XXVIII), liquido denuntiat quia tunc Deus vere habitat in corde nostro, si præfatam scalam spiritus noster in se perfecte possederit, et mens nostra spretis sæculi vanitatibus in amorem Dei dulci sopore obdormierit. Enimvero lapis unctus esse moraliter possumus, si unctionem a Spiritu sancto susceperimus, sicut illi acceperunt quibus Joannes apostolus dicebat : *Et vos unctionem a Spiritu sancto accepistis, et, ut aliquis doceat vos, necesse non habetis, quia unctio ejus docet vos de omnibus* (*II Joan.* II). Ager autem, in quo a Jacob puteus reperitur, non incongrue spiritus vel anima nostra intelligitur, si tamen odorifera suavitate spiritualium florum fuerit refertus, sicut fuerat ille qui dicebat : *Christi bonus odor sumus* (*II Cor.* II). Puteus vero in hoc loco debet intelligi Spiritus sanctus, de quo in Evangelio Dominus Jesus dicebat : *Si quis sitit, veniat ad me et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu sancto quem accepturi erant credentes in eum* (*Joan.* VII).

Ipse, inquam, Spiritus sanctus est fons hortorum

puteus aquarum viventium quæ fluunt impetu de Libano (*Cant.* IV), id est sanctitas, refectio, purificatio, mundatio, gaudium et jubilatio fidelium animarum, quæ desiderant esse cum Christo. Laboret ergo anima nostra ut possideat in se puteum istum, hoc est satagat bonis operibus fieri Spiritus sancti habitaculum. Verumtamen aquæ hujus putei quæ fluere de Libano dicuntur, hoc designant, quod Spiritus sanctus non nisi corpore casto et corde purificato possidetur. Unde et idem mons Libanus *candidatio* interpretatur. Quod autem puteus ille grandi lapide refertur fuisse clausus, eleganti sermone declarat quod *in corpore subdito peccatis* nullatenus *habitat* (*Sap.* I) Spiritus sanctus. Lapis enim ingens est moles nostrorum criminum, quæ procul dubio ne videatur, abscondit a nobis Spiritum sanctum. Unde et propheta dicit : Non est invalida manus Domini ad salvandum, sed peccata nostra fecerunt murum inter vos et Deum (*Isa.* LIX). Sed et hoc sub negligentia non est prætermittendum quod Sapientia dicit : *Quia Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum* (*Sap.* I). Removeatur igitur paries nostrorum criminum, sive lapis molaris, et ambiatur ac teneatur a nobis disciplina spiritualis, id est confiteamur peccata **294** nostra, et subdamus nos castigationi spirituali, ut queamus esse sacrosancta habitatio Spiritus sancti. Sit, inquam, spiritus noster ager omnigeno virtutum flore vernans; reperiatur in eo a Jacob puteus salutaria fluenta emanans, id est a Christo Spiritus sanctus inveniatur habitator existens. Cujus præsentia liquido sic manifestabitur, si in omnibus mansueti et humiles et pacifici fuerimus, et fructibus bonæ operationis cum castitate et sobrietate abundaverimus.

Explicit primus tomus, id est primum volumen in Cantica canticorum.

—

INCIPIT SECUNDUS TOMUS

Super hoc quod dicitur : *Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.*

Ut autem illa quæ sequuntur in hoc libro clarius nobis eluceant, necesse est ut a nostra memoria præcedentia hujus libri non recedant. Sic enim ait beatus Hieronymus : Hæret namque sibi invicem sermo divinus, et sequentia pendent ex præcedentibus. Sicut enim manna quondam quod de cœlo ad terram descendebat aliud quidem erat, et aliud significabat, sic nimirum divina eloquia aliud exterius ostentant et aliud interius occultant. Manna enim illud quod pluit Deus filiis Israel, corporalis cibus fuit, sed tamen spiritualiter carnem Christi significavit qui in Evangelio dicit : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (*Joan.* VI). Cujus equidem sanguinis figuram ros tenebat, qui cum manna pariter de cœlo descendebat. Quemadmodum ergo Israelitæ manna colligentes (*Num.* XI), illud mola conterebant, et inde panem habentes, omne delectamentum et omnem suavitatem sibi præparabant; sic filii spiritualis gratiæ et inimici occidentis litteræ debent discutere et ruminare Scripturas divinas spiritualibus sensibus, et inde spiritualem cibum propinare suis auditoribus. Non igitur simus de pueris Abraham, qui ad radicem montis remanentes custodiunt asinum, sed ascendamus cum Abraham et Isaac in montem excelsum quatenus Angelum videre valeamus, et arietem inter vepres hærentem cornibus (*Gen.* XXII). Qui sunt ergo qui ad pedem montis remanentes asinum custodiunt, nisi illi qui in sacro eloquio spiritualem et altiorem sensum non requirunt? Quasi enim brutum animal est juxta montem custodire, allegoricum et moralem sensum divinis litteris nolle requirere. Angelus vero qui in monte Abrahæ apparuit postquam asinum dimiserat, significat allegoriam quæ plenius illis se intimat, quos ab ascensu spiritualis intellectus historica intelligentia non retardat. Et bene idem Angelus qui in figura allegoriæ ponitur, de cœlo clamasse perhibetur, quia spiritualis allegoria semper prædicat ecclesiastica mysteria et sacramenta cœlestia. Aries autem qui inter vepres cornibus hærebat, non inconvenienter moralitatem, quæ in asperitate litteræ dependet, significabat. Unde bene idem aries non defixus, neque ligatus fuisse inter vepres dicitur, quia moralitas inter seriem litteræ, aut raro, aut nunquam plenarie experitur, sed quasi aries inter vepres hærens cornibus; sic ipsa moralitas a prudentibus et litteratis viris ab ipsa historia, cui subtiliter inhæret, prudenter abstrahitur. Consideremus ergo quam rationabiliter Sponsa apostrophen ad Sponsum faciat, id est qualiter sancta Ecclesia ad Christum convertatur et dicat : Ideo optavi adventum tuum, id est osculum tuum, quia *meliora sunt ubera tua vino*. Possumus hoc in loco, sano intellectu duo ubera Christi misericordiam ejus intelligere et clementiam, ita duntaxat, ut misericordia attribuatur ejus humanitati, et clementia ipsius divinitati. Unde Jonas propheta dicit (*cap.* IV) ad Dominum : *Scio, Domine, quia clemens et misericors es tu*; ac si diceret : Scio pro certo quia tu, qui nunc Deus solummodo omnibus innotescis, futurum est, ut assumpta humanitate nostra, pro nobis homo efficieris. Præterea per vinum quod austerioris saporis esse dignoscitur, Mosaicæ legis severa justitia non immerito intelligitur. Dicat ergo Sponsa ad Sponsum, id est Ecclesia ad Christum : Ideirco desideravi adventum tuum, *quia meliora sunt ubera tua vino*, quod est dicere : Melior est clementia et misericordia tua, quam antiquæ legis severa et immisericors justitia. Denique si spiritualiter per duo ubera Sponsi quæ sunt in divina pagina, allegoriam et

moralitatem ; et per vinum, historiam intelligimus, neqnaquam a vero sensu deviamus. Dicamus et nos cum Sponsa ad Sponsum : *Meliora sunt ubera tua vino*, id est dulcior est moralitas et allegoria, quam dura plerumque et irrationabilis historiæ intelligentia. Aliter : *Meliora sunt ubera tua vino*. Duo quippe ubera Dei, lex et prophetæ fuerunt, quæ lactantes suos interfecerunt. Unde Paulus dicit : *Lex iram*, (id est mortem) *operatur, et nihil ad perfectum adduxit lex* (*Rom.* IV). De his uberibus Isaias dicit : *Quem docebit* **295** *scientiam, et quem intelligere faciet auditum ? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus* (*Isa.* XXIX) ; ac si diceret : Illam Christus spiritualem scientiam et auditum sui Evangelii docebit, qui carnales et insipidos sensus legis et prophetarum a se penitus removebit.

De his uberibus David ait : *Ab uberibus matris meæ in te projectus sum* (*Psal.* XXI) ; quod est dicere : Occidentem litteram et Judaicum legis intellectum deseruí, et in te, qui es summa legis veritas, illico deveni. Lex ergo et prophetæ in hoc loco ubera sunt Dei, vinum vero est Evangelium de quo Christus dicit : *Vinum novum in utres novos* (*Matth.* IX), id est apostolos, oportet poni. Christus ipse est botrus, vinum est Evangelium. Sicut de botro vinum procedit ; sic Christus Evangelium condidit. Quod bene præfiguratum est in historia quæ refert, quia quondam duo viri attulerunt super colla sua in ligno botrum cum palmite de terra repromissionis (*Num.* XIII). Duo isti viri afferentes in ligno cum palmite botrum, duo sunt populi qui interfecerunt in cruce Christum, Judæi clamantes : *Crucifige illum* (*Luc.* XXIII ; *Joan.* XIX), et gentiles qui in cruce posuerunt illum. Dicat ergo Sponsa Sponso, Ecclesia Christo : *Meliora sunt ubera tua vino*, id est legis et prophetarum eloquia evangelicæ prædicationis gratia temperata et rorata, valde sunt meliorata, id est dulciora et meliora effecta. Nam lex dicebat : *Si quis hoc, aut illud peccatum fecerit, moriatur* (*Exod.* XXI). Evangelium vero clamat : Si quis peccaverit, confiteatur, pœnitentiam agat, et non morietur. Valde ergo sunt meliorata, id est dulciora effecta ubera tua. *Fragrantia unguentis optimis*. Unguenta ex diversis aromatibus suaviter redolentibus conficiuntur. Quæramus ergo ista unguenta, Joannes apostolus dicit : *Vos unctionem habetis a Spiritu sancto, et unctio ejus docet vos de omnibus* (*I Joan.* II). Videamus denique unguentum quod in capite Aaron fuit positum, et in barbam ejus descendit. Aaron Christum significavit et barba ejus apostolos qui velut barba, familiarius cæteris sanctis adhæserunt suo capiti Christo. Unguentum ergo in capite Aaron positum et descendens in barbam ejus, diversa sunt dona Spiritus sancti descendentia a Christo in apostolos ejus.

His unguentis Paulus repletus dicebat : *Bonus odor sumus Christi in omni loco* (*II Cor.* II). Et alias : *Gratias agimus Deo qui odorem notitiæ suæ per nos manifestavit in omni loco* (*ibid.*). Istis ergo unguentis, id est Spiritus sancti donis et apostolicis doctrinis, A ubera Sponsi delibuta et delinita, id est prophetæ et lex musto Evangelii temperata, valde sunt fragrantiora, id est redolentiora, quam essent prius, effecta. Stude ergo, o auditor qui audis et legis quæ sunt ubera Sponsi, stude, inquam, et tu habere ubera propria sicut habebant Petrus et Paulus quorum alter dicebat : *Lac vobis potum dedi* (*I Cor.* III). Alter vero aiebat : *Quasi modo geniti infantes lac concupiscite* (*I Petr.* II). Si igitur quæris quæ sunt ista ubera, respondeo : Duo sunt præcepta charitatis, amor Dei et proximi, ut super omnia ames Deum, et proximum sicut teipsum. Sed hæc ubera non habent qui sæculum diligunt, quia quanto arctius ei conjuncti sunt, tanto longius a Deo recedunt. Isti ergo audiant Jacobum apostolum terribiliter clamantem: B *Quicunque voluerit amicus esse hujus sæculi inimicus constituetur Dei* (*Jac.* IV).

RECAPITULATIO A SUPERIORIBUS.

Superius aspirante gratia Spiritus sancti, præfati sumus, et per aures corporis, mentibus audientium infudimus, quia manna illud quod olim filiis Israel Deus de cœlo pluit, figuram et imaginem corporis Christi veraciter tenuerit. Sed fortassis nunc dicturi sunt aliqui quibus aut ista sententia non placebit, aut qui spirituali et altiori intelligentia sunt referti : Hæc sententia fastidium generabit, quod admodum a divino intellectu exorbitavimus, qui rem corruptibilem, scilicet manna, rei incorruptibili, videlicet corpori Christi æquiparavimus. Sane si nostris verbis fidem accommodare dedignantur, videant et consideC rent quid in Exodo textus historiæ nobis etiam tacentibus eloquatur : *Apparuit*, inquit, *in solitudine minutum et quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram. Quod cum vidissent filii Israel, dixerunt ad invicem : Manhu, quod significat. Quid est hoc ? Ignorabant enim quid esset. Quibus ait Moyses : Iste est panis quem Dominus dedit vobis ad vescendum* (*Exod.* XVI). Videamus ergo si forte alicubi reperire poterimus Christum panem appellatum. Dominus ipse in Evangelio dicit : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum, et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (*Joan.* VI). Ecce quam idonee conveniunt sibi invicem Vetus et Novum Testamentum. Quod ergo Moyses manna et panem cœlestem D vocat, hoc Dominus in Evangelio panem de cœlo descendentem, et carnem suam appellat. Verumtamen consideremus remoto a nobis paulisper tumultu sæcularium cogitationum, quare Spiritus sanctus per eos Moysi prophetæ dicat apparuisse minutum. Deinde cur idem manna pilo tusum fuisse describatur, et, utquid etiam in similitudinem pruinæ super terra jacuisse perhibeatur. Si enim secundum grammaticæ **296** artis naturam, partem istam scilicet, minutum, subtiliter inspicimus, sine dubio a verbo quod est *minuo, minuis*, minutum dictum reperimus. Non ergo casu, sed certo rationis sacramento manna fuisse minutum describitur, quia figuram corporis Christi gerebat, de quo David propheta ad Deum

Patrem loquitur dicens : *Minuisti eum paulo minus* A *ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum* (*Psal.* VIII). Non ergo immerito refertur quod manna de supernis apparens, minutum super terram reperitur, quia valde illa superna Majestas Unigeniti Filii se minoravit, quando ad perferendas nostræ mortalitatis injurias descendit, et formam servi suscipiens, secundum Pauli apostoli vocem se ipsum exinanivit (*Philip.* II). Multum, inquam, manna istud munitum erat, quando Creator cœli et terræ et omnium rerum, inter homines sine existimatione alicujus dignitatis latebat. Valde, inquam, apparuit munitum istud manna, quando a creaturis suis, Creator generis humani, tot sustinuit opprobria. Unde in Exodi libro sequitur, quia idem cœleste manna quasi pilo B tusum esse videatur. Quod utique humanitati Christi apertissime congruit, quæ sicut jam præfati sumus, tot dehonestamenta, et tot convicia a perfidis hominibus pertulit. Multum siquidem hoc spirituale manna existit pilo tusum quando corpus Christi fuit sputis illitum, flagellis graviter attrectatum, corona irrisorii honoris dehonestatum, insuper ludibrio ab omnibus habitum. Pilo, inquam, diræ passionis spiritale manna diverberatum fuit, quando latus Christi lancea militis perforavit, et clavorum duritia manus pedesque illius terebravit. Fatendum est igitur, omni ambiguitate remota, quod Christus verus Deus et verus homo erat, cujus imaginem vel figuram illud antiquum manna tenebat. Homo sine dubio fuit, qui dolorem passionis sustinens, obiit, et in manu C Dei Patris spiritum suum commendavit, dicens : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* XXIII). Deus namque verus, et Dei Filius non adoptivus, sed consubstantialis et coæternus erat, qui in Evangelio dicebat : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam* (*Joan.* X). Quod autem similitudinem pruinæ idem manna habuerit, nullatenus nos a divino et mystico intellectu repellit, sed potius ad intelligendam tantæ profunditatis veritatem subtiliter introducit. Omnibus fere hominibus liquet qui utuntur ratione humana, quod pruina, nihil est aliud, nisi aqua gelu constricta, quæ eo tempore maxime apparet, quando sol a fervore sui ardoris aliquantulum tepescit, et brumalis aura D aquam quam super terram reperit asperitate sui frigoris congelascit. Ideo ergo, ut arbitramur, in similitudinem pruinæ manna apparuit super terram, ut insinuaret nobis Judaicæ plebis duritiam sive infidelitatem. Unde in Evangelio scriptum est : *Facta sunt encænia in Hierosolymis, et hiems erat* (*ibid.*). Circumdederunt ergo Judæi Christum dicentes : *Quousque animam nostram tollis : Si tu es Christus, dic nobis palam* (*ibid.*). Luce igitur clarius constat, quia frigus et torpor infidelitatis corda illorum obtinebat, qui Christum insidiis circumvenire satagebant, et in eum qui ob salutem ipsorum venerat, quasi ignorassent quis esset, credere recusabant. Ad duritiam quippe cordium Judæorum insinuandam evangelista dicit quia hiems erat, quando Judæi Domino Jesu dixerunt : *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Unde bene in Exodo sequitur, quia cum vidissent manna filii Israel dixerunt : *Manhu, quod significat. Quid est hoc? Ignorabant enim quid esset.* Ecce enim patres in deserto, viso manna dicunt : *Quid est hoc?* Filii autem illorum videntes illum cujus figuram illud manna tenebat, dicunt : *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Quis igitur tanta admiratione perfusus merito non obstupescat, quando antiqua lex et nova Evangelii prædicatio unum atque idem clamat? De Judæis autem in veteri lege textus historiæ narrat, quia manna quid esset penitus ignorabant. De filiis vero illorum Paulus apostolus, novæ legis prædicator egregius dicit : *Si enim Jesum Dominum cognovissent, nunquam Regem gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II). Manet ergo usque in hodiernum diem apud perfidos Judæos ignorantia Manhu, sed manet apud fideles Christianos intemerata fides et cognitio Domini Jesu. Interrogent denique Judæi Movsen Manhu quid sit; respondeat illis Moyses : Hic est panis quem ad vescendum Dominus de cœlo vobis dedit.

Nos autem sopita nostra interrogatione, intenta aure cordis percipiamus quid Dominus in Evangelio dixerit Judæis : *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt* (*Joan.* VI). Sed quare mortui sunt? quia de illo manna nihil aliud credebant, nisi quod corporeis oculis videbant. Similiter vero et filii eorum paterna infidelitate et cæcitate perculsi Christum solum hominem esse arbitrabantur, et illum verum Deum et verum Dei Filium credere dedignabantur.

Constat ergo pro rato quoniam quidem patres et filii, simili morte infidelitatis sunt damnati. Quibus bene in Evangelio Dominus dicit : *Dixi vobis quia in peccato vestro moriemini* (*Joan.* VIII). Quod utique bene longe ante prophetaverat Ezechiel propheta qui dixerat : *Et quare moriemini filii Israel? quia* **297** *nolo mortem peccatoris, dicit Dominus, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII). Qui igitur non de præsenti, sed de futuro prophetat, dicens : *Moriemini;* manifeste denuntiat perfidiam Judæorum, et quia in ipsum, qui pro ipsis nasciturus erat, non essent credituri.

RECAPITULATIO A SUPERIORIBUS,

DE UBERIBUS SPONSI.

In anteriore tractatu hujus libri, cum juxta modulum nostrum disputaremus de uberibus Sponsi, ipsa ejus ubera secundum spiritualem intelligentiam interpretati sumus clementiam et misericordiam; ita duntaxat, ut ad ejus divinitatem referatur clementia, et humanitati illius attribuatur misericordia. Horum igitur spiritualium uberum Sponsi, quæ sunt clementia et misericordia, plerisque in locis figura reperitur per sacra eloquia. Unde est illud in tertio libro Regum (*cap.* VI) : *Fecit,* inquit, *Salomon in ingressu oraculi duo ostia de lignis olivarum et sculpsit in eis victuram cherubim, et palma-*

rum species, et anaglypta valde prominentia, et operuit tam cherubim quam palmas et cætera auro. Horum, inquam, spiritualium uberum Sponsi, scilicet clementiæ et misericordiæ invenitur figura in eodem libro Regum (*cap.* x) sub manuum appellatione, sicut scriptum est : *Fecit*, inquit, *rex Salomon thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis qui habebat sex gradus, et summitas throni rotunda erat in parte posteriori, et duæ manus hinc atque inde tenentes sedile, et duo leones stabant juxta manus singulas, et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde.* Postea autem subinfert Regum historia, quia *non est factum tale opus in universis regnis* (*ibid*). Hæc, inquam, sunt duo ubera spiritualia Sponsi, quæ Zacharias propheta duas olivas in libro suo (*cap.* IV) appellat. Quemadmodum ibi scriptum est : *Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus super caput ipsius, et septem lucernæ ejus super illud, et septem infusoria lucernis quæ erant super caput illius, et duæ olivæ super illud, una a dextris lampadis, et una a sinistris ejus*, et in sequentibus cum idem propheta ab Angelo quæreret, qui ei loquebatur, quid essent duæ olivæ, sive duæ species, olivarum quæ sunt juxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria ex auro; responsum est ei ab Angelo sancto : *Isti sunt duo filii olei splendoris qui assistunt dominatori universæ terræ* (*ibid.*). Si jam nunc ad nostræ narrationis ordinem redeamus, et quomodo duo ostia de lignis olivarum in ingressu oraculi posita, duo ubera Sponsi clementiam et misericordiam significent, ostendamus ; verumtamen remoto velamine litteræ occidentis, prius dicendum est amicis gratiæ spiritalis, quia qui Sponsus appellatur in Canticis canticorum, ipse oraculum templi, et thronus eburneus vocatur in libro Regum. Hunc denique et Zacharias propheta in Spiritu sancto candelabrum aureum nominavit. Sicut igitur in corpore humano corporaliter ubera sunt inflxa, sic Christo naturaliter insitæ sunt istæ duæ virtutes, clementia scilicet et misericordia. Unde merito ejus ubera appellantur, quia dulci affluentia harum virtutum orbis terrarum impletur, nutritur et sustentatur. De qua nimirum affluentia David propheta dicit : *Misericordia Domini plena est terra* (*Psal.* XXXII). Quomodo enim mundus iste posset subsistere qui tot iniquitatibus prægravatur, aut qualiter genus mortalium salutem acquireret, si remota Dei clementia et misericordia judicaretur ? Manifestum est, quia nec mundus, nec homo, sola diei hora valeret subsistere, si Deus ad mala quæ fiunt ab hominibus in hoc mundo, et non ad suam clementiam vellet respicere. Propterea et David propheta dicit : *Domine, non secundum peccata nostra facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis* (*Psal.* CII). Bene itaque per duo ostia oraculi, accipiuntur ubera Sponsi, quia sicut per illa ostia, qui ingressuri erant oraculum, ingrediebantur, sic qui regnum cœlorum intraturi sunt, non suis meritis vel operibus, sed clementia et misericordia Dei intrabunt. Verumtamen quid esse arbitramur, quod in ostiis oraculi cherubim, et palmæ, anaglypta quoque sculpta esse dicuntur ? Manifeste patet, quia cherubim, *multitudo scientiæ* vel *sapientiæ* interpretatur, et multis notum est quoniam quidem antiquis temporibus victorum manus ob insigne laudis et victoriæ, palmis adornabantur. Anaglyptum vero quantum intelligi datur quoddam genus sculpturæ esse dicitur, cujus pars posterior intrinsecus latet ; sed anterior humani ingenii opere sculptorio deformata, ultra modum prominet. Non igitur immerito in ostiis oraculi cherubin sculpta esse reperiuntur, quæ *multitudo scientiæ* vel *sapientiæ* interpretantur, quia nimirum justum esse reor, ut hi qui de clementia et misericordia Dei sperant, a vera scientia vel sapientia nullatenus recedant. Non enim est aliqua major sapientia, quam ut homo a malo funditus recedat, et bonum, quo Deo placeat, sine intervallo faciat. Quam utique sapientiam Psalmista paucis verbis comprehendere curavit, dicens : *Declina a malo et fac bonum* (*Psal.* XXXVI). Palmarum vero species recto ordine 298 post cherubim sequuntur, quia illorum manus victrici palma juste decorantur, qui bonis operibus intenta devotione insudant, et a malis, quantum fas mortalibus est, sollicita intentione sibi præcavent. Unde bene ecclesiastica auctoritas egregio usu jampridem obtinuit, ut martyrum Christi et virginum dextræ palmis laude dignis debeant insigniri, quæ sæculum præsens despiciendo vicerunt, et virginitatem et castitatem suam servando, corpora sua pro amore cœlestis regni martyrio tradere non dubitaverunt. Ingens siquidem victoria est, integritatem mentis et corporis in hoc sæculo custodire, et seipsum cum præsenti mundo usque ad mortem vincendo contemnere. Espropter ipse mundi Creator, qui sæculum nequam despiciendo calcaverat, militibus suis exhortatoria voce dicebat : *Confidite, quia ego vici mundum* (*Joan.* XVI). Nullatenus denique melius mundum vincere valemus, quam ut ipsi et eis rebus, quæ ejus juris sunt, penitus renuntiemus. Qui autem jam a malo se temperat, et bene operatur, qui virginitatem seu castitatem servat, et mundo perfecte renuntiasse videtur, expedit illi ut ab appetitu cæterarum virtutum habenas sui cursus non retrahat, quarum scilicet virtutum figuram spiritualiter tenere dignoscuntur anaglypta quæ in ostiis oraculi sculpta reperiuntur. Anaglypta quippe, ut superius præfati sumus, sculpturæ sunt quæ intrinsecus posteriori parte absconduntur, sed anterior earum pars cunctis cernentibus liquido manifestatur.

Qui ergo visceribus charitatis intus affluit, et ejusdem charitatis opera foris proximis largiter impendit, qui obedientiam servat in mente, et ejusdem obedientiæ opera exhibet quandoque in operatione, qui humilis et mitis est in corde, et ejusdem humilitatis et mansuetudinis habet indicia in exteriori exhibitione, qui reliqua virtutum in se exprimit

vestigia, ex hujus procul dubio mente et corpore prodeunt spiritualiter anaglypta valde prominentia. Sic denique de reliquis virtutibus sentiendum est. Si quis autem castitatem amat intus, si carnem foris macerat, si jejunat, vigilat, laborat et orat; iste, remota omni dubietate, anaglypta in carne sua exsculpta esse manifestat. Quoniam igitur sine fide impossibile est salvari, ideo merito historia subinfert, quod Salomon operuit auro cherubin et palmas et anaglypta. Qui enim supradictis virtutibus, quæ per cherubin et palmas et anaglypta significantur, abundaverit, si tamen Catholica fide caruerit, nequaquam salvari poterit. Quod autem per aurum in Scripturis sacris fides Catholica intelligitur, beatus Petrus edocet qui ait: *Ut fides vestra multo pretiosior sit auro quod per ignem probatur* (*I Petr.* I). Ecce ostendimus quod per duo ostia oraculi, duo ubera Sponsi, scilicet clementia et misericordia Dei debeant spiritualiter intelligi.

Ipse enim Christus est verum et spirituale oraculum, quia per ipsum orationes nostræ exaudiuntur apud Deum Patrem. Unde beatus Joannes dicit: *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (*I Joan.* II).

RECAPITULATIO A SUPERIORIBUS

DE THRONO EBURNEO QUEM FECIT SALOMON, QUOMODO REFERRI DEBEAT AD PERSONAM CHRISTI.

Superius præfati sumus quod Dominus Jesus qui in Canticis canticorum appellatur Sponsus, ipse nimirum in libro Regum vocatur oraculum templi, et thronus eburneus. Præterea hoc addidimus, quod per duo ostia oraculi clementia et misericordia Dei, videlicet ubera Sponsi, debeant intelligi. Subjunximus denique sufficientem rationem, quia sicut ingredientes oraculum per illa ostia ingrediebantur, sic utique per clementiam et misericordiam Dei, qui salvandi sunt, salvabuntur. Superest igitur ut ad thronum ex ebore conditum accedamus, et quemadmodum idem thronus in figura Christi a Salomone sit factus, pro modulo nostro disseramus. Tunc demum necesse erit ut allegorizando spirituali sensu perscrutemur, qualiter illæ duæ manus de quibus in præcedenti loco loquebamur quæ in throno eburneo sedile tenent, figuram clementiæ et misericordiæ, scilicet uberum Sponsi, spiritualiter teneant. Verumtamen pius considerandum nobis est, utrum in divinis eloquiis alicubi de throno aliquid dicatur, quatenus hoc quod dicere volumus, ex auctoritate sacrorum eloquiorum corroboretur. In Apocalypsi Joannes dicit: *De throno procedunt fulgura, et voces, et tonitrua* (*Apoc.* IV). Ac si dicat: De Christo, qui est thronus aureus, in quo requievit plenitudo divinitatis, prodeunt fulgura, id est, miraculorum insignia, et voces evangelicæ prædicationis, tonitrua videlicet terrores futuri judicii et extremæ damnationis.

Præterea hoc neminem lateat quoniam quidem thronus, de quo loqui satagimus, et quem ad personam Christi spiritualiter referri disponimus, non solum de ebore, verum etiam de auro clarissimo exstitisse describitur. Patet igitur et sub nulla ex hoc redigimur ambiguitate, quia per aurum, divinitatem 299 et per ebur, ejus humanitatem debeamus intelligere. Quod vero aurum significationem divinitatis Christi obtinet, difficili interpretatione non indiget, quia sicut aurum ob pretiositatem sui, omnia metalla antecedit, sic nimirum divinitas Christi, non solum humanitatem ejus, sed etiam omnes creaturas ob excellentiam suæ dignitatis præcellit. Unde eleganter Spiritus sanctus, postquam dixit per os historiographi, quod fecerit Salomon *thronum de ebore grandem*, subsequenter adjunxit: *Et vestivit eum auro fulvo nimis*, ut manifestaretur quantum prærogativa divinitatis excelleret assumptam materiam humanitatis. Certum est enim, et nullus ambigit, quia res quæ aliam rem vestit, ipsi rei superponitur quam supervestire videtur. Sicut ergo aurum splendidissimum suo splendore et sua claritate thronum, quem vestiebat, decorabat, adornabat et clarificabat; sic procul dubio divinitatis hominem illum quem assumpsit, ad hoc usque suam glorificationem provexit, ut ipse homo participatione divinitatis Deus effectus sit. Multum igitur nostra humanitas profecit, quæ ad participationem supernæ deitatis in assumptione assumentis divinitatis glorificata ascendit. Denique quanto in primo Adam deterior exstitit ad inferos ejus descensio, tanto in secundo Adam gloriosior et excellentior fuit ejus ad cœlos ascensio. Et sicut non erat quo infelicius a diabolo seducta de paradiso præcipitaretur, sic non fuerat quo felicius et gloriosius a Christo sublimaretur.

Exaltata est igitur caro nostra in Christo super omnem creaturam et supra se ipsam; supra se ipsam dico, quia nequaquam promeruit illam dignitatem ad quam pervenit. Et hoc est nimirum quod propheta longe, antequam fieret, prophetaverat. *Consilium tuum, Domine, antiquum verum fiat* (*Isa.* XXV). Istud sane consilium ab æterno, et ante æternum (si dici fas est!) erat in dispositione summæ deitatis, ut nostra caro a Christo assumenda et glorificanda celsificaretur usque ad contemplationem divinæ majestatis. De hac utique glorificatione nostræ humanitatis vel assumptione, propheta Ezechiel (*cap.* XVII) spirituali refectus contemplatione mihi videtur dicere: *Aquila magna magno alarum præsidio fulta, et multa varietate plumarum decorata venit ad cedrum quæ erat in Libano, et tulit de medulla cedri et asportavit eam, et collocavit eam in monte sancto et excelso.* Quæ est ergo ista aquila, nisi illa de qua dicit propheta: *Sicut aquila provocat ad volandum pullos suos et super eos volitans expandit alas suas, et assumpsit eos, atque portavit in humeris suis?* (*Deut.* XXXII) Et tanquam si aliquis quæreret ab eo, de qua aquila loqueretur, illico quia hæc de Deo dixerit manifeste subjunxit; *Dominus solus dux ejus fuit* (*ibid.*). Ista igitur aquila

venit ad cedrum quæ erat in Libano, et de medulla ejus sibi assumpsit; quando Verbum de corde Patris eructatum venit ad beatam Mariam, et de virginea ejus carne sacrosanctum et intemeratum sibi corpus accepit. Et sicut de illa aquila dicit propheta, quod medullam illam quam de cedro tulerat, in monte sancto et excelso collocavit, sic nimirum Dei Filius, videlicet Verbum Patris, carnem nostram quam de beata Virgine Maria assumpsit, in sede majestatis suæ secum ad dexteram sui Patris sublimavit. Quod autem beata Maria cedrus Libani appelletur, ex ecclesiastico usu potius quam ex aliqua difficili interpretatione patenter dignoscitur. Sic enim sancta Ecclesia dicit in ejus quotidiano servitio : *Quasi cedrus exaltata sum in Libano* (*Eccli.* XXIV). Et quia Libanus, *candidatio* interpretatur, non immerito virginitati beatæ Mariæ comparatur. Sicut enim materialis cedrus in Libano fuit exaltata, sic beata Maria ob singulare privilegium suæ virginitatis apud Deum est glorificata et præelecta. Sed jam nunc ad thronum aureum et eburneum superius revertamur, et qualiter figuram Dominici corporis tenuerit, spiritualibus oculis intueamur. *Fecit*, inquit, *Salomon thronum de ebore grandem* (*III Reg.* X). Vere thronus iste admirabili celsitudine exstitit grandis, quia ut Psalmista ait : *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis* (*Psal.* CXLIV). Præterea paulo ante declaravimus ut quid thronus iste auro pretiosissimo fuerit vestitus, nunc superest ut mens nostra in lucem proferat quare idem thronus sit eburneus, qui Dominici corporis figuram gerebat. Sicut enim ante nos dixerunt qui de naturis rerum prudenti solertia disputaverunt, ebur tam admirabilis virtutis, et frigiditatis est, ut si pannus lineus super ipsum ebur mittatur et ipsi panno lineo carbo vivus desuper imponatur, sua virtute ebur pannum qui illi adhæret illæsum custodit, ne a supraposito carbone vivo consumi penitus aut cremari possit. Qui ergo manifeste non clarescit vel tenuiter scienti, quomodo ista comparatio aptari debeat corpori Christi? Sicut enim ebur naturali virtute superpositum pannum ab ardore ignis inviolatum conservat, sic divinitas quæ in corpore Christi adumbrata erat, ipsum corpus ab omni nævo peccati immune custodiebat. Eapropter et beatus Petrus apostolus de Domino Jesu loquens aiebat : *Qui peccatum*, inquit, *non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petr.* II). Quod autem sex gradus in throno fuisse referuntur quibus ad sedile throni gradatim ascendebatur, manifesta ratione Historia sacra nos perdocuit quia **300** per sex sæculi labentis ætates Deus Filius se venturum ad suam incarnationem mysticis et occultis modis nobis repromisit. In prima siquidem ætate quæ Adam usque Noe exstitit, se venturum spopondit quando mulieri denuntiavit, dicens : *Semen tuum conteret caput serpentis* (*Gen.* III). In secunda vero ætate quæ a Noe usque ad Abraham fuit, venturum se indicavit, quando filiis Noe dixit : *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* VIII). In tertia autem ætate quæ ab Abraham usque ad Moysen decurrit, adfuturum se præfiguravit, quando ejusdem prophetæ proli benedixit, dicens : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII). In quarta vero ætate quæ erat a Moyse usque ad David, in multiplici sacrificiorum religione adfore se insinuavit. In quinta autem ætate quæ erat a David usque ad nativitatem beatæ Mariæ floruit, quia ipse est Rex regum et sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX), in regibus et sacerdotibus figuraliter se venturum esse denuntiavit. Sexta ætas, ipsa est quæ nunc agitur ab ortu beatæ Mariæ Virginis usque ad diem judicii, in qua ad incarnationem suam clementer dignatus est venire Filius Dei, sicut sexto gradu perveniebatur ad illud gloriosum sedile quod erat in medio throni aurei et eburnei (*III Reg.* X). Quod autem dicitur quia summitatis throni rotunda sit in posteriori parte, nequaquam cum ignavia a prudenti lectore prætereundum est. Nullus enim fere ignorat qui aliquanto sensu abundat, quia quidquid est rotundum, et omni parte sui, est perfectum. De Christo namque cujus figuram thronus ille tenuit, sancta Ecclesia filiis suis prædicat, dicens : *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens* (98). Duæ autem manus quæ in præfato throno, hinc atque inde sedile tenent, non incongrue clementia et misericordia nostri Salvatoris intelligi debent; quæ hoc egerunt, ut pro redemptione generis humani carnem Christus acciperet, et mortem quam penitus ignorabat, ad tempus degustaret. Unde et David propheta dicit : *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput* (*Psal.* CIX). Hæc, inquam, sunt spiritualia ubera Sponsi in Canticis canticorum, duæ manus quæ tenent sedile throni aurei et eburnei in libro Regum, scilicet clementia et misericordia, quæ fecerunt ut Deus homo fieret, et nos ad gaudia paradisi, quæ per Adam perdidimus, mirabiliter reduceret.

Videamus denique quid sit quod superius textus historiæ nobis recitavit : *Juxta*, inquit, *singulas manus duo leones stabant* (*III Reg.* X). Manifesta quippe ratione ex præcedenti sermone intelligimus, quia non amplius ibi erant quam duæ manus, et si singulis manibus duo leones deputati erant, pro certo tenemus quia non nisi quatuor leones tantummodo inibi assistebant. Quid ergo quatuor leones, qui juxta singulas manus positi sunt, insinuant, nisi quatuor evangelia quæ ubique clementiam et misericordiam Dei prædicant? Sic enim habes in Evangelio scriptum : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* XVI). Et alio in loco : *Pœnitentiam agite, appropinquavit regnum cœlorum* (*Matth.* IV). Duodecim leunculi quos sacra historia refert super sex gradus exstitisse, plenitudinem et perfectionem

(98) Athanas. in Symbolo.

donorum spiritualium significant; quæ nullus dubitat super Christum requievisse, et mansisse. In Christo, ut Apostolus ait : *Habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II). Et *de plenitudine ejus*, inquit Joannes, *nos omnes accepimus* (*Joan.* I). Interim si per septem dona Spiritus sancti, quæ Isaias in Christo requievisse narrat, et per virtutes quas sancta Ecclesia præcipue commendat, istos duodecim leunculos volumus intelligere, noster intellectus etiam apud inimicos veritatis, dignus digna judicabitur laude. Sic enim dicit Isaias : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI). His igitur septem Spiritus sancti donis, si quinque virtutes, scilicet fidem, spem, charitatem, bonum opus, et castitatem adjunxeris, procul dubio duodenarium numerum adimplebis. Septem quippe, et quinque, quando in unum conveniunt, duodenarium numerum indubitanter efficiunt. Isti igitur spirituales leunculi, ut arbitror, melioris et dignioris sunt pretii, quam illi quos Salomon stare fecit super sex gradus in medio throni aurei et eburnei.

Post hæc, historia quasi sub quadam admiratione refert, quia *non est factum tale opus in universis regnis* (*III Reg.* X). Et bene quidem justeque satis hoc historia retulit. Non est enim factum tale opus in universis regnis, quale est illud quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Non est, inquam, tale opus in universis regnis factum, ut Deus, homo efficeretur, et redimeret suo sanguine genus humanum quod perierat. Vere, inquam, non est factum tam gloriosum opus in universis regnis, ut natura nostra, prorsus jam de salute desperata, abstraheretur ab inferis, et in cœlo collocaretur ad dexteram Dei Patris.

301 RECAPITULATIO A SUPERIORIBUS.

DE THRONO AUREO ET EBURNEO QUEM FECIT SALOMON, QUOMODO DEBEAT REFERRI AD PERSONAM SANCTÆ ECCLESIÆ.

Omnia fere sacramentalia verba quæ in Scripturis divinitus inspiratis adumbrata reperiuntur, aliquando quidem ad caput nostrum, qui est Christus, referuntur, aliquando vero universaliter sanctæ Ecclesiæ quæ est corpus ejusdem capitis nostri, debent assignari, aliquando singulis quibusque fidelibus, qui sunt membra prædicti capitis et corporis, non inconvenienter possunt aptari.

Quod enim ita sit, sciamus pro certo quia sicut thronus eburneus, de quo sæpe jam locuti sumus, Domino Jesu Christo convenit, sic consequenter sanctæ Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, congruit. Sed quia jam prout facultas ingenii nostri suppetiit, supra dictum thronum capiti nostro Christo allegorice assignavimus, restat nunc ut eumdem corpori nostro sanctæ Ecclesiæ allegorico sensu ascribamus.

A *Fecit*, inquit, *Salomon thronum de ebore grandem* (*III Reg.* X). Quia enim Salomon interpretatur *pacificus*, non immerito per Salomonem accipitur Dominus Jesus Christus. De quo nimirum Paulus apostolus dicit : *Ipse est pax nostra qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II.) Iste rex ergo pacificus noster fecit thronum eburneum, quia sicut divina pagina testatur : *Sapientia ædificavit sibi domum* (*Prov.* IX), et quia sancta Ecclesia in omnibus documentis, suis castitatem maxime observandam prædicat, eleganter quoque thronum illum, qui sanctam Ecclesiam præfiguravit, ex ebore conditum esse constat. Ebur enim os est elephantis; quod animal tantæ fertur esse frigiditatis ut aut raro, aut semel in anno, ut arbitramur, vix accedat ad jura persolvenda coitus
B naturalis. Quod utique sanctæ Ecclesiæ sacramentis decenter alludit, quæ nonnullis ex filiis suis conjugalia opera funditus interdicit, aliquibus vero ob reparandam successionem humanæ prolis conjugales actus indulgendo concedit. Est præterea aliud sacramentum quod de elephante et de dracone dici solet, quod sine dubio sanctæ Ecclesiæ specialiter assignari debet : draeo quippe, ut ait beatus Augustinus, serpens vel animal est duodecim cubitorum longitudinis, qui idcirco elephantem prosequitur, quia illius sanguis est ei potus valde delectabilis. Quapropter quando vult eum interficere ut sanguinem ejus quem desiderat, delectabiliter valeat epotare, longitudine corporis et caudæ, elephantis pedes illaqueat, ne elephas usquam aut divertere,
C aut procedere queat. Sicque miro modo fit, ut dum elephas illaqueatis pedibus super draconem constrictus obruitur, ipsum draconem mole sui corporis deprimat et occidat qui ei mortem inferre moliebatur. Quid ergo significat iste elephas, nisi sanctam Ecclesiam? Et quid draco ille, nisi diabolum qui assiduis machinationibus persequitur eamdem sanctam Ecclesiam? Unde et in Apocalypsi sua Joannes apostolus dicit : *Et draco persecutus est mulierem, et mulier fugit in solitudinem. Et misit draco flumen post mulierem ut faceret eam trahi a flumine* (*Apoc.* XII). Hæc est autem illa mulier, scilicet sancta Ecclesia, de qua per Salomonem dicitur : *Mulierem fortem quis inveniet?* (*Prov.* XXXI.) Sciendum præterea quia
D sancta Ecclesia quæ appellatur Sponsa et columba et amica in Canticis canticorum (*cap.* II), ipsa dicitur thronus eburneus in libro Regum. Et quam Salomon vocat mulierem fortem, illam Joannes in Apocalypsi nominat mulierem in solitudine fugientem. Ipsa est denique domus quam ædificavit sapientia super septem columnas subsistentem. Quod autem dicitur, quia thronus ille quem fecit Salomon de ebore, grandis exstitit; nullatenus hoc sanctæ Ecclesiæ contrarium existit. Ipsa est enim quæ in capite suo scilicet Christo cœli altitudinem penetravit, et pedibus suis videlicet apostolis, subvecta usque ad extrema totius mundi pervenit. Quod utique bene in Daniele propheta præfiguratur, quando impiissimo regi Nabuchodonosor sub specie cujusdam magnæ

arboris per visionem sancta Ecclesia demonstratur. Sicut ibi scriptum est : *Vidi, et ecce quædam magna arbor erat in medio terræ, cujus proceritas pertingebat usque ad cælum, et rami illius dilatabantur usque ad terminos terræ* (*Dan.* IV.) Subter eam habitabant bestiæ agri, et in ramis ejus morabantur volucres cœli, et cibus omnium erat in arbore illa, et ex illa vescebatur omnis caro. Arbor igitur in medio terræ sancta Ecclesia est, de qua dicitur quia *operatus est Deus salutem in medio terræ* (*Psal.* LXXIII). Proceritas ejus quæ usque ad cœlum pertingit, caput sanctæ Ecclesiæ est Christus, de quo Paulus dicit : *Habemus pontificem magnum Christum Jesum qui penetravit cœlos* (*Hebr.* IV). Rami vero illius sunt Apostoli quibus Dominus aiebat : *Ego sum vitis, vos palmites estis* (*Joan.* XV). Unde bene dicitur quod rami illius usque ad terminos terræ dilatabantur, quia *in omnem terram exivit sonus* apostolorum, *et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII). Quod autem Propheta subjunxit, quia sub terra habitant bestiæ agri, et in ramis ejus morabantur **302** volucres cœli, per bestias, homines bestiales possunt accipi, et per volucres, spirituales viri debent intelligi. Illi enim utpote animales, infimum in sancta Ecclesia obtinent locum : isti vero, veluti spirituales ad sublimia seipsos provehunt pennis virtutum. Cibus vero omnium qui in illa arbore fuisse refertur evangelica prædicatio est, videlicet refectio animarum fidelium, quæ in Ecclesia prædicatur. Et quoniam quidem in fine hujus visionis subnectitur quod omnis caro ex illa arbore vescebatur, manifeste datur intelligi quia omnis caro quæ debet in die judicii salvari, necesse est ut secundum Evangelium Christi vivat, et a sancta Ecclesia nullatenus recedat. Quod autem Regum historia subintulit, quia Salomon thronum quem fecerat auro radiante vestierit, nequaquam a sacramentis ecclesiasticis nos repellit : Sancta enim Ecclesia auro clarissimo est vestita, quia omni sapientiæ ornatu est decorata. Per aurum quippe sapientia designatur, sicut per quemdam sapientem dicitur : *Sapientia occulta et thesaurus absconditus, quæ utilitas est in utrisque ?* (*Eccli.* XL.) Præterea si per aurum, spiritualium virtutum ornamenta intelligere volumus, quomodo Psalmista nostro intellectui occurrat, mente devota audiamus. *Omnis gloria*, inquit, *filiæ regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietatibus* (*Psal.* XXXXIV). Sex autem gradus qui in supradicto throno erant, sex gradus ecclesiasticos qui in sancta Ecclesia sunt, significant ; scilicet lectores, ostiarios, acolythos, subdiaconos, levitas, presbyteros. Sicut enim per illos sex gradus usque ad sedile throni ascendebatur, sic nimirum his sex gradibus ecclesiasticis ad sacrosanctum altare pertingitur. Quod vero liber Regum refert quia thronus ille rotundus fuerit, hoc significat, quoniam sancta Ecclesia ascendendo de virtute in virtutem semper ad perfectionem tendit. Unde in Canticis canticorum dicitur : *Venter tuus sicut crater tornatilis* (*cap.* VII). Quid-

A quid enim torno efficitur, liquido constat quia perfectius humano visui exhibetur. Duæ autem manus quæ tenent sedile, divinitas et humanitas Christi sunt, quæ in sancta Ecclesia nobis sacrosanctum Altare construunt. Nisi enim Deus homo fieret, nequaquam caro ejus in altari sancto quotidie immolaretur. Et nisi ipse Deus homo fieret verus Deus, nullatenus cum Patre et Spiritu sancto pari honore adoraretur. Quatuor leones qui ibi juxta manus stabant, quatuor virtutes significant, scilicet justitiam, fortitudinem, prudentiam, temperantiam, quæ in sancta Ecclesia triumphale signum obtinent. Duodecim leunculi qui stabant super sex gradus hinc atque inde, duodecim sunt apostoli, videlicet prædicatores sanctæ Ecclesiæ. Quia enim leones fortia
B animalia sunt et regiæ dignitatis, et auctoritatis typum gerunt, non immerito per leones Apostoli intelliguntur, quorum regia dignitas, et regalis auctoritas quatuor per climata mundi prædicatur. In conclusione autem sententiæ hujus, Regum historia subjunxit, quia tale opus non est factum in universis regnis. Verum equidem dicit Regum historia quoniam opus tam admirabile alicubi non est factum sicuti est sancta Ecclesia, quæ filiis suis per fidem et operationem quotidie patefacit regna cœlestia.

RECAPITULATIO A SUPERIORIBUS

DE THRONO EBURNEO, QUOMODO DEBEAT REFERRI AD MORALITEM.

C Qui mores instruere vult in hominibus, debet ipse esse instructus suis moribus. Sed quia hoc difficile reperitur ut aliquis ex omni parte bonis moribus adornetur, non tamen prorsus ab ædificatione morum cessare debemus, quia hoc ex auctoritate divinorum eloquiorum obtinemus, quod semper mens nostra debet bonis moribus et operibus intenta esse, et lingua laudes sui conditoris infatigabili devotione omnibus propalare. Quicunque scripturam illam legis vel audis quæ hoc dicit quomodo Salomon thronum de ebore grandem fecerit, non attendas ad illum thronum duntaxat materialem, sed respice ad tuum corpus, et ad tuam animam, quoniam quidem quod in illo throno actum
D est materialiter, hoc in te ipso reperire potes spiritualiter et moraliter. Thronus quippe aureus et eburneus, spiritualiter et moraliter esse poteris, si veræ sapientiæ quæ per aurum designatur, operam dederis, et castitati quæ per ebur demonstratur, mente et corpore perfecte studueris. Sunt denique in te sex illi gradus quibus ascendebatur ad perfectum sedile, scilicet sex opera misericordiæ, quæ, quia superius jam enarrasse nos æstimamus, hic pro fastidio lectoris devitando reticemus. Et quoniam thronus rotundus dicitur fuisse, manifeste indicat quia thronus Dei desiderat esse, omni perfectioni studeat, mentem et linguam corpusque ab omni peccato custodiat. Duæ autem manus quæ tenent sedile, duæ res sunt ; scilicet voluntas Dei, et præsens vita, quæ retinent animam in hoc corpore.

Quod vero anima uniuscujusque fidelis sedile appellari queat, hoc divina pagina etiam nobis tacentibus clamat, dicens : *Anima justi sedes est sapientiæ* (*Sap.* VII). Quatuor autem leones qui juxta supradictas manus sunt, quatuor virtutes **303** scilicet timor et amor, contemptus et dilectio recte intelligi possunt. Debemus enim voluntatem Dei et amare, et timere, vitam vero præsentem, prout expedit, et diligere, et contemnere. Duodecim vero leunculi qui super sex gradus stant hinc atque inde, duodecim sunt sacramenta sanctæ Ecclesiæ, scilicet trina abrenuntiatio diaboli, trinaque professio catholicæ fidei. susceptio sacri baptismi. communicatio corporis et sanguinis Christi. confessio, pœnitentia, in Spiritu sancto peccatorum indulgentia, et in bonis operibus usque ad mortem perseverantia. Isti igitur sunt spirituales leones, qui illum leonem, qui circuit quærens quem devoret, ab animabus fidelium longe faciunt ; et ne in eis ulterius habitare præsumat, sua virtute et sanctificatione repellunt. Postea vero historiographus istam sententiam tali fine conclusit, dicens : *Non est factum tale opus in universis regnis* (*III Reg.* X). Qui bene est morigeratus, cujus mores longe lateque suavissimum spirant odorem, qui bonis moribus assidue insistit et inhæret, qui sacrificium quotidianum seipsum Deo offert, cujus mores approbat Deus et laudat, qui suis correctis moribus de animali efficitur spiritualis, iste procul dubio potest dicere de seipso quod *non est factum tale opus in universis regnis.*

RECAPITULATIO A SUPERIORIBUS, DE THRONO EBURNEO ET AUREO, QUALITER SUB ALLEGORICA INTERPRETATIONE REFERRI DEBEAT AD PERSONAM BEATÆ, ET GLORIOSÆ, ET PERPETUÆ SEMPER VIRGINIS MARIÆ.

Fecit, inquit, *Salomon thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro clarissimo nimis* (*ibid.*). Obsecro, Domina mea clarissima, si ego loquar aliquid minus dignum quam mereatur dignitas tua, non mihi hoc proveniat ad animæ detrimentum, sed obveniat ad meriti et gloriæ cœlestis augmentum. Scio enim, scio, quia si omnia membra mea in linguas verterentur, non valerem ut dignum est effari laudes tuas, quas sublimis gloria tuæ singularis virginitatis promeretur. Scio, inquam, Domina mea, etiamsi omnia esse mea possent loqui, non tamen invenirent in cœlo aut in terra aliquam similem tibi. In cœlo autem similis tibi nullus est, quia si de Deo agimus, Deus major te est, et idcirco similis tui non est. Si vero de sanctis, vel de angelis, vel aliquibus creaturis, quamvis a Deo creatis vult aliquid dicere lingua nostra, manifestum est quod omnes creaturas excellit et præcellit dignitas tua, quia sicut scriptum est, *Exaltata es super choros angelorum ad cœlestia regna.* Obsecro iterum mea Domina millies plus quam charissima, servulos tuos qui te libenter honorant, et tibi devote serviunt. et de te quod dignum est decenter loquuntur, precibus et meritis tuis omnes adjuva, et sustenta, conforta ab omni peccato, conserva et perduc illos ad immortalia Filii tui gaudia.

A Tu es ergo thronus ille non quem fecit Salomon rex mortalis, filius scilicet David regis, sed potius ille quem elegit ab æterno, et præelegit sibi ad habitandum Deus, Dei Filius videlicet rex immortalis. Tu es ille thronus de quo Psalmista dicit : *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui* (*Psal.* XLIV). Tu es, inquam, mea Domina, omnibus charissimis charior, thronus de auro cœlesti, et ebore spirituali constitutus. Per aurum intelligitur Christi Filii tui divinitas, per ebur vero quod frigidæ naturæ est, sacrosancta tua virginitas. Ex auro ergo divinæ majestatis, et ex ebore perpetuæ virginitatis es constituta, quia et divinitas Filii tui cooperante Spiritu sancto in te est ineffabiliter adumbrata, et virginitas tua permanet et permansit B tibi illibata. Præterea hoc quod de natura eboris solent dicere inquisitores naturarum, nequaquam reor sub silentio prætereundum. Congruit enim beatæ Mariæ dignitati, et ejus auxilii sublimi potestati. Siquidem dicunt quia si ebur dolenti capiti persæpe adhibitum fuerit, virtute naturali omnem dolorem mitigat capitis et expellit. Qui ergo in capite, hoc est in mente, vitiorum telis vulnerati dolent, isti sine dubio necesse est ut auxilium et opem sanctæ Dei Genitricis Mariæ implorent, et ex intimo affectu cordis dicant : « Sub tuam protectionem confugimus, ubi infirmi acceperunt virtutem, et propter hoc Dei Genitrix virgo tuæ dignitati referimus gratiarum actionem. » Tu es, inquam, Domina domus quam C Sapientia, id est Filius sibi ædificavit (*Prov.* IX), et in qua septem columnas spirituales ad decorem et gloriam æterna stabilitate collocavit, scilicet virginitatem, castitatem, continentiam, humilitatem, fidem, spem, charitatem. Vere in beata Maria singulare privilegium incomparabilis virginitatis, et fragrantia odoriferæ castitatis effulsit, quia nisi virgo et casta exstitisset, nequaquam illam ad habitandum sibi Filius Dei elegisset. Decebat namque ut virgo esset quæ mundum redimebat, quia virgo exstitit illa prima parens, quæ totum mundum perdiderat. Quia ergo beata Dei Genitrix Maria, virgo fuit, consequenter casta et continens exstitit. Sane de ejus inenarrabili humilitate quid possumus dignum laudibus ejus proferre ? Enimvero cum hæc sanctis- D sima atque millies **304** beatissima Virgo mater Filii Dei ab Angelo eligeretur, ancillam ejusdem Filii sui humili devotione se fatetur, dicens : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc.* I). Fidem vero mater Dei intemeratam habuit, quia quod mater Dei posset fieri Angelo nuntiante credidit. Spes autem in ipsa beatissima Virgine sublimem arcem posuerat, quia quamvis insolitum esset et inauditum retro sæculis et generationibus quod audiebat ; tamen sic fieri oportere sicut ab Angelo evangelizabatur, certissima fide sperabat. Charitatis visceribus quomodo mater Dei super abundaverit, nullus incognitum habere potest, qui scientia divinæ legis aliquantulum eruditus fuerit. Sicut enim Filius ejus maledictum legis pro redemptione generis hu-

mani incurrit. Maledictus nempe, ait Moyses (*Deut.* xxi), qui in ligno pendebit, sic et ipsa nimirum maluit cum observatione virginitatis maledicto legis subjacere, quam amissa virginitate, carnales filios in Israel relinquere. Sic denique lex Mosaica aiebat : maledictus, sive maledicta quæ non reliquerit semen in Israel. Tu es ergo omni claritate et splendore solis clarior et splendidior, omni lapide pretioso longe incomparabiliter pretiosior, tu super omnem stellarum fulgorem utpote stella maris fulgentior inveniris, candor quippe es æternæ claritatis, et speculum sine nævo divinæ majestatis. Tu es hæreditas Domini, in te moratus est Filius Dei. Tu potes dicere : *Creator omnium qui me creavit, in tabernaculo meo requievit* (*Eccli* xxiv). Tu es tabernaculum in sole positum, de quo utique tabernaculo Filius Dei processit *tanquam sponsus de thalamo suo* (*Psal.* xviii). Viscera tua sunt lecti argentei in quo malum illud aureum est, de quo Salomon ait : *Mala aurea in lectis argenteis verbum* prolatum *in tempore suo* (*Prov.* xxv). Non enim potuit digniori et clariori comparatione pronuntiari nativitas specialis unigeniti Filii tui. Malum quippe prolatum in lectis argenteis, Verbum est caro factum in visceribus Virginis. Sex autem gradus qui describuntur fuisse in throno eburneo, sex specialiter gradus humilitatis designant, quos habuit beata Maria in corde suo. Unde bene Spiritus sanctus loquitur in Canticis canticorum : *Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum* (*Cant.* i). Nardus quippe aromatica, et brevis staturæ arbor esse dicitur, per quam congrue humilitas beatæ Mariæ intelligitur. Quæ nimirum virginalis humilitas regi in accubitu suo quiescenti complacuit, quando idem rex Filius scilicet æterni regis de cœlo descendens, carnem sacrosanctam assumpsit in utero beatæ Mariæ Virginis. Sed jam nunc videamus qui sint sex gradus humilitatis. Primus namque gradus humilitatis est ut homo creatum se de terra fateatur, et ob pravitatis suæ meritum in cinerem se reversurum confiteatur. Secundus vero gradus est ut de accepta qualibet gratia homo nunquam superbiat. Tertius, ut de collatis sibi a Domino beneficiis ipsi Creatori suo indesinenter gratias referat. Quartus, ut homo omnibus se æstimet meritis inferiorem. Quintus, ut nulli se arbitretur æqualem. Sextus, ut nullatenus se reputet aliquo potiorem vel superiorem. Isti sunt sex spirituales gradus humilitatis, quibus Deus descendit ad cor sese humiliantis, et per quos ascendit homo ad cognitionem Dei ad se descendentis. Post hæc autem nobis historia insinuavit, quod thronus ille rotundus in exteriori parte exstiterit. Superiori vero tractatu dixisse me memini, quia quidquid est rotundum, videtur esse perfectum; quid ergo rotunditas et perfectio throni aurei nobis innuit, nisi quod beata Maria virgo ante partum fuit, et post partum virgo inviolata permansit? Quæ siquidem manus quæ throni eburnei sedile tenuerunt, duo Testamenta designant quæ ubique Christi humanitatem quam in beata Maria assumpsit, prædicaverunt.

A Quatuor ergo leones qui juxta prædictas manus stant, quatuor sunt Evangelia quæ itidem quod duo Testamenta, clamant. Duodecim leunculi qui super sex gradus fuisse dicuntur hinc atque inde, duodecim virtutes sunt, quas constat beatam Mariam pro certo possedisse, scilicet spiritualem vitam, gaudium in Spiritu sancto, longanimitatem, patientiam, bonitatem, benignitatem, mansuetudinem, fidem, incomparabilem modestiam, virginitatem, compassionem, in sancto proposito perseverantiam. Spiritualem siquidem vitam, beata Maria duxit, quia nisi vita ejus plena virtutibus refulsisset, nullatenus Deo placuisset. Gaudium nimirum in Spiritu sancto habuit, quoniam ipsa in hymno suo repleta spirituali jubilatione dixit : *Exsultavit spiritus meus in* B *Deo salutari meo* (*Luc* i). Longanimitas quippe illi non defuit, quia quæ ab Angelo audiebat, licet inaudita et insolita essent, tamen ut in se complerentur per longanimitatem exspectabat. Virtute patientiæ non modicum exstitit munita, quia contumelias quas Filio suo, imo etiam sibi a perfidis Judæis inferri vidit, patienti animo toleravit. Bonitatem et benignitatem quis deneget illam habuisse, quam procul dubio fatemur omni abundantia floruisse? Mansuetudo autem in ea locum præcipuum obtinuit, quia nisi mansueta esset, Spiritus sanctus nullatenus illam ad habitandum elegisset. Fides vero incomparabilis, ut supra jam memoravimus, cordis ejus intima perlustravit, quia licet contra humanæ naturæ jura C esset hoc quod Virgo Mater Dei eligebatur, tamen sic fieri nutu Dei posse credidit, ut ab Angelo ei **305** evangelizabatur. Modestiam ipsius, id est religionem quibus præconiis possumus, ut dignum est attollere, quam scimus pro certo orationi et silentio vacantem ab Angelo repertam esse. Fores vero Virginitatis et insignia integerrimæ castitatis ipsius, quibus laudibus, ut decet, prædicabimus, quæ in tantum dissueverat perfrui alloquiis hominum, ut etiam ingressum et affatum expavesceret angelicum? Unde Angelus : *Ne timeas*, inquit, *Maria, invenisti gratiam apud Dominum* (*ibid.*). Cum enim illud ave gloriosum et ineffabile a Deo missum Gabriel Angelus illi evangelizaret, quia illam timoratem vidit, illico submonuit ne quidquam timeret. D Compassionem vero et dolorem quem Beata Maria sustinuit in morte Filii sui, non valet quisquam ad liquidum infundere humano auditui. Videbat enim Deum et Dei Filium quem de Spiritu sancto Virgo Mater conceperat, ab impiissimis Judæis crucifixum, et, quasi alicujus facinoris reus esset, cum latronibus prædamnatum. Quomodo autem possent viscera Beatæ Mariæ Virginis sine doloris experientia remanere, cum ipsa cerneret carnem suam quam Dei Filius in suo utero pro salute generis humani acceperat, in cruce pendere? Perseverantiam in sancto proposito et in bonis operibus quam Beata Maria habuit, facili judicio possumus ostendere, quia illam constat remota omni ambiguitate ab ortu suo usque ad finem hujus mortalis vitæ per omnia Deo

placuisse. Post hæc autem liber Regnum superiorem sententiam tali fine conclusit dicens : *Non est factum tale opus in universis regnis* (*III Reg.* x). O quam admirabilis est ista conclusio ! Vere, tale opus in universis regnis factum non fuit, quale est illud quod Virgo de Spiritu sancto concepit, Virgo Dei Filium genuit, Virgo inviolata post partum permansit. Non est, inquam, ab initio mundi factum tale opus ut Virgo Mater lactaret Filium Dei virgineis uberibus. Igitur quoniam huic secundo throno, id est volumini ubera Sponsi dederunt exordium, dignum est ut eidem throno ubera Sponsæ Virginis et Matris finem tribuant idoneum.

Explicit secundus tomus in Cantica canticorum.

INCIPIT TERTIUS TOMUS

Super hoc quod dicitur : *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis.*

Cui placet ut aliquem ingrediatur hortum diversi generis arboribus consitum, vernantibus floribus decoratum, gustu quidem fructuum gratanter reficitur et suavi fragrantia vernantium florum miro modo delectatur. Quid ergo dicimus esse hunc hortum nisi amœnissimum textum divinarum Scripturarum? Quid vero arbores et flores? Utique sententias spirituales Scripturarum. Ingrediamur ergo mente et spiritu hortum istum, et videamus quid sit quod loquitur Sponsa ad Sponsum : *Oleum effusum nomen tuum.* Sicut aiunt qui de naturis rerum disserunt, oleum in se septem virtutes vel naturas habere perhibetur, quæ nomini Christi aptissime convenire videntur, quia juxta Isaiam prophetam (*cap.* xi), septem dona Spiritus sancti super ipsum requievisse dicuntur; scilicet, « spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, spiritus timoris Domini. » Sed jam ad septem naturas olei diserendas veniamus, et eas Domino Jesu coaptemus. Omnes liquores in quibus ponitur oleum supernatare fertur. Quod bene Domino Jesu congruit, quia sicut Paulus dicit : « Dedit Deus ei nomen, quod est super omne nomen (*Philip.* ii). » Et ipse Deus « est super omnia benedictus in sæcula. Amen (*Rom.* ix). » Oleum nullum externum liquorem recipit, quia Christum nulla peccati macula vel contagio infecit, sicut Petrus dicit : « Qui peccatum non fecit (*I Petr.* ii) » homines reficit, et Christus nos sanguine et carne sua potat et satiat. Vulnera sanat, quia Christus sicut Isaias ait : « Vulnera nostra sanavit (*Isa.* liii). » Tale est interius, quale exterius, quia nostra natura a divinitate Christi assumpta, participatione ejusdem divinitatis omnino caruit culpa. Adhibitum igni sedentibus in tenebris lumen donat, et Christus omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat (*Joan.* i). Si in uno loco effunditur, terram circa se occupare videtur : Christus vero in Bethlehem natus est, sed stella radiante de cœlo magis Orientalibus denuntiatus est. Compara ergo, si tibi placet, septem dona Spiritus sancti septem naturis olei, et considerabis mirabilia in lege Dei. Non 306 est major sapientia, quam ut cognoscat homo suum Creatorem, « qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. » Non potest aliquis habere digniorem intellectum, quam ut bonum quod intelligit, sciat, et intra arcanum cordis sui, diaboli opus nullatenus recipiat. Tunc vero corpus nostrum et anima sapienti et perfecto consilio utitur, quando præmissa confessione et pœnitentia, corpore Christi et sanguine Christi reficitur. Mens autem nostra tunc fortiorem sanitatem consequitur, quando Christum juxta possibilitatem suam imitatur. Sane ad consortium Christi non possumus pervenire, nisi per veram scientiam, castitatem corporis, et munditiam cordis, studeamus possidere. Magno charitatis fulgore tunc resplendemus, quando pietatis viscera circa omnes homines sincero animo gestamus. Timorem Domini sanctum tunc revera nos fatemur habere, quando in uno loco bene facientes, suave redolens exemplum longe lateque a nobis dimittimus emanare. Dicat ergo Sponsa ad Sponsum : *Oleum effusum nomen tuum*, ac si dicat : Sicut oleum quod in uno loco effunditur, terram circa se occupare videtur, sic tu pro me quidem in Hierusalem crucifixus es, per totum vero mundum per me prædicatus es, et ideo adolescentulæ, id est fideles animæ dilexerunt te. Quoniam quidem pro ipsis mortuus es in cruce, ideo ipsæ adolescentulæ dilexerunt te in tantum etiam ut ipsi martyres morerentur pro te. Studeamus ergo, sicut Paulus dicit, compati et commori Christo (*Rom.* viii), ut ad beatam vitam valeamus resurgere cum ipso, quia si socii passionum fuerimus, simul et resurrectionis et gaudii erimus (*II Cor.* i).

RECAPITULATIO A SUPERIORIBUS.

Aurifices qui de auro et argento vel de lapidibus pretiosis operari solent, quando aliquod vas pretiosum inter manus suas fabricant, sunt fortasse aliqui homines qui illud vas, quod aspiciunt, laudant et mirantur et mira varietate fabrilis operis delectantur, sed tamen artifices vas quod in manibus suis habent adhuc malleis supponunt, limis extenuant, gemmis adornant : et licet astantibus hominibus illud vas undique jam videatur esse perfectum, artificibus tamen videtur esse minus politum et perfectum. Eo itaque modo quando nos illam senten-

tiam scilicet, Oleum effusum nomen tuum, superius tractavimus, quamvis nonnullis forsitan placeat quod diximus, tamen adhuc auxiliante gratia Spiritus sancti, possumus aliquid addere superiori tractatui quod legentium pariter et audientium non displiceat auditui. Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te (*Cant.* I). Ista vox est sanctæ Ecclesiæ, quæ laudat clementiam Sponsi sui, et charitatem ineffabilem in hac oratione bimembri. Nec mirum sane si Sponsa sui Sponsi laudat clementiam, cum etiam ipse Sponsus non taceat affectum et pietatem quam habuerit erga Sponsam suam. Sic enim ipse dicit per Jeremiam prophetam: « In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans (*cap.* XXXI). De hac nimirum ineffabili charitate Christi qua ipse sanctam Ecclesiam dilexit, Joannes apostolus dicit: « In hoc perfecta est charitas Dei in nobis, non quia nos dilexerimus eum, sed quoniam ipse prior dilexit nos (*I Joan.* IV). » Præterea considerare libet si in Veteri Testamento vel in prophetis de oleo aliquid dictum potest reperiri, quod nomini sponsi congruat et in mysteriis Sponsæ videlicet sanctæ Ecclesiæ decenter valeat aptari. In Exodo nempe dicit Dominus ad Moysen: « Præcipe filiis Israel ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum, ut ardeat semper lucerna coram me in tabernaculo testimonii (*cap.* XXVII). » Isaias quoque propheta olei mentionem faciens dicit: « Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei, et sepivit illam, et lapides elegit ex illa, et plantavit illam electam, et ædificavit turrim in medio ejus, torcular exstruxit in ea et exspectavit ut faceret uvas et fecit labruscas (*cap.* V). » In Zacharia vero propheta de oleo sic scribitur: « Isti sunt duo filii olei splendoris, qui assistunt dominatori universæ terræ (*cap.* IV). » Quia enim in superiori tractatu ope divinitatis Christi adjuti, et rore spiritualis intelligentiæ aliquantulum fecundati, non tamen ut dignum est, sed pro modulo ingenii nostri de septem naturis olei disseruimus, et easdem naturas septem donis Spiritus sancti, quæ in Christo plenariæ sunt, assignavimus; superest modo, ut adhuc de oleo aliquid sub allegorico sensu loquamur, quod et Christo et sanctæ Ecclesiæ congruat, et singulis quibusque fidelibus moraliter conveniat. Videamus ergo quid sit quod Isaias egregius propheta dicit: « Vinea, inquit, facta est dilecto meo in cornu filio olei. » O tu, Domine Jesu Christe, qui es filius summi olei, revela oculos spirituales cordis mei, ut valeam considerare mirabilia sacramenta, quæ sunt ab æterno abscondita in sancta ac beatissima lege tua. *Eleos* siquidem Græce, *misericordia* Latine dicitur. Dominus quippe in Evangelio dicit: « Estote misericordes sicut et Pater vester misericors est (*Luc.* VI). » David quoque propheta refectus Spiritus sancti superabundanti gratia, de Deo sic loquitur: « Deus meus, misericordia mea (*Psal.* LVIII). » Deus ergo omnipotens, ineffabiliter pius, ac specialiter clemens, qui in Isaia oleum appellatur, ipse nimirum in Evangelio ac Unigenito Filio suo misericors dicitur, et a David propheta misericordia prædicatur. Hujus igitur ineffabilis atque incomparabilis olei dilectissimo Filio quædam vinea charissima facta est in cornu excellentissimo, id est in humanitate quam de nostra peccatrice massa assumpsit, quæ humanitas ita reliquam massam, de qua assumpta est, virtute assumentis divinitatis excessit, sicut solet cornu illam carnem excedere de qua oriendo videtur procedere. De hoc autem cornu, id est de incarnatione Domini Jesu Zacharias impletus Spiritus sancti gratia dixit, « Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ (*Luc.* I). » Et quasi si aliquis quæreret ab eo quam misericordiam Deus Israel fecisset populo suo, protinus adjunxit, dicens: « Erexit cornu salutis in domo David pueri sui (*ibid.*). » Si nos aliter vellemus istud cornu interpretari quam rei veritas se haberet, ipsa veritas auctoritate subnixa, et auctoritas fideli veritate roborata nobis contradiceret. Manifestum est enim quia regia Virgo stirpis Davidicæ est electa, de qua et in qua istud cornu, id est nostra humanitas a Verbo Patris est assumpta, quod si non fieret, nullatenus genus humanum, quod perierat, salvari posset. Et hoc est cornu salutis quod erectum est nobis, videlicet Verbum caro factum pro salute nostra quod habitavit in nobis (*Joan.* I). In hoc ergo cornu vinea est charissima dilecto Filio olei, id est per humanitatem quam assumpsit, sanctam Ecclesiam sibi acquisivit Filius omnipotentis Dei. Quod autem ipse Filius, dilectus appelletur, Sponsa ejus in Canticis canticorum protestatur: « Dilectus, inquit, meus candidus et rubicundus (*Cant.* V). » Rubicundus propter sanguinis in cruce effusionem, candidus ob virginitatis et castitatis prærogativam. Item in eodem libello charissima ejus Sponsa sicut de eodem Sponso suo loquitur: « Dilectus, inquit, meus inter ubera mea commorabitur (*Cant.* I). » Sancta ergo Ecclesia quæ in Isaia appellatur vinea, ipsa in Canticis canticorum dicitur Sponsa. Ista vinea quidem effecta est in deliciis charissima dilecto Filio olei, ex quo ex ea carnem accepit, quia sicut dicit Paulus: « Nemo unquam carnem suam odio habuit (*Ephes.* V). » Et alio in loco idem Paulus manifestius insinuat quam dilectionem Sponsus erga Sponsam suam habeat: « Viri, inquit, diligite uxores vestras sicut Christus dilexit sanctam Ecclesiam et tradidit semetipsum propter illam (*Col.* III). » Unde idem Sponsus in Canticis canticorum de Sponsa sua dicit: « Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es, oculi tui columbarum! (*Cant.* I.) » Pulchritudinem vero Sponsæ suæ, ideo Sponsus repetendo duplicat, quia virginem et castam in anima et in corpore eam præsciebat. Oculos autem ejus columbis comparavit, quia simplicitatem fidei qua hæretici carent, illam habere prævidit. Verumtamen quid esse arbitramur hoc quod propheta dicit, quia Deus vineam suam, id est sanctam Ecclesiam sepivit? vinea nempe vocatur sancta Ecclesia,

nen solum in Isaia, verum in libro Evangeliorum et in Canticis canticorum : in Evangelio autem ubi paterfamilias operarios in vineam suam conduxit (*Matth.* xx) ; in Canticis vero canticorum ubi scriptum est : « Vinea fuit pacifico, » et, « Vinea nostra floruit (*Cant.* II). » Hanc ergo Dominus vineam sepe circumdedit, quando eam eloquiis prophetarum munivit, et, ne conculcari et dilacerari queat ab hæreticis, quasi forti præsidio, apostolicis erudivit documentis. Unde bene quidem sequitur in eodem propheta, quia « lapides elegit ex illa (*Isa.* v). » Lapides enim idcirco in vinea ab hominibus eliguntur, ut de ea vinea quasi noxii projiciantur. Hæretici itaque qui in Evangelio zizania vocantur (*Matth.* XIII), ipsi in Isaia propheta lapides appellantur, et in Canticis canticorum eleganti sermone sub nomine vulpium describuntur, sicut scriptum est : « Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas nostras (*Cant.* II). » Quod autem Propheta dicit : [Et plantavit illam electam], hoc est nimirum, quod Dominus in Evangelio ait : « Ergo vos elegi de mundo ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat (*Joan.* xv). » Et Paulus apostolus in Epistolis suis : « Ego, inquit, plantavi, » et Dei : « agricultura estis (*I Cor.* III). » De apostolis vero dicitur : « Isti viventes in carne plantaverunt Ecclesiam sanguine suo. » Turris quoque quam propheta Isaias in medio vineæ ædificatam testatur fuisse, ipsa siquidem est nomen Domini, de quo per Salomonem dicitur : « Turris fortissima nomen Domini, ad eam confugiet justus, et salvabitur (*Prov.* XVIII). » Homines namque ideo ad turrim confugiunt ut ab infestatione hostium liberari queant. Bene itaque nomen Domini turri comparatur in qua homines salvantur, quia sicut ait Petrus apostolus : « Non enim est aliud nomen datum sub cœlo in quo oporteat salvari, nisi in nomine Domini nostri Jesu Christi (*Act.* IV). » Torcular autem quod in vinea supradicta constructum fuit, sacrosancti altaris figuram et imaginem nobis repræsentavit, quia sicut in torculari vel prælo uva exprimitur, et expressa in vinum dulcissimum eliquatur, sic gloriose atque mirabiliter quotidie corpus Christi et sanguis in altari consecratur et litatur. Illud vero quod sequitur in Isaia, quia exspectavit Dominus vineam suam ut faceret uvas, et ecce, fecit labruscas ; dictum de hæreticis et falsis Christianis intelligamus. Hæreticis enim qui sacramentis ecclesiasticis **308** non consentiunt, imo perversis dogmatibus obviant et repugnant, et falsi christiani qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant, isti procul dubio pro uvis spinas et labruscas, id est inutiles fructus et noxios Domino generant et apportant. Verumtamen quid de talibus in die judicii fieri debeat propheta in subsequentibus suæ narrationis manifestat, dicens : « Nunc ergo viri Juda et habitatores Jerusalem, judicate inter me et vineam meam, id est de vinea mea (*Isa.* v). »

Viros itaque Juda et habitatores Jerusalem, specialiter apostolos et cæteros sanctos intelligere debemus, quos sine dubio illius cœlestis Jerusalem quæ sursum est mater nostra, cives et habitatores esse scimus. Quibus itaque remota omni ambiguitate Dominus in Evangelio suo repromittit dicens : « Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX). » Et Paulus apostolus : « Nescitis, inquit, quoniam sancti de mundo judicabunt? (*I Cor.* VI.) » Et alio in loco de omnibus sanctis scriptum est : « Judicabunt sancti nationes, et dominabuntur populis (*Sap.* III). » De istis videlicet apostolis et cæteris sanctis coram majestate Dei in æterna jam prædestinatione sublimatis, Zacharias propheta gloriam eorum contemplatus prophetavit, dicens : « Isti sunt duo filii olei splendoris qui assistant Dominatori universæ terræ (*Zachar.* IV). » Per binarium quippe numerum, ideo propheta apostolos cæterosque sanctos designavit, quia duo sunt præcepta charitatis, quorum observatio et impletio sanctos et amicos Dei efficit. Quis autem sit ille qui per oleum designetur, superius jam prælibavimus, cum illa sententia de Isaia a nobis exponeretur. Sciendum præterea quod in Zacharia propheta amplius aliquid dicitur quam in Isaia. Deus namque omnipotens, quia ipse et vere misericors et vera misericordia est, in Isaia simpliciter oleum appellatur, in Zacharia vero cum additamento, splendoris oleum nominatur. Nec immerito Deus Pater omnipotens dicitur esse oleum splendoris, quia ejus Unigenitus filius ab Apostolo vocatur splendor et figura substantiæ ipsius (*Hebr.* I). Splendor est igitur Pater, splendor est Filius, splendor est nihilominus Spiritus sanctus, non tamen tres splendores sunt, sed splendor unus. Siquidem simili modo in catholica fide credimus et pronuntiamus, Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus sanctus ; nec tamen tres dii sunt, sed unus Deus (99). Quia igitur, sicut superius diximus, *eleos* Græce *misericors* vel *misericordia* Latine dicitur, consequenter per oleum ipse qui est misericors, et Pater misericordiarum Deus intelligitur. Si ergo per oleum accipimus Deum Patrem, datur nobis intelligi ut ejus Filium interpretemur olei splendorem. Oleum igitur splendoris, et splendor olei ingenitus genitor est, et unigenitus Genitoris Dei.

RECAPITULATIO A SUPERIORIBUS.

QUALITER REFERRI DEBEAT AD SYNAGOGAM ISTA SENTENTIA VINEÆ.

« Vinea, inquit, facta est dilecto meo in cornu filio olei (*Isa* v). » Quæ sit autem vinea idem propheta manifestius declarat cum dicit : « Vinea Domini exercituum, domus Israel est, et viri Juda, germen delectabile ejus (*ibid.*). » De hac quoque vinea loquitur David propheta : « Vineam, inquiens de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti, eam (*Psal.* LXXIX) ; » et cætera quæ sequuntur in

(99) Athanas. In Symbolo

ipso psalmo de eadem vinea quæ facile possunt intelligi sine interpretatione aliqua. Hæc est, inquam, illa vinea scilicet plebs Judaica, de qua Salvator in Evangelio ait: « Homo quidam paterfamilias plantavit vineam, et locavit eam agricolis. Et factum est cum appropinquasset tempus vindemiarum misit servos suos ad agricolas, ut reciperent fructum vineæ ab agricolis. Agricolæ autem videntes servos patrisfamilias apprehenderunt eos, et multis contumeliis affectos interfecerunt. Audiens vero paterfamilias quod accidisset, ait: Mittam unigenitum filium meum charissimum ad eos, forsitan verebuntur eum. At illi viso filio Domini sui dixerunt adinvicem: Ecce hic est hæres: Iste igitur occidatur, et sic ad nos hæreditas transferetur (*Luc.* xx). » Quis ergo iste paterfamilias rectius potest intelligi quam Deus Pater omnipotens Domini nostri Jesu Christi? Ipse enim est verus paterfamilias, qui universum mundum clementi pietate gubernat et regit, et secundum suam irreprehensibilem sapientiam Christianos, Judæos, paganos, hæreticos disponit. Hæ namque sunt familiæ, quarum pater iste paterfamilias esse dicitur, et quarum providentiam ipse habere non dedignatur. Providet enim idem piissimus paterfamilias Christianis, videlicet filiis suis ea conditione, ut si ejus voluerint obsequi præceptis pœnas inferni valeant devitare, et gaudia paradisi indeficientia possint invenire. Judæorum denique curam idem paterfamilias se habere demonstrat, quia, ut ad ipsum revertantur, clementi bonitate exspectat. Paganos et hæreticos a sua providentia nullatenus repellit, quia licet beneficiis ipsius, sicut mali servi, ingrati existant, tamen patienti longanimitate adhuc Dominus exspectat, ut relictis hæresibus et idolis ad se redeant. Iste igitur paterfamilias vineam plantavit, quando Israeliticum **309** populum de Ægypto in manu potenti et brachio excelso eduxit, et eum in terram repromissionis expulsis alienigenis gentibus habitare fecit. Et locavit eam agricolis, quando præcepit summis sacerdotibus et scribis et Pharisæis, ut eumdem populum secundum legem Moysi erudirent, et ab appetitu totius mali, quantum fas est mortalibus, cohiberent. Servos autem suos misit idem paterfamilias ad supradictam vineam quando prophetas destinavit ad erudiendam eamdem Israeliticam gentem. Agricolæ vero cognoscentes servos Domini sui, nonnullos ex ipsis contumeliis affecerunt, aliquibus mortem immeritam intulerunt. Si enim sacræ Scripturæ paginis studiosius intenti esse volumus, paucos admodum electorum reperire poterimus, qui ab impiis aut contumeliis non sunt affecti, aut crudelissimæ morti injuste traditi. Manifestum vero est quod impiissimi Judæi Isaiam, et Jeremiam crudeli morte damnaverunt, reliquos prophetas fere omnes multis contumeliis et convitiis dehonestaverunt. Filius autem patrisfamilias qui ab agricolis interficitur Dominus Jesus Christus est, qui a summis sacerdotibus et scribis et pharisæis crucifigitur. Sed jam ad superiorem sententiam redeamus, de qua sub typo Synagogæ loqui disposueramus. « Vinea, inquit Isaias, facta est dilecto meo, in cornu filio olei. » Quoniam quidem de vinea aliquantulum, licet minus sufficienter, diximus, restat nunc ut ubi Deus Filius dilectus appellatur, insinuemus. In Evangelio siquidem scriptum est quia descendit Spiritus sanctus super Dominum Jesum in columbæ specie, et vox Patris audita est, dicens: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacuit, ipsum audite (*Luc.* ix). » De isto namque dilecto ipso charissimo loquitur Sponsa in eodem de quo loquimur libro: « Dilectus, inquit, meus mihi, et ego illi, qui pascitur in liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ (*Cant.* ii). » Ac si dicat: Dilectus meus mihi fœderabitur fide, et ergo fœderabor illi fide et operatione, qui pascitur in liliis, hoc est, delectatur operibus castis, piis et justis, donec aspiret dies, et umbræ inclinentur, id est donec appareat dies judicii, et peccatorum imagines ad nihilum redigantur. Huic ergo dilecto vinea contraria in cornu exstitit, id est valde Synagoga contradixit humanitati quam Christus assumpsit; in tantum ut nunquam in eum vellet credere, quem quasi hominem solummodo et non Deum videbat visui humano subjacere. Vinea, inquam, ista facta est nimis amara huic dilecto, quando Synagoga Dominum Jesum in humanitate qua indutus erat potavit felle et aceto. Recordari debes, qui hæc audis, quia superius dixi per cornu debere intelligi Filii Dei humanitatem, et ex auctoritate sacri eloquii demonstravi satis rationem sufficientem. Quare autem Filius Dei vocetur per Isaiam filius olei, brevi ratione replicare debemus, quia hoc jam superius satis idonee perdocuimus. *Oleos* enim Græce, *misericordia* Latine dicitur. Quia igitur Pater misericors et misericordia est, constat pro certo Christum esse Filium Dei olei, quoniam ipse est Filius misericordis Dei. Hic igitur dilectus filius olei, id est Christus Filius Dei suam vineam, scilicet Synagogam sepivit, quando eam patriarcharum exemplis et institutis edocuit, et prophetarum libris munivit, ne videlicet alium Dominum præter ipsum admitteret, et ne singularis ille ferus de quo Psalmista conqueritur (*Psal.* lxxix), scilicet diabolus, illam devastaret. Idcirco enim vinea sepitur ut Domino ipsius vineæ fructus ejus illæsus conservetur, et hostibus, et animalibus claustra ipsius non facile reserentur. Quod autem dicitur: « Elegit Dominus lapides ex illa (*Isa.* v); » constat quia post electionem apostolorum expulsa sit ipsa Synagoga a Deo et abjecta. De qua utique abjectione bene in Isaia scriptum reperitur, ubi Dominus de Sobna Scriba et præposito templi loquitur: « Ecce, inquit Isaias, o tu Sobna; ecce, inquit, Dominus expellet te de statione tua, et asportari te faciet sicut asportatur gallus gallinaceus (*Isa.* xxii). » Simili quoque modo de abjectione Synagogæ sub persona Jeconiæ regis scriptum est: « Si fuerit Jeconias rex Juda sicut annulus aureus in manu mea, dicit Dominus, inde evellam eum et projiciam

(*Jer.* XXII). » Quasi enim Sponsa expulsa est de A statione sua, quando Synagoga ab illa pristini sui status gloria ob meritum suæ iniquitatis est dejecta, et quasi gallus gallinaceus eadem Synagoga asportata est, quando propter infructuositatem et imperfectionem suam ab exteriori intellectu et Judaica superstitione remota est. Gallum quippe gallinaceum novimus esse animal castratum et infructuosum, cui bene antiqua lex comparatur, quæ sicut dicit beatus Paulus, nihil ad perfectum adduxit, unde merito sequitur in Isaia propheta de eodem Sobna : « Quid tu hic, aut quasi quis hic? (*Isa.* XXII).» Sine dubio enim, quid tu agis hic, illi dicere solemus cujus opus minime approbamus. Et quasi quis, non revera ut aliquis perfectus locum aliquem obtinet, sed tamen opus dignum meritis sui officii vel loci B non exercet. Possumus sane illam electionem lapidum, de qua superius præfati sumus referre ad reges et prophetas quos a Deo in Synagoga electos esse non dubitamus. Quod autem dicit propheta Isaias, quia Dominus illam vineam electam plantavit; manifeste datur intelligi quoniam quidem reges et prophetæ totaque gens Israelitica de stirpe Abraham, **310** qui electus est a Deo originem duxit. Enimvero multum ista plantatio degeneravit ab illa gloriosa et paterna vita, de cujus radice videbatur propaginem ducere. Quam utique degenerationem Dominus in Evangelio, benignissima improperatione Judæis exprobrabat, dicens : « Si semen Abrahæ estis, opera Abrahæ facite, et utquid vultis me interficere? hoc Abraham non fecit (*Joan.* VIII). » Admodum namque Judæi degeneraverant ab illa gloria sanguinis Abrahæ patriarchæ patris sui. Abraham enim Deum dilexit, honoravit et adoravit; gens vero Israelitica Deum odio habuit, dehonestavit, et in cruce crudelissima damnavit. Turris autem quæ in medio vineæ per prophetam a Domino ædificata fuisse dicitur, significat templum antiquis temporibus, pro dignitate sui famosissimum, quod nullus ignorat in medio gentis Judaicæ, præcepto Dei esse constructum. Torcular vero quod in supra memorata vinea exstitit, altare nobis insinuat quod gens Israelitica in medio sui in magna veneratione habebat. Quod nimirum altare bene comparatur torculari, quia sicut in torculari multæ uvæ expressæ in D vini liquorem rediguntur, sic diversæ multæque victimæ quæ in altari positæ cremabantur, ad unum sacrificium, per significationem, id est ad Christum referebantur. Quod autem dicit propheta, quia expectavit Dominus vineam suam, ut faceret uvas, et fecit labruscas; manifestis indiciis denuntiat, quoniam quidem ista sententia ad Judæos maxime pertineat. Nonne ipsi Judæi pro uvis labruscas attulerunt, quando Creatorem suum ante faciem Pilati negaverunt? (*Joan.* XIX.) Quod utique beatus Petrus eis improperat, dicens : « Vos autem virum homicidam donare vobis petiistis, auctorem vero vitæ morti tradidistis, quem Deus suscitavit a mortuis (*Act.* III). » Nonne Judæi sceleratissimi labruscas Domino fecerunt pro uvis, quando dixerunt Pilato : « Crucifige eum ; » Et : « Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris (*Joan.* XIX). » Propterea illud quod Isaias dicit in subseqnentibus : « Nunc, viri Juda et habitatores Jerusalem, judicate inter me et vineam meam (*Isa.* V), » pertinere ad generalem resurrectionem nullus ignorat, in qua sancti apostoli istam vineam judicabunt et condemnabunt. Hoc denique Dominus in Evangelio ipsis Judæis sibi detrahentibus, testatur cum dicit : « Si ego, ut dicitis, in principe dæmoniorum ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? (*Matth.* XII.) » Ideo ipsi vestri judices erunt. Quod etiam iste Isaias propheta declarat, cum de adventu Domini et sanctorum apostolorum ad diem judicii prophetavit, dicens : « Dominus ad judicium cum senioribus populi sui veniet (*Isa.* III). » Salomon quoque Christum, et sanctam Ecclesiam, et sanctos apostolos, et diem judicii brevi sermone curavit comprehendere cum dicit : « Nobilis in portis vir sanctæ Eccleslæ, cum sederit cum senatoribus populi sui (*Prov.* XXXI). » Apostoli itaque qui in Evangelio duodecim judices, et filii Judæorum secundum carnem appellantur, ipsi nimirum in Isaia viri Juda et habitatores Jerusalem senesque populi vocantur, et a Salomone senatores populi nominantur. Isti sunt nimirum duo filii olei splendoris quos Zacharias propheta (*Cap.* IV) in spiritu prophetiæ dicit assistere Dominatori universæ terræ. C Quod ideo per binarium numerum descripsit, quia eos prophetico spiritu divinitatem et humanitatem Christi prædicare prævidit. Porro illud quod idem propheta dicit : « Isti sunt qui assistunt Dominatori universæ terræ, » non solum de apostolis, verum etiam de omnibus sanctis dictum esse intelligamus. Unde Dominus ipse in Evangelio suo ait : « Pater volo ut ubi ego sum, illic sit et minister meus (*Joan.* XII). » Quod etiam beatus Augustinus doctor egregius (100), et catholicæ fidei defensor fidelissimus testatur cum dicit : « Sciamus pro certo, quia post ascensionem Domini ad cœlos, omnes sanctorum animæ cum Christo sunt, et exeuntes de corpore ad Christum vadunt, sicut scriptum est : *Justorum animæ in manu Dei sunt* (*Sap.* III), exspectantes resurrectionem corporis sui, ut integra et perpetua beatitudine cum Christo pariter perfruantur. Similiter quoque et peccatorum animæ in inferno sunt positæ, sub timore exspectantes resurrectionem sui corporis, ut cum diabolo convertantur ad pœnam æternam.

RECAPITULATIO A SUPERIORIBUS

SECUNDUM MORALITATEM.

Quamvis grave sit admodum, atque periculosum, ut homo imperitus et male morigeratus disputet de bonis moribus hominum, tamen nequaquam sopitis sensibus negligere debemus, quod semper et sine intervallo benedicere et laudare Deum jubemur, sic-

(100) Lib. de ecclesiasticis dogmatib. cap. 79.

ut Psalmista ait : « Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo (*Psal.* XXXIII). » Enimvero si tandiu volumus exspectare loqui de bono, donec simus boni ; vel si tandiu de perfectione tacemus donec perfecti simus. Et si rursum usque adeo silemus a laudibus Dei, quoadusque laudare Deum digni fuerimus, patet profecto quia nusquam Deum laudabimus, quoniam sicut necesse est, nullatenus in hac vita unquam boni et perfecti atque laudibus Dei erimus digni. Non ergo deficiat nobis bona voluntas, licet desit efficax potestas, sicque tandem poterimus **311** Deo ampliante adipisci, ut simus boni et perfecti, laudibusque Dei idonei. Sed jam nunc discutiamus sententiam istam sub morali interpretatione scilicet : « Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te (*Cant.* I). » Beatus ille homo licet mortalis sit, cujus nomen ob meritum bonæ vitæ tantam prærogativam jam obtinuit, ut illi veraciter dici possit : « Oleum effusum nomen tuum, » ideo adolescentulæ dilexerunt te. Sane talis homo valde quærendus est, dumque inventus fuerit, non mediocriter diligendus est. Qui enim in sæculo bene et religiose vivit, et de substantia sua pro Deo largas facit eleemosynas, et ea quæ sibi non vult fieri, alteri non facit, et qui in omnibus operibus suis quærit ut Deus laudetur, et qui talem se exhibet ut ab omnibus hominibus pro sanctitate sua veneretur, isti nimirum dici potest : « Oleum effusum nomen tuum, » ideo adolescentulæ dilexerunt te, id est fideles animæ. Simili modo qui ad conversionem vadit et in claustro bene, et sancte, et religiose conversatur, et qui bona fama irreprehensibilis vitæ, alios animat et attrahit, ut ad Dominum convertantur, et insuper qui columbina pace et fraterna dilectione animis fratrum suorum amabilem se reddit, adeo, ut ab omnibus pura mentis intentione diligatur, huic sine dubio dici debet : « Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ, » id est fratrum animæ, « dilexerunt te. » Præterea hoc quod in prima recapitulatione superius posuimus, quia præcepit Dominus Moysi, ut diceret filiis Israel ut afferrent oleum de arboribus olivarum, si nos sumus veri Israelitæ, in quibus dolus non est, et nobis similiter præcipit noster spiritualis Moyses (*Exod.* XXVII), videlicet Dominus Jesus Christus, ut nos afferamus ei oleum de arboribus olivarum, id est ut nos sequamur et imitemur exempla, et actiones sanctorum Patrum, qui per opera misericordiæ Deo dignoscuntur priscis temporibus placuisse ; verumtamen quia obscuritas in divina pagina non est bona, imo valde minus capacibus est noxia, dignum arbitror de arboribus olivarum et de oleo aliquantulum disserere latius, quatenus clariori sensu respondeat quod dicere volumus. Arbores ergo olivarum sancti Patres nostri sunt, de quibus dicit beatus Paulus : Isti sunt viri misericordiæ, quorum justitiæ oblivionem ante Deum non acceperunt. Istæ siquidem sunt arbores olivarum de quibus in Evangelio Dominus dicit : « Non potest arbor bona fructus malos facere (*Luc.* VI). » Oleum harum arborum est omne opus bonum, pium, modestum, castum, religiosum, et sanctum. Quod autem per oleum, opus bonum intelligi debeat, Evangelium secundum Matthæum manifestissime declarat : « Simile est inquit, regnum cœlorum decem virginibus, et cætera quæ ibi sequuntur (*Matth.* XXV). » Cui sententiæ Salomon concordare satis videtur, qui inter cætera verba sua sic loquitur : « Omni tempore vestimenta tua sint candida, et oleum de capite tuo non deficiat (*Eccle.* IX). » Vestimenta igitur nostra, corporis nostri sunt membra, quibus nostra anima induitur, dum in hoc corpusculo secundum Dei dispositionem demoratur. Quæ utique membra semper debent candida esse, quia non debent alicui peccato subjacere. Sic enim dicit Isaias propheta : « Vestimentum, inquit, mistum sanguine erit in combustionem ignis (*Isa.* IX). » Denique et Apostolus dicit : « Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis ejus concupiscentiis (*Rom.* VI). » Et iterum : « Sicut, inquit, exhibuistis membra vestra servire immunditiæ ad iniquitatem, ita nunc exhibere membra vestra servire justitiæ in sanctificationem (*ibid.*). » Oleum autem nunquam deficit de capite nostro, quando mens nostra semper pio opere abundat, et bono desiderio. Et amplius, si fieri posset, vult assidue facere, quam unquam valeat ad perfectum perducere, unde Psalmista dicit : « Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore (*Psal.* CXVIII). » Oleum ergo de arboribus olivarum Deo offerimus, cum per opera pietatis et justitiæ ipsi placere studemus, per quæ quondam patres nostros placuisse non dubitamus. Præterea hoc quod oleum illud quod Deo offerebatur purissimum exstitit, non sine causa hoc ita Moyses expressit, quod usque ad nostram notitiam pervenire præscivit. Poterat namque idem propheta purum vel purius oleum dicere, sed maluit purissimum ponere, ut videlicet nobis tacite insinuaret, qualiter opus nostrum examinare deberemus, quo ipsi Deo, qui est summa puritas, placere intendimus. Oleum enim tunc est purum quando in exteriori exhibitione, peccato caret opus nostrum. Tunc vero purius efficitur, cum nec in locutione nostra peccatum aliquod repetitur. Si autem mens nostra quando ad bonum opus peragendum se accingit, vanam gloriam intus devitare valet profecto oleum est purissimum quod Deo in sacrificio sui cordis offeret. Sane quod idem oleum refertur fuisse pilo tusum, minime sub negligentia arbitror esse prætereundum. Tunsio enim pili, significat tribulationes et pressuras hujus mundi. Quid ergo per oleum pilo diverberatum nobis insinuat, nisi quia illorum patrum actiones et exempla debemus imitari, quos per multas tribulationes juxta Apostolum (*Hebr.* XI) scimus introisse in regnum Dei ? Quod autem præcipitur ut ardeat semper lucerna coram Deo in tabernaculo testimonii (*Exod.* XXVII), hoc significat nimirum, quia intentio **312** cordis nostri nun-

quam debet removeri a consideratione et contemplatione majestatis Dei, sicut illius cor a Deo nunquam recedebat, qui dicebat : « Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper (*Psal.* XVIII). » Lucerna quippe corporis tui, ut ait Dominus in Evangelio (*Marc.* VI), est oculus tuus. Quem utique oculum sancti Patres nostri interpretati sunt animi intentionem, vel sincerum mentis affectum. Tabernaculum vero testimonii, corpus nostrum non immerito potest intelligi, unde beatus Petrus dicit : « Scio, fratres, quod velox sit depositio tabernaculi mei, secundum quod Dominus Jesus Christus dignatus est revelare mihi (*II Petr.* I). » In hoc ergo tabernaculo, id est in corpore nostro, debet semper ardere lucerna coram Domino, quia simplex et pura mentis intentio assidue debet dominari corpori nostro, et nunquam debemus pati aliquid dominari nostræ menti, quod sciamus displicere in conspectu judicis nostri. Vel lucerna relucet assidue in tabernaculo nostro, cum fervor charitatis nunquam tepescit in corde nostro. Sic quippe ista lucerna charitatis in corde Pauli renitebat fulgore miræ claritatis, ita ut idem Paulus diceret : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per inhabitantem Spiritum, qui datus est nobis (*Rom.* V). » Vel lucerna sine defectu claritatis fulget in tabernaculo testimonii, cum cor nostrum per infusionem Spiritus sancti assidue cogitat, quæ sunt Dei. Sicut ergo capitulum in libro Exodi secundum moralitatem discussimus : sic decens est, ut illam sententiam de Isaia assumptam moraliter disseramus. « Vinea, inquit, facta est dilecto meo in cornu filio olei. » O quam beata est illa anima, quæ veraciter et pie operando efficitur Dei vinea! Sed jam nunc consideremus quid sit vinea, et unde constet vinea, et ejus terrenam operationem transferamus in moralem et spiritualem ædificationem. Vinea siquidem ex vitibus constare videtur, et vitis dicitur, eo quod vi se teneat in loco ubi plantatur. Quicunque ergo vitis seu vinea esse desiderat, necesse est, ut propositum sanctitatis et religionis quod pro Deo arripuit, nullatenus dimittat, prosperitatibus non dissolvatur, adversitatibus non frangatur, sciens quia regnum cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud (*Matth.* XI). Sed et hoc quod vitis contra consuetudinem aliarum arborum, humorem, quem de terra trahit per medullam ad fastigia suorum ramorum transmittit, nequaquam sine admiratione ingentis sacramenti considerandum est. Cæteræ enim arbores humorem inter corticem et robur sui ligni a terra suscipiunt, et eumdem humorem ramusculis ex se procedentibus, ut fructificare queant, infundunt. Quid ergo significat hoc quod vitis in medulla, id est, in interiori parte sui humorem concipit, quem postea per ramos exteriores ubertim diffundit? Nimirum uniuscujusque fidelis viri perfectam animam, cujus corpus etsi coram hominibus apparet publico, tamen in præsentia Dei manet in occulto, quia magis placere Deo studet interius, quam hominibus vel sæculo exterius, unde ait Psalmista : « Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus (*Psal.* XLIV). » Hinc etiam Paulus dicit : « Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ (*II Cor.* I). » Potest adhuc hujusmodi sacramentum in vite considerari, quæ contra morem aliarum arborum, succum trajicit in medulla interiori, quo paulatim postmodum rigat ramos exteriores naturali ortu ex se prodeuntes. Sancti namque viri, charismata Spiritus sancti, quæ occulta Dei largitione in arcano suscipiunt cordis sui, religiosis hominibus per boni operis exhibitionem et cœlestis verbi prædicationem infundunt, et more bonæ vitis quod in eis invisibiliter agitur, exterius visibiliter demonstratur. Est præterea aliud, quod de vite rationabili auctoritate valet dici, quodque a prudenti solertia illustrium clericorum in divinis eloquiis reperiri potest. Est enim hæc arbor, scilicet vitis humilis in sua statura, et quandiu vivit foliis adornata, floribus odorifera, gemmatis fructibus omnium oculis grata. Si vero abscissa fuerit quanto prius exstitit charior, pretiosior, acceptior atque amabilior, tanto postea exstat vilior, degenerior atque inutilior. Quod utique Dominus per prophetam Ezechielem manifestat, cum dicit : « Fili hominis, quid fiet de ligno vitis, quod pretiosum est præ cæteris lignis silvarum? (*Ezech.* XV.) » Nunquid si abscisum fuerit fiet de eo quidquam operis? Nunquid fabricatur de eo paxillus ut dependeat in eo quodcunque vas? Ad nihil vero utile est, nisi ut in ignem mittatur. Et quid ista significarent manifestius aperitur, cum de Filiis Israel in subsequentibus sermo habitus invenitur. Ipsi vero filii Israel quandiu mandatis Dei obsecuti sunt, et a cultura ejus non recesserunt, quasi bona vitis flore et fructu in decore suo perstiterunt. Postquam autem ejus præceptis contradicere cœperunt, et insuper ei qui auctor est vitæ, crucis supplicium intulerunt, quasi vitis inutilis et amputata igni æterno deputati sunt. Similiter quoque et Christiani qui sacramentis ecclesiasticis imbuti sunt, qui fide et opere, ab Ecclesiæ doctoribus instructi sunt, quandiu infra gremium ejusdem Ecclesiæ fidem suam operibus bonis exercent, tandiu velut vitis fructifera in vinea Dei virore fidei vigent. Si vero, quod absit! ad aliquam hæresim labantur, relicta gratia cui jampridem traditi erant, pravis dogmatibus spontanei inficiantur, nonne isti merito **313** suæ iniquitatis se tradunt ultricibus flammis velut vitis amputata et inutilis? Quibus procul dubio elegantissime illud congruit, quod Moyses propheta in suo cantico dicit : « De vinea Sodomorum vinea eorum, usque ad illum locum, ubi ex persona Dei ait : Mea est ultio, et ego retribuam eis, subauditur, in die judicii quod merentur (*Deut.* XXXII). » Sed quid dicam de conversis et religiosis viris, qui sicut Dominus in Evangelio declarat (*Luc.* VIII), ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt? Nonnullos enim magnæ religionis et satis ardui propositi novi viros,

quos utinam non novissem, qui, quandiu licet eis in claustris suam propriam voluntatem exercere, vel per claustri officinas, seu et per universum mundum, et per parentes vagari et discurrere, tandiu sub specie qualiscunque religionis infra monasterii septa, nomine tenus retinentur, quamvis, ut superius dixi, universum per orbem perdita mente, et animo volatili evagantur. Quibus nimirum bene convenit illud quod Dominus per prophetam dicit : « Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor; alieni comederunt robur ejus, et ipse nescivit (*Osee.* VII). » Alieni namque sunt dæmones : et vitia repugnantia, cogitationesque malæ, et concupiscentiæ carnales, quæ nos a Deo alienant, si in nobis per nostram ignaviam principatum obtineant. De his siquidem alienis David conqueritur, dicens : « Quoniam quidem alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam (*Psal.* LIII). » Salomon quoque ait : « Ne des alienis honorem tuum (*Prov.* V). » Et quasi nos quæreremus a Salomone qui essent isti alieni, illico subjunxit : « et annos tuos crudeli (*ibid.*), » scilicet, diabolo, de quo Dominus testatur : « Quia ipse homicida erat ab initio (*Joan.* VIII). » Qui enim supradictis alienis, id est dæmonibus et vitiis concupiscentiisque male deditus fuerit, dum vivit in stadio hujus præsentis vitæ, ipse post hanc vitam procul dubio tradetur in potestatem Satanæ, id est hujus crudelis. Iste namque est ille crudelis qui in Isaia (*cap.* XIX) scribitur homines persequi crudeliter.

Hi igitur religiosi, si tamen dicendi sunt religiosi qui ita se habent sicut modo depinximus, vel etiam, quod pudet dicere, adhuc pejus, si aliquando a magistris suis pro salute sua corriguntur, aut si ut in claustro suo sedeant, et ordinem suum teneant, constringuntur, protinus abjecto timore Dei et relicto proposito religionis et ordinis sui, sub obtentu arctioris religionis de claustro suo inordinate prosilientes, diversas partes orbis terrarum girovagi peragrantur, vel, proh dolor! quod infamius est, ad sæculum revertuntur. Quibus nimirum decenter illud convenit, quod beatus Petrus apostolus in sua epistola ait : « Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luti (*II Petr.* II). » Et : « Melius illis esset viam veritatis non cognovisse, quam post cognitionem ejus, retrorsum abire (*ibid.*). » Isti ergo conversi quandiu in sancto proposito manserunt, tandiu quasi vitis Sorech, id est electa, in vinea Dei, in charitate radicati et fundati, exstiterunt. Nunc autem retrorsum sunt alienati, in sensum reprobum conversi, et juxta prophetam Ezechiel, inutiles et degeneres penitus effecti ad nihil aliud ulterius valent, nisi ut in ignem projiciantur et ardeant. Longius ab ordine itaque nostræ narrationis digressi sumus, dum de natura vitis et vineæ disputavimus, verumtamen jam idoneum est tempus ut revertamur ad id quod cœperamus. « Vinea, inquit, Isaias (*cap.* V), facta est charissima dilecto meo in cornu filio olei. »

A Dilectus itaque est, ad quem sponsa in Canticis canticorum legatos suos mittit, dicens : « Nuntiate dilecto meo, quia amore ejus langueo (*Cant.* V). » O quam felix, et quam beata est anima quæ languet amore Dei! In ea sine dubio funditus jam interiit amor deceptoris hujus mundi. et ad nihilum redacta est fallax gloria fluentis sæculi. Huic siquidem dilecto sponso suo adhuc loquitur eadem sponsa sua charissima in deliciis in eodem libello. « Veni, Dilecte mi, egrediamur in agrum, videamus si floruit vinea, si flores fructus charitatis et bonæ operationis parturiunt (*Cant.* VII). » Sed certe, inquit, facta est vinea ista charissima, id est anima nostra huic dilecto filio olei scilicet omnipotentis Dei, in cornu videlicet. Omnibus liquet vel qui saltem raro sensu
B et intelligentia illustrantur, quia omne cornu carnem excedit de qua egreditur; et ideo non immerito per cornu omnis virtus spiritualis accipitur. Unde et Moyses propheta, ob excellentiam meritorum, et singularem prærogativam spiritualium virtutum quibus totus effloruit, solus inter mortales ex consortio collocutionis Dei cornutus apparuit; sicut scriptum est : Cum descendisset Moyses de monte Sinai, ignorabat quod cornuta esset (*Exod.* XXXIV), id est gloriosa et admirabilis facies ejus, ex familiaritate colloquii Dei. Sed et Dominus quidem Jesus, qui ante Moysen imo antequam mundus fieret, Deus exstitit, post Moysen vero novissimis temporibus homo mortalis huic mundo per Incarnationis mysterium apparuit, ab Habacuch propheta (*Habac.*
C III) cornua in manibus habere perhibetur, in quibus nimirum maxima ejus fortitudo fuisse dignoscitur. Sic quippe in Cantico ejusdem prophetæ scriptum est : « Cornua in manibus ejus (*ibid.*), » scilicet Christi, et in sequentibus : « Ibi, inquit, abscondita est fortitudo ejus, ibi corruet mors in conspectu ejus (*ibid.*). » Præterea si nos vellemus modo ad medium ducere, quidquid de istis spiritualibus cornibus divina eloquia solent eloqui, facilius 314 nos dies desereret quam copia dicendi. Sed neque ex toto silebimus. « Exaltabuntur, inquit Psalmista, cornua justi (*Psal.* LXXIV). » Quis est tam hebes et tam stolidus, qui dicere audeat quod justus cornua habeat? Sed virtutes justi cornua ejus sunt, quibus
D ipse pugnat contra diabolum, et quibus sublimatur et exaltatur ante Deum. Dicat ergo Isaias quod vinea facta est charissima dilecto filio olei, id est anima nostra propter virtutes quas habet, diligitur et in magno honore habetur ab Unigenito Filio Dei, et hoc est quod per prophetam dicitur : « Si pretiosum a vili separaveris, quasi os meum eris (*Jer.* XV). » Pretiosum a vili quippe separare, est virtutes a vitiis discernere. Quis est autem filius olei? quia persæpe jam dictum est toties idem repetere valde tædiosum est. Quod vero dicit Propheta, quia Dominus vineam sepivit, de nostra utique anima, quæ est spiritualis vinea Dei, istam sepitionem intelligere nos convenit. O quam gloriosa et quam virtutibus præclara est anima illa, de qua tanta

est cura Deo, ut pia diligentia sepiatur ab ipso! Sic enim ipse Dominus dicit per prophetam : « Ego sepiam vias tuas, et ibis post amatores tuos, et non apprehendes eos, et tunc dices : Revertar ad virum meum pristinum, quia melius mihi erat quam modo sit (*Osee* II). » Præterea huic rei paulisper immorantes considerare libet, qualiter hi qui hortos concludunt, sepes faciant. Hortus enim conclusus moraliter appellatur a Deo beatissima anima. Notum siquidem est omnibus, quia sepes ex palis et virgis fiunt, ita duntaxat ut pali inferius defixi terræ inhæreant, ex una parte, ex alia vero parte erectis capitibus sursum in cœlo respiciant. Postea autem virgæ ex transverso interseruntur, talique modo sepis muniens hortum Dei perficitur. Verumtamen quod rectius possumus appellare palos hujus spiritualis sepis nisi sanctos Dei, qui quamvis adhuc morentur in terra pro infirmitate carnis, assidue tamen cum Christo sunt in cœlo, et ei hærent spiritalibus desideriis? unde unus ex hujusmodi spiritalibus palis in terra degens aiebat : « Nostra autem conversatio est in cœlis (*Philipp.* III). » Et quid virgæ, nisi exempla et opera bona, et catholica dogmata eorum sunt? Istis ergo palis et hujusmodi virgis sepit Deus vineam suam, quia exemplis et doctrinis sanctorum suorum quotidie excolit, docet, instruit, et monet animas fidelium suorum. Hinc est quod David dixit : « Immittet Angelum Dominus in circuitu timentium se, et custodiet eos (*Psal.* XXXIII). » Alius quoque propheta nihilominus ex persona Dei testatur, dicens : « Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei (*Zach.* II), » liquido constat quod inter omnia membra quæ homo habet, pupilla oculi tenerior et delicatior apparet. Si ergo tantæ auctoritatis sumus, ut pupillæ oculi Dei æquiparemur, non debemus ejus esse beneficii ingrati, sed necesse est sic nos vivere, quatenus ab ipso mereamur sicut bona vinea custodiri et sepiri. Illud quoque quod Isaias propheta tantopere exprimit, ut asserat quod Deus ex vinea sua lapides elegerit. De nostra anima dictum non dubitemus, si tamen ut superius jam probavimus, vinea Dei spiritualiter vivendo fuerimus. Lapides enim qui in vinea Dei sunt, vitia et concupiscentiæ etiam immunda desideria intelligi possunt, quæ sicut lapides vineam, ita hæc omnia faciunt sterilem animam nostram. Sed nunc orandus est Deus, ut ipse dignetur lapides ex ista vinea eligere et projicere, id est ab anima nostra omnia vitia quæ ei displicent exstirpare; quatenus anima nostra veluti bonus palmes in ipso qui est vera vitis manens cum apostolis audiat : « Sine me nihil potestis facere, et sicut palmes non valet fructificare, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis (*Joan.* XV). » Quod autem in sequentibus suæ narrationis dicit Isaias, quia « plantavit Deus vineam suam electam, » ad nostrum corpus hæc sciamus pertinere moraliter et ad nostram animam. « Ad imaginem quippe Dei factus est homo, et ad similitudinem ipsius (*Gen.* I). » Satis nimirum ista plantatio electa exstitit, quæ ad similitudinem et imaginem Dei creata fuit. Præterea in libro Sapientiæ scriptum reperitur : « Deus fecit hominem simplicem et rectum, sed ipse immiscuit se infinitis quæstionibus (*Eccle.* VII). » Post hæc, inquit Isaias, ædificavit Deus turrim in medio vineæ suæ. » Si igitur anima nostra vinea Dei desiderat esse, oportet illam sine dubio turrim a Deo ædificatam in medio sui habere. Turris namque quando construitur in quadrangulari forma ab imo sursum erigitur. Ædifica ergo, Domine Deus, in vinea mea turrim quadrangularem, id est funda et radicari fac in anima nostra quatuor istas virtutes, scilicet prudentiam, fortitudinem, justitiam, temperantiam, et in nostro corpore nihilominus abstinentiam, sobrietatem, castitatem, veram pœnitentiam. Reliquæ autem virtutes sint hujus spiritualis ædificii lapides. Cœmentum vero quod lapides ligat et complectitur, ipsa sit charitas sine qua nullum opus bonum esse dicitur, et in qua omne opus bonum solidatur et fundatur; sic enim dicit Paulus : « In charitate radicati et fundati estote (*Ephes.* III). » « Torcular, inquit Isaias, exstruxit Dominus in vinea sua. » Notum est omnibus opus quod in torculari agitur. In torculari quippe uvæ exprimuntur et expressæ liquefiunt, ut in vinum dulcissimum convertantur. Quamvis ergo Dominus de passione sua dicat per prophetam : « Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum (*Isa.* LXIII), » tamen adhuc est aliud torcular spirituale, **315** quod utinam Dominus Jesus dignetur in vinea nostri corporis exstruere. Sancta namque compunctio, et beatarum lacrymarum pro Christi amore effusio, non incongrue torcular animæ appellari debet. Hoc torcular spirituale, exstructum in se habebat, illa charissima sponsa in deliciis quæ in Canticis canticorum suspirans de Sponso suo dicebat : « Anima mea liquefacta est, ut Dilectus meus mihi locutus est (*Cant.* V). » Ostenditur ergo in hac sententia inæstimabilis atque incomparabilis affectus Sponsæ erga sponsum suum, quæ in tantum sincero amore diligebat illum, ut etiam tota liquefieret ad illius verbum. Verumtamen multo ampliori affectu, et altiori charitate eamdem sponsam suam idem sponsus diligit, qui pro amore illius non solum paulominus ab angelis minoratus de cælo descendit, sed etiam usque ad ignominiosæ mortis supplicium pervenit. Quod equidem Jeremias propheta in suis lamentationibus protestatur, dicens : « Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Judæ (*Thren.* I). » Ipsa nempe beatissima anima, quæ in Canticis canticorum dicitur Sponsa, in Jeremia appellatur virgo filia Juda. Virgo autem nuncupatur nupta Deo anima propter fidei integritatem, et corporis quo induitur castitatem. Filia vero Juda ob humilem peccatorum confessionem et gloriosam in laudibus Dei perseverantiam. Juda quippe *confessio* interpretatur, quod ad delictorum confessionem et ad laudem Dei

refertur. Licet adhuc multa supersint quæ de torcu- A lari dici valeant, tamen ista sufficere posse arbitror modernis auditoribus qui libenter audientes brevitati student, et ne volumen longius protensum mentes aggravet tædiosorum audientium. Sane nunquid adeo vereri debemus ne offendamus pigros et tædiosos, ut prætermittamus agere id quod potest adjuvare et instruere, et ædificare strenuos viros, et meditatione legis Dei exercitatos? nullo modo. Videamus ergo quid est quod sequitur in Isaia propheta. Et exspectavit, inquit Isaias, vineam suam Dominus ut faceret uvas, et ecce, proh dolor! fecit labruscas. Quæ nimirum sententia potius est timenda quam exponenda. « Ecce enim, ait Jacobus apostolus, agricola exspectat pretiosum fructum terræ patienter ferens, donec accipiat tempora- B neum et serotinum. Patientes et vos estote, et confirmate corda vestra in servitio Dei quoadusque ipse Dominus veniat (*Jacob.* v). » Præterea ne prorsus indiscussum relinquamus quod superius dictum est, quia exspectavit Dominus vineam suam ut faceret uvas, et fecit labruscas, dicendum paucis verbis quoniam quidem væ illis qui a Creatore suo in tota vita sua exspectantur ut fructificent, tandemque finito stadio vitæ præsentis infructuosi apparent. Generaliter quippe omnes Christiani qui fidem susceperunt, et operibus fidei imbuti sunt, si malo vivunt, si extremum diem sine fidei operatione claudunt, procul dubio pro uvis labruscas afferunt. Sed et tu quicunque conversus diceris, licet infra am- C bitum monasterii vel claustri esse ad tempus videaris, si antequam extremus dies tibi adveniat a sancta conversione, et a servitio Dei recedis, sine dubio (si dici potest) plus quam proh dolor! labruscas Domino Deo tuo facis pro uvis. Verumtamen illi beati et felices sunt, qui versa vice pro labruscis Deo se exspectanti ad salutem pretiosas uvas afferunt. Isti sunt nimirum qui aliquando huic fallaci sæculo nimio amore inhæserunt, sed postea se sentientes errasse, toto cordis affectu ad religionem sanctam conversi sunt, et spreta sæculi vanitate totis viribus servitio Dei se mancipaverunt. De quibus Zacharias propheta mihi videtur dicere : « Isti sunt filii olei splendoris qui assistunt Dominatori universæ terræ (*Zach.* iv). Quia vero persæpe jam superius præfati sumus quod oleum significet misericordiam, et misericordia designet illum, de quo dicit Psalmista : « Deus meus misericordia mea (*Psal.* lviii), » hoc iterum replicare devitamus, ne fastidium auditoribus pariamus. Sed hoc constat pro certo quoniam quidem si Deus oleum dicitur, hi qui sunt filii olei, æque possunt dici et filii Dei. Cui siquidem sententiæ consona voce concordat beatus Joannes apostolus, dicens : « Fratres, filii Dei sumus, et nondum apparet quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est (*Joan.* iii). » Consideremus ergo quis sit ille qui loquitur. Conversus nempe erat, apostolus et Evangelista erat, mundo abrenuntiaverat, ideoque; audacter aiebat : « Filii Dei sumus. » Manifestum est igitur, quia qui perfectius renuntiat sæculo, et familiarius more apostolorum adhæret Deo, filius Dei est, et dici veraciter potest.

Explicit tertius Tomus.

—

INCIPIT QUARTUS TOMUS

Super hoc quod dicitur : *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.*

Ad quartum tomum exponendum hujus libri accedentes, ipsum qui quarto die faciendo luminaria cœli mundum illuminavit pura mente et summa intentione **316** invocare nos convenit, quatenus velamen litteræ Veteris Testamenti dignetur nobis inferre, ut secundum voluntatem ejus sensum spiritualem in litteris peplo obscuriori coopertis, valeamus reperire. Et enim velamen magnum super istam sententiam positum, scilicet : « *Trahe me post te.* Sicut in octonario opere Dei in libro Genesis, et in octo sententiis Amos prophetæ, ubi dicitur : « Super tribus sceleribus Damasci et super quatuor non convertam (*Amos* i), » et octonaria visione Zachariæ prophetæ. Verumtamen istis sententiis paululum prælibatis, ad ea quæ superius præfati sumus stylum nostrum dirigamus, et cujus sit hæc vox quæ dicit : *Trahe me post te*, vel cui loquatur spirituali indagine perquiramus. Sanctæ Ecclesiæ hanc vocem esse, quæ dicit : *Trahe me post te*, nullus sapiens dubitat : ipsum vero sponsum ejus esse Christum Filium Dei, cui ipsa loquitur, omnis auctoritas tam Novi quam Veteris Testamenti consona voce prædicat. Sed mirandum valde est, qua ratione sancta Ecclesia a Filio Dei, id est a Sponso suo trahi se postulat, quandoquidem ista spiritalis attractio ad Patrem maxime ex auctoritate Filii ejus pertineat. Sic enim idem Filius Dei de eodem charissimo Patre suo dicit in Evangelio : « Nemo venit ad me, nisi Pater meus attraxerit eum (*Joan.* vi). » Denique idem piissimus Pater de eadem præclara et prælecta Filii sui Sponsa, id est sancta Ecclesia, per Jeremiam prophetam ait : « In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui (*Jere.* xxxi). » Fatendum est igitur, quia Deus Pater abundantia suavitatis suæ, in invisibili amore charitatis internæ, ad hoc attraxit mentem Sponsæ Filii sui, ut ipsa eadem charissima Sponsa postularet attrahi ab eodem Sponso suo, videlicet Filio Dei. Sed certe, o tu auditor, noli credere istam tractionem violentam, quam exoptat sibi fieri Sponsa a Sponso suo.

Non enim est violenta, sed est omnibus modis charitativa et voluntaria. Hinc est namque quod Psalmista spirituali desiderio inflammatus, ut laudes Dei digne pronuntiare valeat, attrahit gratiam Spiritus sancti, sicut scriptum est : « Os meum aperui, et attraxi Spiritum (*Psal.* CXVIII), » subauditur sanctum, et in quid attraxisset eum manifeste subjunxit, dicens : « quia mandata tua desiderabam (*ibid.*). » Datur ergo nobis intelligi, quoniam quidem in desiderio mandatorum Dei attrahitur gratia Spiritus sancti. Est præterea alia valde laudabilis et approbabilis tractio cum quemlibet in aliqua anxietate positum constat, cui compatiens et condolens amicus ejus eamdem anxietatem cum illo condolendo supportat, quatenus illum ab eadem anxietate liberare valeat. Tali quoque modo fit, ut ille qui ope et compassione amici sui ab illa anxietate liberatur, amplius solito eumdem amicum suum diligere cogatur, et miro atque inæstimabili charitatis affectu ad dilectionem trahitur illius. Hoc igitur piissimo modo sancta Ecclesia divino charitatis amore succensa, ineffabilis pietatis compassione considerata, quam Christus de ea habuit, quando pro ea mortem subiit, dicit : *Trahe me post te;* ac si dicat : Sicut tu mortuus es pro me, sic da mihi ut ego valeam mori pro te. Vel certe *trahe me post te*, id est fac me ad tuæ majestatis cognitionem pervenire, ut non jam per speculum et in ænigmate, sed facie ad faciem (*I Cor.* XIII) possim videre quomodo tu es in Patre, et Pater in te, et quomodo Spiritus sanctus procedit a te et a Patre. *Curremus in odorem unguentorum tuorum*, hæc vox videtur esse adolescentularum, id est fidelium animarum dicentium ad Sponsum. Mater nostra sancta Ecclesia de excellentia meritorum suorum in membris fortioribus, id est apostolis et martyribus confisa, te deprecatur, ut ad tuæ majestatis notitiam pervenire mereatur, sed nos adolescentulæ, id est infirmiores et debiliores tamen fideles animæ nondum pro te tantum laboravimus, ut ad lucem inaccessibilem in qua tu habitas suspirare audeamus, sed *curremus in odorem unguentorum tuorum*, hoc est in hoc sæculo bene vivendo sequemur exempla sanctorum tuorum, quatenus post mortem pervenire valeamus ad consortium ipsorum. Vel certe *curremus in odorem unguentorum tuorum*, id est gradiemus viam mandatorum tuorum, quatenus charitate tua dilatati recipere valeamus infra armaliolum cordis nostri, charismata Spiritus sancti. Curramus ergo, fratres charissimi in odorem unguentorum Dei, ut dicatur de nobis : « Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini (*Psal.* CXVIII). » Curramus, inquam, cum apostolo Paulo (*Philip.* III) sic ut comprehendamus cum ipso scilicet perpetuam vitam; ille enim bene currit, qui pie et juste vivendo, ultimum diem vitæ suæ religioso fine concludit. Denique qui currit, locum in quo erat deserit, et ad locum in quo non erat tendit. Sic ergo nos deseramus gloriam hujus mundi, fugiamus concupiscentias et voluptates hujus sæculi, æmulemur cum Paulo (*I Cor.* XII) charismata meliora, quæ sunt unguenta redolentia, id est dona Spiritus sancti, quatenus de lacu miseriæ, et de luto fæcis abstracti, pervenire valeamus ad gaudia perpetua paradisi.

RECAPITULATIO A SUPERIORIBUS SECUNDUM ALLEGORICUM ET MYSTICUM SENSUM.

317 Ipso auxiliante qui ait : « Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me (*Joan.* XII), » superius locuti sumus de illa sententia quæ est in Canticis canticorum, scilicet *trahe me post te.* Super est modo ut eodem opitulante de septenario vel octonario opere Dei, ad laudem ipsius eloquamur, et qua ratione octo ætatibus hujus sæculi unumquodque opus congruat, in lucem proferamus, verumtamen prius necesse est, ut sæculum octo per ætates distinguamus sic demum singulis ætatum distinctionibus unumquodque opus sigillatim rectius assignabimus. Prima igitur ætas hujus sæculi exstitit ab Adam usque ad Noe. Secunda vero a Noe usque ad Abraham. Tertia autem ab Abraham usque ad Moysen. Quarta exstitit a Moyse usque ad David. Quinta a David usque ad adventum Christi. In sexta ætate venit Dominus Jesus Christus, quæ ætas duravit usque ad tempus illud quo persecutio in sancta Ecclesia cessavit. Septima ætas ipsa est quæ nunc agitur usque ad diem judicii. Octava erit ætas peracto judicii die, quæ carebit fine. Sane illud admodum est mirabile, quia quæ legitur Deus fecisse in illis septem diebus, ea nimirum eleganti ordine et sapientissima ratione congruunt istis septem vel octo ætatibus præfatis. Igitur ad opus primi diei disserendum properemus, et freti sacrosancta aspiratione ipsius qui primum diem fecit, quid sacramenti ipsum opus in se contineat, salva sanctorum Patrum omnimoda expositione, mens nostra in lucem proferre non pertimescat. « In principio, inquit Moyses, fecit Deus cœlum et terram (*Gen.* I). » O Moyses Dei inquilinus. O secretorum divinorum reserator arcanus! Quis tibi intimavit quod Deus in principio fecit cœlum et terram, nisi ipse idem qui hæc omnia ad laudem et honorem, et gloriam nominis sui condidit? Sed in quo principio? In eo nimirum qui ait in Evangelio : « Ego principium qui loquor vobis (*Joan.* VIII). » In eo, inquam, de quo Joannes evangelista testatur : « In principio erat Verbum et omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I). » In eo, inquam, de quo Psalmista ad Patrem dicit : « Et tu in principio, Domine Deus Pater, hoc in tuo Filio terram fundasti et opera manuum tuarum sunt cœli (*Psal.* CI). » Considera, o benignissime auditor, et eloquiorum spiritualium placidissime amator, quoniam quidem duæ res duntaxat in opere primi diei resplendent : Creator scilicet qui creaturam condidit, et creatura quæ a Deo suo facta est, quæ modo illi servit. Nihil ergo aliud in ipso opere prorsus reperire poteris si ipsum opus primi diei mille per annos scrutatus fueris. Creatura nempe a Deo Patre per Filium facta ibi de-

claratur, Spiritus sanctus super aquas, ut eas nobis sanctificaret ad gratiam baptismi sui deferri similiter inibi prædicatur. Et sicut sancta Trinitas in Patre et Filio et Spiritu sancto ostenditur per effectum operis, sic ipsum opus quod factum est quodammodo in se repræsentat similitudinem sacrosanctæ et individuæ Trinitatis. Omne enim quod a Deo creatum est, ex quo creatum exstitit esse habuit, quantitati subjacuit, qualitati illam subesse oportuit. Dilucidemus ergo quod diximus, ne forte simplicis auditoris sensum obscuritate obsessum relinquamus. Manifestum est quia quidquid est, aut per se, aut cum alio, aut per alium, aut nullo modo habet esse. Deus solus per se solummodo est, sed quod ab eo creatum est, ut per ipsum consistat qui creavit, necesse est per se esse, et sine alio esse, unum dignoscitur esse, quod ad Deum proprie pertinet. Per alium esse et sine alio esse non posse, creaturæ proprium comprobatur esse, quæ absque Creatore suo non valet esse, etiam si aliquo modo videatur esse. Quantitati vero subjacet quod creatum est, quia aut parvum, aut magnum, aut mediocre est. Qualitatis legibus necessario subest creatura, quoniam, aut est alba, aut nigra, aut medio colore colorata. Ecce paucis verbis Deo inspirante noster stylus elucidat quam rationabiliter omnis creatura sanctæ individuæ Trinitatis imaginem in se repræsentat. Præterea si adhuc subtilius internis oculis ipsam superficiem hujus sacræ paginæ perscrutati fuerimus, omnes leges illarum septem artium, quæ secundum philosophiam liberales vocantur, reperiemus. Ut enim ad rhetoricam artem accedamus, juxta locutionis modos qui flores dicuntur, prima oratio scilicet : « In principio creavit Deus cœlum et terram, » unimembris esse dignoscitur. Secundam vero orationem videlicet « terra erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi et spiritus Dei ferebatur super aquas, » trimembrem esse clara voce fatebuntur, qui in illius artis peritia vel prærogativa gloriantur. Sane hoc nullatenus sub silentio præterire debemus, quod illa prima oratio quæ est unimembris, unum Deum nobis prædicat; secunda autem quæ est trimembris, ipsum Deum verum esse, qui ex una substantia et ex tribus personis constat, nihilominus nobis confirmat atque denuntiat. Ad nostræ fidei firmamentum confirmandum, quæ de Patre et Filio et Spiritu sancto procedit, quæ non solum in hoc libro, **318** verum etiam in omnibus divinis voluminibus repetitur, ista dixisse sufficiat. Beatus Augustinus super cœlo et terra talem profert interpretationem : « Fecit, inquit, Deus in principio cœlum et terram, » id est angelicam vel cœlestem et terrenam creaturam. Nos quoque possumus salvo sensu ecclesiasticæ regulæ, cœlum et terram ad personam primi patris nostri Adæ allegorice referre. Ipse enim antequam peccaret velut cœlum exstitit, sed post peccatum a Deo audivit : « Terra es et in terram ibis (*Gen.* III). » Et bene quidem Adam ante perpetrationem peccati cœlum potest appellari, quia sine dubio, ut ait sanctus Augustinus, nisi illum miserabilem reatum incurrisset, ad cœlestem gloriam sine gustu mortis pervenisset. Potest adhuc Adam alio modo cœlum et terra nuncupari, quia ipse animam de cœlesti natura habuit, et corpus ejus de terra originem duxit. Sic enim Scriptura dicit : « Fecit Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ (*Gen.* II). » Est præterea et alia rationabilis intelligentia, qua primus parens noster debeat vocari cœlum et terra. De eo namque Eva facta est; sicut scriptum est : « Immisit Deus soporem in Adam et unam de costis ejus tulit, et ædificavit costam illam in mulierem (*ibid.*). » Si igitur per cœlum accipimus Adam, et per terram accipimus Evam, noster intellectus directo tramite incedit per ecclesiasticam regulam. Dicamus aliter : Non immerito cœlum et terram in Adam possumus interpretari, quia de ejus propagine sancta Ecclesia debebat egredi, quæ in electos, cœlum, et in reprobos quos continet, terra potest appellari. Vel certe ideo Adam cœlum et terra non incongrue dici valet, quia futurum erat ut ille de ejus stirpe per lineas generationum originem duceret, qui cœlestia simul et terrena per sanguinem suum pacificando conjungeret; et damnum quod illa cœlestis curia in lapsu Sathanelis sociorumque ejus pertulerat, ex filiis ejusdem Adæ, licet salutari fonte regeneratis, redintegraret. Quod autem dicitur quia terra inanis et vacua erat, sic intelligi oportet, quoniam quidem Adam et Eva postquam diabolo magis quam Deo peccando consenserunt, statim inanes et vacui a gratia Spiritus sancti et reliquis virtutibus, quibus antea refulgebant, remanserunt. Pari quoque sententia accipiendum est quod sequitur : « Tenebræ erant super abyssum (*Gen.* I). » Abyssus, ut ait sanctus Augustinus, est quædam profunditas quæ fundo caret; quæ nimirum quanto est profundior, tanto remota ambiguitate est tenebrosior. Nonne satis tibi videntur esse tenebrosi, qui putabant se posse latere a facie Dei? Sic nempe post transgressionem ipse ait pro se et pro sua conjuge. « Audivi, Domine, vocem tuam et abscondi me (*Gen.* III). » Tenebræ ergo erant super faciem abyssi, quia obscuritas peccati, et defensionis audacia, et involucrum mendacii obsidebat corda eorum, qui illum fallere verbis nitebantur, cui Salomon ait : « Tu solus nosti corda filiorum hominum (*II Par.* II). » Illud vero quod Spiritus Dei super aquas ferebatur, sic nos oportet interpretari, ut intelligamus jam nunc ex eo tempore gratiam baptismi per virtutem Spiritus sancti consecrari, quo baptismo progenies Adæ ab hac transgressione debebat purificari. Sed et illud quod Deus dixit : « Fiat lux et facta est lux (*Gen.* I), » satis decenter ipsi Adæ aptari valet. Ipse enim quasi lux præ cæteris creaturis, quibus prælatus erat, emicuit, ideoque participatione sapientissimæ lucis, quæ in eo latebat, omnibus rebus nomina imposuit. « Et vidit Deus lucem quod esset bona (*ibid.*) »

Placuisset Deo utique si Adam permansisset in eodem statu, in quo ab eo conditus fuerat. Sed quia ipse peccavit, magna divisio fuit inter illum statum, quem ante lapsum habuit, et illum in quo post libamen peccati remansit, et hæc est divisio « lucis a tenebris. Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem (*ibid.*), » quod est dicere : Ante transgressionem Adam justus, id est lux et dies exstitit ; post transgressionis reatum, nox et tenebræ, id est peccator permansit. « Et factum est vespere et mane dies unus (*ibid.*). » Si per mane animam Adæ quæ cœlestis naturæ erat, et per corpus ejus vesperam volumus intelligere, potest talis solutio haberi hujus sententiæ : « Vespere et mane factum est dies unus, » id est ex anima et corpore factus est homo unus. Vel certe si per mane quod pertinet ad lucem, volumus interpretari illud esse gloriosum, in quo Deus creavit Adam, et si per vesperam quæ tenebras respicit interpretamur infelicem reatum quem Adam incurrit, possumus dicere, quoniam quidem Adam, quem Deus justum condidit, licet ipse peccatorem se fecerit, tamen idem ipse permansit, excepto quod peccati nævo non caruit. Nostra igitur intentio ad hoc tendit ; quatenus eo suppeditante qui primum diem fecit, illud quod actum est in ipso primo die, referamus per allegoriam ad ea quæ gesta sunt in prima sæculi ætate.

Explicit quartus tomus in Cantica canticorum.

INCIPIT QUINTUS TOMUS

Super hoc quod dicitur : *Introduxit me rex in cellaria sua, exsultabimus et lætabimur in te memores uberum tuorum : super vinum recti diligunt te* (*Cant.* I).

319 Sicut sacra historia Veteris Testamenti cum legeretur mentibus audientium spirituali modulatione intimavit, Isaac sanctus patriarcha filius illius nobilissimi et egregii patriarchæ Abrahæ olim advesperascente jam die exierat ad meditandum in agrum (*Gen.* XXIV) : et factum dum deambularet meditans levavit oculos suos, et vidit Rebeccam sponsam suam venientem, et occurrit ei obviam, et duxit eam in tabernaculo matris suæ Saræ, et in tantum dilexit illam, ut etiam dolorem qui ex morte ejusdem matris suæ sibi acciderat, maxima ex parte temperaret. Quia enim Isaac interpretatur *risus* vel *gaudium*, non immerito per illum spiritualiter intelligimus Dominum nostrum Jesum Christum qui est gaudium et lætitia, jubilatio et exsultatio, et jucunditas indeficiens sanctorum suorum. Quod autem ipse Dominus Jesus filius sit Abrahæ secundum carnem, testatur Matthæus evangelista cum dicit : « Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham (*Matth.* I). » Illud vero quod sanctus Isaac advesperascente jam die egressus fuerat ad meditandum in agrum, significat quod Dominus Jesus Christus appropinquante hujus sæculi fine, venit in hunc mundum ad hoc, ut impleret sacrosanctæ suæ incarnationis mysterium. Deambulatio quippe sancti Isaac in agrum insinuat nobis adventum Domini nostri Jesu Christi in hunc mundum. Unde et Sponsa sua charissima eidem Domino Jesu dicit in Canticis canticorum : « Veni, dilecte mi, commoremur in silvis, egrediamur in agrum (*Cant.* VII), » licet beatus Ambrosius ipsum agrum interpretetur castellum. Præterea hoc quod Isaac in tabernaculum matris suæ introduxit Rebeccam, et pro amore ejus maternæ mortis temperavit dolorem, significat quod Dominus Jesus Christus spiritualibus nuptiis et epithalamicis Canticis sibi sociavit sanctam Ecclesiam. Quam nimirum adeo dilexit amore spirituali, ut etiam Synagogam, scilicet matrem suam carnalem, traderet oblivioni. Denique ipsa Rebecca interpretatur *patientia*, quam Isaac in suum tabernaculum introduxit, quod utique mysteriis sanctæ Ecclesiæ eleganter alludit ; quam Dominus noster Jesus Christus finito certamine hujus sæculi introducet ad cœlestis gloriæ mansiones æternas, cujus equidem Ecclesiæ fundatoribus, scilicet sanctis apostolis, ipse dicit : « In patientia vestra possidebitis animas vestras (*Luc.* XXI). » Hanc igitur beatissimam ac felicissimam introductionem in hoc libello considerans Christi Sponsa, et quasi jam facta sit quæ adhuc post diem judicii est futura, gaudio inenarrabili et jubilatione incomprehensibili exsultans adolescentulas sic alloquitur, dicens : *Introduxit me rex in cellaria sua* (*Cant.* I). Sane quis est iste rex a quo ista Sponsa se dicit introductam esse in cellaria ? Ille nimirum de quo propheta David ait : « Deus, judicium tuum regi da et justitiam tuam filio regis (*Psal.* LXXI). » Quod utique idem rex summi regis filius in Evangelio manifestat clarius cum dicit : « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V). » Quæ vero sunt ista cellaria, nisi illa tabernacula vel atria de quibus David propheta cecinit : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et desiderat anima mea in atria Domini ? » (*Psal.* LXXXIII.) Hæc siquidem tabernacula vel atria Dominus Jesus in Evangelio mansiones appellat, ubi ait : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV). » Sancta igitur Ecclesia, Christi Sponsa, istas mansiones sive tabernacula vel atria spiritualiter considerans, et ad ea postposito sæculi amore toto desiderio animi anhelans, quasi jam ea præsentialiter possideat, quæ peracto die judicii possessuram se esse non dubitat, dicit : *Introduxit me rex in cellaria sua.* Vere, inquit sancta Ecclesia, *introduxit me rex in cellaria sua*, quia « quod

oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*I Cor.* II), » sicut mihi promiserat, fideliter donavit. Unde Isaias propheta ait : « Oculus non vidit, Deus, absque te quæ præparasti diligentibus te (*Isa.* LXIV). » Hujus igitur ineffabilis gaudii charitate, jubilationis incomprehensibilis affectu, contemplatione summæ et inenarrabilis Trinitatis, adolescentulæ, id est fideles animæ accensæ dicunt : *Exsultabimus et lætabimur in te.* Tunc siquidem completo resurrectionis et judicii generalis sacramento, quando fidelibus suis dicet Filius Dei : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV), » et quando corpus quod corrumpitur ultra non aggravabit animam, nec terrena inhabitatio deprimet sensum multa cogitantem, sed anima videns Deum sicuti est facie ad faciem (*I Cor.* XIII), participatione visionis summæ et incomprehensibilis Trinitatis, carnem suam faciet ex toto spiritualem ; tunc, inquam, **320** verius dicent istæ adolescentulæ, id est fideles animæ, *exsultabimus et lætabimur in te.* In terra enim nobis degentibus et præceptis tuis fideliter obedientibus, magna quidem promisisti, sed in cœlo majora reddidisti. Idcirco *exsultabimus et lætabimur in te. Memores uberum tuorum*, id est præceptorum tuorum, per quorum observantiam et Spiritus sancti gratiam, pervenimus ad contemplandam tuæ majestatis claritatem ; vel certe *exsultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum*, id est eloquiorum tuorum, quæ eloquia dulcia et melliflua facta sunt nobis super vinum, hoc est plus quam doctrina Mosaicæ legis, quæ merito propter austeritatem præceptorum vino comparatur : quod vinum parvulos necare dicitur, quia, sicut dicit Paulus, « Lex iram (id est mortem) operatur (*Rom.* IV). » Ergo, rex Christe, quia tot beneficia contulisti Sponsæ tuæ, ideo filii ejusdem Sponsæ, id est, *recti diligunt te.* Recti cogitatione, recti locutione, recti operatione diligunt te. Recti merito appellantur, qui post confessionem et pœnitentiam ad peccatum non revertuntur. Possumus sane istam sententiam referre ad Christi personam, ita ut dicat Christus : *Introduxit me rex in cellaria sua*, quod est dicere : Pater meus, qui est Rex regum, præcepit mihi ut carnem sumerem intra viscera beatæ Mariæ semper virginis. Quæ viscera sacrosanctæ Virginis merito appellantur cellaria Dei Patris, quia ab ipso ab æterno sunt prædestinata, et ab eodem in fine sæculorum nativitati Filii sui præparata et consecrata. Quam nativitatem adolescentulæ cognoscentes, id est angelicæ et cœlestes virtutes, gloriam Deo canunt in excelsis et in terra pacem annuntiant hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II), quasi dicant ad Patrem : Merito *exsultabimus et lætabimur in te*, quia numerum nostrum qui minoratus fuerat diabolo cadente, per incarnationem Filii tui disponis reparare. *Memores uberum tuorum super vinum*, ac si dicat : Recordamur misericordiæ tuæ et pietatis tuæ admirabilis, quibus modo tu temperas austeram sententiam juste damnationis, quam primo homini olim intulisti, quando illum iniquitate sua exigente a paradisi gaudiis exclusisti, et in hanc convallem lacrymarum et miseriarum expulisti. Consideratis igitur istis beneficiis a te sibi clementer prærogatis, *recti diligunt te*, quia nec in cœlo, nec in terra inveniunt quidquam charius vel dignius te. Tu enim totum mundum, cum non esset, de nihilo creasti, hominemque de limo terræ admirabili potentia plasmasti, eumdemque quem diabolus sua fraude seduxit et perdidit, tua pietas benignissima ad paradisi gaudia reduxit et salvavit ; et ideo recti diligunt te, quia aliquid quod melius et justius ament, non reperiunt quam te. Introducamus ergo et nos, fratres, Christum in cellaria nostra. Cellaria vero nostra sunt corpus et anima nostra, in quibus intraturum se Dominus repromittit, si exclusis omnibus malis ea sibi parata et munda invenerit sicut ipse ait : « Ecce ego sto ad ostium et pulso, si quis aperuerit mihi januam, introibo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum (*Apoc.* III). » Sed quid putamus, quid gaudii, quid jubilationis, quid lætitiæ vel exsultationis, adolescentulæ, id est omnes virtutes animæ nostræ, tunc possidebunt, quando Christum in cellaria sua adesse videbunt ? Tunc præterea dicet Sponsus adolescentulis istis : « Gaudium vestrum nemo tollet a vobis (*Joan.* XVI) »

RECAPITULATIO A SUPERIORIBUS SECUNDUM MYSTICUM ET ALLEGORICUM SENSUM IN ILLA SENTENTIA : « INTRODUXIT ME REX IN CELLARIA SUA. »

Homines pigmentarii, qui redolentia aromata ex diversis speciebus conficiunt, et qui balsama vel cætera hujusmodi aromatizantia sæpius contingunt ; ipsi quidem prius quasi pro munere sui laboris eorumdem aromatum sive balsami miro odore potiuntur, deinde supervenientes et propius accedentes gratissima fragrantia perfunduntur et perfruuntur. Porro hoc certissime constat, quia quanto amplius supradicti pigmentarii aromata sua comminuunt, vel minutatim conterunt seu balsama effundunt, et de vase in vas transponunt, tanto procul dubio suis naribus inferunt recentiorem et eminus assistentibus propinant gratiorem odorem. Quæ sunt igitur ista aromata sive balsama pretiosa, nisi divinorum librorum sacratissima eloquia ? Unde Sponsa in Canticis canticorum dicit : « Dilectus meus descendit ad areolam aromatum ut lilia colligat (*Cant.* VI). » Quænam est ergo areola aromatum, nisi Ecclesia catholica, in qua continetur ingens copia divinorum librorum ? Pigmentarios vero nullos alios arbitror rectius posse intelligi, quam rectores et prædicatores Ecclesiæ Dei, qui more aromatum Scripturas divinitus inspiratas exponendo conterunt et per minutias dividunt, et sicut balsama cum de vase in vas transfunduntur, suavissimum spirant odorem : sic ipsi rationabiles et gratos sensus proferunt, dum de historia ad allegoriam, et de allegoria transeunt ad moralitatem. **321** Si igitur, sicut diximus, aromata sunt sacra eloquia, et si eo amplius redolent quanto am-

plius fuerint contrita, videamus quid redoleat vel quid fragrantiæ in se contineat ista sententia. *Introduxit me rex in cellaria sua.* Cellaria siquidem secundum allegoriam istius regis sunt omnes libri generaliter divinæ legis, in quibus tunc spiritualiter et mystice a Domino introducimur, cum ad intelligendos occultos et mysticos sensus ab ipso instruimur et docemur. Sic denique beati illi discipuli a Domino Jesu infra cellaria ista introducebantur de quibus in Evangelio dicitur : « Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV). » Cellarium nempe quoddam secretum, et omnibus divinis charismatibus et divitiis spiritualibus affluens est Evangelium. Unde Sponsa proclamat exsultans in Canticis canticorum : « Introduxit me rex in cellam vinariam, et ordinavit in me charitatem (*Cant.* II). » Evangelium quippe docendo declarat quomodo charitas inter Christianos haberi et possideri debeat, ut scilicet principaliter præ omnibus creaturis, et super omnes creaturas, et ante omnia diligatur Deus ; deinde secundo loco, sincero charitatis affectu ametur proximus. Hæc est namque beatissima et sacratissima puræ charitatis ordinatio, quam reperire potest unusquisque fidelis in Evangelii Christi cellario. Sunt præterea et alia cellaria istius magni et ditissimi regis : liber scilicet Genesis, Exodus, Leviticus, liber Numeri liberque Deuteronomii, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, et duodecim prophetæ aliique perplures divinæ legis libri, cellaria sunt Christi ; sed quid dicam de præcipuo et eximio prophetarum David, qui cujus cellarium sit in prima parte sui libri luce clarius manifestat cum dicit : « Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit? » (*Psal.* I.) Non itaque arbitramur modo tempus esse, quo per omnes libros sigillatim discurramus, et qualiter unusquisque liber cellarium sit istius summi regis exponamus, quia ad id peragendum nequaquam obtinemus sensus idoneos, et hoc plenius peregisse cognoscimus antiquitus sanctos Patres nostros. Verumtamen ne quis sub silentio lenti corporis velle latere nos autumet, ingrediamur illud cellarium de quo præfati sumus superius, et quid in se absconditum contineat quidve redoleat, ipso largiente cujus est cellarium, in palam proferamus. « Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, etc. » In divina pagina, o spiritualis legis perscrutator, tria subjacent inquisitioni tuæ, scilicet historia, allegoria, et moralitas, quæ semper obambulat et inseparabiliter adhæret nostræ conditioni. Sane in rerum natura sunt ista tria, et non facile reperiuntur, nisi a prudenti lectore sollicitius requirantur. Historica igitur intelligentia hujus versus, scilicet, « Beatus vir, » referatur ad personam terreni regis David, allegoria Domino Jesu Christo ascribatur, moralitas nostris actibus corrigendis assignetur. Sed quomodo possumus ad David historice istum versum videlicet, « Beatus vir, » etc., referre, quem cognoscimus cogitatione, locutione et operatione peccasse? Certum est enim quia David cogitando peccavit, quando de stratu suo incaute respiciens Bethsabee uxorem Uriæ Ethei vidit lavantem et concupivit. Verum quia cogitationem illicitam in se minime repressit, usque ad locutionis reatum descendit, cum per internuntios quænam esset illa mulier inquisivit. Et quis nesciat illum miserabili lapsu in opere corruisse, quando cum eadem Bethsabee adulterium perpetravit (*II Reg.* II), et postea virum ejus ne adulterium omnibus pateret gladiis filiorum Ammon occidendum tradidit? Qua ergo beatitudine David donabitur, qui in cogitatione, locutione et opere reus esse comprobatur? Et quis audebit David beatum virum dicere, qui adulterium tam leviter commisit, et eidem adulterio, quod pejus est, homicidium copulavit? Sed secundum apostoli Pauli (*I Cor.* VI) vocem ablutus est, justificatus est, sanctificatus est in nomine Domini nostri et in Spiritu Dei nostri. Justificatus est, inquam, per confessionem quando ait ad Nathan prophetam : « Peccavi Domino, ora pro me; » et Nathan propheta ad eum : « Noli, inquit, timere, nequaquam morte morieris, quia Dominus transtulit peccatum tuum a te (*II Reg.* XII). Ecce quam velociter iste homo per confessionem ablutus est, justificatus est, sanctificatus est. Præterea audiamus quid Dominus de eo : « Inveni, inquit, David servum meum filium Jesse, qui facit omnes voluntates meas (*Act.* XIII). » Et in alio loco : « Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum (*Psal.* LXXXVIII). » Mea, inquit, manus auxiliabitur ei (*ibid.*) », et cætera quæ sequuntur in eodem psalmo, quæ ad laudem ipsius David dicta manifesta comprobat oratio. Quis igitur istum condemnare audeat quem Deus verbis hujuscemodi abluit, justificat et sanctificat? Sed certe quæramus si forte nobis occurrerit, quod alicubi David in consilio impiorum non abierit, et in via peccatorum non steterit, et in cathedra iniquitatis non sederit. Neque enim decet Dei majestatem, ut impium justificet, sicut nec hoc ut justum condemnet. Nequaquam vero Deus justum David justificaret, vel laudaret, nisi aliquod bonum opus in eo inveniretur quod ipsi Deo placeret. Nota est siquidem historia libri Regum, quæ refert quod aliquando Saul, impiissimus rex, David injuste persequeretur, et accidit quadam die ut idem **322** Saul quamdam speluncam ad requisita naturæ ingrederetur, et ecce in eadem spelunca David cum sociis suis a facie ipsius Saul fugiens, latitabat. Dixerunt ergo socii ejus ad eum : « Ecce dies de qua locutus est Dominus ad te, dicens : Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias in eum quidquid volueris. Surge igitur et interfice eum. Et confregit David verba virorum qui cum eo erant, et non permisit ut interficerent eum, sed dixit : Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut descendens in prælio perierit, non mittam manum meam in christum Domini (*I Reg.* XXIV). » Ecce quomodo David non abiit in consilio impiorum.

Quamvis enim lex diceret : « Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum (*Levit.* XIX) ; » tamen iste despiciens antiquæ legis instituta, jam translitum faciebat ad novæ legis sacramenta. In nova enim lege dicitur : « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos (*Matth.* V). » Postquam autem, Deo adjuvante, ostendimus quomodo David in consilio impiorum non abiit, restat ut ipso opitulante demonstremus qualiter in via peccatorum non steterit. In eodem namque libro Regum similiter reperitur, quoniam quidem alia vice idem rex flagitiosissimus Saul sanctum David invidia stimulante persequebatur. Et factum est dum sol ad occasum tenderet, et vespera superveniens diei terminum jam imponere vellet, Saul in loco in quo erat expansis tentoriis et papilionibus suis requiescere disponebat. Cumque omnium membra quietus sopor obtineret, David notato loco in quo Saul dormiebat ait ad socios suos : « Quis descendet mecum ad Saul in castra? » (*I Reg.* XXVI.) Et descenderunt cum eo nonnulli ex sociis illius. Cum autem venisset ad locum in quo Saul dormiebat, dixit unus quispiam ex his qui cum eo erant : « Ecce dedit Dominus inimicum tuum in manu tua. Nunc ergo dimitte me, et perfodiam eum lancea semel in terra, et secundo opus non erit. Et ait David : Non facias ei quidquam mali, nec extendas manum tuam in eum. Quis enim mittens manum suam in christum Domini innocens erit? » (*Ibid.*) Hoc sciat Dominus quia nisi ipse Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut descendens in prælio perierit, « non mittam manum meam in christum Domini (*ibid.*). » Ecce quomodo David in via peccatorum non stetit, quia consilium eorum qui ei homicidium persuadebant audire recusavit. Ostensis igitur quibusdam argumentis ex operibus sancti David, quibus illum manifesta auctoritate comprobavimus aliquando, nec in consilio impiorum abiisse, nec in via peccatorum stetisse; incumbit nobis adhuc vigilanti animo illum ostendere in cathedra pestilentiæ non sedisse. Postquam autem Saul vitam istam temporalem cum filiis Israel sub sorte prælii in monte Gelboæ finivit (*I Reg.* XXXI), scriptum est quia domus Juda in Ebron David sibi in regem unxerit, et eum more regio in cathedra regali collocaverit. Ecce, inquit historia, venerunt quidam, et annuntiaverunt David quod viri Jabes Galaath honorifice sepelissent Saul inimicum ejus, et mandavit eis, dicens : « Benedicti vos a Domino, qui fecistis hanc misericordiam cum Saule domino vestro. Sed et ego reddam vobis gratiam pro opere quod fecistis in eo (*II Reg.* II). » Præterea in sequentibus libri Regum dicitur, quia tulit David ossa Saul et Jonathæ, et sepelivit ea valde honorabiliter in terra Benjamin (*II Reg.* XXI). Sane quibus verbis possimus digne explicare quomodo David fleverit audita morte ejusdem inimici sui Saulis de cujus utique interitu debuisset gaudere exsultantibus animis sicut scriptum est : « Planxit David planctum hujusce-

A modi super Saul, et super Jonathan filium ejus : Filiæ Israel, super Saul flete, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro, et vestiebat vos in deliciis. O Saul et Jonatha, quam amabiles et decori fuistis in vita vestra! aquilis eratis velociores, et leonibus fortiores. Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant super vos, nec sint agri primitiarum in vobis, quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul quasi non esset unctus oleo. Sagitta Jonathæ nunquam abiit retrorsum, et gladius Saul non est reversus inanis. O quomodo ceciderunt robusti et nobiles et egregii viri, et perierunt arma bellica! » (*II Reg.* I.) Sed et hoc quod David illum interfici jussit qui annuntiabat ei, dicens : « Ego interfeci Saul in montem Gelboe, » valde congruit
B operibus pietatis et misericordiæ. Ecce sicut diximus, David in cathedra pestilentiæ et iniquitatis non sedit, qui pro morte inimici sui non solum planctus lamentabiles effudit, sed etiam alios ad hoc ut secum plangerent, piissimis verbis incitavit. Superius igitur præfati sumus, quod historia istius versus, scilicet « Beatus vir, » debeat referri ad David, allegoria ad Christum, moralitas ad unumquemque nostrum. Verumtamen facile allegoria istius versus potest Domino Jesu cooptari, quoniam quidem qui peccatum non fecit, ipse quidem in consilio impiorum non abiit, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ et iniquitatis nullatenus resedit. Consideremus ergo subtili indagatione qualiter ad unumquemque nostrum moralitas hujus versus
C pertineat, et quomodo in interiori actione nos undique circumveniat. Tria quippe genera lapsuum humanæ fragilitatis, o tu amator vel auditor divini verbi, in hoc versu, videlicet « Beatus vir, » te oportet
323 considerare et diligenti intuitu quibus modis peccato subjaceat nostra natura perpendite. Sicut enim in hoc versu ista tria, videlicet deambulatio, statio, sessio denotantur, sic omne peccatum cui obnoxii sumus tribus modis a nobis perpetratur. Sed certe qui sunt isti tres modi plus experimento quotidiano, quod sine gravi mœrore dicere non possumus, quam alicujus sententiæ tractatu indicante cognoscimus. Cogitatione quippe, aut locutione, seu operatione difficile est, ut non labatur humana conditio. Quasi enim in consilio impiorum deambulare
D videtur, quando vanis cogitationibus malignorum spirituum mens nostra dedita huc atque illuc evagatur; stat namque in via peccatorum, quando illa quæ Deo sunt contraria loquitur. Sedet vero in cathedra pestilentiæ, quando retrorsum abjecto Dei timore male operatur.

RECAPITULATIO

SECUNDUM ANAGOGEN ET MORALITATEM IN ILLA SENTENTIA : « INTRODUXIT ME REX IN CELLARIA SUA. »

Omnes artes humanæ scientiæ inter docendum, id est quando docentur vel exercentur, præbent auditoribus suis extra seipsas quædam delectabilia refugia, ut verbi gratia sunt pohtores, vel lignorum

cæsores, seu hi qui in lapidicinis versantur, aut aurifices vel structores, seu etiam cujuslibet alterius artis, quæ ad humanam pertinere sententiam dignoscitur. Isti enim omnes habent infra operationem suam quasdam vanas consolationes. Dum vero politores marmora poliunt, loquuntur, fabulantur, rident, jucundantur ; aliquando etiam quædam quæ ad eamdem artem nihil prorsus pertinere comprobantur. Nostra autem ars, videlicet spiritualium litterarum, in discendo seu docendo totum vult hominem habere sibi intentum. Aut enim homo totum seipsum nostræ arti intentum præbebit, aut ejusdem artis peritiam nullatenus ad liquidum obtinebit. Quis enim unquam dimidiato corde, vel sensibus aversis seu vaga et instabili mente bonus clericus esse potuit? Necesse est ergo ut, non solum ea quæ B hujus mundi sunt, sed etiam seipsum maxima ex parte, si dici fas est, tradat oblivioni, qui perfecte adipisci præoptat illa quæ in divinis libris humanæ subjacent intentioni. Sopitis ergo terrenis voluptatibus, contemptis pravis operibus, quæ solent incautos homines persæpe dimergere in voraginis profundum, accedamus non dimidio corde, sed mente integra, affectione sincera ad Sponsum, et deprecemur illum humilibus verbis cum charissima ejus Sponsa quatenus dignetur nos sibi devotos introducere in sua cellaria. Superius ergo me fateor dixisse quoniam quidem cellaria istius Sponsi et regis essent allegorice omnes libri divinæ legis. Nunc autem similiter dico quod ejusdem Sponsi et regis moraliter C sunt cellaria omnes virtutes quæ reperiri queunt ubique sparsim per sacra eloquia. Verumtamen quia sermonem de virtutibus ordiri desideramus, consequens est ut ad caput seu principium omnium virtutum stylum nostrum dirigamus. Caput nempe seu principium de quo omnes virtutes egrediuntur, charitas sine dubio esse dignoscitur. Unde beatus Gregorius dicit : « Sicut ex uno arboris stipite multi rami egrediuntur, sic ex una charitate multæ virtutes generantur, nec habet quidquam viriditatis ramus boni operis si non manserit in radice charitatis. » Ipsa ergo charitas ipsa sit exordium nostræ narrationis, quia ipsa cellarium esse creditur istius magni Sponsi et regis. Sed qua præsumptione audebimus de charitate loqui, qui eamdem charitatem perfecte, sicut D deceret, non amamus, nec possidemus; et cum fratribus vestris nullatenus charitativi apparemus? Verumtamen ista præsumptio prosilit ex amore charitatis, quæ ad hoc nos incitat ut libenter disputemus de operibus charitatis. « Deus, inquit Joannes, est charitas (*I Joan.* IV). » Non potuit ista virtus majori rei comparari, quam ut æquipararetur omnipotenti Creatori. Quamvis enim dici liceat Deus est obedientia, humilitas, castitas, pax, patientia et sic de cæteris virtutibus; tamen de nulla tam specialiter quemadmodum de charitate dicitur Deus est illa, vel illa virtus. Deus ergo est charitas. Merito ergo Deus charitas esse dicitur, et juste Deus charitatem habere perhibetur, quia cum solus esset in sua gloria, A in sua divinitate, in sua majestate, noluit solus regnum cœlestis beatitudinis obtinere, sed ad felicia et immortalia gaudia perennis jucunditatis secum possidenda socios quæsivit, angelos videlicet et homines, quos ad laudem et gloriam nominis sui creavit. De cujus adhuc charitate inæstimabili, pietate incomparabili, misericordia ineffabili, beatus Augustinus sic loquitur dicens : « O inæstimabilis dilectio charitatis quam habuisti! ut servum redimeres Filium tradidisti. » Considerabat enim quam pia charitate, et quam charitativa pietate, Deus omnipotens homini miserabiliter lapso condoluit, pro cujus erectione Filium suum sibi Spiritumque sancto consubstantialem et coæternum servile carnis cinctorium induere, et mortis suspendia sustinere fecit. Sed et propheta (*Isa.* LXIII) Dominum Jesum **324** in spiritu prophetiæ vidit pallio zeli amictum et solum calcantem in torculari et de gentibus non esse cum illo aliquem virum. Hoc autem neminem lateat, quia quod est servili cinctorio carnis indui, hoc est pallio zeli amiciri, et quod designat dispendia necis immeritæ perpeti, hoc nimirum significat calcare solum in torculari. Valde enim Dominus Jesus Christus nos amavit, qui pro nobis in torculari, id est in cruce, sanguinem suum fundens interiit. Unde et Isaias ait : « Ipse autem vulneratus propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, et ejus morte nos salvati sumus (*Isa.* LIII). » Hinc namque Joannes dicit : « Qui dilexit nos, inquit, et lavit sanguine suo (*Apoc.* I). » Præterea ista Domini Jesu Christi incomparabilis charitas, amor inæstimabilis, compassio inexplicabilis, bene quidem olim præfigurata est in sancto David. Refert enim de illo historia libri Regum, quod aliquando illum Absalon filius ejus, cupidus paterni regni, crudeliter persequebatur, et ei, nisi difficultas obsisteret, immeritam mortem inferre moliebatur (*II Reg.* XVIII). Cum autem secundum Dei dispositionem reverteretur, ipsa mors super illatorem suum et quercus densissima inter cœlum et terram Absalon detineret suspensum, (neque enim dignus erat, non dicam ut cœlum moriens aspiceret, sed nec talis erat quidem quem terra digne sustineret ; quippe qui contra universa jura naturæ, paternæ dulcedini mortis discrimina nitebatur inferre) ipse David æque ut piissimus pater, audita nece filii sui et persecutoris sui, si tamen filius dici possit, qui nefandissimus persecutor extitit, ipse, inquam, David, inconsolabiliter lacrymas fudit. Sic nempe de illo scriptum est : « Rex autem David cooperto capite incedens lugebat filium, dicens : Absalon fili mi, fili mi Absalon, quis mihi det ut ego moriar pro te, fili mi Absalon? » (*Ibid.*) Ecce quomodo David fuerat introductus in cellaria charitatis, qui lacrymis irremediabilibus flebat pro morte sui persecutoris. Sed potest aliquis dicere : Quia tu vim facis divinæ Scripturæ; unde igitur tu scis quod luctus ille quem habuit David super interitu filii sui, figura exstiterit passionis et mortis quam sustinuit Dominus Jesus Christus pro salute

generis humani? Audi apostolum Paulum (*I Cor.* x), non me, dicentem quia omnia in figura contingebant patribus nostris et scripta sunt ad correptionem nostram. Si ergo David figura exstitit, sine dubio apud Dominum Jesum Christum veritas intemerata permansit. Verumtamen ad liquidum perscrutemur utrum lamentatio David passioni et morti Christi congruat, et hoc perscrutato non relinquetur objectori nostro quid juste nobis objiciat. In Evangelio namque legitur Dominus Jesus Christus in duobus locis flevisse, et postea mortem pro nobis sustinuisse : « Videns quippe Hierusalem civitatem, flevit super illam, dicens : Quia si cognovisses et tu (*Luc.* xix), » subauditur quæ ventura sunt tibi, fleres; quæ quia modo ignoras, ad modicum temporis inepta lætitia dissolveris et gaudes. Simili quoque modo ad sepulturam Lazari (*Joan.* xi) utpote verus homo flere dignatus est et Dominus Jesus Christus. De quo nimirum fletu dicit sanctus Augustinus, quia non mortuum flebat, quem ipse suscitavit, sed mortem, quam sibi genus humanum peccando acquisivit. Considerabat enim in quanta gloria genus humanum a suo Creatore conditum fuerat, et ad quantam miseriam inobediendo devenerat. Post vero istam binam lacrymationem, accessit Dominus Jesus ut indebitum mortis debitum solveret, quia ideo a Patre missus fuerat in mundum, quatenus moriendo genus humanum redimeret. Videamus ergo qualiter ploratus David bino fletu et simplici morti Domini nostri Jesu Christi decenter conveniat. « Rex, inquit, David cooperto capite incedens (*II Reg.* xix). » Quid vero arbitramur posse significari quod David cooperto capite incedebat, nisi quia assumens divinitas in assumpta humanitate latebat? Caput quippe Christi secundum apostolum Paulum » Deus est (*I Cor.* xi). Et quasi nimirum David cooperto capite incessit, quando Deus in assumpto homine latuit. Annon tibi videtur quasi cooperto capite Dominus Jesus incessisse, cum humana opinio æstimabat illum, aut Eliam, aut Jeremiam, aut unum ex antiquis prophetis esse? Sed Petrus apostolus caput Domini Jesu discooperuit, quando ad illum veridica voce dixit : « Tu es Christus Filius Dei vivi (*Matth.* xvi). » Cum ergo Dominus Jesus per virtutem divinitatis miracula perpetrabat, tunc David cooperto capite incedebat, quia Deus in homine latens manifestis indiciis apparebat. Cum vero per agrum hujus mundi pergens, humana solummodo pro nobis patiebatur, et faciebat, tunc David quasi cooperto capite incedens filium suum lugebat, dicens : « Absalon fili mi, fili mi Absalon (*II Reg.* xviii). » Idcirco denique Dominus Jesus nostræ naturæ injurias sustinuit, ut genus humanum quod per Absalon designatur, salvaret, quod ipse ad laudem nominis sui et gloriam creavit. Unde bene et Absalon *patris pax*, sive *diabolus* interpretatur, quia ille antiquus hostis, genus nostrum per inobedientiam se substravisse gloriabatur, et quia Dominus Jesus Christus per carnem quam de humano genere assumpsit, idem genus humanum Patri suo reconciliavit et repacificavit. Quod autem David incedens et plorans nomen filii sui lacrymabiliter ingeminat, dicens : « Absalon fili mi, fili mi Absalon, » hoc utique significat **325** quod Dominus Jesus bis in Evangelio lacrymas fudit, et mortem veraciter subiit pro salute generis humani. Potest per duplicem et lacrymabilem repetitionem istius nominis compassio et mors intelligi nostri Salvatoris, quam pertulit pro salute animæ nostræ simul et corporis; quia, quidquid in primo parente nostro periit, totum secundus parens assumpsit et salvavit. Per mortem quippe suam genus humanum redemit. Mentiamur et velut falsi interpretes divinæ legis de mendacio redarguamur, si non hoc ipsum quod dicimus historia sequens indicat, cum manifesta voce proclamat dicens : « Quis mihi det ut ego moriar pro te, fili mi Absalon? » (*Ibid.*) Si ergo sicut superius præfati sumus, per David intelligimus Dominum nostrum Jesum Christum, et per Absalon accipimus genus humanum, constat pro certo, quia mors quam desideravit David pro perditione filii sui, mortem nobis insinuat, quam sustinuit Dominus Jesus pro redemptione generis humani. Obsecro te, o auditor hujus lectionis, ut mihi parcas, nec contra me indigneris pro eo quod per Absalon metaphorice dixi debere intelligi genus humanum, per David quoque piissimum et charitativum regem, Dominum nostrum Jesum Christum. Ista enim consuetudo in divinis litteris persæpe reperitur, ut videlicet una persona sub allegorico sensu pro variis intelligentiis accipiatur. Sic denique beatus Gregorius metaphorice per Saul regem impiissimum, Dominum nostrum Jesum Christum; per montes vero Gelboe in quibus idem peremptus est, intelligit Judaicum populum. Ecce autem dum charitatem David et Christi figurative pro capacitate sensus nostri discussimus, in cellaria charitatis paululum longius immorati sumus. Sed contemplemur adhuc subtilius si aliquis antiquorum patrum in hæc cellaria charitatis habitaverit, præter solum David, qui pro persecutoribus suis, videlicet Absalone et Saule, clementer exoravit. O Moyses inquiline, dic nobis quid fecisti, et qualiter cellarium charitatis in persecutione positus introiisti. Aliquando enim filii Israel vitulum aureum ad adorandum fecerunt, pro quo piaculo Deum majestatis, qui tot beneficia eis contulerat ad iracundiam provocaverunt. Quo facinore comperto, Moyses, qui erat mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra, ait ad Dominum : « Obsecro, Domine, peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos; aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Cui respondit Dominus : Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo. Tu autem vade, et educ populum istum (*Exod.* xxxii). » Et in sequentibus scriptum est quia volebat populus Moysen lapidare. Et ait idem Moyses ad Dominum : « Obsecro, Domine Deus, dimitte peccatum hujus populi secundum multitudi-

nem misericordiæ tuæ. Dixitque Dominus ad Moysen : Dimisi secundum verbum tuum (*Num.* XIV). » Ecce quemadmodum iste introductus erat in cellaria charitatis ; ecce qualiter sanctus Moyses abundabat visceribus charitatis, qui tanto affectu pro idolatris et pro persecutoribus suis, Dei majestatem deprecabatur, ut etiam deleri se posceret de libro vitæ æternæ, cui jam ascriptus tenebatur, si non eis hæc offensa a Deo remitteretur. Sed ecce dum sermonem facio de charitate sancti Moysis, charitatem David non possum tradere oblivioni. Refert enim historiæ Regum liber secundus, quod olim Deus populo Israelitico, cui præerat David, admodum fuerat iratus : misitque angelum suum, et interfecit de populo Judæorum usque ad septuaginta millia virorum. Cum autem David angelum Domini vidisset cædentem populum motus pietate ait ad Dominum : « Ego sum qui peccavi : ego inique egi; isti qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur, oro, manus tua contra me, et contra domum patris mei (*II Reg.* XXIV). » Videns Deus igitur charitatem David quam habebat, qui pro populo sibi commisso mori exoptabat, dixit angelo percutienti : « Sufficit nunc (*ibid.*). » Et cohibita est plaga desæviens ab Israele, et repropitiatus est Dominus terræ suæ. Præterea Samuel propheta quasi reprobus dudum a populo eodem de principatu suo ejiciebatur, et idem tamen populus eumdem prophetam quem de sede sua propellebat, ut pro ipsis Dominum exoraret, deprecabatur. Quid dixerit, quidve responderit, vel quid locutus fuerit inimicis suis audiant illi qui vix aut fortasse nunquam sincero corde orant pro amicis suis. « Absit hoc peccatum a me in Domino, quo minus cessem orare pro vobis, et ostendam vobis viam bonam per quam incedere debeatis (*I Reg.* XII). » Item idem propheta in eodem libro invenitur luxisse pro Saule rege impiissimo, ob cujus causam ipse etiam ejectus fuerat de principatu suo. Eapropter dicebat et Dominus ad illum : « Usquequo tu luges Saul, cum ego abjecerim eum? » (*I Reg.* XVI.) Ecce quomodo isti tres viri ex eo tempore jam tunc observabant illud quod Dominus dicturus erat : « Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos (*Matth.* V). » Eam majorem quippe charitatem nemo habet, quam ut pro persecutoribus suis exoret, et animam suam pro eis ad mortem tradat (*Joan.* XV). Vix tandem poterimus egredi de cellariis charitatis, tot et tanta opera et exempla occurrunt nobis ejusdem charitatis. Sunt adhuc et alia cellaria istius magni et præclari Sponsi gloriosique Regis, scilicet omnes virtutes, sicut jam præfati sumus, quæ inveniuntur in libris divinæ legis. De quibus **326** hic aliquas nominatim exprimere curabimus, ne eas illibatas sub negligentia pertransiisse videamur. Charitas semper erit principalis, et prima scilicet quam sequetur humilitas, fides, spes, parcimonia, sobrietas, virginitas, continentia, castitas, misericordia, obedientia, pax, patientia, longanimitas, perseverantia, peccatorum pœnitentia, et pura confessio. Mandatorum Dei ex vera dilectione observatio, bonitas, concordia, benignitas, mansuetudo, fraternus amor, spiritualis in Deo societas, eleemosynarum largitio, rationabilis morum compositio, contemptus sui, despectus mundi, abjectio gloriæ sæcularis, abrenuntiatio propriæ voluntatis, amor spiritualis, paupertatis, jejunia, vigiliæ, orationes, lacrymæ, carnis maceratio, in lege Dei assidua meditatio, animæ nostræ semper infatigabilis in cœlestibus contemplatio, gaudium, exsultatio, jubilatio : non in terrenis rebus, sed in Spiritu sancto, temperantia in prosperis, fortitudo in adversariis. Ecce Deo aspirante quadraginta duas virtutes in hoc catalogo composui, in quibus iter usque ad cœlum volentibus ascendere sine obstaculo præparavi. Per has enim virtutes si quis voluerit gradatim conscendere, poterit absque dubio usque ad cœli fastigia penetrare. Denique hoc notandum quia principalis virtus ipsa est charitas in hoc catalogo, et ultima ipsa est indeficiens fortitudo, quoniam quidem sicut Salomon in Canticis canticorum dicit : « Fortis est ut mors charitas, sive dilectio (*Cant.* VIII). » Et nequaquam valet custodiri charitas sine spirituali fortitudine, nec fortitudo absque vera charitate. Si igitur vere credimus quod et nos et sermones nostri in manu Dei sumus, tunc profecto nunc abs re factum esse creditur, quoniam quidem quadraginta duæ virtutes in serie hujus catalogi positæ inveniuntur. Quadraginta quippe mansiones et duæ exstiterunt, per quas filii Israel de Ægypto egredientes ad terram repromissionis venerunt. Porro Dominus Jesus Christus quando ad imperium Dei Patris pro salute generis humani de cœlo ad terras descendit, per quadraginta duas generationes usque ad uterum beatæ et perpetuæ semperque Virginis Mariæ pervenit. O si quis esset scriba doctus in regno Dei! O si quis posset nova et vetera proferre de thesauro cordis sui! O, inquam, si quis esset ita eruditus in lege divina, ut sciret digne et eleganter aptare et assignare singulis singula, qualiter scilicet singulæ virtutes quas jam prælibavimus rationabili ordine conveniant singulis generationibus et mansionibus. Et rursum quomodo singulæ generationes congruant singulis virtutibus et mansionibus; et iterum quam seriatim singulæ mansiones aptari queant singulis virtutibus et generationibus. Enimvero quis est tantus ac talis qui audeat dicere : « Os meum aperui, et attraxi Spiritum sanctum (*Psal.* CXVIII), » vel cui Deus in secreto cordis sui loquatur, et dicat : « Aperi os tuum, et implebo illud? » (*Psal.* LXXX.) Ille nimirum posset explicare vel enodare profunditatem tantorum sacramentorum, quæ latet infra continentiam harum virtutum, generationum simul et mansionum. Sed, licet istud opus excedat nostri ingenioli paupertatem, tamen confisi in eo qui ait discipulis suis : « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (*Matth.* X), » tentabimus prælibare duntaxat harum virtutum generationumque et mansionum principia, et sub ipso intellectu

quem proferemus illa quæ supererunt nostris auditoribus relinquemus intelligenda. Prima namque mansio filiorum Israel Ramasse dicitur, in exordio vero generationis Jesu Christi, Abraham patriarcha ponitur; in catalogo autem virtutum quem composuimus charitas antefertur. Abraham interpretatur *pater multarum gentium*, Ramasse *commotio tineæ*, et Deus est charitas secundum Joannem apostolum (*I Joan.* IV). Quid ergo intelligimus per multas gentes quarum pater dicitur esse Abraham, nisi diversarum virtutum ingentem multitudinem? Quid vero debemus accipere per tineæ commotionem, nisi peccatorum et vitiorum insolentem infestationem? Deus igitur qui est charitas ipse dat cui vult per gratiam suam ut possit esse pater multarum virtutum, et ipse eliminat et exstirpat et removet ab eo, cujus miseretur, omnes commotiones et infestationes, et insolentias omnium vitiorum et peccatorum. Sub isto itaque sensu, et sub meliori, si cui Deus revelaverit, intelligi oportet secundam filiorum Israel mansionem secundamque generationem Jesu Christi et secundam nostri catalogi virtutem. Sic namque scriptum est : « Profecti sunt filii Israel de Ramesse in Sochoth, qui locus interpretatur *tabernacula* (*Exod.* XII). » In serie quoque generationis Domini nostri Jesu Christi, A Isaac filius Abrahæ fuisse dignoscitur, et in catalogo supra memorato post charitatem humilitas in ordine subsequitur : Mira res valde, et in ævum digna admirabili et multimoda laude! Ecce jam satis considerare libet qualiter tabernacula conveniunt generationi et generatio virtuti. Isaac namque, sicut dicit sanctus Paulus (*Hebr.* XI), cum cohæredibus cœlestis regni habitavit in tabernaculis, et in eo resplenduerunt utique insignia incomparabilis humilitatis. Quis digne siquidem explicare valeat quam admirabilem humilitatem Isaac habuit (*Gen.* XXII), qui patri quando volebat eum Deo immolare nequaquam contradixit? Præterea idem Isaac interpretatur *risus* vel *gaudium*, quia vox **327** exsultationis et salutis est in tabernaculis justorum (*Psal.* CVII). Porro vera B salus non nisi in humilitate sacra acquiritur, quoniam, sicut divina Scriptura dicit, « Humilis tantummodo spiritu salvabitur (*Psal.* XXXIII). » Si quis igitur bene sciret discurrere exponendo per reliquas mansiones generationes et virtutes, fateor veritatem rei, maxima pars temporis illum desereret potius quam copia dicendi. Præbebimus igitur nostris auditoribus materiam cogitandi, quia si omnia exponeremus ipsi remanerent tædio torpentes et otiosi.

Explicit quintus tomus in Canticis.

INCIPIT SEXTUS TOMUS

Ab eo quod dicitur : *Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem*, usque ad *vineam meam non custodivi* (*Cant.* I).

Qui aurum quærunt, et in montibus aureis demorantur, idcirco egesta superiori humo, inferiora et altiora terræ perscrutantur, ut ad diu desideratum pondus auri cum labore et sudore pervenire mereantur. Cum autem diu fodiendo fortassis aurum reperiunt, quamvis rubigine superducta coopertum, et terræ sordibus denigratum conspiciunt, nullatenus tamen illud contemnunt. Sciunt enim quia si igne projectum fuerit, et inter manus malleatorum devenerit, nigredinem accidentalem cum rubigine et sordibus illico deponet, et naturalem auri claritatem cum fulgore flammante sine mora recipiet. Qui sunt ergo qui aurum quærunt, nisi qui sapientiam et spiritualem intelligentiam divinarum Scripturarum diligunt? Qui vero montes aurei, nisi sancti doctores, prophetæ scilicet et apostoli? De quibus scriptum est : « Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi (*Psal.* CXX). » Quid igitur significat massa auri rubigine et sordibus coperta, nisi scripturam prophetarum quæ valde est obscura, et diversis ænigmatibus et figuris involuta? Quam necesse est ut tam diu igne Spiritus sancti decoquamus, donec abjecta scoria litteræ occidentis, ad sapientiam et spiritualem intelligentiam perveniamus. Sicut ergo aurum quamvis rubigine et sordibus exterius decoloratum nequaquam despicitur, C quia fulgor et claritas interior consideratur, sic scriptura prophetarum, quamvis duro cortice exterioris litteræ sit circumspecta, nullatenus tamen est despicienda, quia intus latet pretiosa et spiritualis intelligentia. Ut igitur clarius quod dicimus jam manifestetur, perpendamus quid sit quod Sponsa, id est sancta Ecclesia, ad adolescentulas loquitur : *Nigra sum*, inquit, *sed formosa, filiæ Jerusalem* Nigra quidem exterius, sed formosa interius; ac si dicat : Aurum sum nigredine accidentalis rubiginis obscuratum, sed si igne adhibito conflagrata fuero, aurum clarissimum, id est obrysum apparebo. Sic enim ait Scriptura : « Sicut igne probatur aurum, sic justos probat tribulatio tentationum (*Prov.* XVII). » Jerusalem autem interpretatur *visio pacis*, filias vero D Jerusalem fideles animas appellat, quas superius adolescentulas vocaverat. Quarum studium est et summa intentio, ut possint placere soli Deo, qui secundum apostolum Paulum (*Ephes.* II) pax nostra est, et fecit utraque unum. Dicat ergo sancta Ecclesia : O vos, filiæ Jerusalem, id est, o vos, fideles animæ, quæ Deum, qui est pax nostra, assidue desideratis videre, nolite perturbari, nolite admirari, quia nigra sum in passione martyrum meorum, sed gaudete et lætamini, quia formosa sum in perceptione æternorum præmiorum. Nigra quidem sum,

et lugeo propter persecutiones præsentes quas mihi inferunt hæretici et mali Christiani, sed formosa sum et gaudeo, sciens quod per multas tribulationes oportet me intrare in regnum Dei. Modo subinfert comparationem suæ nigredinis et suæ formositatis, dicens : *Sicut tabernacula Cedar nigra sum, et sicut pellis Salomonis formosa sum.* Cedar filius fuit Ismael filii Abrahæ, et interpretatur Cedar *tenebræ*. De hoc itaque refertur quia maximam persecutionem a vicinis suis sustinuerit, et semper mutando tabernacula de loco ad locum fugerit. Quod utique bene sanctæ Ecclesiæ congruit, quæ inter tenebras angustiarum et persecutiones adversariorum posita dicit : « Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (*Hebr.* XIII). » De his quippe adversariis eadem Ecclesia conqueritur, dicens in Psalmis quia « odio habuerunt me gratis (*Psal.* XXIV; *Joan.* XV). » De pelle autem Salomonis non recordor me quidquam reperisse scriptum, nisi in isto loco tantummodo, neque in Novo, neque in Veteri Testamento. Eapropter quæstio magna nobis generatur. Sed sciendum est quia non sine ingenti sacramento in litteris divinis reperitur, quod cum tanta difficultate et obscuritate vix intelligitur. Nisi vero a parte totum intellexerimus, nullam profecto intelligentiam spiritualem in isto loco capiemus. Mos enim est sacræ Scripturæ aliquando totum a parte, aliquando a toto partem accipere. Quod utique in isto loco necesse est facere. Legimus siquidem in libro Regum **328** quod in tempore suo rex potentissimus Salomon, congregato universo Israel, profectus sit cum magno apparatu in Gabaon, quia ibi erat excelsum majus (*III Reg.* III), et tabernaculum quod præceperat Dominus fieri per manum Moysi servi sui, quando egressi sunt filii Israel de terra Ægypti. Quod tabernaculum factum est ad instar et similitudinem cujusdam spiritualis et cœlestis tabernaculi, quod ostensum est in monte Moysi famulo Dei. Sic præterea dicit Dominus ad Moysen : « Vide, inquit, ut tu facias tabernaculum secundum formam illius tabernaculi quod in monte vidisti (*Exod.* XXV). » Ergo tabernaculum terrenum factum est ad instar tabernaculi cœlestis. Quia vero tabernaculum, quod a Moyse constitutum est, de pellibus fuerit, testatur David, qui ad Nathan prophetam dixit : « Videsne quod ego habito in domo cedrina, et arca Dei est in medio pellium (*I Par.* XVII), » hoc est in tabernaculo de pellibus constituto. Quem ergo alium Salomon qui interpretatur *pacificus*, nisi Christum designavit, de quo Paulus dicit quia per sanguinem suum quæ in cœlo sunt et quæ in terra pacificavit. Quid vero significat quod idem Salomon cum universo Israel in Gabaon perrexit, nisi hoc quod Christus cum his quos ab inferis abstraxit in cœlum ascendit. Unde David dicit : « Ascendens Christus in alium, captivam duxit captivitatem (*Psal.* LXVII). » Quid vero est illud excelsum majus, nisi cognitio summæ et incomprehensibilis Trinitatis? Non enim possumus majus conscendere excelsum, quam ut cognoscamus sicuti est ab æterno Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum et verum esse Deum. Cujus vero rei figuram tabernaculum illud gerebat, quod de pellibus mortuorum animalium constructum erat, nisi præsentis Ecclesiæ quæ a sanctis Patribus nostris, prophetis scilicet et apostolis, fundata et constituta est? Ergo per pellem Salomonis totum tabernaculum quod de pellibus fuit constructum, id est a parte totum spiritualiter recipere debemus. Alioquin in ista sententia nullum spiritualem intellectum prorsus reperiemus. Dicat ergo Sponsa, id est sancta Ecclesia : *Nigra sum sicut tabernacula Cedar*, id est quemadmodum Cedar quondam passus est persecutionem a vicinis suis, sic ego quotidie patior infestationem ab hæreticis et falsis Christianis, sed *formosa sum sicut pellis Salomonis*, id est sicut tabernaculum Salomonis de pellibus constructum, quod propter multiplicia ornamenta aurea et argentea quæ intus continebat, inæstimabili modo et incomparabili claritate refulgebat. *Nolite me considerare quod fusca sum*, hoc est, nolite me despicere propter innumeras oppressiones quas ab adversariis sustineo, quia pro ipsis cœlestem gloriam ab æterno judice in die judicii exspecto. *Quia decoloravit me sol*, idcirco, inquit, non debetis me despectu habere si inter tribulationes fusca, id est nigra appareo, quia decoloravit me sol, hoc est, quia propter Christum, qui est sol justitiæ, ista libenter amplector et patior; sciens certissime quia quanto in hoc sæculo pro ipsius amore fuero humilior et abjectior, tanto in æterna felicitate coram majestate ejus ero gloriosior et acceptior. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*, ubi infirmus majorem dolorem patitur, ibi sæpius manum apponere cogitur. Quod sancta Ecclesia his facere videtur, quæ de hæreticis et falsis Christianis iterando conqueritur dicens : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Mater sanctæ Ecclesiæ gratia est Spiritus sancti, a qua regenerati sunt in sacro baptismate hæretici et falsi Christiani, qui adversus eamdem Ecclesiam pugnant verbis et factis et pravis doctrinis. De quibus Joannes in Epistolis suis ait : « Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim essent ex nobis, permansissent utique nobiscum (*I Joan.* II). » Hinc Paulus dicit : « Scio quia post discessum meum intrabunt in vos lupi graves, qui non parcent vobis (*Act.* XX). » *Posuerunt me custodem in vineis.* Sancta Ecclesia hic loquitur ex persona sanctorum apostolorum, de quibus luce clarius constat quia facti fuerint plantatores et custodes vinearum, id est Ecclesiarum de gentibus congregatarum. *Vineam meam non custodivi*, id est Synagogam de qua nati sumus, propter infidelitatem suam et cordis cæcitatem deseramus, et ad gentes, quæ cum gaudio susceperunt verbum Dei, transitum fecimus. Unde Paulus ad Judæos dicit : « Vobis oportebat loqui primum verbum Dei, sed quia repulistis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII). » Ergo quasi custodes positi sunt apostoli in

gentium vineis, quando dictum est eis : « Ite, docete omnes gentes (*Matth.* XXVIII). Sed tunc vineam suam non custodierunt, quando Judæi perfidi illos de Synagoga expulerunt, comminantes ne in nomine Jesu alicui loquerentur (*Act.* IV).

RECAPITULATIO A SUPERIORIBUS,

QUALITER ISTA SENTENTIA, SCILICET, « NIGRA SUM, SED FORMOSA, » REFERATUR AD PERSONAM CHRISTI.

Ista sententia, scilicet *Nigra sum, sed formosa*, potest rationabiliter a bono intellectu referri ad carnem Christi in cruce 329 pendentis, et quasi dicentis : *O vos, filiæ Jerusalem*, id est, o vos, fideles animæ, nigra quidem sum propter imminentis passionis dolorem et districtissimam mortem, sed formosa et decora post paululum futura sum, propter gloriosam resurrectionem et admirabilem ascensionem. Unde Paulus dicit : « Videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum (*Hebr.* II). » *Sicut tabernacula Cedar*, id est quemadmodum quondam Cedar vicini sui persecuti sunt, ita et Judæi amici mei et proximi mei adversum me steterunt, et vocem suam clamantes : « Crucifige illum (*Luc.* XXIII ; *Joan.* XIX), » contra me levaverunt. Quod etiam Jeremias propheta longe ante prophetaverat in persona Christi ita dicens : « Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva, dedit contra me vocem suam (*Jer.* XII). » De leone refertur quia silvam vociferando circuit in qua commoratur, et hoc ideo facit, ne animalibus intra silvam manentibus egrediendi facultas pateat, ut postea facilius animali, cui voluerit, mortem inferat. Quod satis decenter et convenienter valet Judaico populo aptari, qui quasi leo totam silvam sæculi hujus circuiens dicit : « Videtis quia nihil proficimus, ecce totus mundus post ipsum vadit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum (*Joan.* XII). » Qui etiam Judaicus populus contra Christum vocem suam dedit, quando ad Pilatum clamavit : « Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris (*Joan.* XIX), » et quare hoc diceret illico subjunxit : « Nos legem habemus, et secundum legem debet mori. (*ibid.*). » Per Cedar ergo qui *tenebræ* interpretatur, tenebras mortis ; per pellem vero Salomonis debemus intelligere gloriam resurrectionis. Dicat ergo caro Christi pendens in cruce : *Nigra sum sicut tabernacula Cedar, sed formosa sum sicut pellis Salomonis*, id est tenebras mortis possunt mihi videri inferre, sed gloriam resurrectionis non valent auferre. *Nolite me considerare quod fusca sum, quia decoloravit me sol*, hoc est : Nolite me aspicere in ea calamitate et miseria qua modo pro vobis pendeo in cruce, sed aspicite me jam resurrectione clarificatam, et ad judicium in mea majestate venientem. *Quia decoloravit me sol*, id est quia sol justitiæ, qui in me inhabitat, et per mortem sic me decolorari voluit, et post resurrectionem incomparabili gloria me clarificabit. Unde idem Filius dicit in Evangelio : « Clarifica me, Pater, apud temetipsum claritate quam habui antequam mundus fieret (*Joan.* XVII). » *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Mater Christi, secundum carnem, Synagoga fuit, quia et ipsa per patriarchas et reges, et per beatam Mariam originem duxit. Qualiter autem Judæi qui sunt matris ejus, scilicet Synagogæ filii, contra ipsum in passione pugnaverunt, Psalmista testatur, dicens : « Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus (*Psal.* LVI). » *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi.* Manifestum est quia perfidi Judæi et viventem et mortuum persecuti sunt Christum, in tantum ut etiam vana sollicitudine illius custodirent sepulcrum, et quanto magis illum a se per incredulitatem ejecerunt, tanto magis illum ad gentes, quæ erant credituræ transmiserunt. « Vinea autem Domini exercituum, sicut dicit Isaias, domus Israel est (*Isa.* V). » Posuerunt ergo Judæi Christum custodem in vineis gentium, quando nolentes credere in eum, a cordibus suis expulerunt illum. Et tunc Christus vineam suam non custodivit, quando eos exigente perfidia sua dereliquit. Unde et ipse in Evangelio dicit : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (*Luc.* XIII). »

RECAPITULATIO A SUPERIORIBUS

QUOMODO ISTA SENTENTIA, SCILICET, « NIGRA SUM, SED FORMOSA, » DEBEAT REFERRI ALLEGORICE AD NOSTRAM NATURAM.

Puto ergo quod nihil delinquimus, si istam sententiam : *Nigra sum, sed formosa*, ad nostram naturam allegorice referimus. Spiritualis enim spiritualiter intelligit omnia. Dicat ergo nostra natura, non in eo statu existens in quo a summo Creatore est condita, sed in eo potius in quo remansit a diabolo seducta : Nigra sum propter inobedientiam et peccatum primi Adæ patris mei, sed formosa futura sum propter obedientiam et justificationem secundi Adæ, scilicet Christi redemptoris mei. Unde Paulus dicit : « Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, sic per obedientiam unius justi constituentur multi (*Rom.* V). » *Sicut tabernacula Cedar*, hoc est sicut Cedar quondam factus est instabilis propter persecutionem quam patiebatur a vicinis suis, sic ego amodo instabilis ero et nunquam in eodem statu permanebo propter superbam spem inanis gloriæ quam mihi diabolus falso spopondit, quando ad credendum sibi mihi persuasit, dicens : « Si de fructu vetito comederitis, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii (*Gen.* III). » *Sicut pellis Salomonis.* Ecclesia catholica pro certo tenet et credit, quia beata Maria, quæ semper virgo inviolata permansit, de nostra corrupta natura et peccatrice massa originem traxit. Quæ beata Virgo non solum pellis, sed etiam tabernaculum Salomonis, id est veri pacifici Christi facta est, quando idem Christus pro 330 salute generis humani de ea nasci dignatus est. Dicat ergo natura nostra : Per primum Adam peccatorem nigra facta sum, sed per secundum Adam meum redemptorem formosa

futura sum. Nigra sum, quia diabolo magis quam Deo credidi, sed formosa futura sum, quia de me carnem accipiet Filius Dei, et me reducet ad contemplandam divinæ majestatis gloriam, ad quam de eo statu in quo creata eram, sine mortis dolore transiissem, nisi a diabolo spe seducta inani miserabiliter cecidissem. *Nolite me considerare quod fusca sum*, id est nolite me contemplari talem, qualis suadente antiquo hoste effecta sum, sed potius talem contemplamini, qualis a summo Creatore creata sum. *Quia decoloravit me sol.* Si per solem tentationem accipimus, verum et probatissimum sensum habemus. Dicit enim Dominus in Evangelio de seminibus supra petram seminatis, id est de infidelibus Christianis et perversis hæreticis, quia : « Sole orto aruerunt (*Luc.* VIII), » hoc est orta tentatione in fide et operatione defecerunt. Denique in libro Psalmorum scriptum reperitur : « Per diem sol non uret te (*Psal.* CXX), » id est in prosperitate tentatio nulla decipiet te. Dicat ergo nostra natura : quia sol me decoloravit, hoc est tentatio illata a diabolo colorem immortalitatis et innocentiæ mihi abstulit, et colore mortis, et nigredine peccati me decoloravit. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Mater nostræ et angelicæ naturæ clementissima gratia est Creatoris Dei, a qua mirabiliter sunt creati homines et angeli, sicut dicitur in Genesi. « In principio creavit Deus cœlum et terram (*Gen.* I), » id est in seipso qui est principium omnium creaturarum creavit Deus angelicam et terrenam naturam. A qua videlicet angelica natura illi angeli per superbiam recedentes apostataverunt, qui postea dæmones effecti contra nostram naturam in paradiso mediante serpente pugnaverunt. De quibus in hoc loco eadem natura nostra merito conqueritur dicens : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*, ac si dicat : Illi qui mecum a summo Creatore misericorditer creati sunt, ipsi me de paradiso, in quo posita eram, per serpentis suggestionem crudeliter expulerunt. *Posuerunt me custodem in vineis ; vineam meam non custodivi.* Possumus istam sententiam secundum illum sermonem interpretari de quo scribitur in Genesi : « Plantaverat autem Dominus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat, ut operaretur et custodiret illud (*Gen.* II). » Quasi enim in vineis nostra natura custos posita fuit, quando Deus in paradiso diversi generis arboribus consito primum hominem misit, ut videlicet cogitando et loquendo quod Deo placitum esset, operaretur, et seipsam custodiret, ne a diabolo deciperetur. Quasi vero vineis paradisi nostra natura prælata fuit, quando a Domino audivit : « Ex omni ligno paradisi comede, de ligno vero scientiæ boni et mali noli comedere (*ibid.*), » verumtamen quia natura nostra hanc obedientiam minime servavit sed diabolo per inobedientiam se substravit, idcirco et vineas paradisi quibus prælata fuerat, perdidit, et seipsam, hoc est vineam suam, male custodivit.

RECAPITULATIO A SUPERIORIBUS SECUNDUM MORALITATEM.

Igitur quoniam Deo auxiliante triplicem hujus sententiæ allegoriam disseruimus, restat nunc ut eodem adjuvante, moralitatem, quæ in ea latet, in lucem proferamus, et nobismetipsis, id est animæ nostræ, rationabiliter coaptemus. Dicat ergo etiam anima nostra tentationibus diversis et innumerabilibus fatigata, spinis et aculeis, calamitatibus et miseriis suæ carnis vallata, putredine et corruptione suæ carnis vel corporis aggravata : *nigra sum*, quia « caro concupiscit adversus spiritum (*Galat.* V) » et indesinenter me corpus meum trahit ad peccatum (*Rom.* VI) ; *nigra sum*, inquit, quia video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ et captivum me ducentem in legem peccati. Et modo subjunxit qualiter nigra sit, scilicet, *sicut tabernacula Cedar.* Hoc est pigra et instabilis sum in bonum, prona vero et labilis sum ad malum. De isto autem Cedar conqueritur Psalmista cum dicit : « Heu mihi ! quia habitavi cum habitantibus Cedar (*Psal.* CXL). » id est cum his qui tenebras diligunt, et instabiles mente et corpore existunt. Unde Dominus ad Ezechielem loquitur dicens : « Fili hominis, inter scorpiones habitas (*Ezech.* II). » Filium autem hominis prophetam suum ideo Dominus appellavit, ne idem propheta inde superbiret, et ad vanam gloriam labereretur, quod ei Deus suus loqueretur. Scorpio autem blandum et mitem vultum habet, sed retro vulnere arcuato cauda percutere solet. Qui sunt ergo isti scorpiones, nisi seductores homines, et dæmones, vitia carnis, nostræ concupiscentiæ, et voluptates ? Ista enim omnia quasi scorpiones blandum et suavissimum vultum nobis ostendunt, quando ad peccatum delectando nos attrahunt ; sed postea retro quasi cauda percutiunt, et occidunt, quia pro eo quod eis ad peccandum assensum præbuimus, in extremo die judicii cum his omnibus irremediabiliter inferni tormenta sustinebimus. Et hoc est nimirum scorpiones cauda ferire et occidere. Quos igitur Ezechiel scorpiones vocat, illos David in Psalmis, **331** et Salomon in Canticis Cedar appellat. Sed et tu quicunque in Ecclesia Dei stans oras vel psallis, quotiescunque mente et animo per universum mundum vagaris, et immundis et tetris turpibusque intus cogitationibus devastaris, scito te habitare cum habitantibus Cedar. Sed et hoc quod sequitur in eodem versu, valde timendum est, scilicet : « Multum incola fuit anima mea (*Psal.* CXL). » id est valde diu delectata est anima mea cum habitantibus Cedar, hoc est cum vitiis et concupiscentiis, cum voluptatibus et immundis desideriis, quæ omnia Cedar, id est tenebræ sunt, quia hominem tenebrosum faciunt. Unde Paulus dicit : « Fuistis aliquando tenebræ, » id est peccatores ; « nunc autem lux, » id est justi, in Domino (*Ephes.* V). » *Sed formosa sum sicut pellis Salomonis.* Paulo superius similitudinem dedit, videlicet tabernacula Cedar, quibus se assimilavit cum dicit : *Nigra sum sicut*

tabernacula Cedar. Modo vero comparationem reddit, scilicet, pellem Salomonis, cui se per formositatem comparavit dicens : *Sed formosa sum sicut pellis Salomonis.* Per quam pellem Salomonis diximus superius totum tabernaculum designari, quod de pellibus constructum fuit. Sed necesse est ut aliquid de eo secundum moralitatem loquamur : « Tabernaculum fuit constructum de pellibus rubricatis hyacinthinis et de ciliciis (*Exod.* xxvi). Per pelles rubricatas intelligimus martyres, qui sanguinem suum pro Deo fuderunt, per hyacinthinas vero pelles, accipimus confessores, qui pro amore cœlestis patriæ toto vitæ suæ cursu laboraverunt. Per cilicia vero, peccatores accipimus. Si ergo anima nostra vult esse tabernaculum Dei, habeat in se charitatem martyrum, fidem confessorum, spem peccatorum. Possideat enim necesse est adhuc inter adversa et prospera fortitudinem et patientiam martyrum. In bonis operibus perseverantiam, et longanimitatem confessorum, pœnitentiam et confessionem humilem peccatorum. Præterea bonum est animæ nostræ, ut ipsa sit spiritualiter arca Testamenti, quæ erat in tabernaculo Dei. Arca enim de lignis imputribilibus in quadrum erat constituta, optimo et pretioso auro deaurata, super duos vectes in quibus portabatur, stabilita (*Exod.* xxv). Si ergo anima nostra exempla sanctorum (qui sunt ligna imputribilia) imitata fuerit, et quatuor Evangelia (quæ per quadraturam arcæ significantur) memoriter retinuerit, et sapientiæ spirituali quæ per aurum designatur, operam dederit, et Vetus et Novum Testamentum, quæ per duos vectes figuraliter, spiritualiter intellexerit ; tunc anima nostra arca spiritualis in tabernaculo Dei erit. In tabernaculo denique urna continens cœleste manna fuit, et duæ tabulæ testamenti, et virga Aaron quæ fronduit (*III Reg.* viii ; *Hebr.* ix). » Ista ergo nos oportet omnia spiritualiter possidere, ut videlicet habeamus urnam continentem manna cœleste, id est ut credamus Christum et verum Deum, et verum hominem esse. Per urnam enim humanitas, per manna vero cœleste ejus divinitas intelligitur. Sed et nihilominus duæ tabulæ Testamenti necessariæ nobis sunt, ut postquam de Christo quod verus sit Deus et verus homo, perfecte crediderimus, de Patre et Spiritu sancto, qui per duas tabulas designantur, sanum sensum et catholicum teneamus, credendo quia Pater et Filius et Spiritus sanctus unus sit Deus. Cum ergo sanctam Trinitatem, id est Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum confessi fuerimus, necessarium puto ut de humanitate Christi, quam in beata Maria sumpsit, quæ per virgam Aaron demonstratur, catholice sentiamus. Ut videlicet indubitanter credamus, quia sicut eadem virga sine cultura humani auxilii floruit et fructum fecit, sic beata Virgo Maria absque contactu hominis Filium Dei de Spiritu sancto concepit et peperit. Si ergo anima nostra tabernaculum Dei spirituale fuerit, si intra se arcam, urnam, tabulas, virgam Aaron spiritualiter continuerit ; tunc veraciter dicere poterit :

A *Formosa sum sicut pellis Salomonis. Nolite me considerare quod fusca sum, quia decoloravit me sol.* Quando pro amore Dei et pro intentione cœlestis patriæ Evangelium auditoribus nostris prædicamus, si forte ex ipsa nostra locutione vanam gloriam incurrimus, vel ideo, quia bene loquimur, vel quia libenter a populo audimur, tunc dicere debet anima nostra vanæ gloriæ contagio fuscata, *nolite me considerare quod fusca sum,* id est nolite me despicere quia peccavi, quoniam pro amore Christi inanis gloriæ lapsum incurri : non quod ei placeat, si in ejus opere deliqui, sed quia nisi pro amore ejus prædicationis officium assumerem, nullatenus ad hanc peccati maculam devenissem. Vel certe, *nolite me considerare quod fusca sum,* id est nolite me arbi-
B trari esse peccatricem in mea natura, quia a summo Deo sine peccati macula sum creata : et quod peccatrix modo in præsentia appareo, non naturaliter hoc ex me possideo, sed quia hoc soli justitiæ, id est Deo placuit qui me ad istam carnem peccatricem secundum suam justam voluntatem transmisit, ex cujus inhabitatione mea natura peccatum contraxit, quæ prius sine peccati labe a bono Creatore creata fuit. Sicut enim vinum bonum cum in vasculum corruptum mittitur, statim corrumpitur, non quod ex natura sua hoc habeat ut corrumpatur, sed participatione vasculi corrupti in quo missum est, corrumpitur : sic anima nostra non naturaliter **332** est peccatrix et corrupta, sed participatione corporis corrupti in quo est posita, cum sit naturaliter in-
C corrupta, efficitur accidentaliter corrupta. Sane quomodo hoc eveniat nullus scit, sed quia ita Deo placet, ab initio et placuit, qui in sua sancta dispositione ab æterno omnia irreprehensibiliter ordinavit. Et hoc est quod sequitur, quia decoloravit me sol. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Filii matris animæ nostræ possunt allegorice appellari quinque sensus carnis, scilicet visus, auditus, odoratus, gustus et tactus, a quibus humana caro regitur et gubernatur, sicut materia filiis suis sustentatur et adjuvatur. Qui filii carnis, quomodo quotidiano conflictu adversus animam prælientur, experimento satis probabili possumus indicare. Nonne visus pugnat adversus animam quando oculus videt mulierem ad
D concupiscendam eam? Unde Jeremias ait : « Oculi mei deprædati sunt animam meam (*Thren.* iii). » Vere etenim infelices oculi miseram animam deprædantur et oppugnant, cum illicita quæ exterius vident, intus illi annuntiant et simplicem castitatem, qua Deo anima nostra familiariter conjungitur, illi auferre moliuntur. Pugnam vero quam auditus noster contra animam indesinenter exercet, facile quilibet ostendere potest. Quidquid enim audimus quod peccatum est, et a bono veræ religionis discordat, hoc totum sine dubio animam nostram vulnerat. Quid igitur de odoratu referam qui omnia quæ exteriori flatu trahit ad se intus, mittit ad animam? Dumque eum exterioribus delectationibus inficit, quasi vulneribus inflictis illam debilitat et occidit. Os vero

nostrum quomodo mentiendo animam interficiat. A Salomon interrogatus respondeat, sic enim ipse dicit : « Os quod mentitur, occidit animam (*Sap.* I). » Quod profecto David testatur, dicens in libro Psalmorum : « Perdes omnes qui loquuntur mendacium (*Psal.* V). » Et Dominus in Evangelio : « Ex ore tuo, inquit, justificaberis, et ex ore tuo condemnaberis (*Matth.* XII). » Ergo juxta sententiam Domini, os nostrum loquendo, et comedendo illicita, nos condemnat. Si vero comedimus quæ nobis necessaria sunt, et loquimur quæ Deo placita sunt, tunc os nostrum nos justificat. Quibus vero telis tactus oppugnet animam, noverunt milites Christi, qui quotidie præliantur spiritualia prælia Domini. Unde et divina Scriptura testatur : « Sicut qui tangit picem ab ipsa inquinatur, sic qui tangit uxorem proximi B sui, immundus prorsus efficitur (*Eccli.* XIII). » Dicat ergo anima nostra : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*, id est quinque sensus qui in carne regnant, indesinenti bello me impugnant, et quia dum in carne sum, uti me oportet eorum solatio, nullatenus valeo transire, vel solam diei horam absque illorum prælio. *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi.* Manifestum est et nullus religiose vivens dubitat, quia quanto diligentius unusquisque alterius actionibus custodiendis invigilat, tanto minus sollicite aliquando suas actiones observat. Quod autem nostræ actiones vineæ appellantur, beatus Gregorius in suis Scripturis testatur. Dicat ergo anima nostra : *Posuerunt me custodem in* C *vineis, vineam meam non custodivi.* Quod est dicere : Dum proximorum meorum actiones custodire et emendare cupio, meas proprias actiones minus studiose procuro. Siquidem et illi qui temporales hujus sæculi vineas custodiunt, multoties ventorum flantium et imbrium irruentium pericula incurrunt, nec timent pro earumdem vinearum observatione proprii corporis jacturam sustinere, dum diligunt præmia temporalia, quæ a dominis vinearum arbitrantur se posse recipere. Sic namque, sic faciunt prælati sanctæ Ecclesiæ. Cum enim per prædicationem colligendis animabus inserviunt, minus quam necesse esset, interdum sui ipsius sollicitudinem gerunt, et nonnunquam pro ipsa sua prædicatione a persecutoribus mortem corporis libenter suscipiunt, quia æterna D præmia quæ a Deo exspectant, ante oculos suos proponunt, quod utique apostoli et martyres fecerunt.

Qualiter ista sententia, « nigra sum, sed formosa, » ascribatur beatæ Mariæ.

Igitur, postquam triplicem allegoriam et simplicem moralitatem hujus sententiæ Deo opitulante in lucem protulimus, dignum est ut ad beatæ Mariæ Virginis personam stylum nostrum dirigamus, quia in ejus laudem et sanctæ Ecclesiæ honorem totum librum istum a Spiritu sancto editum per os Salomonis non dubitamus. Dicat ergo et ipsa beata Maria : *Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem*, id est : ego filia cœlestis Hierusalem quæ sursum est mater nostra (*Gal.* IV); nigra sum in præsenti sæculo, hoc est contemptibilis et despecta et mœrore confecta, dum video filium meum invidia Judæorum crucifixum, sanguine suo perfusum; nigra, inquam, præ tristitia præsenti sum, quia dolor anxietatis filii mei pertingit usque ad dolorem cordis mei. Unde et Simeon ad beatam Mariam dixit : « Et tuam ipsius animam pertransibit gladius (*Luc.* II); » quasi diceret : Dolor passionis et mortis Christi Filii tui pertinget et vulnerabit 333 intima penetralia cordis tui; sicque veram ejus genitricem te esse comprobabis, cum ei in cruce morienti intimo cordis affectu compatieris. Dicat ergo beata Maria : *Nigra sum* præ dolore et tristitia, quia video filium meum in cruce morientem; *sed formosa sum*, id est gaudeo et exsulto, quia considero illum a morte jam resurgentem. *Sicut tabernacula Cedar nigra sum*, sed *sicut pellis Salomonis formosa sum.* Per tabernacula, quæ portando de loco ad locum mutantur, transitoria et mutatoria præsentis vitæ tristitia intelligitur; per pellem vero, id est per tabernaculum Salomonis, cœlestis gloria quam Deus inhabitat, designatur. Dicat ergo beata Maria : Ego quidem transitoria et temporali tristitia pro morte filii mei modo afficior, sed post paululum illi resurgenti, et ad cœlos ascendenti, et in cœlesti gloria regnanti, congratulabor. *Nolite me considerare quod fusca sum, quia decoloravit me sol*, id est nolite me despectui habere, nec contemnere, quia in tribulatione præsenti afflictam cernitis, quoniam quidem, o vos Judæi, propter filium meum, qui est sol justitiæ, contribulor, et affligor, quem vos interfecistis. Vel certe nolite me contemplari calamitate et miseria pro morte filii mei denigratam, sed considerate me jam ad dexteram ipsius collocatam, et in æterna claritate cum ipso regnantem. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Spiritualiter autem filii matris beatæ et perpetuæ Virginis Mariæ, Judæi iniqui fuerunt, qui filii Synagogæ exstiterunt, et sine misericordia contra eam pugnaverunt, quando ejus filium in cruce peremerunt. A dolore enim et passione quam Filius in cruce sustinuit, nullatenus immunis fuit. Præterea credendum est quia anxietas mortis Christi in cruce morientis pervenit usque ad viscera piissimæ Matris, nec poterat nisi cum magno dolore in cruce pendentem aspicere, quem et verum Deum esse, et de carne sua carnem sciebat veraciter assumpsisse. *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi.* « Exsulta et lauda, habitatio Sion (*Isa.* XII), » id est Ecclesia de gentibus congregata, quæ a tanta custode custodiris et gubernaris. Lætare, inquam, quia Regina cœlorum et Domina angelorum posita est custos tui. Tu es enim spiritualis vinea Domini Sabaoth, id est exercituum : tibi prælata est custos mundi imperatrix, quæ exaltata est super choros angelorum. De qua merito dicitur, quia vineam suam non custodivit, et quod propter infidelitatem et superbiam Judæorum Synagogam deseruit. Quam utique videbatur debuisse carnali affectu custodire, et orationum suarum auxilio fovere, quia de ea digno-

scitur carnalem originem duxisse. Verumtamen quoniam ipsa Synagoga, id est perfidi Judæi illam quasi sororem suam spreverunt, et eam honorare noluerunt, justo Dei judicio, in hoc sæculo et in die judicii, ejus intercessione et auxilio carebunt. « Tu ergo Hierusalem, lauda Dominum, et lauda Deum tuum, Sion (*Psal.* CXLVII), » id est Ecclesia gentium, quæ ideo Hierusalem et Sion spiritualiter appellaris, quia Deo, qui est pax summa, per fidem et operationem inhærere comprobaris; et in specula, hoc est in altitudine spiritualis vitæ stans, hostes tuos de longe contemplaris. Lauda, inquam, Ecclesia, Deum A qui dedit tibi tantam advocatricem, videlicet suam gloriosam genitricem, quam idcirco Judæi despiciunt, quia illam fuisse suam sororem secundum carnem dicunt. Nos igitur Judæorum perfidia et impietate depulsa a cordibus nostris, **honoremus** et magnificemus debita cum laude **Matrem** nostri Redemptoris. Hoc scientes **pro certo**, quia honor et laus, et gloria, et **magnificentia**, quam exhibemus ejus genitrici **in terris**, ipsum nobis benevolum faciet et in cœlis, et venientem ad judicium placabilem sua **majestate** cum angelis et archangelis.

Explicit sextus tomus.

INCIPIT SEPTIMUS TOMUS

Super hoc quod dicitur : *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum* (*Cant.* I).

Inter duodecim lapides pretiosos, topazium cæteris lapidibus pretiosiorem qui reperire desiderat, necesse est ut omnium lapidum quantitates et colores naturaliter agnoscat, ne forte errore ductus alterum pro altero indifferenter accipiat. Sunt enim inter duodecim, duo lapides aliqua ex parte topazio similes, videlicet chrysolithus et chrysophrasus, qui videntur esse aurei coloris sicuti est topazius. Sed in hoc tamen topazius ab aliis lapidibus differt, quia rarior inventione est, et, ut dicitur, omni colore refulget. Idem vero lapis reperitur in Æthiopia et in regione Thebaida, unde et in eadem provincia **334** insula esse refertur, quæ Topazion appellatur, ubi idem lapis topazius invenitur. Quod autem de Æthiopia topazius veniat, Dominus, ad beatum Job loquens, manifestat. Cum enim ad eumdem Job Dominus loqueretur de sapientia : « Non adæquabitur, inquit, ei topazius de Æthiopia (*Job* XXVI). » Qui sunt ergo duodecim lapides pretiosi, nisi duodecim apostoli supra fundamentum, quod est Christus, fundati? Quem vero alium significat topazius rarior et pretiosior cæteris lapidibus, nisi Dominum nostrum Jesum Christum, qui est « speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV), » et est humilior omnibus hominibus? Inde etiam discipulis suis ipse in Evangelio fertur dixisse: « Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI). » Unde bene dicitur quod topazius omni resplendeat colore, quia « in ipso omnis plenitudo divinitatis inhabitat (*Coloss.* II), » et ipse decoratus est ornatu omnis spiritualis virtutis, quia secundum Joannem, « Vidimus eum quasi unigenitum a Patre, plenum gratiæ et veritatis (*Joan.* I). » Præterea quod idem lapis topazius a seipso nomen insulæ donavit in qua reperitur, ut videlicet a topazio insula Topazion appelletur, nullatenus absque ingenti sacramento factum esse creditur. Sicut enim per topazium Christum, sic et per hanc insulam, intelligimus sanctam Ecclesiam. Et quemadmodum hæc B insula a topazio lapide nomen est sortita, ut ab ipso Topazion appellata, ita et sancta Ecclesia a Christo angulari lapide Christiana est nuncupata, et omnes fideles Christiani delectantur nomine Christi insigniri. Sane quod nos sanctam Ecclesiam insulæ comparavimus, secundum Isaiam prophetam locuti sumus, qui omnes Ecclesias per prophetiæ spiritum appellat insulas dicens : « Audite, insulæ, et attendite, populi de longe (*Isa.* XLIX). » Merito ergo Ecclesiæ gentium insulis comparantur, quia sicut insulæ ventorum flatibus verberantur et undarum irruentium tumultibus sæpe concutiuntur, sic Ecclesiæ per diversas mundi partes diffusæ, magnis persecutionibus deprimuntur, et innumerabilibus tentationibus agitantur. Sed et hoc quod topazius secundum sententiam Domini alloquentis, in Æthiopia reperir' dicitur, et quod sapientiæ idem topazius nullatenus coæquetur, satis convenienter Domino Jesu coaptetur. Per sapientiam enim, Christi divinitas, per topazium vero digne intelligitur ejus humanitas, qui topazius de Æthiopica terra tollitur, quia humanitas ejus de nostra peccatrice et tenebrosa natura assumitur, et nequaquam ejus divinitati comparare possumus ipsius humanitatem, quia æqualis est Patri secundum divinitatem, minor vero Patre secundum humanitatem (101). Hoc denique idem Filius manifestat in Evangelio dicens : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X), » quod pertinet ad ejus divinitatem; et alio loco : « Pater major me est (*Joan.* XIV), » quod pertinet ad ejus humanitatem. Unde et David propheta testatur in Psalmis : « Minuisti eum paulo minus ab angelis (*Psal.* VIII). » Paululum minus quam angeli Filius Dei est minoratus, quia cum esset Deus immortalis et invisibilis, pro nobis homo mortalis et visibilis est factus. Et quoniam pro salute generis humani jussu Patris sui tantum se humiliavit; idcirco ab eodem Patre suo nomen quod est super omne nomen, accepit, ut in nomine ejus

(101) Athanas. in Symbolo.

omne genu flectatur, et ab omni creatura cœli et terræ (*Philip.* II), cum Patre et Spiritu sancto unus Deus adoretur. Et hoc est quod in isto versu sequitur : « Gloria et honore coronasti eum, Domine, et constituisti eum super opera manuum tuarum (*Psal.* VIII). »

Igitur post hanc parvam discretionem quam fecimus, jam redeamus ad id unde longius evagati sumus, et intenta cordis aure audiamus quid est quod dicit Sponsa ad Sponsum, Ecclesia ad Christum : *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie*, etc. Ac si dicat : Topazius es, lapis pretiosus es ; te quæro, te desidero, te super omnia diligo. Indica mihi te ipsum, quia inter tot lapides pretiosos te reperire non possum, et hoc est quod sequitur : *Ne forte vagari incipiam per greges sodalium tuorum*, quærendo te sic, ut quondam illi vagabantur et errabant, de quibus in Evangelio Dominus dicebat : « Quem dicunt homines esse hominis Filium? Responderunt discipuli : Alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex prophetis (*Matth.* XVI). » Isti ergo omnes incipiebant vagari post gregem sodalium, hoc est inter lapides pretiosos errabant, quærentes topazium, et volebant accipere pro topazio chrysolithum, vel chrysophrasum, qui parte ex aliqua similes sunt ei, quia sunt sicuti ipse est coloris aurei. Audierant enim prophetas miracula fecisse sicut Christum, quod est coloris aurei esse sicut topazium. Sed Petrus Spiritu sancto revelante aliis lapidibus relictis, verum topazium agnovit quando dixit : « Tu es Christus Filius Dei vivi (*ibid.*). » Ac si diceret : Equidem prophetæ inter homines magnæ auctoritatis tempore suo exstiterunt, id est quasi lapides pretiosi miraculorum gloria refulserunt, sed tamen quemadmodum tu es Filius Dei, nullatenus fuerunt. Audiamus ergo, remoto sæcularium causarum tumultu, orationem qua sancta Ecclesia Christum deprecatur, ut seipsum certis indiciis ei manifestare dignetur, ne forte aliquem sanctorum (quod absit!) pro eo adoret et colat, et suæ simplicitatis errore seducta in idololatriam incidat. Consideremus denique quid sanctæ Ecclesiæ Christus respondeat, et qualiter **335** cultum solius divinitatis ab omnibus sanctis removeat, et eam soli Deo, cui jure debetur, attribuat. Sanctos quippe honorare debemus, non adorare. Deus autem solus est adorandus et honorandus ; sancti vero pro amore ipsius sunt tantummodo honorandi, non adorandi. Dicat ergo Christus ad sanctam Ecclesiam : Tu me deprecaris quamvis remota omni ambiguitate te certificem ubi, id est in quo loco pascam vel accubem, et ego respondebo tibi quia in meridie pascor et accubo, id est in Patre meo requiesco et maneo, in quo mansi æqualis ei per omnia ab æterno. Quod autem Filius in Patre et Pater in Filio ineffabiliter ab æterno maneat, omnis auctoritas tam Novi quam Veteris Testamenti consona voce prædicat. Unde est illud quod Dominus loquitur ad Patrem de discipulis suis : « Pater, volo ut sicut tu es in me, et ego in te, ita et ipsi unum sint in nobis (*Joan.* XVII). » Et alio in loco dicit Dominus ad Philippum : « Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum, non credis quia ego in Patre et Pater est in me (*Joan.* XIV). » Alioquin propter ipsa opera credite, quia ergo auctoritate divinarum Scripturarum satis ostendimus quomodo in Patre manet Filius, id est in meridie accubet et pascat Christus : nunc restat ut a nobis ostendatur, ubi in divinis eloquiis Deus Pater meridies appelletur, quia hoc raro imo rarissime reperitur, et quanto rarius tanto pretiosius. Deus omnipotens « Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra (*II Cor.* I), » cui displicent mala quæ facimus, et cui placent bona quæ agimus, ipse loquitur in Isaia propheta, dicens : « Quiescam in loco meo, et considerabo quasi meridiana lux (*Isa.* XVIII). » Quid est ergo quod dicit in loco meo quiescam? Quando laboravit ipse, ut modo quærat requiem? Et quare se comparat meridianæ luci plus quam auræ vel alteri horæ diei? Quid vero est quod dicit considerabo, cum considerare illius sit qui rem aut nescit, aut non intelligit? Ipse enim scit et intelligit omnia antequam fiant. Quæ est ergo requies Dei, nisi pax in corde fidelis Christiani et religiosi? Sic enim scriptum est : « In pace in idipsum dormiam et requiescam (*Psal.* IV). » Et in Isaia invenimus dicentem Dominum : « Hæc est requies mea, refice lapsum (*Isa.* XXVIII). » Magnam igitur requiem Deo nostro damus, quando peccatorem lapsum ut a peccato suo convertatur, exhortamur. Et alibi dicit Scriptura : « Super quem requiescam, nisi super humilem et quietum, et trementem verba mea? » (*Isa.* LXVI.) Quis autem est locus Dei, nisi pax et justitia, pietas et misericordia, et omnium virtutum mater obedientia? Inde dicit David propheta : « In pace factus est locus ejus, et habitatio ejus in Sion (*Psal.* LXXV). » Sion quippe interpretatur *specula*. Specula vero res est alta, in qua si homo positus fuerit, longe valde a se respicere poterit. Per Sion ergo quæ interpretatur *specula*, intelligitur omnium virtutum obedientia genitrix. In qua si quis usque ad ultimum diem vitæ suæ meruerit perseverare, sine dubio usque ad contemplandum divinæ majestatis claritatem poterit pervenire. Sic enim dicit divina Scriptura de obedientia : « Per obedientiam pervenitur usque ad occultorum Dei notitiam. » Quid autem est quod Deus Pater considerat, nisi hoc quod ipse secundum Job prophetam (cap. XXXI) omnes gressus, id est opera nostra dinumerat, ut videlicet post mortem unicuique nostrum secundum quod egerit reddat. Sic enim dicit Paulus apostolus : « Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque prout gessit sive bonum, sive malum (*II Cor.* V), » Inde etiam dicit beatus Augustinus : Sicut in Ecclesia modo stamus, et nos invicem præsentes aspicimus, sic in die judicii ante tribunal Dei astituri sumus. Hanc enim animam quam modo

habemus, tunc habebimus, et in hoc ipso quo nunc induimur corpore, suscitandi sumus. Non enim sicut equi et boves facti sumus, ut æterna morte pereamus, sed postquam hic vixerimus, alibi judicabimur, ut aut pro bonis operibus præmia consequamur æterna, aut pro peccatis nostris supplicia perpetua consequamur. Unde et Propheta ait : « Semel locutus est Deus (*Psal.* LXI), » id est ab æterno immobiliter statuit et prædestinavit. Quid ? « Duo hæc quæ audivi (*ibid.*).» Quæ sunt? Omnis « potestas Dei (*ibid.*) » Patris omnipotentis est. Ecce habes unum. Et tibi, Domine Jesu Christe, misericordia. Ecce habes alterum. Quia tu reddes in die judicii unicuique secundum opera sua (*Apoc.* XXII). Quod autem ad Filium, et non ad Patrem pertineat judicium, audi ipsum in Evangelio dicentem : « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V). » Considerat ergo Deus Pater omnipotens in loco suo quasi meridiana lux omnia quæ in hoc sæculo facimus, ut per Filium suum nobis reddat in die judicii secundum quod meruimus. Unde scriptum est : « Deus altissimus patiens redditor est (*Eccle.* V). » Et merito Deus dicitur Altissimus, quia nulla res ejus sublimitati comparatur. Patientem vero redditorem Deum divina Scriptura ideo appellat, quoniam qui peccatores ut convertantur patienter exspectat, non conversos tandem durius damnat. Sed jam intueamur cur Deus omnipotens meridianæ claritati se comparavit, et quare ipse qui est Creator omnium creaturarum, suæ creaturæ, id est claritati solis se æquiparavit. Neque enim inter omnes creaturas creaturam aliquam sole clariorem potuit quantum ad nos reperire. Sicut ergo sol præ omnibus elementis et luminaribus **336** hujus mundi ob dignitatem et claritatem sui eminet et refulget; sic Deus omnipotens omnibus rebus, quas ad laudem et gloriam nominis sui creavit, dignior et eminentior apparet. Et sicut sol fervente meridiano tempore diffusis ubique radiis admirabilis suæ claritatis totum mundum illuminat, sic Deum omnipotentem considerata ejus omnipotentia et misericordia omnis creatura contremiscit et adorat. De qua misericordia dicit Psalmista : « Misericordia Domini plena est terra (*Psal.* XXXII); » et iterum : « Misericordias Domini in æternum cantabo (*Psal.* LXXXVIII). » Vere terra plena est Domini misericordia, quia omnis creatura quæ in ea vivit, non hoc ex suo merito, sed de misericordia Dei, ut subsistat, accepit. Et bene idem Psalmista dicit, quod misericordias Domini in æternum cantabit, quia et hoc quod hic bene operamur, et quod post mortem ad gaudia paradisi introducimur, hoc totum de misericordia Dei procedit, qui nos cum non essemus condidit, et diabolo suadente deceptos et perditos pietate sua salvavit. Qui etiam secundum Paulum apostolum (*I Cor.* II) neminem vult perire, sed omnes ad agnitionem sui vult venire. Sed si hoc constat quod Deus neminem perire vult, sed omnes ad cognitionem suæ divinitatis pertingere, quare pereunt illi qui pereunt? Ideo utique pereunt, quia mandatis Dei obedire contemnunt. Ecce Deo largiente quantum potuimus ex verbis evangelicis ostendimus quod Filius ab æterno in Patre maneat. Et ex Isaiæ prophetæ oraculis sententiam protulimus, in qua Deus Pater meridianam lucem se per comparationem appellat.

CONCLUSIO SENTENTIÆ.

Igitur pro certo constat et nullus inde dubitat quia, si Pater est meridies, et si Filius manet in Patre, sine dubio manet in meridie. Respondeat ergo justum est Christus sanctæ Ecclesiæ, et dicat : Tu quæris a me ut indicem tibi ubi pascam et accubem, et ego tibi respondebo, quia in meridie pasco et accubo, hoc est in Patre meo, qui est verax meridies, maneo sicut mansi ab æterno.

RECAPITULATIO A SUPERIORIBUS,

QUALITER AD PERSONAM PATRIS REFERRI DEBEAT ISTA SENTENTIA, SCILICET, « INDICA MIHI, » ETC.

Qui æternos montes de superioribus rigat suis, qui terram inferius jacentem de fructu operum suorum satiat et inebriat (*Psal.* X), ipse potens est nobis dare spiritum spiritualis sapientiæ, quo repleti valeamus intelligere occulta sacramenta in Scripturis divinæ legis quæ desideramus. Sicut enim quondam Moyses egregius propheta (*Exod.* XIX) prius montem ascendit, et postea cum Domino familiare colloquium de arcanis rebus habuit, sic necesse est ut sancta Ecclesia modo faciat. Quasi enim montem magnum et excelsum conscendit, quando transitoria cuncta despiciens et seipsam transcendens, ad collocutionem Sponsi sui, id est Filii Dei accessit, et ab eo quæsivit dicens : *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes*, etc. Ascenso igitur altissimo monte, hoc est postquam perfruita est Filii Dei Patris dulcissima allocutione, necesse est ut ad ipsum Deum Patrem humiliter accedat, et ab eo supplici devotione ubi pascat, ubi cubet requirat. Ad exordium ergo nostræ orationis redeamus, et quid sint æterni montes, vel quæ sint supernæ rorationes, quæve sit terra inferius jacens vel satietas et ebrietas fructuum Dei subtiliter requiramus. Æternos montes illos arbitror debere intelligi, de quibus Psalmista ad Dominum dicit : « Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis (*Psal.* LXXV). » Montes ergo æterni, patriarchæ sunt et prophetæ et apostoli, a quibus nos sumus mirabiliter illuminati, quia per exempla patriarcharum, per eloquia prophetarum, per doctrinam apostolorum Christianæ religionis fidem agnovimus, qui prius remoti longe a cognitione Dei in tenebris et in umbra mortis sedebamus, unde Isaias propheta ait : « Populus gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis (*Isai.* IX). » Vere lux magna et admirabilis populis gentium est orta, quando fides Christi per prædicationem apostolorum in cordibus eorum est plantata et radicata, et sicut cœperunt in se Christum habere habitatorem, qui prius in cordis

hospitio recipiebant diabolum pessimum seductorem, et animarum suarum crudelissimum interfectorem. Unde et Paulus dicit : « Per fidem Christum habitare in cordibus nostris (*Ephes.* III). » Denique et beatus Augustinus (102) : « Fides, inquit, in corde tuo, Christus est in corde tuo. » Luce ergo clarius constat quia, nisi lumen fidei in cordibus nostris resplendeat, in tenebris infidelitatis sedebimus, et Christum habitatorem nullatenus habebimus. De his montibus Psalmista dicit : « Montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis (*Psal.* CIII). » Quod petra Christum significet Paulus apostolus edocet, dicens : « Petra autem erat Christus (*I Cor.* X). » Montes vero excelsi ipsi sunt, qui superius **337** apellati sunt montes sancti, videlicet prophetæ et apostoli. Consuetudo cervorum talis esse dicitur, ut ad montes fugiant quando a venatoribus fugantur. Omnibus liquet quod herinacii aculeis et spinis sunt pleni. Per hæc duo animalia duo genera hominum peccatorum designantur, quæ in gremio sanctæ Ecclesiæ continentur. Unum genus est, quod pro peccatis suis pœnitentiam agit et plorat, et de actibus propriis diffidens, per suffragia et orationes sanctorum ad misericordiam Dei pervenire se sperat. Quod genus hominum merito cervis comparatur, qui ad montes fugiunt ut a morte liberentur. Aliud vero genus hominum est quod occultis et publicis peccatis subjacet, et quanto amplius desperans diversis criminibus se ipsum subdit, tanto longius a Deo recedit ; dumque abjecto Dei timore, coram hominibus peccare non formidat, quasi in morem herinacii plenum spinis et aculeis se esse manifestat. Sane aliquando hoc genus hominum in articulo mortis compungitur, et considerata peccatorum suorum mole in interiori homine suo valde cruciatur, dumque ad pœnas æterni cruciatus iterum se non dubitat, divina aspiratione tactus ad Christum, qui est vera petra, redire festinat, qui sinum clementiæ, et fontem pietatis et misericordiæ mortalibus aperiens, per prophetam suum clamat : « Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* XVIII). » Montes igitur excelsi refugium sunt cervis, et petra refugium est herinaciis, quia sicut peccatores pœnitentes et bene operantes, per suffragia et orationes salvantur, sic miseri, desperati et peccatorum suorum spinis circumdati, a Christo recipiuntur, si tamen ad extremam vitæ suæ horam ad ipsum convertantur. Sic enim divina Scriptura ait : « Peccator quacunque hora ingemuerit, salvus erit (*ibid.*). » Ecce ostendimus Deo adjuvante quantum potuimus, quid sint æterni montes ; nunc restat ut demonstremus quid sint supernæ rigationes. Moyses namque dicit : « Concrescat ut pluvia doctrina mea, et fluat ut ros eloquium meum (*Deut.* XXXII). Isaias quoque ait ad Dominum : « Quia ros lucis, ros tuus (*Isa.* XXVI). » Manifestum est ergo quod divinæ Scripturæ appellentur rigationes superA næ, quibus rigati sunt prophetæ et apostoli, et velut ore cœlesti fecundati. De ista rigatione Paulus apostolus loquitur dicens : « Terra bibens desuper venientem imbrem, et fructificans opportunam, ab his, a quibus colitur, accipit benedictionem (*Heb.* VI). » De hac iterum roratione cœlesti David loquitur dicens : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* XLV). » Civitas vero Dei est corpus vel anima viri justi, quæ plenius tunc lætificatur, quando fluentis divinorum eloquiorum delectabiliter irroratur. Hinc iterum David dicit : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos (*Psal.* XXXV). » Domus namque Dei est sancta Ecclesia, ubertas ejusdem domus est divina Scriptura, qua sobrie et religiose fidelis anima debriatur, quando omnia quæ sunt hujus mundi, spirituali excessu sopita, obliviscitur, et soli Deo puritate mentis conjungitur. Torrens autem voluptatis Dei est abrenuntiatio hujus sæculi, quia sicut torrens omnia ante se posita obruit et præcipitat, sic qui perfecte sæculo renuntiat, prospera et adversa despicit, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis libenter crucifigit, nihil est quod propositum mentis ejus retardare valeat, donec ad ipsum pervenire possit, quem super omnia et supra seipsum diligit. Cum ergo constet quia abrenuntiatio hujus mundi sit voluptas magna et delectatio Dei, manifestum est quod qui nec sibi ipsis, nec mundi desideriis vel concupiscentiis renuntiant, nullam in cordibus suis acceptabilem delectationem prorsus Deo præparant. Eant ergo impii et affluant divitiis hujus sæculi, et sciant procul dubio quia quanto amplius huic mundo et suæ carni male vivendo serviunt, tanto longius a Deo recedunt, et diabolo crudeli dominatori se conjungunt. Sic enim ait Joannes apostolus : « Filioli, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, quia si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in eo (*I Joan.* II). » Ex quibus verbis liquido apparet quia dilectio hujus mundi ab humanis cordibus charitatem Dei removet, et quoniam Deus charitas esse dicitur, remota charitate a corde nostro, sine dubio et Deus removetur.

Igitur ostensis æternis montibus, propalatis supernis rigationibus, mens nostra Spiritus sancti rore afflata jam dilucidare conabitur quæ sit illa felix et beata terra quæ de fructu operum Dei satiatur. Sane de terra locuturi, non longe a nobis recedamus, quia nos ipsi terra sumus. Sic enim dicit Dominus ad Adam : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III). » Caveamus denique ne forte, quod absit ! nos simus illa terra quæ a Domino serpenti in cibum est concessa. Liber enim Genesis (*ibid.*) dicit quia hac maledictione Deus diabolum in serpente percussit, ut videlicet terram comedat omnibus diebus vitæ suæ pro eo quod hominem sua fraude decepit, qui ab ipso Deo creatus erat rectæ

(102) Tract. in Joannem, t. 9.

et simplicis naturæ. Quod etiam Scriptura testatur dicens : Deus fecit hominem simplicem et rectum (*Eccle.* VII) ; simplicem, ut malum nunquam faceret, rectum autem, ut ab ipso Deo nunquam recederet. Verum quia primus parens noster spe deductus inani, Deo et diabolo se posse obedire putavit, pro simplicitate duplicitatem incurrit, quia rectitudinem mentis quam a Deo acceperat, et postquam ipsi soli placere **338** debuerat, ad cognitionem mali, blanditiis mulieris delinitus intorsit, juxta Dei dispensationem actum est, ut statum rectitudinis æternæ amitteret, et quoniam cum stare posset stare noluit, modo vero cum stare vellet stare non possit. Sed jam nunc ad terram redeamus de qua paulo ante loqui cœperamus. Terra quæ data est diabolo in cibum, Judæi erant qui Dominum Jesum interficere cupiebant. Quibus et ipse Dominus ait : « Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri perficere vultis. Ille homicida ab initio erat, in veritate non stetit (*Joan.* VIII) ; » ac si diceret : Vos terra estis diaboli, idcirco de fructu operum ejus desideratis satiari, et quia ille homicida comprobatur esse, et in veritate nullatenus stetisse, vos patrem vestrum sequentes me vultis interficere, et in me qui sum veritas, nec vultis stare, nec credere. Nos ergo simus illa terra quæ fructificans a Domino benedictionem percepit, sicut David dicit : « Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum (*Psal.* LXXXIV). » Dat igitur Dominus nostræ terræ benignitatem, quando cordi nostro inspirat sui amoris suavitatem, ut pro ipso dura et aspera delectabiliter sustineamus, et ea quæ animam in mortem resolvunt vitia carnis humanæ, funditus a nobis abjiciamus. Dat, inquam, suam benignitatem nobis Dominus quando mentibus nostris intimat cognitionem sui ipsius, qua cognitione mentes nostræ quasi spiritali potu debriatæ gaudia hujus mundi pro nihilo ducunt, quia ad ipsum cujus cognitio est vita æterna, spreta sæculi fallaci gloria pervenire contendunt. Unde idem Dominus in Evangelio ait. « Hæc est vita æterna ut cognoscant te, et quem misisti Filium tuum unum et verum Deum esse (*Joan.* XVII). » Terra autem nostra fructum suum dat, quando mens nostra in superna contemplatione rapta ad Deum suspirat, et cum ipso obliviscens suæ fragilitatis unus spiritus effici desiderat, quem sincero charitatis amore præ omnibus creaturis ut dignum est amat. Terra, inquam, nostra tunc fructum suum dabit, quando corpus nostrum, per bona opera quæ modo agit post hujus vitæ fragilis terminum multis tentationibus probatum Deo reddet spiritum suum, dicens cum Psalmista : « In manus tuas commendo spiritum meum (*Psal.* XXX). » Cujus videlicet carnis fructus felici gaudio tunc duplicabitur, quando ipsa caro per resurrectionis gloriam clarificata una cum suo spiritu æterna beatitudine donabitur ; ut, sicut in hoc sæculo ambo sustinuerunt pro Deo pœnas et tribulationes, sic post diem judicii pari gaudio recipiant illius summæ et incomparabilis gloriæ promissas a Deo mansiones. De quibus idem Dominus discipulis suis ait : « In domo Patris mei multæ mansiones sunt (*Joan.* XIV). » Igitur quoniam intentio mentis nostræ prout vires ei suffragantur, et laboravit ostendere quæ sit terra quæ de fructu operum Dei satiatur ; nunc superest ut de ipsis operibus Dei, et fructu operum ipsius ad laudem et gloriam nominis ejus loquatur. Opera autem Dei generaliter sive universaliter omnes creaturæ sunt, quæ ab ipso Deo sapientissima ordinatione creatæ sunt. De qua admirabili creatione sic protestatur auctoritas divinæ Scripturæ : « Qui vivit in æternum creavit omnia simul (*Eccle.* XVIII). » Unde David propheta ad Dominum dicit : « Omnia in sapientia fecisti (*Psal.* CIII). » Vere etenim Deus omnia in sapientia sua fecit, quia in Filio suo, qui est ejus sapientia et verbum et virtus, cuncta ineffabiliter condidit. Quod idem propheta in Spiritu sancto sentiens alio loco declarat, dicens : « Et tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli (*Psal.* CI). » Filium autem Dei Propheta hic principium appellat, quem in inferiori psalmo sapientiam ejus nuncupaverat. Per cœlum vero et per terram, quæ his duobus elementis continentur, intelligere debemus ; quoniam infra ambitum horum elementorum omnes creaturas quæ a Deo creatæ sunt, esse credimus. Quod Moysen eximium prophetarum in Spiritu sancto sensisse arbitrantur, qui de creatione mundi edisserens sic loquitur, dicens : « In principio creavit Deus cœlum et terram (*Gen.* I) ; » ac si dicat : In Filio suo, qui est principium omnis creaturæ quam ipse condidit, cœlum et terram, et ea quæ his continentur creavit. Verumtamen inter cætera opera quæ Deus omnipotens per Filium suum condidisse creditur, quoddam admirabile et speciale opus idem Filius fecisse legitur. De quo opere Isaias propheta divino spiritu tactus ita protestatur : « Opus ejus alienum fuit ab eo, ut faceret opus suum, prius fecit opus alienum (*Isa.* XXVIII). » Quæ verba sancti prophetæ quia valde obscura sunt, et quoniam in aliis prophetis facile reperiri non possunt, sollicita intentione a nobis debent pensari, eo quod a tanto propheta nequaquam prolata sunt sine pondere magni sacramenti. Habent enim ista verba intra se ingens mysterium ab exteriori cortice litteræ quasi quodam velamine coopertum. Quæ verba nisi enucleatius discutiantur, latens mysterium quod intus est nullatenus in lucem propalatur. Quid est ergo quod propheta dicit quia opus Filii Dei alienum ab ipso Deo fuit? Quid enim est quod ait ut faceret opus suum prius fecit alienum? Quæramus ergo aliquod exemplum, quo adducto et discusso lucidius ostendamus, latens sacramentum quod in hac sententia pandere desideramus. Quidam dominus ad quemdam servum suum loquitur, dicens (*Matth.* XXI) : Vade prius operare in vinea mea, et post hæc operaberis **339** in vinea tua, et scias pro certo quod nullatenus in vinea tua operaberis, nisi prius in

vinea mea operatus fueris. Audiens igitur ille, operatur domini sui vineam, et post hæc facit opus in propriam vineam suam, sicque prius facit opus alienum, ut postea faciat opus suum. Sic nimirum, sic Dominus Jesus Christus egit. Prius fecit opus alienum ut postea faceret opus suum. Nasci etenim, pati, crucifigi, mori et resurgere alienum opus fuit ab ejus divinitate. Ipse invisibilis, impassibilis, immortalis, utpote Deo Patri et Spiritui sancto coæternus et consubstantialis. Opus namque proprium Filii Dei redemptio exstitit generis humani. Sed nisi prius nasceretur, pateretur, moreretur, et resurgeret, nullo modo genus humanum libero arbitrio suo perditum a morte redimeret. Fecit ergo Filius Dei opus alienum; ut postea faceret opus suum, quia prius sustinuit mortem quæ non conveniebat ejus divinitati, ut postea genus humanum redimeret, quod congruebat ejus divinitati. Ecce ostendimus, non tamen ut dignum est, quæ sunt opera Patris et Filii generalia, vel quæ sunt Filii tantummodo specialia, sicuti est mortem pati, quod nec ejusdem Filii, nec ipsius Patris congruit divinitati. Mors quippe humana ad humanitatem Christi solummodo respicit, divinitas autem Patris, et ejusdem Christi et Spiritus sancti sine experientia mortis, vel alicujus passionis prorsus permanet et permansit. Demonstremus ergo quid sit fructus operum Dei quo fructu nos, qui terra sumus, debemus satiari. Fructum namque operum Dei hunc esse æstimamus, si consideratis operibus ipsius Domini qui omnia fecit, hæc laudemus et glorificemus. Fructum, inquam, operum Dei hunc esse sciamus, ut ex consideratione creaturarum, ipsi Creatori gratias et laudes ut dignum est referamus. Quippe qui ex nulla existente materia omnia quæ facta sunt, mirabiliter condidit, et primum hominem ineffabili potentia de limo terræ creavit, et ei insensibile spiraculum vitæ inspiravit. Præterea, quod majoris gloriæ et excellentioris dignitatis est, eidem homini præ cæteris creaturis imaginem et similitudinem suam donare dignatus est. De nulla enim creatura nisi de solo homine testatur divina Scriptura (*Gen.* I), quod ad imaginem et similitudinem Dei sit formata vel creata. Age ergo, o homo, age, inquam, gratias clementiæ et bonitati Creatoris tui. Noli, quæso, noli esse ingratus collatis tibi ab ipso beneficiis: responde quantum potes visceribus ejus charitatis. Cui juxta possibilitatem tuam tali conditione, si vis, potes respondere, si ipsius mandatis quæ tibi ob salutem tuam tradidit, volueris obedire, et si te immunem ab omni peccato custodieris, et in ejus servitio usque ad ultimum vitæ tuæ terminum perseveraris. Magnæ ergo auctoritatis et dignitatis es, o homo! Deus omnipotens ad imaginem suam te creavit, Filius ejus Dominus Jesus Christus sanguine suo redemit, a Spiritu sancto clementer illuminatus es, a septiformi gratia ejusdem Spiritus sancti ad cognitionem sanctæ Trinitatis imbutus es.

Imaginem Dei in te repræsentas, quandiu non peccas, si vero aliquando peccato consentis, recedente imagine Dei a te, ipsi diabolo assimilaris qui peccando et superbiendo a Deo recessit, et seipsum, qui erat signaculum similitudinis gloriæ Dei, sicut Ezechiel propheta dicit (cap. XXVIII), irrecuperabiliter damnavit et perdidit. Superius diximus quod sicut olim Moyses prius montem Sina ascendit, et sic demum de arcanis et mysticis rebus cum Domino soliloquium habuit: sic sancta Ecclesia fecerat. Quasi enim montem magnum excelsumque ascendit, quando ad soliloquium Sponsi sui, qui est « speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV), » accessit, et ab eo requisivit, dicens: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes*, etc. Accedat ergo ad soliloquium Patris omnipotentis, et remotis a se sordibus totius iniquitatis ab ipso simili modo charitatis affectum requirat, ubi ipse cubet, et ubi ipse pascat. Igitur antequam Deus Pater omnipotens Sponsæ Filii sui colloquatur, vel priusquam ipsa Sponsa ab eodem Patre Sponsi sui audire mereatur: Intellige, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et tunc ubi pasco vel cubo, indicabo tibi; antequam istud fiat, necesse est ut mens nostra pervigili intentione requirat ubi in divinis eloquiis Filius Dei mons appelletur, ne forte nostra locutio ab aliquo minus erudito de falsitate redarguatur, pro eo præcipue quod Christum montem appellavimus, et ei montem Sina per similitudinem æquiparavimus. Multis igitur auctoritatibus prætermissis, quæ hoc quod dicimus protestantur, sola sufficiens et idonea auctoritas ut dignum est in medium proferatur, cui gratiæ spiritualis filii et divinæ legis amici aures spirituales gratanter præbeant, et inimici veritatis, vel minus sapientes non habeant quid contradicant. Daniel propheta secretorum Dei conscius, memoria abundantiæ suavitatis Spiritus sancti refertur admirabile somnium illius magnæ et terribilis visionis, quam rex Babylonis viderat, exponens, inter cætera quæ sibi proloquitur, Christum montem interpretatur dicens: *Videras*, etc.

DE SOMNIO REGIS NABUCHODONOSOR.

340 Videbas, rex, et ecce statua una stabat coram te, cujus aspectus terribilis erat valde. Hujus, inquam, statuæ caput erat ex auro, pectus et brachia de argento, venter et femora de ære, tibiæ ferreæ, pedum quædam pars ferrea, quædam fictilis erat. Videbas ita, donec abscisus est lapis de monte sine manibus, et percussit statuam illam in pedibus ferreis et fictilibus, et comminuit eam. Lapis vero hic qui percussit statuam illam, sicut Daniel dicit (cap. II), factus est mons magnus, et implevit universam terram. Lapis igitur qui abscisus est de monte sine manibus, Christus est, qui sine carnali opere originem duxit de generis humani massa peccatrice. De quo lapide bene dicitur quod mons magnus factus sit, et universam terram impleverit, quia Evangelium, quod Dominus Jesus condidit et discipulis suis ut prædicarent tradidit, universum orbem implevit, sicut idem discipulis suis dicit: « Ite in universum orbem, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI). » Verumtamen mons iste lapis parvulus erat, quando in Judæo tantummodo Deus notus erat, sed hic lapis mons magnus efficitur, quando « a solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini (*Psal.* CXII) » prædicatur, « nec est qui se abscondat a calore (*Psal.* XVIII), » id est a prædicatione ejus Evangelii quod prædicatum est per apostolos universo orbi. Lapis ergo effectus est mons magnus, et implevit universam terram, quando secundum Isaiam prophetam (cap. IX) ille qui puer natus est nobis, et filius datus est nobis, stella demonstrante de cœlo Deus excelsus apparuit per universum orbem. Lapis, inquam, iste, id est Christus, crevit in montem magnum, quia omnes gentes quas ipse fecit, modo veniunt et adorant eum, et glorificant et laudant nomen ejus in æternum. Sed jam nunc videamus quid significet illa statua quam lapis iste percussit et comminuit, quia tam admirabile somnium, et tam insolita visio, sine pondere magni sacramenti regi Babylonis nullatenus ostensa fuit. Caput, inquit, ejus ex auro, pectus et brachia de argento, venter et femora de ære, tibiæ ferreæ, pedum quædam pars ferrea, quædam fictilis erat. Ista ergo statua in septem partes est divisa, et ex quinque materiis videtur esse constituta. Si igitur per istam statuam hoc sæculum figuraliter accipimus, et si per septem partes ejusdem statuæ, vel per quinque materias ex quibus hæc statua constat, quinque vel septem sæculi ætates intelligimus, probabilem sensum et rationabilem intellectum habebimus. Illi enim homines qui fuerunt in prima sæculi ætate ab Adam usque ad Noe, quasi caput aureum exstiterunt hujus statuæ, quia sicut caput est principium corporis, sic ipsi erant initium sæculi sequentis et humani generis, vel quemadmodum aurum ob dignitatem sui eminet metallis omnibus, sic illa prima ætas sæculi gloriosior et excellentior fuit cæteris futuris ætatibus. Per argentum vero, quod est secunda materia post aurum, secunda ætas sæculi, quæ fuit a Noe usque ad Abraham, intelligitur. Quia sicuti argentum valde inferius et pejus auro esse cognoscitur, sic secunda ætas multum deterior et inferior prima sæculi ætate comprobatur. Denique ob hujus ætatis malitiam Dominus diluvium adduxisse fertur super terram. Per æs vero, quod pro patientia et fortitudine aliquando ponere solemus, tertiam sæculi ætatem ab Abraham usque ad Moysen digne intelligimus, quia in illa ætate viri fortes et patientes inter adversa et prospera exstiterunt, scilicet, Abraham, Isaac et Jacob, et alii quamplures qui præcepta Dei per patientiam et animi fortitudinem fideliter servaverunt. Per materiam vero ferri quartam ætatem sæculi debemus intelligere, quæ a Moyse egregio propheta usque ad David dignoscitur exstitisse.

Quinta autem ætas, quæ exstitit a David usque ad adventum Christi, bene quidem intelligitur in materia lutea et fictili, quæ, quamvis conjuncta esset ferro, tamen et non poterat conglutinari. In illa enim ætate quæ ante adventum Christi fuit, gentilis et Judaicus populus in Judæa simul mistus exstitit, sed sicut lutum in illa statua non valuit consolidari cum ferro, sic gentilis populus veram concordiam nullatenus habuit cum Judaico populo. In sexta igitur ætate abscisus est lapis sine manibus de monte, id est Christus natus est absque tactu hominis de Maria Virgine, qui percussit statuam et comminuit, id est gloriam hujus sæculi, quam esset vilis et contemptibilis, ostendit. Cum enim dixit discipulis suis: Beati pauperes spiritu, quoniam vestrum est regnum Dei (*Matth.* V), paupertatem spiritualem prætulit auro et argento, æri et ferro, et omnibus divitiis hujus sæculi. Bene ergo dicitur quod lapis statuam in pedibus ferreis et fictilibus percussit, quia Christus, qui est angularis lapis, per prædicationem spiritualis paupertatis, luteam et cœnosam gloriam hujus sæculi ad nihilum redegit et destruxit. Post hæc vero hic lapis crevit in montem magnum, et implevit universam terram, quando Christus per prædicationem Evangelii quod Deus esset, omnibus innotuit per universum orbem.

341 Possumus quoque allegorizando, per septem

membra hujus statuæ, septem hujus sæculi ætates spirituali intelligentia accipere. Sane per caput aureum statuæ hujus, digne homines primæ sæculi ætatis intelligimus. Quia sicut aurum nullum habet colorem nisi naturalem, sic homines illius primæ ætatis nullam legem habuerunt, per quam Deum cognoscerent, nisi naturalem : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut teipsum (*Deut.* VI). » Per creaturam quippe cognoscebant Creatorem ; « Invisibilia enim Dei, per ea quæ facta sunt, visibilia ab eis cognoscebantur (*Rom.* I), » et omnis creatura animos intuentium dirigebat ad suum Creatorem. Sempiterna quoque et admirabilis ejusdem Creatoris claritas in singulari operatione solis et lunæ, stellarumque apparebat, quæ homines, qui non credebant ei, inexcusabiles faciebant. Qui enim tantam claritatem et formositatem suis contulerat creaturis, sine dubio multo clarior et speciosior, et formosior in sua majestate consistebat. Quia vero in pectore mortalium cogitationes versantur, non sine causa per pectus statuæ secundæ ætatis homines intelligimus, quorum prava cogitatio et malitiosa operatio ad hoc Deum majestatis procurasse dicitur, ut si dici liceat, ipse Creator creaturæ suæ irasceretur, et omne genus mortalium iniquitate sua exigente aqua diluvii deleret, paucis superstitibus duntaxat remanentibus, e quibus postmodum totum mundum repararet. Per brachia autem, quibus labor et fortitudo humani exercitii solet exprimi, homines tertiæ ætatis, quæ fuit ab Abraham usque ad Moysen, possunt designari, qui inter adversa et prospera hujus sæculi, in fide perstiterunt fortes, et pro custodia mandatorum Dei magnos sustinuerunt agones, ut videlicet ille patriarcharum eximius Abraham, qui, sicut dicit Apostolus (*Hebr.* II), contra spem fideliter credidit in spiritu, et nutui voluntatis Dei obediens, terram nativitatis suæ deseruit, inauditam quoque et insolitam obedientiam antea sæculis et generationibus adimplere paratus fuit, quando filium suum, in quo spem repromissionis acceperat, perfectum obedientiæ exemplum nobis demonstrans Deo sacrificare volebat. In eadem vero ætate hujus magni patriarchæ Isaac filius exstitit (*Gen.* XXII), qui cæcitatis corporalis flagellum a Deo sibi datum libenter sustinuit, et sicut quondam Patri suo in oblatione sui ipsius assensum præbuerat, sic in cæcitate corporali quam patiebatur, Deo gratias agere satagebat. Propterea quippe donum prophetiæ ab ipso Deo accipere meruit, et in excessu mentis positus revelatis oculis cordis Jacob filium suum in his verbis benedixit : « Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni (*Gen.* XXVII). » Quem ergo in spiritu prophetiæ Isaac filium appellat, nisi Christum qui de ejus semine per lineas generationum nasciturus erat? Cujus vero agri pleni odorem Isaac odoratus spiritualiter sensit, nisi plenitudinem divinitatis quæ in Christo, sicut dicit Paulus, corporaliter requievit? (*Colos.* II.) Unde Joannes, in quo sancti Spiritus erat gratia, de plenitudine, inquit, ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia (*Joan.* I). Odor igitur agri pleni est plenitudo divinitatis Christi. Præterea Jacob in eadem ætate existens, dum duas uxores sibi carnali conjugio copulavit, quasi Christus duas gentes in fidei unanimitate sibi sociavit, vel illæ duæ beatæ vitæ, activa scilicet et contemplativa, quantum essent amplectendæ, nobis insinuavit. Per ventrem vero æreum hujus statuæ, in quo humana viscera continentur, homines illius ætatis, quæ a Moyse usque ad tempora apostolorum fuit, designantur, quia sicut infra ventrem multa sunt quæ non patent visibus humanis, sic ea quæ agebantur sub tempore datæ legis, nullatenus patebant ad liquidum sensibus nostris. Quoniam igitur de femoribus humana propago egreditur, merito per femora hujus statuæ ætas illa accipitur, quæ sub tempore apostolorum et primitivæ Ecclesiæ fuisse dignoscitur. Sancti enim apostoli una cum matre sua Ecclesia multos filios tunc temporis Deo genuerunt. Per fidem et sacri baptismatis regenerationem, et gloriosam Evangelii prædicationem, quam ab ipso Deo didicerunt. Unde et Paulus quibusdam dicebat : « In Christo ego genui vos per Evangelium ejus (*I Cor.* IV). » Et idem in alio loco : « Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur in vobis Christus (*Galat.* IV). » Et bene quidem per femora ærea intelligimus ætatem apostolorum et Ecclesiæ doctorum, quia æs metallum valde est sonorum. Eapropter et de apostolis dicitur : « In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII). » Per tibias vero ferreas statuæ illius, ista ætas intelligitur in qua nos sumus, quia sicut ferrum dura quæque domat et confringit, sic fervor sanctæ religionis, qui in sancta Ecclesia amplius solito per gratiam Dei inolevit, gaudia labentis sæculi voluptates et concupiscentias carnis, fortitudine sancti Spiritus comminuit et contrivit. Per pedes autem ferreos et fictiles qui solent esse extrema pars corporis nostri, recte intelligenda est ultima ætas, quæ futura est sub tempore Antichristi. In qua nimirum ætate, sicut Dominus in Evangelio dicit : « Erit talis tribulatio, qualis ab initio sæculi non fuit, ita ut in errorem, si potest fieri, etiam electi inducantur, sed propter eosdem electos ipsi dies a Deo breviabuntur (*Matth.* XXIV ; *Marc.* XXIII). » Præterea sicut ferrum et lutum **342** in unam compagem non possunt solidari, sic homines illius ætatis in uno sanctæ Ecclesiæ gremio non poterunt contineri. Sequaces enim Antichristi pravam ejus doctrinam et hæresim conabuntur asserere, filii vero sanctæ Ecclesiæ defensores erunt ejusdem matris suæ, fideique catholicæ et evangelicæ doctrinæ. Diversis ergo diversa sentientibus et ad contrarias partes trahentibus, sicut ferrum non valet luto conglutinari, sic ipsi non poterunt ad invicem concordari. Post hæc veniet ad judicium lapis ille, qui quondam abscisus est ineffabiliter de monte, videlicet Christus, qui dudum egressus est de illo umbroso et condenso

divinitatis monte, et de illa occulta sua habitatione. Verumtamen quid faciet lapis ille? Percutiet et destruet statuam istam, id est mundum istum, et admirabili potentia divinitatis suæ in meliorem statum restaurabit illum. Quod autem mundus iste statum quem modo habet debeat deponere, et alium statum meliorem recipere, Dominus in Evangelio manifestat cum dicit: « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (*Matth.* XXIV). » Unde et Paulus dicit: « Præterit enim figura hujus mundi, et quod antiquatur et senescit prope interitum est (*I Cor.* VII). » Hinc Petrus apostolus dicit: « Adveniet autem dies Domini sicut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero ignis calore solventur. Novos vero cœlos, et novam terram, et promissa ipsius exspectamus (*II Petr.* III). » Inde etiam Joannes apostolus in Apocalypsi ait: « Vidi cœlum novum, et terram novam (*Apoc.* XXI). » Primum enim cœlum et prima terra abiit, et mare jam non est. Qui altiori sacramento refici desiderat, qui allegoricis sensibus instrui optat, si ei placet, potest referre allegorice istam statuam ad personam sanctæ Ecclesiæ. Quoniam igitur caput istius statuæ aureum esse dicitur, et quia Dominus Jesus Christus caput sanctæ Ecclesiæ appellatur, non immerito per caput aureum hujus statuæ, ipsum Dominum Jesum debemus intelligere. Sicut enim caput corporis principium esse non ignoramus, sic Dominum Jesum Christum caput esse et principium sanctæ Ecclesiæ non dubitamus. Præterea quemadmodum membra humana nostri corporis a capite reguntur, ita fideles Christiani, qui sunt membra sanctæ Ecclesiæ, a capite suo, scilicet Christo, si ei obediunt, ad salutem diriguntur. Per pectus autem statuæ hujus, bene quidem sanctos apostolos intelligimus, quia in pectore solent secreta consilia abscondi, et sancti apostoli secretorum Dei exstiterunt conscii. Unde et ad eosdem apostolos Dominus dicit: « Omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis (*Joan.* XV). » Et alio in loco: « Vobis, inquit, datum est nosse mysterium regni Dei (*Matth.* XIII). » Hinc est quod Joannes apostolus revera occultorum Dei reserator intimus, super pectus Domini Jesu recubuit, qui postea fontem divinæ sapientiæ, quem de eodem pectore hauserat, nobis eructavit. Per brachia vero quibus humani laboris fortitudo exprimitur, recte sancti martyres intelliguntur, qui pro amore cœlestis patriæ fortiter dimicaverunt, et usque ad sanguinis effusionem intentione gloriæ Dei sibi ipsis non pepercerunt. Per ventrem autem æreum, sanctos confessores et modernos Ecclesiæ doctores accipimus, quos repletos omni spirituali scientia et sapientia, et sancta prædicatione non ignoramus. Sicut enim in ventre concreti humores ex cibis superiores partes corporis et inferiores infundunt et nutriunt, sic sancti doctores vitas sanctorum qui ante eos fuerunt descripserunt, et nobis spiritales regulas secundum quas vivere debemus, tradiderunt. Sane, sicut aiunt qui lineamenta et naturam humani corporis diffiniunt, propago nostræ carnis de femoribus egreditur, et propterea ordo conjugatorum fidelium, qui in sancta Ecclesia continetur, per femora hujus statuæ intelligitur. Isti enim quibus concessa est facultas gignendæ prolis, sic utuntur in sacramento nuptiarum conjugalibus actis, ut tamen nullatenus Deum excludant ab habitaculo suæ mentis. Per tibias vero ferreas et fortes, intelliguntur religiosi viri cælibem vitam ducentes, quia sicut tibiæ totum corpus sustentant et portant, sic ipsi orationibus ad Deum fusis sanctam Ecclesiam adjuvant, et eam assiduis deprecationibus Deo commendant. In pedibus autem ferreis et fictilibus extrema et debilior pars, quæ in sancta Ecclesia est, debet intelligi. Illa scilicet pars quæ neque alligatur vinculo conjugali, neque renuntians mundo tradere se vult servitio Dei. Tales enim accepta libertate peccandi, quamvis se credere Deo confiteantur, tamen, nec pro timore, nec pro amore ejus, a peccatis cohibentur. Illi igitur quasi ferrei et fictiles sunt, quia, licet fidem habeant, tamen opera fidei nequaquam faciunt. De quibus bene Paulus dicit: « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant (*Tit.* I). »

ALIA ALLEGORIA.

Si essemus digni audire vocem illius tubæ cœlestis quam audivit Joannes, sicut ipse dicit in libro Apocalypsis, quæ ad eum loquta est, dicens: « Ascende huc et ostendam tibi quæ oportet fieri posthæc (*Apoc* IV), » et si cum eo ipso possemus esse in spiritu, hoc est, ex toto effici spirituales, ut nihil carnale, nihil terrenum 343 in nobis penitus remaneret, tunc possibilitas nobis subjaceret, quatenus figuram hujus statuæ allegorico sensu referremus ad textum totius divinæ Scripturæ. Igitur quoniam Genesis librum principium divinarum Scripturarum esse non ignoramus, non immerito per eumdem librum caput hujus statuæ intelligimus. Et quia Evangelium, quod Dominus Jesus Christus condidit, semper in Veteri Testamento absconditum fuit, sicut Ezechiel propheta testatur (cap. I), qui rotam in rotam, hoc est Evangelium in veterem legem se vidisse profitetur. Bene quidem Evangelium idem eidem libro Genesis in parte capitis sociamus, quia legem et Evangelium idem per omnia sonare, itidem prorsus continere, licet dissimilibus verbis, non dubitamus. Sicut ergo per librum Genesis, et per Evangelium, hujus statuæ caput intelligitur, sic justum est ut per libros prophetarum pectus ejusdem accipiatur. In pectore enim secreta consilia absconduntur, et sancti prophetæ secreta consilia Dei antequam evenirent, præscisse dignoscuntur. Unde unus ex eisdem prophetis dicebat: Consilium tuum, Domine, antiquum verum fiat (*Isa.* XXV): quia vero, ut supra jam diximus, in brachiis solet labor humanus designari, per librum Psalmorum possunt quidem recte brachia hujus statuæ præfigurari, quoniam quidem in eisdem psalmis persæpe mentio fit humani laboris, quemadmodum est illud: « Vide humiliatem meam et laborem meum (*Psal.* XXIV), » et: In labore h»-

minum non sunt (*Psal.* LXXII), » et alia multa his similia. Per libros autem Regum debemus intelligere hujus statuæ ventrem æreum, quia sicut in ventre multa occultantur, quæ foris non apparent, sic in libris Regum multa mystica et figurativa sunt, quæ adhuc nos latent. Et quia, sicut jam præfati sumus, de femoribus humana propago egreditur, non inconvenienter per Epistolas beati Pauli et aliorum apostolorum, femora hujus statuæ intelliguntur. Qui Paulus, licet usque ad tertium cœlum raptus sit, et quamvis secreta quædam, quæ ab hominibus non capiuntur in excessu mentis positus audierit, tamen ad disponenda carnalium conjugia humiliter descendit, dicens : « Vir debitum reddat uxori, similiter et uxor viro, et unusquisque suam uxorem habeat propter fornicationem (*I Cor.* VII). » Per tibias vero quæ totius corporis molem sustinere videntur, modernorum doctorum Scripturas nos oportet accipere. Quæ quidem bene ferreæ fuisse describuntur, quia sicut ferrum omnia domat, sic Scripturæ sanctorum, videlicet Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Gregorii, omnium hæreticorum dogmata destruunt et eliminant. In pedibus autem ferreis et fictilibus debemus interpretari doctrinas Catholicorum, simul et hæreticorum, qui erunt in novissimis diebus, quia sicut ferrum cum luto non valet solidari, sic doctrina orthodoxorum cum pravis dogmatibus hæreticorum non poterit concordari. Sicut enim dicit Paulus : « Quæ societas luci ad tenebras, aut quæ pars fideli cum infideli ? » (*II Cor.* VI.)

ALIA ALLEGORIA.

Si moraliter istam statuam discutere volumus, moralem intelligentiam in ea procul dubio reperiemus. Per aurum quippe, de quo caput hujus statuæ fuit, vera sapientia designatur, quæ in duobus verbis existit, scilicet ut a malo penitus declinemus, et quidquid boni agere possumus, non omittamus. Per pectus vero et brachia designantur cogitationes sinceræ et sancta opera, quia justum est, ut quidquid boni homo cogitat, illud sine dilatione opere adimplere satagat. Per ventrem quoque, qui nunquam evacuitatem cum salute potest pati, mens nostra signatur, quæ nullatenus a sanctis cogitationibus et spiritualibus meditationibus debet salubriter evacuari. Per femora ærea, de quibus mortalis propago egredi solet, nostra castitas figurari debet, per quam et Deo soli interius nos condecet placere, et hominibus exterius sine appetitu vanæ gloriæ bonum exemplum præbere. Per tibias ferreas, fortitudinem et patientiam nostram intelligamus, ut videlicet fortes in prosperis, patientes in adversis existamus, et genua debilia titubantium fratrum spiritu fortitudinis roboremus. Per pedes ferreos et fictiles gressus nostri possunt designari, quia et prava itinera debemus intente devitare, et rectas vias sollicite incedere, quatenus veraciter de nobis queat dici : « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini (*Psal.* CXVIII). » Longius igitur ab ordine expositionis digressi sumus, dum de statua illa mirabili, quam vidit Nabuchodonosor rex subtilius disputavimus. Sed jam idoneum tempus esse reor, ut ad id redeamus unde sumus digressi, et audiamus qualiter Deus omnipotens indicet Sponsæ Filii sui, ubi ipse pascat, et ubi ipse accubet : In meridie, id est in dilectione Dei et proximi. Superius ostendimus quomodo Sponsa sit allocuta Sponsum suum, dicens : *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie* (*Cant.* I) ; et qualiter idem Sponsus responderit Sponsæ suæ : Quoniam quidem in meridie pascor et accubo, id est in Patre meo, qui est verus meridies, maneo, sicut mansi ab æterno. Superest igitur ut Deus omnipotens respondeat Sponsæ filii sui, quomodo ipse similiter accubet et pascat, id est requiescit et manet 344 in meridie, hoc est in Filio suo, quem genuit ab æterno per omnia consimilem sibi. Quod autem Filius in Patre, et Pater in Filio ab æterno manet, omnis auctoritas, tam Novi quam Veteris Testamenti, consona voce prædicat. Unde idem Filius de discipulis in Evangelio dicit : « Pater, volo ut sicut tu es in me et ego in te, ita et ipsi in nobis unum sint (*Joan.* XVII). » Et illud ad Philippum : « Philippe, non credis quia ego in Patre et Pater in me est (*Joan.* XIV). » Sicut igitur superius Sponsa quæsivit, non solum a Sponso suo, verum etiam a Patre sui Sponsi, ubi pasceret et ubi accubaret, et illi responsum est ab utroque, quia in meridie, hoc est Pater in Filio, et Filius in Patre, sic et modo si eadem Sponsa quærere vult a Spiritu sancto, ubi ipse pascat, et ubi accubet, idem Spiritus sanctus ei respondebit, quoniam sicut ego a Patre et Filio ineffabiliter procedo, sic nimirum in ambobus pascor et accubo, id est requiesco, maneo, quia cum eis unus Deus sum sicut fui ab æterno.

RESPONSIO

DE SALUTE PRIMI HOMINIS

PROLOGUS.

Cum inter fratres meos de divinis plerumque Scripturis fabularer, et nihil sciens, scire tamen aliquid æstimarer : interrogatus sum ab eis aliquoties, nonnulla in quibus movebantur, quæ vel ad intelligendum difficilia, vel ad credendum eis non satis consentibilia videbantur. Quæ cum me nescire responderem, vel in præsentiarum non vacare, ut eis Scripturarum testimonia recenserem, hæc eis responsio non sufficiebat, sed me vel simulatæ ignorantiæ, vel occupatæ cujusdam tenaciæ charitas eorum arguebat, hoc enim est summi desiderii, si tamen ardenter inflammatur, ut fere patientiam nesciat, si paulum differatur; unde illud cujusdam æthnici non incongrue ventilatur : « Animo cupienti nihil satis festinatur (103) . » Ne ergo scire volentibus et inquirentibus, dum non respondeo, videar invidere, et eis quibus debeo si quid habeo, dum nil confero, merear displicere, congruum duxi quibusdam eorum inquisitionibus dictando potius colloquendo respondere, non quod præsumam eorum ad unguem solvere quæstiones, quod temerarium forte est polliceri, sed qualescunque reddere responsiones, quod facilius, si tamen juverit, Deus poterit adimpleri. Si autem quod scripsero, in manus vel aures cujuspiam venerit sapientis, ne, quæso, festinet præsumptuosum judicare, quod responsiones meas scripto voluerim commendare, quia, etsi hoc videbitur non necessarium eruditis, non erit tamen inutile mihi et mei similibus imperitis. Quia enim eorum, quæ forte utiliter cogito non est satis fida custos memoria, sed per lubrica quædam oblivionis in regionem pleraque diffugiunt perditionis : volui nonnulla eorum scripti vinculo innectere, ut eo ad memoriam fugitiva possem reducere. Viro autem sapienti et divinas Scripturas memoriter retinenti scriptum manans de paupere vena, non est, fateor, magnopere amplectendum, quod tamen simplicibus et minus eruditis, non est abjiciendum. Denique non est ascribendum præsumptioni, quod fraternæ humiliter impenditur dilectioni. Hæc (si videtur) sufficiant ad procœmium, ut jam prima responsio sumat exordium.

(103) Salustius.

345 CAPUT PRIMUM.

Quæritis, fratres, utrum primus Adam salvus habeatur, cum eum damnabiliter peccasse Genesis liquido fateatur; pœnituisse vero eum ibidem aperte non legatur. Illum quidem peccasse, omnes nos, non solum legendo, verum et experiendo scimus, cum et in hac vita misere vivendo, et de hac vita miserrime recedendo, peccati illius pœnam sentimus. Qui qualis fuerit ante peccatum formatus, et post peccatum qualiter deformatus, non est superfluum dicere, quamvis sciatur, cum ad id quod intendo, necessarium videatur. In eo quippe statu ille factus est homo, in quo nullus post eum factus est homo. Factus est enim mortalis et immortalis, mortalis quidem, ut posset mori, immortalis vero, ut posset non mori. Data est ei libera facultas peccandi et non peccandi, et utriusque rei apposita merces, moriendi et non moriendi ; ut videlicet si peccaret, mors sequeretur, si non peccaret, nunquam moreretur. Quia vero, ut postea scriptum est, « Omne animal diligit simile sibi (*Eccli.* XIII); » datum est ei adjutorium simile sibi (*Eccli.* XVII); » et ædificata est mulier, non aliunde quam de costa illius dormientis, ut ei naturali quodam affectu amabiliter sociaretur, et tali solatio frueretur. Positus est in paradiso, quæ diversi generis arboribus consita erat, ut earum et fructu vesceretur, et amœnitate delectaretur. Ubi et duo ligna inter cætera posita erant, quæ nominibus suis manifestare videntur quod erant; quorum unum lignum vitæ, alterum lignum scientiæ boni et mali appellabatur, ab effectu eo, scilicet quod talia operabatur. Concessum est igitur Adæ, ut de ligno paradisi comedens, famis molestias declinaret, de ligno vitæ, mortem et senium devitaret. Et ne in tanta gloria constitutus, sicut Angelus antea, temere superbiret, impositum est ei mandatum, cui salubriter obediret, ut qui cæteris in terra animantibus dignitate præesset, obedientiæ tamen jugo depressus, soli Deo subditus esset. Dictum est igitur ei quia de omni ligno paradisi comedens, solo fructu scientiæ boni et mali non vesceretur, quod si faceret, morte moreretur. Illud profecto lignum malum non erat, quod a bono Deo creatum erat; sed bonum erat homini creato obedire Creatori, ut

in gymnasio obedientiæ quodammodo exerceretur, et sic per meritum suum cœlestem gloriam consequeretur. Si enim in eo quod injunctum est ei, humiliter parmaneret, procul dubio post emeritam vitam cum Deo congruum videretur, sine interventu mortis in angelorum consortium transferretur; et desinens esse mortalis, quod erat, fieret immortalis aliter quam erat. Erat enim immortalis, ut tantummodo posset non mori; fieret autem immortalis, ut nullo modo posset mori. Quæ impossibilitas non esset languor aut vitium infirmitatis, sed vigor aut fastigium perfectionis. Jure igitur tali et tanto Creatori, tot et tantorum bonorum largitori, homo sic conditus debuit obedire, et patientia bona diligens, majora quæ promittebantur ambire. Quis autem digne possit vel exprimere verbis, vel mente cogitare, quantum ille peccavit, cum ab his omnibus declinavit, et deserto mandato Creatoris, deceptæ vocem audivit uxoris? Huic enim tantæ gloriæ, qua ille in præsentiarum lætabatur, et spe futuræ amplius gloriabatur, diabolus invidit, qui sicut scriptum est (*Joan.* VIII), ab initio homicida fuit, ex quo scilicet homo conditus fuit. Et quia veram, quæ Deus est, perdiderat vitam, huic eamdem voluit auferre, ne unde lapsus erat vitio superbiæ, illuc homo ascenderet merito obedientiæ. Quærens igitur gradus congruos ad illum dejiciendum, indutus est serpentem callidum, et in eo latens, primitus adiit mulierem, quam quia sexu noverat infirmiorem, ad peccandum speravit esse faciliorem. Ad quam veniens satis callide renovat memoriam divinæ jussionis, ne, cum illa postmodum argueretur transgressionis, patrocinio defenderetur oblivionis.

CAPUT II.

« Cur, inquit, præcepit vobis Deus ne comederetis de omni ligno paradisi? At illa: De omni, inquit, ligno quod est in paradiso, dictum est nobis ut vescamur; lignum vero scientiæ boni et mali interdictum est nobis, ne forte moriamur. Cui ille: Nequaquam moriemini. Scit quippe Deus quia quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii scientes bonum et malum (*Gen.* III). »

Deus, quis similis erit tibi? Quis in nubibus æquabitur Domino, aut quis similis erit Deo in filiis Dei? Credidit mulier deceptori, putans falsum esse quod dixerat Deus, verum autem quod asserebat hostis iniquus. Sed ne sola peccaret, accessit ad virum, et importunitate **346** feminea suasit ut ille fructu vetito vesceretur, et juxta serpentis vocem, sicut Deus efficeretur. Ille vero assertionem hujusmodi sciens esse mendacem, Deum vero in omnibus quæ dixerat procul dubio esse veracem; maluit tamen gerere morem uxori, quam illa offensa obedire Creatori. Eam enim quam lege maritali sociam sibi acceperat, non sustinuit uxorius contristari, sperans per pœnitentiam Deo se posse reconciliari. Hoc est quod Apostolus postea scripsit: « Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit (*I Tim.* II). » Seducta quippe est illa, cum, sicut prædixi, credidit non esse verum quod Deus dixerat; seductus non est ille in hoc quod scivit falsum esse quod serpens suaserat. Miser uterque. Quid enim detestabilius quam Deum mendacem æstimare? Item quid scelestius, quam contempto eo quem Deum veracem homo noverat, in blanditias muliebres declinare? Peccant utrique, et fructu vetito sine retractione vescuntur, et sicut serpens dixerat, oculi eorum aperiuntur. Quid est hoc? Nunquid antea non videbant? Nonne scriptum est: « Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, et tulit de fructu illius et comedit, deditque viro suo? » (*Gen.* III.) Et statim subinfertur: « Qui comedit, et aperti sunt oculi amborum (*ibid.*). » Aperti sunt ergo, non ad videndum quod antea videbant, sed ad discernendum quod antea nesciebant: scilicet quid intersit inter bonum quod peccando amiserant, et malum quod sentiendo invenerant. Plerique enim tunc melius perpendunt quam jucunda sit sanitas, cum gravis eos urget infirmitas. Unde et illa arbor scientiæ boni et mali appellatur, per cujus gustum talis scientia comparatur. Ultio enim divina, quæ nullam culpam relinquit inultam, colaphum statim incussit ambobus, et in membris, quæ pudenda dicuntur, pruritu libidinis percutiuntur, ut qui divinæ legi noluerunt humiliter consentire, legem carnis repugnantem legi mentis cogerentur sentire. Quo comperto, cum essent immortalitatis veste privati, nudos se esse erubuerunt, et fuga inita latere cupientes foliis fici pudenda texerunt. Et digne quidem inobedientia, quæ est inobedientiæ retributa, in locis humentibus præcipue dominatur, ut quia omnis eorum posteritas nævo transgressionis obligatur, in ipsis maxime hoc appareat membris, unde ipsa posteritas propagatur. Non solum enim homo seipsum, verum etiam futuros post ipsum tali reatu vinculavit, et qui per inobedientiam meruit mori, cæteros omnes compulit mori. Qui enim ante peccatum, etsi mortalis erat, tamen si non peccaret, moriturus non erat, quos per peccatum genuit, omnes ita mortales effecit, ut quantumlibet deinceps juste victuri, essent tamen necessario morituri. Nullus eorum quippe, sive peccet in similitudinem prævaricationis Adæ, sive non peccet, jam nunc evadit angustias mortis, cum de ipso Christo, qui peccatum non fecit, scriptum sit: « Et Domini Domini exitus mortis (*Psal.* LVII). » Quod si ille mandatis divinis obediret, neque ipse, neque de posteris quisquam in tantas miserias deveniret, imo nulla aliquando sentiretur ruina, cum hujus sola sit causa illius inobedientia prima. Verumtamen Deus, qui dives est in misericordia, hominem quem fecerat nolens perire sed redire; requirit eum ut corrigatur, arguit ut resipiscat, ostendens quod postea dicturus erat: « Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* XVIII). »

CAPUT III.

« Adam, inquit, ubi es? Et ille: Timui eo quod nudus essem, et abscondi me. Et Dominus: Quis indicavit tibi quod nudus esses, nisi quia de ligno vetito comedisti? Et ille: Mulier, inquit, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, et comedi (*Gen.* III). » Miser homo, cum suam solius culpam debuisset humiliter profiteri, et confitendo veniam promereri, nisus est eam retorquere in mulierem, et illa in serpentem, cum nullius ad peccandum suasio alterius sufficiens sit excusatio. Vir dixit se persuasum esse a muliere, mulier vero se deceptam a serpente. Et hoc quidem verum fuit, sed excusandum non fuit, ne peccatum quod pura et simplici posset ablui confessione, superflua duplicaretur excusatione. Eapropter sententiam pœnalem pariter exceperunt, vir nimirum ut panem suum comedat in sudore, mulier ut pariat cum dolore. Dein de paradiso ejecti sunt, et a ligno vitæ exclusi, et ne illuc facilis reditus concedatur, angelus habens flammeum gladium ante fores paradisi collocatur. Verumtamen ne spes redeundi omnino auferatur, idem gladius versatilis appellatur. Post hæc in eodem Genesis libro (cap. IV) nihil de Adam legitur, nisi quia cognovit Evam uxorem suam, et genuit Cain, et Abel, et Seth, et filios et filias, et vixit annis nongentis triginta, et mortuus est. Nunc igitur quærendum et diligentius perscrutandum est, si tamen adjuvet spiritus Dei qui omnia scrutatur etiam profunda Dei (*I Cor.* II), si forte ex ipsius ejusdem libri verbis aliquid nobis poterit intimari, unde illius hominis salus debeat æstimari. Quod posse fieri nequaquam asserere præsumpsissem, nisi ex aliis Scripturæ locis admonitus fuissem, ubi apertius dicta intelliguntur, quæ hic involucro litteræ conteguntur. Sic nimirum, sic aliam scripturam **347** alia scriptura reddit lucidiorem, et cum plura leguntur, non solum rudem quemlibet, sed etiam sapientem faciunt sapientiorem. Quia enim uno in loco non omnia dicuntur, vel quæ dicuntur obscure dicuntur, necesse est ut plura legantur, et ita illud Salomonis veridicum erit: « Audiens sapiens sapientior erit (*Prov.* I). » Denique et illa plerumque dulcius capiuntur, quæ de obscurioribus locis cum labore aliquo eliciuntur. Unde Propheta juxta aliam duntaxat translationem lætabundus canit Deo: « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel et favum ori meo! » (*Psal.* CXVIII.) Mel quippe illud quod nudum et apertum est appellatur, favus vero quod in cereis cellulis affabre compositis latitans inde cum labore aliquo eliquatur. Non ergo sufficit dicere eloquia Dei dulcia esse super mel, sed addit, et favum. In melle volens intelligi ea quæ in Scripturis sanctis sunt manifestiora, in favo autem quæ in eadem sunt occultiora. Nunc itaque ipsius Genesis verba quæ ad præsens negotium pertinent, breviter repetamus, ut de ipsis litteræ cellulis aliquid si Deus dederit eliciamus.

(104) Ovidius.

CAPUT IV.

« Vocavit, inquit, Deus Adam et dixit: Adam, ubi es? Et ille: Timui, ait, eo quod nudus essem, et abscondi me (*Gen.* III). » Miror si forte in hoc quod dicit Scriptura, vocavit Deus Adam, aliqua potest intelligi gratia, aliqua misericordia Creatoris, aliquis fructus, aliqua utilitas peccatoris. In multis quidem locis Scripturæ Deus vocare invenitur, ubi diligenter considerandum est quid vel ad quid vocare dicatur. Est quædam vocatio qua unaquæque res vocabulo suo sive proprio, sive communi vocatur, velut cum dicimus homo: iste Moyses, ille alius Aaron vocatur; vel: istud animal equus, illud autem leo vocatur, hoc est nominatur. Qua vocatione Deus in constitutione mundi firmamentum cœlum et aridam terram vocavit (*Gen.* I), quod nihil aliud sonat quam suis ea nominibus nominavit. Est et alia vocatio quam prophete nobis designat Aggæus imo per illum Deus: « Et vocavi, inquit, siccitatem super terram, et super triticum, et super vinum, et super oleum, et quæcunque profert humus (*Agg.* I). » Et David dicit: « Et vocavit famem super terram, et omne firmamentum panis contrivit (*Psal.* CIV). » Nullus, ut arbitror, tam puerili sensu est indutus, quamvis Scripturarum scientia non admodum sit imbutus, qui putet quod fames vel siccitas aliqua persona fuerit, quæ sermonem loquentis audire potuerit. Audire quidem proprium est rationalis vel saltem animalis creaturæ, fames autem et siccitas nullæ sunt creaturæ, imo pestis quædam et afflictio creaturæ. Tali autem errore antiquus gentilium populus tenebatur, qui hujusmodi passiones deos vel homines esse arbitrabatur, sicut quidam æthnicus (104) ait, quia famem quæsivit una de montanis deabus jussui Cereris obsequendo.

Quæsitamque famem lapidoso vidit in agro.

Quod ergo famem et siccitatem Deus super terram vocare perhibetur, nihil aliud mihi esse videtur, quam cum exigentibus culpis habitantes in terra Deus punire disponeret, jussit ut terram fames vel siccitas occuparet. Est et alia vocatio qua Deus legitur vocare homines, sed homine interposito nuntio; est et alia qua per se vocat homines sine aliquo hominum ministerio. Hæc igitur quadrifaria in Scripturis sanctis potest inveniri Dei vocatio. Prima quarum alio nomine dici potest nominatio vel appellatio, secunda jussio; tertia commonitio, quarta immutatio. Prima imponit vocabula rebus ut discernantur; secunda jubet ut homines puniantur, tertia commonet ut corrigantur, quarta infundit gratiam ut immutentur. Harum penultima qua per homines vocantur homines, quodammodo est generalis, pro eo scilicet quod impenditur tam bonis quam malis, ut quia homo perfecte non novit secretum Dei, omnes indifferenter vocet ad regnum, cum tamen aliis illorum Deus gloriam, aliis præparaverit ignem æternum. Hujusmodi æstimo esse illam vocationem, de qua legitur apud Salomonem: « Vocavi et renuistis. Ego quo-

que in interitu vestro ridebo (*Prov.* I); » et in Evangelio : « Multi vocati, pauci electi (*Matth.* XXII). » Quod enim intelligi debeat hæc vocatio per homines facta esse, quæ aliquando invenitur prodesse, præcedentia verba in utroque libro videntur ostendere si quis velit diligenter advertere. Sapientia, inquit Salomon, foris prædicat; « In plateis dat vocem suam (*Prov.* I). » Et paucis interpositis subjungit : « Vocavi et renuistis (*ibid.*), » etc. Sapientia Dei Filius est. Sapientia Dei Christus est, qui profecto foris dicitur prædicare, et in plateis dare vocem suam, cum missi ab eo prædicatores non cordibus, quod solius Dei proprium est, sed auribus hominum ingerunt verbum Dei, et in latitudine populorum quæ platearum nomine designatur clamant nec cessant, sicut tubæ exaltant vocem suam, studentes cum Apostolo plantare, rigare, nihil tamen proficientes nisi Deus intrinsecus loquens velit incrementum dare (*I Cor.* III). In Matthæo quoque ubi dictum est : « Multi vocati, pauci electi (*Matth.* XXII), » paulo ante in eodem capitulo præmissum est : « Ite ergo ad exitus viarum, et quoscunque inveneritis vocate ad nuptias. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt malos et bonos. Et impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Et statim ejecto illo, qui sine veste nuptiali invenitur (*ibid.*), » capitulum sic finitur: **348** « Multi autem sunt vocati, pauci vero electi. » Quod in Evangelio intelligitur per vias et exitus viarum, hoc apud Salomonem designari videtur nomine platearum. Hujusmodi est et illa apud Isaiam : « Omnes vos cæde corruetis, quia vocavi, et non respondistis, locutus sum, et non audistis (*Isa.* LXV). »

CAPUT V.

Ultima vocatio Dei est specialis, qua per se eo modo quem ipse novit, vocare homines reperitur, ubi nullus homo internuntius comperitur; aliquoties quidem aperte, sicut Moysen vocavit de rubo, multoties vero occulte, sicut millia millium a sæculo. Hæc autem huic vocationi specialis prærogativa assignatur, ut raro infructuosa inveniatur, imo (ut videtur) de illa propheta Joel per antonomasiam dixerit : « In monte Sion et in Jerusalem erit salvatio, et in residuis quos Dominus vocaverit (*Joel.* II). » Tantam quippe intelligi voluit hujus esse excellentiam vocationis, ut eam sequatur utilitas salvationis, et nihil sit aliud sic nos a Deo vocari, quam ad salutem efficaciter provocari. Unde, ut mihi videtur, divinæ scriptor historiæ id quod dictum est : « Vocavit Deus Adam (*Gen.* III), » non perfunctorie attendi voluit, sed in eo pium vocantis affectum, magnum vocati profectum intelligi debere commonuit. Quod si voluero vel potuero divinas Scripturas revolvere, et omnia loca in quibus Deus per se, sive aperte, sive occulte vocare legitur, ad medium ducere, et quanta sit hujus vocationis utilitas exponere; quantum æstimo, hæc adunatio tantæ erit magnitudinis, ut congruum excedat modum voluminis. Verumtamen ne videar loquaciter affirmare quod non possim aliquantisper demonstrare, quædam eorum quæ occurrunt memoriæ, ducam ad medium, ut sciat dilectio vestra in hac vocatione Dei non mediocre contineri beneficium.

CAPUT VI.

In Exodo legitur quia, « cum pasceret Moyses oves Jethro soceri sui, et minaret gregem ad interiora deserti, apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi; et videns ille rubum ardere, et non comburi : Vadam, inquit, et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus quod pergeret ad videndum, vocavit, inquit, eum de medio rubi, et ait : Moyses, Moyses? Qui respondit : Adsum. At ille : Ne appropies, inquit, huc; solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est. Et ait : Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob (*Exod.* III). » Vides in hac vocatione qua Deus vocat Moysen, magnam gratiam designari, cum ille qui de Ægypto venerat, jubetur discalceari. Quia enim calceamenta de mortuorum pellibus animalium efficiuntur, per ea non incongrue mortua opera, id est peccata, designantur, quæ procul dubio in Ægypto, hoc est in tenebris perpetrantur : « Qui enim male agit, odit lucem (*Joan.* III). » Volens igitur Moyses ire et videre visum, merito prohibetur, et quo ordine id fieri debeat divinitus edocetur, ut videlicet exuvias veteres, quas vivendo in Ægypto contraxerat, festinet deponere, et sic merebitur visionem divinam, vel potius ipsum Deum cognoscere. Unde illi quasi jam discalceato, vel potius ad discalceandum jam parato, quædam Dei cognitio confertur, cum subito subinfertur : « Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob (*Exod.* III). »

CAPUT VII.

In eodem Exodi libro, cum de faciendo tabernaculo fœderis et arca testimonii Deus ad Moysen loqueretur, et tanti operis artifex nusquam inveniretur, « Ecce, inquit, vocavi ex nomine Beseleel, filium Uri, de tribu Juda, et implevi eum spiritu Dei, sapientia, intelligentia, et scientia in omni opere, dedique ei socium Ooliab, » etc. (*Exod.* XXXI.) Et concludit : « Omnia quæ præcepi tibi, facient (*ibid.*). » Quid sibi velint hæc omnia quæ Beseleel dicitur facere, nec mearum est virium, nec hujus loci exponere. Verumtamen hoc dilectio vestra noverit, quia illos præcipue commendat propheta, qui memores sunt mandatorum Dei ad faciendum ea (*Psal.* CII). Unde colligi potest quia non infructuose a Domino Beseleel vocatur, cui datur et gratia ut faciat quod mandatur, præsertim cum impletus spiritu Dei dicatur ex nomine vocari, quod nisi de justis dictum raro potest inveniri. Non solum enim Dominus viam justorum, sed et nomina novit eorum. Unde et ad Moysen dicitur : « Novi te ex nomine (*Exod.* XXXIII). » Et propheta de Deo : « Qui numerat, inquit, multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocans (*Psal.* CXLVI). » Et in evangelica

parabola cum injusti divitis nomen tanquam incognitum taceatur, mendicus tamen ex nomine Lazarus appellatur (*Luc.* XVI).

CAPUT VIII.

In libro Regum primo, cum de mutando veteri sacerdotio tractaretur, et novum figuraliter ad medium duceretur, reprobato Heli, vetusto sacerdote, puer Samuel eligitur, et in hac electione divina vocatio non tacetur. « Dormiebat, inquit, Samuel in templo **349** Domini, ubi erat arca Dei; et vocavit Dominus Samuelem : Samuel, Samuel? Et ait Samuel : Loquere, Domine, quia audit servus tuus (*I Reg.* III). » Videtis hanc vocationem plenam esse cœlesti gratia, quam tam velox sequitur obedientia. Sicut enim nihil perversius quam nolle audire, sic nihil perfectius quam cito obedire. In Isaia cum introduceretur pater loquens ad filium, prænuntians quod erat futurum tanquam præteritum esset : « Ego, inquit Dominus, vocavi te in justitia, et apprehendi manum tuam, et servavi te, et dedi te in fœdus populi (*Isa.* XLII). » Paulo post, cum ad populum ex omnibus gentibus crediturum, ipse filius prophetice loqueretur, et eum vocando ad meliora misericorditer hortaretur : « Noli, inquit, timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo : Meus es tu. Cum ambulaveris in ignem, non combureris, et flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel salvator tuus (*Isa.* XLIII). » Et paulo inferius : « Audi me, Jacob et Israel, quem ego voco (*Isa.* XLVIII). » Et in sequenti capitulo ipse Christus : « Audite, inquit, insulæ, et attendite populi de longe, Dominus ab utero vocavit me (*Isa.* XLIX). » Et in Joel quod superius dictum est : « In monte Sion erit salvatio, sicut dixit Dominus, et in residuis quod Dominus vocaverit (*Joel.* II). » Et Zacharias : « Et vocavit me, et locutus est ad me (*Zach.* VI). »

CAPUT IX.

Quod si ad Novum Testamentum venire libuerit, invenietur et ibi Christi vocatio non esse otiosa, imo incomparabiliter fructuosa, dum nihil aliud videtur ejus esse vocatio, quam quædam gratiæ spiritalis infusio. Unde Matthæus evangelista cum de Jacobo et Joanne loqueretur : « Procedens, inquit, Jesus, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi et Joannem fratrem ejus, reficientes retia sua, et vocavit eos (*Matth.* IV). » Quid autem in hoc quod ait, « vocavit eos, » intelligi voluerit, id est cujus gratiæ hæc vocatio fuerit, manifestat cum subjungit : « At illi, relictis retibus et patre, secuti sunt eum (*ibid.*). » Sicut enim paulo ante Petrus et Andreas audito : « Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum, continuo relictis retibus secuti sunt eum (*ibid.*), » sic nimirum Jacobus et Joannes, relictis retibus et patre, secuti sunt eum, cum tamen talibus verbis non legantur fuisse invitati, sed tantummodo vocati. Hoc idem Marcus (cap. III) et Lucas (cap. V) testati sunt, qui de eorum vocatione locuti sunt.

CAPUT X.

Marcus evangelista cum catalogum apostolorum describeret : « Ascendens, inquit, in montem Jesus, vocavit ad se quos voluit ipse, et fecit ut essent duodecim cum illo et dedit illis potestatem curandi infirmitates, et ejiciendi dæmonia (*ibid.*). » Et enumerans singillatim eos quos Christus vocavit, ad Judam Iscarioth numerum terminavit. Si quis autem quærat quid gratiæ in hac vocatione idem Judas consecutus sit, cum certum sit quod aliis electis ipse reprobatus sit, sciat quod et ei non mediocris data est gratia, cum accepit potestatem cum cæteris curandi infirmitates et ejiciendi dæmonia. Illa vero gratia salutaris, quam his qui a Deo specialiter vocantur, æstimo conferri, ut mihi videtur, non ad Judam duodecimum, sed ad duodenarium numerum debet referri, ut ille intelligatur vocatus fuisse, ille vocanti placuisse. Quod, ni fallor, et ipse evangelista videtur latenter innuere si quis velit non perfunctorie verba ejus attendere. Cum enim dixisset : « Vocavit ad se quos voluit, » ipse subjunxit : « Et fecit ut essent duodecim cum illo. » Quia enim duodenarius apostolorum numerus magni sacramenti plenus fuit, ille procul dubio vocatus, ille electus fuit, nec est Juda cadente imminutus, cum pro eo alius sit substitutus. « Fecit, inquit, ut essent duodecim cum illo. » Magis quippe Mathias jam tunc erat cum illo, qui in secreto consilii sui jam electus erat ab illo; quam Judas Iscarioth, qui tantum ad oculum aliquantisper ambulavit cum illo. Adeo autem Christus secum voluit esse duodecim, ut nec Judas posset efficere, ut tantum essent undecim; sed eo ruente in præcipitium, sua tamen perfectio servavit duodenarium. Undenarius quippe transgressionis arguitur, duodenarius vero virtute perfectionis munitur, et ideo ne salubri numerus privaretur mysterio, non undecim tantum, sed duodecim permanserunt in ministerio. Si autem quod apud Marcum ponitur, « Vocavit » improprie positum intelligi debere quis dixerit, pro eo videlicet quod est, convocavit, ut per figuram quæ apheresis appellatur, diminutionem syllabicam verbum istud in capite pariatur, nulla jam quæstio de Juda remanebit, sed ad eum, quemadmodum ad cæteros convocatio, id est adunatio, pertinebit. Neque enim ejusdem sensum habere videtur, convocare et vocare, sed sive hoc modo, sive quolibet alio istud simplex componatur, nisi fallor, significatio aliquantulum immutatur. Ascendens Christus in montem duodecim discipulos convocare, id est adunare dicitur, quod apud alios evangelistas, Matthæum videlicet et Lucam, evidenter exprimitur. « Convocatis, ait Matthæus (cap. XV), duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos. » Et Lucas (cap. IX) : « Convocatis, inquit, duodecim apodedit **350** illis virtutem super omnia dæmonia, et stolis, ut languores curarent. » Non solum autem Judam, verum etiam blasphemos Judæos convocare Christus invenitur, ubi tamen nulla eorum utilitas

reperitur. Marcus in eodem capitulo de quo aliquantisper locutus sum, cum Scribæ qui a Jerosolymis descenderant, dicerent : « Quoniam Beelzebub habet, et quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia, convocatis, inquit, eis, in parabolis dicebat illis : Quomodo potest Satanas Satanam ejicere? » (*Marc.* III.) Et cætera. In qua convocatione nulla blasphemiorum utilitas declaratur, nisi forte subintelligatur quod apud Joannem aliquando legitur : « Et multi de turba crediderunt in eum (*Joan.* II). » Alia procul dubio est illa vocatio, alius vocationis effectus, de qua apud Joannem evangelistam dicit Martha ad Mariam : « Magister adest, et vocat te (*Joan.* XI). » Et infra idem Joannes : « Vocavit, inquit, Lazarum, et suscitavit eum a mortuis (*ibid.*). »

CAPUT XI.

Paulus quoque in fronte ejus quam ad Romanos scribit Epistolæ, quam cæteræ omnes sequuntur Epistolæ, se vocatum affirmavit, et hac affirmatione quidquid dicturus erat, quodammodo commendavit. « Paulus, inquit, servus Jesu Christi, vocatus apostolus (*Rom.* I). » A quo autem vocatus sit, Galatis scribens evidenter intimavit « Paulus, inquiens, apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis (*Galat.* I.) » Quanta gratia vel quo fructu vocatus sit, paulo post in eadem epistola declaravit : « Cum autem placuit ei qui me segregavit de utero matris mæ, et vocavit per gratiam suam ut revelaret in me Filium suum, ut evangelizarem illum in gentibus (*ibid.*). » Ne autem hæc gratia perfunctoria et inutilis putaretur, quia eo ipso Apostolo teste multi Christum per occasionem annuntiant et non caste, Timotheo scribens : « Collabora, inquit, Evangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia (*II Tim.* I). » Dicturus nimirum « et vocavit » præmisit, « liberavit, » ut plane innotesceret quam sancta, quam salutaris hæc esset vocatio, quam præcedit liberatio. Totam quippe massam humani generis primus Adam nævo transgressionnis involvit, unde quosdam prædestinatio Dei ea bonitate quæ sua est, absolvit; quos ab illo involucro absolutos, et in secreto consilii sui jam liberatos, postmodum vocavit vocatione sua sancta, hoc est, inspiravit, illuminavit cognitione sua, ut de eadem massa de qua secundum meritum fiebant vasa in contumeliam, fierent vasa in honorem natura non ablata, sed purgata per gratiam. Cujus divitias gratuitæ liberationis, et fructuosæ vocationis, ad Romanos loquens ita denuntiat : « Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam, quos et vocavit, nos non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus (*Rom.* IX). » Et ut quod dixerat, prophetico commendaret eloquio, subjungit, sicut in Osee dicit (cap. II) : « Vocabo non plebem meam, plebem meam; et non dilectam meam, dilectam; et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam; et erit in loco ubi dictum est : Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei (*ibid.*). »

CAPUT XII.

Per totum corpus Epistolarum suarum de hac vocatione Apostolus sæpenumero loquitur, nusquam tamen evidentius et brevius quam paulo ante ad Romanos, ubi quatuor divinorum beneficiorum gradus ita complectitur. « Nam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit (*Rom.* VIII). » Vides quia primum erga nos Dei beneficium est prædestinatio, qua nos ad vitam præordinamur æternam; secundum, vocatio qua invitamur et inspiramur ut vitam appetamus æternam; tertium, justificatio, qua peccatis remissis, vitam bene operando meremur æternam; quartum, glorificatio, quando justitia conversa in judicium, pacem et vitam possidemus æternam. Primum quidem apud ipsum fit, non in nobis; secundum ab ipso in nobis; tertium ab ipso, cooperantibus nobis; quartum ab ipso, jam emeritis nobis. Primum nos eligit antequam simus; secundum, admonet ut boni simus; tertium, efficit ut justi simus; quartum, ut gloriosi et immortales simus. Primum nihil est aliud quam divinæ veritas præscientiæ; secundum, infusio gratiæ; tertium, operatio justitiæ; quartum, retributio gloriæ. Primum, prænoscit longe post futuros; secundum, vocat immeritos; tertium, peccata remittens, merita donat; quartum, jam bene meritos sine fine coronat. Sicut igitur non glorificantur nisi justificati, nec justificantur nisi vocati, sic procul dubio non vocantur nisi prædestinati. Hæc est illa specialis vocatio Dei quæ nulli attribuitur nisi ei; qua non vocantur nisi qui futuri sunt sancti, qui juxta Apostolum (*Rom.* VIII), secundum propositum vocati sunt sancti. Non quidem secundum meritum suum, sed secundum propositum **351** Dei, quia « sine pœnitentia sunt dona et vocatio Dei (*Rom.* XI). » Quod si hac vocatione vocatum fuisse Adam liber Geneseos aperte non dicit, posse tamen intelligi non interdicit, nec illum a salute contendit excludere, cum potius verba ejus saluti illius videantur alludere.

CAPUT XIII.

« Vocavit, inquit, Deus Adam, et dixit : Adam, ubi es? » (*Gen.* III.) Magna dignatio Creatoris, quod plasma suum requirit, nec sustinet ut remaneat in latibulo iniquitatis, sed vult ut prodeat et redeat ad lucem veritatis. Hac incude, hoc malleo hujus inquisitionis, jam tunc sacramentum cudebatur nostræ reputationis, dum ille qui peccaverat vitio iniquæ consensionis, invitatur ad medelam dignæ confessionis, ut eodem ore quo contra salutem facta est injusta comestio, jam fieret ad salutem vera confessio. « Adam, inquit, ubi es? » Ac si dicat : Non expedit tibi ut diutius lateas, exi foras, progredere,

confitere, dic tu iniquitates tuas ut justificeris. Et ille : « Audivi, inquit, vocem tuam, et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me (*ibid.*). » Satis superque homo ante peccatum poterat gloriari, satis superque felix poterat judicari, cui tam innumera beneficia Deus contulerat gratis, cui se tanto astrinxerat vinculo charitatis. Ut enim cætera omittam quæ superius dicta superfluum est hic replicari, magna erat ei felicitas inter angelos conversari, magna denique gloria Deum visibiliter contemplari, qui cum sit invisibilis per naturam, visibilis erat ei per assumptam visibilem creaturam. Eo quidem modo Deum in paradiso positus homo videbat, quo postmodum patriarchæ veteresque justi cum adhuc in carne viverent, eum videre potuerunt, quem assumpta visibili specie tanquam angelum vel hominem sibi apparentem, Deum esse procul dubio cognoverunt. Unde et de Jacob scriptum est : « Ecce vir luctabatur cum eo usque mane (*Gen.* XXXII). » Et paulo post idem Jacob : « Vidi, inquit, Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea (*ibid.*). » Et Josue cum esset in agro Jericho : « Vidit, inquit, virum stantem contra se, et evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, et ait : Noster es an adversariorum? » (*Josue* V.) Et paulo post subditur : « Dixitque Dominus ad Josue. » Haud dubium quin is cui idem Josue loquebatur. « Gedeon quoque cum excuteret, inquit, et purgaret frumentum in torculari, ut fugeret Madian; apparuit ei angelus Domini, et ait : Dominus tecum virorum fortissime (*Judic.* VI). » Et paucis interpositis subjungitur : « Videnque Gedeon quod esset angelus Domini, ait : Heu mihi! Domine Deus, quia vidi angelum Domini facie ad faciem. Dixitque ei Dominus : Pax tecum; ne timeas; non morieris (*ibid.*). » Manue nihilominus appatuit angelus, de quo Scriptura : « Intellexit, inquit, Manue angelum esse Domini, et dixit ad uxorem suam: Morte moriemur, quia vidimus Dominum. Cui mulier respondit : Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocausta et libamenta non suscepisset (*Judic.* XIII). » Videtis quia quem Scriptura virum dicit vel angelum, eumdem appellat et Deum, ut ostenderet quia in viro vel angelo quoquomodo sibi apparente, homines intelligebant Deum, qui cum sit, ut dictum est, natura invisibilis, quibus tamen volebat, quomodo volebat, apparebat visibilis. Denique et Abrahæ tres viri, Lot vero duo angeli leguntur apparuisse, in quibus nihil aliud quam Deus intelligitur fuisse (*Gen.* XVIII, XIX). Hinc est quod illi primi homines, cum post peccatum se nudos cognoscerent, non ablatis vestibus quas antea non habebant, sed perdita sanctitate in qua creati erant, erubuerunt quidem, et a Deo videri timuerunt, quem, eo quo prædictum est modo, videre solebant, et ob id inter ligna paradisi ut absconderentur fugerunt, velantes ea quæ jam pudenda erant ficulneis frondibus, quæ perturbatis et fugientibus forte primitus occurrerunt. Si enim peccando et fugiendo potuerunt quidem efficere ut Deum non viderent, sed non potuerunt efficere ut laterent. « Oculi enim Domini, contemplantur bonos et malos (*Prov.* XV); » et « Vultus Domini super facientes mala (*Psal.* XXXIII). » Videt quippe ille etiam non videntes, consequitur quantumvis fugientes. Si enim certum est, ut ait quidam ethnicus (105), longas regibus esse manus, quanto magis Rex regum et Dominus dominantium, credendus est longas habere manus, quas nullus potest effugere, nisi ad ipsas velit refugere?

CAPUT XIV.

Hoc intelligens Adam cum audiret se requiri, noluit tacendo diutius latere, sed confitendo apparere. Et ait : « Audivi, Domine, vocem tuam, et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me (*Gen.* III); » ac si diceret : Scio quia cum intra fines meos obedientia versaretur, induebar stola immortalitatis, innocentiæ, sanctitatis; nec formidabam faciem tuam, cum in sancto apparerem tibi ad videndam virtutem tuam et gloriam tuam. Cum autem ruptis repagulis continentiæ corrui in præcipitium inobedientiæ, nudatus sum et confusus; et ut pudori meo invenirem qualecunque remedium, male doctus quæsivi latibulum. Et in hoc peccavi, et in hoc peccasse me confiteor. Confiteor, inquam, me peccasse, non solum comedendo, verum etiam abscondendo. « Quo ibo a spiritu tuo, et quo **352** a facie tua fugiam? » (*Psal.* CXXXVIII.) Fugiendum quidem fuit post peccatum, sed ad te, non ad me. « Ad meipsum enim turbata est anima mea, propterea deinceps memor ero tui (*Psal.* XLI). » Et Dominus ad cumulum debitæ confusionis et instrumentum emendationis, replicat miseriam et causam miseriæ, ut audiens homo quid fecerit et quid meruerit, amplius affligatur, et afflictus purgari mereatur. « Quis, ait, indicavit tibi quod nudus esses, nisi quia de ligno quod præcepi tibi ne comederes, comedisti? » (*Gen.* III.) Hoc est dicere : Quis incussit tibi nuditatis hujus notitiam, nisi quia non servasti obedientiam? Quia non permansisti in eo quod acceperas, sentis malum, et cognoscis quod ante non noveras. Et ille : « Mulier, inquit, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, et comedi (*ibid.*). » Tanta, inquit, fuit perversitas meæ voluntatis, ut eam ad peccandum suasio perfacilis inclinaret, et animum virilem feminea mollities enervaret. Dedisti mihi mulierem sociam quidem ad convivendum, non præviam ad peccandum, ut quæ conditione erat posterior, esset etiam dignitate inferior, et mihi imperanti obtemperans subderetur, et me tibi subditum sequeretur. Ego autem ordine converso et perverso, secutus sum præcedentem, audivi suadentem, non repuli offerentem, seductam non instruxi, sed meipsum destruxi; non seductus errore, sed inductus amore. Quod enim illa male credula persuasit, ego male uxorius consummavi, et ne illam contristarem, Deum meum contristavi; nec idee

(105) Ovidius.

minus peccavi quod sciens prudensque peccavi. « Dedit mihi, et comedi. » Ego, inquam, ego qui etiam comedentem debui prohibere, et jure potestatis a culpa revocare, non solum non prohibui, verum et comedi, adeo vinctus imo victus amore sòciali, ut me illi enerviter substernerem privatus rigore maritali. Si autem quod ait : « Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi et comedi, » aliquibus videatur non humilis fuisse confessio, sed quædam excusatio, ut quod divinæ jussioni contempsit obedire, non sibi totum, sed mulieri pariter conaretur ascribere; non audeo refragari, præsertim cum plerique sanctorum ita senserint, et in opusculis suis scriptum reliquerint. Potuit quidem in hoc falli, quia Deo tantopere displicere non putavit, quod in responsione sua mulierem accusavit, non æstimans sibi tam graviter imputari, quod, quamvis verum diceret, conatus est excusari. Qui igitur non est seductus in comestione, seductus est in excusatione, dum in illa Deum offendit non inscius, in ista vero nescius. Deo quippe, qui summa est æquitas, in excusatione peccati, nec ipsa placet veritas, nec vult ut culpam augeat incauta defensio, sed pura et simplex abstergat confessio. Restat igitur ut omni excusatione ablegata peccator dicat ei : Peccavi, Domine, miserere mei. Sed enim rudis iste athleta nullum super hoc documentum acceperat, nullius præcedentis exemplo instructus fuerat, et qui sciebat malum esse non obedire divinæ jussioni, nesciebat displicere quod verum est æternæ veritati. Noverat quippe apostatam angelum, quia non obedivit, corruisse, sed eum non intellexerat vera dicendo offensam incurrisse. Sive autem quod dictum est : « Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi et comedi, » hoc modo sive illo accipiatur, merito mulier arguitur, quod viro gustum mortis obtulit, et eum ad peccandum suadendo, blandiendo, quamvis ignara compulit.

CAPUT XV.

« Et dixit, inquit, Dominus ad mulierem : Quare hoc fecisti? Quæ respondit : Serpens decepit me, et comedi (*Gen.* III). » Et hoc quidem veraciter, etsi non sapienter, dictum est. Est enim decepta a serpente. Verumtamen nec transgredi per deceptionem, nec transgressioni superaddere debuit excusationem. Nec moveat quemquam si post vocationem qua dixi a Domino Adam fuisse vocatum, invenitur commisisse peccatum, cum non dixerim hoc illi vocationem conferre, ne omnino ulterius peccaret, sed ne in peccatis pertinaciter permaneret. Quis enim se tam parvo sensu induerit, ut dicat quod ille, postquam a Deo vocatus est, nullum peccatum commiserit, cum tanto postea tempore vixerit; qui illum per inobedientiam jam perdiderat statum, in quo si permansisset, nullum omnino sensisset peccatum? Quia vero illum perdidit, in hanc miseriam et miserandam decidit vitam, in qua jam non vivitur sine peccato; sed liberatur ab eo qui hac vocatione commendabili vocatur a Deo. Nostis profecto Moysen (*Num.* XX) post gratiam divinæ vocationis irritasse Deum ad aquas contradictionis, et ob id non intrasse terram promissionis, nec tamen exclusum a finibus æternæ benedictionis.

CAPUT XVI.

Et ait Dominus ad serpentem : « Quia hoc fecisti, maledictus es inter omnia animantia et bestias terræ (*Gen.* III). » Videtis quia serpentem, imo diabolum in serpente latentem, Deus nec quærit ubi sit, nec requirit quare hoc fecerit; sed quia hoc fecit, dignam ei maledictionem incutit; nec eam quasi minando futuram prænuntiat, sed affirmando præsentem denuntiat : « Maledictus es, » inquit. Quia enim ille non revocabatur ad spem veniæ, nec ei concedebatur spatium pœnitentiæ, **353** merito maledictus non fore, sed esse jam dicitur, qui et antea irremediabiliter peccaverat, et æternæ maledictionis pœnas incurrerat. Est procul dubio maledictus, tum quia adversus Deum se extulit per superbiam, dicens : « Ero similis Altissimo (*Isa.* XIV), » tum quia hominem dejecit per invidiam quem subditum videbat Altissimo. Ejpropter hæc iniquitas non inchoatio, sed adjectio est maledictionis, dum pro ea jam punitur atrocius, qui et ante puniebatur, sed forte remissius. « Maledictus, inquit, es inter omnia animantia et bestias terræ. » Animantia et bestias terræ, animales et bestiales, nihil cœleste, sed solum terrena sapientes, et ob id æternum maledictum incurrentes æstimo debere intelligi, de quibus Apostolus : « Quorum finis, inquit, interitus, et gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt (*Philip.* III). » Inter quos iste asseritur maledictus, hoc est, plus quam omnes maledicti maledictus. Sicut enim Virgo Maria prædicatur in Evangelio « benedicta inter mulieres (*Luc.* II), » hoc est plus quam omnes mulieres, ita et iste cujus invidia mors intravit in orbem terrarum (*Sap.* II), maledictus est inter omnes, hoc est plus quam omnes, qui extunc usque in finem maledicti inveniuntur in universo orbe terrarum.

CAPUT XVII.

« Super pectus, inquit, tuum gradieris (*Gen.* III). » Quoniam quasi serpenti loqui cœperat, metaphoram servat, et quid diabolo conveniat spiritaliter, in isto ostendit litteraliter. Pectus quidem domicilium cordis est et cogitationum. Pectoris igitur nomine non inconvenienter omnis perversus designatur, in quo diabolus libere volutatur. Et quasi super eum graditur, dum premens eum et opprimens, cogit semper terrenis incumbere, nec ad cœlestia permittit assurgere. Qui nimirum perversus, quia terræ semper inhæret, non jam terrenus, sed terra emphatice appellatur, quæ prædicto serpenti in escam conceditur, ut eam intra ventrem malitiæ suæ penitus absorbeat, et a luce justitiæ abscondens, involucro æternæ damnationis involvat; hoc est quod subditur : « Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ (*ibid.*). » Dies vitæ suæ, omne hoc tempus recte intelligitur, in quo accepit licentiam sæviendi, donec in finem collectis omnibus qui ex parte ejus sunt, ruent simul in tartarum æterna morte puniendi. Ne

autem de hac interim licentia gloriaretur, vel de eo quod mulierem deceperat, diutius lætaretur; subjungitur pœna qua etiam inpræsentiarum puniretur, dum nocendi semper æstuaret affectu, et tamen quandoque careret effectu : « Inimicitias, inquit, ponam inter te et mulierem, et semen tuum, et semen illius (*Gen.* III). » Semen diaboli est mala suggestio, cujus fructus æterna est damnatio, semen mulieris timor Dei, cujus finalis utilitas visio Dei. « Ipsa, inquit, conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo illius (*ibid.*). » Ipsa machinamenta tuæ suggestionis conteret ariete divini timoris, enervans fraudes tuas consilio prudentiæ suæ, reddens vicem malitiæ tuæ; ut a seducta seducaris, a prostrata prosternaris, et a fronte repercussus, calcaneo illius solummodo valeas insidiari, non prævalendo gloriari. Postquam diabolus æternæ maledictioni addicitur, utrique homini non eadem, ut videtur, maledictio, sed afflictio temporalis infligitur. Et quia mulier prior incurrerat culpam, prior pœnalem excipit sententiam, ut idem ordo in excipienda sententia teneretur, qui in culpa perpetrata fuisse cognoscitur.

CAPUT XVIII.

« Et dixit Deus mulieri : Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos. In dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui (*Gen.* III). » Hæc verba, si remoto sensu historico spiritaliter solummodo accipiantur, cuilibet sanctæ animæ, vel universali Ecclesiæ recte assignantur, cujus ærumnæ et conceptus multiplicantur, quæ parit filios in dolore, id est fructus bonorum operum cum labore, et sub viri, id est Christi, potestate famulatur, et ille huic justo ordine dominatur. Si autem historialiter intelligantur, non est absonum si Evæ specialiter convenire dicantur. Nam si hæc sententia generalis esse putatur, ut quod dictum est Evæ, omni mulieri convenire asseratur, huic opinioni, ut cætera taceam, obviabit partus Virginis Mariæ, quæ, etsi peperit, peperit tamen sine dolore. Quæ igitur dicta sunt Evæ, sive litteraliter, sive spiritaliter intelligantur, non omni mulieri conveniunt omnia, sed alii et alii, alia et alia. Quæcunque autem, vel ad ipsam mulierem, vel de ipsa muliere ad serpentem a Domino dicta sunt, eidem Evæ posse convenire credenda sunt, ut sicut ei dictum legimus : « In dolore paries filios, » et hoc verum esse non dubitamus, sic etiam quod dictum est ad serpentem : « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et ipsa conteret caput tuum, » de eadem dictum esse remota dubitatione credamus. Quæ igitur divina puniente justitia peperit filios in dolore, quæ est sententia pœnalis, eadem visitante gratia caput serpentis contrivit, quæ est victoria spiritalis. Et notandum, quia quod dictum est mulieri : « Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos. in dolore paries filios et sub viri potestate eris, » sensum recipit tam spiritalem quam 354 litteralem, ut hæc omnia mulier credatur et pertulisse realiter et complesse spiritaliter. Quod autem de ea dictum est ad serpentem : « Inimicitias ponam inter te et mulierem, ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus, » sensum excludens historicum, solum recipit mysticum, cum hoc satis inutile videretur, si secundum litteram teneretur. Quæ enim esset utilitas, si caput serpentis materialiter contereretur, cum ex hoc nullus animæ profectus haberetur? Illam ergo æstimo dici contritionem, de qua Paulus ad Romanos : « Deus conterat Satanam sub pedibus vestris velociter (*Rom.* XVI). » Unde est quod eadem mulier in sequentibus appellatur mater vivorum, id est bonorum operum, quibus contraria sunt peccata, quæ in Scripturis divinis plerumque designantur. Unde Apostolus ad Corinthios loquens : « Quid facient, inquit, qui baptizantur pro mortuis, id est pro peccatis? » (*II Cor.* XV.) Et ad Hebræos : « Fundamentum, ait, pœnitentiæ ab operibus mortuis (*Hebr.* VI). » Denique idem Apostolus, cum ad Timotheum de eadem muliere loqueretur : « Adam, inquit, seductus non est, mulier autem seducta in prævaricatione fuit; salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserint in fide et dilectione (*I Tim.* II). » Quam dixit seductam in prævaricatione, eamdem videtur dicere salvari per generationem filiorum, id est per exercitium bonorum operum, quæ intelliguntur nomine filiorum. Unde Psalmista : « Respice, inquit, in servos tuos et dirige filios eorum (*Psal.* LXXXIX). » Quod autem subjungit Apostolus (*I Tim.* II), de filiis, si permanserint in fide et dilectione, non est credendum quod hoc dixerit cum dubitatione. Causalis quippe conjunctio, quæ est (si) sicut aliquot in locis invenitur posita dubitative, sic in Scripturis tam divinis quam sæcularibus frequenter ponitur affirmative, etsi frequentius quando indicativo, tamen aliquoties quando adjungitur conjunctivo. Per Malachiam prophetam dicit Deus : « Si pater ego sum, ubi est honor meus? Si Dominus ego sum, ubi est timor meus? » (*Malac.* I.) Et poeta ille insignis ait : « Domini si qua est pietas cœlo (106); » non utique dubitans, sed affirmans pietatem esse in cœlo. Et Dominus in Evangelio : « In hoc, inquit, cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem (*Joan.* XIII), » sciens profecto, quia dilectionem haberent ad invicem. Ad intimandum igitur quod spiritaliter fieri volebat, Evam ducens ad medium, de illa dicit Apostolus, quod verum esse sciebat.

CAPUT XIX.

Audistis quid mulieri dictum sit; audite, si placet, quæ postea viro sententia illata sit. Sequitur in Genesi : « Adæ vero dixit : Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo. Spinas

(106) Virgilius.

et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris (*Gen.* III). » Maledictum, ut mihi videtur, omne peccatum designat nomine generali, quod in specie subauditur, ut unumquodque censeatur nomine speciali. Quod nimirum Osee propheta (*cap.* IV) videtur invenire, qui præmisso genere subsequenter aliquot ejus species curavit annectere. Maledictum, inquit, et mendacium, et furtum, et homicidium, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. Cum igitur homo peccavit, maledictum perpetravit, cui maledicto pœna debetur, ne ille de impunitate glorietur. Incutitur ergo ei, ut terra ejus, id est caro mortalis sit maledicta, id est pœnas maledicti luens, laboribus et ærumnis sit addicta. Hac locutione ipse etiam Christus dicitur maledictus, imo et maledictum, pro eo scilicet quod mortalitatis nostræ molestias pertulit, quas primi hominis intulit maledictum. Ad Galatas scribens Apostolus : « Christus, inquit, nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum (*Galat.* III). » Et ut quod dixerat probaret veridicum, testimonium subjungit propheticum : « Quia scriptum est, inquit : Maledictus omnis qui pendet in ligno (*Deut.* XXI). » Videtis quia Christus pendens in ligno, dicitur maledictum, vel maledictus, quod nihil est aliud quam pœnis quæ de maledicto veniunt, est afflictus. Simili tropo locutionis eumdem in Epistola ad Corinthios idem Apostolus peccatum dicit : « Eum, inquiens, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit (*II Cor.* V). » Inde est quod cum Deus diceret homini : « Maledicta terra, » addidit : « In opere tuo, » ut hæc maledictio intelligeretur afflictio esse terrenæ operationis, non æternæ damnationis. Superius quidem scriptum est quia « tulit Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum (*Gen.* III). » Ibi ergo etiam dictum est ut operaretur, sed in illo opere non afflictio sed delectatio, non miseria sed custodia continetur. Ad hoc quippe positus est in paradiso voluptatis, ut divinis perfecte inhæreret mandatis, ut Deo delectabiliter deserviret, et in ejus servitio perseverans, delectationem concessam indesinenter sibi custodiret. **355** Si enim in divino servitio teneret perseverantiam, nullam in omni opere suo aliquando sentiret molestiam. Hoc est quod dictum est : « Posuit eum in paradiso voluptatis ut operaretur et custodiret illum. » Illum, id est paradisum voluptatis, ne scilicet delectabilem statum perderet per negligentiam, quem retinere poterat per diligentiam. Nec moveat si hic vel in aliis divinæ Scripturæ locis paradisus invenitur esse generis masculini, cum apud modernos grammaticos asseratur esse feminini. Quod si placet grammaticis ut (illum) non ad paradisum, sed ad hominem referatur, non oportet contendere cum ab eodem sensu non longe propter hoc recedatur. « Posuit, inquit, Deus hominem in paradiso voluptatis ut operaretur. » Operaretur quidem homo, haud dubium quin mandatum quod accepit ut ei obediret, et illum sic operantem Deus procul dubio in ea voluptate in qua eum posuerat, custodiret. In quibusdam vero codicibus invenitur non (illum) sed (illud) ut operaretur, inquit, et custodiret illud. Positus est homo in paradiso voluptatis, ut operaretur quod mandabatur a Deo, et custodiret, illud videlicet opus suum, perseverans in eo. Tunc igitur terra hominis recte dici potuit benedicta in opere suo, cum nihil molestiæ, nihil afflictionis, nihil contradictionis sentiret in opere suo: quia nec peccatum, nec pœna peccati inveniebatur in opere suo. Nunc autem e regione merito dicitur in opere suo maledicta, cum in ea vel peccatum regnet si male vixerit, vel eam peccati pœna aggravet, etiamsi bene vixerit. Jam enim non vivitur sine miseria, sed Deo miserante quibusdam fit jam utilis ista miseria. Malis quidem tantummodo noxia est et pœnalis, bonis vero fructuosa est et medicinalis, Deo commutante quod malum est in bonum, dicente Apostolo quia « diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum (*Rom.* VIII). » Si enim in hac miseria bene vivatur ut non tanquam cubiculum diligatur sed tanquam stabulum sufferatur, si non contra Dei sententiam murmuratur, si ad æternam patriam suspiratur, procul dubio ipsa nostra miseria in meritum commutatur, et homo bene conditus in melius reparatur. Inde est quod Propheta dicit : « Qui fingis laborem in præcepto (*Psal.* XCIII). » Laborem quippe nostrum Deus format nobis in præcepto, cum mala quæ in hac vita vult ut sustineamus, vult etiam ut patienter sustineamus; et hujus bonum patientiæ pro merito computat obedientiæ. Eapropter cum dictum esset : « Maledicta terra in opere tuo, » adjunctum est : « In laboribus comedes eam, » hoc est in laboribus capies fructum ex ea. « Fuerunt, inquit, mihi lacrymæ meæ panes (*Psal.* XLI); » Et : « Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es (*Psal.* CXXVII). » Terra, inquit, tua non erit deinceps fructuosa si labore contempto esse voluerit deliciosa. Quod Apostolus figuraliter dicit : « Vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est (*I Tim.* V). » Vidua quidem caro nostra non incongrue dicitur, cum a spiritu tanquam marito legitime non regitur, sed male libera a lege spiritali in voluptatum suarum prostituitur lupanari. Vivens igitur sibi mortua est Deo, sicut econtra dicitur : « Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (*Col.* III). »

CAPUT XX.

« Spinas, inquit, et tribulos germinabit tibi (*Gen.* III). » Spinæ et tribuli quas germinat terra nostra, sollicitudines sunt et curæ quas nobis ingerit caro nostra, dum pro ea vel tuenda ne deficiat, vel fovenda, ut proficiat, spiritualia quæ præsto sunt utiliter disponere, quæ vero absentia sunt, satagimus prudenter acquirere. Quia enim hæc necessaria sunt, et sine his hæc vita non agitur, propter

hæc sollicitudine gravi nostra mens angitur, dum Deo aspirante cœlestia jam studet aspirare, et tamen cogente necessitate præsenti, quæ transitoria sunt plerumque compellitur cogitare. Verumtamen si hæc anxietas et cura certum modum, debitosque fines non transgrediuntur, si propter eas cœlestia non negliguntur, si ad appetenda illicita non extenduntur, si in his, etiam quæ licita sunt, discrete reprimuntur, utcunque tractabiles sunt, tolerabiles sunt : herbæ quodammodo sunt, etsi aliquantulum compungentes, non tamen obruentes, imo utilitati nostræ servientes. Propter hoc dicitur: « Et comedes herbas terræ (*Gen.* III); » tanquam diceretur : Temporales curas quibus in appetendo vel disponendo transitoria, laborabis, recides, ne luxurientur, depasceris et in usus tuos convertes, ut non ad interitum, sed ad profectum inflictæ videantur. Tunc enim spinæ et tribuli, non ligna trabalia, sed herbæ tractabiles imo et utiles inveniuntur, si temporales curæ non amore præsentium, sed in spe cœlestium tolerentur. Unde ad Romanos Apostolus dicit : « Vanitati creatura subjecta est, non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe, quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei (*Rom.* VIII). » Vanitati quippe creatura non volens subjicitur, cum temporalibus ærumnis homo non diligendo, sed obediendo affligitur, in quibus ne deficiat, imo ut proficiat, spe confortatur absolutionis, quia videlicet in libertatem gloriæ filiorum transiens, liberabitur a servitute corruptionis. Et bene herbarum nomine, qui cibus est animalium, temporales **356** designantur miseriæ, in quibus laborat et proficit vita fidelium, quia in quantum terreni et quasi animales sumus, terrenis alimentis indigemus : qui spirituales effecti, si tamen spirituales efficimur, cœlestis panis suavitate reficimur. Sicut enim herbis pascuntur animales, sic pane vescuntur spirituales, de quo ab Adam subjungitur : « In sudore vultus tui vesceris pane (*Gen.* III). »

CAPUT XXI

Potest et aliter intelligi quod dictum est : « Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terræ. » Spinæ et tribuli, tribulationes et suggestiones sunt peccati ; quæ de terra, id est de carne nostra pullulant, et eam de qua nascuntur, impugnant. Sicut enim de veste vel ligno vermiculus nascitur, per quem ipsa vestis vel lignum consumitur, sic de carne, suggestiones nascuntur peccati, per quas compungitur et plerumque consumitur ipsa caro peccati. Quæ cum in nobis peccandi movent affectum, si resistente viriliter spiritu non pervenerint ad effectum ; pungere quidem nos possunt, obruere non possunt, dum eas tanquam herbas devorat et atterit nostra prudentia adjuta per gratiam; quas nimirum trabes prementes et opprimentes invenimus per consensum et negligentiam. Ideo dictum est : « Et comedes herbas terræ. » Herbas quippe amaras et asperas peccati, videlicet illecebras profert terra nostra, quas ne proficiant, et de tribulis, ligna trabalia fiant, admonemur comedere, hoc est, ore consumere. Quid est ore? Jejunio et oratione. Qui enim contra exactiones ventris et gutturis, contra incentiva libidinis orationem et jejunium non studet opponere, seipsum illis enerviter convincitur supponere. Quod autem hujusmodi armis nostri subnerventur inimici, Balac filius Sephor rex Moabitarum eleganter signavit in libro Numeri. Qui cum videret Israeliticum populum intrare fines Moab, recolens quomodo ille Seon regem Amorrhæorum, et Og regem Basan vicerat, et omnes reliquos per quos transierat, perterritus dixit majoribus natu Madian : « Ita delebit hic populus omnes qui commorantur in finibus nostris quomodo solet bos herbas usque ad radices carpere (*Num.* XXII). » Quia bos mactari solebat in sacrificio, non incongrue bos ille est, qui dicit : « Castigo corpus meum et servituti subjicio (*I Cor.* IX). » Quod convenire videtur jejunio. Herbas autem usque ad radices carpit, cum vir sanctus motus carnis suæ et impetus juventutis, ne luxurientur, oratione consumit; ut et si non potest non esse, non tamen regnet peccatum in suo mortali corpore. Bos igitur est, et herbas carpit, qui jejunando et orando insurgentia vitia reprimit, ne de radice lutulentæ carnalitatis, pullulet et silvescat arbuscula pravitatis. Merito timuit Balac posse vinci populum suum, Madianitas videlicet et Moabitas quomodo victos fuisse noverat Amalecitas. Non enim latebat eum, quia cum egressus de deserto Sin populus Israel castrametaretur in Raphin et occurreret ei Amalech, Moyses habens virgam Dei in manu, ascendit in verticem collis, et elevans manus, sustentantibus eas Aaron et Hur, non cessavit orare usque ad occasum diei, donec, sicut scriptum est (*Exod.* XVII), fugaret Josue, Amalech et populum ejus in ore gladii. Hujus autem effectum victoriæ Balac prudenter intelligens, meritis assignabat, non viribus ori : non manibus, orationi et jejunio, non hastæ et gladio, memoriter tenens quod prædicari audierat, quia cum levaret Moyses manus in oratione, vincebat Israel, sin autem paululum remisisset, prævalebat Amalech. Denique in alios populos innumerabiles præ multitudine licet instructos armis, multoque vallatos munimine, noverat Israeli succubuisse, cum ille, etsi non merito, tamen numero longe inferior videretur fuisse. Tale quid commendare videtur Evangelium : « Hoc genus, inquiens, non ejicitur, nisi per orationem et jejunium (*Matth.* XVII). » Ideo et Christus iturus ad passionem : « Orate, inquit, ne intretis in tentationem (*Luc.* XXII). » Laborantibus autem et sudantibus in agone jejunii et orationis, grata debetur panis refectio, ne laboris continui opprimantur fastidio. Interna enim refectione confortati dum ad sperandum cœlestia dulcius animantur, ad perferendas temporales molestias fortius roborantur.

CAPUT XXII.

Ideo sequitur : « In sudore vultus tui vesceris

pane (*Gen.* III).» Non additur : Quo pane, sed tantum in sudore vultus tui vesceris pane. Ille ergo panis per antonomasiam intelligitur, de quo alibi mystice legitur : « Panem de cœlo dedit eis manducare (*Joan.* VI).» Iste nimirum panis, infusio vel refectio est spiritualis, qua homo noster interior renovatur, proficit, vegetatur, cum iste exterior corrumpatur, et temporalibus assidue miseriis affligatur. Iste est panis de quo in oratione Dominica dicimus : « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie (*Matth.* VI), » qui omni die est necessarius, sine quo nullo die, nullo tempore vivitur, si tamen bene et spiritaliter vivitur. Qui autem spiritaliter non vivit, etsi vivere videtur, non vivit. Iste panis divinæ suavitatis est gustus, de quo Propheta : « Gustate, ait, et videte, quoniam suavis est Dominus (*Psal.* XXXIII).» Cujus suavitatis dulcedo quanta sit, **357** sentiri quidem potest, sed dici non potest. Et mirum in modum cum mens ad capiendum sit plerumque diffusa, ad enarrandum sibiipsi videtur conclusa, nec datur facultas disserendi, cum tamen adsit gratia sentiendi. Ad hunc vero ineffabilem dulcorem non venitur nisi per laborem, nec percipit fructum tantæ suavitatis qui non sudat et laborat in agone sanctitatis. Labor iste jejunium est, vigiliæ, lectio, oratio, meditatio, compunctio, ploratio, in quibus laborare nos convenit in hac regione mortuorum, si vesci et refici pane volumus angelorum. Cum autem venerimus in regionem vivorum, vescemur quidem eo pane, sed jam sine labore et sudore, quia ista refectio in hac vita laboriosam habet inchoationem, in illa vero gloriosam consummationem. Ideo dictum est : « In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es. » Hoc est dicere : Tam diu laborandum est tibi, ut isto pane vescaris, donec in terram, de qua sumptus es, revertaris, id est donec morte accedente fias terra inanimata, sicut spiritu nondum accedente fuisti primitus terra inanimala. Post solutionem vero corporis desines laborare, plenius invento quod hic mereueris prægustare, fruens pane jam sine molestia, dum hac vita finiente finietur et miseria. Sequitur: *Et fecit*, etc.

CAPUT XXIII.

« Et fecit Deus Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas et induit eos, et ait: Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis sciens bonum et malum (*Gen.* III). » Quia pelles mortuis pecoribus detrahuntur, non incongrue in tunicis pelliceis mortalitas corporis designatur, quæ illis incussa est, cum merito inobedientiæ stola immortalitatis nudarentur. Ipso igitur habitu corporis pœna signata est ipsius corporis, dum qui mortales vel potius morituri jam erant, mortuorum pellibus vestiuntur, qui nudi extenus fuerant, et tamen vestibus non egebant. Sic nimirum hujusmodi vestimentum factum est illis non solum novæ turpitudinis necessarium tegumentum, verum etiam infirmitatis suæ medicinale monimentum, dum hoc intuentes, unde et quo venerint admonentur, et hac admonitione ne iterum superbiant, reprimuntur. Eapropter, ut arbitror, et Joannes Baptista zonam pelliceam circa lumbos legitur habuisse (*Matth.* III), ut scilicet ex traduce peccati se venisse mortalem recoleret, et de eo quod Christus putabatur minime superbiret. Ut autem tumori noxio mordacius epithema medicus cœlestis apponeret, cum induisset illos vestimentis pelliceis, adjungit: « Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis, sciens bonum et malum. » In eo quod dicitur « ex nobis » Trinitas intelligitur in qua est numerus pluralis, in qua et Pater est Deus, et Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus, quamvis simul non tres dii, sed unus sit Deus. « Factus igitur tanquam unus ex nobis, » hoc est dicere: Factus est Deus quod est singulus quisque ex nobis. In quo dicto videtur quodammodo insultare superbiæ peccatoris, insuper et timorem incutere peccatnris, ostendens quia homo non solum non est adeptus quod male concupivit, sed nec illud quod bene acceperat, custodivit. « Factus est quasi unus ex nobis, sciens bonum et malum; » tanquam diceret: Dum perverse appetit esse tanquam Deus, ecce ad hoc recte redactus est, ut sit tanquam equus et mulus, et dum injuste Creatoris ambit divinitatem, juste ad bestiarum devolutus est mortalitatem. Jam scit homo bonum et malum, quod utrumque et ego novi, sed illud amittendo, istud experiendo, qualiter ego non novi. Scio quidem bonum, sed semper habendo, scio et malum, sed nunquam experiendo. Adam vero dum sciendo bonum et malum, vult effici similis Deo, sciendo utrumque longe factus est ab eo, dum alterum scit amittendo, alterum vero pro meritis patiendo. Potest et aliter intelligi quod dictum est: « Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis, » ut non ironia vel insultatio æstimetur, sed dictum potius serio reputetur. « Ecce, inquit, Adam factus est quasi unus ex nobis, » id est revera unus extra nos. « Quasi » aliquando similitudinem, aliquando rei exprimit veritatem. Similitudinem cum dicit Petrus: « Quasi modo geniti infantes lac concupiscite (*I Petr.* II). » Rei veritatem cum dicit Joannes: « Et vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti a Patre (*Joan.* I). » Unus ex nobis, id est unus factus extra nos, sicut dicitur: Unus ex consulibus, qui aliquando consul fuit, et jam non est, qui apertius et usitatius, exconsul appellatur. Sicut enim qui consulatu fungitur dicitur consul, sic nimirum qui eodem privatus est, appellatur exconsul; sic etiam exepiscopos, exabbates, exadvocatos dicimus, qui hanc aliquando dignitatem habuerunt, et jam deposuerunt. Adam vero ad hoc factus est ad imaginem Dei, ut et ipse Deus esset cohærendo semper ei. « Qui adhæret, inquit, Deo, unus spiritus est (*I Cor.* VI). » Quandiu igitur obediens Patri et Filio et Spiritui sancto mansit in eis, Deus, procul dubio fuit et ipse cum eis, quamvis non substantive, sed nuncupative, non natura, sed gratia, non sui merito laboris, sed beneficio Creatoris. Postquam autem vetitum comedens voci uxo-

ris obedivit, a consortio illorum miserandus exivit, et qui per justitiam unus erat in eis, id est inter eos, per injustitiam factus est unus ex eis, id est extra eos. **358** Cohærendo quippe Deo erat Deus; recedendo autem ab eo, factus est non Deus, quod expressius diceretur, si tamen usus loquendi pateretur, exdeus. Sicut enim dicitur exconsul, qui aliquando fuit et jam non est consul, sic si usus loquendi haberet, convenienter dici posset, exdeus, quia aliquando fuit, et jam non est deus. « Ecce, inquit, Adam factus est quasi unus ex nobis; » ac si diceret: Revera in eo quod sumus permanentibus nobis, Adam qui etiam Deus erat, exivit ex nobis, « et factus est sciens bonum et malum, » non quomodo antea sciebat et nos etiam scimus, sed quomodo nunquam scierat, nec nos utique scimus.

CAPUT XXIV.

« Nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et comedat et vivat in æternum, emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est, et collocavit ante paradisum cherubim et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ (*Gen.* III). Quia per lignum vitæ, sicut superius dixisse me recolo, Adam prius mortem vitabat et senium, nunc vero peccando mortis incurrerat meritum, ne tangat ut antea idem lignum, ejicitur de paradiso voluptatis, ut tam loco quam merito elongaret a statu pristino immortalitatis. Quod ut mihi videtur divinæ potest misericordiæ assignari, quod peccatum hominis Deus hac pœna voluerit annullari, ut per mortem corporis homo purgatus rediret ad vitam, ne post peccatum semper vivens et semper peccans, semper miseram duceret vitam. Si enim post peccatum, homo corporaliter immortalis maneret, et nulla ejus peccatum mors interveniens aboleret, similis esset diabolo, qui post peccatum immortaliter vixit, et a morte peccati nunquam revixit. Utiliter ergo homo ad horam excluditur a ligno vitæ, et interponitur cherubim, quod est, *plenitudo scientiæ* et flammeus gladius, id est tribulationum angustiæ, ut per plenitudinem scientiæ, per quam charitas designatur, et per mortis angustias, ad lignum vitæ, qui Christus est, redeatur. Ideo nimirum et ipse gladius dicitur non fixus et immobilis, sed licet flammeus, tamen versatilis: ut redire ad vitam sit quidem difficile, sed tamen possibile. Audistis, fratres, quid in Genesi primo legatur, quæ pœna peccati merito infligatur, quis ad vitam reditus concedatur. Quod ideo volui commemorare, ut attendat dilectio vestra quia Scripturæ verba æternum ejus interitum non videntur sonare: sed sicut peccatum ejus et mortem sine aliqua ostendunt dubitatione, sic pœnitentiam et vitam, etsi occulta, non tamen nulla insinuant attestatione. Scio quidem, nec quemvis æstimo dubitare quæ post peccatum de eo dicta sunt, ejus posteritati veraciter convenire, ut ipsa per peccatum illius de immortalitate paradisi ejecta, et in hanc regionem mortis projecta, spinas et tribulos sollicitudinum et peccatorum patiatur, ipsa in sudore vultus, pane, sive temporali, sive spiritali vescatur, ipsa in terra de qua sumpta est moriendo revertatur; ipsa denique per dilectionem et tribulationem tanquam per cherubim et gladium in paradisum reversa, ligno vitæ, id est Christo pane vivo sine fine fruatur. Quod autem posteritati, ut dixi non incongrue assignatur, quis obmurmurare audeat, si etiam eidem convenire dicatur, ut ipse et peccando mortem incurrerit, et post peccatum pœnitendo ad vitam redierit? Consentiat, imo congaudeat huic sententiæ affectus pietatis, cum ab hac non discordet, imo concordet, regula veritatis. Unde et David, accepta promissione divinæ largitatis super longævitate suæ posteritatis, cum ingressus coram Domino sese humiliaret, ipsumque Deum pro collatis sibi beneficiis humiliter collaudaret: « Quis ego sum, inquit, Domine Deus, et quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque? Sed et hoc parum visum est in conspectu tuo, Domine Deus, nisi loquereris de domo servi tui in longinquum (*II Reg.* VII). » Et adjunxit: « Ista est enim lex Adam Domine Deus (*ibid.*); » ac si diceret: Erga homines misericorditer agere, non modernis temporibus inchoasti, sed te misericordem primo etiam homini demonstrasti, qui ea lege vixit, ut cum mereretur supplicium, inveniret beneficium, nec eum pro meritis a tua gratia repulsares. sed ad tibi serviendum beneficiis revocares; sicut et mihi hodie, Domine Deus, beneficia confers indebita, cujus non præcesserunt merita. « Ista est lex Adam, Domine Deus. » Ista, scilicet, ut tu homini miserearis immerito, et homo tibi serviat ex debito. In Osee cum ostenderet Dominus quanto amore filios Israel dilexerit, et errantes ad se reduxerit, sic ait: « In funiculis Adam traham eos, in vinculo charitatis (*Osee* XI). » Quod est dicere: Eo funiculo et vinculo charitatis, quo Adam peccantem non neglexi, sed correxi, non permisi ut male profugus errando disperiret, sed ligavi et attraxi ut rediret; eo, inquam, vinculo charitatis et filios Israel peccantes alligavi, alligatos revocavi, ut per aspera et ardua pœnitentiæ, ad viam remearent salutis, ne per declivia perversæ libertatis dispendium incurrerent servitutis. Si autem aliquis æstimaverit et dixerit testimonia hæc quæ de Adam protuli, posse de primo homine non intelligi, sed tantum de homine, ut ibi Adam pro eo quod est homo positum accipiatur; non est arguendus falsæ opinionis, cum hoc **359** forte collegerit ex scientia lectionis. Legit enim forte quia quod David dicit in libro Regum: « Ista est lex Adam, Domine Deus, » Hebræorum traditio ita exponit: « Ista est lex hominis, Domine Deus. » Item quod nos habemus in Osee: « In funiculis Adam traham eos: » Septuaginta et alii interpretes transtulerunt, Hieronymo teste: « In funiculis hominum traham eos. » Potest ergo generaliter hic accipi homo vel homines, nec tamen contradicit quin specialiter primus ille homo vel primi intelligantur homines.

CAPUT XXV.

Inveni aliud testimonium in quo primus ille homo satis evidenter ostenditur, etsi nomen ejus proprium ibidem non dicitur. Liber ille, qui inscribitur Sapientia, si ad medium deducatur, patet quia ejus, qui primus formatus est, hominis salutem attestatur. Qui cum sapientiam commendaret, et per eam sanatos esse, quicunque Deo a principio placuerunt, affirmaret, adjunxit : « Hæc illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum cum solus esset creatus, custodivit, et eduxit illum a delicto suo, et dedit illi virtutem continendi omnia (*Sap.* x). » Quæ verba nulli melius quam ipsi Adæ convenire beatus Augustinus videtur asserere, ubi ad Evodium scribens epistolæ suæ eadem verba voluit inserere. De illo, inquit, primo homine patre generis humani, quod eum Christus de inferno solverit tota fere Ecclesia consentit, quod eam non inaniter credidisse credendum est, undecunque hoc traditum sit, etiamsi canonicarum Scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas. Quanquam illud quod in libro Sapientiæ scriptum est : « Hæc illum qui primus formatus est a Deo, pater orbis terrarum cum solus esset creatus custodivit, et eduxit illum a delicto suo, et dedit illi virtutem continendi omnia, » magis pro hac sententia quam pro ullo alio intellectu facere videatur. Nec moveat quemquam si in tertio decimo libro de civitate Dei, vel forte alibi legerit quod idem Augustinus dicit factum esse Adam inobedientem usque ad mortem, tanquam per hoc intelligi voluerit quod ille nunquam resipuerit, sed permanserit et pertinax fuerit in sua inobedientia usque ad mortem. Quod si ita esset æternam procul dubio nunquam evaderet mortem. Qui enim non resipiscit ante mortem nihil aliud quam æternum supplicium invenit post mortem. Hoc autem de illo sentire, quod est aliud, quam ab eo dissentire, cui totam, ut ait, noverat Augustinus Ecclesiam consentire? Quod ergo ibi dicit, quia eo detestabilior fuit inobedientia Adæ, quo factus est inobediens usque ad mortem, ut mihi videtur, non temporis vel tantæ illius ætatis prolixitatem, sed ipsius inobedientiæ signavit quantitatem, quod videlicet tanta illa inobedientia fuerit, ut mortem meruerit. Nam cum omnis inobedientia mala sit, certum est tamen quod alia multo pejor, alia multo pessima sit. Ubi enim res facilis imperatur, et transgredienti mortem imperans, comminatur ; si tamen servus mandatum contemnat, mortale procul dubio peccatum incurrit, et tanto graviores pœnas debet subire, quanto facilius potuit obedire. Merito ergo Adam, quia leve mandatum et grave supplicium contempsit, dicitur factus inobediens usque ad mortem, non permanendo impœnitens usquequo moreretur, sed in tantum peccando, ut mori mereretur. Peccare enim usque ad mortem, hoc est peccando mereri mortem. Si quis ergo nunc etiam vel homicidium, vel adulterium, vel quodlibet aliud grave peccatum commiserit, recte usque ad mortem peccare dicitur, nec tamen per hoc a peccante excluditur pœnitudo, sed ipsius peccati exprimitur magnitudo. Simili modo per contrarium et Christus legitur « factus obediens usque ad mortem (*Philip.* II), » hoc est tantam obedientiam Patri exhibuisse, ut eum judicarent Judæi mortem meruisse. Unde cum fixus maneret et constans in faciendo mandatum Patris, clamaverunt : « Reus est mortis (*Matth.* XXVI). » Et cum Pilatus parcere vellet ei, responderunt : « Nos legem habemus, et secundum legem debet mori (*Joan.* XIX). » Qua autem morte dignus esset, non tacuerunt clamantes : « Crucifige, crucifige (*Luc.* XXIII). » Hoc est quod Apostolus dicit : « Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II). » Licet enim Christus in sua permanserit obedientia usque ad exitum hujus vitæ, et ideo dici possit : « Factus obediens usque ad mortem, » melius tamen videtur, si, ut prædictum est, intelligatur, ut scilicet per hoc Apostolus signare voluerit obedientiam illius, non quidem longam quæ multorum etiam est infirmorum, sed adeo perfectam et fortem, ut contempserit vel meruerit mortem. In hac quippe mortali vita, ubi multa sunt impedimenta, fortitudo præcipue commendatur, quam si obedientia usque ad contemptum vel meritum mortis tenuerit, merito prædicabilis judicatur. Post hanc vero vitam et obedientiam excipiet dierum indeficiens longitudo, et hujusce non erit necessaria fortitudo, quia et sine fine, bono servo Dominus imperabit, et sine lucta bonus servus obtemperabit. Hæc longa et tranquilla et gloriosa ibi commendatur obedientia, ubi dictum est : « Cum tradiderit regnum Deo et Patri, tunc et ipse subjectus erit illi, qui illi subjecit omnia (*I Cor.* XV). »

360 CAPUT XXVI.

Fortitudinem vero, quam dixi huic vitæ necessariam, alibi quidam Sapiens commendare videtur, qui fiducialiter pollicetur : « Laudabit, inquiens, usque ad mortem anima mea Dominum (*Eccli.* LI). » Quid est laudabit usque ad mortem? Nunquid non laudabit et post mortem? Imo multo magis et post mortem. Unde prophetæ commonenti et dicenti : « Lauda, anima mea, Dominum (*Psal.* CXLV) » eleganter illa respondit : « Laudabo Dominum in vita mea (*ibid.*), » hoc est dicere : Quandiu sum in hac mortali vita, quæ mors potius dicenda est quam vita, (ubi quidquid Deo laudis impenditur, in comparatione futuræ laudis pro nihili ducitur) eum, qui sicut scriptum est : « Deus est vivorum et non mortuorum (*Matth.* XXII), » non possum laudare, sed laudabo in regione vivorum, ubi vivam et vere vivam, quia sine miseria vivam. Quod ergo dicit Sapiens ille : « Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, » non longam, sed fortem laudem voluit designare, pro qua, et si non toleret, paratus est tamen ipsa mortis pericula tolerare. E regione Adam dicitur factus inobediens usque ad mortem, licet Deo miserante resipuerit ante mortem. Dicit etiam beatus Augustinus quibusdam in

locis ipsum Adam excepisse sententiam damnationis, non quod intelligat illum æternaliter damnatum, sed temporaliter cruciatum. Damnatio quippe non semper illa æterna, de qua dictum est : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV), » sed plerumque vel ipsa mors corporalis, vel quælibet intelligitur afflictio temporalis. Unde in libro Machabæorum secundo : « Menelaum, inquit, universæ malitiæ reum criminibus absolvit, miseros autem, qui etiamsi apud Scythas causam dixissent innocentes judicarentur, morte damnavit (*II Mach.* IV). » Et Origenes in quinta homilia super Lucam : « Zachariam patrem Joannis quia non credidit angelo, dicit esse damnatum silentio. » Damnatio ergo qua Adam damnatus est, illa videtur esse de qua superius dictum est : « Maledicta terra in opere tuo, spinas et tribulos germinabit tibi : In sudore vultus tui vesceris pane (*Gen.* III). »

A

B

CAPUT XXVII.

Denique et ille homo, qui juxta Evangelicam parabolam descendit de Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones (*Luc.* X), Adam fuisse intelligitur, et quod de illo dictum est, huic specialiter convenire asseritur. Quam parabolam cum super ipso Adam quidam sapiens interpretaretur; Jerusalem dixit esse paradisum, Jericho mundum, latrones contrarias potestates, vulnera inobedientiam, sacerdotem legem, leviten prophetas, Samaritanum Christum, jumentum corpus Christi, stabulum Ecclesiam, stabularium Ecclesiæ præsidem, duos denarios Patrem et Filium; reditum Samaritani, secundum Christi adventum. Quæ omnia Origenes in trigesima tertia homelia super Lucam dicit pulchre et rationabiliter dicta esse, et ea non omni homini, sed huic specialiter convenire. Et notandum quod illum non mortuum, sed seminecem latrones reliquerunt, qui, etsi delictorum vulnera crudeliter inflixerunt, non tamen spem sanandi eidem abstulerunt. Item Origenes in decima sexta homelia in Genesim, quod dicit : « Revocabo te inde in finem, hoc esse arbitror, quod in finem sæculorum unigenitus Filius suus pro salute mundi usque ad inferna descendit, et inde protoplastum revocavit. In hoc ergo verius quam in Jacob adimplebitur quod dictum est : Quia revocabo te inde in finem. » Augustinus in libro De baptismo parvulorum : « Sicut illi primi homines postea juste vivendo merito creduntur per Domini sanguinem liberati ab æterno supplicio. » Gregorius papa, cum in Registro de Adam loqueretur, ait : « Non est ejus anima ita mortua ut non esset, sed ita mortua, ut beata non esset, qui tamen Adam post per pœnitentiam rediit. » Quis de Adæ pœnitentia audeat dubitare, cum eam tam aperte Augustinus et Gregorius audeant affirmare? Joannes quoque episcopus, in sermone qui de lapsu primi hominis titulatur, salutem ejusdem hominis attestatur. Ait enim : Dominus Deus et sævitiam exsecratus est hostis, et casum miseratus est hominis, deceptum hominem paterna pietate condoluit. Denique Dominus Deus : « Ubi es, inquit, Adam? » Ad confessionem provocat, peccatum vult fateri, quærit misereri, veniam cogitat, objurgat culpam, ut possit retribuere veniam, ut quos formare non voluit instruendo, purgare possit confitendo. Et subjungit : « Accipiunt vestimenta pellicea, » ut qui confessi delictum jam fuerant, veniam cultus humilitate perciperent. Ostendit Dominus quidem beneficiis possint delicta purgari, ostendit confessione et deformitate cultus veniam posse facillime impetrari. Hæc sunt verba Joannis Chrysostomi de Adam. Quod ergo doctores ecclesiastici, imo tota, ut ait Augustinus, Ecclesia de illo sentit, debemus et nos sentire, unde nulla Scripturarum invenitur auctoritas dissentire. Denique Enchratitæ, qui et Tatiani dicti sunt hæreticæ pravitatis, teste Augustino, arguuntur, pro eo quod inter cætera quæ perverse et sentiunt et dicunt, saluti primi hominis contradicunt. Quia vero, ut verum fateor, **361** diutius quam proposueram, sum locutus, dum quæ dicenda sunt de Adam, etsi non ut debui, sum tamen ut potui prosecutus, jam tempus est ut calcem ponam huic meæ responsioni, cum ea quæ dicta sunt, fratrum possint sufficere inquisitioni. Sic ergo finem accipiat ista responsio : Transibo ad aliam, reparatus paulisper silentio.

C

D

RESPONSIO
DE DAMNATIONE SALOMONIS.

PROLOGUS.

Facile est de obscuris quibusilbet utcunque disputare; cum nullus disputanti præsumit obviare. Cum vero aliquid dubium in lucem producere quis conatur, et ejus conatibus aperte quilibet reluctatur : apud auditores major dubitatio generatur : dum cui potius credendum sit, ignoratur, nisi forte alter eorum pluribus et validioribus testimonis convincatur. In hac igitur secunda responsione, orandus est Deus, ut gressus meos dirigat in semita veritatis et vera quæ dixero, muniat invictæ patrocinio firmitatis.

RESPONSIO DE DAMNATIONE SALOMONIS.

Quæritis, fratres, utrum Salomon, rex Israel, salvus debeat æstimari, an potius (ut quidam asserunt) perditus debeat judicari. De illo quippe tam multa bona et mala in Scriptura canonica leguntur, ut multi, si eis contigerit, ea vel legendo vel audiendo recensere; in dubium ferantur, quæ debeant prævalere. Alii autem dubitatione relegata, dicunt illum bona inchoata fine perdito terminasse, alii e regione mala perpetrata pœnitendo in melius commutasse. Horum opinioni tam diversa et adversa sentienti, vobis, fratres, exigentibus decrevi respondere; et ut idem sentiant, et si consentiant, prout facultas dabitur admonere. Noverit igitur primo vestra omnium dilectio, quod ea quæ in Scriptura canonica de Salomone leguntur, trifariam distinguuntur, ut vir prudens diligenti consideratione provideat, cum ea legit vel audit, quid, qualiter intelligere debeat. Quod Salomon in multis actibus suis Christum figuraverit, neminem æstimo dubitare; quod in omnibus eum figuraverit, nullus præsumat affirmare. Eorum igitur quæ de Salomone dicuntur, quædam ita eidem ad litteram conveniunt Salomoni ut etiam mystice conveniant Christo : quædam ita conveniant illi, ut nec possint, nec debeant coaptari Christo ; quædam vero ita de illo dicuntur, imo dici videntur, ut eidem ipsi nullo modo conveniant. Conveniant autem secundum spiritalem intelligentiam Christo. Æstimo congruum, ut aliqua de multis ad medium deducantur, in quibus, ea quæ dixi, vera esse certius agnoscantur. Dicit quidem Scriptura, quod in Jerusalem templum Domino Salomon ædificavit, in quo opere, luce clarius Dominum nostrum Jesum Christum præfiguravit. Qui nimirum Deo Patri templum, id est Ecclesiam sanctam ædificat, dum lapides vivos, id est viros sanctos dolat et quadrat, et cæmento charitatis agglutinat, ut in animam unam et cor unum redacti, in ædificium spirituale consurgant, et ad videndam faciem Creatoris assurgant. Dicit autem Scriptura, quod cum senex Salomon esset, depravatum est cor ejus, et amavit mulieres alienigenas, de quibus dixerat Deus : Non ingrediemini ad eas; et relicto Deo vivo et vero, Deo, inquam, patrum suorum, adoravit Asthartem deam Sidoniorum, et Chamos deum Moabitarum. Quod factum nulla commendat vel excusat allegoria, sed pura tenetur historia. ut et hoc realiter fecisse credatur, et in hoc, Deo non mediocriter displicuisse sciatur. Legimus quidem Osee prophetam uxorem accepisse fornicariam. Quod utrum ad litteram factum sit, an potius (ut quidam volunt) solummodo spiritaliter intelligendum sit : non multum refert, dum constet eum fecisse non morbo seductum incontinentiæ, sed vinculo adductum obedientiæ. In hoc enim matrimonio et divino mandato obedivit : et Christum procul dubio figuravit. Cæterum, nec debent, nec potest ullatenus coaptari, quod Salomon a Deo legitur fornicari; et contempto eo, a quo tanta dona perceperat, latus suum mulieribus alienigenis inclinavit, et deos earum insuper adoravit.

Item ad David quasi de Salomone dicitur, quod tamen Salomoni non convenire manifestissime comprobatur : « Cum completi fuerint dies tui et dormieris cum patribus **362** tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus : ipse ædificabit domum nomini meo; et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum (*II Reg.* VII). » Si quis diligenter advertat hanc ad David factam promissionem, qua promittitur suscitari semen ejus; suscitari, inquam, non ante mortem, sed post mortem ejus : inveniet Salomonem in ea non pronuntiari, qui procul dubio ante mortem David invenitur suscitari. Hoc siquidem divina Sapientia prudenter ordinavit, quod Salomon ante mortem patris, et natus est, et regnavit, quod de nullo regum alio legitur, ut in illo hæc prophetia non inveniret effectum, quia dicitur : « Cum dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum. » De nullo quippe alio regum illorum aperte legitur, quod ante mortem patris rex fuerit ordinatus, vel rex a quolibet nominatus. Etsi enim vivente adhuc Ozia rege leproso, et habitante seorsum propter lepram, Joathan filius ejus, ut scriptum est, gubernavit palatium, et judicavit populum terræ, non tamen rex, idem Joathan, appellatur, nec eum regnasse divina Scriptura protestatur, donec pater ejus Ozias vitæ hujus privare munere declaratur. Potuit quidem Joathan, et palatium gubernando et populum judicando, præesse, et tamen rex non esse, quia non omnis cui judicandi ministerium delegatur, statim regali et unctione, et nomine gloriatur. Salomon vero vivente adhuc David, unctus est in regem in Gihon, acclamante populo et dicente : « Vivat rex Salomon (*III Reg.* I), » at extunc, rex assidue nominatur, regni solio libere sublimatur, ut divina promissio, quæ post mortem David semen ejus asserit suscitari, non in Salomone, sed in Christo intelligatur necessario consummari. Remoto igitur sensu litterali, in Christo hoc impletur intelligentia spiritali, qui de semine David longe post David erat temporaliter nasciturus, et in sanctis suis æternaliter regnaturus: « Firmabo, inquit, regnum ejus; ipse ædificabit domum nomini meo. » Quod ne de Salomone dixisse videretur, qua ille materialem domum ædificavit Deo, subjunxit : « Et stabiliam thronum regni ejus usque

in sempiternum. » Sicut omnibus notum est thronum regni Salomonis non fuisse sempiternum, sic certum est Christum regnare in æternum, ut eum præcinuisse hæc prophetia manifeste cognoscatur, quamvis Salomoni alludere videatur. Quod autem subditur: « Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul quem amovi a facie mea; » ad Christum nihilominus veraciter refertur, secundum proprietatem duntaxat membrorum, ex quorum voce dicit in Psalmo : « Longe a salute mea verba delictorum meorum (*Psal.* XXI). »

Tripartitus quidem intelligendi modus in libris prophetarum, imo in omni Scriptura, quæ Vetus Testamentum appellatur, potest inveniri ut ibi quædam tantum litteraliter, quædam solummodo spiritaliter, quædam simul utroque modo convenienter intelligantur, et non pro voluntate cujusque uno quolibet modo omnia disserantur. Hæc est enim, ut mihi videtur, causa quod in Scripturis divinis nonnulli plerumque offendunt, dum eas juxta sensum suum intelligi debere contendunt, et dum quæ loquuntur, vel de quibus affirmant, non satis diligenter perpendunt, errorem suum non tam veraci quam procaci verbositate defendunt. Quia enim acutuli sibi videntur ad intelligendum, et forte promptuli sunt ad loquendum; dedignantur submitti majoribus ad dicendum, et impatientes nidi, antequam plumescant, provolant ad disserendum. Inde, ut arbitror accidit quod de Salomone, alii et alii, aliter et aliter sentiunt, et a Scriptura canonica (cujus auctoritas fixa est) plerique dissentiunt, dum eis qui eam intellexerunt et intellectam exposuerunt, non plane consentiunt. Espropter congruum duxi, in hac mea responsione quam proposui reddere fratribus de Salomone, ea quæ de illo a majoribus et sensa, et dicta sunt, compilare, et quæ de illo dixero, istorum testimonio confirmare. Cæterum quæ de illo Scriptura canonica dicit, volo primitus recensere; ea duntaxat quæ ad præsentem responsionem videro pertinere. Mortuo quidem parvulo, filio, quem regi David Bethsabee peperit de adulterio, consolatus est, inquit, David Bethsabee uxorem suam. Ingressusque ad eam, dormivit cum ea. Quæ genuit filium et vocavit nomen ejus, Salomon, et Dominus dilexit eum. Misitque in manu Nathan prophetæ, et vocavit nomen ejus, amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus. In Hebræo, ut aiunt, habetur : « Vocavit nomen ejus Idida » id est *dilectus propter Dominum.* Super quo traditio habet Hebræorum quod propter suam misericordiam Deus illum dilexerit, cum divina dilectione dignus ille non fuerit, utpote natus de illa, quam contra Domini utilitatem David sibi acceperat in uxorem. In hoc autem quod dilectus propter Deum appellatur, ille, ut arbitror, figuratur; de quo in Evangelio dictum est: « Hic est Filius meus dilectus in quo bene complacui (*Matth.* XII). » Homo enim etiam ille quem in unitate personæ sibi assumpsit Verbum Dei, nihil meruerat ut assumeretur, ut diligeretur, scilicet quidquid assumens assumpto contulit assumptus non meritis, sed gratiæ assignavit. De quo propheta **363** præcinuit dicens : « Beatus quem elegisti et assumpsisti (*Psal.* LXIV). » Beatus nimirum ille fuit qui non eligens est electus, ut ad eum quoque dici possit, quod dictum est ad nos : « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos (*Joan.* XV). » Processu vero temporis cum senuisset David, eo jubente, Sadoch sacerdos, et Nathan propheta unxerunt Salomonem in regem super Israel ducentes eum in Gihon. Et vivente adhuc David in Jerusalem, regnavit idem Salomon. Unde cum ingressi servi regis dicerent ad eum : « Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, adoravit, inquit, rex in lectulo suo, insuper et hæc locutus est : Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis (*III Reg.* I). » Postea ingresso David viam universæ terræ : « Confirmatum est, inquit, regnum in manu Salomonis, et affinitate conjunctus est Pharaoni regi Ægypti. Accepit namque filiam ejus, et adduxit eam in civitatem David donec compleret ædificans domum suam, et domum Domini, et murum Jerusalem per circuitum. Attamen populus immolabat in excelsis. Non enim ædificatum erat templum nomini Domini usque in diem illum. Dilexit itaque Salomon Dominum, ambulans in præceptis David patris sui : excepto quod in excelsis immolabat (*III Reg.* III). »

Videntur mihi designari permistim in his verbis, tam mala quam bona Salomonis. Quod enim confirmato regno in manu sua, affinitate conjunctus est Pharaoni, accipiens filiam ejus, et ducens eam in civitatem David : non mediocriter peccavit, cum legisset prohibitum esse a Domino per manum Moysi, ne filiabus alienigenarum filii Israel in matrimonium jungerentur, ne blanditiis illecti femineis, in earum idololatriam seducti, laberentur. Si autem quis objecerit, quia et Moyses dicitur habuisse Sephoram filiam Raguelis, necnon et Æthiopissam, Tharbi scilicet, filiam regis Æthiopum pro qua postmodum Maria et Aaron arguuntur murmurationis, Joseph quoque in Ægypto uxorem accepit filiam Putipharis sacerdotis, respondebitur quia nondum hujusmodi lex data erat a Domino ; et ubi non est lex, nec prævaricatio. Enimvero data lege arguitur Samson a parentibus suis, quod visam in Thannata mulierem de filiabus Philisthinorum amaverit, eamque sibi uxorem petierit. Nunquid, aiunt, non est mulier in filiabus fratrum tuorum, et in omni populo tuo, quia vis uxorem accipere de Philisthiim qui incircumcisi sunt ? Cujus rei cum justam ille non inveniret excusationem; solam reddidit causam eam, quæ fere semper mala est, propriam voluntatem. Dixit enim ad patrem suum : « Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis. » Cesset, inquit, lex et ratio, sic volo, sit pro ratione voluntas. Quod autem de Salomone additur: « Donec compleret ædificans domum suam, et domum Domini, et murum Jerusalem per circuitum ; »

bene quidem operatus est, qui jussus templum mysticum ædificavit Domino, et civitatem Jerusalem circumdedit muro. « Attamen, inquit, populus immolabat in excelsis. » Iterum culpa non solum populi qui in excelsis immolabat, sed etiam Salomonis, qui errantem populum non revocabat. Relicta enim civitate Jerusalem, in qua erat arca Domini posita in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David, populus ad immolandum, excelsa requirebat, non locorum sanctitate provocatus, sed amœnitate delectatus. Hoc autem factum sequens sententia videtur aliquatenus excusare : et tanquam non sit peccatum, imo tanquam leve sit peccatum, quodammodo palliare : « Non enim, inquit, ædificatum erat templum nomini Domini usque in diem illum. » Quod tamen non ideo dictum est, tanquam ante ædificationem templi, esset illud commendabile, sed quia post ædificationem templi, peccatum majus fuit, et omnino inexcusabile. Ad hoc enim, templum illud nobile jussum est opere tam vario ædificari, tantis auri laminis adornari, tam festiva celebritate dedicari, ut illuc populus conveniret ad adorandum, ad sacrificandum : ipsumque et templi sanctitas invitaret, et structura mirabilis delectaret. Qui igitur postea ad sacrificandum excelsa requisivit, nullam jam habens excusationem, majorem meruit damnationem. Sequitur : « Dilexit itaque Salomon Dominum ambulans in præceptis David patris sui. »

Ecce iterum justitia Salomonis, quod scilicet Dominum legitur dilexisse, et in præceptis David ambulasse. Quod autem Dominum necdum perfecte dilexerit, nec in præceptis David perfecte ambulaverit, sermo divinus videtur innuere, cum subjungit : « Excepto quod in excelsis immolabat. » Hoc quippe, nec Domino invenitur placuisse; nec David cognoscitur præcepisse. Neque enim dubium est, quin hæc immolatio arguatur, quæ a dilectione Dei, et a præceptis David excipienda judicatur. Cæterum multa alia Salomon operatus est, quæ et Deo placuisse nequaquam dubitatur, et David præceperat antequam moreretur. Dein dicitur, quia apparuit Dominus Salomoni nocte per somnium, dicens : « Postula quod vis ut dem tibi. » Et Salomon : Dabis, inquit, servo tuo cor docile, ut judicare possit populum tuum, et discernere inter bonum et malum. Placuit ergo sermo coram Domino, quod Salomon rem hujuscemodi postulasset. Et dixit Deus Salomoni : Quia postulasti verbum hoc, et **364** non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti sapientiam ad discernendum judicium : Ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed et hæc quæ non postulasti dedi tibi, divitias et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus. Si autem ambulaveris in viis meis, sicut ambulavit David pater tuus; longos faciam dies tuos. Igitur A Salomon evigilavit, et intellexit quod esset somnium (*III Reg.* III). » Ecce iterum justitia Salomonis, et honestum desiderium; quo videlicet petiit sapientiam ad discernendum judicium. Cui Deus, ea bonitate quæ sua est, non solum postulata concessit; verum etiam quæ non postulaverat, divitias scilicet et gloriam, gratuita largitate adjunxit. Sed movet me, fateor dilectioni vestræ; movet, inquam, quod additur : « Igitur Salomon evigilavit, et intellexit quod esset somnium. » Post hæc, sequuntur magna et præclara opera Salomonis, quæ operatus est in judicando, in scribendo, in ædificando templum Domini, et utensilia ejus, et cætera multa quæ in tertio Regum libro numerantur, et eadem Scriptura teste non mediocriter commendantur. B Accepta quidem sapientia per somnium, quam perspicax fuerit ad faciendum judicium, illarum designat controversia meretricum, quarum una dicente : « Filius tuus mortuus est, meus autem vivit, alia e regione respondit : mentiris, filius quippe meus vivit, et filius tuus mortuus est (*ibid.*). » Ut autem hæc contentio finiretur, gladium sibi rex jussit afferri, inantemque vivum in duas dividi partes; ut dimidia pars uni, dimidia vero daretur alteri. Quo audito, materna viscera concussa sunt, et quæ veraciter mater erat maluit ut totus infans apud æmulam vivus permaneret, quam ipsa dimidium possideret; et ideo : « Obsecro, ait, domine, date illi infantem vivum, et nolite interficere eum (*ibid.*). » Econtrario illa cujus cor materna pietate non molliebatur : « Nec mihi, ait, nec tibi sit, sed dividatur (*ibid.*). » Ad hæc rex pulsa jam nebula dubietatis, et tali experimento cognita facie veritatis : « Date, inquit, huic infantem vivum, et non occidatur, hæc est enim mater ejus (*ibid.*). »

In scribendo autem quanta fuerit ejus subtilitas, tria volumina illa manifestant, quoniam catalogo divinarum Scripturarum canonica recipit auctoritas, videlicet : Parabolæ, Ecclesiastes, Cantica canticorum. In quorum primo est ethicus, dum bonis moribus nos informat; in secundo, physicus, dum quæ sub sole sunt, naturaliter caduca esse denuntiat; in tertio, theologicus, dum Deo et Domino nostro Jesu Christo complexu indissolubili nos copulat. In primo docet nos proximum diligere; in secundo temporalia spernere, in tertio cœlestibus inhærere. In primo, rudes et parvulos instruit; in secundo, grandiusculos provehit; in tertio jam provectos, in ea quæ cœlestia sunt, attollit. In primo, docet nos inter homines bene conversari, in secundo quæ infra hominem sunt, aspernari; in tertio, quæ supra hominem sunt, amplexari. Denique et ipse tribus nominibus invenitur appellari, quibus tria ista volumina videntur coaptari. Dictus est quippe Idida, id est *dilectus ab hominibus*. Ecclesiastes, id est *concionator*; Salomon, id est *pacificus*. Quia in primo volumine, docuit quomodo sine querela se homo inter homines habeat, quid videlicet compassionis exhibeat minoribus, quid humi-

litatis coæqualibus, quid reverentiæ majoribus; quid dilectionis omnibus, quod quidem perutile et satis facile est hominibus, non mediocriter placuit hominibus, et eo nomine est appellatus, cujus rem scribendo est assecutus. In secundo autem volumine concionem, id est omnes communiter ad contemptum temporalium invitavit, dum ipsa temporalia, caduca et brevia esse demonstravit; asserens quidquid sub sole est genitum, festinare ad interitum. Et quia concionatus est, id est non quasi in angulo domatis, sed omnibus publice locutus est; merito Ecclesiastes, id est *concionator* dictus est. In tertio volumine, cujus est titulus, Cantica canticorum, dignitatem aliorum excedit, dum nos a vitiis defæcatos et in contemptu temporalium roboratos, in thalamum nuptiarum inducit, et læva Christi supposita dexteram superducens, in complexu illius delectabiliter nos abscondit. Sic nimirum justitia sudoris patiens et algoris, expedita præcurrit, eisque triumphanti pax festiva gratulanter occurrit; et, ne aliquando mercedis inopia defætiscat, feliciter numerando succurrit. Gaudent pariter in occursu mutuo duæ istæ virtutes, ruunt in oscula, fit quod scriptum est: « Justitia et pax osculatæ sunt (*Psal.* LXXXIV). » Quando vero de pace ista Salomon scripsit, quæ justitia numeratur, cum in thalamum nuptiarum introducta divina visione lætatur, non incongrue Salomon, id est *pacificus* appellatur: illum præfigurans, qui factus est pax nostra, et faciens utraque unum, per mortem suam reconciliavit nos Deo, ut qui eramus nostra filii iræ, per gratiam efficeremur filii misericordiæ. Disputavit præterea, sicut scriptum est, super lignis a cedro quæ est in Libano usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete, et disseruit de jumentis et reptilibus et piscibus. Quæ nimirum Scriptura, nec apud nos, nec apud Hæbreos, nec uspiam alibi invenitur; quamvis aliquando **365** fuisse, minime dubitetur. Sunt autem duo volumina, quorum apud nos in Ecclesia lectio frequentatur, quorum unum, sapientia Salomonis; alterum, Ecclesiasticus appellatur. Quæ propter nonnullam similitudinem eloquii, Salomon scripsisse a quibusdam æstimatur, sed ab his qui antiquiores et prudentiores sunt, falsa hæc æstimatio judicatur. Denique et primum illorum, videlicet Sapientia Salomonis, græcam, ut ait Hieronymus, eloquentiam redolet, et cum nusquam apud Hebræos inveniatur, non Salomonis, sed cujusdam Philonis fuisse affirmatur. Ecclesiasticum vero Jesus, filius Sirach perhibetur scripsisse; qui tempore Simonis summi sacerdotis invenitur fuisse. Qui nimirum Simon pontifici Oniæ successit, et alterum Oniam præcessit, illum, inquam, Oniam quem Andronicus, suggerente Menelao, non veritus justitiam, peremit, sicut Machabæorum liber secundus ostendit.

In ædificando autem templum Domini et utensilia ejus, quanta fuerit prudentia Salomonis, ipsa ædificatio, si diligenter consideretur, insinuat, in qua et juxta litteram non mediocris apparet pulchritudo, et juxta spiritualem intelligentiam mirabilis superemi- A net altitudo. Cujus rei scientiam Deo quidem intrinsecus infundente, sed et David patre suo extrinsecus edocente legitur percepisse. Ipsum autem opus multis tam advenis quam indigenis cooperantibus invenitur perfecisse. Quod enim eum Deus docuerit; tertius Regum liber manifestat, cum dicit: « Dedit Deus sapientiam et scientiam Salomoni: et latitudinem cordis sicut arenam quæ est in littore maris (*III Reg.* IV); » et paulo post: « Dedit Deus sapientiam Salomoni; sicut locutus est ei (*III Reg.* V). » Quod autem ad prædictum opus faciendum David studiose instruxerit eum, Paralipomenon liber primus patenter ostendit: « Dedit, inquit, David Salomoni suo filio descriptionem porticus et templi, B et cellariorum, et cœnaculi, et cubiculorum in aditis, et domus propitiationis, et omnium quæ cogitaverat atriorum, et exedrarum per circuitum in thesauris domus Domini, et in thesauris sanctorum, divisionumque sacerdotalium et leviticarum in omnia opera domus Domini, et in universa vasa ministerii templi Domini (*I Paral.* II). » Dedit etiam (sicut ibidem sequitur) David Salomoni aurum purissimum in pondere, et argentum, ad facienda utensilia domus Domini. Ut autem hæc descriptio commendabilis haberetur, eamque non de suo, sed de Dei potius dedisse videretur, adjungit David: « Omnia hæc venerunt ad me scripta manu Domini, ut intelligerem universa opera exemplaris (*ibid.*). » Ad ultimum vero infert Scriptura dicens: « Rex C autem Salomon amavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis et Moabitidas et Ammonitidas, Idumæas et Sidonias et Hethæas de gentibus super quibus dixerat Dominus filiis Israel: Non ingrediemini ad eas; neque de illis ingredientur ad vestras, certissime enim avertent corda vestra ut sequamini deos earum. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo cum amore? et averterunt mulieres cor ejus. Cumque jam esset senex, depravatum est per mulieres cor ejus, ut sequeretur deos alienos. Nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus; sed colebat Salomon Astarthem deam Sidoniorum, et Chamos deum Moabitarum et Moloch idolum Ammoni- D tarum. Fecitque Salomon quod non placuit coram Domino; et non adimplevit ut sequeretur Dominum, sicut David pater ejus. Tunc ædificavit Salomon fanum Chamos idolo Moab in monte qui est contra Hierusalem; et Moloch idolo filiorum Ammon. Igitur iratus est Dominus Salomoni, quod adversa esset mens ejus a Domino Deo Israel, qui præceperat ei ne sequeretur deos alienos: et non custodivit quæ mandavit ei Dominus. Suscitavit autem Dôminо adversarium Salomoni Adad Idumæum de semine regio. Jeroboam quoque filius Nabath, servus Salomonis, levavit manum contra legem. Voluit ergo Salomon interficere Jeroboam, et ille aufugit in Ægyptum: et fuit ibi usque ad mortem Salomonis. Reliqua autem verborum Salomonis, et omnia quæ

fecit, et sapientia ejus : ecce universa scripta sunt in Libro verborum dierum Salomonis. Dormivitque Salomon cum patribus suis; et sepultus est in civitate David patris sui (*III Reg.* XI). »

Hæc sunt finalia, quæ in Scriptura canonica inveniuntur de Salomone, quæ, etsi aperta et plana videntur, quædam tamen non perfunctoria digna sunt consideratione. In quibus admonemur et docemur quomodo lugenda sit humana miseria : et solius Dei memoranda et timenda justitia, nostra enim justitia vel nulla est, vel digna fere pro nihilo reputari, quia nec a seipsa incipere; nec per se, in se habet consummari. Unde propheta : Tanquam non habens justitiam, vel forte oblitus aut contemptor illius : « Domine, inquit, memorabor justitiæ tuæ solius (*Psal.* LXX). » Quis itaque legens, vel audiens tot et tantis bonis Salomonem suffultum, sapientia, potentia, divitiis et gloria, quæ divina ei largitas contulit, non eum laudibus efferat; non eum felicem fuisse arbitretur, si tamen ea felicitate indefective frueretur? Verum cum subsequenter legitur eumdem jam ætate provectum in voraginem mersum luxuriæ, tanta sapientia præditum, in errorem lapsum idololatriæ; **366** quis non lugeat humanæ vitæ tam labilem statum? quis non timeat divinæ justitiæ examen tam severum? Restat intelligi ut qui gloriatur, non in se, sed in Domino glorietur; recolens quod scriptum est, quoniam nullus potest « esse continens nisi Deus det; » et idec « audii, inquit, et Dominum deprecatus sum (*Sap.* VIII). »

Ut video, nec ipsa fortitudo subsistit adamantis, nisi eam conservet sua Deus protectione miserantis. Inde est quod juxta Septuaginta interpretes Amos propheta super murum adamantinum Dominum vidit stantem; qui et in manu sua tenebat adamantem. Adamas lapis est pretiosus, tantæ, ut aiunt, fortitudinis, ut malleo et incude non lædatur, non lima atteratur, non igne corrumpatur, non aliqua vetustate temporis consumatur. Tamen qui contra hæc omnia indomabilis permanet hircini sanguinis calorem non sustinet; sed si ejus attactu polluitur, tota illa fortitudo dissolvitur. Convenienter igitur adamantem Dominus in manu sua tenere et muro adamantino visus est insidere, quia nisi ejus potentia illius fortitudo muniatur; non remanebit lapis super lapidem qui non destruatur. Qui enim non expavit ad clangorem hostilium tubarum, qui derisit assultus bellatorum, qui non cessit incursibus balistarum, si hircino sanguine aliquatenus aspergatur, tremit, ruit, funditus dissipatur. Lapis adamas quemlibet sanctum miræ fortitudinis, sanguis vero hircinus immunditiam designat libidinis. Quamlibet ergo quis fortis fuerit virtutibus congregatis, si solius libidinis macula polluatur : ruit, perit, penitus enervatur. Non ergo mirum si Salomon antea tanto fultus virtutum numine postea tam effrenata pollutus libidine graviter de malo in pejus corruit, ut qui lumbos zona fortitudinis non curavit accingere, nec etiam formidaret a divino cultu recedere. Sed forte miramur, quare Deus hunc tam graviter permisit peccare, quem tantis prius voluit virtutibus adornare. Recolamus Angelum qui per excellentiam sanctitatis, Lucifer est appellatus, divino permissu de cœlo corruisse, nec tamen super hoc divinæ est arguenda statera æquitatis, sed illius immutatæ malitia utilitatis. Non est ergo discutiendum quare ita fieri permiserit Deus, sed cum timore sciendum quod ita fieri permiserit Deus. Permittit quippe judicio occulto, sed justo, adamantem de manu sua non rapi, sed labi; et cum ad servandum sufficienter fortis sit manus ipsius continentis, sufficit nihilominus ad casum ipsa voluntas elabentis. Elapsus vero etsi cæteros incursus utcunque se putat refellere : hircino tamen sanguini non pervalet illæsus resistere. Hoc satis convenienter aptatur Salomoni, qui cum multo tempore divina manu visus sit contineri : tandem elapsus, ad tam multa est flagitia devolutus, ut nec ibi se fuisse recoleret, vel potius longe esse ab illa non timeret. Illud ergo quod dixi, Scripturam ad ultimum inferre paulo diligentius attendatur, ut adjuvante Domino, qualiter intelligi debeat, videatur. Via enim retroacta quantumvis præclara fuerit, quodammodo ex fine pensatur : et non qui aliquando bene vixerint, sed qui perseveraverint, commendantur. « Rex, inquit, Salomon amavit mulieres multas, filiam quoque Pharaonis, et Moabitidas et Ammonitidas, et Hethæas, Idumæas et Sidonias, de quibus dixerat Dominus : Non ingredientur ad eas. » Movet me cum Scriptura divina mulieres alienigenas Moabitidas videlicet et Ammonitidas et cæteras quas Salomon arguitur amasse, generaliter nobis innotuerit cur filiam Pharaonis singulariter expresserit. Quod ideo mihi videtur fecisse vel quia nullam præter illam Salomon Ægyptiam legitur accepisse, vel quam plus cæteris eam credendus est dilexisse, vel quam prius et multo diutius cæteris eam invenitur habuisse. Dictum est enim superius, quia confirmato regno in manu sua antequam sapientem se fore somniaret, affinitate conjunctus est Pharaoni, accipiens filiam ejus, et ducens eam in civitate Domino. Ubi, etsi Scriptura eum aperte non arguit hujus affinitatis quam nec propter illam tunc temporis Deum suum deseruisse, nec deos alienos legitur coluisse : ad extremum tamen satis manifeste declaratur, quod tam propter illam, quam propter alias dignus argui judicatur. Neque enim inter illas quas amasse arguitur, filia quoque Pharaonis poneretur : nisi amando et eam, pecasse probaretur. Dicens quippe Scriptura, quia « Salomon amavit mulieres alienigenas, filiam quoque Pharaonis, » et reliquas quas enumerat, quomodo, et quo fine, tam illam quod cæteras amaverit, evidenter insinuat, cum subjungit : « His itaque copulatus est Salomon ardentissimo animi amore, et averterunt mulieres cor ejus. » Sequitur : « Cumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres. » Mira perversitas experimento immo-

tuit, quia, etsi fervet ardor veneris tempore adolescentiæ vel juventutis, frigescit tamen tempore senectutis ; et qui intra officinas lumborum tumultuatur, dum ætatis virore confortatur, lege quadam naturæ compellitur tenere silentium, cum processu temporis ætas vergit in senium. Unde cum Abraham jam seni promitteretur filius, respondit : « Putasne centenario nascetur filius : et Sara nonagenaria pariet? (*Gen.* XVII.) » Et paulo post eadem Sara : « Postquam **367** ait, consenui et Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? (*Gen.* XVIII.) » Hoc est dicere : Cum carnis incentiva jam processu frigescant ætatis, quomodo iterum exercebimus officia voluptatis? In quo manifestum est, quia convenerunt Abraham et Sara non tam appetitu concumbendi, quam spe et desiderio generandi. Denique et David cum senuisset haberetque, ut scriptum est, ætatis plurimos annos, quæsita est ei adolescentula virgo, ut foveret eum ; et dormiens cum eo calefaceret eum. Inventa est autem Abysag Sunamitis, puella videlicet pulchra nimis, quæ dormiebat cum rege et ministrabat ei, rex vero, inquit, non cognovit eam. Videtis virginem in initio pubertatis, dormientem cum rege sine dispendio virginitatis, quia rex longe factus a finibus juventutis, libidinis expers erat, patrocinio senectutis. Salomon autem cum senex esset, et lege naturali jam deberet frigescere, ordine perverso exarsit libidine : et in tantum depravatus est amore mulierum, ut etiam sequeretur deos earum.

« Nec erat, inquit, cor ejus perfectum cum Domino Deo suo ; sicut cor David patris ejus. » Perfectio ista qua Scriptura divina Salomonem dicit caruisse, quibusdam etiam alteris regibus legitur defuisse ; qui, etsi opera magna et præclara fecerunt, non tamen in eodem proposito permanserunt. De Abia quidem filio Roboam dicitur, quia non erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo. Quod autem item Abia, cujus cor perfectum non fuit, reprobus fuerit, ipse textus historiæ patenter ostendit, cum dicit : « Ambulavitque in omnibus peccatis patris sui quæ fecerat ante eum. » Pater quippe ejus Roboam fuerat, de quo in Paralipomenon dicitur, quia cum roboratum regnum Roboam et confortatum, dereliquit legem Domini, et omnis Israel cum eo. Et ad ultimum infertur, quia fecit malum, et non præparavit cor suum, ut quæreret Dominum. Si ergo Abia in omnibus peccatis patris sui ambulavit, constat nimirum quia vitam suam, quemadmodum et ille, non bene consummavit. De Amasia quoque legitur, quia fecit bonum in conspectu Domini, veruntamen non in corde perfecto. Quod autem in corde perfecto non fecerit, patenter insinuat cum subjungit : « Amasias vero post cædem Idumæorum, et allatos deos filiorum Seir, statuit illos in deos sibi, et adorabat eos, et illis adolebat incensum (*II Par.* XXV). » Videtis duos istos reges teste Scriptura vitam reprobam habuisse, quorum cor perfectum cum Deo legitur non fuisse. Denique cum vellet commendare Scriptura regem Asa filium ejusdem Abia, cujus modo mentionem feci, sic ait : « Verumtamen cor Asa perfectum erat cum Deo cunctis diebus suis (*II Par.* XV). » In qua perfectione nihil aliud mihi quam perseverantia videtur designari, de qua Dominus in Evangelio : « Qui perseveraverit, inquit, in finem, hic salvus erit (*Matth.* X). » Etsi enim Asa aliquando invenitur peccasse, credendus est tamen vitam suam bene consummasse, alioqui non diceretur : Cor ejus perfectum cum Deo cunctis diebus suis ; sed forte, perfectum aliquot, diebus suis. Quod autem perfectus, id est perseverans fuerit Asa cunctis diebus suis cum Deo, paulo ante aliis verbis innuitur, cum dicitur de eo : « Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut David pater ejus (*II Par.* XIV). » David quidem, etsi peccatum fecit, a via tamen justitiæ penitus non defecit, sed divino respectu ad justitiam revocatus, in ea inventus est consummatus. Unde et idem David in eadem Regum Scriptura sæpius commendatur, et vel ad commendationem bonorum, vel ad confusionem malorum regum ; ejus perfectio ad medium frequenter revocatur. De Josaphat viro justo filio Asa, in Paralipomenon legitur : « Et fuit Dominus cum Josaphat, quia ambulavit in viis David patris sui (*II Par.* XVII). » De Ezechia tam in libro Regum quam in Paralipomenon dicitur : « Fecit quod erat placitum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus (*IV Reg.* XX). » De Josia vero in libro Regum : « Fecit, inquit, quod erat placitum coram Domino, et ambulavit per omnes vias David patris sui (*IV Reg.* XXII) ; » et in Paralipomenon : « Fecit, inquit, quod erat rectum in conspectu Domini, et ambulavit in viis David patris sui (*II Par.* XXXIV). » De Abia vero quem reprobum fuisse supra diximus, liber Regum dicit : « Non erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus (*III Reg.* XV). » De Amasia : « Fecit, inquit, rectum, verumtamen non ut David pater ejus (*IV Reg.* XIV). » De Achaz vero : « Non fecit, inquit, quod erat placitum in conspectu Domini Dei sui, sicut David pater ejus (*IV Reg.* XVI). »

Videtis quia nullus regum istorum perfectum cor habuisse sicut David, vel ambulasse dicitur sicut David, nisi qui justus testimonio Scripturæ coaptatur, nulli vero hoc negatur, nisi cujus vita reproba judicatur. Asa quidem et Josaphat, Ezechiæ et Josiæ similitudo David vel perfectio assignatur, quos justos permansisse serino divinus attestatur. Abia vero, Amasiæ, Achaz, eadem perfectio denegatur, quos fuisse reprobos in eadem Scriptura declaratur. Hæc nimirum perfectio in libris Regum et Paralipomenon frequenter invenitur, quæ non videtur esse alia, quam perseverans justitia. De hac Josaphat in Paralipomenon loquitur : « Cum enim constituisset Josaphat in Jerusalem levitas et sacerdotes et principes familiarum, ut causam Domini et judicium judicarent habitatoribus **368** ejus, præcepit eis dicens : Sic agetis in timore Domini fideliter et corde

perfecto (*II Par.* XIX). » » Quid est : « Sic agetis fideliter et corde perfecto, » nisi : Bene facietis et perficietis? In eo quod dicit, fideliter, fides sonat quæ per dilectionem operatur, in corde perfecto, perseverantia designatur. Ezechias quoque, cum dixisset ei Isaias propheta : « Præcipe domui tuæ, morieris enim et non vives, convertit faciem suam ad parietem, et oravit Dominum dicens : Obsecro, Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto (*IV Reg.* XX). » Recolens quippe præteritam vitam suam, et attendens præsentem conscientiam suam, videbat se in mandatis Domini usque ad id temporis perseverasse ; et ideo quamvis fleret, tali tamen gaudebat perfectione. Ad hanc etiam, ut mihi videtur, perfectionem, ipse David invitat Salomonem. « Tu autem, inquit, Salomon, fili mi, scito Deum Patris, et servi ei corde perfecto (*I Par.* XXVIII). » Quia vero hoc humana industria non impletur, nisi divina gratia suffragetur, orat Deum ipse David dicens : « Domine Deus Abraham, Salomoni filio meo da cor perfectum (*I Par.* XXIX). » Orat etiam pro seipso in psalmis : « Perfice gressus meos in semitis tuis (*Psal.* XVI). » Si hæc perfectio, perseverantia est, sicut esse videtur, perseverantia Salomoni defuisse videtur, nisi forte solus ipse excipitur ab eo quod non nisi reprobis ascribi regibus invenitur. Si enim catalogus regum Juda a David usque ad Sedechiam, qui ultimus regum fuit, recenseatur, nullus eorum, sicut bene consideravi, perfectum cor, sicut David, cum Deo suo habuisse negatur, nisi ut paulo ante dixi, cujus vita reproba judicatur. Nullus vero perfectum cor habuisse cum Deo sicut David, vel in viis David legitur ambulasse, nisi quem constat bonam vitam optime consummasse. Miror igitur, si forte de solo Salomone inaniter dicitur, quod aliis regibus ad testimonium damnationis ascribitur, ut videlicet in eo solo non habeat effectum, quod legitur cum Deo suo sicut David cor non habuisse perfectum. Quod si ita est, movet me quod adhuc additur. Cum enim de Salomone dixisset Scriptura : « Nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David ; » paulo post subjunxit : « Et non adimplevit ut sequeretur Dominum, sicut David pater ejus. Non dixit : Non inchoavit ut sequeretur Dominum, sed : « Non adimplevit ut sequeretur Dominum. » Quid est enim adimplevit? Nihil aliud esse videtur, quam : Non perfecit, non consummavit, ad finem usque non perduxit. Si vero pœnitentiam egisse affirmaretur ; profecto adimplevit ut Dominum sequeretur. Quis enim adimplet ut sequatur Dominum, nisi qui bonum invenit finem ; vel quis nisi qui adimplet ut sequatur Dominum, bonum invenit finem? Si autem omnino dicitur Salomon non implesse ut sequeretur Dominum, quia inter sequendum peccavit, potest dici et David non adimplesse, quia et ipse peccavit. Quod quidem dici de eo nefas esse videtur, cum ejus adimpletio id eadem Scriptura maxime commendetur. In eo ipso enim quod arguitur Salomon, quia non adimplevit ut sequeretur Dominum, sicut David ; eleganter ostenditur, quod adimplevit ut sequeretur Dominum ipse David. Alioquin non diceretur de illo : Non adimplevit ut sequeretur Dominum, sicut David ; sed diceretur : « Non adimplevit ut sequeretur Dominum, sicut nec David. » Constat autem, quia David adimplevit ut sequeretur Dominum ; Salomon vero, ut scriptum est, non adimplevit ut sequeretur eum. Quod si in his verbis alius alicui sensus esse videtur, qui et regulam teneat veritatis, et tamen non obviet saluti Salomonis ; non præjudico melius intelligenti, si tamen quod dixerit, vel ex Scriptura divina colligere, vel majorum testimonio poterit comprobare. Sequitur :

« Tunc ædificavit Salomon fanum Chamos idolo Moab in monte qui est contra Jerusalem, et Moloch idolo filiorum Ammon. « Quia dixerat Scriptura, cor ejus depravatum esse per mulieres, ut sequeretur deos alienos, nunc dicitur quomodo secutus sit eos, ut videlicet ostendat eum, non solum fuisse depravatum, verum etiam depravatorem aliorum. « Ædificavit, inquit, fanum Chamos in monte qui est contra Jerusalem. » Non sufficit ei latera sua inclinare mulieribus alienigenis, nisi deos earum etiam adoraret, atque ad adorandum cæteros etiam invitaret. Ad hoc enim fanum Chamos ædificavit, ut illuc populus conveniret, et exemplo regio commonitus, fronte libera cultui dæmonum deserviret. Quis enim de populo videns regem sapientissimum, fanum ædificasse, genua curvare dæmonibus, non ad idem sacrilegium excitetur ; præsertim cum ad illud populus ille pronus fuisse semper legatur ? Si enim Scripturas veteres velitis recensere ; invenietis populum illum duræ nimis fuisse cervicis et oblitum divini cultus, in idololatriam multoties lapsum ; et quamvis ab ea divinis flagellis revocaretur, ad eamdem tamen frequenter relapsum. Accepta igitur occasione a rege, idololatra factus est populus Dei : et relicto templo quod ex præcepto Domini in monte Moria fuerat constitutum, in fano quod in monte contra Jerusalem rex ædificavit idolum Chamos, idem populus adoravit. Et bene in monte contra Jerusalem idem fanum legitur constitutum, ut quemadmodum cultus cultui contrarius habeatur, ita et mons monti contrarius diceretur. In monte quippe Moria templum Domini positum erat. Et mira invidentia hostis antiqui, qui, quoniam eadem cum Deo non potest possidere, filiam saltem vult habere. Quia igitur cultum divinum in monte videbat celebrari : in monte quo fanum sibi voluit dedicari, ut fano suo templum Domini aliquatenus obumbraretur, et mons Moria monte contrario premeretur. Hoc est nimirum unde gloriatur in corde suo : « Sedebo, inquiens, in monte testamenti, et ero similis Altissimo (*Isa.* XIV). » Et notandum, quia in quo ædificatum est templum Domini mons Moria dictus est ; hoc est mons visionis, in quo vero fanum Chamos, mons appellatus est offensionis. Quia enim offerentes sibi in templo suo Deus videre dignatur ; merito locus ipse tali nomine

369

decoratur; ut in ipso vocabulo rei veritas demonstretur, et offerentium devotio spe videndi a Deo confortetur. Ipse est nimirum mons, in quo et Abraham offerentem Isaac filium suum, Deus obedientiæ merito vidit, unde, ut scriptum est : « Usque in præsentem diem dicitur : In monte Dominus videbit (*Gen.* XXII). » Mons vero in quo Salomon fanum Chamos ædificavit, dictus est recte mons offensionis, quia et in eo offenditur Deus, et cultores divinæ religionis. Hæc sunt illa excelsa, quæ in sui monimentum erroris invenitur Salomon posteris reliquisse quæ longo tempore post Josias, rex justissimus legitur destruxisse. Atque in hunc modum, inquit, fecit universis uxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura et immolabant diis suis. In hoc ostenditur, quia non uni tantum Deo gentium, sed multis fana vel idola fabricavit; non unum tantum, sed multos adoravit. Cum enim dicitur, quia in hunc modum fecit universis uxoribus suis alienigenis, patet quia ut satisfaceret voluntatibus omnium, quarum deperibat amore, deos earum coluit voluntario devictus errore. Unde etiam colligitur, quia non sine culpa filiam quoque Pharaonis amavit, et propter illam deos Ægyptios, sicut et cæteros, adoravit. Sequitur : « Igitur iratus est Dominus Salomoni, quod aversa esset mens ejus a Domino Deo Israel; et non custodivit quæ mandavit ei Dominus. » Post hæc verba nihil in Scriptura canonica legitur de Salomone unde pœnitentia ejus possit vel evidenter approbari, vel saltem aliquatenus æstimari.

Quia igitur de præmisso capitulo utcunque dixi, quod mihi videbatur? nunc æstimo demonstrandum quibus testimoniis quod dixi muniatur, ne forte saluti Salomonis videar invidere, et ob hoc, ad voluntatem meam præsumptuose magis quam veraciter Scripturas detorquere. Scio enim quosdam graviter ferre, si Salomon pœnituisse negatur, procliviores ad credendum quod famam loquacem Judæis garrientibus audiunt ventilare, quam quod ecclesiastici doctores inveniuntur in suis litteris affirmare. Isidorus, Hispalensis episcopus, cum de his quæ ante hoc capitulum de Salomone leguntur, allegorizans aliqua per strinxisset, videlicet de ædificatione templi, de sapientia ejusdem Salomonis, qua in scribendo floruit, de judicio meretricum, de regina Austri; ad extremum conclusit. Jam porro de cæteris operibus ejus quid dicam, quem vehementer arguit sancta Scriptura atque condemnat, nihilque de pœnitentia ejus, vel in eum indulgentia Dei omnino commemorat, nec prorsus occurrit quid saltem in allegoria boni significet hæc ejus flenda submersio, nisi forte quis dicat mulieres alienigenas, quarum amore exarserat, significare ecclesias electas ex gentibus? Posset hoc fortasse non absurde intelligi, si illæ propter Salomonem desererent deos suos; et colerent Deum ejus. Cum vero ipse propter illas, offendit Deum suum, et coluit deos earum; non est quid inde boni conjectari possit. Nec tamen nihil arbitror significari, sed malum, sicut de uxore filiabusque Loth diximus. Apparet enim in persona hujus Salomonis mira excellentia, et mira submersio. Quod igitur in illo diversis temporibus exstitit prius bonum et posterius malum : hoc in Ecclesia in isto adhuc sæculo simul uno tempore ostenditur. Nam bono illius bonos Ecclesiæ, malo autem illius malos Ecclesiæ significatos puto, tanquam in unitate unius arcæ, sicut in uno illo homine bonos in granis, malos in paleis, aut in unitate unius segetis, bonos in tritico, malos in zizaniis. Cum dicit Isidorus, quia sancta Scriptura nihil de pœnitentia ejus, vel in eum indulgentia Dei omnino commemorat, satis ostendit, quia in ipsa Scriptura, nec illius pœnitentia patenter potest intelligi, vel latenter aliquatenus colligi. Cum dicit inferius, quia in illo diversis temporibus exstitit prius bonum, et posterius malum; manifeste vult intelligi illud et bene inchoasse, et male terminasse. Neque enim dixit : In illo exstitit prius bonum, et posterius malum, et iterum bonum, quod profecto dixisset, si pœnitentiam ejus astruere voluisset; sed in illo, inquit, exstitit prius bonum, et posterius malum, et de bono illius nihil repetiit. Ut autem idem Isidorus, tam ista, quam cætera quæ per totum hujus libelli sui corpusculum dispersit majorum testimonio commendaret, in præfatione totius operis sic ait : Sumpta itaque sunt hæc ab auctoribus, Origene, Victorino, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Cassiano, Fulgentio, ac nostris temporibus insigniter eloquente Gregorio. Utrum autem omnes **370** isti de Salomone locuti sint, vel quid de eo locuti sint, nondum ad liquidum comperi; neque enim omnium illorum libros legi. Victorini quidem nullum librum adhuc me legisse memini; reliquorum vero non omnes, sed aliquot legi. Quæ igitur in illorum, vel in quorumdam etiam aliorum libris de Salomone reperi, ducam ad medium; si tamen ea quæ mihi aliquando contulit lectio, non obliteravit importuna oblivio. »

Origenes in libro Numerorum homelia vicesima, cum de Salomone loqueretur : « Si relegas, inquit, quæ scripta sunt de Salomone, invenies eum et quidem cum esset sapientissimus, multis mulieribus latera sua inclinasse. Ille ergo cum esset sapientissimus, et ingentibus apud Deum meritis; tamen quia se tradidit multis mulieribus, deceptus est. Ego puto quod multæ mulieres, multa dogmata et multarum gentium diversæ philosophiæ nominentur. Qui cum singula agnoscere et perscrutari, utpote vir scientissimus et sapientissimus, voluisset; semetipsum intra legis divinæ regulam tenere non potuit; sed decepit eum Moabitica philosophia, et persuasit ut idolo Moabitico immolaret. Similiter et Ammonitarum, et reliquarum gentium. Grande ergo est, et vere opus Dei, tam multis dogmatibus, quasi mulieribus misceri, nec tamen a veritatis regula declinare, sed constanter dicere : « *Sexaginta sunt reginæ et octoginta concubinæ, et adolescentulæ, quarum non est numerus : una est tamen columba mea* (*Cant.* VI). » In his verbis Origenis nulla sonat pœnitentia Salomonis, sed deceptus asseritur, quia multis mulieribus

se tradidit, et semetipsum intra legis divinæ regulam tenere non potuit. « Et ideo grande est, inquit, et vere opus Dei, tam multis dogmatibus, quasi mulieribus misceri; nec tamen a veritatis regula declinare, sed constanter dicere : *Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, una est tamen columba mea.* » Per quod videtur innuere, quia Salomon hoc quidem dixit, sed constanter non dixit, constanter autem dicere nihil est aliud quam in finem perseverare. Unde Beda super Lucam ait : « Non inchoatio patientiæ, sed perseverantia cœlestis regni gloriam donat, quia nimirum perseverantia quæ alio nomine constantia vocatur, robur quoddam et fortitudo mentis cunctarumque est columna virtutum. » Idem Origenes in Homelia vicesima septima super Lucam, in qua ostendit Matthæum et Lucam diversos generationis Christi potuisse auctores, sic ait : « In Matthæo nominatur conjux Uriæ, quæ violavit viri torum. Quia enim Dominus noster atque Salvator ad hoc venerat, ut hominum peccata susciperet, propterea descendens in mundum, assumit peccatorum hominum, vitiosorumque personas, et nasci voluit de stirpe Salomonis, cujus peccata conscripta sunt, et Roboam, cujus delicta referuntur. Quando vero de lavacro conscendit et secundo ortus esse describitur, non per Salomonem, sed per Nathan nascitur; qui ejus arguit patrem super Uriæ mortem ortumque Salomonis. » In his etiam verbis satis manifeste Salomonem, quemadmodum et Roboam Origenes accusat, et nulla eum pœnitentiæ assertione excusat. Matthæus quidem cujus propositum fuit a superioribus ad inferiora descendendo nativitatis Christi seriem texere, eidem generationi voluit vitiosorum hominum personas inserere, ut eum ostenderet de peccatoribus natum, qui in carne venerat damnare peccatum. Ideo Salomonem et Roboam nominavit, « quorum, ut ait Origenes, peccata conscripta sunt. » Lucas vero ab inferioribus ad superiora conscendens Christum non descendentem in mundum, sed de lavacro baptismi ascendentem describit, et seriem generationis a Joseph inchoans, ad ipsum usque Deum perducit. Cum enim de Christo baptizato dixisset, et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Matath, qui fuit Levi, sursum versus per ordinem currens, ad hoc, seriem nominum conclusit, ut diceret, qui fuit Sem, qui fuit Adam, qui fuit Dei. In hoc igitur catalogo, cujus Deum finem, vel limitem ponere voluit, Salomonem, et Roboam Lucas ponere noluit, ne restis, quæ tam sancto fine consummatur, Salomonis, cujus peccata conscripta sunt. insertione turparetur. Nathan vero prophetam loco ejus inseruit : qui non solum non arguitur, verum etiam David regem patrem Salomonis humili præsumptione corripuit. Volunt autem quidam Nathan prophetam, qui super Uriæ mortem David corripuit, non fuisse filium ipsius David, sed filium Samaa, fratris David. Qui et altero nomine. ut aiunt. appellatur Jonathan; sed cum dicitur propheta, non dicitur Jonathan, sed solummodo appellatur Nathan. Verumtamen David Nathan filium genuit, quem sive prophetam, sive non prophetam catalogo suo pro Salomone Lucas inseruit.

Augustinus in secundo Tractatu de psalmo octogesimo nono, sic dicit : « Promisit ex semine ejus in æternum aliquid, et natus est Salomon. Factus est autem tantæ sapientiæ tantæque prudentiæ, ut promissio Dei de semine David putaretur impleta. Sed cecidit Salomon, et dedit locum sperandi Christum. Hic dicturus tibi erat Deus : Juravi quidem et promisi, sed iste noluit perseverare. Quid ergo? Domine Deus, non præsciebas istum non perseveraturum? Utique sciebas. **371** Quare ergo in non perseveraturo mihi, quod in æternum esset, promittebas? » Idem Augustinus in Tractatu de psalmo centesimo vicesimo sexto sic dicit : Salomon mulierum amator fuit, et reprobatus a Deo est. Sed si, illo cadente, quæ per ipsum dicta sunt delentur, judicaretur quia ipse dixerat, non per illum dicta erant. » Videtis quia Augustinus in prius dicto psalmo Salomonem dicit non perseverasse, in sequenti autem reprobatum a Deo, cum tamen ea quæ scripsit reprobata non sint. Idem Augustinus in decimo septimo De civitate Dei, sic loquitur de David et Salomone : « Regnavit, inquit, David in terrena Hierusalem filius cœlestis Hierusalem, divino multum testimonio prædicatus, quia et delicta ejus tanta pietate superata sunt per saluberrimam pœnitendi humilitatem ut prorsus inter eos sit, de quibus ipse ait : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI). Post hunc regnavit eidem populo universo Salomon filius ejus, qui suo cœpit patre vivente regnare. Hic bonis initiis malos exitus habuit, quippe secundæ res quæ sapientium animos fatigant, magis huic obfuerunt quam profuit ipsa sapientia, etiam nunc et deinceps memorabilis, et tunc longe lateque laudata. » Evidentiorem de Salomone sententiam Augustinus proferre non potuit, quam dicendo : Hic bonis initiis malos exitus habuit. » Quod utique non dixisset, si eum pœnituisse cognovisset. Si enim in finem veraciter pœnituit, non malos, sed bonos exitus habuit. Denique Augustinus ante mortem suam, cum in Scripturis divinis jam quadraginta annis exercitatus esset, libros quos a primordio conversionis suæ usque ad id temporis scripserat, diligenter retractavit; et ducentos triginta duos inveniens, præter epistolas et tractatus populares, quidquid in illis dignum reprehensione videbatur, partim reprehendendo, partim defendendo et exponendo, quomodo intelligi deberet excerpens, in uno volumine copulavit. Librum itaque De civitate Dei inter cæteros retractavit; et tamen quod de Salomone dixerat. dignum corrigi nequaquam judicavit. Qui si per tanti spatium temporis, vel ex Scriptura canonica, vel ex præcedentium Patrum veracibus scriptis pœnitentiam Salomonis percepisset, malos eum exitus habuisse, vel non dixisset, vel dictum procul dubio arguisset.

Gregorius papa, quem loco et tempore constat A longe ab Augustino fuisse, invenitur eidem sententiæ assensum præbuisse. Ait enim in secundo libro Moralium : « A qualitate temporis finis exprimitur actionis, sicut non rediturus ad veniam ad traditionis perfidiam nocte Judas exisse perhibetur, cum egrediente illo ab evangelista dicitur : *Erat autem nox* (*Joan.* XIII). Hinc etenim et iniquo diviti dicitur : *Hac nocte animam tuam repetunt abs te* (*Luc.* XII). Anima quippe quæ ad tenebras ducitur, non in die repeti; sed in nocte memoratur. Hinc est quod Salomon, qui sapientiam non perseveraturus accepit, in somnis hanc et nocte accepisse describitur. » Hæc sunt verba Gregorii. Videte ergo quid dixerit : « Sapientiam, inquit non perseveraturus accepit : et ideo in somnis hanc, et nocte accepit. » Quod autem hanc perseverantiam, finem intelligi voluerit, satis manifestat, cum dicit : « A qualitate temporis, finis exprimitur actionis. » Judam quippe et iniquum divitem male finiisse nequaquam dubitatur, quod a qualitate temporis, ut ait Gregorius, designatur. Si autem Salomon, quem eis adjungit pœnitendo ad lucem veræ sapientiæ remeavit, ad quam procul dubio, quemcunque veraciter pœnitet, redit : apud ipsum a qualitate temporis, non finis, sed medium exprimitur actionis. Cum ergo dixisset Gregorius : « A qualitate temporis finis exprimitur actionis, » non debuit hoc probare exemplo Salomonis, cujus actio finem lucidum habuit, si tamen pœnituit. Movet itaque me quod superius movere me dixi, quid videlicet sibi vult quod Scriptura C sacra dicit : « Quia Salomon evigilavit et intellexit quod somnium esset (*III Reg.* III). » Cum enim somno felici teneretur, putabat forte fixum ac solidum esse quod videbat; cum autem dormire destitit, intellexit perfunctorium ac volaticum fuisse quod viderat. Quid hoc significat? Quid, quæso, nisi quia non erat permansurus in ea sapientia quam somniando accepit, sicut et in ipso somno, in quo sapiens factus est, non permansit? In eo quippe quod in somnis videmus, non permanemus; et tunc primum nos dormisse pro certo cognoscimus, cum dormire desistimus. Felix itaque Salomon, si nunquam evigilasset, qui quod somnians meruit obtinere, vigilans non potuit, imo noluit custodire. Defectus igitur somniandi defectum innuit sapiendi; nox in qua se cum evigilasset invenit, tenebras indicat peccatorum, ad quas cum desipuisset devenit. Denique vix invenietis aliquem sanctorum, qui sapiens factus sit somniando, imo quisquis invenitur sapientiam habuisse adeptus est eam, non nisi vigilando, etsi enim quibusdam antiquis patribus locutus est Deus, sive per visiones, sive per somnia, sicut ad Aaron et Mariam dicit : « Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, et per somnium loquar ad illum (*Num.* XII), » non tamen donum sapientiæ cuiquam somnianti, ni fallor, legitur contulisse, ne appetitores ejus, non ad studium et diligentiam, sed ad otium et somnoB lentiam videretur animasse. **372** De apostolis quidem vigilantibus Lucas dicit : « Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV). » Joannes quoque evangelista, qui fluenta verbi Dei de fonte Dominici pectoris hausit, gratius quippe ex illo fonte bibuntur aquæ, supra Christi pectus in cœna non dormisse legitur, sed recubuisse (*Joan.* XXI). Apud litteras sæculares, quasi per somnium recolo me legisse, quod in monte Parnasso Ennius somniavit, et sic repente poeta prodivit. Unde et a posteris idem poeta non magnopere commendatur, imo in suis tam scriptis quam actibus, non solum dormitare quod et bonus quandoque fecit Homerus, sed dormire et enerviter stertere judicatur. Salomonis autem sapientia etsi commendabilis, quia divinitus est collata, ei tamen non utilis, quia non permansit in ea, dum, ut verbis Augustini utar : « Secundæ res, quæ sapientium animos fatigant, magis ei obfuerunt, quam profuit ipsa sapientia, et nunc, et deinceps memorabilis, et tunc longe lateque laudata. » Hoc idem et Papa Gregorius affirmat, dum exemplo ejusdem Salomonis a qualitate temporis finem dicit exprimi actionis.

Fulgentius sine litteris (107), libro octavo, absque *h*. « Deus meus, quid sibi vult tam secreta tui judicii dispensatio? Cur maculosi criminis soboles successu paterni fruitur regni? Nunquidnam oportuerat, ut Salomon adulterinæ vulvæ contagione turpatus, aut ædificandi templi meritum caperet,

(107) Id est in opere sine litteris. De hoc Fulgentio hæc habet Fabricius Bibliothecæ med. et inf. lat., t. II, p. 213 : « Fabius Claudius Gordianus Fulgentius V. C., auctor libri prosa scripti et distributi in libellos XXIII, quorum titulus : *De ætatibus mundi et hominis opus mirificum, sine litteris*, nam in toto primo libello de Adamo nullum A, in secundo de Abele nullum B, in tertio de Caino nullum C, atque ita in cæteris. Edidit ex codice Sorbonico (in quo perinde, ut apud Sigebertum cap. 28 Fulgentio Ruspensi præter rem tribuebatur) et notis illustravit Jacobus Hommey (*Journal des Savants*, a. 1694, pag. 757), Pictavii 1694, 8, addito etiam specimine Petri de Riga, recapitulationum utriusque Testamenti, versibus elegis, quas integras publici juris fecit Polycarpus Leyserus in Historia poeseos medii ævi, pag. 705-727, in quibus similiter prima sectio sive distinctio nullum habet A, secunda nullum B, atque ita ad Z usque. D Hujusmodi iliadem λειπογράμματον singulis litteris per singulos libros diminutis, Græcis olim versibus scripserat Nestor Larandensis, atque Odysseam Thryphiodorus, de quibus dictum libro II Bibliothecæ Græcæ, cap. 5. Fulgentiani scripti alium codicem manu exaratum, sed posterioribus libris mancum, laudat Sanderus parte II Bibliothecæ Belgicæ ms., pag. 23. In hoc non *Fabius*, ut ab Hommeyo, sed *Flavius* Claudius Gordianus Fulgentius appellatur. Tamen Bollandus eodem mutilo usus codice etiam *Fabium* appellat tomo I Januar., p. 972. *Libycum sive Afrum se non uno loco auctor fatetur, idque opus, Xenophontis poetæ Græci imitatione aggressum : conjectet aliquis Claudium fuisse, Gordiani filium, Fulgentii Ruspensis patrem, qui ex Italia quo Genserici furor parentem exturbarat, reversus in Africam, avitis possessionibus ac domo spoliatus merito in publicas rapinas invectus lib.* I *quæri potuit*, etc. » Hæc Bollandus.

aut sapientiæ thesauros indagaret; aut paterni regni successor, ac potentior fieret? Sed vide quia criminis filius, crimen incurrit, et adulterinum germen non bono termino consummavit. Licet ab hyssopo usque in cedros Libani disputet, licet Austri reginam suam sapientiam admirantem exspectet, quamvis templum ineffabile construat, spiritibus jubeat, prudentia confluat, judiciis calleat, divitiis fulgeat, auro rutilet, gemmis ardescat; tamen cauteriavit in vita quidquid insitum traxerat de natura, et quod omnibus deterius est, gentilium deorum in senectute jam non prudentissimus, sed impudicus cultor. » Cum dicit Fulgentius, quia Salomon criminis filius et adulterinum germen non bono termino consummavit, satis aperte ejus pœnitentiam abnegavit, adjungens quantum illius senectus religioni fuerat inimica, dum eam non prudentia conservavit, sed sicut ait : « Cultura polluit impudica. »

Paschasius Ecclesiæ Romanæ diaconus, vir divinis litteris apprime eruditus; cujus sanctitatem et scientiam Gregorius in quarto libro Dialogorum commenti de Salomone sic loquitur : « Semen ejus in æternum manebit, et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum et testis in cœlo fidelis, ergo qui volunt de Salomone hoc dictum accipere cogitent quomodo thronus ejus sicut sol in conspectum Dei Patris fuerit, cum Scriptura sancta dicat quod aversum sit cor ejus propter concupiscentiam feminarum, et adoraverit Astaroth, et Chamos deum Sidoniorum ac reliqua portenta gentium. Unde ad ultimum infert Scriptura, quod non erat Deus cum Salomone; si ergo non erat Deus cum eo, quomodo thronus ejus in conspectu Dei Patris sicut sol fulgebat, præsertim cum et fœdatus omni immunditia libidinis, et propter idololatriam sit condemnatus? vel unde in cœlo fidelis, qui supra terram idola venerando falsus inventus est testis? Sed quia nequaquam de eo istud potest intelligi, necesse est super Christo velit nolit inimicus interpretari. » Hæc sunt verba Paschasii de Salomone, in quibus dicit eum et super terram idola venerando inventum esse testem falsum, et propter idololatriam condemnatum.

Beda, presbyter, qui præcedentium Patrum libros tanto studio et assiduitate invenitur legisse, ut multa sicut in illis posita sunt, sic omnino et in suis inveniatur posuisse, in libello quem scribit ad Nothel minimum de quibusdam quæstionibus libri Regum cum Josiam commendaret, sic locutus est : « Excelsaque erant in Hierusalem ad dexteram partem Montis offensionis quæ ædificaverat Salomon rex Israel Astaroth idolo Sidoniorum et Chamos offensioni Moab polluit rex et contrivit statuas, videlicet Josias de quo loquebatur, et addidit de Salomone : Ubi, ni fallor, ostenditur, quod utinam non ostenderetur, quia videlicet Salomon de admisso idololatriæ scelere nunquam perfecte pœnituit. Nam si fructus pœnitentiæ dignos faceret, satageret ante omnia ut idola quæ ædificaverat, de civitate sancta tollerentur; et non in scandalum stultorum, quæ ipse cum fuisset sapientissimus, erronea faceret quasi sapienter ac recte facta relinqueret. » Hæc eadem verba sicut in libello Bedæ posita sunt, Anglosmus et Rabanus, qui posteriores Beda fuerunt, in suis quoque libris posuerunt.

Quia dixi aliqua quæ pœnitentiæ Salomonis luce clarius inveniuntur, adversari dicam et ea in quibus eadem ut quidam volunt videntur affirmari, ne videar tacere ex industria quod illi nolunt reticere. Inveni quippe quædam foliola, in quibus ad testimonium pœnitentiæ ejus quædam conscripta erant, quæ de sanctorum opusculis Patrum excepta erant. Ea igitur ducam ad medium quæ ibi collecta inveni, ne tacendo offendam eos qui plus justo compatientur Salomoni. « De prævaricatione, inquit, regis Salomonis quid sanctus Augustinus, doctor egregius, **373** senserit quid interpres et expositor divinæ legis Hieronymus de ejus pœnitentia scripserit vel ubi illum catholicæ fidei defensor Ambrosius sanctum appellaverit, paucis intimabo. » Et subjungit : « In expositione libri Geneseos ad litteram libro undecimo Augustinus de eo : Salomon, inquit, vir tantæ sapientiæ nunquidnam credendum est quod in simulacrorum cultu credidit esse aliquid deitatis? Non : sed mulierum mori ad hoc malum trahenti resistere non valuit, faciens quod sciebat non esse faciendum, ne suas, quibus deperibat atque defluebat mortiferas delicias contristaret. » Hæc nimirum Augustinus in libro undecimo de Genesi dicit; sed si quis diligentius attendat circumstantiam lectionis, in his verbis non excusationem, sed accusationem inveniet Salomonis. Neque enim hoc dicit Augustinus ad comprobandum quod Salomon pœnitentiam egerit, sed ad ostendendum quod prudenter, id est scienter peccavit, cum id non esse faciendum procul dubio sciret et tamen contempto Deo, voluntati mulierum obediret. Sic et ille primus Adam prudenter peccavit cum sciens non esse faciendum quod mulier suadebat, fecit tamen quod illam velle pertinaciter attendebat, ne quam sociam acceperat, contristaret, quam credebat mœrore tabescere si ei licet in malo assensum non præberet. Unde Apostolus : « Adam, inquit, non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit (*I Tim.* II), » pro eo scilicet quod illa credidit verum esse quod serpens sibilavit, ille vero falsum esse et tamen declinavit. De ipso quippe Adam quem dicit Apostolus non fuisse seductum in eo quem prædiximus libro loquitur Augustinus, cujus et gratia Salomonem ducit ad medium, asserens quoque ipsum seductum non fuisse, hoc est non ignoranter, sed scienter peccasse. Quod etiam in libro De civitate Dei decimo quarto manifeste declaravit, cum de Adam similiter loqueretur : « Sicut Aaron, inquit, erranti populo ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus; nec Salomonem credibile est errore putasse idolis esse serviendum, sed

blanditiis femineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum : ita credendum est illum virum conjungi ad Dei legem transgrediendam non tanquam loquendi verbo credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse. » Ne autem eum vel eos Augustinus excusasse videretur, subjungit de Adam : « Nec tamen minus reus si sciens prudensque, in his igitur verbis nulla pœnitentia commendatur, sed nociva scientia condemnatur, juxta illud Jacobi apostoli : *Scienti bonum facere et non facienti, peccatum est illi* (*Jacob.* IV). »

Item in foliolis : Ambrosius, inquit, in libro Exameron mentionem Salomonis faciens : « Nosce, inquit, te ipsum, o homo, quod non ut ferunt Apollinis Pythii sed Salomonis sancti est, qui ait : Nisi scias te formosam in mulieribus. » Item Ambrosius in Apologia David : « Quid de David dicam, quid de sancto Salomone? Qui, quoniam judaicum vulgus æstimabat eum venisse pro Christo, ne videretur esse super hominem, nutu divino corruit. » Hæc Ambrosius. Ne autem videremur dubitare quare Salomonem Ambrosius dixerit sacrosanctum, qui hæc in foliolis scripsit quasi de suo subscripsit : « David, inquit, non dicitur sanctus qui ab omnibus sanctus esse scitur ; sed Salomonem sanctum nobis nominat, ut nobis de pœnitentia ejus dubitationem tollat. » Quod de Aaron quem David sanctum nominat Gregorius Papa in Homelia septima super extremam partem Ezechielis prophetæ dicit, cum illum versiculum de psalmo ad medium ducit : *Et irritaverunt Moysen in castris ; Aaron sanctum Domini* (*Psal.* CV). « Moyses, inquit, non dicitur sanctus, quia sanctus ab omnibus scitur : et Aaron sanctum nominat, ut de vita illius dubitationem tollat. » Quod ergo de Aaron Gregorius dicit hoc iste usurpatorie Salomoni attribuit, cum idem Gregorius qui defert Aaron testimonium sanctitatis, pœnitentiam, ut supra dictum est, deneget Salomonis. Denique idem Ambrosius in eadem apologia David, ubi Salomonem sanctum nominat, ejus tamen pœnitentiam non affirmat : imo, si quis autem velit diligentius inclinare, inveniet Ambrosium Salomonis pœnitentiam abnegare. Sic enim ait : « Quid de Salomone sancto loquar ? cujus posteriora cum gravi errore non careant, vulgus tamen Judaicum ipsum æstimat venisse pro Christo. Et quam multos gravis erroris offensa revocavit? Major itaque culpa plus profuit ne supra hominem crederetur qui vitio non caruisset humano ? » Cum dicit Ambrosius, quia posteriora Salomonis gravi errore non caruerunt, patenter asserit quod pœnitentiam abjecerunt, quam si ut a quibusdam contenditur, assumpsissent, errore gravi procul dubio caruissent. Quo autem judicio Deus illum in extremis permiserit sic peccare, videtur idem Ambrosius intimare, ne illum scilicet Christum populus æstimaret, si inchoatam sanctitatem fine debito consummaret. Multos igitur ab errore, ut ait, gravis hujus erroris offensa revocavit, dum, ne Christus putaretur, purum hunc esse hominem declaravit, et plus profuit culpa militans saluti electorum, quam justitia perseverans uni utilis in perniciem plurimorum : non ergo moveat si in his quæ prædiximus locis, verum etiam in quibusdam aliis Salomonem Ambrosius sanctum appellat, quæ perquirere et ad medium ducere non est necessarium, cum semel vel iterum invenisse sufficiat. Philippus quoque in primo libro super Job, sanctum eum dicit : **374** « Sicut, inquiens, sanctus Salomon dicit : *Fructus autem impiorum peccata.* Et alibi in sequentibus, et forte in aliorum opusculis Patrum similiter poterit inveniri, si quis voluerit vel potuerit diligentius incumbere lectioni. Cæterum quantum mihi videtur, non per hoc Salomon pœnituisse comprobatur, nec quod dicitur sanctus, cogit intelligi eum ad sanctitatis regulam in extremis rediisse, sed eum sanctum aliquando fuisse. Sicut enim Petrus Satanas appellatur, sapiens non quæ Dei sunt, sed quæ hominum, qui tamen in eo proposito non remansit ; sic nimirum Salomon dici potest merito sanctus, etsi in ea quam habuit sanctitate non permansit. Quod si quis dixerit quia Petrus non invenitur Satanas appellari nisi quando Christo volnit adversari et abjecto vitio quod tali nomine signabatur, nusquam postea Satanas appellatur, recolat Scripturas et attendat, ut Apostolus præcipit, lectioni, et inveniet multos id quod jam non erant, sed aliquando fuerant, appellari.

Apud Matthæum cum Judas Iscariot accedens ad Jesum, oscularetur eum : « Dixit illi Jesus : Amice, ad quid venisti ? » (*Matth.* XXVI.) Patet quia eum vocat amicum quem sciebat jam non esse sed aliquando fuisse amicum. Neque enim credendum est quod Christum Judas nunquam amaverit, licet in eodem amore nequaquam permanserit. Sicut enim injustus plerumque Deo miserante convertitur et fit justus : sic e regione justus aliquando Deo deserente pervertitur et fit injustus. Quod apud Ezechielem (*cap.* XXVIII) declaratur cum dicitur : « Si impius egerit pœnitentiam, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet, et non morietur. Si autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem in prævaricatione qua prævaricatus est, et in peccato suo quo peccavit ; in ipsis morietur. » Nec tamen dicendum est quod ibi subjunctum est : « Non est æqua via Domini (*ibid.*). Verum quia non est necesse ut ad hoc probandum multa de Scripturis testimonia proferamus; cum in hujus vitæ instabili cursu id non tam legi quam fieri nos ipsi videamus, unum dixisse sufficiat et ad propositum redeamus. Matthæus cum catalogum texeret apostolorum, seipsum inter cæteros appellat Publicanum : « Philippus, inquit, et Bartholomæus, Thomas et Matthæus publicanus. » Publicani autem eo tempore dicebantur qui publicis negotiis quæ sine peccato vel vix vel non possunt agi, vel sceleribus et flagitiis non verebantur implicari, et contempta bene vivendi censura, quidquid eis inordinate libebat, non ex decreto legis, sed ex decreto perversæ voluntatis per-

petrare licebat. Absit vero ut talis esset Matthæus cum Evangelium scriberet et se in illo publicanum nominaret, sed talis procul dubio fuerat quando ad teloneum residebat,? Cæterum Christi vocatione et inspiratione commonitus, tam teloneum quam cætera quæ male vel agebat vel habebat, dimisit, et re ipsa vocabuli relegata, rei tamen vocabulum non amisit. Apud eumdem Matthæum dicit Dominus : « Pharisæi, publicani et peccatores præcedunt vos in regno Dei (*Matth.* XXI). » Quomodo, quæso, in regno Dei publicani Pharisæos præcedunt, qui, nisi publicani esse desierint, ad illud nunquam accedunt? Eos igitur publicanos appellat qui publicani fuerunt et quando ad regnum Dei vel non accedentes, vel tardius accedentes præcedunt, publicani esse procul dubio destiterunt. Marcus Evangelista (*cap.* II), cum de ejusdem Matthæi vocatione loqueretur : « Vidit, inquit, Levi sedentem ad teloneum et ait illi : Sequere me. Et surgens secutus est eum. Et factum est cum accumberet in domo illius, multi publicani et peccatores simul discumbebant cum Jesu et discipulis ejus. » Istos publicanos et peccatores qui in domo Matthæi cum Jesu discumbebant, non æstimo esse quales antea fuerant : imo non mediocrem eos æstimo consecutos gratiam, quos suo dignos convivio Christus vocavit ad pœnitentiam. Unde scribis et Pharisæis super hoc murmurantibus respondit : « Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam (*ibid.*). » Hoc est dicere : Non veni vocare vos qui justos (quod non estis) putatis vos esse, sed eos qui se ipsos accusando, quod erant jam meruerunt non esse.

Lucas Evangelista : Unus, inquit, de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens : Si tu es Christus, salvum fac te ipsum et nos. Respondens alter increpabat eum dicens : Neque tu times Deum quod in eadem damnatione es (*Luc.* XXIII). Et dicebat, inquit, ad Jesum : « Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum. » Cum dicit Lucas quia unus de his qui pendebant latronibus blasphemabat, et alter illum increpabat, tam illum qui blasphemavit quam eum qui blasphemantem increpavit, latronem appellavit, cum nimirum blasphemator latrocinii vitio teneretur, alter vero jam non latro, sed confessor devotissimus haberetur. Hæc pro eo dicta sint, quod Salomonem Ambrosius sanctum dicit, in quo, quantum videtur, cæteris doctoribus nequaquam contradicit, quorum Augustinus : « Hoc, inquit, bonis initiis malos exitus habuit. » Hoc quippe dicendo, bene illum inchoasse et male consummasse, satis manifeste Augustinus designat, propter quæ 375 initia nomen ei sanctitatis Ambrosius assignat. Sic nimirum et alios quosdam reges, tam Juda quam Israel sancta regni primordia, dicit sermo divinus habuisse, quorum tamen finalia mala idem asserit exstitisse. Sicut enim Joas, Amasiæ, Oziæ, regum Juda prima opera commendantur, sic profecto eorumdem ultima condemnantur. Reges autem Israel quorum diviso regno primus fuit Jeroboam filius Nabath, ultimus vero Osee filius Hela, omnes reprobi fuisse cognoscuntur, quorum tamen opera nonnulla commendantur. Ut enim cæteros omittam, Jehu filium Josaphat filii Namsi, quanta laude sermo divinus commendet et quanta eum viituperatio postmodum decoloret : in promptu est audire, si legenti silentium velitis impertire : « Dixit, inquit, Dominus ad Jehu : Quia studiose quod rectum erat et placebat in oculis meis, et omnia quæ erant in corde meo fecisti, contra domum Achab : filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel (*IV Reg.* X). » Et statim adjungit Scriptura : « Posthæc Jehu non custodivit ut ambularet in lege Domini Dei Israel in toto corde suo; non enim recessit a peccatis Jeroboam qui peccare fecit Israel (*ibid.*). » Sicut rex iste Jehu opera Deo placita primo legitur habuisse, et eisdem operibus calcem detestabilem posuisse, sic nimirum et Salomonem eadem Scriptura dicit Deo primitus placuisse, ad extremum vero cum senex factus esset, iram divinam per mulieres incurrisse.

Sequitur in Foliolis : *Testimonium de Salomonis pœnitentia.* Hoc de libello cujusdam Bacharii assumptum est; sed nomen ejus ibidem positum non est. Ille quidem Bacharius in libello quem ad Januarium scribit, asserens non esse desperandum de quodam fratre qui foveam inciderat fornicationis, ducit ad medium ruinam et pœnitentiam Salomonis. « Salomon, inquit, ille mirabilis qui meruit assistrici Dei, id est sapientiæ, copulari, in alienigenarum mulierum incurrit amplexus, et in vinculo libidinis laqueatus etiam sacrilegii errore se polluit, quoniam simulacrum Chamos idolo Moabitico fabricavit. Sed quia per prophetam culpam erroris agnovit, nunquid medicinæ cœlestis extorris est? At forsitan dicas : Nunquam eum in canone lego pœnituisse, neque veniam consecutum. Audi ergo, frater : pœnitentiam ejus quæ non scribitur legibus, fortasse ideo acceptabilem aliqui dicunt, quia non ad faciem populi sed in secreto conscientiæ, Deo teste, pœnituit. Veniam autem ex hoc consecutum esse agnoscimus, quia, cum solutus esset a corpore sepultum eum inter regum Israelitarum corpora, Scriptura commemorat. Quod tamen alibi peccatoribus regibus abnegatum esse cognoscimus, qui usque in finem vitæ suæ in proposita perversitate manserunt. Et ideo, quia inter reges justos meruit sepeliri, non fuit alienus a venia, veniam autem ipsam sine pœnitentia non potuit promereri. » Hæc sunt verba Bacharii. « Quia, inquit, per prophetam culpam erroris agnovit, nunquid medicinæ cœlestis extorris est? » Quod Salomon, per prophetam peccatum suum agnoverit, et per hanc cognitionem pœnitentiam egerit, miror in quo Bacharius codice legerit; cum hoc in Scriptura canonica nequaquam invenerit. Si enim recenseat libros Regum, vel Paralipomenon vel cæteros quos auctoritate firmatos canonica Ecclesia legit catholica, non inveniet, si

tamen non fallor, quod Salomonem peccantem quisquam propheta vel arguerit, vel admonuerit pœnitere : quod tamen de David, vel Asa, vel cæteris quibusdam tam justis quam injustis regibus poterit invenire. Quatuor quidem vicibus, Deus Salomoni locutus fuisse legitur, ubi tamen nullus propheta medius invenitur Confirmato regno in manu sua, cum esset in Gabaon : « Apparuit, inquit, Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens : Postula quod vis ut dem tibi (*III Reg.* III); » et infra : « Cum texisset domum quam ædificabat, laquearibus cedrinis, et ædificasset tabulatum super omnem domum, factus est, inquit, sermo Domini ad Salomonem dicens : Domus hæc quam ædificas, si ambulaveris in præceptis meis, firmabo sermonem meum tibi quem locutus sum ad David patrem tuum (*III Reg.* VI), » etc. Longe post : « Cum perfecisset, inquit, Salomon ædificium domus Domini, apparuit ei Dominus secundo sicut apparuit et in Gabaon. Dixitque Dominus ad eum : Exaudivi orationem tuam (*III Reg.* IX), » etc. Ad extremum cum tam libidine quam idololatria offensam divinam incurrisset : « Iratus est, inquit, Dominus Salomoni, eo quod aversa esset mens ejus a Domino Deo suo, et non custodivit quæ mandavit ei Dominus. Dixit itaque Dominus Salomoni : Quia habuisti hoc apud te, et non custodisti pactum meum, et præcepta mea quæ mandavi tibi (*III Reg.* XI), » etc. Neque hic, neque alibi postea Salomon in Scriptura canonica peccatum suum per prophetam legitur agnovisse, ut per hoc medicinam cœlestem credendus sit invenisse. Denique Ahias propheta Silonites cum prædiceret Jeroboam filio Nabath, quod regnaturus esset super decem tribus Israel : « Apprehendens, inquit, Ahia pallium suum novum scidit in duodecim partes, et ait ad Jeroboam : Tolle tibi decem sciasuras. Hæc enim dicit Dominus : Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis : et dabo tibi decem tribus; eo quod dereliquerit me; et non **376** ambulaverit in viis meis sicut David pater ejus, te autem assumam et regnabis (*ibid.*). » Et finito sermone Ahiæ Silonitis, infert Scriptura : « Voluit ergo Salomon interficere Jeroboam (*ibid.*). » Ex quo potest colligi, quoniam ea quæ fuerat propheta locutus, quod scilicet Jeroboam esset regnaturus, Salomon quidem cognovit, sed hac cognitione medicinam cœlestem vulneri suo non admovit, dum eum quem divina voluntas regnare disposuit, invidiæ reus et homicidii interficere voluit. At ille « surrexit, inquit, et aufugit in Ægyptum : et fuit in Ægypto, usque ad mortem Salomonis (*ibid.*). »

Quod si ad Josephum Judaicæ scriptorem antiquitatis Bacharius velit recurrere, ut quod de Salomone asserit illius patrocinio velit defendere, non inveniet quod ille asserat Salomonem pœnituisse. Quamvis dicat ad eum prophetam venisse. Ne autem videar injuste Bachario subtrahere, Josephi verba ducam ad medium. « Salomon, inquit, irrationabili amore constrictus ducens uxores numero septuaginta et trecentas concubinas, super has autem, et filiam regis Ægyptiorum, repente captus ab eis est; ita ut earum quoque sequeretur culturas. Ætate siquidem procedente et ratione propter tempus pariter infirmante, cum jam non posset studia paterna retinere, deum quidem proprium duarum uxorum jugiter honorabat. Venit ergo propheta, missus a Deo dicens, quia neque iniquitas ejus latet eum, neque diu in his esset lætaturus. Hæc audiens Salomon contremuit, et valde turbatus est, et ex omnibus pene bonis in quibus erat repente mutatus. » Hæc Josephus de Salomone. Quomodo autem ex omnibus pene bonis in quibus erat repente sit mutatus, declarat cum adjungit : « Non multo, inquit, tempore transeunte ex quo ei hæc ipsa venire prædicta fuerant a propheta, mox suscitavit super eum Deus inimicum Adher nomine. Et paulo post tempore, inquit, quo jam Salomon in malis erat propter prævaricationes prædictas, et Dei ariter ram dimissus, Adher a Pharaone venit in Idumæam, et eum jam non posset eum Salomon colligere quod multis præsidiis servabatur, recessit facies ejus invisa, surgensque inde venit in Syriam. Junctus autem illic cuidam Raaz nomine et usque amicitiis copulatus, cum haberet circa se latronum maximam multitudinem, ascendens et tenens Syriam rex ejus effectus est. Tunc quoque discurrens, Israelitarum provinciam affligebat; et adhuc Salomonem vastabat. Inter hæc autem Jeroboam, filius Nabathei, surrexit contra Salomonem, cognoscens autem Salomon ejus voluntatem et dolum, quærebat ut eum comprehendens interficeret. » In his verbis Josephi nulla sonat pœnitentia Salomonis, sed peccatum ejus, et eodem peccato exigente tam ipsius quam totius afflictio regionis. Et concludit : « Mortuus est itaque Salomon valde longævus, et sepultus est in Hierosolymis cunctos felicitate et prudentia et divitiis reges excellens, præter illa in quibus circa senectutem deceptus mulierum ardore prævaricatus est. » Quod autem prævaricatus non pœnituerit, longe superius idem Josephus manifestat cum dicit : « Dum fuisset, inquit, Salomon omnium regum gloriosissimus atque religiosissimus, et prudentia, et divitiis excelleret universos qui ante eum Hebræorum tenuerunt principatum, non in his usque ad vitæ suæ terminum permansit, quoniam relinquens solemnium custodiam paternorum, circa mulieres et veneream intemperantiam turpiter exardescens, non simili fine rerum quo David conversatus est. » Videtis quia et Josephus dicit Salomonem non simili fine conversatum quo et David, sicut Scriptura canonica dicit, quod superius satis discussum est : Quia non erat cor ejus cum Domino sicut David; et non adimplevit ut sequeretur Dominum sicut David. Si autem veraciter pœnituisset, quod nulli dubium est fecisse David, veraciter dici posset conversatus simili fine rerum quo et David. Nihil ergo aliud in his verbis Josephi sonat quam

Salomonis peccatum. Et nulla ejus pœnitentia post peccatum.

Ad Scripturam canonicam et ad Bacharium revertamur. « Dormivit, inquit Scriptura, Salomon cum patribus suis, et sepultus est in civitate David (*III Reg.* II). » Hinc etiam Bacharius conatur argumentari, quod ideo Salomon salvus debeat judicari, quia de sepulcris regum non invenitur excludi, unde nonnulli regum leguntur exclusi. « Sepultus est, inquit, in civitate David : civitas David dicta est Sion, quæ et Hierusalem. Unctus quippe in regem David super Israel, abiit, inquit, in Hierusalem : hæc est Jebus; et cœpit arcem Sion, quæ est civitas David. Habitavit autem David in arce, et id circo appellata est civitas David. Ibi sepultus est David, sicut scriptum est : *Dormivit David cum patribus suis, et sepultus est in civitate David* (*ibid.*). Ibi omnes post David reges Juda numero duodecim tam justi quam injusti usque ad Ezechiam, sepulti leguntur; sed, eadem Scriptura teste, de sepulcris regum nonnulli excluduntur. De Joram quippe in Paralipomenon scriptum est : *Sepelierunt eum in civitate David* (*II Par.* XXII), verumtamen non in sepulcris regum. De Ozia leproso, qui et Azarias dictus est, in libro Regum legitur : *Sepelierunt eum cum majoribus suis in civitate David* (*IV Reg.* XV). In libro secundo **377** Paralipomenon (*cap.* XXVI) de eodem : *Sepelierunt eum in agro regalium sepulcrorum, eo quod leprosus esset.* Ubi quærendum est, utrum aliud sit, sepeliri in agro regalium sepulcrorum, et aliud, in sepulcris regum. Quod esse aliud nequaquam vitaretur, nisi per hoc quod adjunctum est, intelligi quodammodo doceretur. Volens enim Scriptura quasi causam ostendere, cur in agro regalium sepulcrorum sepultus esset, subjunxit : *eo quod leprosus esset.* Quod non videtur esse adjunctum ad decus illius, vel gloriam, sed ad dedecus et ignominiam. Potest ergo intelligi, quod ager regalium sepulcrorum majoris erat amplitudinis, quam spatium, vel continentia sepulcrorum, in cujus parte aliqua remota duntaxat a sepulcris cæterorum, Ozias credendus est sepultus esse, quem constat usque ad diem mortis suæ leprosum permansisse. Sicut enim dum adviveret expulsus de templo, habitavit, ut scriptum est, in domo separata propter lepram, sic fortasse et mortuus, in sepulcro separato sepultus est, propter lepram. Quod ergo dictum est in libro Regum, quia sepelierunt eum cum majoribus suis in civitate David, non est intelligendum ut ita sepultus sit cum majoribus suis, ut esset intra sepulcra eorum cum illis; sed in eadem tantum civitate cum eis. Sic enim et de Joram in libro Regum scriptum est : *Et dormivit Joram cum patribus suis, sepultusque est cum eis in civitate David* (*IV Reg.* VIII). Item in eodem, de Joas : *Et sepelierunt eum cum patribus suis in civitate David* (*IV Reg.* XII). Quos tamen exclusos de sepulcris regum, in Paralipomenon declaratum est, sicut paulo ante dictum est. Item de Achaz in Paralipomenon scriptum est : *Et sepelierunt eum in civitate Jerusalem, neque enim receperunt eum in sepulcra regum* (*II Par.* XXVIII), isti tantum quatuor reges a David usque Ezechiam, de sepulcris regum leguntur exclusi, si tamen inter eos Ozias nominatur, reliquorum vero nullum exclusum divina Scriptura protestatur. Cum autem inter reliquos, Roboam, Abia, Acharias, Amasias inveniantur, qui reprobi fuisse nequaquam dubitantur : non satis est conveniens, vel sufficiens argumentum Bacharii, ut ideo scilicet salvus recte Salomon judicetur, quia de sepulcris regum exclusus non habetur. Sepeliri enim inter reges, non est argumentum æternæ sanctitatis, sed perfunctoriæ cujusdam cumulus dignitatis : excludi vero ab eis, non est æternæ damnationis judicium, sed subjectæ plebis perseverans in regem demonstrat odium. Denique Scriptura divina, nec aperte dicit, nec latenter uspiam innuit quod justus debeat judicari, qui cum justis inventus est tumulari; cum Saul et Jonathan in Jabes Galaad subter quercum legantur sepulti, quorum Saul injustus, Jonathan vero asseritur justus; Manasses quoque rex Juda, et Ammon filius ejus in horto domus suæ, in horto Asa ambo sepeliuntur, quorum Manassen post multa scelera dicit Scriptura valde coram Deo pœnitentiam egisse; Ammon vero in perversitate sua pertinaciter permansisse. Habetur quoque in Foliolis aliud testimonium de pœnitentia Salomonis. « Hieronymus, inquit, in tertio decimo libro super ipsum Ezechielem prophetam : « Salomon peccavit et offendit Deum, licet postea egerit pœnitentiam, scribens Proverbia in quibus ait : *Novissime ego egi pœnitentiam, et respexi ut eligerem disciplinam.* » Versiculus iste quem dicitur hic Salomon in Proverbiis dixisse, in Proverbiis non invenitur, si a principio usque ad finem millies relegantur. Ipse quidem Hieronymus proverbia Salomonis de Hebræo transtulit in Latinum, et in ea translatione non posuit eumdem versiculum, quem si in Hebraica veritate esse comperisset, in sua eum translatione procul dubio posuisset. Adeo enim Hieronymus fidelis interpres exstitit, ut sicut ipse multoties fatetur, nihil in divinis Scripturis vel addiderit, vel subtraxerit, vel mutaverit, quin vel verbum e verbo, vel sensum e sensu exprimendo, Hebraicam veritatem Latinis auribus diligenter infuderit. Verum quia antequam divinas Scripturas interpretaretur, aliorum translationes in Ecclesiis legebantur, videlicet Septuaginta interpretum, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, quinta quoque editio, potest quis dicere quia de aliqua earum prædictum forte sumpsit versiculum. Ipse enim, non solum juxta Hebraicam veritatem, verum etiam juxta cujuslibet interpretis editionem, pleraque de Scripturis testimonia in opusculis suis ducit ad medium; « nec si nova, ut ait, cudere videretur, ut vetera destruere arguatur. » Ad quod respondendum est quia Origenes, qui Hieronymo longe anterior exstitit, nequaquam hoc dicere videtur, qui tamen omnes illas editiones ad liquidum novit, qui de omnibus, excepta ea quæ Septuaginta interpretum

est, unam bibliothecam componens, in una pagina sex ordines distribuit, quibus singulis singulas editiones attribuit, ut diligens lector simul omnes post invicem reperiens, facile perviderel, in quo una ab altera discreparet, vel in quo una cum altera concordaret. Hoc est enim quod Hieronymus dicit, quia legis veteris interpretes Aquilam, Symmachum, Theodotionem Græci et curiose legunt, et per Origenis laborem in *exaplos* Ecclesiis dedicarunt; et alibi : « Aquila, inquit, et Symmachus, et Theodotion judaizantes hæretici sunt recepti, qui multa mysteria Salvatoris subdola interpretatione celarunt, **378** et tamen in *exaplois* habentur apud Ecclesias. » *Exaplois*, id est *exemplaribus*, vel *bibliothecis sex ordines habentibus*. Idem Origenes in secunda homilia super Leviticum : « Fortasse, inquit, aliquibus videbitur error elocutionis per interpretem factus, sed mihi curiosius inquirenti compertum est omnes interpretes similiter protulisse. » Ex quo patet Origenem omnium translationes interpretum habuisse.

Quæri potest, cum Origenes, ut dictum est, sex editiones in una bibliotheca sex ordinibus distribuerit; quis singularum interpres exstiterit. Quatuor quippe earum manifestos habemus interpretes, videlicet Septuaginta, Aquilam, Symmachum, Theodotionem. Quintam vero editionem, et sextam, et septimam, ut ait Hieronymus, Origenes miro labore reperit, et excepta ea quæ a Septuaginta sapientibus est translata, et in Ecclesiis erat tunc temporis frequentius usitata, tribus reliquis, id est Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, editionibus tres sequentes, id est quintam et sextam, et septimam copulavit, et in una bibliotheca, sicut prædictum est, ordinavit. Quarum trium ultimarum, id est, quintæ, sextæ, septimæ, qui fuerint interpretes satis cognitum non habemus, nisi forte alicujus earum auctorem fuisse Aquilam existimemus, ut ille unus translationes duas ediderit, etsi causam ignoramus quæ illum ad transferendum secundo compulerit. Quod enim Aquila duas translationes ediderit, Hieronymus in Commentario super Ezechielem patenter ostendit : in quo aliquoties de illius editione prima, aliquoties vero loquitur de secunda. Sed quia cum vel idem Hieronymus, vel alii doctores de qualibet illarum aliquid in medium proferunt, ordinis earum raro faciunt mentionem, id est utrum de prima, an de secunda id sumpserint, non frequenter ostendunt, putatur a nonnullis una tantum fuisse illius editio, a quibus, vel nondum est inventa, vel forte memoriter non retenta ista distinctio. Quæ nimirum distinctio in illo super Ezechielem versiculo, manifestius adnotatur, in quo tam prima quam secunda editio pariter a Hieronymo nominatur. « Prima, inquit, editio, Aquilæ baculum, secunda et Symmachus, Theodotioque firmamentum interpretati sunt. » Hic, et prima, et secunda, ut dictum est, evidentius nominatur, et quod in alia et alia, aliter et aliter Aquila dixerit, demonstratur; et utramque in sua bibliotheca Origenem æstimo posuisse, qui superius innotuit omnium se translationes Interpretum habuisse. Ipse autem Origenes non facile invenitur pœnitentiam Salomonis astruere; sed in his quæ superius diximus locis, dicit eum etiam per mulieres deceptum fuisse. Et illud quod ibi de Canticis ponitur, constanter non dixisse. Ipsum etiam et Roboam filium suum dicit exclusos a genealogia Christi, quam Lucas contexuit, et ab inferioribus incipiens, usque ad Deum perduxit, ne scilicet in reste cujus prærogativa in Deum consummatur, eorum, quorum peccata conscripta sunt, mentio habeatur, quamvis, ut alios omittam, ibi David nominatim exprimatur, cujus tam adulterium quam homicidium sacris litteris continetur. Cæterum peccata David, testante propheta Nathan, ab eo transferuntur; peccata vero Salomonis et Roboam, per pœnitentiam deleta non leguntur. Quod si ea deleta esse Scriptura canonica protestatur, non est cur Salomon vir tantæ sapientiæ, tanti meriti, tantæ famæ, de catalogo justorum excludatur, cum David pater ejus merito pœnitentiæ ibidem ascribatur. Reliqui etiam doctores ecclesiastici, qui ante Hieronymum, vel tempore Hieronymi, alicujus famæ vel nominis fuerunt, qui editione Hieronymi nondum, vel facta, vel vulgata juxta aliorum translationes divinas Scripturas cognitas habuerunt, prædictum versiculum se in Proverbiis invenisse nequaquam retulerunt, non quod omnia eorum scripta perlegerim, sed quia non æstimo ea latere potuisse Augustinum, Gregorium, Paschasium, Bedam, Fulgentium, Isidorum, qui diversis locis et temporibus in Ecclesia vigu erunt, et præcedentium Patrum scripta magno studio legentes; de Salomone tamen, unam eamdemque sententiam protulerunt. Arbitror autem, quia et ipse Commentarius Hieronymi super Ezechielem eosdem non latuit, sed cum eum legerunt, vel hoc testimonium de pœnitentia Salomonis ibidem inventum non approbaverunt; vel potius non invenerunt. Credibile est enim quia hoc Hieronymus in Commentario suo, vel omnino non dixit, vel tam absolute non dixit; sed vel lectoris forte industria, vel potius scriptoris incuria codex est depravatus, et eo depravato sensus est immutatus. Hoc est nimirum, quod frequenter idem Hieronymus conqueritur, quia videlicet exemplaria Scripturarum, et Græca, et Latina, scriptorum erant vitio depravata; unde et ab amicis suis plerumque cogebatur vel emendare vetera, vel cudere nova.

Neque enim audeo affirmare, imo non audeo æstimare, quod Hieronymus vir tantæ scientiæ, tantæ auctoritatis in canone Scripturarum quidquam sentiat contra omnes, vel contra eum omnes : præsertim cum aliud sit in Scripturis consona duntaxat veritate, sentire diversa, aliud eadem reluctante sentire adversa. Sicut ergo cum aliud volumen Salomonis, videlicet Ecclesiasten, idem Hieronymus **379** exponeret, nequaquam affirmavit, sed ejus affirmationem Hebræis assignavit, ita fortasse et super Ezechielem, cum de eodem Salo-

mone loqueretur, suspensam potius, quam fixam credendus est sententiam protulisse, etsi modo aliter codicibus continetur. Ait quippe super Ecclesiasten : « Aiunt Hebræi hunc librum Salomonis esse pœnitentiam agentis; » non dixit Hieronymus : Hic liber est Salomonis pœnitentiam agentis, quod profecto tam fiducialiter quam veraciter dicere potuisset, si eum in Proverbiis pœnituisse comperisset. Quis enim dubitet Ecclesiasten librum esse Salomonis pœnitentiam agentis, si Proverbia eum testantur pœnituisse, cum universalis Ecclesia teneat ipsum Salomonem, prius Proverbia, postea vero Ecclesiasten scripsisse ? Si autem Proverbia post pœnitentiam scripsit, multo magis Ecclesiasten, quem post ipsa Proverbia scripsit. Potuit ergo affirmative dicere : Hic liber est Salomonis pœnitentiam agentis, non hoc dictum attribuere Judæis; quibus non solum in hoc loco, verum multoties alibi solet assignare, quod vel falsum esse agnoscit, vel verum esse nesciens, affirmare non præsumit. Quod enim multa dicant, in quibus contradicant veritati, et ipse Hieronymus multis in locis, et quod amplius est, in Apocalypsi angelus protestatur, a quo non Judæi, sicut se esse mentiuntur, sed synagoga Satanæ appellantur. Libros quippe quos ab illo scriptos catholica legit Ecclesia, non post pœnitentiam, sed ante illam detestabilem culpam eum scripsisse doctores ecclesiastici crediderunt, et ne quod senserunt, nos lateret, in suis scriptum opusculis reliquerunt. Unde Augustinus super octavum canticum graduum quod superius dictum est : « Salomon, inquit, mulierum amator fuit, et reprobatus est a Deo, sed si eo cadente, quæ per eum dicta sunt, delerentur, judicaretur quia ipse dixerat, non per eum dicta erant. » In quibus verbis ostenditur quia prius Salomon scripsit, et postmodum cecidit, sed Deo nobis potius, quam illi providente, quod scripserat eo cadente non cecidit. Denique et sacra historia prius narrat illum percepisse sapientiam dormiendo, postmodum dedisse operam in scribendo : ad extremum vero cum jam senex esset, Deum reliquisse alienigenis mulieribus adhærendo. De his hactenus, ad Hieronymum revertamur.

Qui ergo super Ecclesiasten in astruendo pœnitentiam Salomonis, præcipitem ferre sententiam non præsumpsit, sed eam caute Judæis attribuit super Ezechielem, eumdem vel similem modum loquendi credendus est tenuisse; et ideo digne credendus ne vel reliquos sanctos tot et tantæ eruditionis viros fatuitatis et ignorantiæ inveniatur arguisse, vel ipse potius arguendus errorem incurrisse. Quod utrumque incommodum possumus convenienter evitare, si quod ibi displicet, scriptorum vitio volumus assignare; qui dum Commentarium Hieronymi studiose dictatum, et studiosius forsitan emendatum, vel coacti imperio vel conducti pretio transcripserunt aliud in ore versantes et aliud in corde meditantes, vel forte dormitantes, quod in exemplari erat, negligenter dimiserunt; vel quod in illo non erat, negligentius suo ascripserunt. Ab hac negligentia scriptores ipse Hieronymus quodam loco revocat dicens : Nihil enim proderit emendasse librum, nisi emendatio librariorum diligentia conservetur. Denique in explanatione super Osee cum de justis regibus idem Hieronymus loqueretur, sic eorum catalogum contexuit dicens : « Cum legerimus David, Asa, Josaphat, Ezechiam, Josiam, reges fuisse justos. Ubi non mediocriter miror quare Salomonem præteriit, cum ille sapientia, potentia, divitiis et gloria nominatissimus fuerit cæterorum, et in numero justorum regum digne poni debuerit, si ad justitiam quam deseruit peccando, reversus est pœnitendo. Atque si Manassen quem Scriptura teste pœnituisse Hieronymus noverat in justorum numero non posuit, non est magnopere mirandum, cum illius in tota vita sua nullum omnino justum opus inveniatur donec ad extremum pœnituisse declaratur. Cæterum Salomon qui ante illud tam luxuriæ quam idololatriæ gravissimum peccatum, tanta sapientia enituit, tanta potentia viguit, tam præclaris operibus floruit, tantis divitiis abundavit, tanta fama vel gloria rutilavit; etsi ad horam a justitiæ tramite declinavit, non tamen debuit excludi de numero justorum regum; cum legerimus David et Asa, graviter aliquando peccasse, quos non solum Hieronymus, sed et Scriptura canonica justos dicit fuisse.

Alibi vero idem Hieronymus Salomonem vehementer accusat; et accusatum nullo testimonio pœnitentiæ subsequentis excusat; sed sic eum et Achaz regem reprobum impiis asserit actibus involutos, ut eosdem non subjungat per pœnitentiam absolutos. Loquens enim ad Vitalem presbyterum de Salomone et de Achaz rege Juda qui Jonathan filius pater exstitit Ezechiæ, utrosque dicit idololatriæ sordibus inquinatos; nec tamen dicit processu temporis emundatos. « Consideremus, ait, quod Scriptura Salomonem, et Achaz voluptatis, et impietatis accuset. Uterque enim cum esset de stirpe David, recessit a Domino; et alter in tantum secutus est libidinem (haud dubium quin Salomon), ut **380** septuaginta haberet uxores, et trecentas concubinas, et adolescentulas, et scorta passiva quorum non erat numerus, neglectoque Deo patrum exstruxerit idola gentium plurimarum et fuerit, non ut prius Idida, id est *amabilis Domini*, sed amator mulierum. » Nihil hic Hieronymus de pœnitentia Salomonis adjungit, sed sic eum Achaz regi reprobo per impietatem conjungit, ut sicut eos patenter ostendit per idololatriam concordare, sic innuere videatur neutrum ab altero per pœnitentiam discordare. Quod si evidentius testimonium Hieronymi vultis audire, quod a Salomonis pœnitentia constat non mediocriter dissentire, attendite quod alias ad Rusticum monachum dicit, in quo satis evidenter Salomonis pœnitentiam contradicit. « Quid Salomone, inquit, sapientius? Attamen infa-

matur amoribus feminarum. « Quid sit autem infatuari, ne quis improprie præsumeret interpretari », verbis sequentibus idem Hieronymus demonstravit, dum illud de Evangelio ad medium revocavit : « Bonum est, inquit, sal ; quod si infatuatur, foras projicitur, in tantumque perdit nominis dignitatem, ut nec in sterquilinio quidem utile sit. » Dicens ergo Hieronymus Salomonem infatuatum, et adjungens quod infatuatum sal foras projicitur, nec ultra utile est, satis liquido Salomonem asseruit reprobatum, id est nunquam ad saporem pœnitentiæ revocatum. Constat enim quod sal infatuatum irreparabiliter exinanitur, perditoque genuino sapore, iterum non salitur, sed ubique, et semper inutile penitus invenitur, dum vel ipsum per aliud, vel per ipsum quidquam aliud non conditur. Quapropter cum de sale infatuato sermo in Evangeliis ventilatur, nihil aliud, quam quivis reprobus designatur, qui perdito sapore justitiæ, perversitate insulsa et insipida depravatur, et in gradum pristinum, nulla pœnitentia revocatur. Quod attendens David, cum de quodam reprobo loqueretur, pro certo sciens, quod illius consilium Deo nullatenus placitum haberetur ; satis humiliter idem consilium postulavit infatuari, id est a divinæ voluntatis beneplacito reprobari. « Infatua, quæso, Domine, ait, consilium Achitophel. » Et hæc quidem postulatio non est infatuata, sed Achitophel malitia reprobata, qui perverso et injusto consilio justitiam Creatoris offendit : et effectu carens consilii, disposita domo sua laqueo se suspendit. Bene ergo sal infatuatum foras projicitur, in qua projectione nil aliud, quam hæc eadem reprobatio demonstratur, qua perversus quilibet irreparabiliter condemnatur ; foralis quidem projectio, æterna est reprobatio, qua miseri quique ligatis manibus et pedibus foras projiciuntur, qui Domini gaudium intrare non sinuntur. Quam projectionem visus est David abhorrere, cum attendens multitudinem peccatorum illam sibi quasi cerneret imminere ; et quod per id temporis dixerat tremebundus, timore paululum mitigato memoriter cecinit lætabundus. Ego dixi, inquit, in pavore meo : Projectus sum a facie oculorum tuorum (*Psal.* xxx). Cum timerem, ait, meorum sarcinam delictorum, dixi, Projectus sum a facie oculorum tuorum : indignum me reputans, cui tua gratia subveniret, tanquam multa iniquitas tuam multam misericordiam præpediret. Sed quia timui, timendo humiliatus sum, humilis factus invocavi te ; ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te. Quid autem clamaverit, in alio psalmo dicit : Ne projicias me a facie tua. Ne projicias, inquit, me a facie tua, sed absconde me in abscondito faciei tuæ, quia et projectus a facie tua, ad tenebras compellitur exteriores devolvi, et absconditus in abscondito faciei tuæ, ab omni conturbatione hominum gratulatur absolvi. Dicamus et nos : Bone Jesu, non nos infatua, non nos projice a facie tua, ne cum Achitophel vel nequam servulo qui foras projectus est, pereamus, sed in abscondito vultus tui securitate perpetua gaudeamus. Cum ergo infatuatum, cum projectum Hieronymus Salomonem affirmat, patet quia ejus pœnitentiam non confirmat : et non solum doctoribus cæteris, sed et sibi ipsi contrarius comprobatur, si de Salomone aliud super Ezechielem, aliud ad Rusticum protestatur.

Joannes quoque Chrysostomus, cum in libello De reparatione lapsi, pœnitentiam David magnifice commendaret, et ibidem ad medium duceret Salomonem, nullam de pœnitentia ejus fecit mentionem, cum satis conveniens videretur, ut sicut lapso illi quem revocare nitebatur ad pœnitentiam, David proposuit ad exemplum pœnitendi, sic et Salomonem proponeret ; præsertim cum, sicut prædixi, ejus ibi memoriam ad medium revocaret. Ait quippe : « Beatus David cecidit eodem casu, quo et tu nunc : et hoc non solum, sed et aliud addidit gravius. Homicidium etenim adjunxit adulterio. Et quidem post hæc, nunquid permansit jacens ? nonne surrexit, et iterum stetit contra inimicum : et ita eum subegit, ut etiam post mortem merita ejus profuerint posteris suis ? Nam Salomon cum immane illud admisisset scelus, et dignus mille mortibus haberetur ; propter David tamen concessurum se Dominus regnum ei integrum dicit. Ait enim : *Scindens scindam regnum tuum et dabo servo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam, propter David patrem tuum, sed de manibus filii tui accipiam illud.* (*III Reg.* xi). » Sed et Ezechias, cum in periculo **381** extrema venisset, quamvis ipse esset justus : tamen pro bono David dicit se ei Dominus auxilium laturum. Ecce Joannes et David pœnitentiam commendat et Ezechiam justum dicit ; et inter utrumque, Salomonem ponens, nec eum pœnitentem dicit nec justum, sed ad hoc ei tantum merita David profuisse, ne in diebus suis regnum ejus scinderetur, cum dignus mille mortibus haberetur. In homilia nihilominus de quinquagesimo psalmo idem Joannes pœnitentiam David magnis laudibus attollit, et ibidem multos pœnitentes ad medium ducit, videlicet Petrum, Paulum, Matthæum, publicanum, Mariam peccatricem, Latronem. Inter quos nusquam Salomonem pœnitentem commendat, cum nullius pœnitentiam solemnius debuit prædicare, quam regis tam divitis, tam potentis, tam sapientis, si in Proverbiis vel uspiam in Scripturis canonicis eum pœnituisse legisset, vel saltem in opusculis Patrum quæ digna fide et auctoritate judicasset. Denique venerabilis Beda, cum ipsa Proverbia Salomonis juxta translationem Hieronymi exponeret et multis in locis quid in antiqua translatione haberetur ostenderet, non dixit quidquam se in eis de pœnitentia illius invenisse, non quidquam ab aliis inventum cognovisse, sed in libello quem scribit ad Nothelmum, sicut superius dictum est, affirmavit quia nunquam perfecte pœnituit.

Sequitur in foliolis : « Aiunt libri Hebræi Salomonem quinquies tractum fuisse per plateas civi-

tatis, pœnitentiæ causa. Item aiunt eum venisse in templum quod ædificaverat cum quinque virgis, et dedit eas legisperitis ut verberaretur ab illis. Qui communi accepto consilio dixerunt, quod in unctum Domini non mitterent manum. Inde frustratus ab illis, a se ipso est depositus de regno. » Hæc in foliolis. Omnes quidem Scripturas quæ apud Hebræos in canone continentur, Hieronymus de Hebræo transtulit in Latinum, in quibus non est invenire quod Salomon pœnitentiæ causa per plateas civitatis tractus fuerit vel legisperitis virgas ad se verberandum præbuerit. Reliquæ autem Scripturæ quæ apud illos sunt, apocryphæ sunt, quarum auctoritas non est idonea ad ea quæ in contentionem venerint roboranda. Unde et Jesu filii Syrac liber, et Judith, et Tobiæ, et primus Machabæorum qui apud illos sunt, quia in canone eorum non habentur ab ipsis inter apocrypha computantur. Si quos autem alios libros dicunt se habere quos pœnitentiam Salomonis asserant continere, non est his libris credendum, cum ex ipsorum ore Judæorum tale testimonium proferatur, ut quidquid non est in canone, dignum fide nequaquam habeatur. Denique Josephus Judaicæ scriptor antiquitatis tale asserit se legisse, nec didicit ex Scriptura, sive canonica, sive apocrypha Salomonem pœnituisse. Unde manifeste colligitur quia non est a Judæis alienum mentiri; sed peculiare satis, et domesticum est eis vel negare quod verum est, vel affirmare quod falsum est. Propter quod et Hieronymus a Sophronio compulsus est psalmos Davidicos juxta Hebraicam transferre veritatem, quia videlicet cum Sophronius cum quodam Hebræo disputaret, et quædam adversus eum testimonia de psalmis juxta Septuaginta interpretes proferret: Hebræus garriens et illudens illi Hebraicas litteras nescienti per singula pene verba, dicebat in Hebraico vel non haberi quod habebatur, vel haberi quod non habebatur.

Sequitur in foliolis: « Verba Salomonis postquam sponte amiserat regnum scribentis Ecclesiasticum (cap. XLVII): *Salomon imperavit in diebus pacis cui subjecit Deus omnes hostes ut conderet domum in nomine ipsius*, et cætera quæ in eodem capitulo subsequuntur. » Ecclesiasticum Salomon non scripsit sicut Augustinus in decimo septimo libro De civitate Dei et ante Augustinum multis in locis Hieronymus dixit. Hunc quidem librum Hieronymus, ut ait, Hebraicum reperit, non Ecclesiasticum ut apud Latinos sed Parabolas prænotatum. Cui, ut ait, juncti erant duo alii, Ecclesiastes et Cantica canticorum, ut scriptorum eorum similitudinem, Salomonis, non solum librorum numero sed et materiarum genere coæquaret. Propter hanc itaque eloquii similitudinem, ut Salomonis Ecclesiasticus diceretur, apud imperitos consuetudo obtinuit, sed antiquiores, et sapientiores dicunt eum esse Jesus filii Syrac, qui sicut longe superius dictum est, tempore Simonis summi pontificis fuit. Qui cum in extrema ejusdem voluminis parte præcedentium patrum fortia facta laudaret, in conclusione satis honorifice eumdem Simonem commendavit, tantoque eum copiosius et sublimius extulit quanto eum vicinius et perfectius novit. Hic nimirum Jesus Ecclesiasticum scripsisse perhibetur, sicut ibidem completa Simonis laude manifestare videtur. « Doctrinam, inquit, sapientiæ et disciplinæ scripsit in codice isto Jesus filius Sirac Hierosolymita, qui renovavit sapientiam de corde suo. » Cum itaque enumeratis laudibus David ad facta Salomonis narranda deveniret, primum ejus sapientiam, famam, divitias magnis laudibus extulit, deinde grave illud peccatum, ac dedecus ejus in medium protulit, ut eumdem iste ordinem teneret in vitam illius describendo, quem ille tenuit in **382** vivendo: « Eruditus est, inquit, in juventute sua, et impletus est quasi flumen sapientia. » Et apostropham faciens ad eum, subjungit: « Ad insulas longe divulgatum est nomen tuum; et dilectus es in pace tua. In Cantilenis et Proverbiis miratæ sunt gentes. Collegisti quasi aurichalcum, aurum, et ut plumbum complesti argentum. » Hactenus laudes. Et adjungit: « Inclinasti femora tua mulieribus; potestatem habuisti in corpore tuo. » Quæri potest quid sit quod ait: « Potestatem habuisti in corpore tuo, » cum Apostolus dicit: « Non estis vestri, empti enim estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro (*I Cor.* VI). » Qui ergo Dei se esse cognoscit, non passim et libere utitur corpore suo ad suam ipsius voluptatem; sed castigat et subjicit servituti, ad illius cujus se meminit voluntatem. Sicut enim equus mansuetus et domitus, non suo, sed rectoris sui arbitrio utitur corpore suo; sic nimirum justus Deum habens rectorem, non ipse, sed Deus potestatem habet in corpore suo. De his autem qui ordine perverso potentes sunt sui, et suo potius vivunt arbitrio quam Domini sui, quidam sapiens alibi dicit: « Potentes potenter tormenta patientur (*Sap.* VI). » Itaque Salomon, cum jam nec Deum timeret male liber a freno sanctitatis, nec hominem revereretur, tumens sceptro regiæ potestatis: potestatem habuit in corpore suo tanto liberius et profusius explens illius voluptates, quanto et Deus patienter eum dignatus est sustinere, et homo, qui regem non præsumpsit a proposito cohibere. Ideo incurrit quod subjunctum est: « Dedisti, inquit, maculam in gloria tua, et profanasti semen tuum, inducere iracundiam in liberos tuos, et in cæteris incitari stultitiam tuam, ut faceres imperium bipartitum et ex Ephraim imperare imperium durum (*Eccli.* XLVII). » In quo manifeste ostenditur, quia sicut justitia David, Scriptura teste, posteritati suæ ineffabiliter profuit, ita et Salomonis iniquitas semini suo et liberis suis non mediocriter nocuit, dum et super eos divina iracundia induci perhibetur, et propter patris stultitiam, imperium obtinere integrum non merentur. Quod autem ibidem subjungitur: « Deus autem non relinquet misericordiam suam, neque perdet a stirpe nepotes electi sui, et semen ejus

qui diligit Dominum non corrumpet (*ibid.*). » Electum suum et eum qui diligit Dominum David appellat, cujus semen et stirpem non penitus exstirpavit; ne cassa illa promissio haberetur, qua ipsi David juravit veritatem suam: « De fructu, inquiens, ventris tui ponam super sedem tuam (*Psal.* CXXXI). » Dedit ergo, sicut ibi sequitur, reliquum Jacob; et David de ipsa stirpe. Hoc est dicere: Propter David de ipsa stirpe Deus reliquum, id est, Roboam dedit, ut plus apud eum præclarum David meritum valeret ad posteritatem generis sui conservandam, quam Salomonis iniquitas ad eam penitus exstirpandam. Quod ergo de ipsa stirpe datus est Roboam meritum David esse perhibetur; quod autem idem Roboam perversus, Salomonis iniquitas promeretur, hoc est forte quod paulo ante dictum est Salomoni: « Profanasti semen tuum, inducere iracundiam in liberos tuos (*Eccli.* XLVII). » Quantum autem profanus Roboam fuerit, et in hoc quem habemus inter manus, Ecclesiastico legitur, et in libris Regum et Paralipomenon plenius invenitur. Cujus etiam filius Abia non minoris malitiæ fuit, ut illud terribile veraciter impleretur. « Ego sum Deus zelotes, qui reddo iniquitatem patrum in filios usque in tertiam generationem eorum, qui oderunt me (*Exod.* XX). » De Roboam quippe hic dicitur, quia Salomon reliquit post se de semine suo gentis stultitiam et minutum prudentia Roboam, qui avertit gentem consilio suo. Hujus nimirum tempore factum est imperium bipartitum, et ex Ephraim durum imperium processit; dum duabus tantum tribubus, Judæ scilicet et Benjamin, quæ uno nomine appellantur Juda, idem Roboam imperavit: reliquas vero decem, quæ appellatæ sunt Israel, Jeroboam filius Nabath imperio durissimo prægravavit. Hoc est quod dictum est Salomoni, « ut faceres imperium bipartitum, et ex Ephraim imperare imperium durum. » De tribu enim Ephraim Jeroboam fuit, qui super decem tribus durum imperium imperavit. Separato quippe Israel a Juda, duos aureos vitulos Jeroboam fecit, quorum unum in Bethel, alterum posuit in Dan: præcepitque ut illuc ad adorandum populus conveniret, timens ne si adorandi gratia more solito Hierosolymam iret, hac occasione ad Roboam regem Juda converteretur, et sic imperium divisum iterum uniretur. Propter hoc de illo scriptum est, quia « peccare fecit Israel (*III Reg.* XVI). » Et cum postea successorum ejus, reproborum scilicet regum, perversa vita describitur, de singulis fere illorum dicitur quia « ambulaverunt in viis Jeroboam filii Nabath, qui peccare fecit Israel. » Ipse etiam Roboam filios, Juda imperio durissimo pressit, sicut populo hujus duritiæ remedium postulanti, superbe respondit dicens: « Pater meus aggravavit jugum vestrum; ego autem addam jugo vestro. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus (*III Reg.* XII). » Hos profecto Salomon regni simul et impietatis suæ reliquit hæredes, quorum, ut ait Jesus, Roboam evertit gentem consilio suo. Jeroboam vero peccare fecit Israel et dedit Ephraim viam peccandi. In quo patet quia in hac sua narratione Jesus, non solum viros justos, verum etiam nonnullos apponit injustos: **383** forte ut clarius justorum sanctitas elucere, cum e regione reproborum tenebrosa perversitas pariter appareret. Nullus enim, ut de Salomone taceam, Roboam et Jeroboam reprobos ignorat fuisse, nisi qui divinarum Scripturarum, vel nullam vel tenuem scientiam invenitur habere. Non igitur mirandum, cum regum successio describitur a Jesu, si post David Salomon nominatur, cum ibidem Roboam et Jeroboam nominentur, quos reprobos fuisse nequaquam dubitatur. Sed hoc movet me, si Salomonem Jesus laudando, justum eum voluit comprobare, cur post laudes, peccatum illius ad medium studuit revocare, cum de nullo justorum, quos ante et post Salomonem multos enumeraverat, hoc inveniatur fecisse. Si enim ab Henoch, a quo sumpsit initium laudis usque ad Simonem, Oniæ filium, quem in conclusione laudavit, catalogum quem contexuit, velitis inspicere; nullius eorum quos laudat invenietis peccatum ad medium duci, nisi tantum Salomonis, cum tamen quidam illorum graviter peccasse inveniantur, si aliæ Scripturæ dil gentius revolvantur. Denique in toto ipso catalogo, in quo multos antiquos patres posuit, qui in populo Dei succedentes post invicem vel sanctitate vel dignitate præfuerunt, nullum omnino injustitiæ arguit, præter Salomonem, Roboam et Jeroboam, quorum Roboam et Jeroboam reprobos fuisse minime dubitatur; Salomonis vero pœnitentia, vel post peccatum justitia nulla ibi omnino memoratur. Quod si de sorte Roboam et Jeroboam, Salomonem excipiendum judicavit: miror cur vel peccati ejus mentionem fecit, cum ibi nullius justi laudes peccati commemoratione attaminaverit, vel cur saltem post peccatum pœnitentiam ejus non subjunxit, ut laus illius digno fine commendabilis haberetur, et inter justos ponendus sine scrupulo censeretur.

Cum autem idem Jesus Josiam inter cæteros justos dignis laudibus extulisset, subjungit: « Præter David et Ezechiam et Josiam omnes peccatum commiserunt. » Ubi quærendum est, quos omnes vel quod peccatum velit intelligi. Si enim omnes quos antea nominavit velimus accipere, verendum est ne eos plus justo peccati arguamus cum inter eos inveniantur quidam quorum peccata in sacris litteris non leguntur; quidam vero qui, etsi peccasse minus tamen quam David peccasse referuntur. Quomodo ergo dicemus omnes illos peccasse præter David, cum quibusdam eorum amplius peccasse inveniatur ipse David? Videamus si placet sequentem versiculum, si forte ex ipso utcunque poterit elici, quos peccatum commisisse velit intelligi; cum dixisset, « omnes peccatum commiserunt, » subjungit: « Nam reliquerunt legem potentem reges Juda. » Per quod videtur innuere quia, cum dixit omnes, intelligi voluit reges, ut omnes reges Juda, id est populi Israel peccatum asserat commisisse, præter David et Eze-

chiam et Josiam quos nimirum constat reges fuisse. Cum autem tepeamus omnes reges debere intelligi, adhuc quærendum æstimo, utrum omnes illos qui in libris Regum et Paralipomenon nominantur an ista generalitate aliqui illorum excludantur. Si enim omnes illos dixerimus, occurrent nobis Asa et Josaphat, quos justos fuisse Scriptura canonica protestatur, ita ut de Asa dicat quia « fecit Asa rectum ante conspectum Domini sicut David pater ejus. » De Josaphat vero, « Quia ambulavit in viis David patris sui. » Non sunt ergo arguendi injustitiæ qui in viis David leguntur ambulasse, nec æstimandum est ut eos Jesus asserat arguendos dissimilitudinis, quos Scriptura canonica tanta coæquat similitudine sanctitatis. Revertendum est itaque ad eos tantum reges, quos in libro suo Jesus nominavit. Cum enim illic poneret patriarchas, prophetas, judices, sacerdotes, qui, ut superius dixi, in populo Dei fuerunt; interposuit etiam non omnes, sed quosdam ejusdem populi reges, videlicet David, Salomonem, Roboam, Jeroboam, Ezechiam, Josiam. Post Josiam vero cum nullum regem vellet deinceps nominare, dixit quod sæpe dictum est : Præter David, et Ezechiam et Josiam, omnes peccatum commiserunt. Omnes scilicet reges quos nominavit, id est Salomonem, Roboam, Jeroboam. Nunc videndum est cujusmodi peccatum sit, quod isti commiserunt, a quo David et Ezechias et Josias immunes exstiterunt. Neque enim omne, sed quoddam peccatum vult intelligi, sicut Dominus in Evangelio cum de Judæis loqueretur : « Si non venissem, inquit, peccatum non haberent (*Joan.* xv) ; » non omne, sed quoddam peccatum volens intelligi quod scilicet ante adventum ejus non habebant, eo autem præsente habuerunt. Hoc autem peccatum quod Salomon et Roboam et Jeroboam commiserunt, quantum æstimo, idololatria est, qua relictis patriis legibus ad ritum gentium transeuntes ædificaverunt excelsa, idola fabricaverunt, adoraverunt dæmonia. Quod ibidem videtur innui cum additur : « Nam reliquerunt legem potentem reges Juda. » Lex potens est colere Deum, adorare Deum, juxta illud mandatum : « Dominum Deum tuum adorabis. » Cui legi si quis indefective mancipatur, etsi per devia quædam errabundus vagatur, ad eum tamen quem colit potest facile revocari, quandiu hic fidei vinculo invenitur ligari. Neque enim divinæ gratiæ mediocre beneficium et humanæ **384** industriæ aspernabile meritum est, unumquemque fidei signaculum retinere et quamvis peccet, non est enim homo qui non peccet, ad Deum tamen adorandum animum retorquere, ut ei soli genu flectatur, curvetur collum, obsequium Deo debitum deferatur, nec alius cum ipso vel pro ipso, deus infideliter adoretur. Unde cum fidelium animæ Deo commendantur : hoc ei meritum eleganter prætenditur. Licet enim peccaverint, tamen te non negaverunt, sed signo fidei insigniti, te qui omnia, et eos inter omnia fecisti, fideliter adoraverunt. Si autem ejusmodi nexuras ruperit, ut Deo scilicet cultum debitum Creatori, impudenter attribuat creaturæ. Legem potentem reliquisse penitus comprobatur : eo longe factus a venia quo veniæ largitorem jam nec saltem extrinsecus veneratur. Unde in secundo libro Machabæorum cum per Jasonis impii sacerdotis nefarium et inauditum scelus sacerdotes, et cæteri contribules sui ad ritum gentium se transferrent, et contempto, sicut ibi scriptum est, templo et sacrificiis neglectis per omnia gentibus fieri similes festinarent, adjecit sermo divinus : « In leges divinas impie agere, impune non cedit (*II Mach.* IV). » Quomodo autem eis importune non cesserit, paulo inferius ostendit cum dicit, quia « rex Antiochus profectus ex Ægypto, efferatis animis civitatem quidem armis cepit (*II Mach.* V). Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti. Ab hac lege prædicti reges idololatriæ, tam corde quam opere recedentes, ab omni omnino sanctitate defecerunt, cum nullo timore revocati, pro Deo dæmonia coluerunt. Unde ibi subditur : « Defecerunt et contempserunt timorem Dei. Nam dederunt, inquit, regnum suum aliis, et gloriam suam alienæ genti (*Eccli.* XLIX). » Qui enim veraciter regnare potuissent, si divino imperio humiliter subditi permansissent, juxta quod scriptum est : « Per me reges regnant (*Prov.* VIII); » regnum suum et gloriam aliis, id est dæmonibus tradiderunt, cum illis dominantibus et ob hoc gloriantibus sese enerviter subdiderunt. Post hæc verba nihil invenitur Ecclesiasticus attestari, unde horum regum pœnitentia possit aliquatenus æstimari.

Nec moveat quod in libro Regum de Salomone dicitur reliqua verborum Salomonis, et omnia quæ fecit et sapientia ejus, ecce universa scripta sunt in libro dierum verborum Salomonis : et in Paralipomenon reliqua, inquit, operum Salomonis priorum et novissimorum, scripta sunt in verbis Nathan prophetæ, et in verbis Ahiæ Silonitis, in visione quoque Addo videntis contra Jeroboam filium Nabath. Isti quippe libri, nec apud nos, nec apud Hebræos usquam habentur, et ideo, nec nos nec ipsi ullatenus scire possunt quæ sunt ista reliqua, quæ ibi continentur. Nostra autem Scriptura non dicit quod in illis pœnitentia Salomonis inveniatur, unde non video quomodo astruendum, vel saltem conjiciendum sit quod penitus ignoratur. Sufficiat igitur nos scire docente Scriptura canonica quod libri illi aliquando fuerunt, etsi modo non sunt, contendere autem scriptum esse in illis quod nullo documento possumus demonstrare, tantummodo verba sunt. Sicut enim de Salomone in Paralipomenon dicitur, reliqua operum Salomonis scripta sunt in verbis Nathan prophetæ, et in verbis Ahiæ Silonitis, in visione quoque Addo videntis : sic nimirum paulo post et de Roboam filio ejus dicitur : « Opera Roboam prima et novissima, scripta sunt in libris Semeiæ prophetæ, et Addo videntis. » Si ergo de Salomone contentiose quis dixerit quod pœnitentia ejus in illis, quos non habemus, libris, forsitan scripta fuit, potest

similiter et de Roboam contentiose dici, quia pœnitentia ejus in illis, quos non habemus, libris forsitan scripta fuit. Roboam autem nullus divinæ Scripturæ peritus dubitat reprobatum fuisse a Deo; et de Salomone quidem super octavum Canticum graduum dicit Augustinus, quod superius me posuisse recolo, quia reprobatus est a Deo. Quas igitur Scripturas scire non possumus, sive eas non habendo, sive habitas non intelligendo, divino tribuendæ sunt igni, juxta quod mandatur in lege de carnibus agni. Et illæ quidem Scripturæ, quas vel apud nos, vel apud Hebræos diximus non haberi, antiquitus irreparabiliter combustæ sunt igni. Tempore etenim Sedeciæ, qui filiorum Juda ultimus regum fuit, anno undecimo regni ejus hostilis Chaldæorum exercitus invasit Judæam, et Hierusalem obsessam et captam destruxit. Et inter cætera bibliothecam, quæ magno illic erat studio congregata, igne penitus concremavit. Postmodum vero, concedente Artaxerxe rege Persarum, Esdras scriba de captivitate Babylonis ascendit; et reversus Hierusalem de tanta multitudine librorum, quos penitus ignis consumpserat, paucos quibus nunc utimur mirabili fultus scientia, imo ineffabili repletus gratia, in statum pristinum restauravit. Quod si videtur incredibile, quomodo scilicet vir iste etsi clarus ingenio, et a puero divinis eruditus litteris, tantum pelagus Scripturarum potuerit memoria claudere, et libros igni consumptos ad notitiam hominum corde memori revocare, recolamus quia Deo, qui illos primitus voluit scribi et per Esdram voluit eosdem rescribi, nihil est impossibile; imo verum est quod de eo scriptum est, subest ei posse cum 385 voluerit, et omnia quæcunque voluit, fecit. Cum itaque solum facere mirabilia, non est incredibile, cujus solius, sicut ad Manue dicit, nomen est mirabile, propterea et ipse Esdras, scriba velox in lege Moysi legitur appellari, et Artaxerxes rex ei scribens: « Esdræ, inquit, sacerdoti scribæ legis Dei doctissimo salutem (*I Esdr.* IV). » Et paulo post: « Missus es, inquit, ut visites Judæam et Hierusalem in lege Dei tui, quæ in manu tua est (*I Esdr.* VII). » Præterea idem Esdras novos tunc temporis reperit apices litterarum, manentibus duntaxat sonis et numero pristinarum. Quos apices, quia promptiores et legibiliores pristinis fuerunt, Hebræi gratanter susceperunt, et eis usque in hodiernum utuntur, qui antea eisdem quibus et Samaritani tam sonis quam characteribus utebantur. Manet igitur, hodieque Judæis et Samaritanis in sonis litterarum identitas, in figuris autem earumdem magna diversitas. Quia vero quæ scripta sunt de Salomone reperi, duxi ad medium, congruum est, ut huic responsioni imponam silentium; prudentis lectoris derelinquens arbitrio, eorum quæ dicta sunt, quæ, quibus, veraci præponat judicio. Neque enim lectorem, si tamen prudens fuerit, ab his æstimo dissentire, quibus Augustinum, Paschasium, Gregorium, Bedam, Fulgentium, Isidorum, Anglosinum, Rabanum, viderit consentire, cum isti divinis Scripturis non inveniantur repugnare, imo eis per omnia concordare. Quis adeo parvi, vel potius pravi cordis fuerit, ut audeat dicere istos, vel saluti Salomonis invidisse, et ob hoc abnegasse pœnitentiam ejus vel Scripturas divinas non intellexisse, et ob hoc in abnegando illius pœnitentiam, omnes pariter erravisse? Securum est igitur hujusmodi doctores et ductores sequendo venerari, cum per eos in Scripturis cognoscere veritatem sit commendabile, vel forte cum eis ignorare sit excusabile. Quod si mihi daretur optio, mallem in Scripturis cognoscere quæ ipsi cognoverunt, et nescire quæ ipsi nescierunt, quam nesciendo quæ ab eis sunt cognita, et præsumendo incognita, in eis, vel negare quod ipsi affirmaverunt, vel affirmare quod ipsi negaverunt. Cum igitur, fratres mei, in dubium quid venerit, non sunt foliola imperitorum in medium proferenda, sed venerabilium scripta Patrum, diligentius revolvenda, ut eorum assertionibus detergatur nostra ignorantia, quorum doctrinis ut sole, luna, refulget Ecclesia. Recipiat quæ de Salomone intelligere et recolligere potui, vestra dilectio: his enim finem poni secutura poscit responsio.

DE INSTITUTIONE CLERICORUM

TRACTATUS SEX.

I.

DE DIGNITATE CLERICORUM.

PROLOGUS.

Si in præmissis responsionibus Deo indigui adjutore: in hac, quæ sequitur, video illum multo amplius necessarium mihi fore, ad quam aggrediendam non mediocriter sum concussus, et velut a fronte, offusa ejus gravedine repercussus. Hujus namque

finem dum adhuc stans in ingressu, procul aspicio, ad illum me posse pervenire, tantæ difficultatis esse conjicio, ut satius existimem eum a longe salutare, et ad propria regredi, quam vela ventis committere, et ulterius progredi. Inter Scyllam enim et Charybdim eundum est, inter quas navigare res est plena periculi, inde autem evadere, digna miraculi. Cæterum si phaselum meam ille velit nauclerus regere, qui Petrum incipientem mergi data manu fecit emergere, qui apostolis periclitantibus, ventis imperavit et mari, et eorum fecit tumultus quiescere, ducar et perducar ad optatum cursu peragili, quamvis ligno portatus fragili. Quod enim mihi vires meas metienti videtur impossibile, ei cujus in mari viæ sunt, et semitæ ejus in aquis multis, omnino est perfacile. Huic autem me nauclero non mea, sed fratrum merita commendabunt, et me sibi in hoc opere servientem votis et precibus adjuvabunt. Illo ergo tenente gubernaculum, aggrediar tentare periculum.

CAPITULUM PRIMUM.

Quæritis, fratres, cum in Ecclesia omnis ordo viventium magnæ sit sanctitatis, si teneat unusquisque præscriptæ regulam veritatis, quis eorum tamen dignior, quis dignitate sit veraciter principalis, utrum monachicus, an potius clericalis. Hoc autem ideo in dubium venisse existimo, quia in 386 utrisque aliquantisper defecit virtus humilitatis : et oculis fumo superbiæ caligantibus, vel non patet, vel non placet sinceritas veritatis. Quia enim alter eorum superbe contempsit quod erat, alter vero non minori superbia videri appetiit quod non erat : utrobique declinavit statera æquitatis, et ideo plerique jam nesciunt utriusque mensuram dignitatis. Hujus autem metas discutere, invidiæ plenum est et laboris, cum hujusmodi plerumque discussores arguantur odii vel amoris. Si enim clericos plus justo depressero, in quorum numero gaudeo me esse, videbor id odisse quod sum, et amare quod non sum. Quod vitium in humano genere longe lateque pervagatur, unde et apud litteras sæculares quidam magnopere satiricus admiratur :

Qui fit, ait, *ut nemo quam sibi sortem*
Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illa
Contentus vivat, laudet diversa sequentes?

HORAT. *sat.* 1, lib. 1.

Videbat vir sapiens plerosque sorte sua non contentos id quod erant non amare, imo inconstantiæ morbo laborantes quod non erant, amplius commendare. Si autem monachos, prout justum est, non commendavero, incutiet mihi colaphum illud evangelicum (*Matth.* VII), « Quod vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis, » et illud apostolicum (*Philip.* II) : Superiores sibi invicem arbitrantes, quamvis hoc dictum Apostoli videatur debere intelligi non de manifesto ordine dignitatis, sed de occultæ merito sanctitatis. Magno igitur moderamine est utendum, et nec in dexteram, nec in sinistram aliquatenus declinandum, ut, etsi non possum per omnia satisfacere eorum, qui aliter sentiunt, voluntati; non tamen injurias inferam veritati. Quia vero clericorum ordo esse mihi videtur antiquior, ipse in hac responsione procedat anterior, ut videlicet de eo primitus disseratur, quem primitus exstitisse nequaquam dubitatur. Hujus itaque ordinis quæ fuerit a primordio dignitas, vel quod officium, diligenter debet inquiri : quod, quantum extimo, in libris Moysi poterit inveniri.

CAPITULUM II.

Legimus quippe in Exodo quia, cum in eremo populus Israel moraretur, arcam sibi Deus de lignis Sethim præcepit fabricari, eamque in tabernaculo de cortinis et pellibus, et tabulis composito mandavit collocari, ut sibi in eo habitanti, preces illic et ostiæ offerrentur, ibique supplicantibus et dona deferentibus propitius haberetur. Ut autem huic divinæ habitationi religione congrua serviretur, elegit Aaron et filios ejus, qui sacerdotio fungerentur, qui dona offerentium suscipientes, divino ea conspectui præsentarent, ipsumque Deum populo propitium fieri postularent. Quia vero, sicut Apostolus ait, « omnia in figura contingebant illis (*I Cor.* X), » scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum devenerunt; scire debent clerici, quid ea quæ prædiximus, præsignabant, et quomodo jam tunc eorum dignitatem, vel officium commendabant. Quod si omnia, quæ de arca et tabernaculo per Moysen dicta sunt, longum est ad præsens replicari, eorumque rationes et sensus multiplices longe difficilius explicari : pauca tamen breviter et summatim libet perstringere, ut in his ostendatur clericorum dignitas imaginaliter eminere. Arca facta in eremo de lignis Sethim, quæ nimirum imputribilia sunt, corpus significat Christi, quod factum in hoc mundo de virgine incorrupta, incorruptum permansit, non solum quia corruptionem putredinis in sepulcro non vidit, verum quia illud, nec vermiculus corrosit libidinis, nec damnosæ corrupit caries vetustatis. Quæ duo carnis, id est vitæ carnalis incommoda quidam peccator deplorat, qui forte de lignis imputribilibus compactus non erat. « Inveteravi, inquit, inter omnes inimicos meos (*Psal.* VI). » Et iterum : « Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus (*Psal.* XXXVII). » Ut autem apertius ostenderet de qua putribili constaret materia, adjunxit : « Et non est sanitas in carne mea (*ibid.*). » Convenienter igitur arcam Moyses de lignis imputribilibus fecit, quia corpus Christi nulla peccati attaminatio putrefecit. Tabernaculum vero de cortinis, et pellibus, et tabulis compositum, præsentis temporis Ecclesiam signat, quæ ex diverso fidelium genere constat, qui cum diversi sint meriti, officii, dignitatis, unam tamen Ecclesiæ statuunt fabricam compage charitatis. Quæ nimirum Ecclesia, dum de hac peregrinatione festinat ad gaudia divinæ visionis, quasi de eremo transit ad terram promissionis. Ne autem hujus itineris labore defatiscat, habet non mediocre munimentum, dum in secretis suis, corporis Christi

salutare continet sacramentum ; quod dum intra se videtur conservare, ipsa potius ab eo conservatur, ut non tam arca per tabernaculum, quam per arcam tabernaculum muniatur. Aaron vero et filii ejus, qui tabernaculo et præsunt et serviunt, ipsi sunt clerici, qui dum in Ecclesia clericatus dignitatem et officium sortiuntur eidem Ecclesiæ non solum ministrant, sed etiam principantur. Aaron quidem, eos quos nunc tenemus episcopos, filii vero ejus, inferioris gradus designant presbyteros, qui corpus Christi sacro ore conficiunt, cæterisque fidelibus sumendum distribuunt. Et quia idem Aaron et filii ejus omnia quæ in tabernaculo agenda erant, explere non poterant; adjuncti **387** sunt eis filii Levi, de quo et ipsi orti erant, ut sub ipsis, illi Domino ministrarent, ipsumque tabernaculum, et quidquid ad cultum ejus pertinet, diligenti sollicitudine observarent. Sic enim locutus est Dominus ad Moysen, dicens : « Applica tribum Levi, et fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, ut ministrent ei, et excubent, et observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo : dabisque dono levitas, Aaron et filii ejus (*Num.* XIV). » Qui nimirum levitæ tantæ et ipsi habiti sunt dignitatis, ut cæteris tribubus filiorum Israel a Moyse per domos et familias numeratis : soli ipsi inter cæteros nequaquam computarentur, sed ex præcepto Domini selecti a cæteris divino ministerio manciparentur. Sicut scriptum est : « Tribum Levi noli numerare, neque ponas summam eorum cum filiis Israel ; sed constitues eos super tabernaculum, et erunt in ministerio (*Num.* I). » Hi autem levitæ, qui sub Aaron et filiis ejus in tabernaculo excubant, eos designant clericos qui sub episcopis et presbyteris Ecclesiæ ministrant, qui segregati a populo, et prælati populo, Deum et populum suo interventu conciliant. Neque enim intervenire pro populo solummodo est presbyterorum, verum etiam omnium clericorum. Sicut enim Aaron et filii ejus qui de tribu Levi erant (*Num.* III), cæterique levitæ pro primogenitis filiorum Israel assumpti a Domino, tabernaculi ministerio mancipantur, ut eorum officio, tam ipsorum quam populi peccata deleantur, sic nimirum et clerici, sive majoris, sive minoris ordinis habeantur, ad serviendum Deo de medio populi segregantur, ut divinis officiis inhærentes, non solum se ipsos, verum et subjectum populum tueantur. Quia vero ad hanc tuitionem clericalis non sufficit prærogativa dignitatis, nisi dignitati adjungatur cumulus sanctitatis : voluit Deus eosdem clericos tam sanctis moribus informari, ut vitæ merito sibi, non sæculo, valeant conformari. Et vere non decet, ut qui dignitatis ecclesiasticæ fastigium obtinent, non etiam lumine sanctitatis coruscent, cum dignitas oneri potius quam honori habeatur, si non sanctitatis adminiculo fulciatur. Privati quippe cujuslibet opera, si perversa fuerint, vel forte delitescunt, vel paucis innotescunt; qui vero præeminet dignitate, nullum invenit latibulum operibus arguendis, quia ipsa dignitas præfert lucem pudendis. Quod attestans vir prudens ille Boetius : « Collata, inquit, improbis dignitas, non modo non efficit dignos, sed prodit potius et ostendit indignos. » Et quidam historiographus : « Qui in excelso, inquit, ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales noverunt, ita in maxima fortuna, minima licentia est. » Cum autem prælatus vita et fama fuerit deturpatus, eis quibus debuerat prodesse, invenitur obesse, quia cum virus capitis ad membra derivatur, totius corporis sanitas infirmatur. Cum enim vita clericorum forma sit laicorum, ut illi per ardua justitiæ tanquam duces prægradiantur, isti vero tanquam greges sequantur : populi tamen mobilitas longe proclivior est ad deteriora sectandum, quam ad ea quæ ardua sunt, imitandum. Ne igitur et clericos dignitas clericalis gravaret, dum eos immunes sanctitatis amplius diffamaret, et quibus debet exemplum præbere, vivendi offendiculum potius generaret; bene Deus disposuit ut quibus gratuitam contulit dignitatem, dignitati congruam injungeret sanctitatem, ut quanto populis digniores, tanto essent eisdem sanctiores. Neque enim decebat, ut qui erant longe impares dignitate, pares essent vivendi qualitate, sed sic vivant subditi, ut Deo placere mereantur, sic autem prælati, ut non tam loco quam merito prælati bene viventibus habeantur. Quæ nimirum sanctitas clericorum, sicut et dignitas multis est in lege ænigmatibus et figuris præsignata, multis testimoniis commendata, ut nulli de ea liceat dubitare, qui Scripturis aurem voluerit inclinare. Tanta enim de Aaron et filiis ejus cæterisque levitis, scripta per Moysen lectitantur, in quibus ea quæ ad clericos pertinent, sine dubio præsignantur, ut jam facilius sit ea non amari, quam penitus ignorari. E quibus congruum videtur ad medium nonnulla revocare, et quomodo clericis conveniant, prout facultas dabitur, demonstrare ; ut et minus eruditi, discant quæ nesciunt, et qui ea quæ noverunt contemnentes diligunt oblivisci, velint nolint, cogantur reminisci.

CAPITULUM III.

Aaron ergo primus a Deo sacerdos eligitur : non quod ante eum non fuerint sacerdotes, sed illi sua quasi spontanea voluntate, non divina facti sunt auctoritate. Unde paulo superius libet repetere, et de prioribus sacerdotibus aliquid dicere, ut quam necessaria fuerit hujus sacerdotis electio videatur, cum in gentibus multi præcesserint, quorum utilitas, vel non tanta, vel nulla penitus judicatur. Reperitur in Genesi Melchisedech Dei Altissimi sacerdos exstitisse (*Gen.* XIV), qui Abrahæ de cæde hostium revertenti, panem et vinum legitur protulisse. Cujus facti mysterium Paulus apostolus (*Hebr.* ,Y) non mediocriter veneratur, recolens quia juxta hunc ordinem, Christum factum sacerdotem David propheta protestatur : « Tu es, inquit, sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX). » **388** Verum hic Melchisedech, quando, vel quomodo, vel quare sacerdos factus fuerit, Scriptura divina non memorat, sed sic eum ducit ad medium, ut de

his omnino reticeat. Inter alienigenas quippe illius conversatio fuit quibus, etsi jure regio cognoscitur imperasse, non tamen sacerdotis officio eisdem creditur ministrasse. Quod, quantum extimo, distinguere signanter Scriptura videtur; ut non civitatis talem Melchisedech rex et sacerdos pariter asseratur, sed tantum rex Salem; sacerdos autem Dei altissimi separatim dicatur, ut ex hoc Scriptura velle intelligi videatur, quia ille in civitate regale quidem imperium obtinebat, soli autem Deo non etiam et populo sacerdotis ministerio serviebat. Sic enim in Genesi scriptum est : « At vero Melchisedech rex Salem proferens panem et vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) (*Gen.* XIV) ; » et Apostolus : « Hic, inquit, Melchisedech rex Salem, sacerdos Dei summi qui obviavit Abrahæ regresso de cæde regum (*Hebr.* VII). » Nec est incredibile quod incredulis rex imperat fidelis, et justus, cum hoc ipsum et huic contrarium accidisse frequenter legamus, et inpræsentiarum fieri videamus. Multoties enim reges increduli filiis Israel verum Deum colentibus imperarunt; et e converso reges vel principes israelitici hostes suos jure belli subactos, etsi non Judæos, tamen tributarios reddiderunt. Nostris etiam temporibus Christiani reges Judæis incredulis circumquaque dispersis, multisque gentilibus, etsi non cultum Christianæ religionis, jugum tamen imponunt dominationis : et e regione inter barbaras nationes multi Christiani, etsi a fide catholica non declinant, regum tamen dominationi cervicem inclinant. Non igitur mirum, si et Melchisedech, qui vero Deo serviebat, gentibus incredulis imperabat, ut ejus sacerdotium non tam necessarium quam voluntarium ostendatur, cum per hoc non populo ministrare sed Deo placere videatur. Habebat fortasse idem populus sacerdotes suos per quos apud eum cultus idololatriæ servabatur; ad quorum forsitan distinctionem Melchisedech Dei altissimi sacerdos appellatur, prius enim quam in populo Dei sacerdotes inveniantur fuisse, apud exteras nationes sacerdotes leguntur exstitisse : ut sacerdotium Judæos potius a gentibus quam gentes a Judæis videri possint accepisse. Cum enim Pharao rex Ægypti Joseph eductum de carcere constituisset (*Gen.* XLI), præpositum universæ terræ Ægypti, et mutato ejus nomine lingua Ægyptiaca vocasset eum salvatorem mundi, dedit, inquit Scriptura, illi uxorem Ascenech, filiam Putiphares sacerdotis Heliopoleos. Et infra in eodem libro : « Emit, inquit, Joseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis præter terram sacerdotum, quæ a rege tradita fuerat eis, quibus et statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, et ideo non sunt compulsi vendere possessiones suas (*Gen.* XLVII). » Et in Exodo : « Moyses, inquit, pascebat oves Jethro soceri sui sacerdotis Madian (*Exod.* III). » Videtis apud Ægyptios, et Madianitas, sacerdotes haberi, per quos eorum sacra imo sacrilegia certum est celebrari, cum nondum in populo Dei sacerdos inveniatur, qui

A eo tempore quo Moyses interfecto Ægyptio fugit in Madian, inter Ægyptios morabatur. Jam quippe longe lateque nationes gentium dispersæ erant quæ varios deos varia superstitione colebant, eisque templa, simulacra, sacrificia perversa devotione instituebant, Deumque verum creatorem suum fere omnes penitus nesciebant.

CAPITULUM IV.

Ægyptii vero inter quos filii Israel versabantur tunc temporis præcipuo Serapim venerabantur. Qui cum rex fuerit Argivorum, navigio transvectus est in Ægyptum, ibique mortuus honorem adeptus est divinum. Hic nimirum, dum adhuc viveret vocatus est Apis; cum autem mortuus coleretur, vocatus est Serapis, quasi sepultus Apis. Dignum quippe
B visum est eis ut cum illi divini honoris exhibitione deservirent; amplificatione quoque nominis eumdem honorarent. Non intelligentes miseri quia hoc decus tam suum quam illius est dedecus, cum hujusmodi additamentum mortui hominis indicet monumentum. In hujus autem honorem Serapis taurum niveum quibusdam maculis distinctum studiose, et delicate nutriebant : eidemque tauro, miro errore decepti divinos honores exhibebant. Quo mortuo, vel, sicut quidam aiunt, prædicti Serapi immolato, alium ejusdem coloris ad nutriendum quærebant; et quia quæsitum haud difficile inveniebant, divina hoc fieri procuratione credebant. Hic vero taurus ab eo qui dicebatur Serapis, curtato per apheresim nomine, vocabatur Apis, forte quia, etsi honore divino
C venerandus, Deo tamen Serapi non erat coæquandus, vel forte ideo appellatus est Apis, ne si diceretur Serapis, error temerarius videretur, cum iste non mortuus, sicut ille, sed vivens coleretur. Hoc errore misero Ægyptus misera tenebatur, cum apud eam plebs israelitica luti et lateris operibus premebatur, qui nimirum error eisdem filiis Israel in ruinam et scandalum fuit, quia multi eorum relicto cultu unius veri Dei ad colenda Ægyptiorum figmenta sunt conversi. Videntes enim templa studiose ædificari, simulacra devote adorari, sacerdotes ordinari, sacrificia celebrari, et hæc agendo Ægyptios prosperari; videntes, **389** inquam, hæc levitate populari movebantur et ad agendum similia incitabantur; et quia Deum
D verum visibiliter non videbant, diis Ægyptiis quos poterant videre, serviebant. Ad quorum cultum, eos vel timor Pharaonis impellebat vel illecebra Ægyptiacæ prosperitatis inducebat, vel forte erroris et ignorantiæ caligo seducebat. Colebant igitur Apim, taurum scilicet illum, cui et Ægyptii cervicem flectebant, et cultum debitum Creatori, ordine perverso, creaturæ exhibebant. Hinc est, ut extimo, quod cum in eremo deos sibi fieri postularent, dicentes ad Aaron : « Fac nobis deos qui nos præcedant. Huic enim Moysi qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus quid acciderit (*Exod.* XXXII), » idem Aaron recolens quia in Ægypto adoraverunt Apim, projectis in ignem inauribus eorum vitulum fudit; extimans, quia aliud idolum, vel non recipierent, vel

potius tam gratum non haberent. Unde illi novum conflatile intuentes, et in eo quasi Deum pristinum recognoscentes, præ gaudio exclamaverunt. « Hi sunt dii tui Israel : qui eduxerunt te de terra Ægypti (*Ibid.*). » Quod autem diis alienis servierint in Ægypto, satis aperte divina testatur Scriptura, quæ postmodum eos ab illorum studet revocare cultura. « Auferte, inquit, Deos, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, et in Ægypto, et servite Domino (*Jos.* XXIV). »

CAPITULUM V

Cum itaque errore idololatriæ apud Ægyptios filii Israel seducerentur, et sicut prædictum est, luti et lateris operibus graviter premerentur (*Exod.* II), rege Pharaone moriente, et in morte ejus divina illos gratia visitante clamaverunt ad Dominum ab operibus quidam, etsi non omnes, vel corde compuncto forsitan omnes. Quorum clamore commotus est Deus, et illorum miseratus errorem, et recordatus fœderis quod pepigerat cum Abraham, Isaac et Jacob, non sustinuit ut eorum filii penitus interirent, sed misso ad eos de terra Madian, Moyse, benigne monuit ut redirent. Et quia Ægyptus tenebræ sunt, Israel vero videns Deum, nulla autem conventio luci est ad tenebras, etsi enim lux lucet in tenebris, tenebræ tamen eam non comprehendunt (*Joan.* I); voluit eos Dominus educere de Ægypto, id est de tenebris idololatriæ et in deserto pœnitentiæ collocare, ut ibi meritum sibi acquirerent sanctitatis, et sancte vivendo recuperarent, imo augerent Israeliticæ fastigium dignitatis. Quia vero nulla illis religio commendabilis videbatur, quæ in offerendis sacrificiis non occupabatur, et ea tantum putabatur fructuosa devotio, quam carnalium munerum commendabat oblatio, lactans illos tanquam parvulos, Deus nequaquam ab eis sacrificandi consuetudinem amputavit, sed eam potius ordinavit, ut quod non nolebant non facere, non diis, sed Deo vero diligerent exhibere. Hoc est unde Pharao vehementer irascitur, implacabiliter stomachatur. Cum enim ingressi ad eum Moyses et Aaron dicerent : « Hæc dicit Dominus Deus Israel : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto (*Exod.* V); in hoc ille verbo non mediocriter indignatus : « Quis est, inquit, Dominus ut audiam vocem ejus? Nescio Dominum; et Israel non dimittam. Et illi : Deus Hebræorum vocavit nos ut eamus viam trium dierum in solitudine, et sacrificemus Domino Deo nostro. Et ille : Quare Moyses et Aaron sollicitatis populum ab operibus suis? Ite ad onera vestra (*ibid.*). » Et infra : « Vacant, inquit, et idcirco vociferantur dicentes : Eamus et sacrificemus Deo nostro (*ibid.*). » Et paulo post : « Vacatis, inquit, otio, et idcirco dicitis : Eamus et sacrificemus Domino. Ite ergo et operamini (*ibid.*). » Nihil tam grave, nihil tam molestum Pharaoni videbatur, quam si populus Israel exiret de Ægypto, ut vero Deo sacrificaret. Prævidebat quidem spiritualis Pharao, id est diabolus, vel suspicabatur, quia sibi magnum detrimentum inferretur, si filiis Israel divinitus sacerdotium conferretur, per cujus ministerium ipsi Deo ab eodem populo sacrificium offerretur. Quocirca quantis poterat viribus materialis Pharao nitebatur, ut vel hujusmodi consilium penitus annullaret, vel saltem aliquatenus immutaret. Videns autem illud non posse penitus annullari, seque tribus plagis percussum quarta superaddita solito amplius prægravari, duritiam suam compulsus est aliquantulum mitigare, imo mitigatam simulare, et ait : « Ite, sacrificate Domino in terra hac (*Exod.* VIII). » Ac si diceret : Scio quidem quia Deo vestro sacrificare vultis in deserto, sed ite, sacrificate ei in Ægypto; ut inter me et vos quoddam medium disponatur, per quod concordia utcunque teneatur, dum et ego partim consentio vestræ petitioni, et vos obtemperantes estis ex parte aliqua meæ jussioni. Ad quem Moyses : « Non potest, inquit, ita fieri; viam trium dierum pergemus in solitudinem, et sacrificabimus Deo nostro sicut præcepit nobis (*ibid.*). » Videbat profecto vir sanctus vel Spiritus, qui in eo loquebatur, quia nulla populo Dei cum Pharaone habenda est concordia, nec potest Deo sacrificium complacere, si is qui sacrificat non ad lucem egredi sanctitatis, sed in tenebris peccatorum disponit remanere. Denique in exitu Israel de Ægypto (*Exod.* XIV) agnum mysticum idem populus jussus immolare; sed hæc immolatio non ad remanendum, sed ad egrediendum inventa est profuisse.

CAPITULUM VI.

Egressi sunt igitur, vellet nollet Pharao, de Ægypto, et in deserto, duce **390** Moyse collocati : ibique rudibus institutis tanquam lacte tenero educati. Videns enim Deus quia ad peccandum erant proclives, et ab Ægyptia consuetudine, vel non, vel difficile poterant avelli (consueverant quippe, ut audistis, idola venerari, sacrificiis occupari, ritus gentium imitari), noluit eis omnem subito interdicere vetustatem, ne huic tenacius inhærentes, omnem penitus repellerent novitatem. Infirmus enim animus tunc se utcunque duci ad meliora dimittit, cum eum ductor suus in aliquantula sua delectatione remanere permittit : et tunc patientius sustinet ferrum medici ferientis, cum pariter sentit lene fomentum ejusdem blandientis. Eapropter sic illis Deus novam religionis formulam intimavit, ut tamen vetera penitus non auferret : sic illis vetera dereliquit, ut eadem quodammodo innovaret. Nam et illis carnalia sacrificia concessit, quod erat vetustatis, et ut sibi eadem immolarentur instituit; quod erat novitatis. Denique sic illorum condescendens infirmitati nostræ longe postfuturorum consuluit utilitati; dum quod illis realiter concessit agendum, nobis spiritaliter dedit intelligendum, ut et illos animales illiceret figura carnalis, et nobis prodesset intelligentia spiritalis. Ex eo enim quod illis mandavit, occultum nobis texuit sacramentum, ut eo magis quæ apud nos impleta sunt, diligeremus, quo ea longe ante præfigurata sciremus. Nam dum illis agere quæ carnalia sunt, indixit, quo spiritualiter in nobis implenda

erant, prædixit, et illius temporis realis historia, nostra facta est prophetia. Longiusculam digressionem videor texuisse, dum ostendo, non gentes a Judæis, sed Judæos a gentibus, imo verius a Deo sacerdotium accepisse. Ad id quod cœperam, tandem est revertendum, et quomodo vetera novis conveniant, sicut promiseram, ostendendum. Promisi quippe, ut recolo, me dicturum aliqua ex multis, quæ de Aaron et filiis ejus, cæterisque levitis per Moysen scripta sunt; quomodo et possint et debeant clericis coaptari, et quomodo istorum et dignitas, et sanctitas in illis inveniatur figurari.

CAPITULUM VII.

Cum igitur filiis Israel in eremo constitutis, vivendi Deus præcepta dedisset, et ne deos gentium ulterius colerent, summopere prohibuisset, dicens: « Non habebis deos alienos coram me (*Exod.* xx); » et iterum: « Non facietis mecum deos argenteos, nec deos aureos facietis mihi (*ibid.*); » arcam et tabernaculum, ut superius dictum est, præcepit fabricari, ibique sibi hostias immolari. Ut autem hostiarum oblatio commendabilis haberetur, et populi cervix indomita majorum reverentia premeretur, voluit Deus in eodem populo sacerdotes haberi, per quorum ministerium hujusmodi cultum sibi voluit exhiberi. Noluit enim, ut unusquisque offerentium sibi sacerdos existeret, et ad placandum Deum se posse sufficere præsumptivo tumore confideret, ne tanti prærogativa officii, eo amplius vilesceret, quo sibi eam passim et libere quisque indignus assumeret. Inter cæteras itaque tribus filiorum Israel, tribum Levi certi causa mysterii selegit, et in ea præ cæteris, Aaron et filios ejus sacerdotes elegit, ut scilicet Aaron summum sacerdotii haberet principatum, filii vero ejus secundarium quodammodo prioratum. Ut autem sicut dignitate et officio, sic etiam et habitu discreti a cæteris haberentur, voluit ut ministrantes in tabernaculo, novo vestium genere vestirentur, ut earum admonitione et devotiores in ministerio redderentur, et apud cæteros reverentiæ majoris haberentur. Fecit itaque Aaron fratri suo Moyses ex præcepto Domini vestimenta quædam, quæ solus ipse haberet ut propria, quædam vero, quæ cum filiis haberet communia, ut ex ipso habitu innueretur, in quo summus pontifex omnes reliquos præveniret, in quo vero cæteris sacerdotibus conveniret. Sic electi, sic induti, Aaron et filii ejus sacerdotio funguntur, ministrant arcæ et tabernaculo, Deo et populo, Deo quidem, ut ei placere mereantur, populo autem, ut ad bene vivendum et complacendum erudiant et hortentur. In quo satis patenter ostenditur, quoniam clerici qui ad fungendum sacerdotio promoventur, non ingeri, sed eligi, non nudari, sed indui debent, ne si non electi, non induti funguntur sacerdotio, non juvari, sed gravari tali mereantur officio.

Prologus de electione clericorum.

Libet itaque in hac electione clericorum paulo diutius immorari, et quomodo in Scripturis, tam novis quam veteribus commendetur electio, diligentius intueri, ut si Deo juvante, nobis ejus cognitio declaratur, eodem gratiam infundente amplius cognita diligatur. Facilius enim quis quid amat, cum id aliquantulum novit, nescio autem utrum possit diligere quod non novit. Denique teste Apostolo, ad diligendum Dominum ob hoc quorumdam duritia non accessit, quia in eis ejusdem cognitio non præcessit. « Si enim, inquit, cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II). » Ac si **391** diceret: Ideo eum non dilexerunt, quia non cognoverunt.

CAPITULUM VIII.

Eligitur quidem a Deo, non solum Aaron, de quo satis audistis, verum etiam Eleazar filius ejus, ut post eum summa cura tabernaculo serviat, et non tam carnali successione, quam divina electione summus sacerdos existat. Sic enim ad Moysen loquitur Deus: « Tolle Aaron et filium ejus cum eo, et duces eos in montem Or. Cumque nudaveris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium ejus; et Aaron colligetur et morietur ibi (*Num.* xx). » Quod autem hujusmodi veste, nonnisi summus sacerdos induatur, in Exodo aperte declaratur: « Vestem, inquit, sanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii ejus post eum, ut ungantur in ea, et consecrentur manus eorum. Septem diebus utetur illa qui pontifex pro eo fuerit constitutus de filiis ejus, et qui ingredietur tabernaculum testimonii, ut ministret in sanctuario (*Exod.* xxix). » Quis autem ille sit filius, qui hac veste debeat indui, et pro patre summus sacerdos constitui, in Levitico determinari videtur, cum de oblatione pontificis sermo divinus loqueretur: « Hæc est, inquit, oblatio Aaron, et filiorum eorum, quam offere debent Domino in die unctionis suæ. Decimam partem ephi offerre similæ in sacrificio sempiterno (*Levit.* VI). » Offeret autem eam calidam in odorem suavissimum Domino sacerdos, qui patri jure successerit. Ubi notandum, quia non ait simpliciter: « Sacerdos qui patri successerit, » sed vigilanter ait: « Qui patri jure successerit, » ut hæc nimirum intelligatur justa successio, quam non sola carnis posteritas, sed divina sancit electio. Denique idem Aaron duos alios filios priores natu, Nadab scilicet, et Abiu, legitur habuisse, quos nec paterna successione, nec divina electione dignos cognoscitur exstitisse. Nesciebat igitur Moyses quis post Aaron fratrem suum ad summum sacerdotium deberet promoveri, et ideo necesse habebat divinitus edoceri: præsertim cum idem Aaron et alium haberet filium, Ithamar nomine, qui, etsi vitæ commendabilis invenitur, non tamen ad summi gradum sacerdotii accersitur. Ipse etiam Moyses, cum se moriturum divina revelatione cognosceret, et filios sibi carnaliter succedentes relinqueret, nulli tamen eorum regendi curam populi vel honorem dimisit, sed Josue filio Nun divinitus electo principatum commisit. Sic enim ait Moyses: « Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc, ne sit

populus Domini sicut oves absque pastore. Dixitque Dominus ad eum: Tolle Josue filium Nun, et pone manum tuam super eum, ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Israel (*Num.* XXVII). » Nequaquam, ut arbitror, filiis suis Moyses principatum invidit, sed vir sanctus Deo sic inspirante prævidit: quod ad honores ecclesiasticos non erat ambienda provectio, sed exspectanda et commendanda divinæ voluntatis electio. Quam electionem Jethro quoque sacerdos Madian commendavit, cum eidem Moysi genero suo salubre consilium intimavit. Cum enim Moyses in regimine populi intolerabiliter laboraret, et de mane usque ad vesperum solus causas eorum et jurgia sustineret, videns hoc Jethro socer suus, satis incongruum judicavit, et ut sibi coadjutores eligeret, sapienter admonuit, dicens: « Provide de omni plebe viros potentes et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderunt avaritiam, et constitue ex eis tribunos et centuriones, et quinquagenarios, et decanos, qui judicent populum omni tempore. Quidquid autem majus fuerit, referant ad te, et ipsi minora tantum judicent; leviusque tibi sit partito in alios onere. Si hæc feceris, imperium Domini implebis. Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat, et electis viris strenuis de cuncto Israel constituit eos principes populi, tribunos et centuriones, et quinquagenarios et decanos (*Exod.* XVIII). » Videtis hos principes ad gradum digniorem non impetu propriæ voluntatis provectos, sed ordine divinæ dispositionis electos; ipsamque dignitatem non illorum lenocinari affectui, sed fidelium servire profectui. Cum enim qui electi sunt, timere Deum et amare veritatem, et avaritiam prædicentur odisse, constat nimirum dignitatis eos fastigium non ambisse.

CAPITULUM IX.

Nec solum in regimine populi, verum etiam in discrimine populi, valere plurimum videtur electio, sicut divinarum quoque Scripturarum signanter innuit lectio. « Cum enim contra populum Israel, in Raphidim Amalech pugnare, et quomodo contra repugnantem bellum esset ineundum Moyses ordinaret, dixit ad Josue: Elige viros, et egressus, pugna contra Amalech. Fecit, inquit, Josue, ut locutus erat Moyses: fugavitque Amalech et populum ejus in ore gladii (*Exod.* XVII). » Ecce de filiis Israel nulli ad præliandum contra Amalech accinguntur, nisi qui a Josue, id est Jesu eliguntur, ne, si non electi bellum præsumant inire, ruinam potius, quam victoriam cogantur invenire. Postmodum vero, cum in Sethim, in campestribus Moab populus Israel moraretur, et non bello, sed dolo Madianitarum per idolum Phegor devictus **392** ignominia premeretur, voluit Deus hujusmodi injurias ultum iri ut et hostis de sua non diutius gauderet fallacia, et suam Israel ignominiam nova purgaret victoria. « Locutus est itaque Dominus ad Moysen dicens: Ulciscere filios Israel de Madianitis, et sic colligeris ad populum tuum. Statimque Moyses: Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint ultionem Domini expetere de Madianitis. Mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israel qui mittantur ad bellum. Dederuntque millenos de cunctis tribubus. Cumque pugnassent contra Madianitas, et vicissent, omnes mares occiderunt (*Num.* XXXI). » Tale quid et in libro Judicum invenitur, cum contra Gabaa Benjamin a Dan usque Bersabee, eadem mente unoque consilio convenitur, quia enim homines illius civitatis longe transgressi legitimæ terminos castitatis, uxorem cujusdam levitæ incredibili furore libidinis vexantes, ignominiosam illi mortem intulerant; convenerunt omnes filii Israel ante Dominum in Maspha, decernentes ut contra Gabaa Benjamin pugnaretur, ne tam grande piaculum inultum haberetur. Dicunt ergo: « Decem viri eligantur e centum ex omnibus tribubus Israel, et centum e mille, et mille de decem millibus ut comportent exercitui cibaria, et possimus, pugnantes contra Gabaa Benjamin, reddere ei pro scelere quod meretur (*Jud.* XX). » Videtis electionem plurimum commendari, cum contra inimicos pugnatur, ne quis alios ulcisci præsumat, si non electionis adminiculo fulciatur. Qui enim vel alios vindicare, vel aliis non electus præsumpserit imperare, tam sibi quam cæteris ruinam invenitur inferre, quia finem optabilem præsumptiva non invenit fortitudo, nisi forte ad eam digna correxerit pœnitudo.

CAPITULUM X.

Hujus præsumptionis nescius, tam ad præliandum quam ad imperandum David eligitur; et in utroque, non suam sed Domini voluntatem secutus invenitur. Dicit quippe ad eum prudens illa mulier Abigail: « Faciens faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, domine mi, tu prælians (*I Reg.* XXV). » Quis, quæso vos, prælia Domini præliatur, nisi qui in prælio non suam sed Domini gloriam aucupatur: et dolet cum inimicos occidisse viderit, quamvis sibi victoriam gaudeat accidisse? Inde est quod idem David in morte Saul non mediocriter contristatur, et adversus montes Gelboe, in quibus ille ceciderat, stomachatur (*II Reg.* I). De regno autem suo, ait ad Michol: « Vivit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me, et præcepit mihi, ut essem dux super populum Domini Israel (*II Reg.* VI). » Et in Paralipomenon hæc eadem electio multoties replicatur, ut eam replicando commendare plurimum videatur. « Elegit, inquit, Dominus Deus Israel me, ut essem rex Israel, et iterum, placuit ei ut me eligeret regem super cunctum Israel (*I Par.* XXVIII). » Quando vel quomodo ipsum David Deus elegerit, superfluum videtur ad præsens recensere, quia vestram prudentiam hujus rei ordinem æstimo non latere. Nostis quippe quod Isai Bethlemites ductis ad medium filiis suis a majore deorsum versus per ordinem, per singulos audit a Samuele: « Neque hunc elegit Dominus. Veniente autem parvulo David de pascuis, ait Dominus Samueli: Surge et unge eum, ipse est enim (*II Reg.*

xvi). » Adhuc de Veteri Testamento multa hujusmodi possent his quæ dicta sunt jungi, sed ne inferat protensa multitudo fastidium, ad nostri litteras temporis tandem est divertendum. In illis enim invenitur etiam electio commendari, ad quod considerandum congruum est populum immorari.

CAPITULUM XI.

Dominus noster Jesus Christus cum nobiscum in terris conversaretur, Ecclesiam suam verbis et operibus informavit; et eos qui ei et præessent et prodessent diligentius ordinavit. Duodecim itaque, sicut nostis, elegit discipulos, quos et apostolos nominavit, quos per universum misit orbem, ut vice sua prædicarent et baptizarent, solverent et ligarent, languores curarent, dæmonibus imperarent: ipsique Ecclesiæ paterna sollicitudine providerent, et seipsos vivendi formam aliis exhiberent. Denique tantam illis contulit gratiam, ut non solum quæ ipse faciebat, sed et majora horum facerent, sicut ipse idem in Evangelio (*Joan.* xiv) protestatur et in divina Scriptura comprobatur. Nulli quippe cunctis retro diebus, sive patriarchæ, sive prophetæ, sive quilibet sancti, qui diversis locis et temporibus Domino servierunt, tanta vel vivendi, vel miracula faciendi, gratia refulserunt, quanta ipsi apostoli, qui Deum in carne et videre et diligere meruerunt. Ad hunc autem apostolicum gradum nullus, nisi electus, accessit: nullus se tumida præsumptione ingessit. Voluit enim Christus in illo primo et præcipuo apostolorum ordine demonstrare, quia excellentia ecclesiasticæ dignitatis non est aucupium propriæ voluntatis, sed honor et ministerium sanctitatis. Ideo elegit eos quibus tale ministerium injunxit, sicut eisdem ipse ait: « Ego elegi vos (*Joan.* xv). » Denique cum per lapsum Judæ Iscariotis eorumdem apostolorum esset numerus imminutus, ne **393** quid sacramenti deesset numero, qui ab ipso Christo fuerat institutus, voluerunt apostoli alium substitui, qui locum Judæ Iscariotis obtineret, et tam sacrum mysterium, quam sacri mysterii numerum diligentius adimpleret. Statuerunt igitur, sicut scriptum est, duos: Joseph qui vocabatur Barsabas, et Matthiam. Et orantes dixerunt: « Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex duobus unum, locum accipere ministerii hujus. Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecim apostolis (*Act.* i). » Videtis quia in locum Judæ, non nisi electus succedit; nec ad apostolicam dignitatem quisquam, nisi vocatus, accedit. Matthias quippe sorte eligitur, cum per apostolos apostolus ordinatur. Et qui tempore illo Ecclesiæ pastores ordinabantur, sorte quidem, ut quidam volunt, eligebantur, unde et clerici nominantur. Clericus enim interpretatur *sorte electus*. *Cleros* Græce, *sors* Latine, inde clericus, *sorte electus*. Ab apostolis igitur nomen exortum est clericorum, qui nimirum, et clerici, et principes sunt clericorum. Ipsi quippe electi alios et jam elegerunt, et eligendo, debere eos eligi docuerunt. Nec solum presbyteros, vel episcopos, qui in ordine clericali propter sacerdotium, gradum obtinent digniorem, verum et diaconos elegerunt, quos esse inferiores presbyteris voluerunt. Cum enim in Ecclesia primitiva viderent apostoli fidelium numerum crescere, et omnium ministerio non possent sufficere, placuit eis septem boni testimonii viros ad ministrandum fidelibus constituere, ut ipsi verbo Dei, et orationi liberius possent insistere. « Et elegerunt, inquit, Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sancto, et Philippum, et Procorum, et Nicanorem, et Timotheum, et Permenam, et Nicolaum advenam Antiochenum: et orantes imposuerunt eis manus (*Act.* vi). »

CAPITULUM XII.

Saulus quoque Tharsensis, ut apostolus fieret, est electus, sicut de eo Dominus Ananiæ dicit in visu: « Vade quoniam vas electionis mihi est iste (*Act.* ix). » Deinde cum idem Saulus esset Antiochiæ cum prophetis et doctoribus in quibus erat Barnabas et Simon, qui vocabatur Niger, et Lucius Cyrenensis, et Manahen: « Ministrantibus illis Domino et jejunantibus dixit Spiritus sanctus: Separate mihi Barnabam et Saulum in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, inquit, et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos (*Act.* xiii). » Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto, abierunt. Ecce Saulus et Barnabas de inter cæteros electi verbum Dei mittuntur prædicare; formam congruam relinquentes cui se debeant posteri conformare. Neque enim debet quisquam officium aggredi prædicandi, nisi eum divina commendet electio; ne, si eum Spiritus sanctus non miserit, sed suus procaciter impulerit, gravet eum nociva præsumptio. Inde et Ephesi episcopos, id est presbyteros idem Paulus eleganter commendare videtur, cum eos ad regendam Ecclesiam diligenter hortatur. « Attendite, inquit, vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei (*Act.* xx), » ac si diceret: Attendite vestræ et universorum fidelium saluti, in quorum regimine non vos ipsos ambitione proterva posuistis, sed ei qui vos posuit, sancto Spiritui obedistis. Sic debere fieri alias etiam protestatur, cum scribens ad Hæbræos de pontificibus loqueretur: « Omnis, inquit, pontifex ex hominibus assumptus, ab hominibus constituitur (*Hebr.* v); assumptus, inquit, constituitur, ac si diceret: Non sibi pontificatum assumit, sed ad eum assumitur; non se constituit, sed constituitur. Quod aperte declarat, cum subjungit: Nec quisquam sumit sibi honorem; sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron (*ibid.*), » hoc est dicere: Sic debet pontifex constitui, ut honorem non sumat, non præsumat, sed sumatur: non diligat, non eligat, sed eligatur. Quod legis auctoritate confirmat, paulo infra subinferens: « Lex homines constituit sacerdotes (*Hebr.* vii). » Et cum Titum instrueret de institutione presbyterii, sic ait: « Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas: et constituas per civi-

tates presbyteros. Tu, inquit, constituas presbyteros, non ipsi scipsos (*Tit.* I). » Denique illos in Evangelio Dominus invenitur arguere qui in cœnis primos accubitus festinant eligere, cum invitato ad nuptias eo usque sedendum sit inferius, donec audiat sibi dici : « Ascende superius (*Luc.* XIV). » Iis et multis aliis testimoniis Scripturarum, tam veterum quam novarum, satis ostenditur quod ad honores ecclesiasticos non nisi electus debet ascendere, ne, cum venerit pater familias discumbentes invisere, eum quem ipse non promovit, cogat descendere. Unde summopere clericis est cavendum, ne hujus præsumptionis arguantur, ne eligant antequam eligantur; ne, si non electi velint eligere, habeant nomen, et non ex re. Clericus enim, *electus* dicitur. Huic autem interpretationi etiam illa congruit interpretatio levitarum, quia, sicut clericus *electus*, ita et levita dicitur *assumptus*. Assumpsit enim Dominus levitas pro primogenitis filiorum Israel, ut ministrarent ei in sanctuario suo (*Num.* III). Eligi ergo et assumi debent qui ad hujus dignitatem officii promoventur, alioquin illa beatitudine non fruentur, de qua propheta : **394** Beatus, inquit, quem elegisti et assumpsisti (*Psal.* LXIV), hoc est dicere : Beatus clericus et levita, et pulchre proposuit clericum, et levitam subjunxit, quia clericus, etsi non tempore, tamen prior est dignitate; cum levita clerici typus sit et figura, clericus autem veritas usque in finem sæculi permansura. Neque enim deficient dignitas et officium clericorum, donec finis veniens sæculi transvexerit nos ad æterna sæcula sæculorum.

CAPITULUM XIII.

Cum autem, ut dictum est, ad honores ecclesiasticos non nisi electus debeat promoveri, nostris tamen temporibus multo aliter videmus fieri, quia crevit et excrevit numerus plurimorum, qui non tam re gloriantur quam nomine clericorum. Quia ergo multi avaritiæ facibus inardescunt, et vel ditari, vel honorari plus justo concupiscunt, cum non possint ad libitum prosperari, impudenter se ingerunt, et appetunt ordinari, ut quod eis ex suo patrimonio non confertur, ordinum mercimonio conferatur. Eapropter cum celebrandorum ordinum dies præoptata declaratur instare, tam multos ad ordines videmus festinare, ut audisse credendi sunt edictum illud poeticum : « Occupet scabies extremum. » Videntes enim ordinandi eos qui ordinati sunt efflorere, et non tam probitatis, vel scientiæ, vel generis, quam ordinum beneficio ad honores et divitias pervenisse, turpe est eis, si in loco infimo relinquantur, et non etiam ipsi qualicunque modo divites habeantur. Nullam igitur sanctitatem habentes, sanctitatis assumunt officium : non ut Deo per hoc intendant deservire, sed ad sua desideria efficacius pervenire. Et quia Deus illis causa non exstitit ordinandi, cum eis non sit cura Deo, sed sæculo ministrandi : ipsum officium quod justis est refectio spiritalisque sagina, illis efficitur laqueus, et ruina. Cum enim hujusmodi presbyteri populum spiritaliter pascere jubeantur, se potius temporaliter pascere comprobantur; et cum altari orantes pro populo astare videantur, non tam divina cœlitus beneficia præstolantur, quam ipsius populi oblationes terrenas aucupantur. Quorum avaritiam per prophetam Malachiam Dominus arguit dicens : « Quis est in vobis qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito? (*Malac.* I). » Vult Deus Ecclesiæ suæ, vel altaris ministerium agi gratis, id est non impulsu avaritiæ, sed zelo charitatis, quia non est ei acceptabile quod offertur, si de bonæ intentionis promptuario non profertur. Quocirca subjungit : « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra (*ibid.*). » Quia Deus in eis nihil invenit sibi gratum, munus quoque non approbat quod exterius est oblatum : et qui cordis omnium intimus est inspector, ipsius magis sine munere, quam sine ipso muneris est susceptor. Cum igitur non super cor suum, sed super munus suum, gloriam Dei ponunt, cum ad glorificandum eum cordis munditiam non præponunt, non solum non obtinent quod se promereri pro muneribus arbitrantur, sed pro cordis malitia, prout justum est, reprobantur. Et cum Deo sola eorum exterior oblatio benedicit, Deus justus redditor, eorum benedictionibus maledicit. Quod evidenter insinuat, cum paulo infra dicit : « O sacerdotes, si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris, et maledicam illis, quoniam non posuistis super cor. Quia, inquit, super cor nequaquam posuistis, quia in quo glorificer, intelligere noluistis, mittam in vos bonorum operum egestatem, reprobabo internæ merito pravitatis exteriorem ministerii sanctitatem. Vos enim, inquit, recessistis de via : et scandalizastis plurimos in lege (*Malach.* II). » Avari sacerdotes in populo perverse dogmatizant, et illo plurimos perverso dogmate scandalizant, dum volunt et agere ministerium sanctitatis, et tamen non deponere mores et opera pristinæ pravitatis. De qualibus dicitur per Michæam : « Principes, inquit, Hierusalem in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant : et prophetæ ejus in pecunia divinabant (*Mich.* III). » Hujusmodi sacerdotes corpus Christi non mediocriter vilipendunt, qui pro terrenis muneribus illud vendunt, et quod sui pretio universum mundum suffecit redimere, hujusmodi presbyteri pro stipe vilissima non recusant impendere.

CAPITULUM XIV.

Omnes quidem Judam Iscariot mirabiliter detestantur, omnes ejus avaritiam exsecrantur; sed, si paulo diligentius velimus attendere, corpus Christi multo ille pretiosius æstimavit, qui pro illo immolando non minus quam triginta argenteos postulavit. Nostri autem presbyteri plerumque pro nummo, plerumque pro obolo Christum immolant in al-

ieri : non sane attendentes quia tali pretio non se A Christus voluit comparari, nec hujus intuitu passionis suæ mysterium celebrari. Quod ex verbis ejus poterit comprobare qui ea voluerit diligentius retractare. Cum enim Christus sub ipsius passionis articulo agonizaret, et certissimum sui pignus dilectis discipulis relinquens, **395** corporis et sanguinis sui celebrandum eis mysterium commendaret, quod intuitu vellet agi, signanter expressit, et ait : « Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. » Attendite, quæso, presbyteri, diligentius verba Christi : et intelligite, quo respectu mysterium corporis et sanguinis ejus celebrandum sit. « Hæc, inquit, quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. » Quid est : In memoriam mei ? Hoc est, non in memoriam nummi, non in memoriam sæculi, non in B memoriam terreni alicujus commodi, sed in memoriam mei, hoc est ut mihi placeatis, ut me diligatis, ut passioni meæ vicem congruam rependatis, ut, sicut ego pro vobis charitate exigente Patri obtuli memetipsum, sic et pro me, charitate reciproca unusquisque offerat semetipsum. Qui igitur hæc facit, et in hanc memoriam non facit, contra mandatum Christi facit. Certum est autem quia contra obedientiam non prosunt victimæ, cum, sicut per Samuelem Dominus dicit : « Melior sit obedientia quam victimæ (*I Reg.* xv). »—« Hæc, inquit, quotiescunque feceritis; in mei memoriam facietis, » et pulchre cum missa celebratur idem versiculus in canone C replicatur, ut sacerdos ore suo mandatum Christi reducat ad medium, ne valeat excusari, ne scilicet vel ignorantiæ vel oblivionis oppansione culpa ejus possit aliquatenus obumbrari. Hic quippe versiculus et justis dat incentivum amoris, et injustis augmentum pœnarum et doloris, dum illi hunc replicantes ad imitandum ferventius excitantur, et isti contemnentes, amplius judicantur. Horum autem contemnentium tanta est multitudo, ut jam eis non tam ecclesiæ, quam fora repleantur, et indifferenter cum populo conversantes, sicut populus habeantur. Unde et propheta lugens aiebat : « Sicut populus, sic sacerdos (*Ose.* iv). » Cum enim ad ministerium Ecclesiæ ordinati intra ecclesiam vel ejus confinia debeant contineri, et a populari tumultu et frequentia, tam vita quam ordine removeri, tamen quia ab illorum consortio nullo sustinent disciplinæ repagulo cohiberi, eis fora, plateas et compita videmus jam impleri. Hoc nimirum, et in Threnis suis Jeremias deplorat (*cap.* iv), quod videlicet lapides sanctuarii dispersi sunt in capite omnium platearum, id est ministri Ecclesiæ infrenes discurrunt per latitudinem sæcularium actionum. Et quid mirum, si nostros ordinatos per devia morum videmus evagari, cum non propter aliud festinaverunt ordinari, nisi ut per ordines possent expressius sæculo conformari ? Quomodo enim potest esse cujuslibet actio defæcata, cujus intentio, tanquam fons et origo, limo est avaritiæ deturpata.

CAPITULUM XV.

Sicut autem isti exorbitant ordines injuste appetendo, sic e regione multos declinare videmus eosdem superbe fugiendo. Quia enim forte eis sua patrimonia suppetunt, et quæ ad præsentem pertinent vitam satis præsto sunt, contemnunt penitus ordinari, non quia nolunt honorari vel ditari, sed quia nolunt per ordines a peccandi licentia revocari. Timent profecto, quia si pondere ordinum gravarentur, melius deinceps vivere cogerentur, et cum peccandi nolint deponere voluntatem, amittere nolunt etiam libertatem. Eapropter cum vel episcopus, vel decanus, vel quilibet eorum prælatus eos voluerit ad ordines promovere, quia forte Ecclesia eorum ministerio videtur indigere, contumaciter recusant, nec dignantur majorum obedire mandatis, timentes, ut aiunt, sacris ordinibus insigniri, cum vitam non habeant sanctitatis. Volunt quidem temporalibus Ecclesiæ beneficiis sustentari, sed eidem Ecclesiæ nolunt in spiritualibus suffragari, volunt de altario vivere, sed nolunt altario deservire. Inde est quod nonnullas ecclesias videmus canonicis plenas esse, et tamen eisdem diaconos et presbyteros sic deesse, ut vix possint inveniri qui hujusmodi officii perfungantur, nisi forte vicarii tanquam mercenarii conducantur. Si autem isti contemptores ordinum honores ecclesiasticos sibi viderint arridere, quos sine ordinibus non possunt obtinere, relegato timore quem antea prætendebant, currunt ad ordines quos antea fugiebant. Jam profecto non ætas eos junior revocat, non stoliditas illiterata, non vita vitiis irretita, sed horum omnium consideratione remota, ne non perveniant ad imminentem præposituram, sacris ordinibus cervicem supponunt sub eis procul dubio rituram. Unde nostris temporibus plures ecclesiæ non mediocriter infirmantur, quia videlicet eis hujusmodi præpositi occulto judicio principantur; quos cum ad gradum digniorem evexerit præsumptio propria, non dilectio Christi : in ipsa dignitate « quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi (*Philip.* ii). » Totum quippe animum suum rebus applicant perituris, et more puerorum, præsentibus inhærentes, nihil cogitant de futuris. « Væ tibi, terra, Scriptura dicit, cujus rex puer est (*Eccl.* x). » Hoc est dicere : D Væ tibi Ecclesia, cujus prælatus vitam retinet puerilem, non assumens gravitatem senilem, non fortitudinem juvenilem. Non facit omnia cum consilio, quod convenit maturitati senili, non est fortis quod ætati competit juvenili. Non sedet, nisi ut tanquam filii Israel, manducet et **396** bibat, non surgit nisi ut ludat : hoc est, in his quæ agit, nonnisi corporis et animi voluptate capitur transitura, non in ea cum Paulo extenditur, quæ sunt sine fine mansura. « Cogitavi, inquit, dies antiquos, et annos æternos in mente habui (*Psal.* lxxvi). » Non projicit nuces et talos, id est vana et ludicra, quæ pueris ætas sua videtur indulsisse, non accepit librum legis in manu quem Joas, cum rex fieret, legimus accepisse (*II Par.* xxiii). Cum igitur ejusmodi puer electione

propria fuerit ordinatus, et ordinis patrocinio fastigium obtinuerit ecclesiastici cujuslibet principatus : gemit juxta Salomonem populus et misere lamentatur, quia puero puerilia peragente, ipse quoque nequaquam maturatur. De qualibus per Isaiam Dominus : « Dabo, inquit, pueros, principes eorum ; et effeminati dominabuntur eis et corruet populus (*Isa.* III). »

CAPITULUM XVI.

Nec solum hæc ordinandi ambitio eos occupat, quos clericos dicimus sæculares ; verum et inter eos serpit qui conversatione et habitu videntur regulares. Neque enim sufficit maligno spiritui eos qui versantur in publico, sibi quasi ex facili vendicare, nisi eos etiam quos districtioris videt esse propositi, tentaverit aliquatenus enervare. Eapropter cum in claustro sub regula fuerint congregati, ut abjectis quæ mundi sunt, summa cura studeant sanctitati : in ipso tamen religionis proposito nolunt inferiores cæteris apparere, imo forte aliquantulum sublimius eminere. Si igitur vita vel scientia se viderint, imo putaverint cæteros anteire, volunt etiam apud eos digniorem locum invenire, ut inter eos reverentiæ majoris habeantur, quibus se meliores cujuslibet gratiæ merito arbitrantur. Eo quidem respectu ad sacros ordines desiderant sublimari, seque vel aperte offerunt, vel occulte appetunt invitari, ut cum inter reliquos paulo sublimius fuerint ordinati, locum obtineant suæ, ut putant, congruum sanctitati. Quod si viderint diem præterisse quo se a prælatis suis putabant commoneri, et spe frustrata ad optatos ordines nequaquam promoveri, murmurant, et asserunt indignius debito se tractari, cum eorum personæ amplius, ut æstimant, debuerint honorari. Si autem eos, quos minores putant, sibi viderint in ordinando conferri, et quos æquales negare non præsumunt occulta sibi dispensatione præferri, utrorumque consideratione æstimantes suam plus justo promotionem differri, injurias sibi non mediocres conqueruntur inferri. Nolunt enim meritorum suorum infirmitatem sapienter pensare, et dilationem suam Dei consilio penitus assignare : qui vel eos ultra vires non vult ordinibus aggravare, vel forte differendo, vult eorum patientiam comprobare. Nihil horum attendentes, de discretione magistrorum disputant, vel eorum erga fratres dilectionem accusant, quia videlicet unumquemque fratrum juxta debitum modum diligere, vel quomodocunque deferendum sit, nesciant discretius pervidere. Qui autem sub regulari disciplina et habitu dant veraciter operam sanctitati, summa cura, summo studio bellum inferunt vanitati ; nec inter fratres appetunt honorari, sed honorare, recolentes quia Christus non venit ministrari, sed ministrare (*Matth.* XX). Si igitur ordinari differuntur, non id fieri murmurant magistrorum negligentia vel errore, sed se indignos reputant tantæ sanctitatis officio vel honore : et hoc solum studentes, ut juxta propositum divinæ placeant majestati, curam sui committunt ejusdem humiliter voluntati. Si vero vocantur ad ordines, non tamen se diligunt sublimari, quam timent ordinibus prægravari ; ne, qui vacui vix via Dei poterant ambulare, suscepto fasce vel ruere cogantur, vel cœptum iter aliquatenus retardare. Quocirca in suscipiendis ordinibus non latentem concupiscentiam, sed cogentem sequuntur obedientiam, ne si plus justo appetant delitescere, audiant genus esse ariolandi non acquiescere (*I Reg.* XV). Plerique autem, etsi non procaciter se postulant ordinari, se tamen diligunt per obedientiam invitari : non quia velint, ut putant, amplius honorari, sed quia Deo se æstimant devotius famulari, et eis quos diligunt, orando efficacius suffragari. Gaudent igitur, si tam minores, quam majores fratres eorum ordinentur, ut ipsi quoque, etsi non præ cæteris, tamen cum cæteris invitentur. Invitati autem plus justo gaudent concupitis obedire mandatis, non invitati vero dolent cassari conceptæ propositum voluntatis. Et quia sibi dolent et sibi gratulantur, timendum est ne non tam Deo quam sibi consentire convincantur. Cum verus obediens divinum consilium sequendo et amando debeat commendare, non suæ voluntati divinum consilium applicare. Ille quippe hostis antiquus, qui habet mille artes nocendi, eos quos districtiori proposito ad altiora videt conscendere, cura pervigili molitur evertere, et vel a fronte occurrens, ad posteriora, quæ dimiserant, impugnationibus eos apertis retorquet ; vel ipsis ex latere veniens, jaculum eis superbæ vanitatis intorquet, vel a tergo sequens admistionem propriæ voluntatis quasi quoddam ab eis tributum extorquet. Unde necesse est, ut qui omnes ejus laqueos curat evadere, nihil sibi proponat, nisi quod obedientia dictaverit ; **397** nihil aggrediatur quod illa vetuerit, nihil contemnat, quod illa præceperit. Est enim religiosi viri, id est religionem non simulantis, sed amantis, obedientiam diligere, non quia suæ consonat voluntati sed quia divinæ complacet bonitati. Denique tunc humana voluntas commendabilis judicatur, cum obedientiæ humilis pedissequa famulatur : non cum ordine præpostero appetit anteire, et ipsam obedientiam sibi diligit obedire. Ille ergo secure ; ille, inquam, salubriter promovetur ad ecclesiasticam dignitatem, qui in ipsa promotione, non suam, sed Dei sequitur voluntatem ; et, si posset fieri, mallet securius in humili remanere, quam in sublimi periculosius eminere.

CAPITULUM XVII.

Est enim quædam electio, quam unusquisque religiosus veraciter debet appetere, qua seipsum, quantum conceditur, debet eligere, quam, divinarum testimonio Scripturarum jubetur diligere. Ipsa est quam noster ille omnium magister in lectione evangelica designavit, cum ad eamdem amplectendam studiose nos informavit, docens quid eligere, quid non eligere debeamus, si ejus imitatores veraciter fieri peroptamus. « Cum invitatus, inquit, fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco (*Luc.* XIV). » Hanc autem ad invitatos parabolam dicebat, quos in cœnis eligere primos accubitus attendebat. Nostrum ergo est novis-

simum locum eligere, nec ad altiora volatu præsumptivo nos ipsos erigere. Quod si personæ cuilibet humiliandi quantum ad exteriora non conceditur effectus, in corde tamen servari debet affectus, ut vera interius humilitas teneatur, quamvis personæ pro suo cuique modo exterius deferatur. Hoc etiam idem Magister alibi signanter expressit, dicens : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI). » Tanquam diceret : Etsi pro alicujus honoris dignitate locum tenetis superiorem, tamen exemplo mei ex cordis humilitate amplectimini inferiorem, ut sic dignitati quod suum est, tribuatur, ne humilitati injuria inferatur. Sunt enim plerique, qui cum ad dignitatem pervenerint, deponunt humilitatem quam antea tenere videbantur, tanquam dignitas et humilitas non bene conveniant, nec in una sede morentur. Verum, nec humilitas dignitati, nec dignitas præjudicat humilitati, cum præcipue dignitas indigeat humilitate, nec nisi humilitas digna sit dignitate. Utrasque has David cognoscitur habuisse, qui et rex legitur exstitisse, et tamen humilis permansisse. « Elegit, inquit, me Dominus; et præcepit ut essem dux super populum Israel (*I Par.* XXVIII). » Ecce dignitas. « Elegi, inquit, abjectus esse in domo Dei mei (*Psal.* LXXXIII). » Ecce humilitas. Et videte quam signanter duas istas electiones curavit distinguere, ut aliam Deo, aliam sibi vellet ascribere, quia videlicet non nostrum, sed Dei est, nos ad dignitatis gradum erigere, nostrum autem inspirante ejus gratia humilitatem semper eligere.

CAPITULUM XVIII.

Cum igitur clericus ad ecclesiasticam electus fuerit dignitatem, non sumens sibi honorem, sed vocatus a Deo tanquam Aaron (*Hebr.* V), restat ut induatur tanquam Aaron, ne cum ejus electio commendabilis habeatur, nuditas inconveniens arguatur. Neque enim clericum sola sufficit electio commendare, quia sicut nonnisi electus, sic nonnisi indutus debet altario ministrare. Indumen autem quo velari et ornari debet ne ejus appareat turpitudo, quædam virtutum connexio est, et admirabilis pulchritudo, quas si inventus fuerit non habere, ei, a quo electus est, non poterit complacere. Quod ad commendandum clericum electio non sufficiat, multorum potest testimonio comprobari, qui electi et virtutum carentes indumine inveniuntur reprobari. Saul quippe ut rex fieret super populum Israel Deus legitur elegisse, quem tamen, quia dignus electione non perstitit, constat reprobum exstitisse. « Stetit, inquit, Saul in medio populi, et altior fuit universo populo ab humero et sursum. Et ait Samuel ad omnem populum : Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo (*I Reg.* X). » Postmodum vero cum per inobedientiam virtutum esset tegmine denudatus : « Factum est, inquit, verbum Domini ad Samuelem, dicens : Pœnitet me quod constituerim Saul regem, quia dereliquit me : et verba mea opere non implevit (*I Reg.* XV). » Quia ergo verba Dei opere non implevit, abjecit eum Deus sicut scriptum est, ne esset rex super populum suum Israel, et prostratus est in monte Gelboe (*II Reg.* I). Mors quippe Saul casum illorum et ruinam significat, qui cum ecclesiasticam adepti fuerint dignitatem, nec novam acquirunt, nec saltem antiquam retinent sanctitatem, sed quanto sublimius cæteris præferuntur, tanto gravius prosternuntur. Hostis enim antiquus quos cæteris videt præferri, studet amplius impugnare, et plerumque lenocinio dignitatis prævalet expugnare. Unde mons in quo Saul occidit, mons Gelboe appellatur, Gelboe vero *lubricum* interpretatur, quia videlicet in sublimi fastigio ecclesiasticæ dignitatis, **398** non figit gressus stabiles, nisi maturæ gravitas sanctitatis. Plerumque autem qui in plano et humili videbatur et securius stare, et stabiliter ambulare, cum ad arduum et lubricum venerit, adversario fortius impugnanti non resistit, et in ea, quam cœperat, sanctitate non persistit. Quod intuens mysticus David miserabiliter lamentatur, et eos cecidisse qui prius fortes fuerant lacrymabiliter admiratur. « Quomodo, inquit, ceciderunt fortes? (*Ibid.*) » Fortis quippe fuerat Saul, cum in planitie decertaret, et hostes populi Israel manu invicta fortiter expugnaret; cum vero montem Gelboe prælaturus ascendit, non solum non potuit victoriam consequi fugitivam, sed novo more stare non prævalens, miser in laqueum incidit et ruinam. Nam cum privatus viveret, humilem eum fuisse in oculis suis propheta Samuel protestatur : « Cum vero rex factus esset, contumacis inobedientiæ condemnatur (*I Reg.* XV). » Sua ergo ei humilitas inexpugnabile contulit munimentum, superbiam vero dignitas gignens, mortis intulit detrimentum. Propter quod monti Gelboe in quo Saul ceciderat, David quasi stomachans maledicit : imo maledicta, quæ plerisque prælatis irrogantur, spiritu prophetante prædicit : « Mons, inquit, Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat super te (*II Reg.* I). » Ros internam dulcedinem supernæ inspirationis, pluvia vero infusionem insinuat divinæ prædicationis, quibus profecto illa dignitas non dilatur, in qua prælatus non vincere, sed ruere comprobatur. Unde addit : « Quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul (*ibid.*). » Ac si dicat : Munus gratiæ salutaris illa honoris non suscipit pulchritudo, in qua corruit etiam fortitudo, in qua excusso clypeo et munimine repugnantis, triumphat et gaudet adversarii malitia impugnantis. Quia vero spiritali ruinæ justorum nonnunquam insultat carnalis malignitas invidorum, parata magis, si eos labi viderit, subsannando ridere, quam eis ruentibus misericorditer condolere : lamentationi suæ David interserit, et ait : « Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis, ne forte lætentur filiæ Philisthiim, ne exsultent filiæ incircumcisorum (*ibid.*). » Geth quippe et Ascalon civitates gentium sunt, Philisthiim vero vel incircumcisi, ipsæ gentes sunt. Per has convenienter vitæ sæcularis homines designantur, qui, juxta Apostolum, ambulant in desideriis suis sicut gentes quæ ignorant Deum, nihil

angustum, nihil sanctum aggredientes; sed per latam et spatiosam vitam, quæ ducit ad mortem incedentes. Qui cum viderint vel audierint aliquos majoris ordinis neglecto proposito in profunda vitiorum deferri, quos sicut prærogativa dignitatis ita et merito sanctitatis cognoverant sibi debere præferri : subsannant et rident, et gaudent quia invenerunt occasionem detrahendi, et quasi libertatem securius delinquendi. Ecce, inquiunt, ii quos nobis excellentia ordinis præferebat, et ad exemplum melius vivendi proponebat : multo deterius cæteris inveniuntur peccare, et a via veritatis multo impudentius declinare. Nonne ergo satis est, ut tam grande propositum nullatenus inchoemus, quam temere inchoatum taliter consummemus? Cum igitur male vivendi habeant, voluntatem hujusmodi occasione majorem sibi arripiunt libertatem; et illorum exemplo gaudent fieri deteriores, quos apud ipsos vita deterior efficit viliores. Neque enim ultra verba correptionis ab illis reverenter suscipiunt, quorum mores vitamque despiciunt, sed assumpta procaci audacia resistendi insuper adjungunt contumelias mordaciter garriendi. Ideo David : « Nolite, inquit, annuntiare in Geth, vel Ascalon, ne forte lætentur. » Ac si dicat : Casum illorum qui ecclesiastica præeminent dignitate sæcularibus invidis ne annuntietis, quia paratiores sunt pariter ruere congaudendo victoriæ rabuli deceptoris, quam lavare manus suas in sanguine peccatoris. Nec solum Saul reprobandus eligitur, verum et Salomon electus invenitur. Ait enim David in Paralipomenon (*I Par.* XXVIII) : « De filiis meis elegit Dominus Salomonem filium meum, ut sederet in throno regni Domini Israel; » et ad eumdem Salomonem : « Nunc, inquit, quia elegit te Dominus, ut ædificares domum sanctuarii. » Et infra : « Salomonem, inquit, filium meum unum elegit, adhuc puerum et tenellum. » Qui tamen Salomon quomodo reprobatus fuerit, supersedeo dicere in præsenti, quia satis superque in responsione dictum est præcedenti. Protulimus duo exempla de Veteri Testamento, alia duo quæramus et in Novo.

CAPITULUM XIX.

Dum Christus duodecim eligeret discipulos, quos, ut supra dictum est, apostolos nominavit, elegit inter eos et Judam Iscarioth, quem electum procul dubio reprobavit. Cujus electionem et reprobationem idem Christus breviter insinuavit, dicens : « Nonne ego duodecim vos elegi, et unus ex vobis diabolus est? » (*Joan.* VI.) Apostoli quoque cum post ascensionem Christi septem eligerent diaconos, inter eos etiam Nicolaum advenam Antiochenum elegerunt, quo in hæresim declinante, sex alii in fide permanserunt. Et notandum quod aliis simpliciter nominatis huic soli patrium nomen signanter adjungitur, et dicitur advena Antiochenus, tanquam **399** per hoc Scriptura velit latenter intelligi quod illi indigenæ fuerunt, et ideo forte domestici Dei civesque sanctorum, iste vero hospes et advena manens et permanens ad gratiam non pertinuit alio rum. Ad quod et nominis ejus interpretatio videtur concordare, quæ *stultitiam popularem* cognoscitur resonare. Nicolaus quippe, *stultus populus* interpretatur; *laos* enim populus est unde et *laicus*, *popularis*. Merito ergo Nicolaus vocatus est; qui sapientiam derelinquens quæ Dei et Deus est; ad ignorantiam, imo ad stultitiam populi dilapsus est. Sufficiant quatuor hæc exempla vestræ dilectioni, ut sciatis nulli esse confidendum suæ electioni, nisi cum se electione congrua clericus viderit commendari, superducto virtutum indumine studuerit adornari. Hoc autem indumen duplex quantum æstimo decet esse, ut sufficienter possit ad omnia quæ necessaria sunt prodesse, ne si clericus putaverit simplex sibi sufficere vestimentum, inopia constrictus populari, salutis incurrat detrimentum. Nam, etsi laicus uno forsitan indumine contentus habeatur, qui tantæ est paupertatis, ut nec illud inveniat, nisi ei clericali munificentia conferatur, non tamen decet clericum huic similitudini conformari, quem longe ditiori virtutum prærogativa expedit sublimari. Qui enim debet laicum tam verbis quam moribus edocere in utrisque procul dubio debet ampliori diligentia præfulgere, ut cum se studuerit condignis virtutum vestibus insignire, fronte libera aggrediatur diligenter alios investire.

CAPITULUM XX.

Duplex igitur, sicut dictum est, habeat clericus vestimentum, quod duplicem sibi conferens gratiam et congruum dignitati tribuat ornamentum. Et contra solis et frigoris molestias indeficiens munimentum. His enim duabus ex causis vestimentum necessarium judicatur, ut et persona congrue ornata habeatur, et contra ingruentes molestias, quasi quodam repulsorio muniatur. Vestimentum itaque quod clericum ornat, et munit scientia, et justitia est, quarum altera, sic alteri necessario copulatur, ut ad vestiendum clericum, una sine altera insufficiens habeatur. Neque enim sufficit eum vestiri, vel indocta justitia, vel injusta scientia, imo necesse est, ut duabus tunicis sit vestitus, hoc est scientia et justitia pariter insignitus. Denique Aaron primus in lege, pontifex qui typus et figura nostri est clericatus, sic legitur ex præcepto Domini fuisse tunicatus. Tunicavit quippe illum Moyses, jubente Domino duabus tunicis una byssina, id est linea interiori, altera vero hyacinthina exteriori (*Exod.* XXVIII). In linea videtur subtilis et interna scientia Scripturarum signari, in qua debet clericus legendo, meditando, quasi totus versari, et tanquam in molli veste et tenera, delectabiliter deliciari. In hyacinthina vero, quæ exterior aerii est coloris, tam vivendi quam prædicandi justa operatio demonstratur, per quam clericus, quæ cœlestia sunt, appetere comprobatur, ut cum interius in appetitu Scripturarum fervescat, exterius tamen a justis operibus non torpescat, sed tam vivendo quam docendo, longe lateque ejus sanctitas omnibus innotescat. Quod, etsi filii ejusdem Aaron, non duabus tunicis, sed una tantum linea

inveniuntur induti, non tamen ab eo quod illæ duæ A significant, creduntur absoluti, cum videlicet et scientiam et justitiam jubeantur habere, sed eum qui major est pontifex, magis in illis expedit eminere. Cum enim in pontificali habitu Aaron sacerdotis, octo quædam insignia fuisse describantur, filiis ejus ex illis tantummodo quatuor assignantur, non quod isti quoque sacerdotes, omni virtutum genere non debeant insigniri, sed ille qui eis est prælatus, honestius ditiusque vestiri. Vestes quippe illæ diversa virtutum designant insignia, quibus debet omnis clericus coruscare, de quibus per singula non est hujus, vel loci vel temporis disputare. Est igitur his omissis ad id quod proposueram revertendum, et de duplici vestimento quod donante Deo ad præsens occurrit disserendum. B

CAPITULUM XXI.

Cum de forti muliere sanctus per Salomonem Spiritus loqueretur, per quam nulli dubium, quin Ecclesia figuretur : duplici eam veste indutam asseruit, dicens : « Byssus et purpura indumentum ejus (*Prov.* xxxi). » In bysso quidem subtilis et munda, multoque labore intelligentia figuratur, cui divinæ sapientiæ thesaurus incomparabilis revelatur, in quo dum a conturbatione hominum, quasi tota abscondi delectatur, deposita pristinæ ignorantiæ tunica, involvi nova sindone gratulatur. In purpura vero, quæ bysso superadditur, justitia convenienter accipitur, pro qua caro insolens, digna castigatione atteritur, et plerumque usque ad effusionem sanguinis pervenitur. Sic nimirum beneficio scientiæ, in occulto gremio conscientiæ, cooperante gratia coalescit fortitudo, ex qua procedit multimoda **400** justorum operum pulchritudo. Unde et ibidem adjungitur : « Fortitudo et decor indumentum ejus (*ibid.*). » Ut autem quod universali Ecclesiæ generaliter assignatur, membris etiam suis singulariter ascribi cognoscatur, paulo ante præmisit : « Omnes domestici ejus vestiri duplicibus (*ibid.*). » Qui sunt domestici Ecclesiæ, nisi clerici qui populo quasi foris in atrio sub divo remanentes ingrediuntur tabernaculum, sacrificiorum officia consummantes, ingrediuntur et Sancta sanctorum, ubi arca de lignis Sethim jussa est collocari, ubi scilicet Christi corpus propriis manibus conficiunt in altari? Ibi quippe arca, ibi manna, ibi D propitiatorium, ibi duo cherubin, quod est dicere, ibi corpus Christi, ibi divinitas Christi, ibi ipse Christus, ibi ministerium angelorum, inter quæ omnia versari, et quasi ea contemplari meretur dignitas et officium clericorum. Ili sunt domestici, qui propter prærogativam hujusce contemplationis dicuntur assidere lectulo Salomonis, ipsique Salomoni familiarius et vicinius deservire, dum tenentes gladios, et ad bella doctissimi, ejusdem lectulum, id est Ecclesiam satagunt custodire. « En, inquit, lectulum Salomonis, sexaginta sortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi (*Cant.* iii). » Ii profecto domestici duplicibus vestiuntur, cum et docti ad prælium, et fortes ad prælium fuisse referuntur. Quod si occurrit quod dictum est apostolis : « Neque duas tunicas habeatis (*Marc.* vi), » scien- dum quod aliud ibi debemus accipere, quod prædicatores verbi Dei nullatenus expedit possidere. Neque enim duplicia debent habere vestimenta ob timorem futuræ nuditatis, cum auditores necessaria debeant ministrare prædicatoribus veritatis. Vel forte, qui evangelicam prædicant veritatem, volaticam non debent amplecti vanitatem, ne cum cœlestia comm endare sermone congruo videantur, terrena diligere et appetere convincantur, et propter ea, quæ sunt velocius transitura, illa suis auditoribus impertire, quæ sunt in perpetuum permansura. Hoc est enim duas quodammodo habere tunicas, sanctum videlicet exterius sermonem demonstrare, et malam interius intentionem occultare. Unde dicit Propheta : « In corde, et corde locuti sunt (*Psal.* xi). » Et alius Sapiens : « Væ duplici corde et labiis scelestis, et manibus male facientibus, et peccatori terram ingredienti duabus viis (*Eccli.* ii). »

CAPITULUM XXII.

Verumtamen de duabus tunicis Joannes Baptista sic ait : « Qui habet duas tunicas, det non habenti (*Luc.* iii); » hoc est dicere, qui habet scientiam et justitiam, impertiat indigenti. Et pulchre non dixit : Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti, ut videlicet una retenta, juberet alteram impertire, quod quidem videtur juxta litteram convenire. Neque enim aliter de duabus tunicis potest C quis et se ipsum corporaliter, et alium vestire, nisi unam largiendo, et alteram retinendo, quia si utrasque retinuerit, nullam alteri largietur; si utrasque porrexerit, nuditatis molestias patietur. Non ergo dixit : Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti; sed tantum . Det non habenti, » per hoc, quantum æstimo, volens intelligi, quia de spiritualibus tunicis potest alteri misericorditer subvenire, et tamen detrimenti alicujus molestias non sentire. Sic enim spiritualia dona se habent, ut cum larga manu aliis tribuantur, non tamen largitori aliquatenus minuantur, imo plerumque quo amplius ea studueris erogare, eo amplius tibi sentias abundare. Quod quidem ethnicus uno versiculo eleganter signavit, sed tamen quid diceret, forsitan ignoravit.

Quis vetet, inquit. *apposito lumen ae lumine sumi?*

OVID.

Lumen quippe beneficium est spirituale, quod sic impenditur non habenti, ut tamen non deficiat impendenti. Unde et apostolis Dominus : « Luceat, inquit, lux vestra coram hominibus ut videant (*Matth.* v); » sic homines per apostolos volens illuminari, ut tamen nollet eosdem apostolos excæcari. Denique cum de illo vero lumine, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Joannes evangelista loqueretur, sic ait : « Nos omnes de plenitudine ejus accepimus (*Joan.* i). » Nunquid quando Joannem illuminavit illius veri luminis plenitudo, in seipsa imminuta est ejusdem plenitudinis magnitudo? Absit! et ideo forsitan non præsumpsit

dicere : Nos omnes plenitudinem ejus accepimus, ne tantæ plenitudini detrahere videretur, si eam quasi capi ab homine testaretur, sed ait : « Nos omnes de plenitudine ejus accepimus, » dans intelligi, quia et sibi multum de illa plenitudine fuerat attributum, et tamen eidem plenitudini nihil penitus imminutum. Hoc Joannes Baptista signavit, cum diceret : « Qui habet duas tunicas, det non habenti. » Ac si dicat : Non dico, det alteram, nec dico, det utrasque; ne dum provideo non habenti, damnum videar inferre largienti. Vel forte **401** ideo non fuit dicendum. Qui habet duas tunicas, det alteram vel utramque non habenti, ne illi qui dare jubetur, quasi modus quidam et mensura definita imponi videretur; cum in dantis arbitrio, accipientis capacitas nequaquam haberetur. Etsi enim quilibet charitate flagrans spiritualium donorum prodigus est largitor; non tamen plerumque ad ea capienda sufficiens est auditor; et ideo non tam juxta possibilitatem largientis quam juxta capacitatem proferenda sunt audientis. Debet itaque clericus habere duas tunicas, et non habenti dare, quia decet eum scientia et justitia informari, et eisdem alios informare.

II.

DE SCIENTIA CLERICORUM.

CAPITULUM XXIII.

Ut autem sigillatim loquar de singulis, si quis diligentius velit scire quam certum scit scientiam Scripturarum proprie clericis convenire, revolutis eisdem Scripturis, facile poterit invenire. In Exodo, cum de tabernaculo ædificando sermo divinus loqueretur, et ad illud ædificandum Beseleel cum Ooliab vocaretur : « Implevit, inquit, eos Dominus spiritu sapientiæ, et intelligentiæ, et scientiæ, omnique doctrina, ad excogitandum et faciendum opus (*Exod.* XXXI). » Per tabernaculum quod in eremo ædificatum est, præsens Ecclesia designatur : per Beseleel et Ooliab, clerici, quibus ejusdem Ecclesiæ ædificandæ cura et sollicitudo commendatur. Et ne indocti injuste glorientur nomine clericorum cum clerici locum obtineant magistrorum, implendi sunt spiritu sapientiæ et intelligentiæ, et scientiæ, omnique doctrina, alioquin timendum ne clericatus sit eis non tam fastigium quam ruina. Cum enim ad constituendam Ecclesiam fuerint constituti, quid facturi sunt, nisi doctrinæ dolabrum fuerint assecuti? Et recte Beseleel et Ooliab dicti sunt clericos figurare, cui dicto videtur ipsorum interpretatio nominum consonare. Interpretatur enim Beseleel, *in umbra Dei*; Ooliab vero, *protectio mea pater*. Illi autem in umbra et protectione Dei Patris specialiter commorantur, qui ad dignitatem et officium clericatus pro ædificanda Ecclesia divinitus ordinantur; et ne ob ariditatem sterilis ignorantiæ radicitus abscindatur, umbra et refrigerio salutaris scientiæ fecundantur. In Deuteronomio, ubi Moyses populo, quem Deo jubente susceperat instruendum, diligentius intimat quid esset faciendum, satis omnibus liquido declaratur, quanta scientia necessario clericis assignatur. « Si difficile, inquit, et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram, et non lepram, et judicum intra portas tuas verba videris variari, surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad sacerdotes levitici generis et ad judicem qui fuerit tempore illo, quæresque ab eis. Qui judicabunt tibi judicii veritatem : et facies quodcunque dixerint et docuerint te juxta legem ejus (*Deut.* XVII). » Difficile et ambiguum apud nos judicium esse perspicimus, inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et non lepram; cum sensu hebetes nequimus discernere inter peccatum, justitiam et justitiam, peccatum et injustitiam. Per sanguinem quippe et sanguinem, peccatum et peccatum signavit, unde et Osee dicit : « Sanguis sanguinem tetigit (*Osee* IV). » Per causam et causam, justitiam et justitiam æstimo figurari, unde et David ait : « Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta (*Psal.* XLII), » id est justitiam meam de gente injusta. Per lepram et non lepram, peccatum et non peccatum accipitur, unde in Levitico dicitur : « Plaga lepræ si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem (*Levit.* XII). » Plerumque autem quod majus peccatum est, minus æstimamus, et econverso, majoremque justitiam, minorem æstimamus, et econverso; quæ lepra est, non lepram æstimamus, et econverso. Cum igitur sentimus intra nos, nunc hoc, nunc illud rectius æstimari, quasi verba judicum intra portas nostras videmus variari. Hoc quippe ibi dicitur : « Et judicum, inquit, inter portas tuas videris verba variari (*Deut.* XVII). » Portas istas, quinque sensus nostros æstimo figurare, per quos ad animam nostram vel mors vel vita consuevit intrare. Unde Jeremias : « Mors, inquit, intravit et ascendit per fenestras nostras (*Jer.* IX). » Et David ad animam justam : « Quoniam, ait, confortavit seras portarum tuarum (*Psal.* CXLVII). » Judices vero cogitationes nostræ sunt, quæ nos judicando vel accusant vel excusant. Unde et Apostolus : « Cogitationum, inquit, accusantium vel etiam defendentium (*Rom.* XII). » Intra portas itaque nostras verba judicum variantur, cum in corde nostro incertæ cogitationes versantur : ignorantes cui earum potissimum concedatur, cum altera alteri juste ro-

sistere videatur. Et ne ista diutius dubitatio perseveret : « Surge, inquit, et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus : veniesque ad sacerdotes Levitici generis, quæresque ab eis (*Deut.* XVII). » Locus quem elegit Dominus, Ecclesia est. De qua Jacob : « Vere, inquit, locus iste sanctus est (*Gen.* XXVIII). » Et Moyses : « Cave, inquit, ne **402** offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in eo quem elegerit Dominus (*Deut* XII). » Et Dominus ad Salomonem : « Audivi, inquit, orationem tuam, et elegi locum istum mihi in domum sacrificii (*II Par.* VII). » Et paulo post : « Elegi, inquit, et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum (*ibid.*). » Locus quem elegit Dominus, fratres charissimi, sanctorum clericorum congregatio est, sanctæ religionis conventus, ad quem Moyses, id est lex divina eos admonet humiliter devenire, quos ignorantiæ morbo conspicit deperire. Illic invenire est levitici et sacerdotes, id est clericos qui sunt de tribu Levi, non carnis posteritate, sed officii dignitate, non successione occidua, sed religione perpetua. De quibus Dominus in Exodo : « Erunt, inquit, sacerdotes mei religione perpetua (*Exod.* XXIX). » — « Et quæres, inquit, ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem (*Deut.* XVII). » Illi quippe quærentibus indicant judicii veritatem, qui divinis assidue lectionibus insidentes, et earum ex animo jussionibus inhærentes, student quæ didicerint diligentius adimplere : et tam verbo quam exemplo ad eadem implenda alios edocere. « Et facies, inquit, quodcunque dixerint et docuerint te juxta legem ejus. » Illos nimirum debemus obedienter audire, quos divinarum paginis Scripturarum cernimus obedire; qui cum sint legendo sufficienter eruditi, ad bene vivendum sunt nihilominus expediti. Hi autem possunt alios docere juxta legem, qui didicerunt legem. Nam quemadmodum quidam ethnicus dicit :

..... Quod non novit, nemo dicere potest.

OVID.

Et quomodo, quæso vos, potest clericus scire legem nisi legendo, nisi divinæ lectioni diligentius insistendo? Unde paulo post subjungitur : « Describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine : legetque illud cunctis diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et cæremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt (*Deut.* XVII). » Oportet itaque clericos assiduam dare operam lectioni, si divinæ volunt satisfacere jussioni, ut legendo discant qualiter Deo debeant deservire, et quæ in lege præcepta sunt, verba ejus et cæremonias custodire. Ut autem ejusmodi gratos esse Deo nullatenus dubitetur, eos se pastores dare populo suo Deus per Jeremiam pro magno munere pollicetur. « Dabo, inquit, vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina (*Jer.* III). » Nulli dubium est, quin scientia et doctrina pascant, cordi suo Deus asserat complacere, ex quo datur intelligi eos, qui scientia et doctrina non pascunt, forsitan displicere. Unde idem per Osee Dominus dicit : « Quia tu scientiam repulisti, repellam te et ego, ne sacerdotio fungaris mihi (*Osee* IV). » Et infra : « Et erit, inquit, sicut populus, sic sacerdos (*ibid.*). »

CAPITULUM XXIV.

Ezechiel quoque propheta (*cap.* III), cum ad docendum filios Israel mitteretur : « Vidi, inquit, et ecce manus missa ad me in qua erat involutus liber, et expandit illum coram me, et dixit ad me : Fili hominis, comede volumen istud, et vadens loquere ad filios Israel. Et aperui os meum, et cibavit me volumine illo. » Metonymia figura est; quando continens pro contento, vel pro continente contentum accipitur : quod genus loquendi in Scripturis tam divinis quam sæcularibus frequenter invenitur. Unde nulli dubium, quin per librum seu volumen, Scriptura metonomice figuretur, quæ in volumine litteraliter continetur. Pulchre itaque propheta et sacerdos, qui ad filios Israel mittitur, prius cibatur volumine, quia clericus cujus officii est pagina scientiæ alios impinguare, non debet inedia laborare; et qui jubetur doctrinæ salutaris crapulam eructare, ab eadem procul dubio scientia non debet jejunare. Quomodo enim vitalem doctrinæ alimoniam indigentibus poterit ministrare, qui pressus fastidio mortiferum ignorantiæ languorem lima studii noluit exstirpare? Inexcusabilis quippe ignorantia est, cui negligens voluntas in culpa est. At vero Jeremias propheta cum ad officium prædicationis vocaretur, sibique diligentius intuenti scientia non suppetere videretur, injunctum opus propter ignorantiam humiliter recusavit, satisque eleganter eamdem ignorantiam excusavit. « Ecce, inquit, Domine, nescio loqui, quia puer ego sum (*Jer.* I). » Ac si diceret : Ne imponas mihi doctoris officium, cum indoctus sim, non quia discere nolui, sed quia nondum potui; non negligentiæ maculis irretitus, sed pueritia præpeditus; et Dominus sciens illum modeste respondisse, non eum mendacii condemnavit, sed timorem sollicitum promissione gratuita misericorditer amputavit. « Noli, inquit, dicere, quia puer ego sum; quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis, et quæ mandavero tibi, loqueris (*ibid.*). » Hoc est dicere : Noli propter pueritiam quod juberis pertinaciter recusare, cum nulli ætati liceat divinis jussionibus obviare; et illa veraciter humilitas commendatur, quam verax obedientia comitatur. Et tanquam ille quæreret : Quomodo potero quod præcipis adimplere, cum qui loqui non didicit, debeat reticere? adjunxit Dominus : « Ecce dedi verba mea in ore tuo (*ibid.*). » Ac si dicat : Quod tibi beneficio vel ætatis vel temporis non accedit, mea potens gratia larga manu concedit : doque tibi verba mea ut doctus habearis, ne ad docendum alios indoctum te cogi diutius conqueraris.

403 CAPITULUM XXV.

Denique in Evangelio Sadducæos Dominus arguit, pro eo quod nescirent Scripturas, et ideo non crederent animas ad corpora resurrectionis beneficio redituras. Cum enim illi quærerent de uxore septem fratrum, cujus eorum esset in resurrectione, respondens ait illis : « Erratis nescientes Scripturas neque virtutem Dei (*Matth.* XXII). » Cum dixisset Dominus : « Nescientes Scripturas, » signanter adjunxit : « Neque virtutem Dei. » Videtis quanta inconvenientia Scripturarum ignorantiam prosequatur, ut cum, quis illas nescierit, etiam virtutem Dei nescire convincatur. Si scirent Sadducæi Scripturas, virtutem Dei nullatenus ignorarent, quia illis intellectis, de virtute resurrectionis quam illæ prædicant, nequaquam dubitarent. Apud Joannem cum de Christo in plebe misere disceptatur, et a turba turbata Christus veraciter ignoratur, quidam perditi testimonia proferunt de Scripturis, et nescientes quæ loquuntur, vel de quibus affirmant, errorem ingerunt perituris. Dicentibus enim aliis : « Hic est vere Propheta; » aliis « hic est Christus : » quidam responderunt : « Nunquid a Galilæa venit Christus; nonne Scriptura dicit, quia ex semine David et Bethlehem castello venit Christus? Dissensio itaque facta est in turba (*Joan* VII). » Videtis quanta dissensio est turbarum, quia non habent intelligentiam Scripturarum, sine qua nec Christi possunt cognitores fieri, quamvis possint eum corporaliter intueri. Paulo post pontifices et Pharisæi dixerunt ministris, quos miserant ad Jesum ut apprehenderent eum : « Quare non adduxistis eum? nunquid et vos seducti estis? nunquid aliquis ex principibus credidit in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc quæ non novit legem, maledicti sunt (*ibid.*). » Verum forsitan dicunt; quia turba quæ non novit legem, maledicti sunt : ergo et ipsi qui putant se legem scire et nesciunt, maledicti sunt. Dicit Nicodemus ad eos, qui unus erat ex ipsis : « Nunquid lex nostra judicat hominem, nisi audierit ab ipso prius et cognoverit quid faciat? Responderunt et dixerunt ei : Nunquid et tu Galilæus es? Scrutare Scripturas; et vide quia propheta a Galilæa non surgit (*ibid.*). » Videtis quia per omnia recurrunt ad Scripturas, et earum testimonio alterutrum convincere moliuntur, sed miseri dum victores se æstimant, proprio judicio convincuntur. Et bene quidem Nicodemum admonent, ut scrutetur Scripturas, quas si tam ille quam ipsi essent subtilius perscrutati, profecto non auferrent, sed deferrent testimonium veritati. Unde et ipse Dominus alibi apud eumdem Joannem admonet eos dicens : « Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, et illæ quidem testimonium perhibent de me (*Joan* V). » Quis dubitet divinam merito se iram incurrisse, si ad perscrutandum Scripturas studiosum se viderit non fuisse, cum hoc in Evangelio Dominum audiant præcepisse? Et pulchre non dixit: « Vos in ipsis vitam æternam habetis; sed : « Vos putatis in ipsis vitam æternam habere, » quia cum Scripturas non intelligerent, quas tamen intelligere se credebant, quamvis falso putarent, vitam in illis æternam non habebant. Ait ergo : « Scrutamini Scripturas. » Quare? « Illæ, inquit, sunt, quæ testimonium perhibent de me. » Ac si dicat : Si vitam æternam veraciter vultis habere, quod nihil aliud est quam me, scrutamini Scipturas, quæ testimonium perhibent de me, ut eas perscrutando, me in illis inveniatis, et me invento, vitam æternam habeatis. Ideo illis dicit : « Et non vultis venire ad me, ut vitam æternam habeatis (*ibid.*). » Videntur itaque ad Christum nolle venire, qui nolunt Scripturas perscrutari, nec videtur ab eis posse haberi vitam, quamvis possit mendaciter æstimari.

CAPITULUM XXVI.

Denique ipse Dominus, cum eligeret apostolos idiotas et sine litteris, ut confunderet sapientes, eos tamen idiotas noluit permanere, sed ad profunda secreta scientiæ processu temporis studuit promovere. Easpropter ascendens in montem, et aperiens os suum, docebat eos dicens : « Beati pauperes spiritu (*Matth.* V), » etc. Et infra cum eisdem apostolis multas parabolas consummasset, tali fine conclusit : « Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei : Etiam. Ait illis. Ideo omnis scriba doctus similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera (*Matth.* XIII). » Dignum intelligentibus testimonium reddit quos ideo similes patrifamilias dicit, quia digne intelligunt quæ dicuntur, quæ se thesauro nova et vetera proferuntur. Pater quippe familias idem ipse Christus est. Thesaurus suus Scriptura sacra est, nova et vetera : præmia sunt justorum et pœnæ iniquorum. Quia enim revelata Evangelii gratia justis æternæ vitæ præmia novo munere conferuntur, injustis vero, sicut ab antiquo, hæreditario jure supplicia inferuntur : pulchre de thesauro suo paterfamilias nova et vetera proferre perhibetur, cum per Scripturas suas Christus et injustis supplicia, et justis vitæ gaudia pollicetur. Ipsi autem Christo similis est doctus scriba, dum quæ in Scripturis dicuntur, prudenter intelligit, dum stylo memoriæ in tabulis, cordis sui exarare non negligit, dum eadem cunctis digne intelligentibus salutaria **404** esse non ambigit. Sic apostolos, eorumque vicarios ad studium Dominus invitat blandiendo, paulo post cum diceret ei Petrus : « Edissere nobis parabolam istam, » respondit arguendo : « Adhuc et vos sine intellectu estis? (*Matth.* XV). » Volebat quidem eos non solum blandimentis, verum et increpationibus ad studium excitare, ne torpori et otio servientes, ipsum præsumerent ad iracundiam provocare. Quocirca et duos discipulos euntes in castellum Emmaus, digne apud Lucam arguit dicens : « O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ (*Luc.* XXIV). » Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. Unde et paulo post cum cogno-

vissent eum et evanuisset ex oculis eorum, dixerunt ad invicem : « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas (*Luc.* XXIV). » Joannes quoque evangelista discipulum illum qui cum Petro cucurrit ad monumentum, sublatum Dominum, sicut mulier dixerat, asserit credidisse; et cur tam temere crediderit, quasi causam videtur adjunxisse. « Vidit, inquit, et credidit : nondum enim sciebat Scripturam (*Joan.* XX). » Ac si dicat : Si Scripturæ notitiam habuisset, quod falsum erat non tam temere credidisset. Illorum apud Lucam euntium in Emmaus incredulitas, istius apud Joannem credulitas accusatur : et utriusque erroris causa, Scripturarum ignorantia comprobatur. Ideo Dominus post resurrectionem suam in cœlum ascensurus, suosque discipulos in terris aliquandiu relicturus, noluit ut illi diutius Scripturas ignorarent, ne ignorando, a vivendi aut docendi recto tramite aberrarent. Hactenus quippe, etsi eos pro tempore multa docuerat, multa tamen docenda reliquerat, forte ut in acquirendis flagrantius inhiarent, et acquisita tenacius conservarent. Relicturus autem eos, cum diceret : « Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI), » ne prædicatores veritatis in scientia claudicarent et imperiti in fide titubarent, dicit eis : « Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi et Prophetis, et Psalmis de me (*Luc.* XIV). » Et adjungit evangelista : « Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas (*ibid.*). » Quas Scripturas? Utique legem Moysi et prophetas, et psalmos, per quæ tria, tota Veteris Scripturæ continentia designatur, quæ apostolis, Luca teste, ad liquidum declaratur.

CAPITULUM XXVII.

Ne autem illis solis, et non etiam clericis qui eorum in Ecclesia locum tenent, quis æstimet Scripturarum intelligentiam convenire, et ideo studii et laboris impatiens eligat fastidio deservire : audiat quomodo Paulus discipulos suos, quos clericos ordinaverat, satagit informare, et eosdem informatos digne et laudabiliter commendare. Timotheo dicit : « Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ (*I Tim.* IV). » Ac si dicat : Non ideo te putes esse clericum ut debeas otiosus vagari, vel forte negotiis sæcularibus implicari; sed ut veraciter proficias, amplectere lectionem, et ut profectus tuus manifestus sit omnibus, doctrinam et exhortationem. Et ne quis crederet sibi sufficere parum quid temporis ad talia peragendum, et non potius assiduitate congrua hujusmodi studiis insistendum, adjunxit Apostolus : « Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus (*ibid.*). » Quantum vero hæc assiduitas ipsi primum proficiat lectori et subsequenter sit utilis auditori, declarat cum addit : « Hæc enim faciens, et te ipsum salvum facies et eos qui te audiunt. Videtis quam sit utile in lectione et exhortatione clericum immorari, ut non solus ipse hæc faciendo mereatur salvari, sed et de salute auditorum possit abundantius gloriari. In alia Epistola, sic eumdem Timotheum idem Apostolus commendat : « Tu autem, inquit, assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam (*II Tim.* III), » dicturus cæteras virtutes, doctrinam præmisit ut eam quasi scholam et quoddam esse conflatorium demonstraret : unde lima et studio virtutum catalogus pullularet. Paulo post cum eumdem moneret : « Tu vero, inquiens, permane in his quæ didicisti et credita sunt tibi (*II Tim.* IV); » tanquam ille diceret : Unde mihi provenire tantam æstimas facultatem ut eam quam præcipis, permanendi obtineam sanctitatem, subjunxit : « Quia ab infantia sacras litteras nosti quæ te possint instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu (*ibid.*). » Omnis enim Scriptura divinitus inspirata, utilis est. Titum quoque instruens ait : « In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate (*Tit.* II). » Hic quoque dicturus « in integritate, in gravitate, » præmisit : « In doctrina, » ut clericus exemplum bonorum operum falso aliis se daturum speret, si doctrinam, quæ mater est virtutum, amplecti recusaret. Inde et quosdam inter Corinthios summopere commendat, dicens : « Divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia (*I Cor.* VII). » Et in alia Epistola ad eosdem : « Abundatis, inquit, sermone et scientia (*II Cor.* VIII). » Denique ne ab ipsis Corinthiis Apostolus propter inscitiam plus justo contemptibilis habeatur, ipse quoque in eadem Epistola de sua scientia humiliter gloriatur : « Existimo, inquit, nihil me minus fecisse a magnis apostolis : nam et si **405** imperitus sermone, sed non scientia (*II Cor.* II). » Sermonem hic appellat volubilitatem quamdam et facetam compositionem loquendi, quas nonnulli student summa cura appetere, qui malunt bene loqui, quam bene vivere, sapientes videri quam esse, præferri cæteris quam prodesse. Hujusmodi autem lepore verborum et ornatu rhetorico potest sine periculo quis carere; scientiam vero Scripturarum sine culpa clericus non potest non habere.

CAPITULUM XXVIII.

Nam cum ab infantia studiis litteralibus assignetur, cæterisque officiis relegatis, illis tantummodo mancipetur : quis ita est hebes, ut si vita comes fuerit, non possit scientiam obtinere, si tamen curam diligentiorem voluerit adhibere? Arguendus est igitur negligentiæ et torporis, si perverso ordine elegerit nihil scire, quia ad hoc est electus, ut scientia cæteros debeat anteire. Cæterum plerique cum terminos transierunt pueriles, et ad annos pervenerint pubertatis, volunt uti privilegio perversæ libertatis : impatientes studii et laboris, abjiciunt disciplinam, nidumque pristinum deserentes, non tam volatum inveniunt quam ruinam. Soluti enim a scholaris timore servitutis, discurrunt per vitia temerariæ juventutis; et quia se jam vident nullius majorum ferula coarctari, per plana volu-

ptatum gaudent liberius evagari. Quod si forte divitias sibi viderint provenire, vel juxta votum suum honores quoslibet arridere, eo magis litteralibus studiis adversantur, quo magis deceptoribus excessibus delectantur. Putant enim sufficienter se esse litteratos, si se divitiis et honoribus viderint sublimatos. Feliciusque judicant prosperitate pecuniaria gloriari, quam discendi gratia ærumnis et laboribus cruciari, cum enim eis ad nihil aliud scientia valere videatur nisi ut per eam ad honores et divitias temporaliter veniatur; si forte hæc compendio sibi viderint abundare, in illa acquirenda superfluum reputant laborare : non satis considerantes illud mandatum Sapientiæ : « Apprehendite disciplinam, et non pecuniam, doctrinam magis quam aurum eligite (*Prov.* VIII). » Hoc ipsum igitur quod forte in pueritia sunt adepti, dum adhuc parentibus et magistris ætatis beneficio fuere subjecti : processu temporis, cum jam majorem profectum deberent adipisci, prævalente otio coguntur oblivisci, inde est quod multos videmus divitiis et redditibus cumulatos, multos honoribus ecclesiasticis faleratos, et tamen tam simplices, idiotas, illiteratos, ut cum inter clericos venerint qualibet et causa pariter congregatos, vix inter eos audeant linguam proferre Latinam; et si fore præsumpserint, sermo eorum scholarem non redolet disciplinam. De cujusmodi Scriptura divina dicit : « Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit (*Prov.* XVII). »

CAPITULUM XXIX.

Sicut autem isti a labore discendi nociva revocantur prosperitate, sic multi, ut aiunt, præpediuntur paupertate. Videntes enim sibi non ad votum suppetere pecuniariæ subsidia facultatis, imparati sufferre aliquantulæ molestias paupertatis, malunt apud suos indocti remanere quam discendi gratia apud exteros indigere. Hac sibi occasione blandientes, seque blandientibus illecebris misere seducentes, dum recusant dare operam studio et labori, vacant delectabiliter otio et torpori. Et quo minus fuerint studiis litteralibus occupati, eo amplius mortiferæ succumbunt voluptati, quia otiositas dum appetitum subtrahit honestis laboribus insistendi, magnam procul dubio materiam ingerit delinquendi. Sic dum per molestias paupertatis recusant ad scientiam pervenire, ruinam morum coguntur invenire; et dum ad honesta et utilia reprehensibili languore torpescunt, ad prava et noxia reprehensibilius inardescunt. Cum enim attendunt quia transitoriæ gaudia prosperitatis non possunt adipisci clericalis beneficio probitatis, in quævis flagitia corruere non verentur, ut suis quoquo modo desideriis potiantur. Eapropter negotiis sæcularibus implicantur, forum magis quam ecclesiam venerantur : in acquirendis temporalibus imprudenter, imo impudenter curiosi, in conservanda honestate clericali nihil penitus studiosi. Jamque in peccando nullum sibi opponentes repagulum, nil de clerici retinent præter vocabulum, cujus superficie falso quidem gloriantur, cum nomen sine re habere convincantur. Plerique autem ad cumulum suæ perditionis, ad sacros ordines præsumunt accedere, et cum nihil sciant, imo quia nihil sciunt, scientiæ locum festinant invadere, quem ob hoc præsertim debuerant evitare, quia imperitia huic ordini non potest concordare. Cum enim omni clerico scientiam convenire nulli dubium habeatur, ei tamen præcipue convenit qui sacerdotii culmine sublimatur, ne imperitus sacerdos illam Malachiæ videatur impugnare sententiam. « Labia sacerdotis custodiunt scientiam (*Malac.* II). » Cæterum ut imperitiæ suæ incommoda novo possint mercimonio compensare, sacerdotii gradum non abhorrent ausu sibi temerario vendicare, tanto ad casum periculosius irretiti quanto temerarius locum peritorum arripiunt imperiti. Quia enim ignavia laborantes nihil de Scripturis appetunt scire, vitam suam et ordinem religione congrua nesciunt custodire; et quod scientia non student primitus obtinere, non possunt postmodum operibus exhibere. Quo contra divinus sermo : « Vir, inquit, disciplinatus et eruditus custodit se (*Eccli.* XL), » cum autem nec scientiam, nec custodiam habeant congruentem : præsumunt tamen populum docere nescientem, et locum magisterii non timent usurpare quem plerusque sapiens refugit occupare. Quorum præsumptionem eleganter divina Scriptura condemnavit, cum ad eorum confusionem Ecclesiasten laudabiliter commendavit. « Cum esset, inquit, sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum (*Eccl.* XII). » Ac si dicat : Erubescite vos qui nihil scientes scientiæ locum invadere non timetis, qui discipulatus scabellum non experti in magistrali cathedra saltu præpropero residetis, cum Ecclesiastes non præsumpserit populum edocere, nisi priusquam meruit sapientiam obtinere. Quia ergo sapientiam contemnunt non possunt invenire profectum spiritalem, nec cæteris ministrare doctrinam salutarem, sed exemplo sui perimunt quos vivificare debuerunt, quippe qui non vivere per sapientiam sed per imperitiam mori potius elegerunt. Quo et contra divina Scriptura. « Hoc habent, inquit, eruditio et sapientia quod vitam tribuunt possessori suo (*Eccle.* VII). » Sic profecto cum in sæculo multa sit copia clericorum, infinitus est numerus imperitorum, quorum nullus vel rarus est qui suam possit imperitiam excusare sive pauperiem sive divitias sibi viderit abundare. Nolunt enim audire consilium cujusdam sapientis imo ipsius sapientiæ sic nos salubriter admonentis. Appropinquate ad me indocti et congregate vos in domum disciplinæ (*Eccli.* LI); » Et alius Sapiens : « Sapientiam, inquit, et disciplinam qui abjicit, infelix est (*Sap.* III). »

CAPITULUM XXX.

Nec solum ii qui tales causas prætendunt a studio discendi torpore noxio revocantur, verum etiam

plerique qui sæculo renuntiantes claustrali regulæ mancipantur, qui etsi ad serviendum Deo, ut videtur, commendabiliter inardescunt, tamen ad diligentiam lectionis reprehensibili torpescunt languore. Cum enim eos Deus ad hoc eduxerit de conversatione forali, ut in claustro deinceps summa cura, summa diligentia vacent negotio spiritali : irreprehensibiles quantum æstimo, non debent judicari, si in lege divina, assiduitate congrua fastidiunt meditari. Lex autem divina, Scriptura sacra est, in cujus lectione claustralis clericus totus debet versari, si juxta propositum curat sæculo perfectius adversari : et emaculatus a terrenis cum Apostolo in cœlis conversari. De qua lege, David propheta : « Lex, inquit, Domini immaculata convertens animas (*Psal.* XVIII). » Lex immaculata, Scriptura sancta congrue dicitur ab effectu, eo quod juvante gratia lectores suos a terreno mundat affectu : et animas quas errore ignorantiæ illecebra temporalis pervertit; revocando, informando, illuminando convertit. Dum enim testimonium perhibet, quod hæc visibilia sunt velocius transitura, quæ autem non videntur sine termino permansura : quid aliud quam a dilectione visibilium sensu parvulos revocare, ad appetitum vero invisibilium, eosdem satagit informare? Unde idem propheta subjungit : « Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis (*ibid.*). » Testimonium Domini Scriptura est, sicut ipse in Evangelio dicit : « Scrutamini Scripturas; illæ sunt quæ testimonium perhibent de me (*Joan.* V). » In hac ergo lege debet die ac nocte clericus immorari, si perfectorum beatitudine curat plenius gloriari; et cum eam didicerit legendo, meditando, eamdem requirentibus debet refundere prædicando. Unde et Malachias, cum de clerico mystice loqueretur, « et legem, inquit, requirent ex ore ejus (*Malac.* II). » Et alius Sapiens ait : « Non te prætereat narratio seniorum (*Eccli.* VIII), » quoniam ab illis disces intellectum, et in tempore necessitatis dabis responsum. Cæterum plerique claustrales, ut cœperam dicere, studiosius insistere lectioni recusant, et quod deterius est, eos qui insistunt plerumque, vel aperte, vel latenter accusant : æstimantes illos esse ignaviter otiosos, quos in agendis transitoriis non viderint curiosos. Quia igitur gravantur sedere, legere, meditari, appetunt in exterioribus occupari : et si forte nulla eis officia committuntur, de magistrorum suspicione, sinistro murmure conqueruntur. Dicunt enim quod sibi satis ab illis non creditur, a quibus nulla eis exterior obedientia injungitur : cum tamen, ut aiunt, parati sint jussionibus obedire, et fratrum utilitatibus deservire. Si autem aliquid agendum exterius susceperint, gaudent, quia jam sedere et legere non coguntur : et dum sibi de injuncto officio blandiuntur ad discurrendum et loquendum plus justo resolvuntur. Et quoniam ad exteriora concupitæ actionis, habenis laxioribus extenduntur, ad interna et spiritalia lectionis et meditationis raro admodum revertuntur. Etsi forte id aliquando attentare moliuntur, obviante fastidio ad gratam consuetudinem repelluntur. Plerique autem ideo lectioni diutius attendere negligunt, quia non omnia quæ legunt **407** intelligunt, et quia difficilis invenitur Scriptura, putant quod non sit eis ejusmodi lectio profutura. Eapropter clauso codice ad agendum transitoria reflectuntur, et si agendi vel locus, vel licentia desit, in illis, saltem cogitando volvuntur : promptiores foris, vel animo liberius evagari, quam obscura Scripturæ diligenti instantia perscrutari.

CAPITULUM XXXI.

Verum ipsa Scriptura lectorem exigit studiosum, non vagum, non fastidiosum, quia plerumque obscura est, ut laboriosius inquiratur, et intellecta gratius teneatur. Cum igitur obscuram se obtulerit, non est statim a legendo resiliendum, imo multo amplius insistendum, ut competens instantia mereatur invenire, quod negligenti lectori Christus refugit impertire. Est etiam idem Christus devota interrogatione pulsandus, qui ænigmata Scripturarum gaudet interrogantibus aperire, si tamen interrogantes singularem eum potuerint invenire. Hoc enim Marcus evangelista, quantum mihi videtur eleganter signavit, postquam parabolam seminantis Christum turbis circumstantibus dixisse memoravit. « Et cum esset, inquit, singularis, interrogaverunt eum ii, qui cum eo erant, duodecim parabolas. Et dicebat : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei (*Marc.* IV). » Quando, quæso vos, fratres mei, Christum invenimus singularem, nisi quando de cordibus nostris omnem repellimus tumultum sæcularem, ut nihil indecens nostræ obstrepat lectioni, nihil obsistat meditationi; sed eo intuitu sacris paginis insistamus, ut beneficio lectionis Christum amplius cognoscamus, cognitum diligamus, dilectum teneamus? Cum ergo quidquid lectioni obstrepit eliminamus, et legendo, nihil aliud quam Christo placere cogitamus; ipsum procul dubio invenimus quodammodo singularem, talibusque inventoribus dat Scripturarum intelligentiam spiritalem. Ideo ait illis : « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei. » Vobis scilicet, qui scire constanter desideratis, vobis qui me singularem interrogatis : Vobis, inquam, datum est scire ea quæ in Scripturis mysteria continentur, quæ dormitantibus et fastidientibus occultantur. Unde et apud Matthæum, cum dixisset : « Vobis datum est scire mysteria regni cœlorum; » adjunxit : Cæteris autem non est datum (*Matth.* XIII); » et quare apostolis esset datum; cæteris autem non esset datum : causam subintulit, dicens : « Qui enim habet, dabitur ei et abundabit; qui autem non habet hoc ipsum quod habet, auferetur ab eo (*ibid.*). » Hoc est dicere : Qui habet diligentiam, accipiet intelligentiam; qui habet instantiam inquirendi et legendi, inveniet gratiam capiendi. Qui autem non habet, hoc ipsum quod habet, forte vel ingenium naturale, vel aliquantulum scientiæ. Hoc ipsum, inquam, ab eo auferetur, dum ex hoc nihil in posterum utile consequetur.

Orandus est igitur singularis Christus, ut desuper litteram velamen tollat obscuritatis, desuper cor nostrum tollat nebulam cæcitatis, quia liber qui nobis scientibus litteras est oblatus, non delectat, quandiu sigillis insolubilibus est signatus.

CAPITULUM XXXII.

Quod si forte simplex non sufficit oratio ad impetrandam apertionem libri et solutionem signaculorum ejus, non tamen cessandum est, ne videatur lector vel orator negligens fastidio defecisse, imo faciendum est quod Joannes apostolus asserit se fecisse : « Cum enim in dextera sedentis super thronum videret librum signatum sigillis septem, et nemo in cœlo, neque in terra, neque subtus terram posset inveniri, per quem posset liber signatus aperiri : et ego, inquit, Joannes flebam multum, quia nemo dignus inventus est aperire librum nec videre eum (*Apoc.* v). » Et quo fructu fleverit; insinuat cum adjungit : « Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris; ecce vicit leo de tribu Juda radix David aperire librum et septem signacula ejus (*ibid.*). » Et hoc dicto : « Vidi, inquit, in medio throni et in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum, et venit et accepit de dextera sedentis in throno librum; et aperuit eum (*Apoc.* 5). Cum igitur ea quæ in Scripturis involucro litteræ signata conteguntur, nobis legentibus et scire volentibus non panduntur : summus ille Magister precibus est pulsandus, et, si ad largiendum verbosa cum non inflectit precatio, jungenda est lacrymarum effusio. Hæc plerumque apud Deum efficacior invenitur, hac illius severitas emollitur; et quod non vult conferre deprecanti, negare non sustinet lacrymanti. Si ergo lectioni vacantes intellectum nostrum sentimus caligare, nostroque adnisui oppansum litteræ velamen obviare : producendus est rivulus lacrymarum, ut diluat et annullet obscuram superficiem Scripturarum. Nam cum diligens lector intelligendi desiderio lacrymatur, unde ad horam oculus ejus exterior tenebratur; inde ille interior novo quodam genere declaratur, fitque illi perspicuum, quod obscurum antea videbatur. Etsi enim non Scriptura, sed facies lacrymis irrigatur, tali tamen irriguo non facies, sed Scriptura modo ineffabili defæcatur : et cum ista materialiter abluatur, ad illam effectus lavacri transire nequaquam **408** dubitatur. Verum iste transitus oculis carnalibus non videtur, sed spiritalis eum sensus manifestius intuetur : dum quod ante lacrymas latebat nebulis sigillantibus involutum, post lacrymas sibi videt ab omni caligine resolutum. Mira res, et nobis, quamvis inde loquentibus, non tam cognita sentiendi experimento, quam divinæ lectionis indubitabili documento, quia non omnibus, quibus beneficium conceditur hoc sciendi, datur et gratia sentiendi. Joannes Apostolus experimento cognovit, qui, cum nullus præsto esset, qui posset et librum signatum aperire : « Et ego, inquit, flebam multum, et post lacrymas declaratum est ei quod antea tenebatur occultum. » Ex quo aperte ostenditur, quantam habere et legendi debeat instantiam, et intelligendi flagrantiam, etsi forte tantæ hujus honestatis affectum, caligante oculo perducere non possumus ad effectum : debemus quidem et Deum precibus invocare, et ejus gratiam lacrymis impetrare.

Satis superque, multis et diversis testimoniis jam claruit Scripturarum scientiam proprie clericis convenire, eosque summa cura hujusmodi debere studiis inservire : non quia si quando aliud quid egerint, statim vitio debeat assignari, si tamen illud opus ordini conveniat clericali. Possunt enim et curas ecclesiasticas licenter obtinere, et laboribus manuum aliquoties indulgere; si tamen ad hæc eos non vitium levitatis illexerit, sed vel charitas vel necessitas quasi violenter impulerit. Apostolus quippe et sollicitudinem gerebat Ecclesiarum, quia eum charitas perurgebat, et laborabat manibus quando necessitas incumbebat. Denique cum Timotheum instrueret, non ab eo laborem relegavit penitus, sed eum potius ordinavit, ut ostenderet non esse alienum a clerico aliquoties laborare, si tamen id loco suo noverit collocare. Debet enim studium præponere Scripturarum, et ei diligentius inhærere, laborem vero manuum, non delectabiliter, sed tolerabiliter sustinere, ut ad illud eum præcipue alliciat delectatio spiritalis, ad hunc, quasi invitum compellat necessitas temporalis. « Exerce, inquit, te ipsum ad pietatem; nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est : pietas autem ad omnia (*I Tim.* IV). » Pietatem appellat attentum studium in Scripturis, per quod, juvante gratia, debet clericus et amplius Deum cognoscere, et cognitum tenerius diligere; et dilectum perfectius colere, ut in his proficiens fiat spiritaliter Dei templum, dum sciendo et vivendo, sanctum cæteris dat exemplum. Unde paulo post subjungit : « Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. » Et iterum : « Attende tibi et doctrinæ, » hoc enim faciens et te ipsum salvum facies, et eos qui te audiunt. Ideo autem adhæc illum præcipue admonebat : « Nam corporalis, inquit, exercitatio ad modicum utilis est. » Quia Paulum Timotheus noverat labori manuum frequenter operam impendisse, maxime cum apud Corinthios dicit se plurimum egisse : volebat et in hoc eum, ut bonus discipulus, imitari, ut quasi per omnia suo posset magistro similari. Sed quia, nec eadem illi, quæ Apostolo, necessitas incumbebat, nec ad multum laborem fortitudo corporis suppetebat, curat illum Apostolus, quasi modificans temperare, et fervoris impetum non auferre penitus, sed ad mensuram congruam revocare. « Corporalis, inquit, exercitatio ad modicum utilis est. » Non dicit, inutilis est, alioquin videretur laborem penitus condemnare, sed ad modicum, inquit, utilis est, volens utilitatis metas certius demonstrare. Utilis quippe plerisque est labor, quia per eum nonnunquam et salubritas corporis conservatur, et ad usum lectionis avidius remeatur. Utilis, inquam, est; cum

jectione cæterisque spiritalibus officiis, tanquam inferior famulatur, non cum ordine converso et perverso ejusdem pertinaciter dominatur. Utilis est; cum apud clericum, primos sibi non præsumit accubitus vindicare, sed proprii ordinis non oblitus, novissimo eligit latitare. Utilis est; cum ei clericus legem ponit, ne infrenis excedat, ne studium legendi, vitio levitatis præcedat: ergo ad modicum utilis est respectu pietatis, quæ ad omnia utilis est, apostolicæ testimonio veritatis. « Pietas, inquit, ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ. » Per hanc enim pietatem in præsenti vita divitiæ spiritales et gloria uberius acquiruntur, et in vita sequenti, æterna gaudia justitiæ merito conferuntur. Unde David: « Gloria, inquit, et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi (*Psal.* III). » Et Salomon: « In dextera illius anni vitæ; in sinistra vero, divitiæ et gloria (*Prov.* III). » Debet ergo clericus hoc primum et præcipuum habere propositum voluntatis, ut vacare appetat inquirendæ et scientiæ studio veritatis: labori autem manuum, vel curis ecclesiasticis non serviat curiosæ impulsu levitatis, sed puræ et sinceræ obedientia charitatis

III.

409 DE JUSTITIA CLERICORUM.

CAPITULUM XXXIII.

Satis, ut videtur, dictum est de clericorum scientia, tandem dicendum est de eorum quoque justitia, quia, etsi, ut audistis, scientia non mediocriter commendatur, non tamen est sufficiens, nisi ei justitia conjungatur. Ad quod ostendendum, non est necesse multa Scripturarum testimonia compilare, quia inde, nec neminem quamlibet imperitum æstimo dubitare. Quis enim dubitet quod sola scientia nulli salutem largiatur, cum, ut de aliis taceam, teste Scriptura, Salomon sapientissimus omnium fuisse cognoscatur, qui tamen, ut in alia responsione satis ostensum est, propter injustitiam reprobatur? Necessario igitur justitia scientiæ copulatur, ut ex omni parte, prout decet, perfectus clericus habeatur, cui, sicut superius dictum esse recolo, nec indocta justitia, nec injusta scientia sufficere comprobatur. Denique ipsa est secunda illa tunica, qua diximus debere clericum tuniçari, quem profecto non expedit contentum esse tunica singulari, quia et Aaron pontifici, qui typus est clericorum, duæ a Moyse tunicæ tribuuntur, et fortis illa mulier ejusque domestici vestiti duplicibus asseruntur. Sicut autem scientia parit justitiam, sic nimirum justitia fovet scientiam, dum sui merito impetrat illi spiritalem profectum, sine quo scientia nunquam adducitur ad perfectum. Unde quidam Sapiens: « Fili, ait, concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus præbebit illam tibi (*Eccli.* I). » Pulchre justitiæ merito asseruit sapientiam dari, quia sine illa non potest ista commendabilis indicari: imo quantumcunque visa fuerit ejus magnitudo, tumor est inanis, non solida plenitudo. Unde Apostolus: « Scientia, inquit, inflat (*I Cor.* VIII). » Quem, quæso, inflat, nisi quem charitas non ædificat? Charitas, dilectio Dei est: diligere autem Deum, justitia est: nihil enim justius, quam Creatorem diligi, unde et ejus dilectio, vera justitia debet intelligi. Qui ergo hanc non amat, nec conservat justitiam, frustra, vel optat, vel habet scientiam, imo ipsa illi noxia reputatur, cum propter eam amplioris stultitiæ arguatur. Unde Apostolus: « Dicentes, inquit, se esse sapientes, stulti facti sunt (*Rom.* I). » Quia enim omnis scientia a Christo habet initium et in ipso accipit finem, id est non consummatur, nisi eum sibi constituat, vel inveniat finem (quod prudenter intuens David: « Omnis, ait, consummationis vidi finem [*Psal.* CXVIII]), » merito quisquis tali fine non studet consummari, etsi sapiens videatur, meretur tamen stultitiæ condemnari. Nulla quippe verior est, vel major, quam si Christum nescit nostra scientia: unde, etsi eam aliqui tentant falso nomine sapientia palliare, Apostolus tamen stultitiam, ut veraciter est, maluit appellare. « Sapientia, inquit, hujus mundi; stultitia est apud Deum (*I Cor.* III). » Mundus quidem, id est mundana sapientes, eos qui stulti sunt, plerumque æstimant sapientes; sed Deus, qui pura est veritas, nihil recipiens falsitatis, eos qui ipsum nesciunt, arguit temerariæ vanitatis. Unde Propheta: « Dominus, inquit, novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt (*Psal.* XCIII). »

CAPITULUM XXXIV.

Videtis, fratres, quia nulla est vera scientia, cui non est comes justitia, quæ ab illa repellens pestiferæ tumorem vanitatis, undique munit eam solidæ propugnaculo charitatis. Constat ergo plures, quos in acquirenda scientia videmus plurimum laborare, a recto tamen sciendi tramite longius aberrare: et quo amplius sciendi desiderio elaborant, eo amplius, quod mirandum, imo miserandum est, delirant. Dum enim quasi aquis turbidis æstimant satiari, et fontis illimis ubertate non curant debriari: deserentes eum qui origo et finis est scientiæ salutaris, a sinistris exorbitant per devexa et devia sapientiæ sæcularis. Unde Salomon: « Vias, inquit, quæ a dextris sunt, novit Dominus; perversæ autem sunt, quæ a sinistris sunt (*Prov.* IV). » In quibus, quanto fortius et velocius inconsiderato impetu clerici currunt, tanto longius a Christo, qui via est veritatis, excurrunt: et quoniam ad eum quem tenere debuerant oppressi vanitatis caligine non recurrunt, tandem irrevocabiliter foveam perditionis incurrunt. Ad

hanc quidem illos perducit noxius ille tumor, qui de scientia pullulare videtur, cum eadem scientia intuitu justitiæ, nec acquiritur, nec tenetur; sed ut possint, vel divitiis temporalibus cumulari, vel fama et honore pompatico cum cæteris, vel forte præ cæteris gloriari. Hac de causa, parentes filios suos litterali assignant studio, eorumque magistros, non parvo redimunt pretio, ut parvuli ætate adhuc tenera litteris imbuantur, et ad ea quæ mundi sunt obtinenda, idonei reddantur. Ipsi etiam plerumque parvuli, cum processu ætatis grandescunt, et ea quæ mundi honesta, vel utilia sunt, ei amplius innotescunt, quia jam videri inferiores cæteris pertimescunt, ad **410** studium et diligentiam disciplinæ scholaris inardescunt. Et qui cum essent parvuli, didicerunt timore flagellandi, grandiusculi student amore gloriandi : prævalere festinantes eos, quos æqualitate scientiæ sibi vident conferri, æmulantes eos, quos profectu præcipuo intelligunt anteferri. Student igitur et laborant bene versificari, in prosa et rhythmo faciendo commendabiles judicari : ad diversa metrorum genera prompti et agiles inveniri, ne in tali studio possint a quolibet perveniri. Hujus vero amore studii multa plerumque difficilia patiuntur, inediam, vigilias, contemptum proprium amplectuntur, quæ, etsi ætatis hujus teneritudini adversantur, tamen placent, quia studio et profectui famulantur. Neque enim curæ corporis plus justo deditus potest condigne castris litteralibus militare, cum pinguis venter, frequens dormitio, delicata mollities inveniantur vires ingenii enervare. His igitur neglectis student sæculares etiam auctores lectitare, et quem loquendi modum tragici, quem comici, quem satyrici teneant, diligentius adnotare, et tam istos quam illos memoriæ commendare, quia sicut a doctoribus, magistris perhibetur, non contemnenda in illis moralitas continetur. Processu vero temporis, cum tam ætate quam scientia convalescunt, ad lectionem majorum inexplebiliter inardescunt : et lecto Prisciano, in quo totius, ut aiunt, versatur plenitudo grammaticæ, ut composite sciant loqui, flores et colores aggrediuntur rhetoricæ. Sed quia cæteris artibus non mediocriter dialecticæ prodest subtilitas, per quam falsum a vero, vel a falso secernitur veritas : putant quidem se, vel nihil, vel modicum adhuc scire, nisi et in hac cæteros sequi studeant, vel potius prævenire. Dant ergo operam ut ope dialecticæ possint cæteros verborum maculis irretire, seque ab illorum abjectis retibus sagaciter expedire; et quia loquacibus nihil est dulcius garrire, gaudent quod loquacem et verbosam scientiam tandem contigit invenire. Hanc plerique inveniuntur adeo magni pendere, ut non fastidiant multos illi annos impendere : infinitos pro ea nummos expendere, pati multos diutinosque labores, inediam, vigilias, sudores et algores. Plerique autem, quibus non sufficit artium scientia prædictarum, transeunt ad studium et diligentiam reliquarum : et cum multum laboris et temporis impenderint ad trivium obtinendum, tandem quadrivio judicant insistendum. Sic enim se habet ardor nimiæ cupiditatis, ut habita vilipendens ardentius incumbat acquirendis : et quandiu quidquam sibi deesse conspicit, nescit dicere : Sufficit. Docti igitur grammaticam, rhetoricam, dialecticam, quas mundi sapientes appellare trivium voluerunt : doceri appetunt arithmeticam, musicam, geometriam, astronomiam, quas appellandas quadrivium censuerunt. Quæ nimirum idcirco a nonnullis curiosius appetuntur, quoniam a multis multa scientibus nesciuntur : et illam magis scientiam diligunt obtinere, quam plerosque, licet apprime litteratos, intelligunt non habere. Quidam vero ad legendum etiam divinæ legis libros accenduntur, et utriusque Testamenti paginis instruuntur : curiosi magis memoriter illas scire, quam earum mandatis salubriter obedire. Non enim omnes uno intuitu scientiæ operam constat impendere; sed alios et alios, alium et alium discendi finem appetere; quibus juxta intentionum merita singularum, datur fructus varius ex scientia Scripturarum.

CAPITULUM XXXV.

Alii quippe discunt, nihil aliud appetentes, quam scire, quod est vitium inquietæ curiositatis; alii ut sciant scire, quod est vitium ventosæ vanitatis; alii ut vendant cum didicerint, quæ est simoniaca pravitas; alii ut spiritaliter ædificentur, quæ est pia et sancta humilitas; alii ut ædificati alios quoque ædificent, quæ est pura et vera charitas. His quinque de causis, omni scientiæ impenditur cura, tribus quarum præcedentibus merces imminet peritura, duas vero postremas, nulla perdit vel corrumpit jactura, sed provehit sana spes et consummat sperata res labo vel termino caritura.

CAPITULUM XXXVI.

Ut autem de singulis dicam, quid magis inutile, quam si acquirendæ scientiæ laborem vel studium impendamus, nihil ex hoc aliud appetentes, nisi tantummodo ut sciamus : curiosi multa et varia congregare, congregatis enerviter incubare? Sic plerumque avarus multas pecunias colligens et abscondens, delectatione magis pascitur possidendi, quam utilitate fruendi, malens, ut apud se in fossa vel sacculo putredine consumantur, quam ad usus, vel suos, vel alterius in medium proferantur. Unde bene quidam Sapiens : « Thesaurus, inquit, absconditus, et sapientia injusta : quæ utilitas in utrisque? » (*Eccli* XLI). Quid vero magis stultum, quam si ideo quis in scholari gymnasio labores diutinos patiatur ut beneficio famæ volatilis scire multa sciatur : nihilque suavius judicans, quam inanes rumusculos aucupari, sudores suos ebibendos auro tribuat populari. Qui enim pulchrum putans monstrari digito **411** et dicier : Hic est, solis hominum laudibus delectatur, et non tam esse quam sciri sapiens gloriatur : nullum alium scientiæ fructum, quam prætereuntis auræ nebulam apprehendit, unde et eum

mordaciter quidam satyricus reprehendit Persius : *Scire*, inquit, *tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat* [*alter*.

Et quid scelestius, quam ideo quemvis in acquirenda scientia laborare, ut per eam temporales sibi possit divitias comparare, ut apud eum, vilem et ultimum locum, munus obtineat spirituale, primum vero et præcipuum munus sibi usurpet temporale? Nonne ideo Simon Magus, teste Petro (*Act.* VIII), a sorte sanctorum meruit reprobari, quia donum spiritus æstimavit pecunia comparari? A quo enim accipitur discendi gratia, eidem acquisita debetur scientia, ut quod datur divinæ beneficio largitatis, reddatur intuitu solius charitatis. Unde et Christus : « Gratis, inquit, accepistis, gratis date (*Matth.* X). » His ergo tribus causis pulsis procul ab omni studioso, duabus reliquis insistatur, ut intentione spiritalis profectus, vel sui, vel alterius scientiæ studium impendatur, ut scilicet propter cognoscendum et diligendum Deum summo nisu unusquisque humiliter studeat erudiri, et acquisitam scientiam, cum necesse fuerit, charitative cæteris impertiri. Misereor super vos, clerici scholares, qui tantam in discendo diligentiam adhibetis, tot et tantos labores pro acquirenda, ut videtur, sapientia, sustinetis : et quanto, vel vobisipsis, vel ab aliis putamini doctiores, tanto a vera sapientia per superbiam excursus facitis longiores. Ex quorum persona pulchre dicit Ecclesiastes : « Cuncta tentavi in sapientia ; dixi : Sapiens efficiar ; et ipsa longius recessit a me. » Et quasi admirans, adjungit : « Et alta profunditas, quis inveniet eam? (*Eccle.* VII). » Vere altum est et profundum ; et pauci hoc prævalent invenire ; quid videlicet causæ sit, quod multi et semper discunt et ad veram scientiam non possunt pervenire. De quibus Apostolus : « Semper, inquit, discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes (*II Tim.* III). » Quis igitur inveniet latitudinem hujus profunditatis, quod semper discentes nunquam perveniant ad scientiam veritatis, nisi is qui inspirante gratia tandem intelligit fixum esse, quia nullus vere est sapiens, qui non appetit esse? Ille autem bene intelligit hujusmodi esse veram sententiam, qui non negligit, sed diligit tenere justitiam.

CAPITULUM XXXVII.

Ille intelligit scientiam utiliter se habere, qui cum ea non disponit inter Ægyptios remanere, sed si eam acquirere studuit in Ægypto, opes quidem, quæ apud Ægyptios labore delectabili acquiruntur, sicut nocent plurimum, dum in natali gremio carnaliter nutriuntur : sic prosunt multipliciter, cum inde spiritaliter alio transferuntur. Hoc est quod per filios Israel in Exodo videtur designari, cum deinter Ægyptios per manum Moysi leguntur liberari. « Petierunt, inquit, filii Israel ab Ægyptiis vasa argentea et aurea, vestemque plurimam (*Exod.* XII), » morum elegantiam existimo figurare, quibus Ægyptios, id est mundi sapientes videmus abundare. Proponentes ergo filii Israel de Ægypto transire in eremum, nolunt illuc manu vacua proficisci, sed prædocti a Domino, studeant primum opes Ægyptias adipisci, quia cum inspirante gratia de conversatione sæculari ad desertum pœnitentiæ clerici convertuntur, si prudenti fuerint præmuniti consilio, non illuc inanes, non vacui, transferuntur, sed opes scientiæ, lima et studio acquirere primitus moliuntur, quibus postmodum utiliter contra morbum ignorantiæ muniuntur. Est quippe in his, quas artes nominant liberales, aurea quædam et pretiosa subtilitas, est faceta et composita quædam verbositas ; est etiam non contemnenda moralitas : quæ tunc solummodo ad salutem esse utiles cognoscuntur, cum ad placendum Deo, de Ægypto in eremum transferuntur. Non enim quis in Ægypto debet cum his opibus pertinaciter conversari, et de acquisita scientia, tumore pompatico gloriari, cum eadem scientia, cuiquam non divino munere non donetur, ut omnis glorians, non in se, sed in Domino glorietur. Quod ibidem sermo divinus innuit, cum adjungit : « Dedit Dominus gratiam populo coram Ægyptiis, ut commendarent eis, et spoliaverunt Ægyptios (*ibid.*). » Quis, quæso, vel sæcularem scientiam potest acquirere, nisi Dei munificentia gratiam ei velit infundere ; qui ob hoc vult Ægyptios dolo artifici spoliari ; ne proficiscentes clerici de Ægypto mereantur ob imperitiam reprobari? « Cum egrediemini, inquit, non exibitis vacui ; sed spoliabitis Ægyptum (*Exod.* III). » Vult quippe Deus eos quandoque exire de Ægypto, sed tamen non vacuos, ne duplicis culpæ argui mereantur, cum quia in Ægypto, in luto et latere aliquoties conversati, tum quia in ea nulla scientia sunt ditati. Est nimirum culpabile, siquando clericus in Ægypto diligat conversari, sed eamdem culpam non parum exaggerat, si ibidem eligat otiari : si pressus ignavia, nihil sibi acquirat scientiæ litteralis, cum hoc nomen non deceat imperitia laicalis. Si vero cura pervigili multam sibi studet scientiam aggregare, et tamen Ægyptum plus justo diligens ad prædictam eremum non curat festinare : falso sibi nomen sapientis expetit assignari, cum hujusce **412** scientia, nondum sapientia digna sit appellari. Quis enim dolum filiorum Israel per se commendabilem judicaret, nisi hæc justitia, illam quasi injustitiam obumbraret : nisi eum adjunctus illorum de Ægypto exitus excusaret, et favente gratia, processu temporis, in melius commutaret? Sic profecto illius quasi stultitia in sapientiam commutatur, cujus quævis scientia justitiæ humiliter æmulatur, cum in eo quod studet, vel studuit, litterario profectui deservire, jam nihil appetit aliud quam Deo sapientius et perfectius obedire. Qui vero in discendo hujusmodi appetitum habere non diligit, etsi multa, ut putat, sive, ut putatur, intelligit ; non sapiens, sed stultus est, sicut Apostolus dixisse superius memoratur, in quo ei et alia Scriptura suffragatur. Cum enim Salomon sapientiam commendare multipliciter videretur, ne sola sufficere, vel etiam esse sapientia crederetur : subsequenter asseruit illum

stultum vocari, qui ea quæ injusta sunt, diligit operari. « Sapientia, inquit, ædificabitur, domus et prudentia roborabitur, in doctrina replebuntur cellaria, vir sapiens fortis est, et vir doctus, robustus et validus; quia salus ubi multa consilia (*Prov.* XXIV). » Et subjecit : « Excelsa stulto sapientia; qui cogitat male facere, stultus vocabitur : cogitatio stulti, peccatum est (*ibid.*). » Videtis eum veraciter dici stultum, qui male operatur, quamvis sibi, vel sui similibus, sapiens videatur.

CAPITULUM XXXVIII.

Aliquando quippe Scriptura, sensum, intellectum, sapientiam vel scientiam improprie appellat, videlicet juxta imperitorum æstimationem, aliquando proprie juxta rei ipsius veritatem. Quando proprie appellat, inveniuntur justitiæ cooperari, quando vero improprie, certum est eidem adversari. Sensus, adversarius justitiæ intelligitur; cum apud Ecclesiasticum dicitur : « Melior est homo qui deficit sapientia, quam qui abundat sensu, et transgreditur legem Altissimi (*Eccli.* XIX. » Constat enim sensum malum esse qui transgreditur legem Altissimi. Ideo Apostolus : « Propterea, inquit, tradidit illos Deus in reprobum sensum (*Rom.* I). » In bono accipitur, cum dicitur in eodem Ecclesiastico : « Optavi, et datus est mihi sensus (*Sap.* VII). » Et iterum : « Honor et gloria in sermone sensati (*Eccli.* V). » Et longe infra : « Homo, inquit, sensatus, credit legi Dei (*Eccli.* XXXIII). » Intellectus inutilis ille est, de quo Apostolus ait : « Deus enim illis revelavit. Invisibilia enim ipsius, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, ut sint inexcusabiles; quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt (*Rom.* I). » Iste est intellectus, qui quoniam, quæ justa sunt, noluit operari : ab eo qui justus est Dominus et justitias diligit, meruit reprobari. Quo contra de bono intellectu dicitur : « Intellectus bonus omnibus facientibus eum (*Psal.* CX). » Utrumque hunc intellectum, inutilem, videlicet et utilem Apostolus uno versiculo comprehendit, ubi eos quos inutilem sine utili habere cognoverat, reprehendit : « Qui cum justitiam Dei cognovissent, inquit, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte (*Rom.* I). » « Qui cum justitiam Dei cognovissent, » ecce intellectum videntur habuisse : « Non intellexerunt, inquit, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte; » ecce, intellectu utili dicuntur caruisse. Quæ enim intelligenda erant, intelligere noluerunt, unde et David ait : « Noluit intelligere ut bene ageret (*Psal.* XXXV). » Ad quem intellectum illos alibi revocat, dicens : « Intelligite insipientes in populo (*Psal.* XCIII). » De quo bono intellectu, et Salomon ait : « Intelligens gubernacula possidebit (*Prov.* I). » Et Ecclesiasticus : « Acceptus est, inquit, regi minister intelligens (*Prov.* XIV). »

CAPITULUM XXXIX.

Sapientia insipiens, illa est, de qua Salomon ait : « Non est sapientia contra Dominum (*Prov.* XXI). » Et Apostolus : « Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi (*I Cor.* I); » et iterum : « Comprehendam sapientes in astutia sua (*I Cor.* III). » Unde et Jabin, qui *sapiens* interpretatur in torrente Cison, id est in duritia sua comprehensus legitur et subactus, et in Endor disperiens, tanquam stercus terræ ad nihilum est redactus. « Facti sunt, inquit, ut stercus terræ (*Jud.* IV). » Erubescant sapientes, quorum sapientia stercori comparatur, dum ad summa et divina non provehi, sed ad ima et vilia revolvi comprobatur; et ipsi non eligi et assumi merentur, ut clerici et levitæ; sed tanquam purgamentum de medio projici hujus vitæ. Gloria quippe eorum, juxta quod scriptum est : « Stercus et vermis est (*I Mach.* II). » Quorum gloriam Hieremias optime contemplatur, et in threnis suis (*cap.* IV) compatientis animo lamentatur. « Qui nutriebantur, inquit, in croceis, amplexati sunt stercora. » In croceis nutriuntur, qui quasi delicate erudiuntur in Scripturis, sed stercora miseri amplexantur, dum rebus inhiant perituris. Illa ergo merito sapientia dicitur, quæ vere sapientia est, quæ ad illum recurrens a quo accipit esse, nihil aliud appetit, quam cum illo perennitus esse : sciens quia non prodest quasi feliciter inchoari, nisi ei concedatur felicius consummari. De qua Salomon : « Viam, inquit, sapientiæ monstrabo tibi; ducam te per semitas æquitatis (*Prov.* IV). » Et alius sapiens : « Ad vos, inquit, reges, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, et non excidatis (*Sap.* VI). » Et Ecclesiasticus : « Sapiens cor et
413 intelligibile abstinebit se a peccatis (*Eccli.* III). » Et infra : « Sapiens, inquit, non odit mandata et justitias (*Eccli.* XXXIII). » Quibus testimoniis liquido patet eam proprie sapientiam dici, quæ justitiam operatur, quæ non tantummodo scire, sed Deum scire et diligere gloriatur. Denique et angeli mali scire plurima comprobantur, unde et dæmones, *scientes* interpretantur. Cæterum scientia eorum Deum omnium creatorem ignorat, dum eum, nec credit, nec diligit, nec adorat. Quod enim dicunt in Evangelio : « Scimus qui sis Filius Dei (*Luc.* IV; *Marc.* I), » illa nimirum scientia est, qua reprobi quique scire Dei potentiam compelluntur, cum ejus iræ non valentes resistere, digne pro meritis puniuntur; et quem diligere noluerunt, ut ejus dulcedine fruerentur, velint nolint, asperum sentiunt et torquentur. Unde et illi hujus scientiæ modum videntur non tacere, cum adjungunt : « Quid venisti ante tempus nos torquere? » (*ibid.*) Miserum est igitur scire Deum non gaudendo, sed patiendo quæ diabolo et ejus angelis sunt parata, gloriosum vero scire, ut scriptum est : « Nosse te, justitia est consummata (*Sap.* XV). » Propter quod cherubim *plenitudo scientiæ* interpretantur, quia malis angelis desipientibus et ob hoc ruentibus in profundum æternæ damnationis : isti sapienter inhæserunt divinæ dilectioni, quod est vinculum perfectionis. Pulchra distinctio : malis angelis tantum scientiæ, bonis vero plenæ scientiæ vocabulum assignatur, per quod, in illis abusio, in istis vero rei perfectio de-

signatur. Illi enim abusive scientes appellantur, de quibus Jeremias : « Bene, inquit, facere nescierunt ; Isti autem plenitudine scientiæ gloriantur (*Jer.* IX), » juxta quod per eumdem prophetam Dominus : « In hoc, ait, glorietur, qui gloriatur, scire, et nosse me (*ibid.*). »

CAPITULUM XL.

Quia ergo constat scientiam vel sapientiam clericorum nullam esse, et eam quæ videtur esse aliqua, non prodesse, si non justitiæ adminiculo fulciatur, videndum est, cujusmodi sit hæc justitia, quæ tam necessaria judicatur. Dixi paulo superius, nihil esse justius, quam Creatorem diligi ; unde et ejus dilectio, justitia debet intelligi. Verum quia multi dicunt se diligere Deum, qui tamen ejus nolunt mandatis obedire, et hanc professionem Joannis testimonio, veritati certum est contraire : nescit enim dilectio torpori vel otio deservire, vel quod pejus est, manus suas malis operibus irretire, videndum est cujusmodi vita clericis injungatur, per quam eorum dilectio, vel justitia comprobatur. « A fructibus, inquit, eorum, cognoscetis eos (*Matth.* VI). » Non enim verbis eorum, sed operibus fides est adhibenda, nec vulgaris opinio, sed rei veritas est tenenda. Multa quidem præcepta vivendi, unus Deus, sive sub lege, seu post legem, hominibus misericorditer impertivit, per quæ omnes, qui tamen dociles exstiterunt, suis congrue temporibus erudivit. Quæ præcepta, quamvis multa sint, et diversa, non tamen sibi invicem sunt adversa ; sed sic et diverso generi hominum, et statui temporum assignantur, ut alia et alia, aliis et aliis utiliter injuncta cognoscantur. Alia enim sub lege, alia sub gratia data sunt ; et sub lege alia sacerdotibus et levitis, alia populo ; sub gratia vero, alia clericis, alia laicis injuncta sunt. Sub lege quidem jubet Dominus reddi oculum pro oculo, dentem pro dente, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore (*Exod.* XXI ; *Deut.* XIX). Sub gratia vero : « Si quis, ait, te percusserit in dextram maxillam, præbe ei et alteram (*Matth.* V). » Et iterum : « Non dico tibi, septies, sed usque septuagies septies (*ibid.*). » Sub lege etiam sacerdotibus et levitis multa specialiter injunguntur, quibus cæteri filii Israel nullatenus astringuntur. Jubentur enim tabernaculo ministrare, offerentium hostias altaribus præsentare, novo quodam genere vestium coruscare : et cætera multa, quæ, qui libros Moysi legerit, poterit comprobare, inpræsentiarum autem longum est et superfluum numerare. Reliquis autem filiorum Israel, quæ et leguntur injungi, in quibus eis sacerdotes et levitæ non inveniuntur adjungi, sicut de laboribus suis pleraque munera altari ministrantibus, jubentur impertire, ut de altario vivant, quos constat altario deservire. Denique in dedicatione altaris quod fecit Moyses, cum in die qua unctum est, offerrent munera singuli principes tribuum reliquarum, nil tale obtulisse legitur aliquis princeps levitarum, quoniam qui altaris ministerio fuerant specialiter mancipati, quamvis adhuc sub ænigmate et figura, in dedicatione illius forte, non aurum et argentum, non quævis offerunt peritura. Eapropter et levi, sicut supra dictum est, *assumptus* interpretatur, quia scilicet in ministerio non ejus possessio, sed ipse potius assumatur. Sub gratia vero, apostolis quos constat esse primos et præcipuos clericorum quædam legimus imperata, quæ non sunt turbis inferioribus assignata, quia prædicare et baptizare, absolvere, vel ligare, et cætera hujusmodi, illis, illorumque vicariis sunt injuncta, a quibus longe conditio laicalis est sejuncta. Ipsis autem laicis, quædam e converso sunt agenda, quæ non sunt clericis imponenda : non quod sufficiat clericis minoris privilegium sanctitatis, sed quia hæc humilia transcenderunt ecclesiasticæ **414** fastigio dignitatis. Dicitur quippe hominibus, quos conditio laicalis, quasi cogit sæcularibus negotiis occupari, quibus Deo militans clericus non debet implicari ; dicitur, inquam, ut tributum Cæsari solvant (*Matth.* XXII), cujus imagine denarius informatur, a quo debito liber est clericus, cujus ordo Deo perfectius conformatur. Cum igitur alia clericis, alia populo, tam sub lege quam sub gratia, sicut dictum est, injungantur, certum est, quia minora populo, perfectiora clericis assignantur, ut qui prælati sunt ordinis dignitate, præferantur nihilominus sanctitati ; et sic studeant soli Deo expressius conformari, ut eos tanquam formam regularem possit populus fiducialiter imitari. Unde mihi videtur quod alia sit quodammodo justitia clericorum, alia populi, quia cum populus juste vivere divinitus imperetur, injustum est tamen, si ei clericus vivendo coæquetur. Tantum quippe necesse est, ut justitia clericorum superemineat popularem, quantum ordo ecclesiasticus præcedit sæcularem ; et adeo clericalis sanctitas existere debet meriti singularis, ut ejus comparatione, vita populi, quamvis justa, dicatur sæcularis. Eapropter clerici dicuntur et canonici, id est regulares, quia cum populus per latoria vivendi spatia, quasi licenter evagetur, eadem clericus latitudine refrenata districtioris vitæ regula cohibetur.

CAPITULUM XLI.

Neque enim conceditur, ut vita clericorum, de regula in spatium, more transeat musicorum. Sed tunc harmoniæ cœlesti melodia consonat clericalis, cum in ea non carnis lenocinium stridet, sed continue resonat maturitas spiritalis. Hanc nimirum cantoribus ars musica legem sive licentiam cognoscitur impertire, ut nunc de spatio in regulam, nunc de regula in spatium liceat transilire, quia eos, qui adhuc voluptatibus transitoriis capiuntur, constat sicut sonos varios gratanter audire, sic illos, quos identitas obtinet, non mediocriter fastidire. Cujusmodi licentiam, ut video, conditio popularis sortitur, cui semita vivendi, nunc angustior, nunc spatiosior aperitur, ut, dum ei conceditur in quibusdam spatium propriæ voluntatis, facilius trahi

possit ad regulam quantulæcunque sanctitatis. Si enim semper teneret spatium, incurreret procul dubio mortem, lata enim et spatiosa via ducit ad mortem : et si districtiorem tenere continue regulam cogeretur, bestialis multitudo, intolerabili onere gravaretur. Nonne vobis Paulus apostolus quasi quidam notarius fuisse videtur, qui infirmitati carnalium erudita descriptione medetur ; et nunc eis, quasi gratum spatium indulgere, nunc eosdem ad congruam regulam satagit retorquere? « Propter fornicationem, inquit, unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque suum habeat virum. Vir uxori debitum reddat, et uxor viro. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram (*I Cor.* VII). » Redditio carnalis debiti, voluptuosa quædam est latitudo, quam continentiæ arcem tenere non prævalens, popularis libenter amplectitur multitudo, cujusmodi redditio ob hoc maritali copulæ indulgetur, ne, quod pejus est, rupto prorsus pudoris vinculo fornicetur. « Hoc autem, inquit, secundum indulgentiam dico, non secundum imperium (*ibid.*). » Quia vero ubi indulgentia nominatur, culpa præcedere designatur : revocat eos quasi a spatio in regulam, et monet orationi vacare, ut devotione et fletu, concessum spatium possint aliquatenus refrenare. Vacare quidem orationi, quasi quoddam canticum est regulare, quod consulente Apostolo debent conjuges cantitare; et ab illo ad copulam carnalem, quasi ad notam spatialem non jubentur, sed conceduntur redire, ut hac concessione illecti non præsumant a regula penitus resilire. « Revertimini, inquit, in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. » In eadem longe post Epistola, cum sermo de faciendis eleemosynis haberetur, et ad eas idem Apostolus eosdem Corinthios hortaretur, sic illis tenendam proposuit regulam largitatis, ut tamen eis concederet quasi propriæ spatium voluntatis; non quia illis bonum perfectius invidebat, sed quoniam ad illud obtinendum illos invalidos pervidebat. « De collectis, inquit, quæ fiunt in sanctis, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite per unam Sabbati. Unusquisque vestrum apud se reponat, recondens quod ei bene placuerit (*I Cor.* XVI). « Ac si dicat : Volo quidem ut eleemosynas faciatis, sed tamen non jubeo, ut omnia relinquatis, quia, etsi hoc exigit perfectio sanctitatis, non tamen hoc sustinet vestræ infirmitas voluntatis. De qua re, in alia epistola, ad eosdem Corinthios ait : « Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio (*II Cor.* VIII). » Hoc est dicere : Non quæro, ut quæ vestra sunt, tam larga manu pauperibus impendatis, ut vos ipsos inveniat incommoditas paupertatis; sed sic vestra largitio illorum sit inopiæ supplementum, ut tamen vobis non inferat indigentiæ detrimentum. « Vestra, inquit, abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, **415** ut fiat æqualitas (*ibid.*). » Fit nimirum æqualitas, cum et sanctorum pauperiem vestris largitionibus temperatis, et tamen vos ipsos nullatenus pauperatis ; et illi vobis virtutum suarum merita partiuntur, nec tamen earumdem virtutum pauperiem patiuntur. Sic Paulus apostolus, utpote doctus scriba, de thesauro suo nova et vetera proferebat, dum vitam populi, tam in spatio quam in regula disponebat : monens his quæ justitiæ sunt insistendum, nec tamen præcipiens ab inferioribus desistendum. Verum, quia longe sublimior est conditio clericalis, non sufficit ei justitia hæc generalis ; imo indicitur ei quædam altera specialis, quia spiritalem ordinem nonnisi vita condecet spiritalis. « Vobis, inquit, datum est nosse mysterium regni Dei (*Luc.* VIII) ; » — « animalis autem homo non percipit quæ sunt spiritus Dei (*I. Cor.* II).

Est ergo justitia clericorum, vel potius operatio Justitiæ, et dilectionis eorum, ut de multis duo eligam : Paupertas voluntaria et continentia, quæ duo ita divinarum testimonio Scripturarum clericis specialiter indicuntur, ut nesciam utrum sine his possint veraciter existere, quod dicuntur. Durus sermo, sed plenus veritatis, non satis vere est clericus, quem non ditat thesaurus paupertatis ; cujus lumbos non astringit cinctorium castitatis. Quod utrumque in lege est figuraliter præsignatum, in Evangelio realiter demonstratum, ut nullum possit suffugium clericus invenire, qui talibus noluerit virtutibus obedire.

CAPITULUM XLII.

Nostis quidem Dominum mandasse per Moysen, ut tribus Levi inter fratres suos hæreditatem nequaquam sortiretur, sed primitias et decimas fructuum armentorumque, et gregum primogenita, plebs et reliqua largiretur, ut qui tabernaculi, vel altaris ministerio fuerant mancipati, in multiplicandis vel conservandis possessionibus non essent occupati. Quæ quidem institutio, nonnisi typus quædam est et figura, quæ longe post erat effectum in clericis habitura ; ut in istis realiter impleatur, quod in illis umbraliter præsignatur. Debent enim clerici altario principaliter deservire, et inhiantes soli Deo hæreditatem transitoriam non ambire, sed esse victu, vestituque mediocri sic contenti, ut nihil amplius requirentes, nec etiam propter ista exterioribus plus justo sint intenti. Nil ergo, ut dixi, transitorium appetentes, solum Deum jure debent hæreditario possidere, seque ipsos versa vice Deo hæreditatem placitam exhibere, ut et Deus eorum sit hæreditas singularis, et ipsi Dei hæreditas præclara, præcipua, specialis. Unde Dominus ad Aaron : « In terra, inquit, eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos : ego pars et hæreditas tua (*Num.* XVIII). » Et ad Moysen : « Levitas, inquit, consecrabis, ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei (*Num.* VIII). » Hoc videtur ipsum quoque nomen clerici demonstrare, quia *cleros* Græce, Latine *sors*, id est

hæreditas dicitur resonare, ut qui tali nomine gloriatur, et ipse Dei, et Deus hæreditas illius habeatur. Non igitur æstimo clerico pecuniæ sacculum convenire, nec ejus est ad dilatandas possessionum metas, vel terminos prosilire, ne qui foramen acus debet cursu agili pertransire, divitiarum gibbo præpeditus more cameli cogatur resilire. Unde et Dominus, qui significata legis in Evangelio voluit exhibere (non enim venit legem solvere, sed implere) cum apostolis suis dignitatem prædicandi et officium delegaret, ut eis paupertatis incomparabilem thesaurum commendaret; sic ait: «Nolite portare sacculum (*Matth.* x; *Marc.* III). » Ac si diceret: Vos qui mittimini verba vitæ aliis prædicare, eosque summo studio ad amorem cœlestium invitare: nolo ut tantæ ministerium dignitatis, in aucupium terreni commodi convertatis. Neque enim decet, ut qui alios ad cœlestis regni divitias invitatis, ad recondendum temporalem pecuniam, sacculum deferatis, ne inveniamini verbo aliud commendare, et aliud, quod absit! exemplo demonstrare. Denique nescit auditor sermonem prædicantium acceptare, nisi vitam sermoni viderit concordare. Eapropter, ut eorum sermo commendabilis habeatur, et ad contemptum temporalium alios efficaciter hortaretur: eosdem prædicatores nihil Christus voluit possidere, sed formam paupertatis cæteris exhibere.

CAPITULUM XLIII.

Alibi in eodem Evangelio, cum virtutes præcipuas idem Dominus commendaret, et eas apostolis, virisque apostolicis specialiter assignaret, paupertatem primam ponere voluit, tanquam necessarium et immobile fundamentum, sine quo perfectionis machina sufficiens non accipit incrementum. « Beati, inquit, pauperes, quia vestrum est regnum Dei (*Matth.* v).» Quod autem hujusmodi beatitudo, apostolico, id est clericali ordini specialiter assignetur, ipse evangelista Lucas eleganter signavit, qui hoc dicturum Dominum oculos elevasse in discipulos, signanter memoravit: « Et ipse, inquit, elevatis oculis in discipulos suos dicebat: Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei (*Luc.* VI). » Tanquam diceret: Etsi hujus beatitudinis arcem vel non vult, vel non potest turba hæc apprehendere 416 popularis, quæ sæcularibus concessis in eremo dici meretur sæcularis; vos tamen et velle et posse video, quorum sicut ordo, ita et sanctitas singularis, qui spatiosam viam deserentes, districtionem tenetis viæ et vitæ regularis, unde et ad vivendum eos, oculos depono, quos constat in imo demorari, ad videndum vero vos, oculos elevo; quos in cœlis gaudeo conversari. Hoc significans et Matthæus dicit: « Quia videns turbas Jesus ascendit in montem, et cum sedisset, discipuli ejus ad eum accesserunt, et illic ab eo octo beatitudinum seriem audierunt (*Matth.* v). » In quarum catalogo idem Matthæus primam quoque posuit paupertatem, innuens sine illa perfectam non esse apostolicam sanctitatem, quia voluntaria pauperies, montis quædam est altitudo, quam dignitas jubetur clericalis, non popularis apprehendere multitudo. Ob hoc quippe in numerum apostolorum nullum Christus recepit, nisi qui proprias abjecit facultates, ut ostenderet, quia clericos, quibus imponenda erat ecclesiastica cura, thesaurus decebat paupertatis, non possessio pecuniæ. Hunc thesaurum se invenisse Petrus apostolus gloriatur, et quantus sit fructus, sollicite scisciatur, ut eo audito, non solum merito collætetur, sed ad eum ambiendum, sequaces ejus clericos efficacius adhortetur. «Ecce, inquit, nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Fecimus quod jussisti: quid hæc facientibus promisisti? » (*Luc.* x.) Vides nos terrena omnia relegare: quid pro his possumus exspectare? Et ille: « Vos, ait, qui reliquistis omnia et secuti estis me, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX). » Vos ait, qui injecistis collum voluntariæ vinculo paupertatis, recipietis divitias æternæ libertatis. Vos, qui tam liberaliter estis justitiam operati, non illam popularem, sed vestræ congruam dignitati: cum in sua Filius hominis sederit majestate, sedebitis pariter judicandi accepta potestate: et vestra sanctitas honore debito perfruetur, quia, ut scriptum est « justitia in judicium convertetur (*Psal.* XCIV). » Hæc, fratres mei, justitia qua constat apostolos eorumque vicarios eminere, cum propter Christum in hoc mundo diligunt nil habere, non aurum, non argentum, non caduca reliqua possidere, sed his contemptis libere cœlestibus inhærere: Hæc, inquam, justitia convertetur in judicium, cum in sede majestatis suæ Christus judex omnibus apparebit, et cum eo voluntaria paupertas, non solum homines, sed angelos judicans residebit. Quod enim homines judicatura sit, ipse Christus in Evangelio confirmavit, quod autem angelos Paulus apostolus declaravit. « Vos, ait Christus, qui reliquistis omnia, et secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. » Ecce de hominibus. Et Paulus apostolus: « Nescitis, ait, quia angelos judicabimus? » (*I Cor.* VI.) Ecce de angelis. Hæc judicandi potestas, voluntariæ promittitur et redditur paupertati, quam paupertatem ideo Christus injungere voluit apostolicæ dignitati, ut quos constituebat judices Ecclesiæ temporales, haberet quoque in cœlestibus æternales.

CAPITULUM XLIV.

Si ergo clerici sciunt se habere apostolicam in Ecclesia dignitatem, cum eorum vice ligandi atque solvendi teneant potestatem, sciant sibi quoque, sicut et illis voluntariam paupertatem injungi, quam nisi tenuerint judicantium numero non poterunt jungi. Non enim nisi pauperibus potestas conceditur judicandi, licet multis ex populo divitibus gratia concedatur salvandi. Denique tanta perfectionis est, paupertatisque cognatio, ut sine paupertate perfectionem illam Evangelicam non possit quis habere, quem Christus, apostolicum, id est clericalem ordi-

nem voluit obtinere. Quia enim magnum erat tenere eos apicem ecclesiasticæ dignitatis, voluit ut eorum vita esset perfectæ sanctitatis, ut perfecto ordini vitæ perfectio conveniret, ne propter vitam dissonam erubescens dignitas obmutiret. Quantumvis quippe largus, castus, justus, sanctus quilibet habeatur; perfectus tamen nequaquam judicatur, quandiu proprias divitias habere comprobatur. Quod satis in Evangelio declaratur, ubi tam facto quam verbo, Christus hoc idem protestatur. Cum enim apostolos, quos perfectos volebat exhibere, nihil sibi proprium permitteret retinere, quid aliud tali facto voluit edocere, quam eum perfectum non haberi, qui proprias divitias vult habere? Quidam autem adolescenti quærenti quid faciendo vitam æternam possideret, idem Christus generalia mandata recensuit, et ad vitam sufficienter consequendam hæc illum implere commonuit (*Matth.* XIX). At ille tanquam desiderio suo non sufficerint hæc audita, respondit quod a juventute hæc omnia sibi fuerant custodita. Cui Christus : « Unum, inquit, tibi deest, si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes et da pauperibus; et veni, sequere me (*ibid.*). » Si desideras virtutum generalium aggerem perfectionis gratia cumulare, oportet te omnia quæ habes pauperibus erogare, ut deposita proprietatis sarcina, quæ, etsi non sanctitati, tamen perfectioni non mediocriter adversatur, judiciariam perfectorum sedem tua sanctitas mereatur. Quo audito adolescens tristis, ut scriptum est, recessit; erat enim multas possessiones habens; et qui justitiam tenuerat, quæ tam novis quam veteribus populis generaliter erat indicta, ad illam aspirare non potuit, vel noluit, quæ apostolis virisque apostolicis specialiter est ascripta. Cui cum diceret Christus : « Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes et da pauperibus; satis innotuit hoc dicto, quod a nullo perfectio hujusmodi obtinetur, a quo aliquid proprium retinetur. Hæc nimirum perfectionis regula, hæc formula largitatis Christo in Evangelio prædicante primitus est audita, et ab apostolis nonnullisque eorum successoribus in posterum custodita. Quam enim Christus ea largitate, quæ sua est, generaliter cunctis proposuit, hanc quadam privata charitate, apostolis eorumque vicariis signanter imposuit, ut isti quasi ex præcepto eam tenere compellantur, ne et perfecti ordinis et perfectæ vitæ, quod est inconveniens, habeantur : illi autem super hoc relinquantur latitudini propriæ voluntatis, quos ordo inferior, minoris esse patitur sanctitatis. Enimvero nihil tale cuiquam vel proponi, vel imponi apud litteras veteres invenimus, sed eos licenter habuisse propria comperimus.

CAPITULUM XLV.

Nullus quidem veterum, vel jubetur, vel monetur deponere sæculum proprietatis, et amplecti voluntariæ regulam paupertatis, cum tamen multis in locis commendetur beneficium largitatis, quam producit fons indeficiens divinæ charitatis. Abraham ille sanctissimus, cujus fides et obedientia prædicatur, qui de terra sua, de cognatione sua, de domo patris sui, Domino jubente est egressus, in ipsa peregrinatione sua valde in possessione argenti et auri legitur exstitisse, nec mandatum ut hæc relinqueret accepisse. Joseph ille, cujus castitas commendatur, in Ægypto incomparabiliter est ditatus, et juxta nomen suum divitiis et honoribus augmentatus. Joseph quippe *auctus* interpretatur. Ipsa etiam tribus Levi, quæ inter fratres suos hæreditatem, ut supra dictum est, non sortitur, in medio tamen possessionis, illorum civitates et suburbana earum habuisse invenitur, ut in eis jure proprio moraretur, et ibidem ipsius, vel jumentum, vel pecus aleretur. Sic enim scriptum est : « Accesserunt principes familiarum Levi ad sacerdotem et Josue filium Nun, et dixerunt : Dominus præcepit per manum Moysi, ut darentur nobis urbes ad habitandum; et suburbana earum ad alenda jumenta. Dederuntque filii Israel de possessionibus suis juxta imperium Domini civitates et suburbana earum (*Josue* XXI), et infra : « Itaque universæ civitates Levitarum in medio possessionis filiorum fuerunt quadraginta octo cum suburbanis suis (*ibid.*). » Videtis nec ipsos levitas proprietatis sæculo caruisse, eosque non vitam apostolicam, sed ejus in aliquibus figuram tenuisse. Denique Isaias propheta, cum de largitatis gratia divino doctus spiritu loqueretur, et ad eam auditores satis humiliter hortaretur : non præcepit, nec monuit, ut quis omnia penitus largiretur, sed ex eo quod habet, aliquid indigentibus partiretur. « Frange, inquit, esurienti panem tuum (*Isa.* LVIII). » Qui alteri frangit panem suum, constat eum et illi aliquid impertire, et sibi ipsi aliquid retinere. Quæ nimirum fractio, non reprehensibilis, imo commendabilis judicatur : ita ut Jeremias videns eam non fieri, lamentabiliter conqueratur : « Parvuli, inquit, petierunt panem, et non erat qui frangeret eis (*Thren.* IV). » Cum autem dixisset Isaias : « Frange esurienti panem tuum; » subjecit : « et egenos vagosque induc in domum tuam (*Isa.* LVIII). » Non dixit : Qui habes domum, desere, ut perfectionem evangelicam consequaris, sed qui habes, recipe eos qui non habent, ut salutis præmia merearis. Perfectio quidem evangelica vobis, clerici, qui apostolica sectamini vestigia, debebatur, vobis tantæ sanctitatis privilegium servabatur, ut scilicet quanto cæteris estis pauperiores, tanto essetis perfectionis merito ditiores. Sanctis quippe veteribus, vel retro actis temporibus æterna Dei bonitas non invidit, sed vobis sub gratia constitutis perfectoria providit, nec illos Christus credendus est odisse, sed vos quasi tenerius dilexisse. Vobis igitur aperiens thesaurum profluæ largitatis, larga manu deprompsit beatæ munera paupertatis, ut ejus sarcinam ferentes, pecuniæ sæculum pariter non feratis, sed ipsi qui et servare et tempore congruo novit restituere ferendum committatis.

CAPITULUM XLVI.

Hoc est forte quod sapientissimus ille Salomon sibi videbat, cum Christi erga vos benignitatem profluam prævidebat. Videns enim quanta beneficia vobis specialiter fuerat collaturus : « Sacculum, inquit, pecuniæ secum tulit, in die plenæ lunæ reversurus (*Prov.* VII). » Sacculum pecuniæ secum Christus tulit, cum devicta morte, carnem suam, imo et nostram immortalitate vestitam, ascensione gloriosa in cœlum transportavit; eamque ad Patris dexteram collocavit. Illic tanquam in sacculo vestram clerici, debetis pecuniam congregare, vestrosque sudores et algores fideli sub signaculo commendare, quia ibi non 418 ærugo, non tinea demolitur, non fures effodiunt, nec furantur. Et pulchre non populo, sed apostolis videntibus Christus in cœlum elevatur, ut eis eorumque vicariis principaliter innuatur, quod totum illuc eorum debet desiderium ferri, qui specialiter suum vident sacculum anteferri. In hoc sacculo tanquam in nido turtur ille Davidicus ponit pullos suos, qui a populo non tam locis quam meritis diligit segregari, et platea forali postposita clericalis vitæ angustam solitudinem amplexari. Illic, inquam, turtur, pullos suos in excelso ponit, fovet, animat, et nutrit dum plumescant, ut adulti per auras volent liberas et sæculari gravedine non torpescant. Sicut autem ille nidus hujus turturis non putrescit, sic nec ille clericorum sacculus veterascit, nec eum lædit processu temporis aliqua pertusura, quia in eum pecunia non intromittitur peritura. Eum quippe sacculum immarcescibilis integritas non conservat, in quo avarus inexplebilis mercedes transitorias coacervat. « Qui mercedes, inquit Aggæus, congregavit, misit eas in sacculum pertusum (*Aggæ.* I). » Si ergo in his nundinis aliquas vos clerici mercedes congregatis, videte ut in pertusum sacculum non mittatis, ne quod desuper infundere laboratis rupta perfectionis integritate, quasi per foramen inferius amittatis. Ideo Christus, quibus dixerat : « Nolite portare sacculum, » eisdem infra dixit : « Facite vobis sacculos qui non veterascunt (*Luc.* XII); » ubi scilicet non ærugo, nec tinea, nec fures habent licentiam accedendi, sed omnis depositor certam habet fiduciam, quæ sua sunt rehabendi; ipse enim, cui depositum commendatur, qui sacculum pecuniæ secum tulit, sicut Salomon protestatur : in die lunæ plenæ ad vos est procul dubio reversurus, vestrum vobis depositum multiplicatione centupla redditurus. Per diem lunæ plenæ, novissimum illud judicium videtur designari, in quo membris suis universalis habet Ecclesia consummari, quando omnibus qui salvandi sunt, collectis, perfectum accipit incrementum, nullum deinceps passura detrimentum. De quo plenilunio Joannes in Apocalypsi (*cap.* VI) : « Dictum est, inquit, eis, ut quiescerent tempus adhuc modicum, donec complerentur conservi eorum et fratres eorum. » In hoc plenilunio Christus omnibus visibilis apparebit, de cujus visione chorus fidelium ineffabiliter congaudebit; et hi præcipue qui obedientes Evangelio terrenæ sacculum pecuniæ non tulerunt, sed ipsi Christo fideli redditori usura fecunda crediderunt. Eis ille die illo judiciariam conferet dignitatem, qui in terris propter ipsum voluntariam amplexi sunt paupertatem, quos non pressit et oppressit imperfecta justitia laicalis, sed evexit et provexit perfectio excellentiæ clericalis.

CAPITULUM XLVII.

De qua perfectione Petrus apostolus lætabatur, cum se, nec aurum, nec argentum habere fatebatur : et claudo non conferens subsidia pecuniariæ largitatis, graviora contulit munuscula insperatæ sanitatis. « Argentum, inquit, et aurum non habeo, quod autem habeo hoc tibi do. In nomine Jesu Christi Nazareni; surge et ambula (*Act.* III). » Videtis, qui auri vel argenti sacculum non habebat, quantas de thesauro paupertatis divitias proferebat, ut naturæ legibus fiducialiter imperaret, et ad verbum imperantis claudus exiliens ambularet. Hoc, nec dives ille Cresus, cujus divitias litteræ sæculares extollunt, potuisset conferre, hoc nec potens Alexander, cui mundi pars maxima videbatur deferre, quia his qui diligunt honores et divitias possidere nescit rerum natura obedientiam exhibere. Unde igitur Petro tantæ efficacia largitatis, nisi suæ merito paupertatis, sicut ipse latenter innuere videtur, si quis ejus responsionem paulo diligentius intuetur? Dicturus enim, « quod autem habeo, hoc tibi do, » signanter præmisit, « argentum et aurum non habeo, » ut daret intelligi, quod qui argentum et aurum perfectionis intuitu non habebat, eo merito, curandi gratiam obtinebat, quia religiosam inopiam virtutum copia comitatur, ut quanto quis mundo pauperior, tanto Deo ditior habeatur : dives erat Petrus, et tamen nil habebat, et cum sacculum non haberet, nihil tamen ei deficiebat, quia sic pauperes suos Christus novit beare, ut quominus habuerint eo amplius faciat abundare. Unde in Evangelio, cum Petro cæterisque apostolis loqueretur : « Quando, inquit, misi vos sine sacculo et pera, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt : Nihil (*Luc.* XXII). » Mira res! Nihil habentibus, nihil deest. Quomodo hæc sibi opposita possunt componi, hæc inconvenientia convenire, ut illi inveniantur, et in nullo deficere, et tamen nil habere? Quomodo, inquam, nisi quia eis adest et terrenæ penuria facultatis, et diligendæ gratia paupertatis, ut scilicet nihil habeant et nihil habere cupiant : magisque eos delectet inventa vivendi perfectio, quam auri et argenti peritura possessio? Hæc est et inops abundantia, et abundans inopia, quia cui cum paupertate bene convenit, dives est, et non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. Sic apostolos eorumque vicarios Christus voluit pauperare, sic pauperatos in Ecclesia præ cæteris sublimare, ut idem et in terris essent judices clericalis merito dignitatis, et in cœlo judices 419 voluntariæ mo-

rito paupertatis. Hæc nimirum paupertas patrimonium est clericorum, hæc eorum possessio, hic thesaurus eorum, quo, pro magno munere Novi Testamenti ditati sunt hæredes, qui Christi pauperiem commendantis principales facti sunt cohæredes.

CAPITULUM XLVIII.

Verumtamen quia nemo suis stipendiis militare jubetur, sed militanti sumptus de publico necessarius indulgetur, ne clerici victus corporalis inopia gravarentur, concessum est eis de Ecclesia vivere, cui et præesse et prodesse perhibentur. Eapropter, vel munificentia regum, vel largitione principum, vel quorumvis oblationibus fidelium multa ecclesiis sunt collata, multa jure proprio assignata, ut exinde clericis necessaria ministrentur, ne horum occasione plus justo exterioribus occupentur. Unde satis, ut æstimo, debet inconveniens judicari, quod quibusdam in locis prava consuetudine videmus actitari, ut scilicet nonnulli ignorantes, vel potius contemnentes, tam Novæ Legis quam Veteris instituta, ab eisdem clericis exigant decimas et tributa. Qui enim relinquentes quæ mundi sunt, elegerunt sub clericali titulo conservari, more apostolico servientes Ecclesiæ, fidelium oblationibus sustentari, vel quod est perfectius, victum quærentes labore manuum Paulum apostolum imitari; ad solvendum tributa vel decimas injuste compelluntur, utpote, qui omnia communia, nihil autem proprium habere cognoscuntur. Eapropter Ambrosius Mediolanensis, cum sub figura clerici de Levi mystico loqueretur, imo Deum loquentem introducere videretur, sic ait : « Non alii tributarius, non decimarius; non de possessione munificus. Non ab hoc decimas in fructus, non dona quæro, non munera; ipse mihi pro munere est, ipse pro tributo. Non in possessione sua munificus mihi, sed ipse possessio mihi : ipse meus fructus, ipse meus census. » Gregorius papa cum Augustini Anglorum episcopi quæstionibus responderet, et quomodo ille deberet conversari cum clericis suis communi vita viventibus edoceret, ostendit quia de rebus eorumdem clericorum portiones fieri non debebant, utpote, qui non partem, sed omnia in causis piis et religiosis actibus expendebant. « Communi, ait, vita viventibus haud dubium quin clericis, de quibus loquebatur, jam de faciendis portionibus nobis quid erit loquendum, cum omne quod superest, in causis piis ac religiosis erogandum est (108). » Patet ergo quia clericorum, qui vitam eligunt apostolicam imitari, communes possessiunculæ non debent decimari, imo eis alii oblationes et decimas offerre mandantur, ut vivant de altari, qui vice apostolica ad altaris ministerium ordinantur. Cum autem ecclesiastica beneficia jubeantur clericorum necessitatibus subvenire, non voluptatibus deservire : non est congruum eos illis bestialiter inhiare. Hoc est, non quæ Jesu Christi, sed quæ sua sunt, amare. Quis enim dignum venia duxerit, si de Ecclesia sumat clericus alimoniam temporalem, et in ea profectum non quærat spiritalem, cum in acquirendo Dominus spiritalia jubeant anteponi, asserens temporalia, etiam non quæsita subsequenter apponi? « Primum, ait, quærite regnum Dei; et hæc omnia apponentur vobis (*Matth.* VI). » Debent ergo clerici lanam et lac ovium non sitire, hoc est honores et divitias non ambire, ne per Ezechielem Dominus conqueratur, quod scilicet ab eis non spiritale, sed terrenum commodum requiratur. « Lac, inquit, comedebatis, et lanis operiebamini; gregem autem meum non pascebatis (*Ezech.* XXXIV). » Lac quidem ovium comedere et lanis diligunt operiri, nec tamen pastum debitum eisdem ovibus impertiri, qui reverentia sibi ab illis impensa, plus justo gloriantur, qui earum oblationibus cumulantur, nec tamen eis verbo vel exemplo suffragantur, sed in illis privatas tantum utilitates aucupantur. Cum enim nonnulli clericorum gaudent ecclesiasticis dignitatibus coruscare, multos sibi ex Ecclesia redditus comparare, domum jungere domui, agrum agro copulare : nummos pridem repositos novis superpositis cumulare, protensum aqualiculum exquisitis dapibus impinguare, multacingi familia, pretiosis vestibus emicare : equos multi pretii, multo pretio falerare, aucupii et venationis gratis laboribus insudare, alearum ludibrio manus dubias occupare, cum his et horum similibus diligunt implicari, quis dubitet eos nec suam, nec aliorum salutem talibus studiis operari? Hi nimirum clericatus privati veritate, solius colorantur nominis falsitate. De quibus Jeremias dicit (*cap.* VII) : « Cleri eorum non proderunt eis. » Talibus clericis suus non prodest clericatus, quibus non placet religiosi humilitas famulatus, sed extollit pomposi excellentia dominatus, quos Christo non conformat pauperies religioni familiaris, sed deformat vanitas et proprietas sæcularis. Quæ enim pauperum clericorum debent esse communia, perverso jure sibi faciunt propria, et nulla apud eos æqualitas conservatur, dum pro suo quisque posse, majores divitias amplexatur. Ipsi etiam populo talis clerus profectum non impendit, qui verbo et exemplo docere subditos non intendit, qui amore captus pecuniæ, animarum **420** salutem non attendit, qui terrenis occupatus apprehendere cœlestia non contendit. Talem quippe clerum dum multitudo popularis perpendit, non tam miserando compatitur, quam insultando reprehendit; et dum ejus objectione procaciter se defendit, ad amplius peccandum liberius se extendit. Ideo congrue paupertas clericis specialiter assignatur, quæ mater est virtutum, sicut in Evangelio designatur, ut cum inventi fuerint proprium nil habere, facilius et perfectius virtutes possint reliquas obtinere. Sicut enim divitiæ non mediocre vitiis dant fomentum, sic nimirum paupertas virtutibus incrementum, ut sine illa istarum catalogus non possit adimpleri, quarum perfectio in illius gremio dicitur confoveri. Denique suos Christus clericos doctores

(108) Ex decretis B. Gregorii papæ responsio 2.

et principes sanctæ religionis, non vult commune quid habere cum clericis et sacerdotibus Pharaonis.

CAPITULUM XLIX.

Nostis quod Ægyptii famis angustia perurgente possessiones suas per manum Joseph venderent Pharaoni, et tota Ægyptus subjecta esset illius ditioni : sola terra sacerdotum nihil tale sustinuit, imo libera, ut scriptum est, ab hac conditione fuit : « Emit, inquit, Joseph omnem terram Ægypti vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis, præter terram sacerdotum, quæ a rege tradita fuerat eis, quibus et statuta cibaria ex horreis publicis exhibebantur (*Gen.* XLVII), » et idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas. Videtis quanta diabolo peritia est fallendi, cui juxta quemdam ethnicum, mille artes sunt nocendi, qui eis quos ad seducendum alios vult præferre; terram propriam invenitur conferre, et aliis quæ sua sunt distribuentibus istis singulariter propria non auferre. Sacerdotes Pharaonis fames Ægyptia non premebat, sed ex horreis publicis victus eis necessarius veniebat, nec eorum vendi possessio cogebatur, quia erga eos a Pharaone misericordius agebatur. Cur hæc, nisi ut quanto amplius ab illo relaxari videntur, eorum illi arctioribus vinculis alligentur ? Videbat Pharao quod avari sacerdotes terrenis muneribus delectantur, sapientium quippe oculi, ut scriptum est, muneribus excæcantur (*Exod.* XXIII); et eos quos sciebat, nonnisi transitoriis inhiare, callide larga manu concupitis studuit munerare, ut quanto mollioribus, tanto arctioribus vinculis irretiret, et amore potius quam timore, suo eos obsequio devinciret. Quia enim per hos plebem Ægyptiam tenebrosæ religionis sectam volebat edocere, congruum duxit ipsos doctores falsitatis, præ cæteris sibi amicos exhibere, ut grata familiaritate ipse nequam illos redderet cæteris nequiores, et ad docenda mandata tenebrarum affectu benevolo promptiores. Mira, imo dira hujus astutia Pharaonis, qui suis sacerdotibus hujusce apponit tendiculas factionis, quibus illi sensu perdito gaudent se delectabiliter irretiri, et unde majore detrimento non curant expediri. Econtrario vera et sincera nostri sapientia Salomonis, qui conformat sibi suos evangelicæ speculo jussionis, qui latomos et cæsores quoad ædificandum spirituale templum voluit ordinare, thesauros suos in cœlis monuit collocare, ut nulla eis portio in terris haberetur, sed ipsi Deum singulariter et Deus eos speciaB liter sortiretur. Pharao, qui cœlestia nesciens, apud terrenos solum gaudet facere mansionem, sacerdotibus suis vitalem spiritum intercludens, terrenam concedit portionem, ut dicente justo : « Portio mea in terra viventium (*Psal.* CXLI); » ipse cum suis dicat : Portio mea in terra morientium. Christus vero, qui in terris pauper, exemplo suo pauperiem commendavit, qui ad obtinendum divitias æternales ad cœlos unde venerat, ascensione mirifica remeavit; apostolos eorumque vicarios quos ad prædicandum cæteris suam pauperiem et divitias designavit, visco terrenæ proprietatis absolvens, solum eis cœleste patrimonium assignavit. Clericus ergo, qui terrena vult jure proprio possidere, cum sacerdotibus Pharaonis consortium vult habere; et nostis, C quia Christus et Belial non possunt convenire, et his duobus dominis non potest simul aliquis deservire (*Matth.* VI).

IV.

DE CONTINENTIA CLERICORUM.

CAPITULUM L.

Hæc quæ utcunque de pauperie dicta sunt clericorum, sufficere æstimamus, nunc ad eorum continentiam transeamus. In hac enim sicut et illa, eorum justitiam diximus contineri, et sine ea dici quidem D posse; sed veraciter clericos non haberi. Quia ergo nulli dubium, sicut superius satis superque dictum est, Aaron et filios ejus typum clericorum gessisse, nec veritatem penitus expressisse, nunc quoque ad eos paululum est revertendum, et quid de eis dictum sit, diligenter attendendum. Cum de faciendo eorum habitu Deus ad Moysen loqueretur, et quomodo eos tabernaculo ministrantes induere
421 deberet idem Moyses doceretur; post cætera generalia indumenta, quæ ibi subtiliter ac mystice sunt descripta, linteorum quoque feminalium mentio ad medium est adducta : « Facies, inquit, et feminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ a renibus usque ad femina, et utentur eis Aaron et filii ejus quando ingredientur tabernaculum Testimonii, vel quando appropinquant ad altare ut ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur (*Exod.* XXVIII). Ubi primo quærendum occurrit, utrum filii Israel in consuetudine habuerint feminalibus uti et eis verecunda celare, an cæteris vestibus contenti usum feminalium credendi sint ignorare. Unde quia certum documentum de Scripturis non habemus, et incerta pro certis abrupte affirmare non debemus, restat conjicere, et occultam veritatem conjiciendo rimari, ut eam tandem, vel indubitanter invenire possumus, vel saltem convenienter opinari. Aliquando enim quod manifesta auctoritate non patescit, diligenti inquisitione aliquantulum dilucescit; et vel inquisita rei veritas invenitur, vel ipsa conjectura, vel similitudine invincibiliter communitur. Moyses quidem, qui jubente Domino, filiis Israel legem scripsit, pauca de eorum habitu est locutus, et si multipliciter, quomodo vivere debeant, tamen

quomodo indui debeant, non magnopere est prosecutus. Quibusdam nimirum in locis, quædam eis genera vestium interdicit, alibi vero fimbrias palliis suis intexendas indicit, ut constet eos et carendo, interdictis vestibus præceptis legalibus obedire, et habendo pallia fimbriata obedientiæ nihilhominus deservire. In Levitico: « Veste, inquit, quæ ex duobus texta est non indueris (*Levit.* XIX). » Et in Deuteronomio: « Non induetur, inquit, mulier veste virili; nec vir utetur veste feminea (*Dent.* XXII). » In Numeris: « Faciant, inquit, sibi fimbrias in angulis palliorum; ponentes in eis vittas hyacinthinas (*Num.* XV). » Item in Deuteronomio: « Non indueris, inquit, vestimento, quod ex lana linoque contextum est. Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui (*Dent.* XXII). » Quibus verbis patenter ostenditur eos et pallia ex pristina consuetudine habuisse, et postmodum ex præcepto Domini eisdem palliis fimbrias adjunxisse. Denique et Joseph, quem venditum fuisse in Ægypto, satis omnibus declaratur, usum pallii habuisse Scriptura divina testatur. Cum apprehensa lacinia vestimenti ejus diceret ei Domina sua, dormi mecum: « Relicto, inquit, in manus illius pallio fugit, et egressus est foras (*Gen.* XXXIX). » Eidem quoque Joseph adhuc puero pater suus invenitur tunicam polimitam fecisse, quam ei fratres sui leguntur abstulisse: « Israel, inquit, diligebat Joseph, fecitque ei tunicam polymitam (*Gen.* XXXVII); » et paulo post: « Fratres, ait, nudaverunt eum tunica talari et polymita (*ibid.*). » Ex quo datur intelligi, quod filii Israel, non solum palliis, sed et tunicis induti exstiterunt, quæ utraque non ex præcepto, sed proprio voluntatis arbitrio ante et post Moysen in usu habuerunt. De quibus longo post tempore Michæas propheta dicit: « Desuper tunicam pallium sustulistis (*Mich.* II). » Cæterum de feminalibus nihil me in libris Moysi recolo invenisse, quod scilicet eos illa, vel habere mandaverit vel ostenderit habuisse.

A

B

C

CAPITULUM LI.

Dicunt autem multi et pro vero volunt astruere, quod apud multos antiquorum consuetudo fuerit feminalia non habere, qui utentes clausis vestibus et rotundis conferebant tegumentum, satis, ut putabant sufficiens verecundis. Processu vero temporis, cum haberi cœpit cura diligentior honestatis, visumque est cæteras vestes non posse sufficere ad tegendam ignominiam nuditatis, quia multi revelata nonnunquam carnis turpitudine digno rubore cogebantur perfundi, cœpit usus feminalium longe lateque diffundi. Inde esse æstimo quod beatus ille Benedictus, qui scripsit regulam monachorum, cum vellet eos, non solum utilem sanctitatem, sed et religiosam docere honestatem, præcepit ut monachi qui foras ad agenda Ecclesiæ negotia mitterentur, sumptis de vestiario feminalibus uterentur, ne qui debebant formam dare aliis honestæ sanctitatis, cachinnum incuterent occasione verendæ nuditatis. Quia enim uti feminalibus in illa provincia non erat generalis consuetudo, honestiores forte, vel occupatiores merebantur eis non privata vel ignobilis multitudo; pulchre vir sanctus monuit ut eis monachi exeuntes ad publicum verenda celarent, reversi vero tota vestiaria resignarent, quia et foris major erat necessitas talibus operiri, et in claustro major facilitas satis verecundæ sine talibus custodiri. Quod si usus habuisset omnes viros feminalibus indui, non mandaret, ut videtur, reversis monachis loca illa vestiario restitui. Nostris quoque temporibus in Scotia occidentali omnes feminalibus non utuntur, sed eis tantum milites vel urbani quilibet induuntur: cætera vero turba tegumento contenta est omnium generali, quod ante et retro clausum vel integrum subtus apertum est in ora laterali. Quod quidem aliquando mihi clerici retulerunt, qui de illis egressi partibus, in has discendi gratia devenerunt; et nonnulli de illo populo, qui per nos transeuntes peregre proficiscuntur, feminalia non habere manifestissime **422** cognoscuntur. Nec mirum si usum feminalium in illa provincia generalem non esse credamus, cum in locis nobis vicinioribus longe deteriorem quibusdam inesse consuetudinem cognoscamus. Anno recens, transacto cum fratres nostri pro utilitate Ecclesiæ missi in quasdam partes Flandriæ æstatis tempore devenirent, viderunt plerosque viros non solum feminalibus, sed omni genere vestium, refrigerii gratia denudatos per vicos passim et plateas incedere, propriis operibus nudos insistere; nec ullos occurrentium aspectus revereri, nec majorum suorum legibus cohiberi. Quos cum fratres nostri arguerent, cur incederent tam bestialiter denudati, non est vestrum, responderunt, nostræ leges imponere voluntati. Unde miror, non tam bestialem impudentiam rusticorum, quam reprehensibilem patientiam aliorum: qui illos etsi non lapidibus, sputis saltem non festinant obruere, ne rusticana temeritas humanæ fines verecundiæ præsumat excedere.

D

CAPITULUM LII.

Quid ergo? nunquid æstimandum est filios quoque Israel, uti feminalibus non solere, et tantæ honestati vel impudentiam, vel consuetudinem prævalere? Quis, nisi impudens ita eos fuisse dixerit impudicos, ut obliti humanæ honestatis, non erubuerunt more bestiarum, corporeæ ignominiam nuditatis? Etsi enim longe post, Isaias per plateas civitatis nudus legitur ambulasse (*Isa.* XX), certum est ad hoc eum, non impudentiam, sed obedientiam compulisse, quia exigente Domino dator hilaris, nil molestum, nil verus obediens judicat inhonestum. Cæterum filii Israel nullum tale vel a Domino præceptum, vel a Moyse acceperant documentum; sed sic eos informabat lex illa naturalis, quæ est omnium humanitas viventium naturalis, ut scirent inhonestis partibus corporis circumdari delere vestimentum, ne horrenda nuditas humanæ verecundiæ inferret detrimentum. Quæ autem vestis posset convenientior inveniri, per quam valeret eorum sufficienter nuditas

operiri : præsertim qui, aut nunquam, aut raro vacare poterant otio vel quieti; sed erant ferme semper, vel cura operis, vel difficultate itineris, vel bellorum tumultibus inquieti? Et, ut cætera omittam, quomodo in discrimine belli possent fiducialiter agere, fugare adversarios, fugantibus plerumque cedere: occursantibus congredi, resistentibus audaciter insistere, et exerto capulo cominus bellum committere? Quomodo, inquam, in his et hujusmodi possent viriliter et fiducialiter effrenari, si timerent nativam turpitudinem casu bellico revelari, cum eis intolerabilem pudorem incuteret, non tam relicto equo, vel curru verecunda sui protestatio, quam in ipsa protestatione verecundorum forte nudatio? Sic nimirum, sic se habent vices belli, ut nunc ii, nunc illi insistant fugientibus, cedant instantibus, nunc percussos prosternant, percussi corruant, et corruentibus nunc ita servetur suæ quædam integritas honestatis, ut quasi spontanei descendisse videantur, nunc ita eos inhonestas deturpet, ut caput deorsum, pedes vero desuper habeantur. Cujus audaces impetus non iste casus aliquantulum retardaret, cujus viriles animos non timor revelandæ turpitudinis enervaret, nisi stans in acie fortissimus Israelita sciret, non tam manum gladio, quam verenda feminalibus communita? Ex quo de Ægypto, duce Moyse filii Israel exierunt, usque post mortem Moysi, raro, vel a bello, vel a timore belli vacui exstiterunt. Prius etiam quam de Ægypto exirent, idem Moyses belli gratia in Æthiopiam est profectus, eamque sibi, tam bello, quam sapientia prævalens subjugavit, ubi et Tharbin filiam regis Æthiopum petitioni ejus sapienter consentiens sibi matrimonio copulavit. Quod, etsi in nostris litteris non habetur, quæ scilicet privilegio canonicæ signantur auctoritatis, tamen Josephus Judaicæ scriptor antiquitatis, hujus rei notitiam curavit nobis impertire, in quo et divina pagina videtur aliquantulum consentire. Dicit enim in Numeris (*cap.* XII); quod Aaron et Maria propter Æthiopissam uxorem Moysi contra ipsum Moysen murmuraverunt, quia nonnulli eamdem Tharbin fuisse crediderunt.

CAPITULUM LIII.

Si autem quæritur quando Moyses in Æthiopiam, belli gratia, potuerit proficisci, ibique, tam fortitudine quam sapientia victoriæ titulum adipisci, quantum mihi videtur, antequam occisum Ægyptium absconderet sabulo ultor fraternæ læsionis, et divulgato hoc verbo fugeret in Madian, timore Pharaonis. Etsi enim liber Exodi nativitatem Moysi in Ægypto; et fugam ejus de Ægypto tanta brevitate conjungit, ut parum spatii vel ætatis inter utrumque fuisse videatur, nec possit ibi liquido colligi quod tantæ fortitudini, vel sapientiæ adhuc idoneus haberetur : alibi tamen divina Scriptura manifeste designat quantæ, cum de Ægypto fugeret, esset ætatis, et quia eo tempore non minimæ fuerit probitatis. In Exodo quidem : « Suscepit, inquit, mulier et nutrivit puerum; adultumque tradidit filiæ Pharaonis (*Exod.* II). » Et statim adjungit : « In diebus illis postquam creverat **423** Moyses, egressus ad fratres suos vidit afflictionem eorum et virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis, et percussum Ægyptium absondit sabulo. Et audivit Pharao sermonem hunc, et quærebat occidere Moysen; qui fugiens a conspectu ejus moratus est in terra Madian. « Nihil hic de sapientia Moysi, nihil de bellicis actibus, nihil de ætate aperte distinguit, nisi quia mulier adultum tradidit filiæ Pharaonis. Et in diebus illis, postquam creverat Moyses, percussum Ægyptium, sabulo abscondit (*ibid.*). Post hæc etiam in libris ejus de ætate ejus nihil me recolo invenisse, donec, jubente Domino, reversus de Madian in Ægyptum Pharaoni legitur astitisse. « Erat, inquit, Moyses octoginta annorum, et Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem. » Et cum filios Israel per desertum annis quadraginta duxisset, diemque sui oblitus imminere, sibi revelante Domino persensisset; dixit ad eos : Centum viginti annorum sum hodie, et non possum ultra egredi et ingredi, præsertim cum Dominus dixerit mihi : « Non transibis Jordanum istum (*Deut.* XXXI). » Et quia per id temporis mortuus fuerit, verbis infra sequentibus indicatur, cum liber Deuteronomii tam sibi quam eidem Moysi finem ponens tali clausula terminatur. « Moyses, inquit, centum viginti annorum erat quando mortuus est, etc. » (*Deut.* XXXIV.) Verum in Actibus apostolorum Stephanus (*Act.* VII), protomartyr quantam ætatem in Ægypto Moyses transegerit, certius terminavit; et quia in ea non mediocriter profecerit, pariter intimavit. « Sustulit, inquit, eum filia Pharaonis, et enutrivit eum sibi in filium, et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum : et erat potens in verbis et in operibus suis. Cum autem impleretur ei quadraginta annorum, tempus ascendit in cor ejus, ut visitaret fratres suos Israel filios. Et cum vidisset quemdam injuriam patientem de genere suo, vindicavit illum percusso Ægyptio (*Exod.* II). » Et paulo post : « Fugit, inquit, Moyses, et factus est advena in terra Madian. » Quantum autem in terra Madian sit moratus antequam jubente Domino rediret in Ægyptum, verbis evidentibus consequenter declarat : « Expletis, inquit, quadraginta annis, apparuit ei in deserto montis Sina angelus in igne flammæ rubi; dixit autem illi Deus : Videns vidi afflictionem populi mei, et descendi liberare eos; et nunc veni, et mittam te in Ægyptum. » Sed et tertium quadragenarium, idem Stephanus non tacuit; cum adjungit : « Hunc, inquit, Moysen Deus principem et redemptorem misit, hic eduxit illos, faciens prodigia et signa in terra Ægypti, et in Rubro mari, et in deserto, annis quadraginta. » Sic nimirum in tres quadragenarios invenitur Stephanus ætatem Moysi distinxisse, quorum primum antequam de Ægypto fugeret, eum asserit transegisse. In quo juxta eumdem Stephanum, potens factus est in ver-

bis et in operibus suis, omnique sapientia Ægyptiorum eruditus, et juxta Josephum devicta Æthiopia bellis triumphalibus insignitus. Quomodo autem in terra Madian se habuerit, in qua, secundum ætatis suæ quadragenarium transegit; divina Scriptura non satis evidenter expressit, nisi quia Sephoram filiam Jethro sacerdotis duxit uxorem, de qua et duos filios genuit : et quia pavit oves ejusdem Jethro soceri sui (*Exod.* III). In tertio vero quadragenario, quanto timore et labore filios Israel eductos de Ægypto, per mare Rubrum traduxerit, quanta in deserto bellorum occurrentium adversa pertulerit, quanta fortitudine, et prudentia victoriæ compos exstiterit : historiæ textus diligenter insinuat, qui bella bellis, timores timoribus frequenter continuat : raro quidem, sive junior, sive senior ab inquietudine bellica cessasse comprobatur, nisi forte cum in terra Madian oves Jethro soceri sui pavisse memoratur. Iste ergo Moyses, qui tanto usu belli attritus, mira sapientia fuerat eruditus, non est credendum, ut in suo, vel suorum habitu quidquam permiserit indecens latitare, quod eorum posset virilem audaciam infirmare, ne quos ad amorem victoriæ vigor impellebat nativus, turpiter revocaret timor ille furtivus. Quem timorem, qui noscitur de absentia feminalium provenire, non tam viris quam forte mulieribus æstimo convenire, quas ad agenda exteriora negotia sexus infirmior cognoscitur impedire, et in domesticis, privatisque operibus potest facilius vestis reliqua custodire.

CAPITULUM LIV.

Verumtamen, ut audacius loquar, nec illas Amazones æstimo feminalibus caruisse ; quæ, relicta quiete, quam eis videbatur natura muliebris contulisse, ad arcus et pharetras, peltas et gladios prorumpebant, et animo virili fortiter adversariis imminebant. Ut autem equis et curribus possent facilius insilire, et inde iterum expeditius desilire ; peltas, id est scuta rotunda agilius circumferendo se munire, et in hostes dandos, jaculum fortius intorquere, mamillas suas astringebant fascia pectorali, ne licenter effluerent mollitie naturali. Unde Dominus, cum per Jeremiam populum suum argueret oblivionis : « Nunquid, ait, obliviscitur virgo ornamenti sui, et sponsa fasciæ pectoralis suæ? Populus **424** vero meus oblitus est mei (*Jer.* II). » Et per Isaiam cum filiabus Sion minaretur inferre supplicium : « Et erit, inquit, pro fascia pectorali cilicium (*Isa.* III). » Aiunt vero quidam, quod istæ Amazones in bello sic una de mamillis suis pectorali fascia constringebant, ut alteram liberam redderent, et eamdem nudam exponerent, ut hostes suos, non solum armis viriliter conquassarent, sed eosdem nuditatis suæ captos illecebris muliebriter enervarent, unde insignis ille poeta, cum de Penthesilea earum regina loqueretur, sic ait :

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet.
Aurea subnectens exertæ cingula mammæ
VIRGIL.

A Unam quidem mammam Penthesilea aureo cingulo comprimebat, et alteram exerebat, ut ab una beneficio cinguli sese, ut dictum est, expediret, et per alteram, adversarium irretiret. Istæ ergo Amazones, regina quarum Penthesilea fuit, quibus cum Danais grave et diutinum bellum fuit, cum assiduo bellandi exercitio laborarent, et ad id viriliter et honeste agendum, modis congruis se aptarent, quantum æstimo feminalibus non carebant, ne fugientes in bello darent hostibus, non tam spem triumphandi, quam corruentes materiam insultandi. Nostris quoque temporibus in quibusdam terræ partibus mulieres dicuntur feminalibus uti, etsi non omnes, tamen nobiliores, quæ sejunctæ a conditione populari frequentius vehuntur equis, et laborant inquietudine
B militari. Quas, etsi non vidi, ab eis tamen qui viderunt certum esse cognovi. Si ergo mulieribus tanta cura est honestatis, ut feminalibus utantur, tegendæ gratia nuditatis : quis credat quod filii Israel tempore Moysi tanta vel impudentia, vel imperitia laborarent, ut tantis occupati negotiis, verenda feminalibus non velarent? si autem feminalia credendi sunt habuisse, sicut rei convenientia credendum insinuat; quid sibi vult, quod Aaron et filii ejus in ministerio tabernaculi et altaris feminalia signanter jubentur habere, ut operiant carnem turpitudinis suæ : cum etiam non jussi, operirent eam feminalibus, juxta consuetudinem gentis suæ? An reliquæ omnes tribus feminalia credendæ sunt habuisse : sola vero eis tribus Levitica caruisse? an potius cum altari ministran-
C tes novo quodam genere vestium induuntur, nova quoque feminalia cæteris adjunguntur, ut vetera non solum reliqua vestimenta, sed et feminalia deponantur, et nova, tam feminalia, quam cætera pariter assumantur? Neque enim conveniens erat, ut cum in exterioribus grata quædam et mystica novitas emineret, ne minister sacris altaribus præsentatus, esset tanquam paries dealbatus. Novis ergo feminalibus byssinis, quemadmodum et tunica byssina sacerdos jubetur adornari, quando ministrat tabernaculo vel altari, ut hoc habitu, non solum nuditati suæ conferat tegumentum; sed et induentibus innuat sacramentum. Quia vero quid singula
D significent indumenta, non est nostri, vel otii, vel propositi demonstrare, hic saltem quod proposuimus, utcunque conabimur, explicare, quid videlicet feminalia byssina signare, quæ sermo divinus altari ministrantibus, tam signanter voluit assignare.

CAPITULUM LV.

Nostis quia feminalia partes illas corporis vestiunt et astringunt, per quas humana generatio propagatur, per quas vir uxori carnali commercio copulatur, per quas, ut paulo inverecundius dicam, pruritus libidinis consummatur, major qua nulla esse voluptas corporis comprobatur. In feminalibus ergo continentia designatur, per quam hujus expletio voluptatis omnimodo relegatur, per quam concubitus, non solum adulterinus, vel fornicarius coerceatur, sed

etiam maritalis, qui remedii vel prolis gratia conjugibus indulgetur. Quasi enim feminalia videtur non habere, qui talibus invenitur officiis indulgere, qui a tali copula se non studet cohibere, nec contactum muliebrem a se penitus removere : « Bonum est, inquit Apostolus, mulierem non tangere (*I Cor.* VII). » Pulchre ergo divinus ea sermo altari ministrantibus asseruit specialiter convenire, ut eis studeant carnis suæ turpitudinem operire, ne inveniantur mores ab officio dissentire, si quis sine illis altari præsumpserit deservire. Neque enim debet ministerium sibi altaris assumere, qui cæteris virtutibus continentiam non studet adjungere, quia sicut nonnisi sanctus debet altario famulari, sic ad famulandum nonnisi continens potest sanctificari. Mirum ergo fortasse videbitur, cur Aaron et filii ejus ad serviendum altari sanctificati legantur, cum hujusmodi continentiam nullatenus habuisse cognoscantur. Qui enim uxores et liberos successione continua ad adventum Christi habuerunt : constat quia hujusmodi continentiæ operam non dederunt. Sed sciendum quod illi vitam clericorum, ut supra dictum est, non realiter expresserunt, sed figuris et ænigmatibus præsignarunt, ut in illis umbra esset pro tempore transitura, in istis autem veritas permansura. « Omnia, inquit Apostolus, in figura contingebant illis : scripta sunt autem propter nos (*I Cor.* X). » Vestes igitur eorum, virtutes **425** significant clericorum, sine quibus non sanctificantur qui altari vel tabernaculo famulantur. Unde scriptum est : « Faciat vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi. Hæc autem, inquit, erunt vestimenta quæ faciet (*Exod.* XXVIII). » Et enumeratis quibusdam vestibus, quibus tam Aaron quam filii ejus erant induendi, subjunxit : « Vestiesque his omnibus Aaron fratrem tuum, et filios ejus cum eo, sanctificabisque illos, ut sacerdotio fungantur mihi (*ibid.*). » Et statim adjungit de feminalibus, quod superius positum est : « Facies et feminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ, ne iniquitatis rei moriantur (*ibid.*). » Quod autem hic non additur : « Vestiesque his Aaron et filios ejus, sicut antea de cæteris vestibus dictum est, quibusdam videtur diligentius esse attendendum, tanquam sine causa non fuerit prætermissum. In quibusdam etiam aliis locis ubi Moyses, vel jubetur vel obedit vestire Aaron et filios ejus, cum sacræ vestes in medium proferuntur, non tamen inter eas feminalia nominantur ; tanquam, vel a sacrarum vestium numero secernantur, vel ab ipso Moyse Aaron et filii ejus nequaquam feminalibus indui jubeantur. Dicitur in Exodo ad Moysen : « Cumque laveris patrem cum filiis aqua, indues Aaron vestimentis suis, id est linea tunica superhumerali et rationali, quod constringes balteo, et pones thiaram in capite ejus, et laminam sanctam super thiaram. Filiosque quoque illius applicabis et indues tunicis lineis, cingesque balteo, Aaron scilicet et liberos ejus, et impones eis mitras, eruntque sacerdotes mei religione perpetua (*Exod.* XXIX). » Nihil de feminalibus præcipitur. Item in Levitico : « Statimque obtulit Moyses Aaron et filios ejus. Cumque lavisset eos, vestivit pontificem subucula linea, accingens cum balteo, et induens tunica hyacinthina, et desuper humerale imposuit, quod astringens cingulo aptavit rationali. Cidari quoque texit caput, et super eum contra frontem posuit laminam auream. Filios quoque ejus oblatos vestivit tunicis lineis, et cinxit balteo, imposuitque mitras ut jusserat Dominus (*Levit.* VIII). » Nihil hic quoque de feminalibus adjungitur. Ex quo, ut quidam volunt, datur intelligi, quia lex divina per Moysen figuratur. Lex enim, quæ per Moysen data est, ministris altaris continentiam non imponit, sed eam tantummodo assumendam proponit, ut scilicet, quam sit commendabilis, quam tenenda, quam conveniens sacerdotibus continentia lex doceat, et hoc est quod Moysi dicitur : « Facies feminalia, » isti vero non ex imperio, sed affectu spontaneo eam sibi assumant, et hoc est quod dicitur : « Operiant carnem turpitudinis suæ (*Exod.* XXVIII). » Moysi est, inquiunt, feminalia facere, hoc est continentiam edocere, istorum vero et non Moysi, carnis suæ turpitudinem operire. Cæterum, quantum mihi videtur, ex multis ejusdem Scripturæ locis, potest facile comprobari, quod eos qui altari serviunt, oporiet feminalibus coarctari, nec vestes cæteræ sufficiens eis conferunt ornamentum, nisi etiam feminalibus speciale impendant feminalia tegumentum.

CAPITULUM LVI.

Certum est quidem quod Moyses Aaron et filios ejus vestesque eorum jubetur consecrare. Ne vel non consecratus vel sine vestibus consecratis quis eorum præsumat ministrare. Dicitur in Exodo : « Cum tuleris de sanguine qui est super altare et de oleo unctionis, asperges Aaron et vestes ejus, filios et vestimenta eorum, consecratisque et ipsis et vestibus tolles adipem de ariete, » etc. (*Exod.* XXIX.) His autem sanctis vestibus idem Moyses ipsum Aaron et filios ejus induere præcipitur, sicut inferius in eadem Exodo legitur : « Applicabis, inquit, Aaron et filios ejus ad fores tabernaculi testimonii et lotos aqua indues sacris vestibus ut ministrent mihi (*Exod.* XL). » Si quis autem putaverit inter eas vestes, quas Moyses consecrare et quibus Aaron et filios ejus jubetur induere, non debere feminalia computari, inveniet, si requirat, divinam Scripturam sibi aperte adversari : « Ecce, inquit Dominus, vocavi ex nomine Beseleel filium Huri, dedique ei socium Ooliab filium Achisamech, et in corde omnis eruditi posui sapientiam ut faciant vestes sanctas in ministerio Aaron et filiis ejus (*Exod.* XXXI). » Quæ autem sint istæ vestes, sequentia declarant. « Fecerunt, inquit, Beseleel scilicet et Ooliab tunicas byssinas opere textili Aaron et filiis ejus, et mitras cum coronulis suis ex bysso ; feminalia quoque linea byssina, cingulum vero de bysso retorta, » etc. (*Exod.* XIX.) Ecce inter vestes sanctas aperte feminalia computantur ; et in Levitico sancta multo apertius nominantur. « Loquere, ait, ad Aaron fratrem tuum, ne

omni tempore ingrediatur sanctuarium quod est intra velum, ne moriatur, nisi hæc ante fecerit : Tunica linea vestietur, feminalibus lineis verecunda celabit, accingetur zona linea ; cidarim lineam imponet capiti. Hæc enim vestimenta sunt sancta, quibus cunctis cum lotus fuerit, induetur (*Levit.* XVI). » Videtis quia et feminalia sancta dicuntur, et eis ministri altaris cum loti fuerint induuntur. Sed a quo vel lavantur vel loti induuntur? Ab illo utique cui dicitur : Cumque laveris patrem cum filiis aqua, indues Aaron vestimentis suis. Et iterum : « Applicabis Aaron et filios ejus ad fores tabernaculi : et lotos aqua indues **426** sanctis vestibus. » Ergo luce clarius est, nec ulla auctoritas reluctatur quod continentia, quæ per feminalia designatur, Moyses, id est lex divina non solum commendare, sed et ministrantibus altare voluit imperare, ut procul dubio transgressores habeantur mandati, si ministrantes non dederint operam castitati. Hujusmodi autem continentia forte non injungitur homini sed ordini, ut scilicet non quicunque homo est, continere necessario jubeatur, sed qui ad altaris ministerium sacris ordinibus sublimatur. Cuivis enim homini conceditur remedium conjugale, sed hanc concessionem fastigium supergreditur clericale. Adeo quippe ministerio altaris continentia comes individua deputatur ut sine ea reus iniquitatis minister moriatur, sicut paulo ante audistis : « Loquere, ait, ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium ut non moriatur, nisi hæc ante fecerit : tunica linea vestietur; feminalibus lineis verecunda celabit. » Et iterum : « Facies et feminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ, ne iniquitatis rei moriantur. » Constat ergo quia illis ex præcepto legis injungitur, quod contemptum morte punitur. Quod autem dictum est : « Operiant carnem turpitudinis suæ, » prompta eorum voluntas mihi videtur designari, quæ divino imperio debet cooperari, ut scilicet continentiæ jugum festinet amplexari, nec imposito, cervice tumida reluctari. Sic nimirum et Moyses nos induit, et nos ipsi nostram turpitudinem operimus, cum ille docet et præcipit, et nos cooperando illius præceptis obedimus. Neque enim jugum ejus in angaria, quemadmodum crucem Simon ille Cyrenæus, vel suscipere vel portare, sed offerenti cum gaudio debemus occursare, ut quod illius beneficium est imponendo, nostrum fiat meritum assumendo. Denique bovi mansueto jugum arator imponit, et eidem jugo bos alacer et bene domitus spontaneam cervicem supponit. Quasi bovi arator dicit : « Tollite jugum meum super vos, jugum enim meum suave est (*Matth.* XI). » Et bos illi : « Legem pone mihi, domine, in via tua, et dirige me in semitam rectam (*Psal.* CXVIII). »

A nec utile esse potest, si sine continentia præsumatur. « Præcipe, inquit, Aaron et filiis ejus : Hæc est lex holocausti : cremabitur in altari tota nocte usque mane : ignis ex eodem altari erit. Vestietur sacerdos tunica et feminalibus lineis (*Lev.* VI). » Videtis, Aaron et filiis ejus a Moyse, imo a Domino præceptum constitui, ut feminalibus vestiantur, aliquin contra legem holocausti facere comprobantur. Lex, sicut Apostolus ad Hebræos scribit : « Umbram habet futurorum bonorum (*Hebr.* X), » id est quæ sub legis titulo litteraliter continentur, ea significant quæ tempore gratiæ spiritaliter exhibentur. Quod ergo de sacrificio dicitur holocausti, figurate debet intelligi : holocaustum est, cum de hostia immolata ad vescendum nihil relinquitur, sed in altari cœlitus B igne misso tota consumitur. Sacerdos invitat populum ad immolandum holocaustum, cum ei vitæ perfectioris commendat fastigium, ut eos qui capere possunt, sermone congruo ad illud studeat excitare, et eos qui jam cœperunt, ut in proposito permaneant, confortare. Est enim etiam in populo eos aliquoties invenire, qui arctiora vivendi monita non recusent audire, qui majorum exhortationibus inflammati, curis carnalibus desinant deservire, et meliora æmulando charismata, mandatis spiritalibus gaudeant obedire. Ii per manum Aaron holocaustum Deo videntur allegare, cum doctrina illius et ministerio, ea quæ mundi sunt, perfectionis intuitu, diligunt relegare. Quomodo autem quivis doctor potest hujus perfectionis regulam edocere, C nisi formam se ipsum studeat exhibere, nisi inter cætera continentiam tenere cognoscatur, sine qua vivendi perfectio nullatenus consummatur? Pulchre ergo cum lex holocausti describitur, feminalibus indui sacerdos præcipitur, ne qui perfecta aliorum opera offerre Deo et commendare divinitus imperatur, imperfectionis suæ obstaculo repelli mereatur. Perfectionem quippe quam vir popularis offert gratuito, sacerdos offerre jubetur ex debito, quia, cum ad sacrum altaris ministerium ordinatur, vivendi perfectio ei comes individua deputatur. Quod bene in eodem Levitico (*cap.* VI) sermo consequens innuit, qui omne sacrificium sacerdotum holocaustum fieri debere instituit, jubens ut ad vescendum ex eo nihil penitus relinquatur, sed totum igne, sicut D paulo ante dictum est, consumatur. Nunquam hoc populo videtur sermo divinus imperare, ut nonnisi holocaustum debeat immolare, cum multa ei sacrificiorum genera concedantur, quibus, si peccaverint, Deum sibi placare mereantur. Solis autem Aaron et filiis ejus solum injungitur holocaustum, ut nihil carnale, nihil sapiant imperfectum : nihil sibi voluptuosum præsumant retinere, sed se totos igni divino studeant exhibere. « Hæc est, inquit, oblatio Aaron et filiorum ejus, quam offerre debent Domino in die unctionis suæ (*ibid.*). » Unctio ista ordinatio est clericorum, qua per **427** impositionem manus, Domino consecrantur, et ad peragendum altaris ministerium, et tractandum sacrum mysterium spiritali gratia perun-

CAPITULUM LVII.

Si autem cum ministerio altaris assumere continentiam recusamus, idem ministerium necesse est deponamus : imo illud assumere nullatenus præsumamus, quia nec deponi potest, si semel assumatur,

guntur. De qua Paulus Timotheo, quem ordinaverat, loquens : « Noli, inquit, negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii (*I Tim.* IV). » Et in alia Epistola ad eumdem : « Admoneo, inquit, te, ut resuscites gratiam, quæ est in te, per impositionem manuum mearum (*II Tim.* I). » Quæ est igitur oblatio, quam Aaron et filii ejus in hac unctione, in hac sua consecratione Domino jubentur offerre? « Decimam, inquit, partem ephi similæ in sacrificio sempiterno (*Num.* XXVIII). » Simila vel similago panis est tener et purus, et delicatus, per quem lex quæ per Moysen data est figuratur, de qua Paulus : « Lex, inquit, sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum (*Rom.* VII) ; » et iterum : « Scimus, ait, quia lex bona est (*ibid.*). » Hanc legem minister altaris de qua unctus est, offerre jubetur, et ne ab offerendo die se crastina liberum arbitretur ; quandiu eam offerre debeat, diligentius edocetur. « In sacrificio, inquit, sempiterno. » Mirum quomodo illi Aaron significativo possit hæc determinatio convenire, ut in die unctionis suæ sacrificium debeat sempiternum offerre, cum nec illa unctio, nec legalis oblatio sempiternum habuerit statum, sed veniente Sancto sanctorum cessaverit unctio Judæorum, et jam, non templum, non altare, non sacerdotium, non sacrificium certum sit eisdem Judæis remansisse, sed hæc omnia terminum accepisse. Nostris itaque clericis sempiternum sacrificium verius assignatur, quod usque in finem sæculi nullatenus terminatur; tunc vero nullum alium invenit finem, quam de quo scriptum est : « Omnis consummationis vidi finem (*Psal.* CVIII), » et pro quo multi psalmi titulantur : In finem.

CAPITULUM LVIII.

Sed quo ordine hujusmodi sacrificium a clericis debet offerri? « Medium, inquit, ejus mane, et medium ejus vespere (*Levit.* VI). » Habet lex duo media, id est duplicem intellectum, litteralem scilicet et spiritalem, quorum litteralem mane, spiritalem vespere debemus offerre. Mane, illud est tempus, quo eadem lex data est usque ad adventum Christi, quando scilicet per observantias et cæremonias carnales, quamdam cognitionem Dei rudem et novam Judæis ipsa lex dicitur infudisse, et ab eis ignorantiæ tenebras aliquantulum removisse. Unde et David : « Notus in Judæa Deus (*Psal.* LXXV). » Vespera est ab adventu Christi usque in finem; quando sensus legis mysticus, nobis plenius denudatur, quando Christi cognitio non inchoata, sed quasi consummata declaratur, quia non adhuc venturus, sed jam venisse prædicatur, et jam non per vitulum, arietem, ovem, capram, turturem et columbam adhuc dormitantibus umbraliter dilucescit, sed per corpus proprium jam pridem vigilantibus realiter innotescit. De illo mane dicit Apostolus : « Omnia in figura contingebant illis (*I Cor.* X) ; » et de vespere subjungit : « Scripta sunt autem propter nos, in quos finis sæculorum devenit (*ibid.*). » In illo mane filiis Israel Moysi facies est velata, et Sancta sanctorum oppanso velamine consignata : in hoc vespere, revelata facie gloriam Domini speculantes transformamur a gloria in gloriam tanquam a Domini spiritu. Mane itaque, medium legis offeramus, id est litteralem ejus intellectum illius temporis hominibus concedamus : sciamus illis carnalia sacrificia convenire, eos licenter curis carnalibus inservire. Sic enim quasi legis medium offerre videmur cum quando, et quibus injunctum sit, diligentius intuemur, scientes inobedientiæ arguendos non eos, quo tunc temporis legem spiritaliter non tenuerunt, sed qui eam litteraliter tenere noluerunt, vel forte propter scrupulositatem suam nullatenus potuerunt. Vespere vero alterum legis medium debemus offerre, id est spiritalem ejus intellectum novæ gratiæ clericis assignare, ut perfectionem, quam oblatio Aaron et filiorum ejus insinuat figurate : isti ex quo sacris ordinibus perunguntur, rei teneant veritate. Nam si clericus legi carnaliter adhærendo Aaron se et filiis ejus vult conferre, utrumque legis medium vespere, contra præceptum vult offerre, cum alterum mane, alterum vespere sit potius offerendum, et utrumque certo ordine distinguendum, neque enim illis vel hominibus vel temporibus sensus indicitur spiritalis, neque nobis e regione superficies litteralis, sed cuique tempori proprium medium assignatur, ut tunc licite littera; nunc vero spiritus necessario teneatur. Igitur Aaron et filii ejus materialem vitulum, arietem, ovem, capram immolent, sicut eis legis littera præcepit immolare : nostri vero clerici corpus Christi et sanguinem, sicut idem Christus voluit imperare. « Hoc facite, inquit, in meam commemorationem (*Luc.* XXII). » Illi in sacrificio temporali figurate feminalibus lineis vestiantur : isti in sacrificio sempiterno sancta et honesta continentia præcingantur. Hanc enim eis præcipue sermo divinus injungit, cum de Aaron sacerdotis prædictos oblatione subjungit : « Quæ in sartagine oleo conspersa frigetur (*Lev.* VI). » In sartagine veraciter oblatio frigitur clericorum, cum fervore castitatis compescunt fluxos pruritus lumborum, ut, cum evagandi genuinus movetur affectus, nullus ei omnino **428** concedatur effectus. In sartagine frigitur clericus, cum a se contactus molles et lascivos penitus alienat, cum intra claustra continentiæ libidinis incentiva refrenat, cum carnem suam cauterio castitatis adurit, cum sufficienter ejus impetus vitiosos exurit. Nihil quippe magis indecens, quam cum qui tam pro se, quam pro cæteris assistit altari; in locis humentibus et cœno luxuriæ volutari, quia, sicut in altari, semper ignis divinus jubetur ardere, sic ejusdem altari minister igne sacro debet carnis lasciviam cohibere. Hæc oblatio, hæc frixura non mediocriter commendatur si tamen, ut lex præcipit, oleo conspergatur. « In sartagine, inquit, oleo conspersa frigetur. » Oleum *misericordiam* signat, quia *olcion* Græce, *misericordia* est Latine, et cum quis appetit alicujus curare infirmitatem, primo compassionis misericorditer infundit lenitatem. De qua Apostolus :

« Si præoccupatus, inquit, fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis instruite hujusmodi in spiritu lenitatis (*Gal.* VI). » Prima autem et præcipua misericordia est, qua sibi ipsi quilibet misereatur, et Deo vero placere promeretur, juxta illud cujusdam sapientis : « Miserere animæ tuæ, placens Deo (*Eccli.* XXX). » Et alius sapiens : « Bene facit animæ suæ vir misericors (*Prov.* XI). Qui enim sibi nequam, cui bonus poterit inveniri? cum a se ipso quisquis debeat texturam bonitatis ordiri? Proinde necesse est ut frixura oleo conspergatur, id est intentione placendi Deo continentiam clericus amplectatur; et ex eo quod carnales viriliter enervat affectus, non temporales, sed spiritales quærat invenire profectus. Alioquin frixura nimis arida, nimis insipida, et prorsus inutilis invenitur, si hujus oleo misericordiæ non conditur. Plures quidem ethnici inveniuntur continentiam habuisse, sed quia non per hanc Deo vero placere studuerunt, digno fructu continentiæ caruerunt. Perfecta est igitur oblatio clericorum, cum spiritalem sensum legis satagunt adimplere, cum propter Deum diligunt continere, cum carnis lascivos appetitus igne divino diligunt concremare, et nihil sibi ex eis proprium assignare. Eapropter sermo divinus de oblatione Aaron sic concludit : « Omne sacrificium sacerdotum holocaustum erit (*Levit.* VI). » In his verbis si remota superficie litteræ sensus attenditur spiritalis, nulla his, qui sacris funguntur ordinibus copula relinquitur conjugalis : nec permittitur tanta corporis voluptas assumi, ubi omne sacrificium fieri holocaustum, id est totum igne jubetur consumi.

CAPITULUM LIX.

Nec moveat quod in eodem Levitico longe infra de pontifice dicitur : « Virginem accipiet uxorem (*Lev.* XXI); et apud Ezechielem de sacerdotibus : « Viduam, inquit, et repudiatam non accipient uxorem, sed virginem de semine Israel (*Ezech.* XLIV). » Si hæc verba ad litteram noster sacerdos velit accipere, sciat se debitorem universæ quoque legis faciendæ, ut scilicet vitulum quoque, et arietem vel cætera hujusmodi materialiter debeat immolare, et omnia quæ lege mandata sunt litteraliter observare. Verum quia sicut Apostolus ait : « Lex spiritalis est (*Rom.* VII); » necesse est hoc spiritaliter accipiatur, ut virgo quam sacerdos uxorem jubetur accipere, illa intelligatur, de qua Apostolus ait : « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo (*II Cor.* XI). Ecclesia quippe virgo est, quia integritatem fidei suæ non substernit corruptori diabolo; et mater est, quia spiritales filios generat Christo. Hanc sacerdos noster sibi uxorem debet accipere, hanc semine verbi Dei spiritaliter fecundare, de hac in nomine fratris defuncti, id est Christi filios generare. Ad hoc idem Christus apostolos ordinavit, informavit, suosque reliquit successores, ut ad multiplicandum fideles Ecclesiæ populos, solliciti ejus fierent adjutores. Unde Paulus : « Dei, inquit, sumus adjutores (*I Cor.* III). » Qualis autem vitæ eosdem apostolos Christus esse voluerit; non tam loquendo imperare, qua vivendo voluit demonstrare, ut ejus doctrina sine omni scrupulo commendabilis haberetur, quæ non tam de facilitate verborum, quam de gravitate morum procedere videretur. Hanc igitur de qua loquimur continentiam, tanta in se ipso integritate Christus voluit consignari, ut nulla eam vel macula, vel suspicione maculæ sineret violari: tam integrum hujusce castitatis servavit ornamentum, ut nullum ei ex parte aliqua inferre detrimentum. Denique et in ea de qua natus est Virgine, eadem continentia resplendivit, quæ sicut continens ante partum, sic mansit et post partum : nec illi data castitas fecunditati, nec fecunditas præjudicium intulit castitati. Carnem quippe humanam Christus cum in utero sumeret virginali sponsam sibi copulavit Ecclesiam in thalamo nuptiali, et nec matri abstulit integritatem cum de ea nasceretur; nec Sponsæ minuit castitatem cum ei jungeretur. Ex quo satis innuitur, quia eos quos ad regendum et instruendum eamdem Ecclesiam vice sua voluit sublimari, et ad generandum spiritales filios ordinari, sibi quoque vivendo voluit conformari, ut ex quo ad tam sanctum officium aspirarent, carnales a se complexus omnino **429** relegarent, et solius Ecclesiæ fecundandis profectibus incubarent. Non enim congruum duxit ut duas uxores, carnalem scilicet, et ad placendum utrique divisum tempus eligeret; sed totum ejus studium ad serviendum et placendum Ecclesiæ voluit applicari, non carnalis Sponsæ carnalibus illecebris implicari. Proinde cum discipulos eligeret, nullum in gradu apostolico manere voluit uxoratum, nullum carnalis copulæ vinculis occupatum; sed sicut eos qui nondum uxores acceperant non permisit postmodum nuptiis alligari, sic eos qui acceperant, ab eisdem voluit vinculis relaxari. Quod bene in Evangelio ostenditur, cum Petrus tam se quam compostolos suos asserit omnia reliquisse : inter quæ omnia ipse Christus invenitur nominatim uxorem posuisse. « Ecce, inquit Petrus, nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? » (*Matth.* XIX.) — « Jesus autem dixit eis : « Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet (*Matth.* X). » Videtis quia is qui omnia reliquit, nequaquam sibi uxorem retinuit, sed qui forte hujusmodi erat vinculis obvolutus, cum ad apostolatum accederet, ab eis penitus est solutus, alioquin Petrus, vel quilibet cæterorum, non omnia reliquisset : si uxorem quæ inter cætera carnalia plus delectat, et inter relinquenda ponitur, retinere voluisset.

CAPITULUM LX.

Quod etiam apud Lucam eleganter signatur, ubi perfectionis regula eisdem apostolis imperatur : « Vendite, ait, quæ possidetis et date eleemosynam : facite vobis sacculos qui non veterescunt, thesaurum non deficientem in cœlis (*Luc.* XII). » Et ne exterioris abjectio possessionis videretur imple e totius mensuram perfectionis, statim jungit de continentia,

ostendens quia, si Ecclesiæ doctoris non decet pecuniæ sæculum possidere, multo minus uxoriis complexibus inhærere. « Sint lumbi vestri, ait, præcincti, et lucernæ ardentes (*Luc.* XII.). » In his verbis satis aperte continentia commendatur, satis aperte carnalis copula relegatur, quia ubi præcinctio lumborum imperatur, nullus omnino effectus luxuriæ relaxatur. Alioquin lumbi non præcincti, sed discincti habebuntur, si ad fluxum libidinis libertate optata potiuntur. Hoc nimirum in Levitico mystice figuratur, cum zona cingi linea sacerdos imperatur : « Feminalibus, inquit, lineis verecunda celabit, accingetur zona linea (*Levit.* VI). » Ne illorum feminalia defluant, zona jubentur accingi, ne istorum continentia relaxetur, lumbi eorum jubentur præcingi : ex quo patet quia Christus eos voluit vacare prorsus a nuptiis, Dominum suum vigilanter exspectare, quando revertatur a nuptiis, « ut, cum venerit, et pulsaverit, confestim aperiant ei (*Luc.* XII). » Et bene, confestim. Qui enim inter uxorios amplexus diligit obdormire, pulsanti Domino non potest confestim aperire; sed somno carnalis illecebræ temporibus prægravatis necesse habet excitari pulsibus iteratis : excitatus vero, nec sic Domino pulsanti festinanter occurrit, quia somni delectatio recens pulsa frequenter recurrit, eumque laborat multis adhuc oppressionibus impedire, quem usque ad id temporis suis potuit maculis irretire. Verum qui in castris continentiæ, in acie castitatis, Domino sollicite satagit militare, non soluto lumbari carnis lenociniis inculcare, sed propter nocturnos timores tenens gladium, super femur suum pervigil excubare : is nimirum Domini pulsantis legitime præstolatur adventum, imo vix patienter moræ alicujus sustinet interventum. Talis erat Paulus cum diceret : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo (*Phil.* I). » Cupio, inquit, ut pulset, quia pulsanti occurrere sum paratus, utpote qui excubias celebro non lumborum blanditiis soporatus. De qualibus et Christus subjungit : « Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes (*Luc.* XII). » Quali vigilia hujusmodi servos velit Dominus vigilare, verbis præcedentibus voluit demonstrare, jubens eos lumbis præcinctis Dominum a nuptiis revertentem exspectare, et eamdem vigiliam sequenti sermone non mediocriter commendavit, cum eam adjuncta similitudine multipliciter replicavit : « Et si in secunda vigilia, inquit, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi : hoc autem scitote quia, si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. « Ideo, et vos estote parati (*ibid.*). » Volens autem scire Petrus utrum hæc parabola vigilandi, et præcinctis lumbis Dominum exspectandi, omnibus generaliter, an quibusdam specialiter debeat assignari : « Ait ei : Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes? » (*Ibid.*) Hoc est dicere : Nos quibus præsentialiter loqueris, sub hac regula continendi astringis : an eamdem regulam tam remotis quam præsentibus indifferenter injungis? Et Dominus ut ostenderet ab hac lege populum relaxari, et eam populi doctoribus specialiter assignari, respondit; « Quis putas est fidelis dispensator, et prudens quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? » (*Ibid.*) Ac si dicat : Eum quippe ad has continendi regulas specialiter instruo; quem super familiam meam dispensatorem constituo, ut det illis mensuram tritici, **430** id est verbum vitæ pro capacitate cujusque distribuat audienti, et hoc in tempore, id est cum correxerit mores suos alios corrigenti. Aliter enim fidelis non erit dispensator, aliter non erit commendabilis disputator : si præsumpserit non faciens quæ facienda sunt edocere, si incontinens continentiam suadere. Si autem fecerit et sic docuerit, præproperus, vel præposterus non invenietur. Et ideo speciali quadam beatitudine perfruetur, quæ ibidem sequenti versiculo continetur. « Beatus, inquit, ille servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit ita facientem (*ibid.*). » Quid est : Ita facientem? Utique præcinctis lumbis excubias celebrantem, fideliter in tempore mensuram tritici dispensantem : virtutum fastigia non tam sermonibus, quam moribus commendantem. Quem sic Christus præcinctis lumbis invenerit expeditum, non reumatibus libidinis, tanquam mollibus vestimentis et defluentibus impeditum, festina beatitudine munerabit : et præcincto præcinctus vice debita ministrabit. Hoc est quod ait : « Præcinget se, et faciet illos discumbere : et transiens ministrabit illis (*ibid.*). » Tunc quippe ad remunerandum bonum servum Christus præcingitur, id est nullis obstaculis impeditur, cum eo pulsante idem servus in acie continentiæ vigilans invenitur, nec objicit opera carnis, quæ processu temporis igne judiciario debeant vindicari, sed vitam angelicam, quam statim angelica decet beatitudine munerari, angelicum nempe est viventem in carne carnis legibus non teneri, et eum certum est angelico consortio velocius adhiberi. Quem vero Christus inter uxorios complexus invenerit consopitum et soluto cingulo, vestimentis defluentibus præpeditum, ad hunc remunerandum, et ipse quasi præpeditus, et tardus invenitur, dum illius meritis, vel nunquam, vel sero cœlestem gloriam impertitur, non quod ejus impossibilitas arguatur, sed illius scrupulosa infirmitas accusatur. Eapropter, apostolos, quos perfectionis fastigio voluit insigniri talibus noluit maculis irretiri; sed quibus pecuniariæ sæculum facultatis, eisdem quoque abstulit uxoriæ lenocinia voluptatis, ne cogitantes quæ mundi sunt, quomodo uxoribus complacerent, ad vacandum et placendum soli Deo liberos animos non haberent.

CAPITULUM LXI.

Nullus igitur illorum, postquam apostolus factus est, vel uxorem legitur accepisse, vel acceptam tenuisse, vel filios genuisse, sed sic eos constat deinceps, vitam cælibem habuisse. Ut prorsus nil uxorium inveniantur egisse. Denique Joannem Zebedæi volentem (ut aiunt) uxorem ducere, a proposito revocavit, cui postmodum Apostolo pendenti in

cruce matrem Virginem Virgini commendavit. Scimus quidem, Evangelio referente, quod ad cujusdam de populo nuptias invitatus non recusavit ire, ne nuptias damnasse videretur : imo eas signorum suorum initio consecravit, ut eas esse commendabiles nulli dubium haberetur. Nullus vero apostolorum ad suas eum nuptias legitur invitasse : nullius eorum nuptias sua ipse præsentia commendasse : imo Joannem, ut dictum est, a propositis curavit nuptiis revocare, quem in proximo, apostolatus gratia volebat sublimare. Quare hoc? nisi ut se ostenderet, et his qui sunt de populo nuptias indulgere, et apostolicos viros a nuptiis prohibere, ne quorum erat tam diversa professio, æqualis esset vivendi religio? Quem enim profectum Christus natus de virgine clericis attulisset, si eos in eo quo sub lege erant proposito reliquisset, cum ipsi populo non parum contulerit sanctitatis, non parum pudicitiæ, non parum honestatis? Nunquid est credibile ut in adventu ejus proficeret conditio popularis, et quæ multo est dignior, profectum non acciperet clericalis : et sic ad populum largiora solito ejus beneficia devenirent, ut eos qui primi, et præcipui sunt, clericos præterirent? Imo prima et præcipua clericis debuerunt conferri, quos divina gratia cæteris voluit anteferri, ut eis tanquam montibus pacem Deus præcipuam impertiret, et per eos ad humilitatem collium justitia deveniret. Ideo ille Davidicus levat oculos ad montes unde sibi venire auxilium arbitratur, sciens quia primo montes suscipiunt quod postmodum collibus infundatur (*Psal.* CXX). Nostis quia lex vetus, et ante legem Patrum traditio, etsi fornicationem, vel adulterium condemnavit, habenas tamen castitatis non magnopere coarctavit, sed funem continentiæ sic permisit laxari, ut liceret uni viro multis simul uxoribus matrimonio copulari. Unde Jacob, Elcana, David, multique alii, tam justi quam injusti plures simul uxores leguntur habuisse, nec tamen per hoc adulterii maculam incurrisse. Hujus quippe rei mysterium quod pulchre illi tempori congruebat, hujusmodi nuptiis excusationem congruam prætendebat. Illo enim tempore, etsi præcipue plebs Hebræa Deum colere videbatur, quæ segregata a cæteris, quasi peculiaris populus habebatur, de aliis tamen multis et diversis nationibus Deum aliqui diligebant, eique vel fide sola, vel hostiarum quoque muneribus, vel modis quibuslibet placentes serviebant. Legitur Melchisedech Dei summi sacerdos exstitisse; legitur Job Deo non mediocriter placuisse; filii quoque ejusdem Job, et amici, vel consolatores ejus Deum verum credunt coluisse, **431** quos tamen, Hebræos certum est non fuisse : Egyptum quoque obstetrices illæ quæ ut parentum Hebræarum mares occiderent, mandatum acceperunt, Deum potius quam regem timuerunt : « Timuerunt, inquit, obstetrices Deum, et non fecerunt juxta præceptum regis, sed conservabant mares (*Exod.* 1). » Et infra : « Bene fecit, inquit, Deus obstetricibus; et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit illis domos (*ibid.*). » Et quis istos solos quos hic apposui, æstimet divino fuisse cultui mancipatos, et non potius alios eodem spiritu, diversis locis, et temporibus inspiratos, qui errore gentium procul facto, creatorem suum, et omnium coluerunt, eique vera fide, et justis operibus cohæserunt? Sed quia ad comparationem illorum qui varia delusi fallacia, dæmonibus ubique gentium servierunt, pauci admodum qui verum Deum colerent, exstiterunt : ideo nulla, vel rara in Scripturis divinis eorum mentio commendatur, quamvis plures eos fuisse ex paucis, quos prædiximus, colligatur. Denique magi qui ab oriente fulgore fidei prævio Christum natum de Virgine Bethlehem quæsierunt, nec ante, nec postea, Judæos se fieri petierunt, sed fide vera oblatisque muneribus Christum sibi propitium reddiderunt, quem Hebræi cæcitatis perfusi nebula contempserunt. Quia ergo antiquis temporibus in multis, et diversis nationibus, Deo vero aliqui serviebant, eique relicta cultura idolorum nexu fidei cohærebant : pulchre hoc in carnali conjugio typice signabatur, quod in spiritali multo sanctius agebatur, ut sicut vir unus multas simul uxores habere sinebatur, sic multarum animas nationum unus Deus recte sibi jungere crederetur. Et bene multæ uxores uni viro, non multis viris una uxor licite jungebatur, quia multæ nationes uni Deo, non multis diis una, vel natio, vel anima digne famulabatur. « Dominum, inquit, Deum tuum adorabis, et illi soli servies (*Deut.* X); » et David : « Non adorabis Deum alienum (*Psal.* LXXX). »

CAPITULUM LXII.

Cum autem Christus natus de Virgine toti mundo profectum afferret sanctitatis, in se ipso et in matre virginalis commendavit sanctimoniam castitatis : fideles vero populos etsi ad ejusdem virginitatis præruptum fastigium non coegit, ad unius tamen uxoris copulam thalamos eorum nuptiales redegit, ut scilicet, nullus deinceps multis simul uxoribus matrimonio jungeretur, sed unus una sanctiori mysterio contentus haberetur. Sic enim prædicatione sua idem Christus, multas, diversas gentium nationes ad fidem catholicam convocavit : sic eisdem gentibus diversas Judæorum tribus, et familias sociavit, ut ex his parietibus ædificium Ecclesiæ fabricaret, et utraque, imo pleraque angulari lapide conniteret. Et vere pleraque. Ipsarum quippe gentium non unus sed multi populi habebantur, qui diversa colentes dæmonia errore vario tenebantur : et cum eos quasi unum efficeret errandi seductio generalis, multos tamen, et diversos reddebat sua cujusque superstitio specialis. Illi etiam pauci qui forte inter eos Deo vero cultum debitum exhibebant, eumdem ritum colendi, easdem inter se cæremonias non habebant, sed pro suo quisque arbitrio, Deo munera deferebat, prout tamen cuique divinus Spiritus gratiam infundebat : aliud sacerdotem Melchisedech, de quo supra diximus, aliud beatum Job legimus obtulisse, quorum tamen diversa munuscula Deo credimus placuisse. Hi nimirum qui nullis fidei sacramentis imbuti, nullis erant doctrinis legalibus instituti : et tamen Deo

fide vera, et justis operibus complacebant : hujusmodi legem non habentes, ipsi sibi erant lex, qui legem quidem in membranis, vel tabulis scriptam lapideis non habebant (*Rom.* II), sed ipsum opus legis scriptum suis in cordibus ostendebant. Quia igitur Christus, cum tam per se, quam per apostolos suos regnum cœlorum omnibus prædicavit, omnes, sive Judæos, sive gentes, sic ad unitatem fidei convocavit, ut nullum in antiquo proposito manere permitteret, sed ad doctrinam Evangelicam omnes opportune importune, transire compelleret, ut non deinceps multas sibi, et diversas plebes sineret famulari ; sed unam solam videlicet catholicam, Christianam mandatis evangelicis obsequentem. Pulchre hoc quoque in carnali conjugio voluit figurari, et ideo unum virum non nisi uni uxori permisit ultra matrimonio copulari. Jam quippe non circumcisio, non præputium, non Judæa, non gentilitas erat ei more solito servitura, sed sola Ecclesia non habens maculam, aut rugam digne pro meritis placitura, quæ, etsi coalita est multorum affluentia convenarum, una tamen est, et alteram in suarum non recipit thalamo nuptiarum. Bene igitur ad demonstrandum hujus conjunctionis intemerabile sacramentum, unumquemque virum una etiam esse voluit uxore contentum. Quod ita evangelicis et apostolicis litteris commendatur, ut attente legentibus nulla dubietas relinquatur : et ipso visu, jam ita in Ecclesia est sancitum, ut non tam lectio quam rei ostensio quemvis faciat eruditum. Nemo quippe temporibus nostris, multis simul uxoribus maritali vinculo fœderatur, quod si facere præsumpserit, adulter sine præjudicio judicatur. Quod bene Dominus in Evangelio designavit, cum **432** primum illud conjugium ad medium revocavit, in quo, et legitimæ copulæ. Datur evidens documentum, et ipsius Christi, et Ecclesiæ exprimitur sacramentum. « Non legistis, ait, quia qui fecit ab initio masculum et feminam fecit eos ; et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una? » (*Matth.* XIX.) Volebat Christus, ut primo illi conjugio nostri se conjugati studerent conformare, quod Deus in principio voluit ordinare, ut sicut primo homini non nisi unam Deus conjunxit uxorem, sic tempore gratiæ nullus sibi præsumeret numerus ampliorem. Ideo quod in Genesi dicitur, in Evangelio reponit, ut quia pudicitiam verbo, et exemplo venerat commendare, proposito primo conjugio posset eam in gradum pristinum reformare : « Adhærebit, inquit, uxori suæ, et erunt duo in carne una (*Gen.* II) ; » non dixit adhærebit uxoribus suis, et erunt tres, vel quatuor, vel eo amplius in carne una. In quo quid mysterii contineatur Paulus Ephesiis loquens diligenter exponit, cum hæc eadem suis interserens verba consequenter apponit : « Sacramentum hoc magnum est, ego dico in Christo, et in Ecclesia (*Ephes.* V) ; » ac si dicat : Quod non nisi inter duos recte carnale conjugium celebratur Christi et Ecclesiæ matrimonium figuratur, ubi non trinitas vel amplior multiplicitas invenitur ; sed simplex dualitas comitur. « Erunt, inquit, duo in carne una. » Ut autem quod in Christo et Ecclesia spiritaliter commendatur, in carnali quoque conjugio realiter teneatur, subjungit idem Paulus : « Unusquisque suam uxorem diligat, sicut Christus Ecclesiam (*ibid.*). » Hic non dixit unusquisque suas uxores diligat, sed suam uxorem sicut Christus Ecclesiam, ut ostendat nullum ultra debere multis uxoribus copulari, si Christo et Ecclesiæ volt debita similitudine coaptari. In multis aliis locis hoc ipsum invenitur, idem Apostolus commendare, omnemque dubietatem ab auditorum cordibus propulsare : hanc pudicitiæ normam, hunc sanctitatis profectum apparens in homine Christus adduxit, cum salutari doctrina universum mundum, ad meliora provexit, ne adventus ejus in conspectu omnium digna vilitate sorderet, si processu temporis superfluus, et inutilis appareret.

CAPITULUM LXIII.

Quid igitur clericis, quos digniores populo scimus in hac plenitudine temporis conferri amplius invenimus : si hæc regula nuptiarum ad quam lege populus evangelica promovetur, eisdem clericis pariter indulgetur? Nihil ut video amplius in hac parte sanctitas eorum profecit, si eos populo divina lex æquales effecit, cum ipsi potius accipere debuerunt sanctitatis augmentum, qui cæteris, tam verbo quam exemplo debent vivendi præbere documentum ; sed absit ut ita Christus inferiores ad meliora promoverit, ut superiores contempserit! imo quos evexit ad edita ecclesiasticæ dignitatis, ad majoris quoque provexit fastigium sanctitatis quod bene patriarcha Jacob cum Judæ filio suo ventura prædiceret, designavit, in quo Juda Christum procul dubio figuravit. « Pulchriores, inquit, oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores (*Gen.* XLIX). » Oculi Judæ, id est Christi vos estis clerici, qui in sublimiori gradu tanquam in capite collocati, et majoris scientiæ lumine radiati ; remota et abscondita Scripturarum intellectu linceo penetratis, et aliis competentem vivendi semitam demonstratis. Vinum ergo congruæ scientiæ dicitur popularis, quam ad fidem instruit Christi passio salutaris, cui Paulus nonnisi Jesum Christum et hunc crucifixum præsumit prædicare, volens tali sapore vel amore mentes eorum utcunque debriare. Ideo forte Christus invitatus ad nuptias aquas vertit in vinum, ne populi scientia in posterum insipida remaneret, si Christum pro salute omnium crucifixum fide devia non videret. Sed hoc uno Judæ oculi longe sunt pulchriores, dum non solum Christum crucifixum mente credula venerantur, sed Christum Dei virtutem et Dei sapientiam contemplantur. Quorum unus : « Tu es, inquit, Christus Filii Dei vivi (*Matth.* XVI). » Et alius : « In principio erat Verbum et Deus erat Verbum (*Joan.* I). » — « Et dentes, inquit, ejus, lacte candidiores (*Gen.* XLIX). » Dentes Christi, clerici quoque sunt ; qui versu duplici sacrorum ordinum presbyterii scilicet et diaconii in Ecclesia congregati, et in secretis profundæ scientiæ tanquam in ore radi-

cati, nec vermiculo pravitatis hæreticæ corrodun- A tam uxorem quam cætera reliquerit, cum eodem
tur, nec morum situ, vel negligentia corrumpuntur, judice judex erit, unde et additur : « Et ubi sum
sed eos, et integræ fidei confirmat fortitudo, et per- ego, illic et minister meus erit (*ibid.*). »
fectæ castitatis commendat florida pulchritudo. Per
candorem quippe castitas figuratur, unde, et Sponsi CAPITULUM LXIV.
voce Sponsa in Canticis collaudatur. « Sicut lilium
inter spinas, sic amica mea inter filias (*Cant.* II). » Ideo Paulus, qui Christum per continentiam imi-
Per hæc vero, qui cibus est parvulorum, bene vitam tatur, se fore judicem gloriatur. « Nescitis, ait,
accipimus laicorum, qui, quoniam pane solido vesci quia angelos judicabimus ? » (*I Cor.* VI.) Ad quam
non prævalent, lactis alimonia nutriuntur, id est altiora continentiam, et discipulos suos Timotheum et Ti-
præcepta vivendi abhorrentes in inferioribus licitis tum diligenter invitans, quos ad regendum Eccle-
relinquuntur. Quia enim obtinere non possunt inte- siam et informat, ut sciant sibi salutare non esse
gritatis sublimia virginalis, nec secundum apprehen- officium præsidendi, nisi obtinere studuerint super-
dere gradum, arcem videlicet continentiæ vidualis eminens fastigium continendi. Timotheo dicit :
conversari permittuntur inter plana, et humilia co- « Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exem-
pulæ conjugalis, ut, dum hoc candore, quamvis infir- B plum esto fidelium in verbis, in conversatione, in
mo et tenero, colorantur, inter Christi parvulos haberi charitate, in fide, in castitate (*I Tim.* IV). » Texens
433 mereantur, ne fornicationis turpitudine deni- quemdam virtutum catalogum Apostolus, in clau-
grati sint a cœtu fidelium meritis exigentibus re- sula posuit castitatem, dans intelligi, quia idem
probati. Bene ergo dentes Christi lacte asseruntur catalogus, informis est et satis impolitus, nisi apice
candidiores, id est castis in populo conjugatis cle- castitatis fuerit insignitus. Et pulchre adolescens de
rici castiores, dum concessam et legitimam copulam tenenda castitate diligentius admonetur, ne in ipsa
laicorum, longe supergreditur continentia clerico- presbyterii dignitate, ejus adolescentia contemptibilis
rum. Sicut enim virum popularem Christus adve- habeatur : si lumborum desideriis enerviter sub-
niens ad unius uxoris copulam revocavit, sic cleri- sternatur. Solent quippe juvenes hujusce desideriis
cum sacris ordinibus insignitum omni penitus uxore vehementius impugnari, et amoto repagulo, per de-
privavit, ut ille quidem una, iste vero contentus sit vexa voluptatum effrenacius evagari, tantoque minus
nulla, quia popularis in lege multas sibi licite co- debita sanctitatis regula cohiberi, quanto sibi ætatis
pulasse uxores invenitur, et sacerdos, nonnisi unam patrocinio putant facilius indulgeri. Quapropter
habuisse comperitur. Nec Aaron, nec quemquam Apostolus presbyterum, quem ætas non commendat
sacerdotum post Aaron invenio multas simul uxores C senilis, non vult teneri viseo desiderii juvenilis; sed
habuisse, quod apud Leviticum sermo divinus vi- sic juvenem juvenilibus adversari, ut non tam annis
detur signanter invenisse. « Virginem, inquit, acci- quam moribus mereatur presbyter appellari. Ait
piet uxorem (*Levit.* XXI). » Non dixit, virgines acci- ergo eidem Timotheo : « Juvenilia autem desideria
piet uxores. Virgo hæc quam sibi in uxorem sa- fuge (*II Tim.* II). » Verecundo sermone lumborum
cerdos illius temporis typicam copulabat, sicut su- desideria, voluit juvenilia nominare, quibus, ut præ-
perius dictum esse recolo, Ecclesiam figurabat, dictum est, inveniuntur præcipue juvenes æstuare.
quam nostris temporibus sacerdos sibi fuerat ac- Qui enim, tam sapientibus quam insipientibus, tam
cepturus, et de ea, verbi semine spiritales filios viris quam mulieribus jure sacerdotii debitor fa-
habiturus. Cum igitur Christus adveniens umbras ctus erat, ut omnibus, non solum vivendo, sed etiam
rerum sua præsentia removeret, perfectumque sibi colloquendo et monendo, doctrinæ beneficium im-
sacerdotalem ordinem exhiberet : a carnali eum pertiret, quomodo (ut de aliis taceam) alloquio suo
conjugio penitus separavit, et solius Ecclesiæ sin- juvenculas erudiret, si non se ab earum illecebris
ceris complexibus assignavit, ut apud eum tandem proposito continentiæ viriliter expediret? Ideo ad-
finem acciperet typus conjugii veteris et figura, cum D dit : « Anus obsecra, ut matres; juvenculas, ut so-
jam figuræ veritas præsto esset nullo tempore de- rores in omni castitate (*I Tim.* V). » Videtur hic
situra. Sic tam clerum quam populum in adventu Apostolus tam anus quam juvenculas a complexu
Christi constat congruos invenisse profectus, sic presbyteri penitus sequestrare, dum illas ut ma-
uterque sanctitatem ampliorem solito est adeptus, tres, istas ut sorores Timotheum admonet infor-
dum ille qui antea multis licite uxoribus utebatur, mare, ut in utroque non affectu presbyter uxorio
ad unius licentiam revocatur, et iste qui uni tantum teneatur; sed in omni castitate, omnibus mulie-
virgini ex decreto legis carnaliter jungebatur, jam ribus tanquam frater vel filius habeatur. Unde et
nulli carnaliter, sed soli Ecclesiæ spiritualiter copu- infra : « Te ipsum, ait, castum custodi (*ibid.*). »
latur. Aliter Christo clericus, magistro discipulus Quam castitatem, et ad Titum loquens, continen-
non potest expressius conformari, nisi eum sic stu- tiam nominavit : per quod non conjugatum, sed ab
deat non tam sequi pedibus, quam moribus imi- omni conjugio liberum debere esse presbyterum
tari, ut de eo illud evangelicum dici proprie co- demonstravit : « Oportet, inquit, presbyterum esse
gnoscatur : « Qui mihi ministrat, me sequatur (*Joan.* sobrium, justum, sanctum, continentem (*Tit.* I). »
II). » Et hic quidem minister qui propter Christum, Hæc est continentia, quam et in se ipso idem Apo
stolus proposuerat conservare, et eisdem Timotheo
et Tito diligenter intimare, ut hac bonum magi-

strum, boni discipuli sequerentur, et ad sequendum idem propositum, alios hortarentur. De quo proposito, ad Timotheum **434** dicit : « Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum (*II Tim.* III). » Doctrinam in scientia, institutionem in moribus, propositum in continentia intelligi voluit, quæ omnia, sicut ipse prædicando et monstrando fuerat prælocutus, sic Timotheus imitando efficaciter assecutus. Et quia in his eum Paulus noverat jam manere, hortatur eum consequenter in eisdem gressu stabili permanere. « Tu vero, inquit, permane in his quæ didicisti, et creditа sunt tibi (*ibid.*), » sciens a quo didiceris : « sciens, inquit, a quo didiceris. » A me scilicet, qui ea quæ verbis intimavi, operibus prænonstravi. Et ne videretur vel ipse indebita docuisse, vel ab eo ille incongrue didicisse : doctrinam suam testimonio commendat Scripturarum, quarum paginis Timotheus ab infantia fuerat eruditus, ut non facile posset falli falsæ doctrinæ tendiculis irretitus. « Sciens, inquit, a quo didiceris, et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem. » Ac si dicat : Quæ a me didicisti, in sacris ea litteris invenisti, ut, cum ad tenenda quæ proposui, meis adhortationibus inciteris divinarum auctoritate Scripturarum, quas apprime nosti solidius confirmeris.

CAPITULUM LXV.

Quod autem propositum Pauli fuerit continere, nullus dubitat, qui ejus velit Epistolas recensere. Corinthiis loquens ait : « Volo omnes esse sicut meipsum. Dico non nuptis et viduis. Bonum est illis si sic maneant sicut et ego : quod si se non continent, nubant (*I Cor.* VII). » Liquet in his verbis, quia nullius uxoris Paulus vinculo tenebatur; in quo etiam proposito Timotheum et Titum manere gloriatur, ut et permaneant, diligenti sollicitudine cohortatur. Quid igitur sibi vult, quod eidem Timotheo ait : « Oportet episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum (*I Tim.* III); et Tito : « Constitue, inquit, per civitates presbyteros, si quis sine crimine est, unius uxoris vir? » (*II Tim.* I.) Sunt nonnulli, qui crasso satis intellectu, hæc verba legunt, volentes intelligi quod Apostolus præceperit, vel concesserit presbyterum uxorari, nec propter sacros ordines conjugali debere copula revocari : ita tamen ut in hoc a populo discernatur, quod prima forte uxore defuncta secundas nuptias non sequatur. Vir quippe popularis, etsi duas simul uxores, ut superius dictum est, non conceditur obtinere; una tamen defuncta, potest sibi alteram adhibere. Sed si diligentius Pauli doctrinam, institutionem, propositum velimus attendere, quæ Timotheum et Titum fuisse assecutos nullus quis possit ambigere : multo subtilius, multo veracius hæc verba ejus nobis intelligenda, multo sacratius, multo erunt spiritualius adimplenda. Noverat quidem Paulus, quomodo Christus suos discipulos informarat, quibus eos exemplis et monitis ad continentiam invitarat, quia et ideo cum Jacobo et Joanne et Cepha, qui videbantur columnæ esse, contulerat Evangelium; ne forte vel a Christo, vel ab eis in aliquo dissentiret, si aliter quam ipsi erant eruditi, ipse eruditus alios presbyteros erudiret. Nihil autem ei prædicti apostoli contulerunt, quia in ejus doctrina nihil Christi, vel suæ doctrinæ contrarium invenerunt. Sicut igitur Christus apostolos voluit informare, sic se ipsum Paulus eisdem proposuit conformare : idemque propositum Timotheo et Tito, cæterisque presbyteris diligentius intimare. Eapropter quod dicit presbyterum debere esse unius uxoris virum, non sic accipiendum est, tanquam sibi cum sacris ordinibus uxorem debeat sociare; cum nec ipse Paulus inveniatur hoc fecisse, et Timotheum et Titum uxoratos certum sit non fuisse; sed ita intelligendum, quod ante sacros ordines nonnisi unam uxorem habuerit, si tamen uxorem habuit. Multos quidem diversæ conditionis et ætatis ad fidem catholicam, ad baptismum Christi venire tunc temporis Paulus videbat plures in posterum venturos prævidebat, quos vel ante baptismum, vel etiam post baptismum conversationi deditos sæculari, necesse erat ad regendam Ecclesiam postmodum ordinari : voluit ergo certum dare documentum; quales debeant non solum fore post ordines, sed etiam fuisse ante ordines, ut vita carnalis typus sit quodammodo vitæ spiritualis, et cum longe a se differant merito sanctitatis, possint tamen concordare non re, sed imagine castitatis. « Oportet, inquit, episcopum vel presbyterum esse unius uxoris virum; et diacones sunt unius uxoris viri (*I Tim.* III). » Hoc est dicere : Talem volo ad sacros ordines promoveri, qui ante ordines una tantum uxore contentus exstiterit, ut ex hoc spes continentiæ colligatur, quod in gradu licito non plures inisse nuptias comprobatur. Sicut enim una uxore contentus, secundas nuptias non quæsivit, sic presbyter vel diaconus consecratus Ecclesiæ, et quasi desponsatus, nullius debet ultra complexus requirere, sed in ejus solius gremio vel sinu quiescere, ut inde eum nec lumborum divellat illecebra corporalis, nec hæreticorum fornicatio spiritalis. Sic, inquam, soli Ecclesiæ, cui tam minister, quam præpositus ordinatur, necesse est affectu legitimo cohæreat, nexu indissolubili connectitur, ut ad carnalis uxoris copulam animum non reducat, nec in thalamum cordis cui pravitatem hæreticam introducat, ne inveniatur **435** non jam monogamus sicut ante, sed digamus vel trigamus vita apostolica repugnante. Apostoli quidem et apostolici viri dicunt de Ecclesia, cui spiritali fœdere copulantur : « Una est columba mea, perfecta mea (*Cant.* VI). » Propter hanc unitatem figuraliter designandam, in presbytero vel diacono monogamia commendatur, qua si forte contentus exstitit, electioni congruus judicatur : non quod digamia futuræ sanctitati aliquod inferat detrimentum, sed hujus prædictæ unitatis non tenet sacramentum. Tale quid et per Moysen Dominus in Levitico dicit (*cap.* II), cum eum sibi offerre legales

hostias interdicit, qui vel cæcus fuerit, vel herniosus, vel aliud hujusmodi : non quod istæ corporis infirmitates inveniantur perfectæ justitiæ penitus refragari, imo plerumque etiam suffragari, sed quia debitæ figuram sanctitatis non sufficiunt prænonstrare, cum figura veritati specietenus debeat concordare.

CAPITULUM LXVI.

Apostolus (*I Tim.* v) quoque viduam sexagenariam jubet eligi, quæ fuerit unius viri uxor, ut in ea et effetæ maturitas ætatis, et supradictæ præfulgeat mysterium unitatis. Et notandum quod non eam mandat eligi, quæ vel virum habeat, vel habere disponat, sed eam quæ et viduata marito, et casta est proposito, ne ecclesiastica vel religio, vel opinio deturpetur, si qua vivens in deliciis de templi ærario sustentetur. Unde et ait : « Adolescentiores viduas devita, cum enim luxuriatæ fuerint, nubere volunt (*ibid.*). » Cum igitur viduam sexaginta annorum doceat eligendam, apud quam juvenilia desideria tepuerunt, cujus lascivia deferbuit, cujus mulichria defecerunt : quid sibi vult, quod tam signanter eamdem injuriam designavit, nisi quia mysterium commendavit? Quid enim ad bene vivendum huic tam grandevæ ætati nocere potuisset, si vidua quæ eligitur, vel bivira, vel trivira, vel eo amplius exstitisset, cum ea plerumque ferventius impendat studium sanctitati, quæ se recolit largiores dedisse habenas voluptati? Nunquid illam mulierem quæ septem fratres habuit post invicem viros, Christus in Evangelio condemnavit, vel eam errasse, quia toties nupserat, affirmavit? Cum Sadducæi quærerent : Quis illorum septem in resurrectione esset eam uxorem habiturus, vel quis ea, quam omnes habuerant, cariturus. « Erratis, inquit Dominus, nescientes Scripturas (*Luc.* xx). » Ac si dicat : Non illa, sed vos increduli, vos erratis, qui in resurrectione celebrari nuptias æstimatis. Videtis quod non septiviram mulierem, sed incredulos Christus arguit Sadducæos, quia sanctitati non præjudicat iteratio nuptiarum, nec multiviræ viduæ condemnantur, sed deliciæ viduarum. « Vidua, inquit, quæ in deliciis est; vivens mortua est. (*I Tim.* v). » Cum ergo Apostolus viduam jussit eligi, quæ fuerit unius viri uxor, nulli dubium quin sacramentum, ut prædictum est, voluerit demonstrare, quod etiam in presbytero vel diacono voluit commendare. Sicut enim de vidua dicit : « Quæ fuerit unius viri uxor, » ita de presbytero æstimo debere intelligi : « Qui fuerit unius uxoris vir, » non qui cum ordinibus, vel post ordines uxorem velit accipere, vel ante ordines acceptam cum ordinibus retinere. Satis quippe absonum videretur, si major presbytero, quam viduæ carnalis voluptatis licentia præberetur, ut, cum mulierculæ injungeretur continentia vidualis, presbytero concederetur delectatio copulæ conjugalis. Non enim mulierculæ ad imitandum, presbyteris proponuntur, sed presbyteri, tam illis, quam cæteris omnibus imitandi in Ecclesia præferuntur. Unde constat quia sicut viduis injungitur continentia, qui de templi aluntur ærario, sic etiam clericis, imo multo amplius clericis, per quos ecclesiastica vigere debet religio, ut cum ad sacrorum ordinum excelsa transierunt de planitie sæculari, omnibus in Ecclesia, sicut loco, ita et vita præemineant regulari. Hoc doctores senserunt ecclesiastici, qui nos fide et scientia præcesserunt : sic prædictam Apostoli sententiam de clerico unius uxoris viro intellexerunt, sic nobis intelligendam in suis opusculis reliquerunt.

CAPITULUM LXVII.

Noster ille Augustinus, Ambrosius, Gregorius, Hieronymus, quos doctrinæ sanæ meritum sublimavit, quos in arce auctoritatis Ecclesia catholica collocavit, etsi diversis locis et temporibus exstiterunt, in hoc tamen, docente sancto Spiritu, consenserunt, ut ministri altaris nullatenus carnalis copulæ voluptabro indulgerent; sed, etsi ante sacros ordines conjugati, tamen post ordines auctoritate apostolica continerent. Miror itaque unde apud Græcos ejusmodi consuetudo coaluit, ut presbyteri uxoribus libere copulentur, et sicut a quibusdam audivi, nulli sine uxoribus ordinentur : imo, cum ad gradum sacerdotii, ii qui antea uxores non habebant, sublimantur, simul quoque uxores ducere quasi necessario compellantur, ut tali muniti remedio, in fornicationis præcipitium non labantur. Ait, inquiunt, Apostolus : « Unusquisque uxorem habeat propter fornicationem (*I Cor.* vii), » mira res, et satis ridiculo digna; tantoque ministerio, vel tam sacro **436** mysterio non condigna. Alii vero dicunt, quod apud Græcos ea, quam prædiximus, consuetudo non habetur, sed alia quædam convenientior, ut et scilicet qui presbyter ordinatur, continendi vel non continendi optio tribuatur. Quod si elegerit continentiam, ei postmodum uxorem accipere non licebit; sed in ea quam proposuit castimonia permanebit. Si autem elegerit conjugium, poterit quidem vel eam sibi tenere uxorem quam habet, vel accipere, si non habet : ita duntaxat, ut si forte illa primitus defungatur, non ultra presbyter alteram sortiatur. Oportet, inquiunt, presbyterum esse unius uxoris virum. Non sic verba Apostoli a prædictis sunt Patribus intellecta, non sic exposita : non sic vel ab eis, vel a cæteris sanctis tam præcedentibus, quam subsequentibus custodita. Denique Origenes, qui natione Græcus fuit, non sic eisdem Græcis prædicavit; imo continentiam clericalem tam vivendo quam loquendo diligentissime commendavit. Super quo, ut suam certius confirmaret sententiam, habens zelum Dei, sed non secundum scientiam, seipsum castravit corporaliter amore puritatis, nequando declinaret a prædicto proposito debitæ castitatis. Noster etiam Augustinus, qui, etsi apud Latinos natus est, et nutritus, Græcis tamen litteris apprime est eruditus, nihil tale in Græcis codicibus asserit se legisse, nec in Græcis doctoribus, quos sanctos con-

perit, invenisse : imo fretus tam Latinorum testimoniis quam Græcorum, injungit continentiam sacris ordinibus clericorum. Unde et libellum scribit de singularitate clericorum, in quo studet eos ab omni mulierum consortio revocare, ne scilicet cum illis una in domo præsumant habitare; « quia, ut ait, nisi a convictu illarum singularis istorum conversatio segregatur, vita eorum, vel fama contagio inevitabili maculatur. Hieronymus, qui trium linguarum, Hebraicæ scilicet, Græcæ et Latinæ peritus exstitit, et codices tam Hebræos, quam Græcos, et Latinos, tanta est diligentia perscrutatus, ut assiduitate legendi oculus ejus exterior caligaret, sed interioris aciem divina gratia declararet, Hieronymus, inquam, non aliter prædicta verba Apostoli debere intelligi profitetur, quam ut continentia sacris ordinibus comes individua deputetur. Unde ad Pammachium loquens : « Non mihi, ait, irascantur, sed Scripturis sanctis, imo episcopis et presbyteris, et diaconibus, et universo choro sacerdotali et levitico, qui se noverunt hostias offerre non posse, si operi serviant conjugali. » Et alibi cum adversus blasphemias Vigilantii detonaret, et ab ejus sententia revocare fidelium animos laboraret, sic ait : « Pro hoc nefas! episcopos sui dicitur sceleris habere consortes, si tamen episcopi nominandi sint, qui non ordinant diaconos nisi prius uxores duxerint. » Et paulo post : « Quid facient, inquit, orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, quid sedis apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipit, aut continentes, aut, si uxores habuerint, mariti esse desistunt? Videtis in his verbis satis aperte continentiam commendari, et ab ea sacris ordinibus insignitos nullatenus relaxari. Quis igitur Græcis sic Apostolum exposuit, ut diceret ab eo presbyteris mandatum vel licentiam dari, quia non solum ante ordines sed et post ordines possint conjugibus copulari : cum Origenes, Augustinus, Hieronymus, quos constat Græcis litteris eruditos fuisse, inveniantur nobis in suis opusculis contraria reliquisse? An credendum est hos tanti studii viros potuisse latere, quod Græci doctores potuerunt vel docere scriptis vel operibus exhibere? An, quod verisimilius est, nullus sanctorum apud Græcos, sicut et apud Latinos Apostolum sic intelligendum exposuit, sed prava potius consuetudo prævaluit, dum multis carnaliter sapientibus tenenda complacuit, et a paucis forte contradicentibus exstirpari non potuit? Unde et a quodam ethnico dictum est : quod a multis peccatur, justum est. Sicut enim apud Latinos plerisque in locis, ut de aliis malis taceam, multis usuras amantibus consuetudo in tantum prævaluit fenerandi, ut prælatis Ecclesiæ nulla jam detur facultas exstirpandi; cum non solum plebei et ignobiles, sed plerique etiam nobiles talibus divitiis gaudeant se florere, et clamor corripientium multis reclamantibus possit non prævalere : sic et apud Græcos reprehensibile quid forsitan invenitur, cui non Scripturæ auctoritas, sed multitudinis, vel consuetudinis perversitas, patrocinium impertitur. Sed enim relicta Græcis consuetudine sua (si tamen verum est quod de iis apud nos fama dispersit) ad nostros doctores orbitam reflectamus, et in Scripturis tam evangelicis quam apostolicis, sensum eorum inconcusse teneamus, ut quod in eis divina largiente gratia meruerunt sentire, nos quoque, et attentius audire curemus, et auditis diligentius obedire.

CAPITULUM LXVIII.

Verba quippe Apostoli non semper accipienda sunt, ut videntur sonare. Sed in eis credendus est sensus subtilior latitare, qui imperitis et negligentibus non potest facile revelari, sicut ipse idem invenitur aliquoties protestari. Timotheo ait : « Intellige quæ dico, dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum (*II Tim.* II). » Et ad Corinthios : « Si quis videtur propheta esse aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis (*I Cor.* XIV). » Quibus verbis innuit auditores suos opus habere intellectu et sapientia spirituali, ne depravent verba sua sensu reprobo vel carnali quemadmodum depravabant, de quibus Petrus ait : « Sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi gratiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu; quæ indocti et instabiles depravant, ad suam ipsorum perditionem (*II Pet.* III). » Ne ergo in perditionis foveam incidamus, verba Apostoli, sicut a sanctis prædictis intellecta et exposita sunt, teneamus, ut scilicet clericis continentiam nequaquam dubitemus injungi, et eidem continentiæ bonum testimonium debere conjungi. Qui enim ad hoc sunt electi, ut et Deo per continentiam complacere, et ad complacendum, alios exemplo sui debeant commonere : necesse habent ut non solum vita, sed et fama eorum nulla læsione corrumpatur, ut sicut vita sibi, ita fama proximis utilis habeatur. Lubrica est fama pudoris, et cito quivis corporis lubricum creditur incurrisse, quamvis constet eum multis retro diebus continentiam tenuisse. Quod attendens Christus, apostolis suis non solum continentiam imperavit, sed et famam ejusdem continentiæ servandam diligentius intimavit, ne lumen eorum tanquam sub modio latet, sed expositum et elatum longe lateque ad profectum omnium emicaret; imponens itaque cingulum lumbis eorum, in quo nulli dubium quin continentia designetur, jussit eos præcingi, in quo continentiæ quædam ostensio signari videtur : non ut ventosa eorum superbia inaniter glorietur, sed ut Deus largitor hujus muneris, a cæteris intuentibus collaudetur. « Sint, inquit, lumbi vestri præcincti (*Luc.* XII). » Cum lumbi non ante sed retro sint : quid sibi vult, quod non jussit eos simpliciter cingi, vel accingi, vel, ut ita dicam, postcingi; quod expressius posset dici, sed diligenter præcingi mandavit? quod quantum ad litteram non convenit dici, nisi quia per adjunctam (præ) particulam osten-

sionem quam prædiximus, continentiæ voluit designare, docens clericos non tantum in abscondito, teste conscientia, continentiam conservare, sed ad imitandum, non ad gloriandum commendabiliter ostentare? Denique apud veteres sanctos invenimus Eliam, Jeremiam, lumbos quidem cingi, nec tamen præcingi, quia, etsi maledicto legis contempto (maledictus enim qui non reliquerit semen super terram) uxores habere noluerunt, non tamen illius temporis homines ad eamdem invitare continentiam præsumpserunt. Hæc nimirum prædicatio apostolis virisque apostolicis debebatur, cum scilicet, revelata gratia, castitatis excellentia commendatur, cum verus lucinium, non materiali, sed spiritali emunctorio declaratur, id est subobscurum legis mysterium prædicatione evangelica revelatur. Dicto quippe a Domino : « Qui potest capere capiat (*Matth.* XIX), » congruum fuit ut a clericis hæc continentia non solum teneretur, verum et teneri nulli dubium haberetur, ut, cum eos efficeret Deo commendabiles tam incomparabilis sanctitudo, venerabiles populo redderet boni testimonii pulchritudo, quia doctoribus Ecclesiæ non sufficit propriæ veritas castitatis, nisi quantum in se est, et alios invitet ejusdem relatio veritatis. Quos prævidens in spiritu quidam Sapiens exclamavit : « O quam pulchra est casta generatio cum claritate! (*Sap.* IV.) Bona forsitan est castitas clericorum suæ freta patrocinio veritatis, sed pulchra non est sine beneficio debitæ claritatis, quia non mediocriter ipsa bonitas deturpatur, si eis suspicionis macula credibiliter irrogatur. Unde et nonnulli dici æstimant clerum quasi clarum a claritate, eo quod sicut rutilat clarus præfulgidæ radio dignitatis, sic etiam clarere debet re et nomine sanctitatis, ne vel vita decolor tenebrescere faciat dignitatem, vel rumor sinister obscuret ingenuam sanctitatem. Pulchre ergo prædictus Sapiens admiratur, cum nostri temporis sanctos, prophetiæ spiritu contemplatur, quos et clara castitate, et claritate ad tantum fastigium videt offerri, ut in utraque sanctis veteribus digne mereantur præferri.

CAPITULUM LXIX.

Sufficiant quæ de clericorum continentia sermo prolixus disseruit, et vera esse divinarum testimoniis Scripturarum asserui, ut nulli super his quidquam dubium relinquatur, nisi forte veritati sensu devio reluctatur. Cum autem loqui de clericorum proposuerim dignitate, tam multa de eorum dicta sunt sanctitate, ut videar quasi oblitus, propositi pro alio aliud incurrisse; et de virtutibus eorum superfluam fabulam texuisse. Cæterum, si quod in exordio hujus responsionis dictum est, ad memoriam revocetur, non videbitur, abs re quod virtutum clericalium series adhibetur, quia ex hoc ipsa eorum dignitas amplius enitescit, quod ei necessario tam præclara sanctitas adhærescit : voluit enim Deus, sicut in initio dictum est, ut quos præferebat cæteris ecclesiastica dignitate, excellerent nihilominus speciali quadam et præcipua sanctitate, ne tantæ prærogativa dignitatis vilescere mereretur, si popularis ei justitia posse sufficere videretur. Congruum igitur fuit ut ipsa clericalis sanctitas 438 ad medium duceretur, et quibus specialiter virtutibus debeat insigniri, adjunctis Scripturæ testimoniis monstraretur, ut cognita sanctimonia quam prædictæ dignitati constat inseparabiliter debere copulari, facilius perpendatur, quanti ipsa dignitas debeat æstimari. Cum enim fides, spes, charitas et cæterarum hujusmodi virtutum inductio generalis sufficere cognoscantur ad perficiendum cumulum justitiæ laicalis : exceptis istis, illa quatuor, de quibus hactenus sum locutus, id est electio, scientia, pauperies, continentia, ita clericis specialiter assignantur, ut sine his non mediocriter arguantur : indigni quidem clericorum nomine gloriari, utpote qui rem nominis noluerunt studiosius amplexari. Qui vero illa quatuor cum cæteris fuerint virtutibus assecuti, constat eos esse magnæ et perfectæ cujusdam sanctitatis, et ideo merito insigniri clericalis fastigio dignitatis, quia tali culmine non nisi hæc sanctitas meretur sublimari, et ea sanctitate nullam, melius quam hujusmodi dignitatem convenit honorari. Magna ergo est et præcipua dignitas clericorum, quæ nimirum sic inter Deum et populum media collocatur, ut Deo subdita, populo præferatur, nec nisi per eam quisque a peccatorum vinculis absolvatur, cum ei ligandi et solvendi potestas a Domino tribuatur. Unde in Levitico, cum quis pro peccato sacrificium jubetur offerre, sermo divinus ita frequenter concludit : « Orabit pro eo sacerdos et dimittetur ei (*Levit.* IV). » Denique cum Moyses mittitur in Ægyptum, ut educat filios Israel de manu Pharaonis, ad tam grande negotium expavescit; et quasi invalidus explere quod mandatur, ut alius mitti debeat, deprecatur : « Obsecro, inquit, Domine, non sum eloquens; mitte quem missurus es. Et Dominus : Aaron, inquit, frater tuus, levites, ipse loquetur pro te ad populum et erit os tuum; tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent (*Exod.* IV). » Et infra : « Locutus est, inquit, Dominus ad Moysen, dicens : Loquere ad Pharaonem regem Ægypti. Cui Moyses : Ecce, inquit, incircumcisis labiis sum; quomodo audiet me Pharao? (*Exod.* VI.) » — « Dixitque Dominus ad Moysen : Ecce constitui te deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit propheta tuus; tu loqueris omnia quæ mando tibi; ille loquetur ad Pharaonem (*Exod.* VII). » Videtis quoniam ad educendos filios Israel de Ægypto, ad arguendum Pharaonem Moyses invalidum se fatetur, propter quod illi Deus Aaron fratris sui auxilium pollicetur, ut quod ille non prævalet, hujus adminiculo suppleatur, et non solum Moyses, sed Aaron quoque coram Deo et populo commendabilis habeatur. Moyses figuram legis tenet, quia per eum lex data est; Aaron vero, sacerdotii cujus et primo dignitas collata est. Quia ergo lex divina cui debet omnis populus obedire, ad humanam notitiam nisi prædicatorum ministerio non potest pervenire; pulchre Moysi frater suus Aaron

in tempus constituitur, ut hujus officio præcepta legis omnibus innotescant, ne si prædicatore caruerint, silentio premente obmutescant. Hoc est quod Moyses dicit : « Obsecro, Domine, non sum eloquens; et ad Aaron Dominus dicit : Aaron frater tuus levites, scio quod eloquens sit (*Exod.* IV) » Lex enim quæ per se ipsam quasi elinguis conticescit, ut et Pharao tanquam insipiens flagelletur, et de manu illius plebs sapiens Israelitica liberetur. Et bene Aaron frater Moysi dicitur, quia clericalis dignitas divinæ legi tanta cognatione conjungitur, ut non debeant ab invicem separari, cum et lex indigeat prædicatore clerico, et prædicator, nisi quæ lex dictaverit, non debeat operari. Lex divina clerico debet ea quæ Dei sunt, diligentius intimare, et clericus ipsam legem sermone congruo populis prædicare. et ita Moyses, ut scriptum est, in his quæ ad Deum pertinent erit Aaron fratri suo, et Aaron loquetur ad populum pro Moyse fratre suo.

CAPITULUM LXX.

Patet ergo quia in Aaron clericalis dignitas figuratur, cui specialiter prædicandi officium commendatur, ne de salute fidelium quasi solus Moyses glorietur, sed pro collato adjutorio Aaron quoque ejusdem gloriæ participio muneretur. De quo adjutorio et Paulus apostolus gloriatur, cum per hoc, suum augeri meritum contemplatur : « Dei sumus, inquit, adjutores (*I Cor.* III). » Poterat quippe Deus sine Paulo et Aaron sufficienter quos vellet, edocere, sed eos sibi adjutores voluit adhibere, ut in collaborando, eorum meritum augeretur, et eorum dignitas emineret, dum eos plebs inferior audire juberetur. « Qui vos, inquit, audit, me audit (*Luc.* X). » Solum Moysen Aaron frater suus jubetur audire, et quæ ab eo audierit, loqui ad populum, quia summus clericorum pontifex divinæ legi tantum obsequitur, ipse autem doctrinæ privilegio præferri cæteris omnibus invenitur. Ideo forte cum divina Scriptura Moysen et Aaron pariter nominat, semper fere Moysen præponit : « Dixerunt, inquit, Moyses et Aaron; et dixit Dominus ad Moysen et Aaron; et multa hujusmodi : non sic prælato Moysi deferens, ut subjuncto Aaron vellet in aliquo derogare; sed et per hoc, quia sacerdos divinam legem non præire, sed sequi debeat, volnit demonstrare. Cum autem Josue filius Nun, et sacerdos Eleazar, ad medium pariter de-
439 ducuntur, quid ad regendum, et docendum populum Moysi, et Aaron succedere cognoscuntur : signanter eadem Scriptura Eleazarum anteponit, per hoc (quantum videtur) volens intelligi, quod non solum de populo, sed et de principibus populi nullus summo pontifici præferatur, imo ipse tam majoribus, quam minoribus jure sacerdotii anterior habeatur. Sic quippe habetur in Numeris : « Hæc sunt nomina virorum, qui terram sorte dividunt : Eleazar sacerdos, et Josue filius Nun, et singuli principes de singulis tribubus (*Num.* XXXIV). » Et in libro ipsius Josue : « Accesserunt, inquit, principes familiarum Levi ad Eleazar sacerdotem, et Josue filium Nun, et ad duces cognationum (*Josue* XXI). » Et alibi in eonem libro (*Josue*, XXII) quoties Eleazar, et Josue pariter ad medium deducuntur : nisi fallor, eo, quo dixi, ordine disponuntur Phinees, quoque sacerdos filius Eleazari sacerdotis cæteris principibus anterior nominatur, cum quibus ad filios Ruben, et Gad, et dimidiam tribum Manasse, in terram Galaad destinatur. Cum enim duæ illæ, et semis tribus juxta Jordanem altare infinitæ magnitudinis exstruxissent, miserunt, inquit, filii Israel ad illos Phinees filium Eleazari sacerdotis, et decem principes cum eo, singulos de singulis tribubus, et paulo post. Quibus, inquit, auditis, Phinees sacerdos, et principes legationis, qui erant cum eo placati sunt. Vides liquido sacerdotes ducibus, et principibus populi priores nominari, in quo, ut æstimo, eorum dignitas intelligitur commendari, quia cum illis materialis gladius pertingens usque ad divisionem animæ, ac corporis tribuatur : istis conceditur sermo Dei vivus, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, quem usque ad divisionem animæ ac spiritus pertingere Paulus apostolus protestatur (*Hebr.* IV). Ne autem fortuitum, et nil in se habere ponderis videatur, quod sacerdos Eleazar, priusquam princeps Josue nominatur; ipsa divina Scriptura, satis aperte alibi designavit, quod non sine mysterio, sic eorum catalogum ordinavit. Cum enim Moyses, prædicente Domino, diem sui obitus cognosceret immanere, de substituendo principe sollicitus, loquenti sibi Domino sic legitur respondere : « Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, qui sit super multitudinem hanc. Dixitque Dominus ad eum : Tolle Josue filium Nun, virum in quo est Spiritus Dei (*Num.* XXVII), » pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum : ad verbum ejus egredietur, et ingredietur ipse, et omnes filii Israel cum eo. Ecce Josue qui Moysi jubente Domino subrogatur, egredi et ingredi præcipitur ad verbum Eleazari sacerdotis, ut quemadmodum omnes filii Israel, ita et ipse audiat sacerdotem, ut sacerdos imperet, princeps obtemperet; et sic omni populo noverit se prælatum, ut longe digniorem summi pontificis intelligat prioratum.

CAPITULUM LXXI.

Honestum est, et multum utile, ut, quo plures sibi viderit quis deferre, eo diligentius perpendat, quos in quo sibi debeat anteferre; ne si honorem debitum contemnit majoribus exhibere, eumdem mereatur a minoribus contemptum sustinere. Quod cum Ozias rex Juda sapienter nollet attendere, et eum quem debebat sacerdotibus honorem impendere : aggressus est temere quod ei non licebat, putans sibi licere quod libebat. Ingressus enim templum Domini super altare thimiamatis incensum voluit adolere, quod summus pontifex Azarias, cæterique sacerdotes, volentes prohibere : eumdem regem festine sunt intra sanctuarium prosecuti, ferventesque zelo justitiæ, sic eum fiducialiter allocuti : « Non est tui

officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, id est filiorum Aaron : egredere de sanctuario, ne contempseris, quia non reputabitur tibi in gloriam (*Par.* xxvi). » At ille nimis tumens sceptro regiæ potestatis, et nullius momenti reputans pontificalis fastigium dignitatis : non solum noluit humiliter a proposito revocari, sed quod male cœperat, temere cumulando, tenens manu thuribulum iratus cœpit sacerdotibus comminari. Quocirca illum Deus lepra statim in fronte percutit, ut perculsus tandem cognosceret, quod non solum a populo, sed a regibus et principibus, est sacerdotibus deferendum, non eis cervice tumida resistendum. Videns autem Azarias, cæterique sacerdotes quod perfusus esset lepra, vicem ei debitam reddiderunt; dum contemptorem contemnentes, de domo eum Domini, ut abjectum et vilissimum expulerunt. Ipse quoque percepto quod leprosus esset, egredi festinavit, et propter lepram in domo separata, sicut ibi scriptum est, habitavit. Sic nimirum qui monitis sacerdotum tumens fastu regio aurem noluit humiliter inclinare, divinam ultionem intolerabiliter meruit tolerare; illorumque expulsioni, nec prævaluit, nec præsumpsit procaciter obviare, sciens tandem quid debeant sacerdotes regibus imperare. Sicut autem Azarias pontifex, Oziam leprosum expulit de templo ne esset rex (*II Par.* xxiii), sic e regione, Joia la pontifex, Joas introduxit in templum, ut esset rex, eumque populo acclamante, in throno regio collocavit : et occisa avia ejus Athalia, regnum ejus stabilitate debita confirmavit. Quid ergo in his omnibus, nisi pontificalis dignitas commendatur, sine **440** qua, nec potestas regia confirmatur, cujus quidquid potenti benedictione non munitur, quantumvis altum, et eminens, nec durabile, nec commendabile invenitur? Quod quidem apud Scripturas veteres certum est multipliciter designari, in Evangelio autem Christus realiter voluit demonstrari, cum discipulos suos eligens apostolicam eis contulit dignitatem, et huic dignitati magnam et admirabilem tribuit potestatem. « Convocatis, inquit Lucas, apostolis dedit eis virtutem, et potestatem super omnia dæmonia : et ut languores curarent (*Luc.* ix). » Et apud Matthæum : « Amen, inquit, dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata in cœlo : et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta in cœlo (*Matth.* xviii). » Et apud Joannem : « Accipite, inquit, Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt (*Joan.* xx). » Mira dignitas! mira potestas! cujus imperio virtutes dæmonicæ et languores animæ subjugantur, ad cujus arbitrium, quæcunque in terris, in cœlo, quoque solvuntur, et ligantur, quæ claves regni cœlestis sortita, quibus claudi, vel aperiri debeat prudenti examinatione discernit, et alios ab aliis Deo, id ipsum confirmante potenti virtute se cernit.

CAPITULUM LXXII.

Ne autem hæc dignitas, vel potestas solis apostolis, et non etiam eorum vicariis attributa credatur, designantur alii septuaginta duo, quibus Evangelium concedi similia protestatur, qui ad prædicandum ante Christi faciem, sicut agni inter lupos mittuntur : et vicem Christi quemadmodum, et apostoli sortiuntur. Dicitur enim eis : « Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit (*Luc.* x). » Et iterum : « Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones : et supra omnem virtutem inimici (*ibid.*). » Apostolis igitur, virisque apostolicis, id est clericis Christus prædicandi officium delegavit, eisque specialiter ligandi et solvendi pontificium assignavit, ut prædicando doceant, quemadmodum mortui possint, ad consortium redire viventium beatorum, et eosdem a Christo suscitatis permittant abire solutis institis peccatorum. Sic quippe eis, de Lazaro dictum est : « Solvite eum, et sinite abire (*Joan.* xi). » Facile quidem erat Christo, eodem verbo solvere Lazarum quo eum suscitavit, sed jubens eum solvi solventium ministerium commendavit, ne quis forte in posterum cum eum, ad pœnitentiam divina gratia suscitaret, potestatem ecclesiasticam sibi non esse necessariam æstimaret. Sicut enim Christus sibi proprium reservavit mortuos suscitare, sic clericis attribuit suscitatorum vincula relaxare, ut per eorum ministerium detur facultas libera suscitatis, qua deinceps cursu expedito possint perambulare semitam sanctitatis. Non ergo Deo placere pœnitentia comprobatur, quæ non clericorum judicio commendatur, quia sicut peccatorum est pœnitentiam agere pro peccatis, sic clericorum est, eisdem pœnitentibus dare, et describere regulam veritatis. Nec solum hoc eis officium solemne prædicandi vel ligandi pontificium, et solvendi; verum etiam baptizandi prærogativa delegatur, ne quis regnum cœlorum se posse ingredi mentiatur, qui non eorum ministerio ex aqua et spiritu renascatur : « Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* xxviii). » Et ad Nicodemum : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei (*Joan.* iii). » Hæc autem regenerandi excellentia, per quam tam originalia, quam propria peccata remittuntur, in cujus typo in mari Rubro persequentes Ægyptii submerguntur, per quam vitæ veteris pannosa tunica dissipatur, et novus homo candore novæ sindonis decoratur : hæc, inquam, excellentia, sic apostolis eorumque successoribus clericis quasi propria est attributa, ut nullus alius ordo, nulla conditio eo fungi solemniter ministerio concedatur, licet ejusdem sanctitatis, vel forte majoris habeatur.

CAPITULUM LXXIII.

Denique Joannes Zachariæ, major quo nullus inter natos mulierum surrexit, qui multos in Jordane flumine baptizavit, magnus quidem exstitit præclaræ merito sanctitatis, sed tamen baptizando non est fretus apostolicæ privilegio dignitatis. Etsi enim Christum inter cæteros meruit baptizare, non ta-

men eorum quos baptizavit peccata potuit relaxare, quia hæc ejus ablutio parum, vel nihil ablutis profutura, divini baptismi non fuit veritas, sed figura. Divinus baptismus ille est, quo Christus, qui Deus est, per apostolos eorumque vicarios baptizat, quia, etsi ipse vere creditur baptizare; baptizandi tamen ministerium illis voluit commendare. Sic enim evangelista dicit : « Jesus plures discipulos facit et baptizat quam Joannes; quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus (*Joan.* IV). » Ille vero baptismus recte humanus dicitur, quo Joannes qui homo erat, tam Christum, quam cæteros baptizavit; unde, et ipse Christus eumdem baptismum non Dei, sed hominis baptismum nominavit. Baptismus Joannis, inquit, de cœlo est, an ex hominibus? Quis ergo dubitet baptismum divinum humano dignorem : baptismum Christi baptismo **441** Joannis dignorem; baptismum, in quo est veritas, eo qui figura est veritatis dignorem, cum hujus lavacro omnis reatus macula deluatur, ille vero hujus ineficax muneris habeatur? cum autem baptismus quo Christus baptizat, eo, quo baptizatus est, longe sit dignior, quare dignioris ministerium Christus Joanni non donavit, quem ad tantæ sanctitatis excellentiam sublimavit, ut ipse ei testimonium perhiberet, quod major eo nullus inter natos mulierum emineret? Cui majorem cæteris contulit sanctitatem, quare majorem quoque non attribuit dignitatem, ut scilicet baptismi salutaris ministerio fungeretur, et ad ejus arbitrium in terra, et in cœlo omnis obligatio solveretur? Quare, inquam, Joanni prophetæ, et plusquam prophetæ Christus id muneris noluit assignare, nisi quia dignitatem apostolicam speciali quadam gratia voluit commendare, ne ordo ei propheticus, vel præferri, vel saltem æquari putaretur, si vicem Christi Joannes in Ecclesiam, quemadmodum et apostoli, sortiretur? Et pulchre Joannes sanctior et apostolis dignior prædicatur, ut dignitas apostolica non ex merito, sed ex gratia, collata videatur, et alteri ab altero humilitate vicaria deferatur : dum et Apostolus in Joanne majorem aspicit sanctitatem, et Joannes veneratur majorem in Apostolo dignitatem. Et si enim omnes retro sanctos, tam prophetas, quam cæteros apostolica sanctitas excedere nequaquam dubitatur; Joannes tamen, quibusdam sanctior apostolis judicatur: pro eo quod major eo, nullus inter natos mulierum surrexisse perhibetur, si tamen in hoc testimonio sensus alius non habetur. Sunt quippe qui dicant hæc verba Christi, non sic debere intelligi, ut asserant Joannem majorem cæteris, sed tantummodo non minorem, quia non dictum est, quod inter natos mulierum ipse major surrexerit, sed quod nullus eo major surrexerit. Ubi, ut aiunt, relinquitur intelligi etsi non majorem, æqualem tamen posse alterum inveniri, et hunc sensum contendunt nulla cogente littera præpediri. Quod si ita est, ut scilicet Joannes non major cæteris, sed major eo nullus e cæteris habeatur, quis æqualis ei convenientius æstimatur, quam quilibet de apostolis, quorum tanta est sanctitas, ut cunctis imitanda fidelibus proponatur, et eorum tuitioni universalis Ecclesia committatur? Si autem quis econtra dixerit quod Joannes procul dubio sanctior cæteris prædicatur, cum major eo nullis surrexisse inter natos mulierum affirmatur : non est contentiose resistendum tanquam prorsus inconveniens habeatur : si ex his probis sensus hujusmodi colligatur. Est enim quædam figura locutionis quam lyptoten scientia sæcularis appellat, quæ minus dicit, et plus significat : velut cum dicitur, quia ille, nec Samsone est fortior, nec Salomone sapientior, quod nihil est aliud quam; et infirmior est Samsone, et minus sapiens Salomone. Sic et cum dicitur, quia inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista, forte non æqualitas alicujus designatur, sed Joannis major sanctitas per ea ma quam lyptoten diximus, intimatur : nec in hoc tamen sanctis apostolis derogatur, sed erga suum baptistam Christi larga munificentia declaratur.

CAPITULUM LXXIV.

Verum aliquis verba evangelistarum diligenter considerans, adhuc forsitan huic sententiæ repugnabit, et Joannem non esse majorem apostolis probabiliter ostendere laborabit. Dicit quippe Matthæus : « Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista (*Matth.* XI). » Quem vero eum, quem non majorem asserit, debeamus accipere, Lucas determinatius videtur ostendere. « Major, inquit, inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est (*Luc.* VII). » Ergo non apostolus, sed propheta Joanne major nemo est, unde et a Domino plusquam propheta dictus est. « Quid existis, inquit, in desertum videre? Prophetam? Utique dico vobis, et plusquam prophetam (*ibid.*). » Denique apostoli nequaquam prophetæ nominantur : imo super prophetas pace prophetarum dixerim, apostoli sublimantur. Joannem vero prophetam, et plusquam prophetam recte Dominus appellavit, quia quem alii procul positum prophetarunt, Joannes nascendo, prædicando, baptizando, præfigurans, digito demonstravit. Et notandum præterea, quod Matthæus ait : « Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. » Lucas vero, major inter natos mulierum nemo est, ubi iste de præsenti, ille de præterito, neuter vero locutus est de futuro. Ex quo potest intelligi, quia eorum qui tunc erant, vel fuerant, nullus Joanne major, vel esse, vel fuisse designatur : non autem major eo forte aliquis denegatur. Non enim dictum est: « Non surget major, vel, nemo erit major, » sed Matthæus: « Non surrexit, ait, major. » Lucas vero: « Nemo est, inquit, major. » Certum est autem quia tempore, quod hæc dicta sunt, apostoli adhuc infirmi erant, et pusilli, et Joanni longe impares sanctitate, cum ille jam paratus esset mori amore prædicandæ veritatis, isti vero non nisi post mortem Christi tantæ fuerint firmitatis. Nam cum de Joanne Christus hæc loqueretur, et si apostolos jam ad gradum vocaverat apostolicæ dignitatis, non-

dum tamen eis perfectionem promissæ contulerat sanctitatis; sed prius eos in schola 442 sua exemplis et monitis voluit processu temporis informari, post ascensionem vero suam misso de cœlis Paracleto consummari. Recte ergo nullus eorum tunc Joanne major asseritur, cum eorum simplicitas tam frequenter imperfectionis arguitur, cum in navi pavitantes, exprobratione modicæ fidei perculuntur; cum non intelligentes parabolam, adhuc sine intellectu esse reprehenduntur, cum filii Zæbedæi ad dexteram Christi, et sinistram curiositate præpropera petunt se collocari, cum inter omnes contenditur, quis eorum major debeat judicari, cum Philippus videre putans filium, et patrem sibi postulat demonstrari, cum Petrus magistrum abnegat passionis timore mentiendo, cum Joannes sibi consulit nudus relicta sindone fugiendo, cum omnes disperguntur relinquentes magistrum morientem, cum Thomas, nisi fixuram clavorum viderit, non credit resurgentem. Cum his, et multis aliis infirmitatibus occupantur, quid mirum si Joanne minores judicantur? Cæterum cum post ascensionem Christi descendente super eos in linguis igneis Spiritu, musto novæ gratiæ debriantur, cum exuti pannos infantiæ, indumentis perfectioribus innovantur, cum jam Christum passim annuntiant, nullo timore sicut antea revocati, cum etiam ad eorum umbram, vel semicinctia infirmi quilibet redduntur sanitati, cum nascentis Ecclesiæ primordia miris operibus adornare, cum in fervente reclusi officina totius invenitur sanctitatis regulam fabricare, et, ut finem faciam, nova, et nullis sæculis retro audita religione videntur coruscare, quid mirum si quis eos non solum Joanne non minores, sed forte, et jam putaverit sanctiores, cum et si hoc apud nullum evangelistam Christus aperte profitetur, tamen Joanni testimonium perhibens negare non videtur? Sed quia non est nostrum occulta sanctorum merita, cum de Scripturis non habemus, inconsulta lance discutere, ne dum aliis quasi deferimus, aliis inveniamur detrahere: horum judicium Christo summo, et vero Judici debemus relinquere, ut ipse qui contulit, inter eorum sanctitatem discernat, si quid tamen viderit discernendum, et cui voluerit plus, vel minus deferat, si jam ita judicaverit faciendum. Illud pace Joannis posse dici æstimo, quod sive sanctior, sive sanctitate inferior apostolis habeatur, dignitate quadam ecclesiastica paulisper eis cedere videatur, dum in baptizando, et ligando, et solvendo, et cætera Ecclesiæ sacramenta dispensando, vicem Christi apostolus agere comperitur, cujusmodi potestatem, vel ministerium Joannes non sortitur.

CAPITULUM LXXV.

Apostolis quidem eorumque vicariis, id muneris specialiter assignatur, ut per impositionem manuum suarum, Spiritus sanctus credentibus infundatur: et fidelis quis, vel esse, vel dici nequaquam perfecte mereatur, qui non fidei sacramentis per eorum ministerium imbuatur. Quod nimirum in primitiva Ecclesia manifestis indiciis agebatur, cum fidelis quisque accepto Spiritu, linguis variis loquebatur; nunc vero, etsi signa tam evidentia non sequuntur, idem tamen spiritualiter agere certa fide presbyteri cognoscuntur. Dant enim Spiritum per impositionem manuum ordinando: et quamvis apostolis longe sint impares sanctitate, tamen ad conferenda divina fidelibus charismata, utuntur vicaria potestate. Tanta quippe apostolorum sanctitas fuit, ut, etsi eos utcunque potest quivis clericus imitari, non tamen eis possit aliquatenus coæquari; et cum ad nos usque, eorum quodammodo dignitas derivetur, eorum tamen sanctitas sibi quasi singularis, et propria retinetur. Cum de cœlis misso Paracleto linguis omnibus loquerentur, et vulgato tali miraculo, cunctis venerabiles haberentur, tanta in eis efloruit novitas sanctitatis, ut timorem incuteret octo millibus congregatis; et ad eorum arbitrium illi promitterent deinceps se victuros, et suave Christi jugum cervice voluntaria subituros. Unde apostoli novam illis vivendi regulam disponentes, et se ipsos ejusdem formulam regulæ proponentes, ad tantam illos perfectionem provexerunt, quantam nulla retro sæcula cognoverunt. Sicut enim in Actibus apostolorum scriptum est: « Omnes qui credebant, erant pariter; et multitudinis credentium erat cor unum, et anima una; nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia; et quotquot possessores domorum, vel agrorum erant, vendentes, afferebant pretia eorum, et ponebant ante pedes apostolorum, et dividebatur singulis prout cuique opus erat (*Act.* II). » O nova res! Quis, vel ante legem, vel sub lege, tot millia hominum audivit ad tantam pervenisse spiritus unitatem, tam prompto animo amplecti voluntariam paupertatem: in tantum pariter vivendi consensum devenire, tam novæ et perfectæ sanctitatis legibus unanimiter obedire? « Erant, inquit, omnes unanimiter in porticu Salomonis. » Dives illa porticus, non tam auro, vel argento, vel metallis quibuslibet illius antiqui Salomonis, quam thesauro virtutum, et splendore novæ religionis, quod flante 443 austro, et propulsante de camino cineres frigidæ vetustatis: misso igne cœlitus, miro cudit opere, regularis mormulam sanctitatis. Dives, inquam, porticus in cujus camino ignis divinus non comburens, sed illuminans adolescit. In cujus conflatorio inaudita pulchritudo Ecclesiæ coalescit, qui corda tot millium loro tantæ vinculat unitatis, ut non multa, sed unum sint unitæ beneficio voluntatis.

CAPITULUM LXXVI.

Recolo sanctos veteres, Abraham, et Lot, in Scripturis (*Gen.* XIII) non mediocriter commendari, et tamen aliquando, sic ab invicem separari, ut non solum in eodem nollent conclavi, sed nec in eadem provincia pariter ter conversari, ne vel multa eorum substantia vicinitate noxia minui cogeretur, vel inter eorum pastores jurgium nasceretur. Altero

igitur illorum dexteram eligente, ad sinistram alius declinavit; et pro posse, sibi quisque proprias divitias congregavit. Sancti vero novæ legis a dextera, vel sinistra venientes, in unum contubernium congregantur : et sopito timore jurgiorum, domos, agros, prædia, vel quæcunque possident, unire gratulantur, ut et nil sibi proprium singuli retinerent, et novo quodam genere, omnes omnia possiderent. Undecim patriarchæ, cum livore misero torquerentur, Joseph duodecimum furtim vendere non verentur, nec in una secum domo fratrem fratres sustinent conversari, ne præsagio somni perducto ad effectum, cogantur eum quandoque venerari. Sancti vero quos diximus, de multis, et diversis tribubus prodeuntes, relictis multis domibus quas habebant, in unam porticum concrescentes; sic fraterni amoris incendio sunt conflati, ut non solum commanendo, sed idipsum per omnia sentiendo injunctæ satisfaciant unitati filii Israel ductori suo Moysi tam perversis moribus adversantur, ut cum frequenter promittant obedientiam : raro tamen eamdem exsequantur; et quia nolunt habenis præceptorum, quamvis laxioribus, cohiberi, a præceptore suo Moyse, non possunt sustineri. Gravatur itaque ille, non tam (ut æstimo) innumera multitudine populorum, quam duris et indomitis diversitatibus animorum, quos ad idem velle, nec prece, nec pretio, nec minis valet aliquibus revocare, vel forte revocatos non potest in eodem proposito conservare. Sancti vero, quos diximus, sic apostolorum monitis informantur, sic eorum moribus conformantur, ut ad eorum doctrinam renuntiantes omnibus quæ dilexerant possidere, in eadem porticu conversantes, cum eisdem nil habentibus gaudeant nil habere. « Erant, inquit, perseverantes in doctrina apostolorum (*Act.* II). » Beata hæc doctrina, quæ tantam meruit gratiam obtinere, ut tam verbis quam moribus posset alios edocere! quæ primitivæ Ecclesiæ fabricam ad perfectæ religionis fastigium sublimavit, ut et præsentes obtupescerent ad tantæ rigorem novitatis, et posteri sibi assumerent mirandæ regulam sanctitatis.

CAPITULUM LXXVII.

Verum hostis antiquus, cujus proprium est saluti hominum invidere, tantos Ecclesiæ profectus non potuit sustinere; et novæ hujus religionis augmentum, suum reputans detrimentum, ad expugnandum eam quosdam perversos excitavit : et prævalente malitia, propositum rigorem, aliquantulum inclinavit. Immissa enim persecutione fecit levitam Stephanum lapidari, et quos amor religionis collegerat, timore, sic ab invicem separari; ut fugæ præsidium requirentes, huc illucque eligerent evagari, nec quis eorum præter apostolos auderet Jerosolymis demorari. Sic enim scriptum est : « Ejicientes Stephanum extra civitatem, lapidabant : facta est autem illa die persecutio magna in Ecclesia quæ erat in Jerosolymis : et omnes dispersi sunt, per regiones Judæ, et Samariæ, præter apostolos (*Act.* VII). » Et infra : « Illi, inquit, qui dispersi fuerant a tribulatione, quæ facta est sub Stephano, perambulaverunt usque Phenicen, et Cyprum, et Antiochiam (*Act.* VIII). » Cum igitur a convictu apostolorum, incumbente persecutione, multitudo reliqua localiter separaretur, et dispersa ubique gentium incertis, sedibus vagaretur, non potuit in eis idem vivendi tenor per omnia conservari, sed disciplinæ rigor coactus est relaxari. Etsi enim in quibusdam mansit desiderium propositæ sanctitatis, solutum est tamen illius vinculum unitatis, quia simul conversantes relictis omnibus proprium nil habebant, sed propriis communia præferentes prout cuique opus fuerant dividebant. Cum autem jam deficeret illa distributio substantiæ generalis, et sejunctos ab invicem non ex more cohiberet districtio regularis, ad evitandam, vel saltem levigandam vitæ penuriam temporalis, declinarunt ad habendum saeculum pecuniæ specialis. Apostoli vero qui, ut dictum est, Jerosolymis remanserunt, et nonnulli qui eis postmodum adhæserunt, tenuerunt propositum voluntariæ paupertatis, simulque conversantes rigorem propositæ sanctitatis. Unde et fratres qui per diversas dispersi fuerant regiones, et qualemcunque sanctitatem, inter barbaras tenebant nationes, plerumque facientes collectam juxta modum 444 propriæ facultatis, miserunt in Judæam tenentibus propositum prædictæ paupertatis. Cum enim Agabus veniens Antiochiam (*Act.* XI), famem futuram significaret per spiritum, « discipuli, inquit, prout quisque habebat, » proposuerunt mittere habitantibus in Judæa fratribus : quod et fecerunt. Discipuli, inquit, prout quisque habebat. Ergo isti jam non simul omnia, sed quisque quod suum est possidebat. Paulus quoque apostolus Romanis loquens : « Nunc igitur, ait, proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis: probaverunt enim Macedones, et Achaici collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Hierusalem (*Rom.* XV). » Et ad Corinthios : « De collectis, ait, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite per unam Sabbati; quos probaveritis per epistolas hos mittam perferre gratiam vestram in Hierusalem (*I Cor.* XVI). » Et in alia ad eosdem Epistola : « Communicationem, inquit, ministerii quod fit in sanctos. (*II Cor.* VIII). » Eos quidem Paulus appellat sanctos per antonomasiam, qui generalis planitiem sanctitatis transcenderant voluntariæ fastigio paupertatis; qui sic sua reliquerant ut simul omnia possiderent, sic omnia possidebant, ut singuli proprium nil haberent. Etsi enim cæteræ virtutes non mediocriter vivendi dant proventum, tamen sine hac paupertate non ducunt ad perfectum, quia quo plus quisque satagit in acquirendo, vel conservando peritura, eo minus cogitat de his quæ sunt sine termino permansura. Recte ergo per excellentiam sancti sunt appellati qui excellentioris intuitu sanctitatis dant operam paupertati, qui, sicut domum suam quis ditare satagit opes innumeras colligendo, sic et ipsi Ecclesiam nil ha-

bendo. Monet autem Paulus, ut discipuli qui cum fide accepta substantiam sibi retinuerant temporalem, his qui omnia reliquerant ministrando, ab eis acciperent spiritalem, ut temporis istorum abundantia illorum esset inopiæ supplementum, ne immoderata penuria sanctitati propositæ inferret detrimentum, et eorumdem pauperum sanctitatem, quam isti obtinere non prævaluerant similiter operando, suam efficerent misericorditer adjuvando. Processu vero temporis cum apostoli secederent ab invicem gratia prædicandi, et ad fidem cum electis convolarent plures etiam non salvandi, cum ubique fere gentium persecutio fidelibus ab incredulis inferretur, ut nomen Christi desuper terram penitus tolleretur; cœpit quidem, vellet nollet adversarius, multitudo credentium augmentari, sed primitiva illa religio ita paulatim infirmari, ut pauci tandem possent uspiam inveniri qui rigore pristino, vel appeterent, vel persisterent cuniri. Potestas quidem Ecclesiæ multipliciter dilatatur, ejusque dignitas longe lateque favente gratia commendatur : et cum multos passim illuminet sanctitas singularis, paucos tamen continet illa quam prædiximus communitas regularis. Cum enim singuli episcopi singulis civitatibus apponuntur, cum per vicos et oppida presbyteri disponuntur, cum ad regendum Ecclesias clerici disperguntur, augetur quidem per eorum doctrinam credentium multitudo, sed ipsorum aliquantulum fuscatur pulchritudo, quia dum infirmos quosque ad quantulamcunque sanctitatem erigere moliuntur, ipsi a rigore debito, vel coacti, vel forte spontanei dilabuntur. Sic paulatim infirmata est religio clericorum, dum crescente fidelium multitudine populorum, ipsi amplius exarserunt ad obtinendam inter subditos clericalis ordinis dignitatem, quam ad exhibendam tantæ dignitati congruam sanctitatem. Videntes enim, quod hic ordo omnibus in Ecclesia præferretur, eique a cunctis sane sapientibus, tam regibus, quam populis merito deferretur, plerique appetentes, non tam ministerium quam honorem, impensam sibi reverentiam verterunt in tumorem; et unde magis Deum timere, et amare debuerant qui egenum de pulvere suscitat (*Psal.* CXII, *Job.* V), et mœrentes, ut scriptum est, erigit sospitate : inde amplius offenderunt indigni tanta et tam præcipua dignitate. Cum ergo passim Evangelium prædicarent, cum incredulos ad fidem Catholicam invitarent, cum invitatos in eodem proposito confirmarent : Non caste, non sincere, sicut ait Apostolus, id egerunt, cum in eo non quæ Jesu Christi, sed quæ sua sunt quæsierunt (*Phil.* II). Hæc infirmitas, hic defectus, hæc dissolutio clericorum, fons quidam et origo, quantum mihi videtur, exstitit monachorum.

CAPITULUM LXXVIII.

Quia enim de clericis, quorum ordo antiquior est, anterius est tractatum, de monachis sicut proposueram posterius est tractandum, ut sicut jam utcunque innotuit unde, et quo processit ordo, vel dignitas clericatus, sic etiam notum fiat quem ortum vel processum habeat religio monachatus. Cum igitur ad fidem Catholicam longe lateque multitudo gentium convolasset, nilque ab eis aliud apostolorum institutio postulasset quam ut ab idololatria et fornicatione, suffocato et sanguine abstinerent (*Act.* XV), hisque abjectis cætera quæ mundi sunt licite possiderent : in tantum hæc licentia, quæ infirmis et rudibus, discrete et salubriter est donata 445 majores qui firmiores esse debuerant, infirmavit, ut tam Judæus quam gentilis putaret sibi sufficere hujus regulam sanctitatis, et tam clerus quam populus declinaret in hujus planitiem libertatis. Quod nonnulli tandem fidelium diligentius attendentes, et primitivæ illius Ecclesiæ districtum propositum recolentes, cum ad bene vivendum fervore spiritus æstuarent, ut ea quæ mundi sunt, amore cœlestium pro nihilo reputarent, vitæ popularis attritam latitudinem contempserunt, et ad vitæ solitariæ angustias sese viriliter transtulerunt. Relinquentes quippe domos, agros, parentes, tumultum civitatis, et cum rebus sæculi propriæ lenocinia voluntatis : in suburbanis et remotis locis sibi cœnobia construxerunt, in quibus sub districtæ regulæ disciplina mores pristinos correxerunt. Et quia relictis parentibus, conjugibus et multitudine populari, ut perfectius actus relinquerent sæculares, in privatis conversati sunt locis pauci et quodammodo singulares : ab eadem singularitate monozantes vel monachi sunt appellati, ut ipso quoque nomine signarentur esse a populi frequentia separati. *Monos* enim *unus* sive *singularis* interpretatur, unde qui a pluralitate populi, quietis gratia separatur, recte monachus appellatur. Sive ut quidam volunt monachus quasi monoculus dicitur, id est unum tantum oculum habens. Qui enim prius quasi gemino oculo utebatur, dum et mundum appetere, et tamen Deum diligere specialiter videbatur, nunc rejectis omnibus quibus temporaliter solebat delectari, sola cœlestia indiviso desiderio diligit contemplari. Et quia clausit, imo eruit et projecit oculum, quo ea quæ mundi sunt, avidius appetuntur, eum autem retinuit et mundavit, quo cœlestia cognoscuntur, recte monachus quasi monoculus meruit appellari, qui bonæ cæcitatis ignominia non abhorruit gloriari. Denique apud litteras sæculares, vir quidam Monichus appellatur, qui singularem in fronte oculum habere dicebatur : « Jaculatur, inquit, Monichus ornos. » Noster autem monachus non in fronte, sed in corde singularem oculum habere perhibetur, quo invisibiliter intuetur; et eum sibi oculum eruit qui foris esse quasi in facie videbatur, quo carnalia carnaliter mirabatur. Beata hæc cæcitas qua oculus, exteriora diligens, excæcatur, ad quam nos amplectendam Joannes apostolus cohortatur : « Nolite, inquiens, diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt : amicitia enim hujus mundi inimica est Deo (*I Joan.* II). » Hujusmodi cæcitatem Christus intulit, imo contulit his qui eum diligere voluerunt. Qui amore invisibilium visibilia contempserunt, sicut in Evan-

gelio Judæis audientibus designavit, cum eis non intelligentibus largitatis suæ beneficia prædicavit. « In judicium, inquit, ego veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant (*Joan.* IX). » Hoc est dicere : Ad hoc veni, ut oculus appetens invisibilia reparetur, et oculus exteriora diligens excæcetur; ut qui directam perfecte vivendi regulam rectius vult videre, non gravetur cæcitatem nocentis oculi sustinere. Quo enim iste majus sustinet detrimentum, eo ille majus accipit incrementum; et cum huic inferuntur optabilis injuriæ cæcitatis, illi conferuntur amplioris munera claritatis. Sed infelices Judæi verba spiritalia carnaliter attendentes, et auditam cæcitatem, pœnam vel ignominiam æstimantes, responderunt : Nunquid et nos cæci sumus? Ac si dicant : Si ut cæcis visum redderes huc venisti, quid nobis in hoc genere contulisti, cum nos non deturpet cujusvis ignominia cæcitatis, nec egeamus tuæ quam prædicas beneficio largitatis? Et Dominus volens ad spiritalem eos intelligentiam revocare, et eam quam conferre cæcitatem venerat, commendare : « Si cæci, inquit, essetis, non haberetis peccatum, nunc autem dicitis quia videmus, peccatum vestrum manet (*ibid.*). » Hoc est dicere : Si ab his qui foris sunt, mentis oculum velletis avertere, et me non purum hominem sicut cæteros mortales attendere, sed Deum in homine de corde puro et conscientia bona diligere, non haberetis peccatum : peccatum utique infidelitatis, peccatum iniquitatis, quia vos et ad bonum vera credulitas informaret, et in eodem justi operis prosecutio confirmaret. Nunc autem dicitis quia videmus : peccatum vestrum manet. « Nunc autem, inquit, asseritis vos videre, dum ea tantum perpenditis quæ foris cernitis apparere : et quia illis plus justo diligitis inhærere, constat peccatum vestrum vobis indeficiens permanere (*ibid.*). » Quia ergo hunc oculum, qui non nisi visibilia novit attendere, noster, ut dictum est, monachus erutum gaudet projicere, illum autem solum, summa cura, summa diligentia studet excolere, quem sicut aquila solaribus radiis potest infigere : recte propter hunc monadem, monachus meruit appellari qui plures habere oculos renuens, contentus est felicius oculo singulari.

CAPITULUM LXXIX.

Ne autem ad habendos duos vel plures oculos monachus animum retorqueret, id est ne ab appetitu cœlestium exterior eum occupatio dimoveret, sic prima institutio hujusmodi professionem ordinavit, sic eam certis quibusdam legibus informavit, ut nec eam dignitate vellet ecclesiastica sublimari, nec curis sæcularibus implicari. Tantæ quidem eam esse voluit humilitatis, tantæ ut ita dixerim vilitatis, ut in Christi convivio locum quasi abjectum, et ultimum obtineret ejusque abjectionem, quævis dignitas abhorreret. Sicut ergo hujusce professio procul a se negotia sæcularia relegavit, ut Deo perfectius vacare mereretur; sic et jam dignitates fugit ecclesiasticas, ne plus justo earum illecebris caperetur, quia, etsi eas non nisi spiritales viros justum est obtinere, earum tamen occasio multos consuevit a perfectionis culmine removere; fuit autem illius propositum perfectionis intuitu cuncta prorsus obviantia declinare, seque ipsam privatis adeo studiis occupare, ut et labori manuum insisteret prout vitæ hujus necessitas exigebat; et non nisi Deo placere contenderet, quod vivendi perfectio requirebat. Denique nullius, vel ætatis, vel conditionis homines specialiter curavit eligere, sed omnes passim, et indifferenter colligere : et cum non nisi litteratos clericalis admitteret dignitas, nullis imbutos litteris monachalis recepit humilitas. Non enim alienum a se professio monachica judicavit, si quis ad eam conversionis gratia veniens litteras ignoravit, cum ejus esset propositum non tam scientiæ litterarum studium adhibere, quam jejunia, et vigilias, et opus manuum exercere. Opus autem manuum tanta diligentia, tanto studio arripuit, ut non solum diebus, sed et noctibus in eo laboraret, quatenus, et sibi quisque laborando necessaria ministraret, et attritione carnis assidua, spiritus insolentiam edomaret. Sic nimirum, ut quidam aiunt, Marcus evangelista constituit : sic monachis vivendi normam instituit. Cum enim fervens spiritu Marcus propositas sibi dignitates vellet ecclesiasticas declinare, et in novissimo recumbens loco, tanquam lumen accensum in abscondito latitare, zelum Dei habens, sed non secundum scientiam pollicem sibi præsumpsit amputare, ut eum merito posset Ecclesia reprobare. Sed quia scriptum est : « Non est consilium contra Deum (*Prov.* XXI), » in tantum electio divina prævaluit, ut illius desiderium cassaretur, et ad honores ecclesiasticos invitus raperetur. Est enim, vellet nollet, gradum sacerdotii assecutus, et ad cumulum dignitatis Alexandriæ primus pontifex constitutus. Verumtamen, etsi voti compos esse non potuit latitando, non tamen destitit ab amando : et abjectionem quam divino repugnante consilio tenere vivendo non potuit, aliis tenendam instituit. Pauci quidem, et probatissimi viri qui eo tempore apud Alexandriam Ægypti monachorum nomine censeri, ab eo vivendi regulam susceperunt, et assumpto de Actibus apostolorum quod scriptum est quia « nullus sibi dicebat aliquid proprium, sed erant eis omnia communia (*Act.* IV), » et cætera hujusmodi, illud etiam de Propheta (*Psal.* CXXVIII) sibi adjungi voluerunt : « Labores manuum tuarum quia manducabis beatus es, » et de Apostolo : « Qui non laborat non manducet (*II Thess.* III.) » His et hujusmodi Scripturarum monitis Marco docente informati, tantam proposuerunt impendere diligentiam sanctitati, ut forma eorum non solum idiotas et simplices invitaret quos aura plerumque removet levitatis, verum etiam litteratos, et discretos viros quos commendat maturitas debitæ gravitatis. Convolantibus igitur in unum tam litteratis quam illiteratis in suburbio Alexandriæ monasterium monachorum Marcus instituit, quibus et vivendi normam, et disciplinæ rigorem imposuit, volens eos

labori manuum tam diligenter insistere, ut et torpori et otio agilitate strenua possent resistere; et non ad aliorum suspensi munuscula ex proprio sibi necessaria victus acquirere. Quia enim eis prædicandi non injungebatur officium, non regenda Ecclesia, non tuendorum cura fidelium, sed abjectio subdita, labor assiduus, quietum silentium : congruum fuit, ut oblationes populi non præsumerent aucupari, ne usurpantes indebitum alieno mererentur onere prægravari. Illis quippe de Evangelio vivere datum erat, et oblationibus populi sustentari quibus prædicandi ministerium datum erat, et Ecclesiæ fidelium doctrinæ merito principari : istis vero hujusmodi humilitas est injuncta, ut se viliores cæteris reputarent, et non tam dignitatis fastigio præeminere, quam latere sub silentio affectarent. Unde et habitum incultum et horridum habere voluerunt, ut despectum mentis exteriori schemate demonstrarent, et ad contemptum mundi sicut moribus, ita et vestibus cæteros invitarent.

CAPITULUM LXXX.

Multi ergo tanta religione longe lateque vulgata, et eodem fervore spiritus affectata, vale facto parentibus, possessionibus propriisque voluntatibus, ad eam confugerunt, seque et tam rigido ordini, et tam ordinato rigori voluntarie subdiderunt. Nec solum jam apud Alexandriam, sed et per totam Ægyptum per Thebaiden eadem religio divulgatur, divulgata multiplicatur, multisque in locis abundante gratia cœnobia construuntur, in quibus humiles spiritu ad vivendum unanimi spiritu colliguntur. Deinde vero in Palæstinam, Mesopotamiam, Cappadociam totumque Orientem districtio monachalis diffunditur, per quam dissolutio tam clericorum quam laicorum confunditur, tumoremque suum plerique **447** exsecrantes luctum pœnitentiæ humiliter amplectuntur, et pristina conversatione relicta, vitam monachicam profitentur. Qui nimirum pro qualitatibus vel locorum vel temporum, vel pro diversitatibus animorum, quædam sibi addere, quædam subtrahere, quædam vero mutare voluerunt; et quæ a prioribus Ægyptiis fuerant instituta non per omnia tenuerunt, sed sic arripuerunt districtionem propositumque monachorum, ut tamen in quibusdam infirmitati condescenderent plurimorum. Quia enim apud infirmos animos, fastidium parit identitas, dejectationem vero grata varietas, placuit eis opus manuum quod fere indesinenter proposuerant agere, certis quibusdam temporibus paulisper omittere, ut eo intermisso spiritualibus officiis attentius vacarent, solemnitatemque psalmorum, quæ apud eos synaxis dicebatur, devote celebrarent. Igitur præter vespertinas et nocturnas horas in quibus cum Ægyptiis monachis concordabant, hora tertia, sexta, nona in unum concurrentes prædictam synaxim celebrabant, quam trium tantummodo psalmorum numero terminabant, ut et devotioni pro tempore liberius indulgerent, et ad opus manuum quanto citius remearent. Hoc enim quasi ex debito, illud autem agebant gratuito, quia et eorum erat propositum laborem manuum diligentius exercere, et gratum videbatur aliquando spiritualibus officiis quasi raptim et celeriter indulgere. Sic profecto grata vicissitudine recreati, facilius se credebant curam impendere sanctitati, quia infirmus animus intolerabili fastidio prægravatur, si semper idem attendere compellatur. Illi vero qui intra Ægyptum monachi versabantur, et maxime Tabennesiotæ qui apud Thebaidem morabantur, tam inflexibiliter monachale propositum tenuerunt, ut a mane usque ad vesperum a labore manuum non cessarent, nec in unum pariter congregati prædictas horas diei solemniter celebrarent. Orando quippe et meditando psalmos et orationculas ruminando, labori proposito insistebant, et utrumque non alternatim sicut hi quos prædiximus, sed pariter indefesso rigore peragebant, ut cuivis supervenienti dubium haberetur quid ex quo pendere videretur. Neque enim vel propter laborem psalmos, vel propter psalmos laborem dimittebant, sed sic alterum altero muniebant, ut et labor fastidium removeret orandi, et oratio levigaret continuum exercitium laborandi. Vespertinis tantum nocturnisque temporibus psalmos in unum solemniter decantabant, et post nocturnam synaxim ad cellulas suas cum summo silentio singuli recurrebant, ubi quod reliquum erat noctis, in vigiliis et labore manuum expendebant, ut non solum diebus, sed et noctibus, sicut superius dictum est, in opere desudarent, ne forte ullo tempore a proposito declinarent. Denique arguendi sibi non mediocriter videbantur, si, cum lux exoriens adveniret, eos somno vel otio torpentes inveniret; et ideo adventum diei pervigiles exspectabant, vigiliasque suas assiduo labore manuum commendabant. Tanto enim majorem se credebant perfectionem adipisci, quanto ea quæ retro sunt studebant amplius oblivisci, et huic oblivioni, non modicum profectum assiduitas laboris conferebat, quæ noxios cogitatus districtione congrua reprimebat, Sabbato et Dominica in unum, hora tertia communionis gratia confluebant, et participato Christi corporis et sanguinis sacramento, per reliquos dies hebdomadæ nulla missarum solemnia requirebant.

CAPITULUM LXXXI.

Neque enim tunc temporis mos erat apud illos vel missas frequenter celebrari, vel ad sacros ordines passim monachos sublimari, sed in cœnobio vix unus vel duo presbyterio fungebantur, qui tamen hujusmodi officio digni præ cæteris videbantur. Sic nimirum episcopi cæteriqne rectores Ecclesiæ fieri permittebant, sic illorum necessitatibus misericorditer concurrebant, ut quia secum presbyteros clericos habere non poterant ad celebrandum inter eos ministerium altaris, aliquem ex monachis promoverent ad ordines ne carerent munere sacrificii salutaris, ne qui propter Christum, a turba remoti elegerant in solitudinibus habitare, illic sine Christi sacramento vel præsentem vitam ducere cogerentur, vel

eamdem periculosius terminare. Multo etiam post tempore cum per totum fere orbem ejusdem ordinis opinio vulgaretur, cum per multas civitates et oppida castellaque et viculos monachorum monasteria construerentur, mansit quidem pristina consuetudo, ut scilicet inter eos missas pauci admodum celebrarent, et easdem non publice, sed privatim, id est sibi non populo decantarent. Quia enim non erat officii eorum ad celebrandum divinum mysterium assistere altari, sed communicandi gratia concessi sunt id agere ne carerent munere salutari : idcirco et paucis inter eos dabatur sacris ordinibus sublimari; et ad missas eorum non erat mos populum convocari. Hoc nimirum proprie attributum fuerat ordini clericorum, quibus non solum populi sed et cura injuncta monachorum. Quod si cui videtur incredibile quod 448 audit de monachis affirmari, quia videlicet id nostris temporibus videt aliquantulum immutari, legat vel relegat diligentius veterum scripta Patrum, et verum esse procul dubio comprobabit, nostrisque assertionibus, sopito murmure, concordabit. Adeo quidem pauci solebant inter eos ad sacros ordines antiquitus promoveri, ut cum plerumque in monasterio multos constaret monachos contineri, vix tamen, ut supra dictum est, unus inter alios haberetur, qui ad celebrandum divinum mysterium presbyteratus officio fungeretur.

CAPITULUM LXXXII.

Invenitur in registro, quia monachorum congregatio, quæ in monasterio Præcoritano consistebat, sacris missarum solemnibus peragendis presbyteri officio indigebat : et ideo dominum papam Gregorium humiliter postulavit, ut de monachis unum concederet ordinari, a quo illic sacra possent missarum solemnia celebrari. Cui petitioni papa Gregorius benigne consentiens, Victorem Panormitanum episcopum, in cujus episcopio idem monasterium situm erat dignatur admonere, ut desiderium monachorum, quod ad religiosum propositum et salutem animorum monstratur pertinere, occasione postposita festinet adimplere, ut scilicet eum, quem de congregatione sua monachi unanimes obtulerint consecrandum debeat promovere; « quatenus, ut ejusdem Gregorii verbis utar, congregatio quæ sibi eum postulat ordinari, quoties necesse fuerit sacrificii solemnitatem, veneratione debita celebrando valeat refoveri (108). »

Urbicus etiam abbas monasterii Sancti Hermæ, quod Panormi situm erat, cum ea quæ cum ipso erat congregatio monachorum apud se presbyterum non haberet, hoc idem beatum Gregorium postulavit, et ille prædicto Victori Panormitano episcopo, ut ex eis unum ordinaret presbyterum scriptis mediantibus imperavit. Ait enim : « Fraternitatem vestram necessario scriptis præsentibus duximus adhortandam, ut eum qui ad hoc ministerium de eadem congregatione electus fuerit, cujus vita, mores, et actio tanto possint ministerio convenire, sine mora auxiliante Domino debeat consecrari, quatenus nec ille de monasterio suo hac pro causa egredi, nec extraneum sibi ad peragendum sacrum opus cogatur adducere (109). » Videtis quia in monasterio Præcoritano vel Panormitano, papa Gregorius unum concedit monachum ad sacros ordines promoveri, ut quoties necesse fuerit, sacrificii solemnitatem celebrando valeat congregatio refoveri et ad peragendum sacrum opus necesse non sit extraneum presbyterum adhiberi.

CAPITULUM LXXXIII

Quod autem mos non fuerit apud eos missas publicas celebrari, sed privatas quodammodo, id est ad eas populum non solemniter convocari, idem Gregorius evidenter innotuit, qui Felicem Pisaurensem episcopum hujus antiquæ consuetudinis transgressorem districte redarguit. Loquens enim de monasterio monachorum quod quidam Joannes construxerat, et prædictus Felix episcopus dedicarat, ait : « Ut ad nos pervenit, cathedra posita, sacra illic publice missarum solemnia celebrantur. Quod si verum est, his vos adhortamur affatibus, ut omni excusatione cessante, cathedram vestram exinde amoveri modis omnibus faciatis, nec denuo illic missas publicas peragatis. » Ne autem videretur beatus Gregorius nolle monachos ibidem conversari, ubi tam stricte missas publicas prohibet celebrari, adjungit : « In eodem autem monasterio congregationem servorum Dei, sicut nunc est, cum Dei gratia volumus permanere. » Et ne cursus eis illic manentibus missarum consolationem videretur penitus abnegare, hanc ab eis molestiam curavit diligentius amputare. « Si missas, inquit, ibidem sibi celebrari voluerint, a te presbyter dirigatur (110). » Sibi ergo, id est monachis, non populo, quod est privatas, non publicas missas ibi permittit celebrari; et quia forte presbyterum non habebant, concedit eum illuc ab episcopo delegari. Si missas, inquit, ibidem sibi celebrari voluerint, a te presbyter dirigatur. Sic nimirum a concursu populi volebat Gregorius monachos removeri, ut nec missarum occasione possent eis aliquatenus admisceri : ne si forte alienum sibi officium usurparent, cum sæcularibus ad sæcularia declinarent. Sciebat enim ad eorum ordinem nequaquam pertinere, ut in regendis populis satagerent diligentiam adhibere; et ideo quæ sibi concessa fuerant sic eos volebat actitare, ut ad indebita nullatenus præsumerent aspirare. Eapropter quamdam ecclesiam Sancti Pancratii, quæ commissa clericis fuerat, ut missas in ea celebrarent, et populo illuc ex debito confluenti divina peragendo ministrarent, cum sciret idem Gregorius per clericorum negligentiam in deterius declinare, eisque bora constituta ibidem non inventis populum revertentem ad propria mur-

(108) S. Greg. Registri lib. IX, indict. II, ep. 92. Patrologiæ t. LXXVII, col. 1018.

(109) Ejusdem Registri lib. VI, indict. XIV, ep. 42, col. 830.

(110) S. Greg. Reg. l. VI, ind. XIV, ep. 46, col. 852.

murare, sic illam vicino cuidam monasterio monachorum voluit commendare, sic ejus reditus ad usus monachorum in posterum delegare, ut abbas monasterii deinceps ejusdem ecclesiæ provisor haberetur, **449** et ad peragendum sacrum opus illic ab eo non monachus, sed clericus presbyter poneretur. Clerici quidem priores, qui sibi ex ea gaudebant alimoniam accipere temporalem, non satis populo confluenti reddebant spiritalem ; et ideo ad religiosos viros temporale transferre voluit emolumentum, ut eis diligentiori cura providentibus, non pateretur ulterius Ecclesia detrimentum. Quia vero in eadem Ecclesia celebrari missas publicas oportebat, pro eo scilicet quod ad audiendum sacrum opus, illuc populus (ex debito confluebat, voluit idem papa, ut abbas illic non monachum, sed clericum studeret presbyterum adhibere, cujus erat tam verbo, quam exemplo populum edocere. Sic enim abbati Mauro ait (111) : « Statuimus ut terras præfatæ Ecclesiæ, vel quidquid illuc intraverit, seu de reditibus ejus accesserit, monasterio tuo debeat applicari, atque illic sine diminutione aliqua pertinere : ita sane, ut quæcunque in ipsa Ecclesia fienda reparandaque sunt, per te sine dubio reparentur. Sed ne remotis presbyteris, quibus Ecclesia ipsa fuerat ante commissa, vacare mysteriis videatur, idcirco tibi hujus auctoritatis tenore præcipimus, ut peregrinum illic non desinas adhibere presbyterum, qui sacra possit missarum solemnia celebrare, ut nullus deinceps in supradicta Ecclesia possit inveniri neglectus. » Patet quia Gregorius, qui propter neglectum clericorum ad monachos ecclesiastica beneficia vult transferre, non tamen eis id quoque muneris vult conferre, ut præsumant in populo missas publicas celebrare, sed potius clericis vult illud tanquam proprium reservare.

CAPITULUM LXXXIV.

Quia ergo sibi tantum, non populo missas monachi celebrabant, pauci tunc temporis ad sacros ordines aspirabant : priori vero tempore, multo etiam pauciores, cum tamen essent in rigore monachico fortiores. Cum enim Marina virgo ad monasterium monachorum a patre monacho parvula duceretur, et tacito quod puella esset, cum eis monachus efficeretur, ibique ab annis puerilibus educata, et sacris litteris informata, miræ sanctitatis, miræ patientiæ haberetur, et usquequo in ætate perfecta, vitam morte finiret, esse femina penitus nesciretur : non erat mos, ut æstimo, tam generaliter in cœnobiis monachos ordinari, sicut nostris temporibus videmus actitari. Neque enim credendum est, ut ea quæ et tanto tempore inter monachos conversatur, et tantæ sanctitatis, tantæ patientiæ fuisse comprobatur, vel vocata ad ordines præsumpserit a mandato contumaciter resilire, vel oblita sexus feminei, ausu illicito tali mandato præsumpserit obedire.

Eugenia quoque virgo, cum fervore divini spiritus æstuaret, et sæcularis conversationis latitudinem exhorrescens, angustam vivendi semitam affectaret, femineum deponens habitum, cum vir esse putaretur, monasterium ingressa est virorum, in quo non solum monachus, sed et processu temporis, abbas facta est monachorum. Quis igitur credat talem monachum, imo talem abbatem, sacris ordinibus sublimari, divina peragentem mysteria, sacris altaribus præsentari? Neque enim ad regendos monachos quærebatur quivis presbyter ordinatus, sed tantum bonis moribus informatus, qui studeret cæteris fratribus non tam præesse fastigio presbyteratus, quam prodesse religione et scientia, totiusque exemplo monachatus. Denique beatus ille Benedictus, qui multa monachorum monasteria ædificavit, qui vivendo et scribendo ad unguem monachos informavit, qui sanctitatis suæ commendabile reliquit posteris monumentum, dum regulariter vivendi non mediocre præbuit documentum, non quidem presbyter legitur exstitisse, nec tamen ei quidquam monachalis dignitatis creditur defuisse. Attendens quippe quia non facit monachum ad sacros ordines prædicta promotio, sed abjectio propria, labor, silentium, disciplina, quies, religio : non putavit quidquam injuriæ monachico proposito Benedictus inferre, si se monachis contenderet, non sacris ordinibus, sed sacris moribus anteferre. Quia vero id rectores Ecclesiæ, etsi non ex debito contulerunt, tamen gratuito concesserunt, ut scilicet monachi sacris ordinibus fungerentur, ne remoti a populo removeri etiam a salutari sacrificio viderentur, in tantum hæc licentia nostris excrevisse temporibus invenitur, ut jam in monasteriis, non solum abbatem, verum etiam aliquem monachum vix contingat haberi, qui non se videat ad ordines promoveri. Plerique autem qui in professione clericatus sacros ordines sortiuntur, relicta militia clericali ad vitam monachicam, quietis gratia transferuntur, et cum esse desinant clerici, non tamen eis ordines auferuntur; sed sicut ii accipere qui non habuerant, sic et retinere qui ante habuerant, conceduntur. Sic nimirum cum sacris ordinibus insigniri proprium quodammodo sit clericorum, his de causis, quas diximus, translatum est ad ordinem etiam monachorum, ut, **450** sicut ait Gregorius, cum necesse fuerit sacrificii salutaris solemnitatem celebrando, valeat congregatio refoveri, et ad peragendum idem opus, non sit necesse extraneum presbyterum adhiberi. Nec moleste ferant clerici, si hoc munus monachis est collatum, cum idem sibi videant non ablatum; et cum illis sit hoc misericorditer attributum, non tamen sibi dignitatis pristinæ quidquam est imminutum. Etsi enim aliqui vel nolunt, vel nequeunt clericorum videre dignitatem, non tamen illorum cæcitas obscurat veritatem; sed cum illis claudatur qui fastu vel negligentia defecerunt,

(111) Epistola 18 ex Registro D. Greg. lib. II, indict. XII, cap. 18.

aperitur cæteris qui in humilitate et scientia profecerunt.

CAPITULUM LXXXV.

Quod autem ad usus monachorum ecclesiastici redditus transferuntur, et contra pristinum institutum labore manuum non aluntur, pace vestra, clerici, dixerim, vestra mihi visa est sæcularitas hoc egisse, vestraque dissolutio hoc illis beneficium contulisse. Quia enim contemptis ecclesiis quibus specialiter servire debebatis, neglectoque populo, quorum oblationibus temporaliter vivebatis, ad ambienda transitoria perversis moribus defluxistis, et non tam quæ desunt, quam ea quæ mundi sunt, cæcitate noxia prætulistis : visum est tam beato Gregorio, quam cæteris pastoribus Ecclesiæ, ut ad religiosos viros temporales ecclesiarum redditus transferrentur, quorum provisione sollicita studiosius et sanctius ecclesiæ regerentur. Est et alia causa, cur ecclesiastici redditus ad monachos transferuntur, et quæ fuerant propria clericorum, illorum etiam usibus conceduntur. Cum ordo monachicus, suburbiis et solitudinibus contentus non fuisset, sed crescente numero civitates et oppida, castella et viculos occupasset, ad eum plerique delicati conversionis gratia confluxerunt, qui corporis et animi teneritudine præpediti, nequaquam tenere rigorem pristinum potuerunt. Laxis quippe habenis, cum propter circumstantiam populi inter quos habitabant, tum propter prædictam teneritudinem, qua præcipue laborabant, laborem manuum, quem priores tenuerant, reliquerunt, et in claustris commorantes, sub umbra quietis et otii remissius latere voluerunt. Quod attendentes doctores Ecclesiæ talibus quoque nequaquam defuerunt, sed eorum infirmitatibus misericorditer occurrerunt, ut qui priori proposito satisfacere non poterant vel nolebant, saltem possent perficere bonum delicatius quod volebant. Ne enim a labore manuum feriati, vel propter inopiam a professione monachica penitus resilirent, vel se propter victum transitorium negotiis sæcularibus irretirent, concesserunt pastores ecclesiastici redditibus illos Ecclesiæ sustentari, ut propulsa victualium sollicitudine, in divinis lectionibus possent liberius occupari. Unde papa Gregorius Joannem abbatem et qui cum eo erant monachos arguit, quod ad usus suos accipere redditus Ecclesiæ præsumebant, et tamen vacandi otio non legendi negotio diligentiam impendebant. Ait enim (112) : « In ipsis fratribus monasterii tui, quos video, non invenio eos ad lectionem vacare; unde considerare necesse est quantum peccatum est, ut ex aliena oblatione Deus vobis alimoniam transmiserit, et vos discere Dei mandata negligatis. Cum igitur his quæ dictæ sunt causis ecclesiasticos redditus monachi meruerunt obtinere, tanta nonnulli eorum processu temporis aggressi sunt possidere, ut congestis divitiis, quas vera semper religio cognoscitur horruisse, videantur obliti paupertatis, quam pridem huic ordini familiarem certum est exstitisse. Hæc profecto paupertas hunc invenitur ordinem peperisse; hæc in sinu vel gremio spiritualibus eum alimoniis enutrisse, eductumque de pannis infantiæ in ætatem vel robur debitum perduxisse, ut ad perfectionis cumulum nihil ei visum sit defuisse. Enimvero assumptis viribus idem ordo paupertatem visus est exsecrari, nil intolerabilius judicans, quam ejus legibus diutius coaretari; et quam matrem et nutricem habuerat amoris beneficio spiritalis, persequitur velut hostem, velut arguendam odii novercalis. Satis ergo non æstimans concessis beneficiis mediocritate prævia sustentari, certatim accelerat divitiis et honoribus cumulari : non perpendens quantas injurias inferat sanctitati, dum tantis nisibus renuntiat paupertati.

CAPITULUM LXXXVI.

Videntes autem nonnulli monachorum sese clericis ditiores, putant se nihilominus digniores; et quos præcedunt cujusdam specie sanctitatis, præsumptionis nebula caligantes, putant etiam prævenire fastigio dignitatis. Enpropter cum circumeant mare et aridam ut faciant unum proselytum, cum aliquem vitæ sæcularis hortantur fieri monachum, talibus eum alliciunt blandimentis, ut dicant ordinem suum cæteris ordinibus digniorem, vitamque monachicam non secundam alteri, sed omnibus gradu et meritis altiorem. Si converti, aiunt, desideras, melius applicabis, nostris aurem monitis convenientius inclinabis, nec nostri est consilii, **451** ut ad alium ordinem debeas proficisci, cum nostro sublimiorem non possis adipisci. Noster equidem ordo cæteris dignior invenitur, hæc vivendi semita nullo compendio prævenitur, et ideo si vis dignum invenire profectum, scias te non posse gradum alias ascendere tam perfectum. Non potest, aiunt, quisquam altius evehi, quam ut monachus efficiatur, cum hic ordo dignior, et cæteris sublimior habeatur, et clericalis dignitas quæ reliquis inferioribus principatur, nostræ sublimitati nullatenus coæquatur. His et hujusmodi assertionibus sese efferunt nonnulli monachorum, dum sibi allicere volunt animos auditorum ; et in talem sententiam non solum imperitiam quorumlibet judicant laicorum, sed id quoque sentire compellunt nonnullos clericorum. Plerisque etenim clericis quos scientiæ non illustrat perfectio, talis monachorum vera jam videtur assertio; et quia tam in se quam in cæteris quibuslibet clericis parvam conspiciunt sanctitatem, putant nihilominus esse parvam eorum dignitatem. Utrique, ut videtur, non mediocriter arguendi, utrique ad veri cognitionem diligentius instruendi, ne si ab eis negligentibus veritas ignoretur, incurrant quod per Salomonem Deus talibus comminatur : « Nisi cognoveris te, o pulchra inter mulieres, abi post vestigia gregum et pasce hædos tuos (*Cant.* I). »

(112) Exemplar ex Registro D. Gregorii lib. II, indict. X, cap. 42.

Qui enim debitam non habet cognitionem veritatis, quid, nisi pascit et fovet immunditiam falsitatis, dum apud se errore devio volvit et revolvit, vel id verum esse, quod falsum est, vel e regione falsum esse quod verum est? Apud hujusmodi nec simplicitatem cogitationum, nec puritatem operum poteritis invenire, sed petulcæ præsumptionis motus inconditos videbitis lascivire, dum obvolutus caligine, vel cujus sit ordinis non attendit, vel cujus dignitatis idem ordo sit diligentius non perpendit.

Bonum quippe est homini scire, vel in quo ordine sit constitutus, vel ejusdem ordinis quæ sit meta, vel terminus institutus, ut nec ultra certos fines præsumat procaciter prosilire, nec citra redeundo ab eisdem enerviter resilire. Si enim quemquam, vel ultra, vel citra fines certos contigerit demorari, non poterit ad liquidum quæ recta sunt operari, cum caligante scientia, quæ est totius perfecti operis fundamentum, ipsum opus non mediocre sustineat detrimentum. Unde apud quemdam historiographum vir nobilis Metellus commendatur, qui non tam genere quam prudentia commendabilis habebatur, quod et suum ordinate exercitum disponebat, et eumdem nullatenus ordinem confundi permittebat. Vigilias, inquit, cum legatis circuire, item in agmine in primis modo, modo in postremis, sæpe in medio adesse: ne quispiam ordinem egrederetur. Videbat quidem vir guarus belli quod non facile victoriam obtineret, si exercitus suus ordinem debitum non teneret, si inter nobiles et gregarios milites confusio nasceretur, si vel pedes equiti, vel eques pediti incongrue misceretur, vel majores abjectione degeneri ad ima declinarent, vel minores locum majorum procaciter occuparent. Cui rei, et vir ille prudens Boetius testimonium videtur perhibere, qui id quod certum deserit ordinem dicit lætos exitus non habere. « Quod certum, inquit, deserit ordinem, lætos non habet exitus. » Ideo et poeta quidam admonet diligenter

Singula, inquiens, *quæque locum teneant sortita*
[*decenter*.
HORAT.

Denique ut ad nostras litteras veniamus, cum Isaias quorumdam commendaret simplicitatem, non tacuit in eisdem adjunctam ordinis gravitatem, sciens quia simplicitas innocentis non sufficienter est ornata, si non convenienter fuerit ordinata: « Et pascentur, inquit, agni juxta ordinem suum (*Isa.* v). » Pulchre agnos juxta ordinem suum dicit pasci, quia simplicitas tunc invenit gramina pascuæ salutaris, cum a nullo declinans latere, tenet rectitudinem semitæ regularis, tunc pastorem suum, et ducem itineris non relinquit, cum nec per insolentiam constitutum terminum derelinquit. Unde et eos qui juxta ordinem pascuntur, non hædos, sed agnos Scriptura voluit appellare, quia hædus petulcum animal lascivos nescit impetus refrenare, sed ignorans ordinis, æstu vagæ libidinis per devexa et ardua diligit evagari, ut ab agnorum sejunctus consortio tandem a sinistris dignus sit collocari. Quocirca Dominus in Numeris (*cap.* II) per Moysen jubet ut ordinate filii Israel graderentur: Singuli, ait, per loca et ordines suos, proficiscentur. Nullus ergo ambigat quin secundum ordinem suum quisque debeat operari, secundum ordinem suum actis et moribus informari, quia omnis actio quæ suo est ordini regulariter conformata, terribilis est, ut castrorum acies ordinata. Ideo Apostolus: « Omnia, inquit, in vobis honeste et secundum ordinem fiant (*I Cor.* XIV). » Pulchre Apostolus quæ honeste voluit fieri, secundum ordinem quoque voluit fieri, quia in nostris operibus non invenitur debitæ speciei honestatis, si non in eis teneatur et veritas ordinis, et ordo veritatis. Quomodo autem omnia secundum ordinem facimus, si nec ipsum ordinem scimus; si quod præferendum est, judicamus sensu erroneo postponendum, et e converso quod postponendum est, falso asserimus præferendum? Nonne illa in Canticis quæ diligit, charitatem in se postulat ordinari, ne confuso dilectionis ordine mereatur erroris accusari, si vel quod prius est diligendum posterius amplectatur; **452** vel quod dignius judicandum indignius apud eam et vilius habeatur: « Ordinate, inquit, in me charitatem (*Cant.* II). » Bonum est ergo tam clerico quam monacho, scire cujus ordo suus existat dignitatis, et in suo quisque ordine cujus esse debeat sanctitatis, ne vel suos vel alteri plus, vel minus justo incaute præsumat arrogare, sed cuique quod suum est, et sciat, et velit humiliter assignare.

Si ideo monachi putant se clericis digniores, quia, ut supra dictum est, vident se plurimum ditiores, ecclesias suas auro, gemmis, serico viderent abundantius adornari, mensas suas multis et variis ferculis cumulari, et in cæteris quæ longum et superfluum est dicere, sese temporaliter prosperari; nulli dubium quin hæc sententia digna sit reprobari, cum ad mensuram divitiarum, nulla debeat dignitas æstimari. Quis enim concedat, ut quanto quis ditior, tanto sit et dignior, cum plerosque subditos videamus divitiarum effluere largitate, prælatos vero conteri, vel invita, vel voluntaria paupertate? Si autem ob hoc se voluerint astruere digniores quia forte sunt aliquantulum sanctiores, dum clerici habenis laxioribus abutentes, sæcularibus videntur admisceri, monachi vero arctioribus loris coerciti sub claustrali regula cohiberi, neque ob hoc eis æstimo concedendum, ut isto postposito sit eorum amplius ordini deferendum. Etsi enim clericorum sanctitas infirmatur, non tamen eorum dignitas annullatur, nec secundum mores eorum judicandum est de ordinis dignitate, cum quantitas dignitatis non pendeat ex vivendi qualitate. Huic quidem dignitati magna et præclara sanctitas est injuncta, sed tamen ei non sic inseparabiliter est conjuncta, ut si eam declinare contigerit alicujus impulsu pravitatis, ipsa quoque necessario collabatur excellentia dignitatis. Non ergo ideo monachi

debent digniores clericis æstimari, quod clericorum sanctitatem vident aliquantulum infirmari, quia major sanctitas non potest id muneris obtinere, ut majori ordini possit in Ecclesia præeminere. Alioquin si hoc in præsenti Ecclesia fixum et immobile teneretur, ut sanctior minus sancto dignior haberetur, non solum jam clerico monachus, sed presbytero rusticus præferretur, minusque reverentiæ magistro, plurimum vero discipulo deferretur. Plerumque enim majorem invenimus in rustico quam in presbytero sanctitatem, nec tamen ei majorem attribuimus dignitatem : imo cum iste vitæ merito nobis sit amplius imitandus, tamen propter ordinis dignitatem magis isto nobis presbyter est venerandus. Ut autem ad altiora progrediar, cum videmus unum episcopum multis millibus hominum ordinari, ut ejus magisterio possit præsens Ecclesia gubernari, quis desperet posse aliquem inveniri plebeium in quolibet angulo civitatis, qui melior sit episcopo, merito sanctitatis ; et eumdem plebeium, quem forte nec ipse episcopus esse dubitat sanctiorem, quis episcopo suo præsumat dicere digniorem ? Quia enim major est sacerdotalis, vel pontificalis dignitas qua episcopus insignitur, quam ordo popularis, in quo ille plebeius invenitur, recte episcopus dignior et excelsior judicatur, quamvis illius plebeii major sanctitas habeatur. Sic nimirum et rex militi, et miles rustico majoris dignitatis asseritur, et tamen nonnunquam major a minore sanctitatis merito præveniturA B C.

CAPITULUM LXXXVII.

Quod autem amplius majori sit ordini deferendum, tam viri ethnici quam ecclesiastici censuerunt, et, ne hoc ipsum deleret oblivio, scriptis ad posteros transmiserunt. Cum Cneus Pompeius Romano imperio præsideret, et potestate regia urbem et patriam obtineret, quis subjectorum non ei reverentiam exhibebat, quis militum non ei pro loco, et ordine abundantius deferebat? Cum vero victus a Julio Cæsare Romanas copias abjecisset, et nudatus auxiliis spe perdita ad nationes exteras profugus recessisset, et ad ultimum vitam veneno perdidisset, factum est ut prædicto imperio idem Julius potiretur, et ad eum summa rerum potestasque regia transferrentur. Accedensque ad eum in Syria princeps Antigonus cœpit de Antipatro conqueri vehementer ; quod ille sibi quædam auferret violenter. Et ut iram Cæsaris adversus Antipatrum excitaret, sibique eumdem Cæsarem facilius inclinaret, cepit Antipatro quasi ex obliquo Cnei Pompei amicitiam objectare, cui ille familialiter exhibuerat obsequium militare. At ille in præsentia Cæsaris quod verum erat non timuit respondere, prudentique responso objectam sibi calumniam removere : « Objectat, inquit, mihi Pompeii gratiam, fateor, Cæsar, me non homini, sed nomini Romano amicum fuisse. » Bene ethnicus intellexit amplius majori esse nomini deferendum : et ideo quandiu Pompeium novit regali nomine sublimatum, debitum non neglexit humiliter ei exhibere famulatum. Cum vero potestatem et nomen regium novit ad Julium Cæsarem transportari, ei quoque non renuit simili reverentia subjugari. Non ergo homini, sed nomini prudens ethnicus deferebat, qui non nomen pro homine, sed hominem pro nomine præferendum cæteris cognoscebat.

Sic nimirum, et in divina Scriptura Cusai Arachites debere fieri protestatur, cum **453** fugato David, filius ejus Absalon regali et loco et nomine, parvo licet tempore, sublimatur. Qui cum ab eodem Cusai sollicitus requisisset quare cum David domino suo non abisset, respondit Cusai ad Absalon. « Nequaquam, quia illius ero quem elegit Dominus (*II Reg.* XVI). » Ac si dicat : Si te elegit Dominus ad regnandum, scio, et fateor tibi esse amplius deferendum. Petrus quidem apostolus cum fideles ad exhibendam majoribus reverentiam invitavit, non tam sanctimoniam quam dignitatis excellentiam in eisdem majoribus commendavit. « Subjecti, inquit, estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis (*I Petr.* II). Non dixit regi tanquam sanctiori, sive ducibus tanquam sanctioribus ; sed, ait, sive regi tanquam præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis, per hoc aperte docens his quos ad regendum alios Deus mittit deferendum quidem esse propter excellentiam dignitatis, etsi in eis non satis condigna relucet formula sanctitatis. Si enim minores majoribus subjici dedignantur, ipsi Deo procul dubio resistere comprobantur, sicut Paulus apostolus dicit : « Omnis, inquit, potestas a Deo est : quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt : itaque qui resistit potestati, ordinationi Dei resistit (*Rom.* XIII). » Neque hic Paulus ait : qui resistit sanctitati, sed qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, ne quis cujuslibet sanctitatis imagine palliatus, præsumat contemnere majoris fastigium prioratus.

CAPITULUM LXXXVIII.

Denique si propter minorem sanctitatem ipse ordo inferior judicatur, quis non videat quod idem judicium et in monachos reflectatur, et deinde ordo eorum incurrat honoris detrimentum, unde adversus ordinem clericalem colligunt argumentum? Sicut enim in ordine clericorum plerosque facile est invenire quorum mores et actio non videntur ordini convenire, sic et in ordine monachorum nonnulli forsitan continentur qui etsi habitu, moribus tamen monachi non habentur. Si autem quis protervum me dixerit, quod audeam vel mutire de moribus monachorum ; videtur enim præsumptio vitam arguere meliorum : viros sanctos ducam ad medium qui non livoris toxico, sed zelo justitiæ ferbuerunt, ferventesque spiritu nequaquam monachos reprehendere timuerunt. Gregorius, Hieronymus quos constat vita et scientia floruisse, et quos tam re quam nomine scimus monachos exstitisse, et ordinem monachicum

prout decuit dilexerunt, et monachorum vitia nec timore nimio nec amore noxio tacuerunt.

Gregorius papa Urbicum abbatem et qui cum eo erant monachos arguens : « Aspicio, inquit, quomodo dissoluta sit regula monasterii, dum nec monachi ejusdem monasterii tibi ad obedientiam parati exstiterunt, nec tum constanter aliquid disponere potuisti, unde vehementer ingemisco; quia aliter esse monasterium vestrum quam putabam invenio. » Idem Joanni abbati loquens : « Opinio, ait, monasterii per vestram negligentiam inquinata est. » Valentino quoque abbati ita scribit : « Pervenit ad nos quod in monasterio tuo passim mulieres ascendant, et quod est gravius, monachos tuos mulieres sibi commatres facere et ex hoc incautam cum eis communionem habere. » Item Anthemio subdiacono : « Aliquos, inquit, monachorum usque ad tantum nefas prosiliisse cognovimus, ut uxores publice sortiantur. » Universis vero monachis in Christi Monte consistentibus sic ait : « Pervenit ad nos nulla vos monachicæ regulæ præcepta custodire. » Secunderinum monachum qui cum post lapsum corporis quem incurrerat, sese deberet sub regulari disciplina districtius solito cohibere, et incestus horrendi maculam luctu et lacrymis abolere, non est tamen veritus sese ad abbatis locum et ordinem promovere, et in cathedra magistrali ausu temerario residere. Hunc, inquam, Secunderinum gravis excessus immemorem, Gregorius indignatus præcipit degradari et in locum ejus Theodosium subrogari. In his et aliis pluribus locis quæ colligere longum est Gregorius papa et monachus monachos vehementer accusat, fervensque zelo justitiæ illorum dissolutionem propter similitudinem ordinis non excusat : imo quanto eum cujus et ipse est monachicum ordinem tenerius amplexatur, tanto in monachorum excessus dignæ reprehensionis aculeos vehementius jaculatur.

CAPITULUM LXXXIX.

Sic et Hieronymus, imo multo amplius Hieronymus monachorum insolentiam exsecratur, et adversus eos stomachatur implacabiliter, attendens quod ordo monachicus inconsolabiliter conqueratur quia multos disruptores intra sua tecta patiatur. Unde et unum præ cæteris Jovinianum cujus nomen asserit a Jovis idolo derivari, idem Hieronymus arguens non permisit diutius generosis sermonibus gloriari, sed dignis eum invectionibus retundens, doctrinam ejus falsam esse cunctis liquido demonstravit, et ab ejus sectatu erroneo fidelium animos sermone sancto et evangelico revocavit. Ille quidem cum monachalem habitum assumpsisset, oculisque simplicium religionis formulam prætendisset, **454** adeo sanctitatis inimicus totiusque pudicitiæ factus est deprædator, ut Jovis a quo vocabulum traxerat probaretur spurcissimus imitator. Sicut enim apud litteras sæculares Jupiter invenitur reumatibus libidinis inundare multasque virgines impudicus amator deceptoriis suasionibus expugnare, sic noster monachus nova fervens hæresi doctrinaque fluens venenosa, virginitatis arcem quatit et mœnia continentiæ pretiosa; dogmatizat quippe virginitatem non debere laudari, imo ejus sterilitatem digne pro meritis condemnari, carnalemque copulam multo justius, multo sublimius comprobari, sine qua non potest humana posteritas propagari. O monachicum monstrum! o monstruosum monachum! dogma cujus inauditum tantæ est perversitatis, ut non solum Catholicis, verum et ethnicis reprobanda videatur hujus assertio novitatis. Neque enim æstimo ita quemquam erroneis ethnicorum dogmatibus erudiri, vel apud eos ita quemquam perversum inveniri, ut integritati virgineæ conjugium, ut continentiæ præferendum esse carnale commercium audeat vel sentire, vel sentienti monacho debeat consentire : imo, et si ab hujusce complexibus, vel non curat, vel non prævalet abstinere, sentit tamen nec abnegat majoris esse meriti continere. Denique in templo Vestæ quam fuisse virginem illorum litteris affirmatur, in quo templo et ignis perpetuus habebatur, non aliæ permittuntur quam sacratæ virgines deservire, ut possint cuncta pariter sanctitatis merito convenire. Quid enim magis congruit quam ut in templo virginis, et ignis perpetuus resplenderet, et splendori perpetuo monacharum luminosa virginitas responderet, ut sicut ignis cæteris lucet amplius elementis, et tamen nihil de eo generatur, sic virginitas quamvis sit sterilis, fecundis tamen complexibus præferatur? Unde si qua forte virginum quæ ad serviendum Vestæ fuerat consecrata, virginitatis exstincto lumine, convincebatur fuisse violatam, fossa humo, usque ad mamillas in ea mergebatur, cunctisque videntibus illic mori digne pro meritis cogebatur. In qua pœna quid aliud volebant indicare quam eum, qui præsumeret copulam virginitate potiorem, ex sententia judicare : non cum igne sterili virtutum pennis ad superos evolare, sed in terram fertilem, devolutum terrenorum numerum sese addito fecundare? Melius ethnici quam noster monachus de continentia senserunt, qui Vestales monachas non nisi esse virgines voluerunt, qui, etsi Jovi superstitione erronea divinos honores impenderunt, ejus tamen incontinentiam imitandam esse nequaquam censuerunt.

CAPITULUM XC.

In hoc autem ipsi Jovi Jovinianus videtur concordare, quia quod ille deligit operari, iste non negligit commendare. Et lumborum fluxus quibus ille non abhorret divinitatis suæ titulos inquinare, iste incircumcisus corde et labiis angelico cælibatui præferendos non confunditur prædicare. « Et quid mirum si tale quid hujus prædicatione asseritur, cum scriptum sit quia ex abundantia cordis os loquitur? (*Luc.* VI). » De fonte quidem turbido non potest rivulus illimis emanare, nec de sentina sordida, odor suavissimus exhalare. Qualis vita monachi, talis et ejus prædicatio ventilatur; et qui bonus Christi odor esse debuerat, ad corrumpendos cæteros errore pravi dogmatis inquinatur; sed occurrit Hieronymus

et ostendit quia doctrina monachi non satis approbatur, cujus delicata conversatio reprobatur. Erant quippe mores illius tam perversi et a proposito monachico tam aversi, ut in eis non devotio condigna latitaret, non sanctum quid, non imitabile foris operatio demonstraret. Nam, ut ait Hieronymus (113), cum se monachum jactet et post sordidam tunicam, et nudos pedes, et cibarium panem, et aquæ potum, ad candidas vestes, et nitidam cutem, ad mulsum et elaboratas carnes, ad jura apici et paxami, ad balneas quoque ac fricticulas, et popinas se conferat; manifestissimum est quod terram cœlo, vitia virtutibus, aurum præferat Christo: et tamen iste formosus monachus crassus, nitidus, dealbatus et semper quasi sponsus incedens et cætera. In his verbis quid deceat, vel quid dedeceat monachum Hieronymus satis patenter ostendit, dum simul ex utroque Jovinianum graviter reprehendit, quia videlicet et illud turpiter abjecit quod quasi proprium condecebat, et illud non minus reprehensibiliter apprehendit, quod professionem monachicam dedecebat. Cum enim dicit, quia post sordidam tunicam, et cibarium panem, et aquæ potum, et cætera hujusmodi ad candidas vestes, et nitidam cutem, ad elaboratas carnes, ad jura apici et paxami, ad balneas quoque ac fricticulas, et popinas Jovinianus se contulit factusque est formosus monachus, crassus, nitidus, dealbatus, satis liquido Hieronymus innuit quam conversationem monachi judicet sanctam, honestam, regularem, quam vero religionis extorrem, oblitam propositi, re magis quam nomine sæcularem; vult, quantum æstimo, ut in tunica monachi sordes appareant paupertatis, in cibo et potu abstinentiæ sobriæ parcitatis, ut per habitus vilitatem mundum contemnere demonstretur, per victus parcitatem, **455** carnis illecebras fugere comprobetur. Econtra Jovinianus, et si qui forte Jovinianum diligunt imitari, intolerabile judicant vilitate vestium deturpari, et in habitu monachico quamvis habente speciem sanctitatis, quærunt tamen delicias vanitatis. Volunt quidem, sic in veste sua religionis formula prætendatur, ut tamen eadem vestis mollis, et tenera pauloque decentior habeatur, ne vel ejus asperitate caro tenerior affligatur, vel vilitate in gloria insolens animus confundatur. Cæterum vera religio hujusce delicias, vel gloriam non novit aucupari, nec in veste composita, sed in cruce proposita diligit gloriari, studens in hoc Paulum apostolum veraciter imitari, qui delicato deliniri non gaudet indumine, sed Christi passionibus cruciari. « Mihi, inquit, absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi (*Gal.* VI). » Et ad Romanos: « Gloriamur, inquit, in tribulationibus (*Rom.* V). » Et ad Philippenses: « Etsi immolor, ait, gaudeo, et congratulor (*Phil.* II). » Et ad Colossenses: « Gaudeo, inquit, in passionibus (*Col.* I). » Videtis Paulum in cruce et passionibus gloriari, non in vestitu molli et tenero gratulari, juxta illam sententiam cujusdam sapientis: « In vestitu ne glorieris unquam (*Eccli.* XI). » Quod si in vestitu, prohibente Scriptura, nulli est penitus gloriandum, quanto magis in monacho videtur exsecrandum, si in habitu quem assumit ad demonstrandum humiliter voluntariam paupertatem, quærat delicias vel sæcularis gloriæ vanitatem? Unde Hieronymus ad Rusticum: « Si vis, inquit, esse monachus, sordes vestium candidæ mentis indicia sint, vilis tunica contemptum sæculi probet. » Et Gregorius papa: « Quid est, ait, habitus monachi, nisi despectus mundi? » Eapropter, Hieronymus Jovinianum monachum arguebat, qui abjectis religiosis sordibus monachalis tunicæ, delicatis vestibus enitebat, sicque dici monachus appetebat, ut tamen abhorreret quidquid monacho regulariter congruebat. Non solum enim in vestitu Hieronymus illum contemptorem propositæ paupertatis, sed in victu quoque ostendit eum oblitum esse debitæ parcitatis, dum ad carnes elaboratas, ad jura peregrina, ad fricticulas, et popinas, et balneas appetitu præcipiti devolutum, dicit eum nitorem cutis, decorem vultus, immoderatam crassitudinem assecutum. « Iste, inquit, formosus monachus, crassus, nitidus, dealbatus. » Non videtur Hieronymo ad religiosum monachum pertinere, ut formositate corporea studeat enitere, ut exquisitis ferculorum generibus inserviens crassitudine distendatur, ut ad fovendam eamdem crassitudinem superfluis balnearum vaporibus immergatur.

CAPITULUM XCI.

Denique apud litteras sæculares quidam leguntur balneas recusare, qui poetarum nomen sibi volebant vendicare, scientes quia non sunt digni honore, vel nomine poetarum, qui mollitie feminea fomentis inhiant balnearum.

Bona pars, inquit, *hominum non ungues ponere curat,*
Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.
(HORAT. *De arte poetica*, 297.)

Si ergo solitudinem petit qui ad scribendum poemata liberior vult haberi, si recusat balneas, qui poeta vel philosophus vult videri, quis patienter ferat monachum deliciis balnearum indulgere, ut solitudinis impatiens oculis intuentium possit nitidior apparere? Nunquid apud gentiles philosophos plus potest superstitio falsitatis, quam apud monachos religio veritatis, ut quod illi pro humanis favoribus perpeti non gravantur, isti sanctitatis intuitu, vel forte nullatenus patiantur? Etsi enim in cibo, vel balneis religioso viro quod necessitas exigit, misericorditer indulgetur, tamen summopere superfluitas prohibetur, quia et mediocritate congrua naturæ indigentia sustentatur, et superfluitate incongrua crassitudo indecens generatur. Ideo Apostolus: « Carnis, inquit, curam ne feceritis in desideriis

(113) Lib. I contra Jovinianum.

lium. XIII), » et noster ille Augustinus cum religiosis clericis vivendi regulam ordinaret : « Lavacrum, ait, corporis cujus infirmitatis necessitas cogit, minime denegetur. » Et prædictus Hieronymus ad Rusticum monachum : « Balnearum, inquit, fomenta ne quæras qui calorem corporis jejuniorum cupis rigore exstinguere. » Quod ergo conceditur necessitati, negatur procul dubio voluptati; nec volunt viri sancti ut qui se religiosum fieri profitetur, carnibus et fricticulis, popinis et balneis impinguetur. Denique Hieronymus dicit adversus Vigilantium, quia monachus habet plangentis officium. Hoc autem officium non videtur monachus exercere, quem corpori nutriendo tantam constat diligentiam adhibere, quia religiosa tristitia nescit crassitudinem enutrire, sed eam jejuniis et laboribus consopire. Nemo quippe est qui non vel sui didicerit experimento, vel eorum qui experti sunt indubitabili documento, quod spiritalis meditatio, religiosa devotio, frequens ploratio, non permittunt molem corporis justo amplius evagari, sed eis præsentibus hæc intra fines invenitur debitos coarctari. Assumunt enim hæc prædicta sibi abstinentiam, jejunia, vigilias et laborem, quibus premunt et opprimunt carnis delicias et tumorem; et in ea quidquid invenerint exundantis arvinæ, frigunt in sartagine cœlestis disciplinæ. Ipsa nimirum studiorum spiritualium **456** officina, in qua viget ea quam dicimus cœlestis disciplina, intra fines suos, vel crassum permanere diutius non permittit, si tamen contingat eum ita tractabilem inveniri, ut possit regulariter erudiri. Quem igitur crassum videritis, vel prædictam nondum ingressus est officinam, vel in ea forte condignam recusat sufferre disciplinam, quia incendiis, et tunsionibus quas ingerunt spiritualis fornax, malleus et incudo, non potest concordare immoderata corporis crassitudo. Quis enim credat quod igne divino medullitus accendatur, assiduo luctu et lacrymis suffundatur, abstinentia et jejuniis affligatur, vigiliis et laboribus atteratur, is cujus facies intumescit pinguedine, velut apis aculeis stimulata, cujus venter grossescit, velut mantica intromissis mercibus consignata? Talis quidem pinguedo non redolet illud spiritale negotium, videlicet laborem, vigilias, abstinentiam, jejunium, sed, ut verum fateamur, saturitatem, abundantiam et otium. Unde et apud Ezechielem arguitur civitas Sodomorum, quæ rejecta virtutum asperitate, blanditias incurrit vitiorum, quæ recusans jejuniis et abstinentia macerari, saturitate et otio elegit incrassari. « Hæc fuit, inquit, iniquitas Sodomæ, saturitas, et abundantia, et otium (*Ezech.* XVI). » Et recte propter hæc arguitur civitas impudica, quia tam spiritali quam corporeæ castitati valde sunt inimica, nec invenitur perfectio maturæ sanctitatis ubi regnat satietas corporibus impinguatis. Quod per Jeremiam insinuans Dominus : « Incrassati sunt, inquit, et impinguati, et præterierunt sermones meos pessime (*Jer.* V). »

CAPITULUM XCII.

Non est ergo credibile, ut si in monacho invenitur indebita crassitudo, in eo possit etiam inveniri debita sanctitudo; imo pactum religionis quod cum Deo pepigit, annullatur, sicut Deus per Moysem in Deuteronomio protestatur. « Cum comederint, ait, et saturati crassique fuerint, irritum facient pactum meum (*Deut.* XXXI). » Et paulo infra : « Incrassatus est dilectus, et recalcitravit (*Deut.* XXXII). » Quia saturitate incongrua sese monachus incrassavit, agitatus æstro crassitudinis adversus religionis stimulum calcitravit; et qui carnem debuerat jejuniis et abstinentia macerare, hujusmodi pactum præsumpsit annullare. Rejecto quippe jugo, vel sarcina debitæ sanctitatis, discurrit vagabundus per plana et devia voluptatis; et postponens seria quæ compuncto corde cogunt faciem lacrymis frequenter irrigari, maluit saturatus ad ludicra pueriliter relaxari. Unde et in Exodo : « Sedit, inquit, populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere (*Exod.* XXXII). » Videtis post escæ et potus voluptatem, sequi ludendi levitatem, qua cum jejunium et abstinentia relegantur, ciborum affluentiam vanitas et dissolutio comitantur. Hinc est quod in libro Judicum, Eglon qui esse crassus nimis describitur, rex etiam Moabitarum asseritur. « Erat, inquit, Eglon rex Moab crassus nimis (*Judic.* III). » Eglon interpretatur *rotatus*, vel *orbitas*. Ille vero convenienter rotatus, vel orbitas nominatur, cui cum non sufficiunt quibus natura mediocriter sustentatur, ad cibos lautiores immoderato appetitu raptatur, et quia identitate plerumque fastidium generatur, per fercula nova, et varia fundali circuitu volutatur. Iste autem qui tanto studio curam carnis in desideriis facere comprobatur, rex esse Moabitarum, perhibente Scriptura, signanter affirmatur : Moabitæ interpretatur *fluxus* et *effusio;* pulchre regi crasso familia talis est attributa, quia crassitudinem comitantur fluxi cogitatus et opera dissoluta; et cum præcedit superfluitas comestionis exquisitæ, familiari consortio sequuntur Moabitæ. Cæterum Aod judex filiorum Israel qui utraque manu pro dextera utebatur, vel forte ambidexter secundum alios interpretes habebatur, eumdem regem Moab constanti animo aggredi perhibetur, tollensque sicam ancipitem de dextro femore, illius ventrem crassum fixit tam valide, ut capulus ferrum in vulnere sequeretur, et adipe pinguissimo stringeretur. Aod iste *laus* interpretatur. Merito judex talis non solum laudabilis, sed laus emphatice nominatur, qui regi crasso, cujus plebs est dissoluta, nullatenus subjugatur; sed in eo tanta viget animi fortitudo, ut transfigat regis ventrem in quo major exundat crassitudo. Ut video, regi Eglon, Jovinianus merito comparatur, qui carnibus et popinis, fricticulis et balneis incrassatur, cujus mores sunt perversi, cujus opera dissoluta, ut ejus crassitudinem videatur digne plebs hujusmodi prosecuta. Aod vero ambidexter recte Hieronymus æstimatur qui gladio

verbi Dei crassum monachum insectatur, sicque ejus et vitam et doctrinam efficaciter exsecratur, ut in ejus sententiam nullus ultra fidelium inducatur. Eos autem qui vitam monachicam profitentur docet præcipue, vel quem fugiant, vel quem salubriter imitentur, dum et Jovinianum ejusque imitatores arguit vanitatis, et se suique similes commendat merito paupertatis. Favent, inquit, tibi crassi, nitidi, dealbati, quoscunque formosos, quoscunque calamistratos, quos crine composito, quos rubentibus buccis videro, de tuo armento sunt, imo inter tuos sues grunniunt, de nostro grege tristes, pallidi, sordidati, et quasi peregrini hujus sæculi, licet sermone taceant, habitu **457** loquuntur et gestu. In his verbis ostendit Hieronymus quia monachus crassus, nitidus, dealbatus, formosus, calamistratus, crine composito, rubentibus buccis, non est magnopere commendandus, sed in armento Joviniani, et inter sues qui grunniunt, computandus. Qui vero tristis est, pallidus, sordidatus, peregrinus hujus sæculi gestu et habitu, loquens potius quam sermone; is procul dubio religiosorum dignus est communione: in qua non decet, ut quidquam vel tenuiter resideat vanitatis. sed tristitia, pallor, silentium solius desiderio sanctitatis. Vult quidem Hieronymus, ut hanc sanctitatem assuescat indesinenter monachus ruminare, non hesternæ potionis crapulam eructare.

CAPITULUM XCIII.

Quidam monachus cujus vocabulum, nec volo, nec debeo propalare, præsertim ne errore deceptus inveniar alterum pro altero nominare, cum vespera sepultus esset vino, et ad celebrandum nocturnam synaxim usu forte potius quam devotione cum cæteris adveniret, inventus est non tam in eis quæ dicebantur devotione congrua meditari, quam oblatæ frequenter potionis memoriter recordari. Finito enim psalmorum cursu, cum ad legendum lectionem, ut assolet, veniretur, et a lectore in pulpito benedictio peteretur. monachus putans sibi offerri more solito potionem, nona benedictione signavit lectionem. Dicente quippe lectore: « Domne, jube benedicere; Potum, inquit, servorum suorum Filius Dei benedicat. » Quem circumstantium hujusmodi benedictio non concussit, cujus risum, vel occulte, vel aperte forsitan non excussit, nisi forte quis in eis tantæ maturitatis est inventus, ut potius fletui quam risui sit intentus. Si contigerit huic ludibrio Hieronymum interesse, non eum extimarem tam cæteris corridere, quam indignando sitienti monacho succensere, qui in sacris et psalmis et lectionibus corpore versabatur, et tamen totus ejus animus in potandis calicibus habebatur. Neque hoc dicimus, ut velimus monachis derogare, et collectis eorum vitiis quasi satiram scriptitare; sed illorum tumorem aliquantulum refrenare, qui propter mores incompositos clericorum, præsumunt inferiorem illorum ordinem judicare. Juxta mores quippe clericorum vel monachorum, ordinem eorum non debet quis metiri, cum apud utrosque multa possint inconvenientia reperiri. Denique sicut in plerisque monachis religionem constat plurimam relucere, sic et in nonnullis clericis condigna videtur sanctitas apparere, qui relicto mundo, imo ea quæ mundi est noxia vanitate, gaudent in ea quæ Christus est diligi veritate. Nonnulli quidem vitæ secularis lenocinia deserentes, domos, agros, prædia, honores, divitias, et parentes, et quod his omnibus majus est, relegantes propriæ latitudinem voluntatis, angustias amplectuntur silentii, continentiæ, paupertatis; nihilque sibi proprium retinentes, et Christum, quod perfectum est, sequentes, sic inveniuntur sub clericali regula conversari, ut vere in eis vita videatur apostolica reformari. Amant studiis spiritalibus operam dare, jejuniis, vigiliis, laboribus, carnis insolentiam edomare: divinis lectionibus erudiri, psalmis, hymnis et canticis spiritualibus deliniri; et ne longum faciam, tales per omnia reperiri, ut clericali fastigio digna sit eorum sanctitas insigniri. Si ergo ex vitæ merito pendet mensura dignitatis, istorum perpendatur excellentia sanctitatis: et si quos forte apud eos invenimus monachis sanctiores, eos saltem non dubitemus pariter dicere digniores. Verum unicuique ordini sua quædam dignitas attributa non sic mobiliter variatur, ut pro eorum merito qui ejus sunt ordinis nunc major nunc inferior habeantur: imo qui minoris est in præsentia tam Dei quam hominum sanctitatis, majoris plerumque est in præsenti Ecclesia dignitatis. Non enim sic divina largitas angustatur, ut dignioribus ordine, majora dare virtutum charismata compeliatur, cum legerimus Saul regali sublimatum culmine digniorem, David morantem in pascuis sanctiorem. Sanctitatem quippe sola confert Dei gratia miserentis, dignitatem vero ira plerumque et judicium irascentis. Habeant igitur sibi majorem monachi sanctitatem, relinquentes clericis majorem humiliter dignitatem; ne injuste appetendo quod nec debent nec prævalent obtinere, juste perdere mereantur quod videntur habere. Etsi enim, nec sanctitas dignitati, nec dignitas præjudicat sanctitati, earum tamen appetitus plerumque sic ab invicem discordare inveniuntur, ut alteram nolint appetere, qui alteram assequi moliuntur, quia et qui veraciter appetunt sanctitatem, recusant transitoriam dignitatem; et e regione qui acquirendæ impendunt studium dignitati, non mediocres injurias inferunt sanctitati. Non est ergo dignioribus invidendum, nec eis ab inferioribus detrahendum, sed votis et precibus misericorditer succurrendum, ne gradus sublimior, quo vita forte immerita decoratur, non tam honor elevans, quam onus aggravans habeatur. Apud poetam legi puer quemdam versiculum, sic dicentem:

Non honor est, sed onus species læsura ferentem.

Et propheta noster: « Quia, inquit, elevans allisisti me. (*I Psal* ci)»

458 CAPITULUM XCIV.

Denique Hieronymus gradum satis aperte clerico-

rum asserit digniorem, quamvis monachorum sanctitatem esse videat ampliorem. Qui cum primos impetus lascivientis ætatis eremi duritia refrenaret, et ad eamdem eremum, Heliodorum quem diligebat, plurimum invitaret, gradum quidem monachicum dignis laudibus sic studuit efferre, ut tamen non dubitaret dignitate clericos anteferre. Scribens nimirum eidem Heliodoro : « Alia, inquit, monachi causa est, alia clericorum; clerici oves pascunt, ego pascor. Mihi ante presbyterum sedere non licet; illi, si peccavero, licet tradere me Satanæ in interitum carnis. Quod si te quoque ad eumdem ordinem pia fratrum blandimenta sollicitant, gaudebo de ascensu, timebo de lapsu. » Satis superque in his verbis Hieronymi quæ sit major dignitas declaratur, in quibus clericos pascere, pasci vero monachos attestatur, nec debere monachum ante clericum residere, sed eum, si peccaverit, ad illius imperium carnis interitui subjacere. Unde si ad eum ordinem Heliodorus voluerit sublimari, gaudebit quippe idem Hieronymus, ut ait, « de ascensu, timebit de lapsu, » quia et amico majorem non invidet dignitatem, et monachicam securiorem æstimat vilitatem. Propter hoc paulo post consulendo subjungit : « Inferius frater accumbe; cui plus committitur, plus ab eo exigitur : non est facile stare loco Pauli, Petri tenere gradum, ædificaturus turrim futuri operis sumptus computa; monachus si cediderit, rogabit pro eo sacerdos; pro sacerdotis lapsu quis rogaturus est? » Item ad Paulinum : « Episcopi, ait, et probri habeant in exemplum apostolos et apostolicos viros, quorum honorem possidentes habere nitantur et meritum. Nos autem, inquit, propositi nostri habeamus principes, Paulum, Hilarionem, Antonium, Macharium, et ut ad auctoritatem Scripturarum redeam, noster princeps, Elias, noster Eliseus, nostri duces, filii prophetarum, qui habitabant in agris et solitudinibus. » Videtis, teste Hieronymo, inferiorem esse ordinem monachorum, et si peccando ceciderint, interventu resurgere clericorum : illosque ordinis sui principes solitarios, et prophetas habere, illos vero, vicem et honorem apostolicum possidere. Ob hoc autem prophetæ monachorum principes asseruntur, quia remoti a frequentia populi, elegerunt in solitudinibus conversari, ut illic ab his quæ foris sunt, mentis oculum avertentes, Deum possent familiarius et liberius contemplari. De quibus ad Rusticum idem Hieronymus ait : « Filii prophetarum, quos monachos in Veteri legimus Testamento, ædificabant sibi casulas prope fluenta Jordanis, et turbis et urbibus derelictis, polenta et herbis agrestibus victitabant. » Inde est quod et Joannes Baptista hujus ordinis princeps asseritur, sicut in quorumdam Patrum opusculis invenitur. Joannes Chrysostomus : « Sicut, inquit, sacerdotum principes sunt apostoli, sic monachorum princeps Joannes Baptista est. » Hieronymus ad Eustochium. « Ad tertium, inquit, genus veniam, quos anachoretas vocant, qui de cœnobiis exeuntes, excepto pane et sale, amplius ad deserta nil perferunt. Hujus vitæ auctor Paulus, illustrator Antonius, et ut ad superiora conscendam, princeps Joannes Baptista fuit. Est ergo, ut auditis, monachorum princeps Joannes Baptista, non quia Christum meruit baptizare, sed quia in deserto elegit habitare.

CAPITULUM XCV.

Neque enim ministerium baptismi ordini conceditur monachorum, quod specialiter attributum est ordini clericorum, nisi forte tanta baptizandi necessitas incumbat, ut non sine periculo differatur, quod etiam tunc laico non negatur; absente quippe clerico, si laicus, instante articulo necessitatis, mergat in sacro fonte puerum, invocato nomine Trinitatis, nec in eodem laico debet hujusce ministerium condemnari, nec in parvulo baptismus iterari. Verumtamen quod ad horam cogit necessitas usurpari, præsumptione non debet actitari, nec laicali personæ credendum est quasi ex debito hoc officium assignari, quod et clericalis absentia, et tanti discriminis instantia facit aliquatenus excusari. Hanc necessitatem attendens papa Gregorius Candido episcopo (114) concedit monachos de cœnobiis evolare, et ad regendum populum per ecclesias ordinare, ut, quia querebatur in episcopio suo paucos admodum haberi clericorum, ad agenda clericalia uteretur ministerio monachorum. « Indicavit, inquit, nobis fraternitas tua non se habere presbyteros, et ex hac causa necessitatem non modicam sustinere; et quia in quibusdam monasteriis in parochia sua constitutis quosdam esse monachos perhibet, qui ad hoc apti possint esse officium, et eos se cum nostra auctoritate velle ad hunc ordinem promovere, propterea præsentibus, vobis licentiam damus, epistolis monachos de monasteriis in tua parochia positis cum consensu abbatis sui tollere, et presbyteros ordinare. « Hæc autem licentia quæ Candido datur episcopo ut monachi de monasteriis educantur, et vice **459** clericorum populo præponantur, non ubique omnibus generaliter indulgetur, imo alibi ab eodem Gregorio summopere prohibetur. Cum enim, ut supra dictum est, de ecclesia sancti Pancratii, clericos propter suam negligentiam removeret, et ejusdem Ecclesiæ redditus vicino monasterio ad usus monachorum idem Gregorius admoveret, nolait tamen, ut de ipso monasterio monachus in ecclesiam ad ministrandum populo mitteretur, sed illic provisione abbatis, peregrinus presbyter, id est clericus poneretur, qui de monasterio alimoniam accipiens temporalem, populo ad ecclesiam confluenti ministraret congrue spiritalem. Denique cum in monasterio quod super Mascalas situm erat, nosset idem Gregorius baptisterium exerceri, non mediocriter indignatus jussit illud exinde removeri, ne conventus monachorum usurpando indebitum insolescat, et invento

(114) L. V. indict. XIV. cap. 127.

occasione a propositi rigore ordinis intepescat. Scribens quippe Secundino episcopo sic ait (115) : Pridem præcepimus, ut de monasterio Sancti Andreæ, quod est super Mascalas, baptisterium propter monachorum insolentiam debuisset auferri, atque in eodem loco quo fontes sunt altare fundari; quatenus prædictis monachis opus Dei securius liceat celebrare. Non est ergo hujus ordinis baptizare, non est ejus fidelium matrimonia benedictione mystica consecrare; non ad celebrandum altaris mysteria ministros ordinare, et pleraque alia quæ sibi tam propria clericalis ordo videtur retinere, ut ea, nec possit, nec debeat ordo monachicus obtinere. Denique scribens ad Furiam de viduitate Hieronymus, ordinem monachicum subjectum ordini clericorum, et ipsos clericos manifeste asserit patres esse monachorum. Ait enim : Quasi non quidquid in monachos dicitur, redundet in clericos, qui patres sunt monachorum; detrimentum pecoris, pastoris ignominia est, sicut e regione illius monachi vita laudatur qui in veneratione habet sacerdotes Christi; et non detrahit ordini, per quem factus est Christianus. Nulla jam ambiguitas permittitur residere, quin pecus monachorum pastoribus clericis debeat subjacere, eisque veneralionis obsequium exhibere, per quos Christianæ fidei sacramenta meruit obtinere.

A

B

CAPITULUM XCVI.

Unde quæri potest, si tanta et tam præcipua est dignitas clericorum, cum Hieronymus eos quos diligit invitat præcipue ad vitam monachorum, cum vel id ad quos eos invitat, debuerit excelsius judicare, vel ad id quod esse novit excelsius, illos debuerit invitare. Nescit quippe vera dilectio invidere alteri religiosæ profectum dignitatis, nescit vera religio detrahere majoris fastigio sanctitatis. Livoris autem et detractionis nec audeo nec debeo Hieronymum accusare, de cujus meritis, nec ego nec quisquam præsumit dubitare. Huic vero quæstioni, si placet, altera similis adjungatur, ut utraque pariter simili compendio dissolvatur. Tria esse in Ægypto genera monachorum non solum idem Hieronymus, sed et Joannes Cassianus dicit. Primum genus sunt hi qui dicuntur Sarabaitæ, secundum cœnobitæ, tertium anachoretæ.

C

Sarabaitas dicunt eos qui bini, vel terni in cellulis commanentes, sic suo vivunt arbitrio, ut apud eos non ordo, non regula, nec disciplina teneatur; si quid operis fecerint, factum vendiderint, carius æstimatur : jejunant cum libuerit, cum dies festus venerit, ad vomitum saturantur; raro in cellulis, frequenter in viculis demorantur, circumeunt domunculas, visitant mulierculas, aucupantes munuscula, blandis sermonibus adulantur, detrahunt clericis, invident monachis, melioribus adversantur : et, ne longum faciam, rem nominis abnegantes solo monachorum nomine gloriantur.

D

Cœnobitas vero dicunt eos qui in monasterio congregati propriæ renuntiant voluntati, et habentes omnia communia, proprietate abjecta sæculari, sub unius patris imperio disciplina tenentur regulari. Fraternitatis amore privatas relegant utilitates, obedientiæ legibus proprias subjiciunt voluntates, sic student abjecti et humiles inveniri, ut erubescant humilitate ab invicem præveniri. Dilectionis glutino, more apum, sibi invicem adhærescunt, exemplis mutuis incandescunt, in portu silentii delitescunt, in sancto et opere et desiderio requiescunt.

Anachoretas autem eos dicunt qui in cœnobio usu longo, et diligentia, moribus informatis, festinant ad eremum perfectionis intuitu sanctitatis : ibique a convictu, et conspectu hominum sequestrati, ab his quæ hujus vitæ sunt, student se arctius removere, et soli Deo affectuosis complexibus inhærere. Biduanis, triduanis quatriduanis, et eo amplius jejuniis carnis appetitus refrenant, ciborum delicias a suis procul insulis alienant; pane et aqua, et ut multum sale addito, vel herbis agrestibus indigentiam naturalem compescunt, talique edulio non carne extrinsecus, sed mente intrinsecus impinguescunt. Laboribus **460** assiduis atteruntur, somno tam furtivo et modico perfruuntur, ut inveniantur dormitare potius quam dormire, ne vel somni saturitas possit eorum propositum aliquatenus impedire. Sic nimirum in his et quibuslibet cæteris occurrunt corporeæ necessitati, ut locum non tribuant deceptoriæ voluptati : eligentes cum angelis assidua suspensione ferventis spiritus conversari, quantum fas est ab humanis hominem separari. Hæc tria genera monachorum in Patrum opusculis invenio nominari, de quorum primo nihil boni audio prædicari : duo vero reliqua scio plurimum commendari. Cum autem cœnobitarum, vel anachoretarum genus dignis laudibus efferatur, ultimum tamen dignius et perfectius judicatur, quia cum sancte et juste vivat religiosa multitudo, sanctius quid et perfectius exigit solitudo. Sic enim ad Demetriaden scribens Hieronymus ait : « Solet inter plerosque esse certamen, utrum solitaria an cum multis vita sit melior, quarum prior præfertur quidem secundæ. » Quid ergo sibi vult quod cum Hieronymus et sciat et asserat perfectius esse genus anachoretarum, eos tamen quos diligit ad consortium invitat cœnobitarum, et conversionis gratia de sæculo recedentes, fieri non vult anachoretas, sed hortatur, et suggerit, et instigat fieri cœnobitas? Non est enim justi viri eis quos diligit gradum perfectiorem invidere ; est autem justi viri quod esse novit securius, providere. Ne quam super hoc patiamur dubitationem ipse Hieronymus solvit hujusmodi quæstionem, ostendens quia non invidet, sed providet; non detrahit, sed attrahit; non deprimit quem diligit ut vilescat, sed ne forte sublimatus more fumi citius evanescat. Bonum enim judicat in humili quempiam securius victitare, quam positum

(115) Epist. ex Registro divi Gregor, lib. II, indict. II, cap. 95.

in sublimi, ad ima et vilia declinare : in campo multorum auxilio victoriam adipisci quam solum festinantem ad ardua, propositi forte certaminis turpiter oblivisci. Novit quippe hostem solitario acrius imminere, et culpam esse vicinam, et eumdem solitarium non facile resurgere post ruinam; quia teste Scriptura (*Eccle.* IV), si fuerint duo simul, alter ab altero confovetur, si solus ceciderit non habet cujus adminiculo sublevetur. Denique aciem castrorum ordinatam hostis si viderit, territus repulsatur : et columbam solivagam accipiter si invenerit, gloriatur. Sub baculo pastoris et canum præsentia, gregem lupus non præsumit irrumpere; ovis autem segregata leonis qui circuit audaces insidias vix potest evadere. Est ergo, ut ait idem Hieronymus vita solitaria in viris quoque periculosa, ne abstracti ab hominum frequentia sordidis et impiis cogitationibus pateant, et pleni arrogantiæ, et superciliis cunctos despiciant, armentque linguas suas vel clericis, vel aliis monachis detrahendis. Quapropter cum Rusticum monachum informaret, eumque ad id quod securius esse noverat, invitaret : « Mihi placet, inquit, ut habeas sanctorum contubernium, nec ipse te docceas, et absque ductore ingrediaris viam quam nunquam ingressus es, statimque in partem alteram tibi declinandum sit, et errori pateas. » Quomodo autem errori pateat, et in partem alteram declinare citius compellatur, qui sanctorum recusans contubernium solus in eremo conversatur, idem Hieronymus subsequenter ostendit. « In solitudine, inquit, cito subrepit superbia, etsi parumper jejunaverit hominemque non viderit, putat se esse alicujus momenti, oblitusque sui, unde, quo venerit, intus corde, foris lingua, vagatur : ad quod gula poposcerit, porrigit manus, dormit quantum voluerit, facit quod voluerit, nullum veretur, omnes se inferiores putat. » Et ne hoc dicendo videretur vitam solitariam accusare, verbis sequentibus præcedentia curavit excusare, dicens : « Quid ergo? Solitariam vitam reprehendimus? Minime, quippe quam sæpe laudavimus. » Si ergo vitam solitariam Hieronymus nequaquam reprehendit, cur ad eam exhortando Rusticum monachum non accendit, nisi quia tam perfectos et fortes exigit solitudo, ut in paucis inveniatur conveniens solitudini fortitudo? Ideo cum dixisset vitam solitariam se non reprehendere, quippe quam sæpe laudaverit, subjungit: « Sed de ludo, inquit, monasteriorum hujusmodi ad eremum volumus egredi milites quos eremi dura rudimenta non terreant; qui speciem conversationis suæ multo tempore dederint; qui omnium fuerint minimi ut primi omnium fierent; quos nec esuries, nec saturitas aliquando superavit; qui paupertate lætantur, quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est. « Quia ergo paucorum est tanta perfectione gloriari, imperfectos autem non expedit solos in eremo conversari, Hieronymus quem diligit ad appetendum sanctorum contubernium exhortatur, ut illius infirmitas multorum adminiculo fulciatur. In conventu quippe sanctorum, et perfectio sanctitatis nullum sustinet detrimentum, et imperfectio proficiendi accipit incrementum, quia fortes in virtutibus acquisitis fervens obedientiæ conservat officina, et infirmos ad acquirendum **461** regularis informat, et provehit disciplina. Bona hæc officina religionis in qua, et perfecti imperfectos regulariter informare, et imperfecti studeant se perfectioribus conformare, ubi si quempiam præsumpserit adversarius attentare, occursu multitudinis repulsus non conceditur triumphare. Cum enim et majores ardent fraterna charitate, et minores nihil sibi retinent ex propria voluntate, tam secura, tam invincibilis hujusmodi redditur multitudo, ut adversus eam fraudulenta non prævaleat adversarii fortitudo. Ideo paulo infra Hieronymus ad eumdem Rusticum ait (116) : « Ad illud tendit oratio, ut doceam te non tuo arbitrio dimittendum, sed vivere in monasterio sub unius disciplina patris, consortioque multorum, ut ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam; hic te silentium, ille doceat mansuetudinem; non facias quod vis, subjiciaris cui non vis, lassus ad stratum venias, ambulansque dormites, nec dum expleto somno surgere compellaris, servias fratribus, passus injuriam taceas, præpositum monasterii timeas ut dominum, diligas ut parentem; credas tibi salutare quidquid ille præceperit, nec de majoris sententia judices cujus officii est obedire, et implere quæ jussa sunt. » Et infra enumeratis quibusdam vitiis quibus plerique solitarii videntur laborare, subjecit : « Tibi cum in monasterio fueris, hæc facere non licebit, et inolescente paulatim consuetudine, quod primum cogebaris velle incipies. » Liquido patet quare ad cœnobium Hieronymus Rusticum invitat, non quia non sit anachoretarum gradus sublimior, sed quia periculosior, ut vix contingat cum victoriæ titulis gloriari, qui in sublimioribus elegerit præliari. Quem enim hostis considerat stare sublimius, oppugnat instantius, instat et acrius, sperans se adepturum gloriam ampliorem, si eum dejecerit quem videt cæteris altiorem.

CAPITULUM XCVII.

Hæc eadem causa est quare idem Hieronymus a gradu clericali revocat Heliodorum, et ad portum invitat monachorum, ne videlicet positus in sublimi cogatur acriores hostis impetus sustinere, et luctæ acrioris impatiens, tandem inglorius subjacere. Quia enim videt gradu editiori clericos præeminere, et in eo gradu periculosum eos officium exercere, timet ne si ab infirmo quolibet hæc dignitas, vel officium appetatur, sub fasce impari tandem ruere compellatur. Est nimirum dignitas clericorum cunctis Ecclesiæ fidelibus præsidere, est eorum officium viam veritatis eosdem edocere, tam nobilibus

(116) Hieron. id Rusticum Epistol. 13, l. II.

quam ignobilibus, tam sapientibus quam insipientibus spiritalia ministrare; conjugatas, viduas, virgines visitare; conscientias omnium scire, cogitatus omnium erudire; actus et conversationes omnium informare, erratus omnium cum omni patientia et imperio castigare. Et quia hujus sunt officii debitores inter eos quibus præsunt, quos eruditint necesse habent corporaliter conversari, ne propter pastoris absentiam incursum faciat lupus in gregem popularem. Quia vero difficile, rarum est picem tangere, et nullatenus inquinari, cum sæcularibus vivere, et eorum consortio non gravari: ita nonnullos clericorum ex conjunctu sæcularium contigerat infirmari, ut non tam eos laici viderentur in melius quam ipsi laicos in deterius imitari. Eapropter Hieronymus Heliodorum, Paulinum, Rusticum ab hoc studet ordine deterrere, ne se velint sub occasione clericalis officii sæcularibus immiscere, et ne putent quod hic ordo, vel inferior, vel remissior habeatur, quamvis in eo condigne a multis clericis non vivatur. Illi quippe, quantum ex epistolis Hieronymi datur intelligi, in ordine monachico vivere proponentes, sed adhuc quibusdam carnalibus vinculis inhærentes, sic volebant sub religionis formula contineri, ut tamen nollent vel a cognatione sua, vel a populi frequentia removeri. Heliodorus inter cætera cujusdam nepotuli sui Nepotiani affectu tenebatur, Paulino sororem suam relinquere molestum videbatur; Rusticus adhuc cum matre sua una in domo pariter morabatur; et ita his, et horum similibus affectionibus irretiti ad ambulandum iter propositum videbantur non satis expediti. Quos quidem Hieronymus sic diversis studet epistolis convenire; ut ostendat in singulis monacho nullatenus expedire, quod, vel inter propinquos et turbas populares diligat conversari, vel postposita quiete monachica, tumultuosis actibus implicari. Et ne illi hujus impatientes quietis objicerent ordinem clericorum, quos licite vident in urbibus et in medio vivere populorum, huic objectioni curavit diligentius obviare, et ad veram intelligentiam illorum, vel aliorum imperitiam revocare. Ait ergo Heliodoro: « Licet ex collo pendeat nepos, siccis oculis ad vexillum crucis evola, solum pietatis genus est in hac re esse crudelem. » Et infra: « Interpretare vocabulum monachi: hoc est nomen tuum. Quid facis in turba qui solus es? » Et paulo post: « Ex hac supputatione illa summa nascitur monachum in sua patria perfectum esse non posse, » et quia sciebat hujusmodi verba 462 plerisque monachis non placere, quibus eos nititur a conviciu parentum, a turbarum consortio, ab affectu patriæ removere; statim subjungit quod Heliodorum, vel quemlibet hujusmodi noverat respondere: « Sed de hoc, inquit, gradu pulsus provocabis ad clericos, » Ac si dicat, Si eam ad quam te exhortor perfectionem monachicam gravaris adipisci, cum propter eam moneris turbas deserere, parentum et patriæ oblivisci: forte sacros appetens ordines ad officium clericale festinabis te ipsum promovere, ut occasione hujus officii possis licentius in urbe, in populo, in domo, patria remanere. Putas enim quod et tibi remissius in hoc vivere ordine concedatur, et tamen ad perfectionem satis sufficiens habeatur. Sed ego non sic te conabor ad vitam monachicam exhortari, ut præsumam in clericos aliquod vituperium jaculari, nec detrahendo sancto et excelso gradui clericorum, justo amplius laudes efferam monachorum. Hoc est quod subditur: « An de his, inquit, aliquid audeam dicere qui certe in suis urbibus commorantur. Absit, inquit, ut quidquam de his sinistrum loquar. Sinistrum aliquid loqui de clericis videretur, si eorum vel inferiorem, vel remissiorem esse ordinem testaretur; si eos arguendos præsumeret arbitrari, quos non visco, sed officio detentos necesse est in urbibus commorari. Absit, inquit, ut quidquam de his sinistrum loquar, qui apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos nos et Christiani sumus, qui claves regni cœlorum habentes quodammodo ante judicii diem judicant, qui Sponsam Domini sobria castitate conservant. » Ac si dicat: Eos quorum gradus tantæ est in Ecclesia dignitatis, quorum officium tantæ est sanctitatis, non audeo inferiores monachis judicare, quamvis eos videam in urbibus habitare. « Sed alia, inquit, monachi causa est, alia clericorum: clerici oves pascunt; ego pascor. » Hoc est dicere: me, qui pascor, me qui monachus sum, nulla urget causa, ut tolerem molestias tumultus popularis, ad quem tolerandum impellit clericum necessitas pastoralis, nec ideo tamen ille inferior æstimatur, imo tantum clericus monacho quantum pastor ove dignior judicatur. Quanto autem clericus locum obtinet digniorem, tanto necesse est vitam eum habere sanctiorem, ne si major dignitas majori careat sanctitate, majus et gravius detrimentum ex ipsa capiat clericus dignitate. Quia vero in hujus culmine dignitatis, rarum est sanctitate indeclinabili stare, et mortiferum declinare, non tibi consulo ut locum ascendas celsiorem, ne et stare non possis, et ruinam invenias graviorem. « Non est, inquit, facile stare loco Pauli, Petri tenere gradum; attendis Petrum, sed et Judam considera; Stephanum conspicis, sed et Nicolaum respice. » Quia ergo Petri, Pauli, Stephani locum in Ecclesia difficile est obtinere, cum eorum merita non possit facile quis habere, ad ordinem monachicum Heliodorum Hieronymus exhortatur, non quia iste ordo clericali vel dignior, vel sanctior habeatur, sed quia quo humilior, eo securior judicatur. Si enim quis Petri, vel Stephani locum obtinens eorum quoque merita non diligentius imitatur, timendum est ne ad Judæ vel Nicolai consortium dilabatur, et quo gradum altiorem fuerat assecutus, eo casum inveniat graviorem ad ima devolutus.

CAPITULUM XCVIII.

Sic etiam Paulino scribens idem Hieronymus vi-

detur attestari, quod scilicet ordo clericalis monachico debet superior extimari; et cum illum a turba revocans ad quietem studet monachicam exhortari, clericos propter officium quo funguntur dicit in urbibus licite conversari. « Differentias, inquit, in locis arbitror, si urbibus et frequentia urbium relicta in agello habites, et Christum quæras in solitudine, et ores solus in monte cum Jesu sanctorumque tantum locorum vicinitatibus perfruaris, id est ut et urbe careas, et propositum monachi non amittas. » Quod loquor non de episcopis, non de presbyteris, non de clericis loquor, quorum aliud officium est, sed de monacho, qui idcirco pretium possessionum suarum ad pedes apostolorum posuit, docens pecuniam esse calcandam, ut humiliter et secreto victitans, semper contemnat quod semel contempserat. Et paulo post: « Si officium vis exhibere presbyterii, si episcopatus te, vel opus, vel honor forte delectat, vive in urbibus et castellis, et aliorum salutem fac lucrum animæ tuæ. Sin autem cupis esse quod diceris monachus, id est solus, quid facis in urbibus quæ utique non sunt solorum habitacula sed multorum? » Et quia idem Paulinus affectu sororio aliquantulum tenebatur, et non tam quietem monachicam, quam popularem frequentiam diligere videbatur; paulo infra Hieronymus subjungit: « Obsecro te ut, quoniam sororis tuæ ligatus es vinculo, et non penitus expedito pergis gradu, sive hic, sive ibi multitudines hominum et officia et salutationes et convivia veluti quasdam catenas fugias voluptatum.

CAPITULUM XCIX.

Sic etiam cum Rusticum monachum rebus suis paulo tenacius videret inhærere, velletque eum tam ab illis quam a consortio materno amovere, ait: « Tu vero si monachus esse vis, non videri, habeto curam non rei familiaris **463** cui renuntiando hoc esse cœpisti sed animæ tuæ. » Et infra: « Volo, inquit, te propter causas quas supra exposuimus non habitare cum matre. Et quia nonnulli clerici, et rei familiari curam impendere videbantur, et cum matribus vel sororibus passim et quasi licite morabantur, ne illos videretur obliquis invectionibus accusare, se ipsum super hoc curavit diligentius excusare. Non est, inquit, humilitatis meæ neque mensuræ, judicare de cæteris, et de ministris Ecclesiarum sinistrum quidpiam dicere. » Ne ergo Rusticus horum exemplo quasi muniri se posse æstimaret, et illorum conversationem ingratis admonitionibus objectaret, ait iterum: « Ne vero te prætereuntium turba sollicitet, ut tacitus cogites. Quid ergo? Omnes peribunt qui in urbibus habitant. Ecce illi fruuntur suis rebus, ministrant Ecclesiis, adeunt balneas, unguenta non spernunt, et tamen in omni flore versantur. Ad quod ante respondi et nunc breviter respondebo, me in præsenti opusculo non de clericis disputare, sed monachum instituere. » Sancti sunt clerici: patet ergo quia eos quos diximus non ideo studet Hieronymus ad quietem monachicam invitare, quod ordinem clericorum inferiorem præsumat judicare, sed quia hic ordo tantæ est in Ecclesia dignitatis, ut vix possit inveniri qui ei congruat merito sanctitatis. Est autem facilius multoque securius in gradu et conditione humili promereri salutem, quam in alto et lubrico condignam obtinere virtutem, quia, et a valle jacenti ventorum incursus montium obstaculo repulsatur, et in iisdem montibus ipsa ventorum rabies liberius debacchatur. Non ergo, vel invidendo amicis, vel detrahendo clericis commendat ordinem monachorum, sed timeri, et vitari consulit periculum clericorum, ne qui vix sufficit a facie fugere persequentis, ausu temerario locum arripiat resistentis. Non enim omnis qui salutem consequitur fugiendo, potest etiam mereri victoriam resistendo; nec tamen ignaviæ degeneris, vel pudendi dedecoris accusatur, qui ideo festinat fugere ne vincatur. Est ergo quanto facilius, tanto securius de medio fugere Babylonis et salvari: est autem quanto difficilius tanto gloriosius in medio Babylonis victorem coronari, ut perfectio monachica quamvis meritò commendetur, tamen clericali quanto facilior tanto inferior judicetur. Eapropter eos quos diximus consilio Hieronymus instruit amicali, ne prorumpant ad fugiendum vice, vel officio clericali, quia nonnunquam is qui bene vivit dum scabello premitur regulari, declinat et labitur cum in cathedra residet magistrali.

CAPITULUM C.

Quod noster ille Augustinus signanter expressit, cum quorumdam monachorum superbiam eleganter repressit. Loquens enim Aurelio episcopo: « Nimis, inquit, dolendum si ad tam ruinosam superbiam monachos subrigimus, cum etiam bonus monachus vix bonum clericum faciat. » Videbat Augustinus quosdam monachos quietem et silentium fastidire, et humilitatem monachicam non referentes, honores ecclesiasticos impudenter ambire: non considerantes quid inter scabellum et cathedram differatur, cum in illo securius, in ista periculosius sedeatur. Ostendens igitur, et periculosam excellentiam clericorum, et retundens procacem insolentiam monachorum: « Cum etiam, inquit, bonus monachus vix bonum clericum faciat, » aperte demonstrans quia non solum pravus monachus a clericali vice, vel officio debet penitus removeri, sed bonus monachus vix ad ea dignus est promoveri. Nonnulli enim qui in humilitate monachica satis honeste conversantur cum ad vicem clerici peragendam exigente necessitate ecclesiastica sublimantur; non solum non retinent pristinam vivendi disciplinam, sed sub fasce impari defectum incurrunt, potius et ruinam. Invalidi quippe ad obtinendam excellentiam clericalem, majoribus solito concussi tentamentis, ad vitam defluunt sæcularem: tandem experti quid inter bonum monachum, et bonum clericum differatur, cum quod illi sufficit, huic nequaquam sufficere cognoscatur. Differri autem inter eos per Isaiam quoque Dominus, designavit, cum suum erga eos distincte

beneficium commendavit. « Benedictus, inquit, populus meus Ægypti : hæreditas autem mea Israel (*Isa.* XIX). » In Ægypto, ut superius dictum est, invenitur Marci prædicatio floruisse, ibi eo prædicante ordo monachicus invenitur originem accepisse ; ibi aspirante gratia in tantum profecisse, ut abundans frigus pristinæ iniquitatis superexcederet novæ flagrantia charitatis. Ægyptus quæ antea fornax ferrea dicebatur, in qua error varius, et multiplex idololatria cudebatur : igne misso cœlitus officina redditur salutaris, in qua malleo disciplinæ formatur conversatio regularis. Fit autem in tantum hujusmodi conversatio fructuosa, ut quæ deserta fuerant redderet populosa : et quæ sibi eatenus inculta et arida vindicaverat solitudo, occuparet monachorum innumerabilis multitudo. Qui nimirum sic in Ægypto localiter conversantur, ut in ea non tam mente quam corpore teneantur ; sic abjectis erroribus per iter ambulant luminosum, 464 ut commune cum Ægypto nihil habeant præter habitum tenebrosum. Quia enim Ægyptus *tenebræ* interpretatur, ipsi autem in tenebris vixerant peccatorum, volunt apud se memoriam manere pristinorum ; ne obliti quid fuerint, in tumoris vitium dilabantur, et quod gratis acceperant, perdere mereantur. Nigrum igitur colorem quem tenebris noverant concordare, expellentes de mentibus volunt in vestibus retentare, ut per momenta singula nigredinis antiquæ recordentur, et plangentes præterita de præsentibus eo securius, quo humilius glorientur. Sic habitu nigro et horrido exterius tenebrosi, sed interno mentis lumine copiosi, dum his e diverso concurrentibus grata quædam nascitur harmonia, illud de canticis concordi resonant melodia : « Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem (*Cant.* I). » Nigra propter memoriam Ægyptiacæ vetustatis, sed formosa propter gratiam inventæ novitatis : nigra propter locum in quo adhuc realiter habitamus, sed formosa propter eum ad quem spe et desiderio festinamus. Quia ergo Ægyptus prima et præcipua monachis abundavit, cum ejus tenebras verus Oriens infusione sui luminis visitavit : pulchre Dominus hujusmodi gratiam prophetico spiritu præsignavit, cum per Isaiam benedictum Ægypti populum prædicavit. « Benedictus, inquit, populus meus Ægypti. » Sed ne ita monachis prædicta benedictio videretur conferri, ut clericis e diverso beneficium antiquum putaretur auferri, cum dixisset divinus sermo : « Benedictus populus meus Ægypti, » subjunxit : « hæreditas autem mea Israel. » Per Israel ordo clericalis mihi videtur designari, qui in populo Israel ortum accipiens, in eo quoque meruit sublimari, qui in eo apostolos, et quos elegerunt apostoli, carne et spiritu veros Israelitas ad proventum sui accipere meruit presbyteros et levitas. In illo quidem populo Christus clericalem ordinem erudivit ; in illo ei dignitatem ecclesiasticam impertivit ; in illo Christum ipse ordo clericalis audivit ; in illo ei usque ad crucem et lapides obedivit ; in illo Christus passus, mortuus, suscitatus, videntibus illis est in cœlum ad Patris dexteram elevatus. Recte ergo Israel ordo dictus est clericalis, cui a Christo data est major gratia spiritalis, cui specialiter dictum est : « Beati oculi qui vident quæ vos videtis (*Luc.* X) ; » et : « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei (*Matth.* XII), » qui Christum carne videns et spiritu, meruit ei familiarius cæteris inhærere, qui in suis tentationibus cum eo meruit fideliter permanere.

CAPITULUM CI.

Huic ordini Christus in Petro regendæ Ecclesiæ tam honorem quam ministerium delegavit ; huic in Joanne Matrem virginem virgini commendavit ; huic in utrisque suam in monte Thabor gloriam revelavit ; huic in Stephano cœlos aperiens stantem se ad Patris dexteram demonstravit ; hunc in Paulo ad audiendum indicibilia verba usque ac cœlum tertium sublimavit ; hunc in apostolis omnibus ad prædicandum, baptizandum, ligandum vice sua in Ecclesia subrogavit. Iste igitur ordo non solum hæres Dei, vel cohæres Christi, sed expressius et conventientius hæreditas appellatur, quem non sicut cæteros Christus complexus est amore, vel beneficio generali, sed eum affectu quodam tenero, et sorte sortitus est speciali. Unde et in psalmis dicit : « Funes ceciderunt mihi in præclaris (*Psal.* XVI). » Et quia videbat quosdam qui vel multum de Mæcenate supino referentes contemnerent hujus apostolici ordinis paupertatem, vel corvino colore majorem simulare præsumerent sanctitatem, cum dixisset : « Funes ceciderunt mihi in præclaris, » statim subjunxit : « Etenim hæreditas mea præclara est mihi (*ibid.*) ; quasi diceret : Etsi vobis hæreditas mea vilis est qui, vel tumenti supercilio humilitatem apostolicam fastiditis, vel vobis potius qui tenebrosa sanctitatis imagine superbitis ; mihi tamen hæreditas mea et chara est et præclara : chara quidem propter collatæ beneficium sanctitatis, clara vero propter præcelsum ecclesiasticæ fastigium dignitatis. Propter hanc autem sortem præclaram, præcipuam, specialem, hunc ordinem ab antiquo dici placuit clericalem, ut cum talis ordo tali nomine censeretur, cujus esset prærogativæ in ipso nomine signaretur. *Cleros* autem Græce, *sors* Latine ; sors autem hæreditas appellatur, pro eo quod sorte hæreditas dividatur. Sic enim per Moysen Dominus dixit : « Singulis ut sors ceciderit ita tribuetur hæreditas (*Num.* XXXIII). » Quia ergo huic ordini terrena hæreditas non donatur, sed pars illi, vel portio Deus, et Dei sanctuarium assignatur, sicut item per Moysen dicitur : « Dominus ipse est hæreditas eorum (*Deut.* XVIII) ; » recte, et ipse ordo versa vice Dei hæreditas nominatur, pro eo quod eum ad regendum vice sua Ecclesiam specialis funiculo gratiæ sortiatur. Cui hæreditati dicitur in psalmo : « Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ (*Psal.* LXVII). » Cleros dicit duas hæreditates, quas duo Testamenta promittunt, quarum prima, et inferior temporalis ; secunda et multo præstantior æternalis. In primo enim Testamento dierum super terram promittitur longitudo, et in ipsa longitudine

465 bona corporis valetudo, adversus hostes insuperabilis fortitudo; frumenti, vini, et olei plenitudo; et, ne longum faciam, tanta bonorum temporalium amplitudo, ut ampliorem appetere non præsumat terreni desiderii profunda latitudo. In secundo vero Testamento vita promittitur immortalis, pax æterna, lux indeficiens, lætitia spiritalis : angelorum grata societas, sine fastidio plena satietas, ipsius Dei visio luminosa, et ejusdem visionis perseverantia gloriosa.

CAPITULUM CII.

Hæ sunt duæ hæreditates quæ in duobus Testamentis, sicut dictum est, promittuntur, quæ per illa suis cultoribus conferuntur, in quarum altera somno gravi et mortifero, in altera, dulci et salutifero sopiuntur. In prima hæreditate, dormire dicitur qui bona temporalia totis nisibus amplexatur, qui habendis inhiat, habitis justo amplius delectatur; qui cæcatus corde, solis visibilibus adhærescit, et in hac cæcitate, securitate misera tanquam dormiens requiescit. Sic dormire quosdam apud Corinthios Paulus noverat dicens : « Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi (*II Cor.* XI) ; » et ad Thessalonicenses : « Qui dormiunt, nocte dormiunt (*I Thess.* V). » Et Isaias : « Speculatores, inquit, cæci omnes vos, dormientes et amantes somnia (*Isa.* LVI). » Dominus quoque noster discipulos arguit hujus dormitionis, cum ipse vigilans agonizaret, sub ipsius articulo passionis. « Venit, inquit, et invenit eos dormientes (*Matth.* XXIV) ; » id est amori hujus vitæ adhuc carnaliter inhærentes. « Erant enim, ait, oculi eorum gravati (*ibid.*), » id est timore moriendi usque ad fugæ vel negationis periculum tenebrati. Ideo Petrum arguit qui se promiserat quasi nullatenus dormiturum ; sed cum eo usque ad mortem fideliter permansurum : « Simon, dormis? Non potuisti una hora vigilare mecum? » (*Matth.* XXV.) Tu qui dixeras : Animam meam pro te pono, etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo; tu, inquam, dormis imminente mortis articulo, cum potissimum debueras vigilare, ut unius horæ compendio æternum posses dispendium evitare? In secunda vero hæreditate quasi dormire judicatur qui, remota sollicitudine temporali, securitate inventa gratulatur; qui optato angelorum consortio gloriatur : qui revelata facie gloriam Domini contemplatur, cum ejus visioni nulla interpolatio refragatur, cum pax justitiam osculatur, cum justitia in judicium commutatur, cum inchoata charitas sine debito consummatur. Quam dormitionem David in spiritu prævidebat : et eam se adepturum præsumptione humili fiducialiter asserebat. « In pace, inquit, in idipsum dormiam et requiescam (*Psal.* IV).» Beata est illa pax, ad quam justus cum venerit, dicitur obdormire, id est securitatem tam gratam, tam perpetuam creditur invenire, ut nulla omnino discors adversitas; non adversa diversitas vel occurrat, vel prævaleat contra ipsum, imo omnis expers injuriæ requiescit delectabiliter in idipsum. Cujusmodi pacem vel dormitionem alibi quoque Dominus designare videtur; cum terram promissionis filiis Israel in Levitico pollicetur. » Dabo, inquit, pacem in finibus vestris, dormietis, et non erit qui exterreat (*Levit.* XXVI). » Illius quippe cœlestis patriæ fines adeo sunt pacati, illius Hierusalem portæ, seræ, vectes, adeo confortati, ut in eis somno longo et delectabili dormiatur, nec quisquam vel ad sonum volantis folii terreatur. In his duobus cleris, ut prædictum est, sic dormitur, cum scilicet, vel in primo mortifera, vel in secundo salutifera requies invenitur. Inter medios autem cleros, id est inter duas hæreditates dormit, qui et appetere temporalia non contendit, et ipsa nondum cœlestia quæ desiderat apprehendit. Cum enim quis a tumultu forensium sequestratur, cum desideriis carnalibus refragatur, cum honores, gloriam, divitias aspernatur; cum sic manet in carne, ut non ea quæ carnis sunt amplectatur, quid nisi de hæreditate temporali videtur quodammodo jam exire, et oblitus priorum, in sinu vel gremio quietis obdormire? Quia vero de corpore mortis hujus nondum penitus liberatur, nondum interiora sanctuarii remoto velamine contemplatur, quid nisi ea quorum odorem amando meruit prægustare, foris in vestibulo quasi dormiens videtur somniare? Inter duas igitur hæreditates dormit, qui et de ista jam aliquantulum est egressus, et in illam nondum penitus est ingressus; qui ab hujus appetitu, torpore laudabili defetiscit, et alteram quam nondum obtinere prævalet, concupiscit. Sic inter medios cleros jussit Deus eum quem prædiximus obdormire, unde et eumdem clericali nomine voluit insignire, ut, cum attenderet tali nomine se censeri, sciret unde et quo deberet promoveri. Dormiendo quippe inter cleros efficiuntur clerici pennæ columbæ, quia tunc eorum verbo et exemplo Ecclesia de terrenis ad cœlestia sublevatur, cum eorum et vita et doctrina in quiete et otio soporatur. Ideo Christus illum discipulum quem plurimum diligebat, quem doctorem et ductorem proponere clericis disponebat, super pectus suum affectuose in cœna reclinavit, eique non somniandi, sed contemplandi gratia soporato, vivendi et docendi gratiam inspiravit, ostendens quia eum ordinem, cujus pennis necesse est Ecclesiam sublimari, vult in pace et otio delectabiliter soporari; hic autem soporatus hæreditate possidet sanctuarium **466** Dei, et ipse versa vice efficitur hæreditas Dei, ut sicut ei hæreditario jure sanctuarium vel sacerdotium assignatur, sic ipse specialiter præ cæteris Dei possessio vel hæreditas habeatur. Hoc nimirum Dominus per Isaiam, ut superius dictum est, designavit, hoc distinctione congrua commendavit, cum Ægyptios monachos populum suum generaliter appellavit, clericis vero specialiter nomen hæreditarium reservavit. « Benedictus, inquit, populus meus Ægypti : hæreditas autem mea Israel (*Isa.* XIX). » Cum ergo se monachi considerant benedictionis munere profecisse, non putent clericos a dignitate pristina defecisse ; quia iosi

hæreditas, ipsi Israel specialiter appellantur, his videlicet causis quæ superius memorantur.

CAPITULUM CIII.

Potuissem hoc loco præsentem responsionem congrue terminare, nisi eam cujusdam monachi disputatio quæ scripta est, cogeret aliquantulum prolongare, quæ nostris assertionibus quibus clericos digniores monachis voluimus demonstrare, invenitur plurimum obviare. Hanc autem disputationem nec volui, nec debui silentio præterire, ne si eam forte in manus vestras contigerit devenire, in dubium feramini cui debeatis potissimum consentire. Cum ille monachus, quem nequaquam facie, sed nomine tantum novi, disputaret cum quodam suæ civitatis clerico, quem et facie et nomine bene novi, volens monachos justo amplius commendare, digniores eos clericis nisus est affirmare. Et quia idem clericus adversanti monacho facile non cedebat, de epistolis Hieronymi testimonia monachus proferebat, quæ quoniam apud se usu et memoria retinebat, excerpens ea quæ parti suæ congruere videbantur, ad suum arbitrium inflectebat. Ille autem clericus epistolas Hieronymi, vel non legerat, ut videtur, vel non commendarat memoriæ; et quia tanti viri auctoritatibus nequaquam resistere præsumebat, auditis testimoniis tandem assensum tribuebat. Verum si eas legisset, et lectas memoria tenuisset, posset, quantum æstimo, convenientius respondere et opposita oppositis fiducialiter removere. Quod si quid inter eos de lectione Porphyrii vel Aristotelis ageretur, non dubito quin clericus monacho nequaquam inferior, imo longe superior haberetur, quippe qui et sæcularibus litteris erat admodum eruditus, et ad proponendum vel respondendum irreprehensibiliter expeditus. Divinarum quoque scientia litterarum non caruit, imo se tam studiose in illis exercuit, ut cum de eis aliquando cum eodem monacho graviter disceptaret, consulta Laudunensium magistrorum auctoritas, saniorem ejus sententiam judicaret. Quod ergo cessit monacho dignitatem monachicam justo amplius extollenti, et ad munimen causæ suæ de epistolis Hieronymi testimonia proferenti; ea quam prædixi causa, mihi videtur exstitisse, quod scilicet earumdem epistolarum non credo eum notitiam habuisse. Quamvis a nonnullis illius civitatis clericis asseratur, et eorum assertio satis verisimilis habeatur, quod hujus disputationis quæ scripta est, idem ipse monachus notarius exstiterit, ipse eam exceperit, ipse eam scripserit, et pro suo arbitratu illum victum, se autem victorem descripserit, sed hoc in præsenti judicium seponamus, et ad id quod monachus asserit veniamus.

CAPITULUM CIV.

Dicit quidem monachos ob hoc esse clericis digniores, quia et professione monachica decorantur, et sacris ut clerici fungentes ordinibus altario famulantur; et cum isti tantummodo sint clerici, illi et monachi pariter habentur et clerici. « Cum enim, ait, clericatus sit, non tonsura, non habitus, non scientia litterarum, sed officium altaris; monachi autem officio fungantur altaris, constat eos quoque esse clericos qui agunt ea quæ sunt propria clericorum; quibus ad cumulum dignitatis adjungitur habitus et professio monachorum. » Sed congruum videtur ipsius monachi verba præsenti opusculo inserere, ut certius teneatis quid, quomodo necesse sit eisdem respondere. « Clerico loquens monachus clericatus, inquit, non scientia litterarum, non tonsura vel habitus tuus, sed altaris est officium. Et hic idcirco tali censetur nomine, quia cum in veteri lege, tribubus Israel forte divideret Dominus terram in funiculo distributionis; tribus Levi quæ in sanctuario ministrare debebat, sortem non aliam quam ipsum Dominum, id est altare Domini accepit; videlicet ut altario serviens de altario viveret. Igitur clerici sunt quicunque altario serviunt, nec aliud clericatus significat quam altaris officium. Itaque concedere oportet quod non ob aliud clericus dicaris, vel sis, nisi quia fungeris ordinibus altaris. Ast ego quoque eisdem ordinibus fungor, nempe et cum auctoritate regulæ meæ functus sum sacerdotio, igitur et ego clericus sum. « Sic monachus proponendo, assumendo, inferendo, se esse clericum asseverat, et in eadem assertione inflexibiliter perseverat; adjungens se ob hoc digniorem clerico judicari, quia cum clericatu invenitur, etiam professione monachica decorari. Ait enim: « Mihi autem qui cum splendore monachici 467 ordinis honore quoque sacerdotalis ac levitici fungor ordinis, nullatenus æqualem te videri patior. Nam sicut verissime ait quidam: « Maria virgo, et Joannes virgo; sed major proportio in Maria, quia Joannes tantummodo virgo, Maria autem, et mater et virgo: « sic nimirum major in me proportio quam in te, quia tu clericus tantum, ego et monachus et clericus sum. Jam tenes me qui monachus sum, esse etiam clericum: videlicet quia sacri altaris ordinibus functus sum. » His verbis monachus et se esse clericum asserit, quia sacris ordinibus functus est, et digniorem clerico se esse contendit, quia et monachus est. Quem vero monachum digniorem clerico dici non patiatur, vel cui monacho parem esse clericum fateatur; in eadem disputatione apertius declaratur. Ait enim clerico qui adversabatur: « Tibi hæc opposita videntur, scilicet monachatus et clericatus: illa quidem diversa sunt, unde et singula sine alterutro esse possunt ut in te, vel in illo clericatus sine monachatu est: itemque in laico quolibet converso, monachatus absque clericatu. Cui te parem esse non nego, cum auctoritate canonum quæ monacho nullos gradus altaris habenti, si in crimine lapsus fuerit, eumdem pœnitentiæ modum præscribunt quem et clerico qui est levitici ordinis. » Videtis quia laicum (si monachus tantum fiat, et altaris ministerio non fungatur) æqualem esse clerico levitici ordinis protestatur: eo fretus argumento, quod si hujusce monachus in fovea criminis prolabatur, idem ei pœnitentiæ modus, qui et levitæ clerico, auctoritate ca-

nonum injungatur. Sed, ut æstimo, non est hoc satis necessarium argumentum, neque hujus argumenti satis sufficiens munimentum; et ad id quod sic affirmare nititur reprobandum, non est denuo magnopere laborandum. Satis enim superque est superius demonstratum, non debere coæquari clericatui monachatum, nec est necesse ut id toties repetatur, ne identitate superfluo repetita fastidium audientibus ingeratur. Denique quis sane sapiens æquo animo patiatur, ut levitæ clerico par esse laicus monachus asseratur, cum huic nec mutire in Ecclesia concedatur, in illius autem ore verbum Evangelii committatur? Ille quidem et si ore sacro Christi corpus nondum sufficit consecracre, tamen consecranti sic invenitur familiariter ministrare, ut calici manum apponere jubeatur, et tanto mysterio cooperator necessarius habeatur, ne videlicet pontifex id solus agere videatur, sed ad sacrum officium quasi consors diaconus admittatur.

CAPITULUM CV.

Quod autem monacho, si in crimen lapsus fuerit, idem pœnitentiæ modus, qui et clerico levitici ordinis, assignatur, non dignitatis æqualitas designatur, sed ecclesiastica censura justo moderamine dispensatur, ut erga eum moderatius agat, qui cogente officio cum sæcularibus conversatur, in eum vero districtam sententiam proferat, qui remotus a sæculo, sæculi tamen criminibus implicatur. Cum enim levita ministerio fungitur clericali, cum exigente officio colliditur frequentia populari, cum vel præsente, vel absente forte presbytero compellitur cæteros consolari, visitare viduas, conjugatas instruere, virgines exhortari, cum his et hujusmodi studiis cogitur occupari, quid mirum si invenitur molestiis collateralibus aggravari? Quid, inquam, mirum, si æstuante Cancro fenum in montibus, solis radiis expositum, arescit, si eo arente castitatis flosculus emarcescit, qui quandiu in valle recondita sub arborum tegmine delitescit, congruo fotus irriguo, decoro debito viridescit? Imo mirum et mirandum, si cum propter officium clericatus, levita turbis sæcularibus admiscetur, abundante gratia, vitiorum visco sæcularium non tenetur; si cum studet tam viris quam feminis spiritale debitum impertire, ignis molestias occurrentis illæso potest vestigio pertransire. Sicut ergo propter gradum altiorem dignitatis, lapsus ejus gravior reputatur, sic propter officium importunum, dignior venia judicatur, et ministrum suum arguit pontifex in spiritu lenitatis, considerans esse difficile, tenere propositæ statum indeclinabilem sanctitatis. Si vero monachus qui cura ecclesiastica non tenetur, qui jure sui ordinis a frequentia populi removetur, cujus est officium dare operam lacrymis, solitario in angulo residere, occursus fugere hominum, et præcipue mulierum, nec videre quidquid blanditur in sæculo, admonitione sui habitus abhorrere, latentem sub silentio, commune cum exterioribus nil habere; si iste, inquam, rupto repagulo continentiæ singularis, nullo pudore coercitus prorumpat ad turpitudinem lupanaris, quis non eum dignum pœnæ indicet gravioris, quod quasi libens deseruit umbram latibuli tutioris? Quanto enim facilius potuit continentiam observare, cujus erat officium sub umbra silentii latitare, tanto in eum censura ecclesiastica severius exercetur, tanto ejus morbo medicina mordacior adhibetur. Non igitur in eodem pœnitentiæ modo, quem monacho et levitæ canonum præscribit auctoritas, dignitatis signatur æqualitas, sed inæqualis pensatur **468** securitas, ut clericus quem ministerii urget occasio, paulo indulgentius puniatur, ei vero quem securiorem monachica reddit professio, districto judicio non parcatur. Clericus nimirum multo gravius eo merito puniretur, quo quanto gradus altior, tanto lapsus gravior perhibetur; sed si in eum sine misericordia judicium ageretur, vix posset forsitan inveniri qui clericali ministerio fungeretur. Nunc ad id quod monachus dicit se esse et clericum, volo aliquantulum respondere; si tamen Deus, vel sentire quod verum est, vel quod sensero, dederit explicare. Pauper enim spiritus, ad sentiendum subtilia angustus et tardior invenitur, et ad explicandum quæ senserit multo plerumque majoribus angustiis præpeditur, quia, et si investigando tandem potest aliquid per intelligentiam invenire, tamen propter verborum penuriam non prævalet quæ inventa sunt expedire. Ille ergo nostræ paupertati valde necessarius est, qui et sapientia Dei et verbum Dei Deus est, ut eo largiente nostram intelligentiam notitia veritatis illustret, et tandem notitiam curta verborum supellex non angustet.

CAPITULUM CVI.

Dicit monachus se ideo clericum esse, quia servit altari. « Tribus enim, inquit, Levi quæ in sanctuario ministrare debebat, non aliam sortem accepit quam altare Domini. » Videlicet ut altario serviens, de altario viveret. « Igitur, inquit, clerici sunt quicunque altari serviunt. » Miror quare non etiam intulit: Igitur clerici sunt quicunque de altario vivunt. Sicut enim proprium est clericorum servire altari, sic proprium etiam est eorum vivere de altari, quia sacerdotibus et levitis, quibus in lege constitutum est ut altario servirent, constitutum est etiam ut de altario viverent: ne inter fratres suos aliam sortem acciperent quam altare, scilicet, ut ei ministerium impenderent spiritale, et de eo alimentum acciperent temporale. An ideo inferre etiam noluit: Igitur clerici sunt quicunque de altario vivunt, sicut intulit: « Igitur clerici sunt quicunque altario serviunt; » ne superflua talis illatio videretur, cum hoc quasi constans et nulli dubium haberetur? Constat enim quia sicut tribus Levi ordinata est ad serviendum altari, sic ei ordinatum est ut viveret de altari, nec alia quam illa tribus altaris officio mancipatur, nec alii quam illi vivere de altario divinitus assignatur. Si ergo ad id temporis sermo noster refertur, quoad serviendum altari sola tribus levitica postpositis cæteris antefertur, eique inter fratres alia hæreditas non confertur, satis, ut

æstimo, convenienter infertur quia quicunque de altari vivunt, levitici generis sunt. Sed nunquid hoc idem nostro poterit tempori convenire, in quo non una tribus Levi, sed tam de Judæis quam de gentibus inveniuntur altario deservire; cum jam non in templo, vel tabernaculo veteri sanguinem fundimus vitulorum, sed in Ecclesia Christi vitulos offerimus confitentium labiorum? Nunquid, inquam, hoc nostro tempori congruit ut dicatur: Quicunque altario serviunt, vel, quicunque de altario vivunt, clerici sunt, cum hoc de filiis Levi posset dici qui sunt clericorum in hoc officio præcessores; et quorum sunt in Ecclesia clerici successores? Sed alius mihi videtur esse status præsentis Ecclesiæ, alius Synagogæ: nec quidquid in illa de tribu Levi poterat probabiliter affirmari, potest per omnia clericis nostri temporis coaptari. Ut enim unum horum quæ præmisi repetam, quis dixerit omnes quicunque de altario vivunt clericos esse, cum videamus multos de Ecclesia temporales sumptus accipere quos nemo præsumit clericos dicere? Plures quidem, etiam laici, ecclesiasticos redditus concessi sunt dispensationis gratia possidere, quæ concessio jam videtur robur tam validum obtinere, ut eam quis vel non debeat, vel facile non possit abolere: reclamantibus fere cunctis, quia talis usus antiquitatis debeat privilegio prævalere. In multis quoque monasteriis videmus feminas religionis gratia congregari, quas loquendi consuetudine, sanctimoniales vel monachas novimus appellari; ad usus quarum cum certum sit oblationes et decimas delegari, satis liquido declaratur non omnes esse clericos qui vivunt de altari. Denique Apostolus (*I Tim.* v) vult ut vidua sexaginta annorum eligatur, quæ de templi ærario temporalem alimoniam consequatur; et fidelem quemque ut ministret suis viduis diligentius adhortatur, ne gravata Ecclesia his quæ vere sunt viduæ minus sufficiens habeatur. Ex quo patet quia, etsi proprium est clericorum vivere de altari, jam tamen non omnes clerici sunt qui vivunt de altari. Sicut autem non omnes qui vivunt de altari clerici sunt, sic e regione non omnes vivunt de altari qui tamen clerici sunt. Multos enim videmus clericos, quibus nulli ecclesiastici redditus conferuntur, qui de altari nil temporalis commodi consequuntur; sed paupertate vel voluntaria, vel invita forsitan atteruntur, vel necessaria vitæ hujus aliunde sibi acquirere moliuntur. Denique Paulus (*I Thess.* II) cum serviret altari, nolebat tamen vivere de altari, et cum annuntians Evangelium, expleret graviter officium clericale, nolebat tamen consequi de Evangelio commodum temporale. Itaque, ut prædictum est, sicut non omnes clerici sunt qui vivunt de altari, sic non omnes qui clerici sunt **469** habent vivere de altari, cum in lege tamen constitutum sit ut tribus levitica viveret de altari, nec alii nisi ei constitutum sit vivere de altari.

CAPITULUM CVII.

Sic etiam, nisi fallor, non quicunque est clericus A servit altari; nec e converso, clericus est omnis qui servit altari. Servitium autem quo altari servitur, duobus modis, ut mihi videtur, convenienter accipitur. Tunc enim altari quodammodo deservimus, cum in ecclesia coram altario convenimus, voce consona, psalmis, hymnis, canticis spiritalibus personamus; horas, quæ dicuntur regulares vel canonicæ, solemniter decantamus. Quo nimirum modo non solum clerici, vel monachi, sed et monachæ, vel sanctimoniales inveniuntur altario deservire, propter quod asserunt sibi quoque non indebito convenire, ut de ecclesia vitæ hujus necessaria consequantur, cui officio spiritali, id est melodia litterali quemadmodum clerici famulantur. Sed hoc in præsenti servitium seponatur, cum de eo noster B monachus non loquatur. Est alius modus serviendi, quo propius et sanctius altari deservitur, ad quod regulariter peragendum sacris ordinibus minister insignitur; ad eos autem ordines ille duntaxat discrete et salubriter accersitur, qui vita et scientia prior cæteris invenitur. Est autem hujus officii tanta prærogativa, ut se indigne ingerentibus non mediocriter sit nociva, accedentibus vero præsumptione humili, vel humilitate præsumptiva, fit profecto et salutis perfectæ et perfectionis salutiferæ completiva. Denique non agit hoc officium monacha, non sanctimonialis, non quod in illis nulla sit sanctitas vel scientia litteralis, sed quod auctoritas ecclesiastica, quæ sanctitati et scientiæ altaris sacramenta committit, sexum tamen femineum ad C eadem peragenda non admittit. Itaque presbyter cujus est sacro manus uncta liquore, in altari corpus Christi conficit sacro ore, cum substantiam panis et vini veraciter corruptibilem nullo penitus dubitante, signo crucis et virtute verborum adhibitis, reddit incorruptam, ascriptam, ratam, spiritu efficaciter operante; ita quidem ut visibilis species oculis non appareat transformata, substantia vero certa fide teneatur esse in aliud invisibiliter transmutata. Huic autem officio diaconus minister secundus adhibetur, qui ad peragendum quæ sancta sunt adeo necessarius perhibetur, ut per eum intra sacra solemnia verbum Evangelii prædicetur, per eum calix benedicendus ipsi presbytero præsentetur. Ili duo, D scilicet presbyter et diaconus, sacris ordinibus dicuntur insigniti, unde et sacrarum scientia Scripturarum debent esse præ cæteris eruditi, ut non tenebris ignorantiæ, sed sapientiæ compedibus laudabiliter irretiti, et ad docendum quæ didicerint, et ad faciendum quæ docuerint, inveniantur expediti. Sunt præter istos alii qui, etiam circa altaris ministerium occupantur, et ad id peragendum a pontificibus ordinantur; qui, etsi gradum sanctitatis habere non negantur, non tamen eorum sacri ordines appellantur. Non enim quisquam subdiaconum, acolythum, exorcistam, lectorem, ostiarium, locum sanctitatis negabit obtinere, quamvis constet eos presbyteris et diaconibus subjacere; quia et illa sancta sunt quæ illi debent jure sui ordinis pro-

videre, et ista sacrosancta, et si quid amplius potest dici, quæ presbyter et diaconus jubentur adimplere.

CAPITULUM CVIII.

Quia vero hujusmodi fungi ordinibus proprium est clericorum, eisdem autem funguntur nonnulli etiam monachorum, monachus de quo loquor, ob hoc se etiam clericum protestatur, quia quod et clerici, sacris et ipse ordinibus sublimatur. Cui assertioni dicit etiam Hieronymum concordare, et in suis eum opusculis hoc idem comprobare; præsertim in illa quam Nepotiano invenitur epistolam delegare : in qua tam illum quam cæteros, qui monachi simul et clerici sunt, studet diligentius informare. Hoc enim, ut monachus ait, et ipsius epistolæ titulo præsignatur, et in prosecutione operis evidentius demonstratur. Ait quippe monachus de Hieronymo (117) : « Cæterum ad Nepotianum scribit de vita monachorum, et clericorum eorum qui monachi pariter et clerici sunt; » et infra : « Nepotianus, inquit, ad quem vel propter quem scribit, unus idemque, monachus pariterque et clericus est. » Et infra : « Instituit, inquit, in hoc uno Nepotiano, qualiter se habeant ii qui utriusque ordinis, id est clericalis et monachici, sunt. » Et paulo post : « Idcirco, ait, epistola illa sic intitulatur : De vita clericorum et monachorum, quorum, ut ipse Hieronymus in eadem ait, et sacerdotium proposito, et propositum ornatur sacerdotio. » Si pace monachi potest dici, nec ita invenitur epistolæ titulus se habere, nec ipsa epistola talem prosecutionem cognoscitur exhibere. Illi quidem codices quos inspicere potui, nihil de monachis in titulo pollicentur, sed de vita solummodo clericorum Hieronymum scribere profitentur. Quod etsi vel in nostris, vel quibuslibet aliis codicibus talis titulus scriptorum vitio poneretur, **470** non tamen ei a prudentibus crederetur, cum testimonium possint multo verius invenire quo ad rei veritatem possint certius pervenire. In ipsa quidem fronte hujus epistolæ, satis liquido declaratur quod Nepotianus Hieronymum obnixe deprecatur (118) ut ei scribat qualiter vel clericus, vel monachus debeat victitare, qui, vanitate sæculi derelicta, Deo proposuit perfectius militare. Sed quia eidem Nepotiano, avunculus suus Heliodorus pontifex, et monachus libellum scripserat de institutione monachorum, non præsumit Hieronymus hoc ipsum iterare, ne quasi sancto viro videatur injuriam irrogare; si libello illius libellum alterum superponat, et illius scientiæ quasi suam scientiam procaciter anteponat. Omittens itaque de monachis de quibus ad unguem ille suus avunculus informarat, scribit tantum de clericis, de quibus ille scribi etiam postularat, ne vel de illis scribendo præsumptionis argui mereretur, vel de istis tacendo fratris petitionem contemnere videretur. Ait enim : « Petis a me, Nepotiane charissime, litteris transmarinis, et crebro petis ut tibi brevi volumine digeram præcepta vivendi, et qua ratione is qui, sæculi militia derelicta, vel monachus cœperit esse, vel clericus rectum Christi tramitem teneat, ne ad diversa vitiorum diverticula rapiatur. » Et infra (119) : « Scio, inquit, a beato avunculo tuo Heliodoro, qui nunc pontifex Christi est, te et didicisse quæ sancta sunt, et quotidie discere, normamque vitæ ejus exemplum habere virtutum; sed et nostra, qualiacunque sunt, suscipe, et libellum hunc libello illius copulato, ut cum ille te monachum erudierit, hic clericum doceat te esse perfectum. » Videtis quia, quamvis Nepotianus sibi libellum scribi de institutione, tam clericali quam monachica deprecetur, non tamen nisi clericum se docere Hieronymus pollicetur, et hoc per totum corpus epistolæ satis prosequitur evidenter, dum vix de monachis bis vel tertio loquitur incidenter. Denique cum cuidam nomine Rustico idem Hieronymus epistolam de institutione describeret monachorum, istam quam prædiximus se scripsisse asseruit de institutione clericorum. Ait enim illi de clericis (119*) : « Habeant illi ordinem suum; quem si tenueris, quomodo tibi in eo vivendum sit editus ad Nepotianum liber docere te poterit. » Cum igitur Rustico Hieronymus de institutione monachica libellum transmittit, quare eum doceri perfectionem clericalem ad libellum editum Nepotiano remittit, nisi quia, sicut in isto monachus, ita in illo clericus eruditur, et non amborum communiter in utrisque, sed in singulis singulorum perfectio definitur? Quod autem Hieronymus ad Nepotianum dicit : « Quorum sacerdotium proposito, et propositum ornatur sacerdotio; » non sicut monachus noster ait, de his qui monachi simul et clerici sunt dicitur conjunctive, sed de clericis et monachis debet intelligi disjunctive, sicut ipso verborum ordine manifestius demonstratur, si paulo diligentius attendatur. Ait enim : « Quanto magis in monachis et in clericis, quorum sacerdotium proposito, et propositum ornatur sacerdotio! » Et paulo post : « Solis, inquit, clericis et monachis hoc lege prohibetur, » dicendo quanto magis in monachis et in clericis, et infra, solis clericis et monachis, satis liquido manifestat quod non eosdem monachos quos et clericos vult intelligi; sed distincte loquitur de utrisque, quorum et religiosum propositum sacerdotalis ornatur officio dignitatis, et sacerdotale officium religiosæ proposito sanctitatis. Utrique enim, id est clerici et monachi, et religionis proposito decorantur, et sacerdotali officio venustantur. « Quanto magis, inquit, in monachis et in clericis. » Intraposita quippe, *et*, particula conjunctiva, sicut duos illos ablativos regulariter in oratione conjungit, sic eorum significata disjungit, ut scilicet alii monachi, alii cle-

(117) Lib. II, epist. 12.
(118) Epist. fam. Hier., l. II, epist. 12.
(119) Ibidem.
(119*) D. Hier., lib. II, epist. 13.

rici necessario intelligantur, et istorum sensus nominum interposito *et*, vel *in*, nullatenus confundantur.

CAPITULUM CIX.

Quod autem monachus dicit quia Nepotianus ad quem, vel propter quem Hieronymus hanc epistolam scribit, unus idemque monachus pariter et clericus est, unde hoc probare possit non video; quia nec in epistola legitur monachus exstitisse, nec uspiam alibi recolo me legisse. Etsi enim avunculus suus Heliodorus libellum ei scripsit, in quo qualiter monachus vivere debeat declaravit, non tamen ex hoc eum fuisse monachum demonstravit, quia, etsi ille perfectionem monachicam legendo voluit erudiri, non tamen forte vitam monachicam vivendo voluit experiri. Clericum autem eum invenitur Hieronymus appellare, non solum in hac epistola, in qua tam eum quam in eo cæteros clericos voluit informare, sed et alibi cum lacrymabiliter irreparabili conqueritur de jactura, quod scilicet eumdem Nepotianum de medio mors abstulerit immatura. Scribens enim pontifici Heliodoro quem de nepotis obitu noverat inconsolabiliter contristari, volensque eum compatientis alloquio consolari, inter cætera de Nepotiano sic ait (120) : « Quid plura? Fit clericus et per solitos gradus presbyter ordinatur. » Nec tamen moveat, si vel Hieronymus, vel sanctorum quilibet alius eos qui monachi sunt invenitur aliquando **471** clericos nominare, et ex causa qualibet accidenti alieno eos vocabulo decorare. Nonnunquam enim monachus ad agendum quod clerici est vel se ingerit, vel forsitan invitatur, et propter assumptum officium clericus nominatur, sicut Hieronymus innuit cum Rusticum monachum diligentius adhortatur, ut sic in monachatu vivat, ut clericus tandem fieri mereatur (120') : « Ita, inquit, age et vive in monasterio ut clericus esse merearis, cum ad perfectam ætatem veneris; si tamen vita comes fuerit, et te, vel populus, vel pontifex civitatis in clericum elegerint, agito quæ clerici sunt, et inter ipsos sectare meliores. » Et meus ille Augustinus quod superius dictum est : « Cum bonus, inquit, monachus vix bonum clericum faciat. » Sed scire debet vestra dilectio quod impropria est hujusce locutio, nec est divinarum series Scripturarum tam lucida, tam serena, ut ab improprietatis obscuro sit penitus aliena. Unde miror si monachus quem scio apprime fuisse litteratum, non attendit in Scripturis hoc esse frequentius usitatum, ut, cum quis agit quod est alteri quasi proprius assignatum, ex eo sibi nomen contrahat mutuatum. Denique Dominus in Evangelio eum qui apostolus erat, diabolum nominavit; quia videlicet sibi ille officium diabolicum vindicavit. « Nonne, inquit, ego duodecim vos elegi, et unus ex vobis diabolus est ? » (*Joan.* VI.) Non dixit : Unus ex vobis agit quod diaboli est, quod proprie posset dici; sed : unus ex vobis diabolus est, quod improprie constat dici; quia ei nomen illius locutione duntaxat impropria congruebat, cujus opus vel officium peragebat. Nulli autem dubium quin opus diaboli esset quod apostolus ille est prosecutus, de cujus opere et ad Judæos alibi Dominus est locutus. « Vos, inquit, ex patre diabolo estis, et opera patris vestri vultis facere (*Joan.* VIII). » In locutione etiam vulgari locum non modicum invenitur hæc improprietas obtinere : quod qui diligentius attenderit, facile poterit pervidere.

CAPITULUM CX.

Scitis quia dare operam scientiæ Scripturarum ita est proprium clericorum, ut quicunque voluerit clericus fieri, necesse sit litteris imbuatur, et sine earum quantulacunque scientia, vel vix vel non quisquam clericus habeatur. Unde loquendi usus obtinuit, ut quem viderimus litteratum statim clericum nominemus, et quoniam agit quod clerici est, ex officio ei vocabulum assignemus. Si quis igitur litteratum militem idiotæ presbytero conferat, fiducialiter exclamabit et cum juramento affirmabit eumdem militem meliorem presbytero clericum esse; quia scilicet miles legit, intelligit, dictat, versificatur, et inter clericos linguam Latinam proferens, solœcismi nescius approbatur, presbyter vero non solum nescit orationem grammaticam irreprehensibiliter informare, sed forte nec Completorium solus regulariter cantitare. Et tamen militem quem dicimus presbytero meliorem clericum esse, scimus procul dubio clericum non esse, sed improprii sermonis usus ita prævaluit, ut qui operam dat litteris, quod clerici est, clericus nominetur, quamvis eum non esse clericum nequaquam dubitetur. Denique cum aliquem monachum humanitatis et charitatis gratia convenimus, de quo utrum sciat an nesciat litteras nondum scimus : interrogamus eum utrum clericus sit, non quærentes scire utrum sit ad agendum altaris officium ordinatus, sed tantummodo, utrum sit litteratus. At ille ad interrogata consequenter respondens, dicit se clericum esse, si litteratus est; conversum vero laicum, si illiteratus est. Inter eas quoque sanctimoniales, vel monachos a quibus Deo in Ecclesia labore litterario deservitur, si qua perfectius imbuta litteris invenitur, non proprio sed improprio sermone bonus clericus appellatur, in quo nihil aliud quam ejus scientia prædicatur. Cum aliquando, me præsente, vir quidam moribus et habitu religiosus in quamdam ecclesiam deveniret, et sanctimonialem, tam ætate quam scientia præmaturam, coram altario tenentem libellum in manibus inveniret, inter cætera quæ ad invicem mature contulerunt, sciscitatus est ab ea quid teneret, quid videlicet libellus quem tenebat in manibus contineret. At illa : « Vitam, inquit, cujusdam virginis quam dictavi, quam scripto cum essem juvencula commendavi. » Et adjunxit : « Fui enim bonus clericus. »

(120) Epist. D. Hier., l. II, epist. 22.

(120') Lib. II, epist. 13.

In quo dicto nihil aliud intelligendum admotavi quam quod bene litterata fuisset, cum junior vitam virginis descripsisset. Sic et de quibusdam aliis quas scio admodum litteratas, vel esse, vel fuisse, recolo frequentius me audisse, ut cum de cujuslibet earum scientia sermo in medium versaretur, ipsa bonus clericus diceretur. Et miror cum in muliere clericalis scientia prædicetur, cur non bona clerica, sed bonus clericus nominetur, cum satis convenientius videretur, ut sicut a monacho monacha, sic a clerico clerica **472** diceretur. Eas quidem quas sub religionis habitu constat in monasterio conversari, vel sanctimoniales, vel nonnas, vel monachas in Patrum opusculis invenio nominari; clericas vero utrum uspiam scriptum invenerim, non possum recordari, et a nullo sermonem Latinum proferente, aliquas audio sic vocari. Quod quare acciderit, non satis mihi liquido declaratur, nisi forte ut nostri monachi sententia retundatur, qui monachos, quos audit clericos nominari, esse clericos arbitratur, non attendens quia et mulier bene litterata, cum clericus non sit, bonus tamen esse clericus judicatur. Ipse etiam monachus in hac sua disputatione patenter confitetur, quod clericatus veritas in litterarum scientia non habetur. Ergo indubitative ipsius etiam testimonio comprobatur, quod non omnis veraciter clericus est, qui tamen clericus nominatur.

CAPITULUM CXI.

Denique si is qui agit quod est clerici, clericus est, nunquid non etiam qui agit quod est monachi, monachus est; qui agit quod est militis, miles est? Si ita est, ordo rerum non mediocriter confundetur, nulla professio distinguetur, quid quisque dici debeat non facile cognoscetur; quia in omni professione rarus admodum continetur, qui non aliquid quod est proprium professionis alterius operetur. Nostis quia equo vehi ab antiquo ita quasi proprium militibus assignatur, ut etiam ab equo nomen equitis derivetur; et ab equite ordo equestris nominetur, qui nimirum ex equitibus, id est militibus, constare perhibetur. Nunquid ergo quicunque conceditur equo vehi, equestris se esse ordinis affirmabit? et quoniam agit quod est militis, sese militi comparabit? Jam quippe tam longe lateque videmus equitandi licentiam omnibus indulgeri, ut ab ea nec ipsos inveniamus monachos prohiberi, imo vix jam potest monachus inveniri, qui pede vel possit, vel velit longi laborem itineris experiri. Quis enim vicus, quæ platea, quod forum, non habet monachos equitantes? quis egrediens domum suam, non statim invenit occursantes? Quod indictum, quæ nundinæ inveniuntur sine monachis celebrari? quis conventus hominum, quis conflictus militum terminari? Cum undique de diversis partibus confligendi gratia milites congregantur, cum collisione scutorum, cum fragore lancearum, furore miserabili gratulantur, si monachis equitandi beneficium negaretur, forte illic non tanta eorum copia videretur. Sed quis præsagiat miserorum cadaverum imminentem ruinam, si non corvorum multitudo convolet ad rapinam, ut ex eorum importuna præsentia facile præsciatur, quod tam solemne ludibrium non sine animarum dispendio terminatur? Unde nonnulli milites plerumque graviter irascuntur, cum admisso equo ire in adversarios, eis jungi fortiter moliuntur, et equitantibus in occursum monachis, vel a proposito inefficaciter repelluntur, vel in ipsa junctura spe frustrati turpiter collabuntur. Quorum aliquis in se reversus dicit: « Nunc scio quia cum mihi equo insidens monachus, imo ipsi monacho præsidens diabolus occurrebat, talis occursus nil mihi prosperum protendebat, et tali præludio hujusmodi ruina vitari facile potuisset, si mens non læva fuisset. » Non ergo omnibus qui equo insident debemus quidquid est militis assignare, ne et monachis compellamur nomen ascribere militare. Est etiam proprium militis accingi gladio, ita ut quicunque apud nos professionem aggreditur militarem, in ipso professionis introitu gladio accingatur; nec ejus atrium præsumit ingredi, nisi tali signaculo muniatur. Quia enim in agone prælii qui contendit et accinctis renibus expeditior judicatur, et assumpto gladio virilis ad pugnandum audacia non mediocriter roboratur, satis eleganter placuit militiæ sæculari, ut ejus novitius accingatur balteo gladiali. Tali quippe mysterio in ipso tirocinii vestibulo debet novitius erudiri, qualiter eum deceat et a timiditatis noxiæ rugosis finibus expediri, et acuto, vel acri animo viriliter communiri, ne corde dissoluto, ignavia plenum dedecoris inferant detrimentum, sed insuper virilis audacia triumphale conferat munimentum. Propter quem triumphum, et Redemptor humani generis accingi gladio commonetur, cum ad mundi principem debellandum venire perhibetur: « Accingere, inquit, gladio tuo, potentissime. » Quid est potentissime? Ne scilicet discingatur, donec subactis hostibus victoria compleatur.

CAPITULUM CXII.

Debere autem militem ante victoriam non discingi Isaias quoque signanter designavit, cum adversus Judæam venturum esse Romanum exercitum prophetavit: « Ecce, inquit, festinus velociter veniet. Non est deficiens, neque **473** laborans in eo; non dormitabit, neque dormiet, nec solvetur cingulum renum ejus (*Isai.* v). » Quia enim Judæi Christum occiderant, tanto in eos furore divina ultio Romanum militem excitavit, tanto illum amore præliandi ultor spiritus animavit, ut cum ille moræ impatiens ad expugnandam Judæorum insolentiam festinaret, vincendi cupidus, non defectu, non lassitudine laboraret; non torpore, non ignavia dormiret; non denique gladiale cingulum a renibus relaxaret, donec adversarios eventu prospero triumpharet, et triumphales aquilas in securitate pacis et gloriæ collocaret. Neque enim in prælio, vel gloriandum est militi donec discingatur, vel discingi eum convenit, donec victoria potiatur: sicut Achab rex Samariæ, Benadab regi Syriæ legitur respondisse, et in eo

omnem sapienter militem erudisse. Cum enim Benadab minaretur se in proximo Samariam eversurum, et in ea, nec etiam pulverem relicturum, ad Achab regem Israel nuntios destinavit, per quos illi spe jam victoriæ, tanquam re tumidus insultavit. « Hæc, inquit, faciant mihi dii; et hæc addant, si suffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me (*III Reg.* xx). » At ille considerans quod eventus rei adhuc pendebat in dubio, et plerumque finis rei non concordat ejus initio, satis patienter minas regias toleravit, et minanti consilium elegans remandavit. « Dicite, inquit, ei, non glorietur accinctus æque ut discinctus. » Accingitur quippe gladio miles cum ad prælium præparatur; discingitur vero cum potius victoria coronatur: et ideo ad accinctum pertinet in spe et silentio viriliter confortari; ad discinctum vero, adepta pace et otio, sub securitatis umbraculo gloriari. Pulchre ergo dictum est quod proprium militi gladiale cingulum assignatur, cujus adminiculo fine debito prælium consummatur. Sed nunquid miles proprie vel erit, vel dicetur omnis qui gladio, quod est militis, accingetur? Nunquid hoc professio militaris potuit obtinere, ut nulli nisi ei gladius concedatur, et quicunque, vel domi, vel militiæ cinctus erit gladio, consequenter et miles habeatur? Non, imo nostris temporibus, tanta gladiorum copia fabricatur, ut in eis fabricandis multa ferri materies expendatur; quia jam vix quemquam vel in populo possumus invenire, qui longiuscule processurus non festinet latus suum gladio præmunire. Etsi enim in itinere nulla forte gladium necessitas incumbit educendi, usus tamen commendabilis videtur deferendi, ne viator sui improvidus animi degeneris arguatur, si sine gladii munimento, securitate muliebri gradiatur.

CAPITULUM CXIII.

Hic autem usus gladii, quem sibi quasi proprium obtinere debuit, dignitas militaris, non solum jam conceditur his quos tenet passim conditio popularis, sed nonnullos etiam clericos audio sibi tale quid usurpare, et usurpationis maculam oppanso necessitatis velamine palliare. In provincia Averniæ Brivato oppido, beatus martyr Julianus ecclesiam habet, in qua plures canonicos genere nobiles, opibus et honore prædivites, constat ei clericali officio deservire, et de ipsa ecclesia sumptus eis non modicos provenire. Quia vero eadem provincia firmæ pacis legibus non tenetur, sed infirmiori potenti ut injurias inferre non veretur, plerumque finitimi principes prædictæ bona ecclesiæ præsumpserunt impetu sibi raptorio vindicare, et ablata nullo Dei respectu restaurare. A qua jampridem violentia cum nullos eos potentior curaret prohibere, nec censura ecclesiastica posset eos intra pacis repagulum cohibere, clerici non valentes diutius rerum suarum jacturam sustinere, contra raptorum malitiam novum consilium iniere. Visum est enim eis ut quos a rapina spiritali gladio non poterant absterrere, materiali gladio tentarent efficacius prohibere, et ecclesiæ suæ bona militari vigilantia tuerentur, ne patientia clericali tandem ad nihilum ducerentur. Assumunt igitur arma, et gladiis viriliter accinguntur, et convocatis tam propinquis quam cæteris familiaribus, in ipsius fronte negotii gradiuntur; et non solum quæ sua sunt auferri sibi nullatenus patiuntur, sed et quæ ablata sunt violenter repetere, imo, et raptoribus dignam vicem manu propria reddere moliuntur. Impugnantibus repugnare, resistentes laborant expugnare; non jam proferentes gladium verbi Dei, quod tanquam inefficax hostes insensibiles contemnebant, sed visibili gladio ferientes, quem sibi gravius imminere carnales carnaliter sentiebant. Sic alternis vicibus hodieque inveniuntur officium exercere, sicet, et cum necessitas exigit, hostibus graviter imminere, et armis apud se domi repositis, canticis spiritualibus inhærere, foris bona ecclesiæ **474** temporalia manu et gladio custodire, intus psalmos, hymnos regulariter decantantes, eidem ecclesiæ deservire. Quod quidem ecclesiasticos pastores, episcopos, et apostolicos certum est non latere; sed quia id non tam voluntarie quam necessarie vident agi, compelluntur utcunque sustinere, ne cogatur ecclesia damnis irreparabilibus subjacere, cujus paci et quieti nec ipsi possunt aliter providere. Cum autem, aliquando ut audivi, nonnulli apostolici hujusmodi tentarent inconvenientiam prohibere, asserentes eam a proposito clericali plurimum abhorrere, adeo tamen vel usus rei, vel ipsa potius necessitas inventa est prævalere, ut id sine majori scandalo non possent obtinere. Agunt igitur clerici militare officium, sive usurpative, sive, ut potius amant dici, permissive: sic profecto exercentes quod clerici est in ecclesia congruenter, ut, cum poscit necessitas, agant nihilominus quod est militis incidenter. Sed quorsum hæc quæ de illis etsi visu non novi, ab his tamen qui eos et viderunt et noverunt, cognovi? Scilicet ut videatis quia non omnis qui agit quod est alterius, est etiam quod ille, quamvis aliquando dicatur quod ille. Quamvis enim illi clerici propter usurpatum officium ab aliquo milites appellentur, tamen nec ipsi seipsos milites profitentur; imo sibi gravem injuriam putant inferri, si quis eos nominans clericos, contendat debere etiam milites subinferri. Non enim clerici pariter et milites sunt; sed clerici tantummodo sunt, quamvis aliquando quod est militis inveniantur agere usurpative, sive, ut paulo ante dictum est, permissive. Sic etiam non omnis qui monachi agit officium, monachus est.

CAPITULUM CXIV.

Superius audistis quia officium monachi est jejunium, vigiliæ, labor, luctus, silentium. Et Hieronymus dicit quia monachus habet plangentis officium. Nunquid igitur omnis qui hæc invenitur agere, monachus erit? Quantum mihi videtur, non erit. Etsi enim cuiquam monachi vocabulum imponatur, pro eo quod labore, jejunio, luctu et lacrymis affli-

gatur; non tamen hujusmodi sermo recte proprius judicatur, nec ille esse monachus veraciter affirmatur. Plerumque contingit ut quis positus in ordine vel habitu sæculari, eligat ibidem paulo modestius conversari, aliis otio vacantibus, utilitate qualibet occupari; aliis discurrentibus per plateas, forte in ecclesia demorari; aliis festive epulantibus, jejunio et abstinentia macerari; aliis risui et cachinno deditis, intra orationis cubiculum sub silentio lacrymari. Quia vero hujusmodi vivendi duritia specialiter monachis imperatur, nonnunquam qui sic vixerit monachus appellatur : et cum longe sit a monacho habitus et professio sic viventis, tamen hoc ei dat vocabulum sermo improprius intuentis. « Iste, ait, quem sic video conversari, non tam id quod est quam monachus meretur appellari. » Inde est quod in libello in quo auditis sanctorum natalitia recitari, eorumque virtutes et merita breviter commendari, Radegundis regina, quæ in toro Clotarii jure uxorio jacere cogebatur; non uxor tamen sed monacha nominatur. Sic enim habet : « Radegundis, inquit, reginæ quæ in toro Clotarii regis Francorum recubans, potius monacha vocabatur, quam uxor. Nunquid, si, permittente viro, regina fervens spiritu carnis copulam abhorrebat, et in toro regio continentiæ, vigiliis, orationibus, lacrymis indulgebat, ideo esse monacha veraciter asseretur, quamvis a nonnullis usurpativo loquendi genere monacha nominetur? Ita quidem se habere rei veritas non videtur. Sic et Nepotianum, de quo supra diximus, Hieronymus commendat, quia, cum foris honeste expleret officium clericorum, domum se referens amplectebatur duritiam monachorum; foris agens clericum, viduas, virgines, castis sermonibus exhortando; intus imitans monachum, carnem suam lacrymis, vigiliis, jejuniis macerando. « Viduas, inquit, et virgines Christi honorare ut matres, hortari ut sorores, cum omni castitate. » Hoc de officio clericorum. Et adjungit : « Jam vero postquam domi se contulerat, et relicto foris clerico, duritiæ tradiderat monachorum creber in orationibus, vigilans in precando, lacrymas Deo non hominibus offerebat; jejunia pro lassitudine et viribus corporis moderabatur. » Hoc de duritia monachorum. In his autem avunculum suum pontificem et monachum Nepotianus imitabatur, sicut paulo supra idem Hieronymus protestatur. « In uno, inquit, eodemque haud dubium quin in avunculo suo et imitabatur monachum et episcopum venerabatur. » Ex quibus verbis noster monachus mihi visus est arbitrari, quod Nepotianus recte monachus debeat æstimari, tanquam nonnisi monachus possit monachum imitari, cum eumdem avunculum suum Nepotianus episcopum quoque sine dubio imitaretur, nec tamen episcopus haberetur. Si quis autem eum fuisse monachum pertinaciter voluerit affirmare, cedo, ne quod servum Dei non oportet, videar litigare, dum tamen id pro constanti habeatur, quia si proprie monachus exstitit, improprie clericus nominatur.

(121) Hier. ad Eust. De custodia virginitatis.

Alioquin si is qui monachus est clericus etiam proprie diceretur, ut, quoniam agit quod clerici est, clericus **475** veraciter haberetur, quantum ex hoc ordini monachico decoris, vel honoris conferretur, tantum ei aliunde simili ratione dedecoris inferretur.

CAPITULUM CXV.

Sicut enim Hieronymus eum qui monachus est, dicit et clericum, cum agit quod clerici est; sic eumdem dicit et sponsum, cum agit quod sponsi est. Videbat quidem plerosque monachos ob hoc velle sacris ordinibus sublimari, ut ordinati mererentur ad curas ecclesiasticas invitari, invitati vero possent non tam clericale officium religiosius cæteris adimplere, quam sub hujus obtentu voluptatibus inhærere. Cum enim de claustro eductis injungeretur populi magistratus, ut religione et scientia supplerent vicem vel officium clericatus, adeo laxabant habenas ordinis et propositi regularis, ut se non tam clericos quam sponsos exhiberent, vitæ merito sæcularis. Vilitatem monachicam abhorrentes, sic in vultu et habitu delicati apparebant, sic mulierum colloquia effrenatis moribus appetebant, ut in eis non tam eluceret religio monachica vel saltem clericalis, quam forensis morum effusio et licentia maritalis. De qualibus Hieronymus cum ad Eustochium virginem loqueretur (121) : « Sunt, inquit, alii (de mei ordinis hominibus loquor), qui ideo presbyteratum et diaconatum ambiunt, ut mulieres licentius videant; omnibus his cura de vestibus; si bene oleant; si pes laxa pelle non folleat; crines calamistri, vestigio rotantur, digiti de annulis radiant, et ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales, inquit, cum videris, sponsos magis æstimato quam clericos. » Vides monachos qui non religionis gratia festinant ordinari, sed ut possint licentius per vitæ sæcularis latitudinem evagari, ut possint delicatis vestibus et aspectu mulierum delectari, sponsos magis quam clericos debere æstimari. Quibus ergo argumentis noster poterit monachus refragari, quin hujusmodi monachos oporteat sponsos veraciter affirmari, qui et agunt quod sponsorum esse non licet dubitari, et quos constat sponsos ab Hieronymo nominari? Qualem esse et Jovinianum, de quo supra diximus, idem Hieronymus designavit, cui sordes monachicas abhorrenti sponsorum inesse delicias demonstravit. « Iste, inquit, formosus monachus, crassus, nitidus, dealbatus, et semper quasi sponsus incedens. Si ergo monachi sunt ut sponsi, pro eo quod et sponsalem licentiam amplexantur, et sponsi ab Hieronymo nominantur, concedo ut et clerici similiter habeantur, pro eo quod et agunt quod clericorum est, et eorumdem nomine decorantur. Si autem sponsi non sunt, quamvis propter actus sponsales ab Hieronymo sic vocentur, forte nec clerici erunt, quamvis propter clericale officium aliquando clerici nominentur. Denique non æstimo adversum me debere Hieronymum indignari, si dixero eum qui monachus est, nec sponsum proprie, nec clericum no-

minari; sed eo liberius utrumlibet posse dici, quo neutrum proprie potest dici. Neque enim, nisi fallor, is qui monachus est, vel sponsus, vel miles, vel clericus proprie potest dici, nec e converso quilibet eorum monachus proprie potest dici, quamvis plerumque sic alter alterius officium gerere videatur, ut neuter eorum proprietate sua contentus habeatur.

CAPITULUM CXVI.

Congruum igitur est, ut tandem quis proprie clericus sit videamus, ne ignorantia caligantes erroris devium incurramus, si vel eum qui clericus non est esse pertinaciter affirmamus, vel econtra eum qui est esse clericum abnegamus. Sicut est ordo quidam monachicus, sicut ordo quidam est militaris; sic est etiam ordo quidam, sive professio clericalis. Cujus ordinis sive professionis limen cum quis appetit introire, ut in eo possit Deo familiarius deservire, in ipso vestibulo tonsuram et habitum assumit clericalem, sciens eum inter nuptiales amicos non haberi, qui vestem non habuerit nuptialem. Cum itaque clericaliter se vivere pollicetur, ut ejus votum et sponsio cæteris etiam declaretur, radit caput, vestem mutat, prout debitus apud clericos mos habetur; et sic voce, vultu et habitu clericum profitetur. Sic nimirum instituit diligens Patrum prudentia. Sic usque in hodiernum tenet Ecclesia, ut qui hunc profitendi morem non assumpserit, clericus proprie non dicatur; qui vero assumptum tenuerit, sine dubio clericus habeatur. Neque enim de sanctitate quam hujusmodi jubetur habere professio, nostra in præsenti agit locutio, sine qua superius dictum est clericos non satis esse veraciter quod dicuntur, pro eo scilicet, quod inutiliter hoc dicuntur, falso quippe, id est pro nihilo, clericali nomine gloriatur, qui ornare nomen meritis non conatur : et ideo cum hujusmodi esse clericus abnegatur, non professionis titulus annullatur, sed professi vita degener accusatur. Itaque qui hanc professionem assumpserit, assumptam tenuerit, proprio loquendi genere clericus appellatur, quia non religioni, sed professioni hoc vocabulum quasi proprium assignatur. Est quippe hujus professionis assumptio quoddam religionis signaculum **476**, non ipsa religio, et quandiu in professione extraria manet ostensio, quamvis mores non excolat interna religionis affectio, eum tamen esse clericum passim clamat cunctorum assertio. Alioquin, si omnis qui religiosus non est, clericus esse etiam desinit, non solum detrimentum sui patietur infinitus numerus clericorum, sed forte et ad paucitatem pristinam redigetur innumerus exercitus monachorum. Neque enim religiosos monachos extimo succensere, si dixero ordinem illorum intra suum ambitum plurimos continere : qui himirum gloriantur professionem monachicam voce, vultu et habitu se tenere; et tamen in corrigendis condigne moribus, vel nullam vel minimam student diligentiam adhibere. Ne ergo tam monachico quam clericali ordini injuria intolerabilis inferatur, utrisque suum illæsum manere privilegium concedatur, ut scilicet is qui sub professionis assumptæ titulo continetur, ejus esse ordinis, cujus tenet characterem non negetur. Denique Christus eum, quem vult Christiani decore nominis veraciter honorari, vult nimirum Christianæ quoque professionis titulo decorari, ne quis forte Christianum æstimet se haberi, qui sub fidei sacramentis noluerit contineri. « Baptizantes, inquit, eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Et : « Qui me confessus fuerit coram hominibus, et ego confitebor eum coram Patre. » Baptismus igitur, et oris confessio fidei Christianæ, est quædam ostensio : qua carere adeo procul dubio est nocivum, ut nec fidelis nominetur qui non tenuerit fidei ostensivum. Unde audistis cum Apocalypsis legeretur, quia fideli cuique Christus pro magno munere pollicetur : « Scribam, inquit, super eum nomen Dei mei, et nomen meum novum (*Apoc.* III). » Nomen Dei sui Christus super eum scribit, quem fidelium numero sic ascribit, ut jam non filius dicatur Adam, a quo ad mortem carnaliter generatur, sed Dei filius a quo in vitam per ejusdem Christi gratiam adoptatur. Unde alibi scriptum est : « Dedit eis potestatem filios Dei (*Joan.* I). » Verum quia nullus jam Dei filius meretur nominari, nisi qui a Christo nomen adeptus fuerit Christiani, super eum quem inter filios adoptivos admittit, suum pariter nomen novum Christus scribere se promittit. Et nomen, inquit, meum novum; nomen novum nomen est Christianum, quo, nova coruscante gratia, sic quisque fidelium decoratur, ut sine hujus decore nominis, nec fidelis nec Dei filius habeatur. Quia vero non sufficit ut nomen Dei, vel nomen Christi quis in corde memoriter amplectatur, nisi et foris, sacramentis fidei salutaribus imbuatur, non dicit Christus : Ponam in eo nomen, sed : « Scribam super eum, » ut scilicet ex titulo qui superscribitur liminari, cæteris omnibus innotescat cujus illud debeat habitaculum indicari. Quasi enim in fronte fidei gestare titulum perhibetur, qui Christianam religionem manifestis indiciis profitetur, qui ad ejus judicium baptismi lavatur irriguo, et ore confitetur, cujusmodi signaculo, quicunque contempserit superscribi, filiorum Dei numero merebitur non ascribi.

CAPITULUM CXVII.

Unde et infra, in eadem Apocalypsi Joannes dicit electorum multitudinem se vidisse, quos in suis frontibus hujusmodi scripturam asserit habuisse. « Vidi, inquit, et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis (*Apoc.* XIV). » Agnus iste Christus est, qui in deserto cœlorum nonaginta novem relinquens oviculas quæ vitali sub manu Patris alimonia pascebantur, ad quærendum venit centesimam, id est, homines qui per mortis devia vagabantur. Et quoniam omne animal facilius ad sibi simile convertitur, qui Deus erat, Agnus efficitur, ut ovem perditam balatu consono revocaret, ne per greges hædorum vagabunda diutius aberraret. Fa-

etus vero Agnus, supra montem Sion visus est stare, quia electos suos venerat adjuvare; ut qui in Ecclesia sessurus erat dans ei gloriam conregnandi, apud eam prius staret, impendens gratiam adjuvandi. Quod nimirum Isaias divino plenus spiritu ardenter præoptavit, et erectus in spem, moræ impatiens orando prophetavit : » Emitte, inquit, Agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion (*Isai.* xvi). » Deserti nomine cœlum signare voluit, quod homo vel angelus peccando deseruit, in quo tanquam in petra, uterque manere solide potuisset, si suo Creatori diligentius adhærere voluisset. Vel forte cœlum ob hoc desertum dicitur; quia illud Christus tanquam deseruit, cum, assumpta carne, nobis videndus apparuit; cum relinquens illic nonaginta novem oves, tanquam de eis quas securas noverat, minime jam curaret, ad quærendum venit centesimam, ut eam in humeris ad caulas reportaret. Petra deserti ipsa est soliditas cœlestis mansionis, quam Christus quasi deseruisse dicitur, voluntati satisfaciens paternæ jussionis; cum ipse qui juxta prophetam, a summo cœlo ineffabiliter est egressus (*Psal.* xviii), nostrum instabilem vivendi tenorem misericorditer est aggressus. « Exivi, ait, a Patre, et veni in mundum (*Joan.* xvi). » Orat ergo propheta, ut Deus Pater Filium, dominantem quippe multitudini cœlestium 477 angelorum, dominatorem efficiat hominum terrenorum; et de petra deserti, de illa scilicet occulta habitatione ad montem Sion, id est Ecclesiam, jam tunc in paucis membris suis, spe et desiderio cœlestia speculantem, Agnum mittat innocuum ad vitæ pascua greges hominum revocantem. « Emitte, inquit, Agnum, Domine, dominatorem terræ : de petra deserti ad montem filiæ Sion (*Isa.* xvi). » Quod autem Isaias fiendum tantopere deprecatur, hoc jam factum se vidisse Joannes apostolus gratulatur, quia vidit Agnum stantem supra montem Sion, id est super altitudinem contemplantium electorum, et cum eo centum quadraginta quatuor millia signatorum. Neque enim jam cum Christo alius invenitur, nisi qui Christiani scriptura nominis insignitur; qui nomen ejus, et nomen Patris ejus elegerit in fronte legibiliter exarare, id est professionis titulo se Christianum et Dei filium ostentare. « Habentes, inquit, nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis (*Apoc.* xxii). » Quod perpendens Antichristus, qui Christus appetit æstimari, et tam actu quam nomine Christo vehementius adversari; eos quos sibi, vel prece, vel minis compellit famulari, vult etiam suo charactere in frontibus adnotari. Habet quippe et ipse characterem suum, quo manifestius inscribantur omnes qui seducti ad ejus satellitium inflectuntur, cujus titulo a cultoribus veræ fidei secernuntur, et cujus sint, tam ab invicem quam a cæteris omnibus cognoscuntur. Unde et in Apocalypsi legitur : « Faciet, inquit, omnes pusillos, et magnos, et divites, et pauperes, et liberos, et servos habere characterem in dextera manu, aut in frontibus suis : et ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem bestiæ (*Apoc.* xiii). » Vult homo ille perditus qui non tam bestialis quam bestia expressius meretur nominari, pro eo scilicet quod non nisi terram sapit totus feno deditus corporali; vult, inquam, ut nullum humanæ societatis commercium intra suos quis apostatas habere permittatur, nisi quodam apostasiæ signaculo muniatur, nisi in fronte et manu characterem, id est notam criminis, præferre gratuletur; in fronte quidem, ut professio, in manu autem, ut operatio demonstretur. Unde infra, cum sanctorum, et martyrum, et confessorum victoria prædicatur : hoc illis pro merito laudabiliter assignatur : quod hujus bestiæ characterem nec in frontibus nec in manibus acceperunt, id est nec professione, nec operatione se esse illius satellites ostenderunt. « Et vidi, inquit, animas decollatorum propter testimonium Jesu, et qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, neque acceperunt characterem ejus in frontibus, aut in manibus suis, et vicerunt, et regnaverunt cum Christo (*Apoc.* xx). » Igitur et Christiani erunt, qui habebunt characterem Christi : et Antichristiani erunt, qui habebunt characterem Antichristi.

CAPITULUM CXVIII.

Quorum profecto ii qui Christiani nominis largo ambitu includuntur, quo ab Antichristianis, ut prædictum est, secluduntur : etiam inter se quibusdam proprietatibus distinguuntur, qua distinctione non cujus fidei, sed cujus sint ordinis cognoscuntur. Est enim inter eos ordo alius clericalis, alius monachicus, alius militaris, quorum singuli sic suis proprietatibus titulantur, ut sicut nominibus, sic etiam characteribus distinguantur. Habet quisque et vocabulum suum, quo quasi proprie nominatur, et characterem suum, qui huic vocabulo proprius assignatur, ut nec sine tali vocabulo, tali charactere quisquam debeat insigniri, nec sine tali charactere, inter eos qui sunt hujus nominis, inveniri. Erit igitur clericus qui professionem clericalem assumpserit, qui assumptam tenuerit, ut in eo non meritum, sed propositum attendatur, cum de eo non juxta mores, sed juxta characterem judicatur. Qui enim eum profitendi morem legitime fuerit assecutus, qui a patribus est ad faciendum clericum institutus, ut scilicet voce, corona et habitu aggrediatur clericum profiteri, is procul dubio debet clericus perhiberi. Sunt nimirum quidam gradus, vel ordines quibus acceditur ad altare, provectu quorum acolythus, subdiaconus, diaconus, presbyter altari perhibentur astare, quos ordines auctoritas sic voluit clericis assignare, ut in primitiva Ecclesia, non nisi eis liceret, sic altario ministrare. Cæterum non omnes qui clerici sunt, ad hos ordines promoventur, quia non facit clericum talis promotio, sed assumpta professio. Multi quippe cum aggressi fuerint clericum profiteri, vel nolunt, vel nequeunt ad hos ordines promoveri, nec tamen eos quisquam sane sapiens asserit a clericorum debere numero re-

veri, imo censura ecclesiastica dicit eos intra suum debere propositum contineri.

Memini, cum in civitate quadam adolescentulus discendi gratia conversarer, erant in ea duo viri, qui in pueritia professionem assumpserant clericalem, sed propositi pœnitentes, ad ordinem relapsi fuerant laicalem. In quo pertinaciter conversantes, annos transegerant juventutis; et aspersi caput canitie jam parabant ingredi vestibulum senectutis. Visum est autem episcopo ut eos ad propositum reverti commoneret, ne ordo clericalis diutius per eos risui subjaceret, quia et eos fuisse clericos fama crebrius ventilabat, et **478** hoc frequenter multorum subsannatio clericis objectabat. Cum igitur ad celebrandam synodum undique more solito veniretur, ut in ea de negotiis ecclesiasticis canonice tractaretur, ut quod videbatur utile, auctoritate debita sanciretur, et quod forte fuerat infirmatum reduci in pristinum cogeretur, episcopus eos quos prædiximus publice monuit ad professionem clericalem, quam reliquerant, ut redirent, interminans eis se damnationis sententiam illaturum, nisi monitis obedirent. At illi responderunt se quidem in scholis pueros aliquanto tempore litteras didicisse, sed omnino clericos non fuisse. Ad hoc voce consona quorumdam clericorum testimonium sonuit, et præcipue decanus Ecclesiæ vir genere nobilis et ætate maturus, asseruit : quod illi quidem in scholis curam secum studio impenderant litterali, et insigniti fuerant corona et habitu clericali. Quo audito, sine hæsitatione debere illos ad clericatum reverti synodus judicavit, factumque judicium episcopus auctoritate debita confirmavit; et sic soluto concilio incumbente vespera, unusquisque ad propria remeavit. In crastino clericis congregatis, cum rursus in synodo sederetur, et de illis apostatis sermo nullus in publicum versaretur, ecce unus ex eis rasus barbam, rasus coronam, tonsus comam in rotundum, indutus clericali veste, venit in synodum, et inter cæteros clericos resedit : gaudentibus mirantibusque multis quod et spiritu et habitu fuerit immutatus; nec distulit ad honorem et ordinem redire clericatus. Alter vero, etsi paulo tardius, tamen compulsus est redire, non præsumens vel judicio synodali, vel mandato episcopali inefficaciter contraire. Sic utrique statui renuntiantes laicali, ex eo manserunt et permanserunt in conversatione et habitu clericali, quorum neuter adhuc exutus est onere corporali, imo adhuc uterque vita fungitur temporali. Non ergo propter ordines per quos altario tainistratur, sed propter assumptam professionem quis esse clericus judicatur, quia et illi qui a laicali ordine synodali judicio sunt remoti, ad altaris ministerium nec ante nec postea sunt promoti.

CAPITULUM CXIX.

Nec solum inter eos qui propter laxiores vivendi habenas dicuntur clerici sæculares, sed et inter eos qui propter districtius propositum vocantur regulares, multi possunt inveniri, qui altaris ordinibus non funguntur, et tamen nullo refragante clerici esse veraciter asseruntur.

Cum ego puer jam grandiusculus episcopo ut me faceret clericum præsentarer, et coram eo sicut eram prænionitus flexis genibus incurvarer, supra caput meum eos quos huic officio congruere noverat psalmulos decantavit, et a conditione laicali me removens vultu et habitu innovans immutavit. Clericali etenim indumine me vestivit, et coronæ titulo summum capitis insignivit, ut me deinceps clericum non solum vox propria fateretur, sed ea etiam reticente, vultus et habitus loqueretur. Hoc profecto episcopus oratione devota commendavit; hoc benedictione debita confirmavit; nec me tamen tunc ad agendum altaris officium ordinavit, sed tantummodo juxta morem institutum a Patribus clericavit. Per aliquot igitur annos manens mansi in eo, ad quod me noveram pervenisse, nihil plus appetens quam quod me noveram assumpsisse; sic videlicet diligens me voce vultu et habitu clericum prædicare, ut tamen nec haberem nec appeterem illos gradus vel ordines per quos acceditur ad altare. Permanens vero in eo quod ab annis puerilibus sum professus, tandem fines adolescentiæ sum ingressus, et natura potens quæ me quasi alterum annis non meritis rĕddere gestiebat, malas meas tenui jam lanugine vestiebat. Excludens quippe faciem teneram et eatenus puerilem, potenti nisu moliebatur inducere juvenilem : sic novæ conferens incrementum ætatis, ut nesciret vel nequiret conferre pariter novæ quidpiam sanctitatis. Cæterum gratia Dei, quæ potentior est quam natura, colaphum mihi timoris incussit, et de manibus ludicra pristinæ vanitatis excussit, monens imo cogens ut qui gaudebam clericum profiteri, diutius non differrem clericalis religionis legibus cohiberi. Grata igitur violentia tractus obedire monitis non refugi, et ad monasterii portum intuitu religionis confugi, illicque pedes meos injeci vitæ compedibus regularis, nectura quarum mihi visa est nectura salutaris. Ubi per totum fere annum conversatus sum antequam ad ordines promoverer, antequam ad ministrandum altari ullatenus admoverer; sic inter clericos degens ut me quoque nullus esse clericum abnegaret, nullus me ab eorum vel numero vel nomine sequestraret, non propter condignum virtutis fastigium vel altaris officium quod assequi non merebar, sed propter clericalem professionem sub cujus titulo vel charactere continebar. Plerumque etiam inter vos, fratres, videtis nonnullos conversari, qui valefacto pristinis moribus et vitæ sæculari, aggrediuntur intra claustrum obedientiæ sub disciplina vivere regulari, qui nullo ambigente in clericorum numero tam re quam nomine jam habentur, et tamen nondum ad ordines promoventur. **479** Neque enim omnes qui clerici efficiuntur, statim altario ministrare, vel appetunt, vel coguntur : imo plerique ab ordinibus, vel inviti, vel voluntarii differuntur, et tamen de sub clericali titulo non tolluntur. Denique

idem titulus non eos esse prædicat ordinatos, sed tantummodo clericatos : nec indicat quo gradu vel ordine contingat eos altario præsentari, sed cujus professionis debeant judicari.

CAPITULUM CXX.

Decet enim unaquæque professio suo charactere tituletur, alioquin ad ejus cognitionem non facile veniretur, si in titulo tanquam et foribus erraretur ; si is qui clericus esse gaudet, monachus vult videri, vel qui esse vult monachus gaudet sub clericali titulo contineri. Quod fieri clericorum quidam doctor invenitur diligentius prohibere, volens unamquamque professionem sic suum titulum quasi proprium retinere, ut cum isto contigerit lumen exterius illustrari, de illa interius non possit dubitari. Quidam enim clerici nescientes quis terminus clericalem professionem debeat continere, cum in diebus afflictionis vellent quasi religiosius se habere, vestes sibi monachicas ad horam assumebant, ut eorum devotio nigro et horrido habitu monstraretur, et abjectio mutuata incidenti tempori congruere videretur. Quos ille arguit erroneæ vanitatis, quod injustæ sibi assumerent titulum falsitatis, cum clericalis professio non debeat veste monachica tenebrari, sicut nec professio monachalis clericali debet charactere titulari. Unumquemque, sicut ait, esse convenit sic indutum, sicut professioni suæ constat esse jure consuetudinis attributum, ut cum professus pro se ipso assidue non loquatur, assiduo vestis præconio quæ sit ejus professio cognoscatur. Dicit ergo eum qui clericus est debere monachum non videri, nisi forte deponens clericum velit monachum profiteri; ne si professioni suæ concordare titulus non videtur, quod veraciter non vult esse, fallaciter æstimetur. Ubi nullam mentionem facit de his ordinibus per quos acceditur ad altare, nec ab eis dicit vestem monachicam discordare; sed ab ea professione quia quis legitime clericatur, quæ proprio charactere, sicut et professio monachica titulatur. Non enim clericus est quia promovetur ut ministret altari, sed quia clericum profitetur modo, et consuetudine clericali, id est quia professionem clericalem assumere, et in assumpta invenitur certis indiciis permanere. Qui autem hujusmodi professionem, vel non assumpsit, vel assumptam reliquit, clericus non est, quemadmodum et qui monachum non profitetur, monachus non est. Cum igitur plures monachos videamus qui nunquam professionem clericalem assumpserunt, nunquam ejus characterem tenuerunt, sed de gradu laicali sine interventu clericali ad monachicum transierunt, et in eo favente gratia permanserunt, cum tales, inquam, videamus, quis eos dixerit clericos esse, quamvis eos videat altario præsto esse? Quis, quæso, monachum dicere se præsumit, si professionem monachicam non assumit, si nunquam veste monachica vult vestiri, si charactere monachico recusat insigniri? Ita et nullus recte se clericum dicit, qui se clericali professioni more debito non addicit ; qui sibi, ut prædictum est, clericalem habitum non imponit ; qui electo clericali cæteros a se characteres non seponit. Si vero professionem clericalem assumptam reliquerit, si ejus characterem abjecerit, si in altero statu vel ordine manere statuerit, jam clericus non erit, quia sicut non fiet nisi professio clericalis, ut prædictum est, assumatur ; sic esse clericus desinet si forte assumpta relinquatur.

CAPITULUM CXXI

Duabus, ut video, causis professio clericalis relinquitur; una videlicet superbiæ vanitatis, altera religiosæ humilitatis. Superba est vanitas, cum quis abjecta corona et habitu clericorum, ad statum et ordinem relabitur laicorum, ut in eo possit liberius superbire, mundique vanitatibus habenis laxioribus inservire. Religiosa est humilitas, cum quis diligentius considerans præcipuam clericalis ordinis dignitatem, videt se in ea congruam non habere sanctitatem; et cum in monte alto et lubrico victoriam non prævaleat obtinere, ut saltem evadere mereatur, in depresso et humili vult latere. Professionem ergo deserens quam novit cæteris in Ecclesia celsiorem, et in ea quamplurimos occasione officii vitam ducere laxiorem, ad monachicum fugit latibulum, ut in eo tutius delitescat, ut a curis ecclesiasticis longe factus, sub umbra luctus et silentii requiescat. Duo illi, quorum supra fecimus mentionem, superbiæ vanitati dediti fuerant, qui prævaricati pactum quod cum professione clericali percusserant, in eadem prævaricatione pertinaci animo versabantur, unde et dici apostatæ merebantur. Apostata quippe *prævaricator* interpretatur, qui abjecto districtiori proposito et ipso charactere quo propositum designatur, ad ea quæ prius reliquerat, tanquam ad vomitum, recurvatur, ut eum rursus teneat dissoluta vivendi latitudo, in qua quasi liberius invenitur peccare multitudo. Jam **480** igitur illi apostatæ clerici non erant, qui professionem reliquerant, et habitum clericalem; qui perverso animo ad latitudinem revoluti fuerant laicalem ; quos et sancta synodus inexcusabiles judicavit ; et astrictos judicio episcopi justitia revocavit. Si enim clerici essent, nec argui eos nec revocari oporteret, nec adversus eos quisquam testimonium perhiberet, cum non propter aliud hæc eis violentia sit inflicta, nisi quod ab eis clericalis erat professio derelicta. Erant quod eos esse omnimodo non licebat, non erant quod eos esse necessarie oportebat, quia et illicita eis erat ea in qua versabantur platea laicalis, et legitime imposita ea, quam reliquerant, angustia semitæ clericalis. Tales quidem plurimos et vidimus et videmus, qui impositum sibi relinquentes clericatum, ad laicalem vomitum sunt reversi, et in eodem injusto proposito tam perversi, ut nec dici nec esse diligant quod esse debuerunt, imo et dicantur et sint, quod errore præcipites elegerunt. Quos enim scimus abjecto charactere clericali ad laicalem licentiam recurrisse, eos jam non esse di-

cimus clericos, sed fuisse : nec talium quisquam clericus nominatur, nisi forte cum propter ejus ignominiam hoc nomen ad medium revocatur. Multi cum puritiam, adolescentiam, et forte amplius in clericatu transegerint, et in eo quibusdam se incommodis gravari perviderint, videlicet vel difficultate scientiæ litteralis, vel inopia rei familiaris, vel desiderio exercitii militaris, eidem clericatui renuntiant, et inter laicos revoluti vel quodlibet exercent opificium, ut ditescant, vel fiunt milites ut liberius insolescant. Hos profecto nullus jam esse clericos asseverat, quia apud eos nec character clericalis, nec professio perseverat; sed quemadmodum et dicebantur et erant clerici donec hujus professionis legibus tenerentur, ita modo et dicuntur et sunt, quod voce et habitu quamvis illicite, profitentur. Novi per multos annos quemdam adeo deditum studio militari, ut in militia imo malitia nollet cæteris inferior judicari. Qui cum in monasterio monachorum a puero monachus fuisset educatus, et inter eos processu temporis diaconus ordinatus, tandem ruptis repagulis obedientiæ, et abjecto habitu monachali, de claustro prosiliit actus impetu juvenili. Resumptoque vultu et habitu laicali, et arrepto scuto, lancea, balteo gladiali, miles factus est nullis antea studiis militaribus eruditus, sed a puero monachalis regulæ titulis insignitus. Hic nimirum et publice militiam profitebatur, in cujus exercitio quamvis illicite versabatur : et nullus eum aliud esse quam militem fatebatur, et tamen monachus fuisse procul dubio sciebatur. Sic vel monachos vel clericos a religionis proposito vanitas superba repellit, sic eos in apostasiæ foveam apostata spiritus impudenter impellit, ut timoris et pudoris obice rupto, quanto largius, quanto abominabilius sæculo conformantur, tanto expressius, tanto miserabilius eidem diabolo in pœnis sustinendis conformes habeantur.

CAPITULUM CXXII.

Religiosa vero humilitas tunc in clerico videtur operari, cum ille visitante gratia propriæ latitudinem voluntatis incipit exsecrari; cum fervens spiritu, quidquid perfunctorie rutilat, incipit abhorrere, quidquid licet nec expedit, tanquam illicitum satagit removere; cum sic Deo inseparabiliter appetit adhærere, ut quidquid curarum occurentium adversatur, a secreto mentis studeat prohibere. Et quia multi sunt clerici apud quos non invenitur debita sanctitudo, quos delectat præcipue transitoria sæculi pulchritudo, quos vitæ sæcularis deformat indecens turpitudo, sed corruptis legibus impunitos efficit multitudo, cum ille inter istos religionem congruam non possit obtinere, non audet diutius in eorum consortio permanere. Infirmus enim animus æque non sustinet molestias convivendi, dum ex convictu sæcularium, contagium incurrit delinquendi; et inter eos libertas noxia propriæ voluntatis conceptum suffocat desiderium sanctitatis. Attendens igitur ille et præcelsæ fastigium dignitatis quo clerici sublimantur, et dissolutum vivendi tramitem quo quasi frenetici gratulantur : congruum ducit magis abjici et latere in angulo, in domo nuptiali, quam sedere in facie, et cum sponsus venerit, degradari. Eapropter valefaciens professioni et nomini clericorum, quibus se imparem esse non dubitat inopia congruentium meritorum, declinat humiliter ad vitam et ordinem monachorum : sciens esse melius, Scriptura teste, cum mitibus humiliari, quam cum potentibus potenter cruciari. Potentes enim, ut scriptum est (*Sap.* VI), potenter tormenta patientur. Deponens igitur quem professione et habitu tenuerat clericatum, professione quoque et habitu assumit monachatum, et quemadmodum clericus fuerat clericalem titulum præferendo, sic etiam fit monachus characterem monachicum assumendo. Deserens autem illum, non ordinem, sed mores accusat clericorum : assumens vero istum, non dignitatem, sed sanctitatem commendat monachorum, quia et illos novit, si tamen recte sapiat, ecclesiastico culmine digniores, et istos considerat vita et moribus sanctiores. Non ergo eum **481** quem deserit clericalem ordinem inhonorat, nec præ illo eum quem assumit, monachicum arroganter honorat; dum ad illum obtinendum se nullatenus idoneum asseverat, et ad istum se posse sufficere non desperat. Est enim, ut prædictum est, multo facilius ad monachicam quam ad clericalem perfectionem perveniri, multosque pretiosius, et ideo rarius bonum clericum quam bonum monachum inveniri. Factus vero monachus jam non recte esse quod fuerat æstimatur, et ideo non jam proprie clericus nominatur, quamvis sibi retinere nonnulla quæ clerici sunt permittatur, vel forte postmodum ad quædam clericalia provehatur. Etsi enim ei quos habuit ordines, non tolluntur, sed forte ampliores processu temporis tribuuntur, non tamen vel proprie dici debet, quia non est clericus qui ad ordines promovetur, sed qui clericum, eo modo quo prædictum est, profitetur. Miles quilibet prævenius gratia fervensque desiderio spiritali, abjecta professione, et habitu sub quo vixerat militari, si monachus efficiatur, disciplinæ se subjiciens regulari, ut æstimo jam nec vocatur proprie quod antea solebat, et esse, et vocari. Quis enim eum qui relicta militia monachus est, dicat adhuc militem esse, quamvis nonnulla agere permittatur quæ propria militis constat esse ; cum non sit miles omnis qui agit quod militi specialius assignari videtur, sicut nec monachus est omnis a quo monachicum officium exercetur? « Habet, inquit Hieronymus, monachus plangentis officium. » Cum igitur de quovis monacho sermo in medium versatur, et cujus conditionis ante monachatum fuerit quis ab aliquo sciscitatur, respondet inquisitus illum, vel clericum, vel militem, vel aliud hujusmodi fuisse, nihil autem horum jam eum dicit esse; sed sicut militem si miles fuit, sic et fuisse clericum asseverat, si clericus fuit. Si quis vero adhuc eum velit vel clericum vel militem appellare : auditori errorem ingerens injuriam videbitur irro-

gare, quia et de illo aliud sermone prædicabit, et aliud ejusdem professio, et habitus demonstrabit. Audiens enim quis, quod ille vel clericus, vel miles nominetur, et videns quia monachico, et vultu, et habitu tituletur, se deceptum, se illum graviter conqueretur, et ille qui hoc dixerat mendacii non immerito arguetur. Quod si responderit quia hoc non mentiendi, vel fallendi gratia protestetur, consequenter hujus sermonis expositio requiretur, quomodo scilicet intelligi velit quod eum, vel clericum, vel militem præsumat nominare, quem professione, et habitu videt indubitanter monachum demonstrare. Cum autem hujus sermonis expositione auditor indigebit, forte nil aliud is a quo quæritur respondebit, quam eum qui monachus est ob hoc clericum nominari, quod, vel litteris sit imbutus, vel ministret altari. Cæterum, et verum est, et is quem habemus in manibus monachus protestatur, quod non debet quis clericus judicari, pro eo quod litteris imbuatur.

CAPITULUM CXXIII.

De officio vero altaris pro quo idem monachus sese clericum voluit affirmare, satis ipsa ratio videtur demonstrare, quod non propter illud sibi nomen clerici debeat vindicare, cum et multos clericos videamus, et tamen eo modo altari non astare. Etsi enim in initio non nisi clerici altaris officio fungebantur, cum vel monachi nondum erant, vel pauci admodum habebantur, processu tamen temporis, cum numerus excrevit monachorum, multa eis sunt concessa quæ erant propria clericorum. Satis quippe inhumanum et incongruum doctoribus ecclesiasticis visum est, ut cum religionis gratia, clericus se ad ordinem monachicum inclinaret, censura eum ecclesiastica ab altaris officio sequestraret, cum eumdem ordinem ille non ob aliud affectaret, nisi ut sanctius et humilius deinceps victitaret. Quando autem majorem curam sanctitati et humilitati satagit impertire, tanto amplius altaris officio videtur convenire; si tamen consequenter cætera non desint munera gratiarum, videlicet, vel corporis præscripta integritas, vel scientia litterarum. Recte ergo ab altaris officio non arcetur qui humilitatis gratia monachum profitetur, nec tamen ultra proprie clericus perhibetur, qui clericali professione, et habitu non tenetur. Si vero monachicum ordinem quem intuitu religiosæ humilitatis assumit, propositæ abjectionis impatiens, abjicere impudenter præsumit, et eum quem prius tenuerat habitum clericalem resumit; superbiæ, imo et intolerabilis apostasiæ arguitur, quia talem monacho licentiam censura ecclesiastica non largitur. De ordine quidem laicali ad clericalem conceditur quis transire, vel si forte in illum relapsus est, adhuc monetur, imo compellitur et redire, quia hujus angustum propositum sanctitatis obtinere non prævalet laicalis platea libertatis. Verum clericus cum se transfert ad vitam, et habitum monachorum, non condemnans sed honorans ordinem clericorum, sic studet majori humiliter cedere dignitati, ut majorem proponat curam impendere sanctitati : ideoque deserit clericatum, ne in majori culmine quasi ventis expositus evanescat; ob hoc appetit monachatum, ut in eo tanto sanctius, quanto abjectius, delitescat. Quia ergo in hac humili **482** translatione, et postposita sublimis dignitas nullum sustinet detrimentum, et humilis sanctitas majus appetit incrementum; hujusmodi proselytus post assumptum habitum monachicæ humilitatis, reverti non conceditur ad prioris habitum dignitatis ne si ordo sublimior humiliter depositus facilius resumatur, justo amplius contemptibilis videatur. Cum enim in depositione non nisi sancta humilitas, vel humilis sanctitas prætendatur, in resumptione immutatum idem propositum judicatur; et ideo injuria ei non mediocris irrogatur, si deposita humilitate reverti ad eum monachus passim et libere concedatur. Hunc igitur recursum clericalis auctoritas non admittit, et monacho tam largam vagandi licentiam non remittit; sed vult ut apud illum inveniatur abjectionis electio consummata, si tamen legitime, id est justo ordine fuerit inchoata. Si enim illicite clericus ad monachicum ordinem sese transtulerit, si humilitatis habitum superbiæ inobedientis reus assumpserit, non debet in eo pertinaci vestigio conversari, sed velit, nolit in statum pristinum revocari, ne humilitas inobediens corvino velamine simulata, inveniatur non simplicitas innocens, sed iniquitas duplicata.

CAPITULUM CXXIV.

Denique dignitas clericalis gravari se aliquantulum arbitratur, si a quovis contumaciter deseratur, et ipsa non mediocriter humilitas monachalis sordescit, si more ancillæ contumacis adversus dominam insolescit. Inde, et concors reverentia et reverens concordia quæ inter utrumque debet ordinem conservari, iræ vel invidiæ toxico superfuso nonnunquam cogitur infirmari, dum et Sara contumacem Agar non jam blanditiis, sed verberibus conatur erudire, et illa quamvis ab Angelo revocetur, vix tandem sustinet obedire. Si vero quod cujusque summa est pace media conservetur, ut nec clericalis dignitas pro imperio comminetur, nec humilitas monachalis contumaciter reluctetur, fructus non modicus ex utrisque pariter colligetur, dum et altera pie et humiliter imperabit, et altera imperantem prævenire humili obsequio festinabit. Ita quidem et ista clericos suos ad monachicum ordinem transire sustinebit, cum eos latendi et silendi, laborandi et lugendi fervens desiderium obtinebit, et exinde nonnullos ad ecclesiasticum revocare officium non pigebit, quos tamen vita et scientia idoneos pervidebit. Hoc nimirum ab antiquis tenet Ecclesiæ consuetudo, ut si condigna in monachis appareat scientia, facundia, sanctitudo, de grato silentii latibulo quamvis renitentes egredi compellantur, et ad peragendum vicem vel officium clericale populis exigentibus præferantur. Quis enim familiarius, quis convenientius locum supplere clerici prævalebit, quam

monachus qui religione et scientia præeminebit; cum ille ordo tanta affinitate clericali ordini conjungatur, ut clericus quamvis dignior, humilitatis tamen gratia ad eum solum transire concedatur? Quis propior, quis paratior substitui loco clerici mereatur, quam is, cui et inesse religio competens æstimatur : insuper et tam multa concedi videmus quæ sunt propria clericorum, ut præter nomen, et indumen communia pene jam reliqua sint eorum? Cum igitur ad regendam plebem fidelium inter clericos persona congrua non occurrit, Ecclesiæ auctoritas ad monachos eleganter recurrit, et quem inter eos religione et scientia viderit præeminere, jubet loco clerici populis præsidere. Ne quis vero pro eo quod clerici locum obtinet velit eum clericum arbitrari, non vult ecclesiastica auctoritas monachicum illius habitum immutari, sed sic ei clericalem committit præsulatum, ut tamen ille professione, et habitu retineat monachatum. Agit ergo monachus quod clerici est, nec tamen clericus est : agit curam populi ne contendat a mandato contumaciter resilire, præfert habitum monachi, ne præsumat de cathedra clerici superbire. Si autem propter hujusmodi officium invenitur aliquando clericus appellari, constat quippe illud tanquam specialiter clericis assignari, impropria debet talis locutio judicari, de qua cum satis supra dictum sit, non est iterum, necesse replicari. Non enim tam propter ordines per quos altario præsentatur, quam propter id quod de claustro nonnunquam ad regendum populum evocatur, in plerisque patrum opusculis clericus nominatur, in qua nominatione loquendi proprietas non servatur. Cum ergo tanta societas inter clericalem, et monachicum ordinem habeatur, ut de altero ad alterum, diverso tamen modo, ut prædictum est, transeatur; decet summopere ut inter eos pax, et concordia teneatur, sine qua nemo Deum, teste Apostolo, contemplatur. Decet inquam, ut illud ferculum Salomonis quod ex eis præcipue fabricatur, virtutibus undique congregatis, charitate media consternatur, quæ nimirum charitas, nec agit perperam, nec inflatur, nec est ambitiosa, nec quæ sua sunt aucupatur. Denique sine illa, et ligna Libani putredine corrumpuntur, et columnæ argenteæ more calami confringuntur, reclinatorium aureum quietis munere defraudatur, ascensus purpureus in præcipitium revocatur. Hujus ut video ingruente defectu charitatis, plerosque tam clericos quam monachos **483** diu tenuit ignorantia veritatis, dum nec isti apprehendere contenderunt injunctæ fastigium sanctitatis, nec illi se tenere voluerunt intra humilitatis propositæ, et saluberrimæ terminum vilitatis. Utrique igitur caligantes dum se tamen videre putaverunt, utriusque ordinis dignitatem diligentius attendere noluerunt; scrutantes superflua, se ipsos non satis perspicue cognoverunt, sapientes juxta prophetam (*Jerem.* IV) ut facerent mala, bene autem facere nescierunt.

CAPITULUM CXXV.

Verum nostris temporibus cum se divina miseratio largiorem solito voluit exhibere, utrique pariter virtutum gratia visi sunt reflorere; et qui pene defecerant hiemali gelu, et diutinis Boreæ flatibus arefacti, in pristinum revertuntur, novo sole, et spirantibus zephyris calefacti. Grata quippe temperies hiemalem deterit asperitatem, vetustatis impatiens terso gelu vernalem reducit novitatem; dum marcens, et effeta Dei æmulatior evirescit, novo rore superfuso claustralis religio reflorescit; in cœnobiis tanquam arboribus fructus non mediocris adolescit, totius sanctitatis officina igne misso desuper flabris acta vehementibus incandescit. Hæc autem, quam dicimus, commendabilis officina in qua vivendi nova cuditur disciplina, apud Cystertium primo gratum sortiri loculum invenitur; in camino paupertatis primum illic religionis igniculus enutritur. Illic, inquam, monachicus ordo pridem mortuus, suscitatur; illic, pulso vetusto cinere, novitatis gratia reformatur; illic in statum debitum lima et studio revocatur, dum cæteris acceptam monachis delicatam teneritudinem exsecratur, et laborem, pauperiem, luctum, silentium, insatiabiliter amplexatur. Denique animum ad populares decimas non suspendit, sed manus ad laborem agilitate strenua sic extendit, ut ex eo humilem sibi victum, et vestitum studeat adipisci, ostendens se nequaquam primæ suæ originis oblivisci. Quia vero pristini habitus modulum vel colorem, quem priores assumpserant, ad demonstrandum luctum pœnitentiæ vel dolorem, moderni monachi jam verterant in delicias et tumorem, visum est huic assumere alterius coloris grossiorem, ut qualem simplex ovis lanam profert nulla tinctura, vel mendacio defucatam, talem vestem habeat nullo studio, vel teneritudine delicatam. Quod quidem subsannant, et detrahunt nonnulli sæcularium irrisorum, quamvis frequentius, et mordacius plerique etiam monachorum; qui cum manus non exerant ad bonum quod viderint imitandum, saltem dentes exacuunt, ad illud procaciter blasphemandum. Cum enim non nisi nigri monachi primitus haberentur, stupent, ut aiunt, quod modo, vel furseros, vel grisios monachos intuentur, et arguunt quod ab illis vivendi pristina non tenetur consuetudo, tanquam cum pipere et palmis nova hæc advenerit sanctitudo. Sed quoniam sicut vera dilectio nescit bonis vel melioribus invidere, sic et vera humilitas nescit procaciter remordere; viri sancti et parati sunt linguas detrahentium æquo animo sustinere, et pedem nullatenus a proposito cohibere : eligentes potius, vel angelis, vel hominibus se spectaculum exhibere, quam monachicam veritatem, cum non tenentibus non tenere. Illius itaque Benedicti, sub qua degunt, regulæ sic adhærent, ut in omnibus, quæ illa vel jubet ad litteram, vel admonet, perseverent : existimantes quod illam ad unguem aliter non tenerent, nisi tam parvis quam majoribus summam diligentiam adhiberent.

De hoc autem cœnobio quod Cystercium nominatur, in quo nostris temporibus regula Benedicti ad veritatem litteræ revocatur, insignis illa felici partu Claravallis procedit, quæ cætera ejusdem ordinis cœnobia claritate famæ et nominis antecedit. Quæ nimirum satis congrue Clara-Vallis meruit nominari, in qua constat humilitatem monachicam in pristinum nova incude et malleo reformari, et ex ea ejusdem humilitatis bonum odorem longe lateque divulgari, ut eam et vivendi humilitas reddat vallem, et gloriosa humilitas claram vallem. Hujus enim humilitas tanto lumine vel gloria declaratur, ut jam usque ad extremas mundi partes ejus opinio diffundatur, et largiente Spiritu, qui ubi, et quantum vult operatur, multus huic ordini de die in diem numerus adjungatur.

CAPITULUM CXXVI.

Postquam vero, ut prædictum est, Christus monachos bonitate gratuita visitavit, ad clericos quoque fontem ejusdem suæ gratiæ derivavit: et in loco cui Prænonstrato vocabulum est, quosdam ferventes spiritu congregavit, per quod ad religionem debitam longe lateque cæteros excitavit. Illic quippe tanta clericorum efferbuit sanctitudo, tanta adversus temporales illecebras fortitudo, ut vere in eis vita reformari apostolica videatur, quæ usque ad defectum diutini languoris molestia premebatur. Illic inquam abjecto sacculo pecuniariæ facultatis, exsecrantes mortifera lenocinia propriæ voluntatis, relinquentes eas quas vel habebant vel ambiebant Ecclesiæ præfecturas, ducentes pro nihilo dignitates velocius transituras, tantum studium labori, silentio, paupertati 484 tantam denique impenderunt diligentiam sanctitati, ut apud eos inveniri posset et laboriosa afflictio monachorum, et sancta et devota religio clericorum. Quod profecto signanter Deus in valle voluit actitari, ut ipsa loci forma concors esset negotio salutari: et patenter ostenderet quia clericis, quibus ruinæ occasio erat excelsa dignitas et libertas præsidendi, opportuna erat voluntaria depressio et humilitas ponitendi. Ipsa etiam vallis nominatur non incongrue Prænonstrata, dans intelligi quia hoc humilitas clericorum non temere, non fortuitis est adinventionibus inchoata, sed eam divina misericordia in exemplum cæteris prænonstravit, quibus per hanc revertendi ad se aditum demonstravit. Nec vacat quod hanc vallem divina providentia sic formavit, sic eam præsenti negotio vel ei præsens negotium conformavit, ut ipsa loci facies videatur quiddam grave et asperum prænonere, eique prænonenti humilis clericorum obedientia respondere. Ad modum enim crucis eadem vallis in quatuor cornua dilatatur, ejusque planities in quatuor angulis terminatur, a quorum Orientali in Occidentalem tenditur longitudo, ab Aquilonari vero in Australem ejusdem latitudo. Quæ loci facies cui tanta crucis similitudo est infixa, quæ vallis non humano molimine, sed naturali opere quodammodo crucifixa, quid monet vel prænonet nisi ut ad eam confluentes mundo vivere jam non curent, sed se illi, imo Christo crucifixione congrua configurent? Prætereа in eam vallem per quatuor illa cornua devenitur, et in eis medium quodam quadruvio, id est via quadrupla convenitur, ut ei scilicet a quatuor mundi partibus convenarum grata multiplicitas infundatur, et inde in quatuor mundi partes religionis opinio diffundatur. Hoc est illud prædium Gethsemani in quod cum discipulis suis veniens Christus orat, in quo tristitia et sudore, articulo passionis imminente laborat, in quo discipulos suos, qui timoris et incredulitatis gravi somno premebantur excitat ad orandum, ne in tentationis irrevocabile præcipitium inducantur. Et veniunt, inquit, in prædium, cui nomen Gethsemani, vallis pinguedinis interpretatur. Et pulchre vallis pinguedinis appellatur, quæ a Monte Oliveti desuper obumbratur, quia Christus, qui veraciter mons dicitur olivarum, obumbrat et protegit convallem lacrymarum, et impinguat eam, non tamen oleo peccatoris, sed amore devotissimo Creatoris. In hac valle clericorum somnolentia et torpor noxius increpatur, in hac eorum sollicitudo ad vigilandum, et orandum instantius excitatur; in hac Christus cum eis et pro eis sustinet tædere et pavere, ut et ipsi non renuant pœnitentiæ molestias pro eo sustinere. Huic valli Christus benedictionis suæ munera superfundit, per hanc largo impetu oleum suæ charitatis diffundit; hanc implet salubriter, sicut certo Joannis instruimur documento, unde autem impleat, David determinans: « Valles, inquit, abundabunt frumento (*Psal.* LXV). » Hoc autem frumentum forte idem ipse Christus est, qui cadens in terram feracius pullulavit, qui passionis mola tritus pane vitæ humiles suos pavit, qui clericis humilibus largitur refectionis salutaris nutrimentum; et eisdem jam adultis confert gloriosi decoris ornamentum. Propter quod in Canticis, lilium se convallium voluit nominare, ostendens quia eos qui propter ipsum non gravantur abjectionis molestias tolerare, ipse honore et gloria festinat coronare, eos qui non recusant, sicut monet Apostolus (*II Cor.* VII), ad pœnitentiam contristari, luctu verso in gaudium facit sine termino gratulari. Candor quippe lilii signat solemnitatem gaudii, quo humilem clericorum tristitiam munerabit, cum se illis facie ad faciem demonstrabit.

CAPITULUM CXXVII.

In cujus typo gaudii, iidem clerici qui in valle Prænonstrata humilitatis gratia sunt collecti, qui postpositis dignitatibus ecclesiasticis, contemptum temporalium sunt adepti; abjectis mollibus et lineis indumentis, laneis et candidis induuntur, ut in lana candida remissionis acceptæ gratiam prædicarent, et cœlestis gaudii speratam gloriam prænonstrarent. Quod enim in lana candida peccatorum remissio figuretur, Dominus manifestat qui per Isaiam misericorditer pollicetur: « Si fuerint, inquit, peccata vestra rubra quasi vermiculus, sicut lana alba erunt (*Isa.* XIV). » Quia enim vermiculus sanguinei est coloris, per eum sicut et per sanguinem gravis ac-

cipitur iniquitas peccatoris, quæ non solum carnalis et sanguinea, sed caro et sanguis aliquoties nominatur, quæ duo non possident regnum Dei, sicut Apostolus protestatur (*I Cor.* xv). Si ergo fuerint, inquit, peccata vestra sanguinea, si immunda, ego tamen lavabo, ego innocentiam superfundens sicut lanam misericorditer dealbabo, ut amplior iniquitas amplius lavacrum assequatur, et nisi illa abundabit, istud superfluere videatur. Denique in candore habitus cœlestis gaudii futuram gloriam Dominus præmonstravit, cum se transfiguratum in monte Thabor discipulis demonstravit : « Et transfiguratus est, inquit, ante eos, et resplenduit facies ejus sicut sol : vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix (*Matth.* xvii). » Unde Petrus extimans transitoriam non esse visionem, **485** sed eam quam desiderabat cœlestis gaudii stabilem mansionem, ardenti quidem desiderio, sed non satis erudito, cum eo illic voluit permanere, cujus faciem splendore solari, vestimenta vero, candore nivali videbat refulgere : « Domine, inquit, bonum est nos hic esse; si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, et Moysi unum, et Eliæ unum (*Matth.* xvii). » Ille quoque angelus, vel angeli qui nuntiarunt Christi gloriam resurgentis, qui præsentis vitæ pulsa tristitia, jam adepti fuerant statum gaudii permanentis, mulieribus apparentes elegerunt vestitu candido coruscare, ut conformes haberentur cœlestis vitæ gaudio, quod venerant nuntiare. Marcus evangelista : « Viderunt, inquit, juvenem sedentem in dextris coopertum stola candida : et obstupuerunt (*Marc.* xvi). » Joannes vero : « Maria, inquit, vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu (*Joan.* xx). » Hoc igitur solemne gaudium prædicti clerici præfigurant, cum se Christo vel angelis candore habitus configurant, ut per lanam qua pulsis lineis induuntur, innocentiæ gratiam manifestent per quam a peccatis pristinis abluuntur; per candorem vero insinuent se cœleste gaudium adepturos, et in eo cum Christo et angelis sine termino permansuros. Felix plane est hæc vita clericorum, a quibus adhuc in terra positis more tamen vivitur angelorum, dum non solum exterioris habitus, sed candore potius animorum, conformantur non solum angelis sed regi potius angelorum. De quo Salomon ait : « Dilectus meus candidus (*Cant.* v). » Et alius Sapiens : « Candor est, inquit, lucis æternæ (*Sap.* vii). » Ad hanc igitur vitam in qua clerici tam interius quam exterius candidantur, quo candore, ut dictum est : Christo candido conformantur : si confugerint qui eatenus confugere distulerunt, si perfecte eam tenuerint, qui jam forsitan assumpserunt, non timebunt sive a laico sive et a monacho subsannari, cum a neutro possit eorum meritum accusari. Habet enim hæc vita et primitus perfectionem centenam, et postmodum retributionem millenam, quia et ei conceditur in præsenti perfectio meritorum, et in futuro consummatio præmiorum. Huic autem vitæ vel ordini quanta reverentia debeatur, in quibus et dignitas adornat sanctitatem, et dignitati sanctitas suffragatur, superfluum extimo vobis iterum commendari, præsertim cum hæc responsio postulet terminari. Ostenso enim, ut potui, quid clericis, quid monachis vel commune, vel proprium ascribatur, quid aliis ab aliis vel jure dignitatis, vel sanctitatis merito deferatur, congruum est ut tandem huic responsioni terminus imponatur, ne vel ejus prolixitas, vel forte inutilitas onerosa diutius habeatur.

V.

DE OBEDIENTIA CLERICORUM.

PROLOGUS.

Finita responsione tertia, ad quartum itineris propositi gradum deveniens et ascensum ejus obscurum pariter et præruptum nimis inveniens, aliquanto fateor tempore silui, et impar viribus in silentio et in spe sustinui qui animam meam novo gratiæ levaret adjumento, quæ infirmitatis suæ pondere adhæsit pavimento. Pulsant me hinc inde diversa consilia diversorum, et utinam non sibi invicem adversorum, ut cum uni cedo, alterum non offendam et pace alterius alteri satisfacere me ostendam. Timor et spes mihi quasi medio a lateribus conjungitur, qui diversa satis ad invicem obloquuntur, dum ille ingerit, ne quod ferre non valeo non assumam, et ista suggerit, ut confisus in Domino, humiliter hoc præsumam. Ille : « Fortiora te, inquit, ne scrutatus fueris (*Eccli.* iii); » ista : « Beati, ait, qui scrutantur testimonia ejus (*Psal.* cxviii). » Ille : « Antequam loquaris, disce (*Eccli.* xviii); » ista : « Aperi os tuum et implebo illud (*Psal.* lxxx); » ille : « Tempus, ait, tacendi (*Eccle.* iii); » ista : « Tempus loquendi (*ibid.*). » Sic plerumque agilitate sua timoris molestias spes evadit, plerumque autem magno victa timore cadit. Sed quoniam spes, ut dictum est, non confundit eum in nostris cordibus charitas se diffundit, tandem aggrediar non terrenæ cujusquam utilitatis, sed intuitu fraternæ charitatis, aggrediar inquam præcedente gratia sic timere, ut ad inquisita ultra non differam respondere. Per angustum et lubricum iter pede gemino sic incedam, ut altero innixus spei, altero a timoris modestia non recedam, ut si forte spes tentaverit ulterius debito prosilire, timor eam compellat paulo citius resilire, et si timor mergi cœperit in abyssum et foveam despe-

randi, spes revocans et confortans infundat ei fiduciam transfretandi. Et hoc mihi sua Deus gratia dignabitur impertire, cum in hoc opusculo tam suæ, quam suorum voluntati desiderem obedire.

486 CAPITULUM PRIMUM.

Quæritur, fratres, obedientia quæ virtus debeat æstimari, et si ei vel in omnibus obsequi debeamus, vel forte in aliquo liceat refragari. Obedientia quidem virtus est consummata, et in Scripturis a principio tam multipliciter commendata, ut nulla virtus alia perfecti esse meriti videatur, si non hujus præsidio muniatur. Ipsa etiam charitas quæ major esse cæteris affirmatur, si contra hanc quidquam diligere moliatur, non solum prudenti judicio reprobatur, sed nec vera esse charitas judicatur, quia Deo adversari veraciter invenitur, si vel eum diligit aliter quam per obedientiam definitur. Omnis igitur rationalis creatura obedientiæ vinculis alligatur, et a Creatore omnium, creaturis omnibus imperatur, nec est ulla tam præcelsæ tam præcellentis dignitatis, quæ non suscipiat majoris obedientiam potestatis, quamvis nonnunquam perversitate propriæ voluntatis declinet in planitiem perversæ et mortiferæ libertatis. Sed tamen hoc nec sic ab obedientiæ vinculis relaxatur, imo eis mirabiliter vel potius miserabiliter obligatur, dum quæ sequens et obsequens posset illius merito, gloria et honore perenniter coronari, quia fugat et aufugit, meretur pœnis consequentibus cruciari. Vult ergo Deus omnes sibi creaturas obedienter deservire, et earum alteri alteram invicem obedire, ut nullus vel ordo vel professio, vel civitas, vel natio abutatur propria voluntate, sed omnes redigantur sub alterius potestate. Reges quidem etsi non aliis compelluntur regibus subjacere, Deo tamen debent obedientiam exhibere, et vice Dei aurem debent Ecclesiæ pontificibus inclinare et eorum monitis mores proprios ordinare, matrem Ecclesiam ab incursantibus defensare, hostes fidei armis obedientibus expugnare. Ipsis autem regibus consules, centuriones, tribuni, quinquagenarii subjugantur, et eorum aliis alii jure ordinatissimo dominantur, ita ut qui cervice tumida dominantem sibi contempserit principatum, non solum apud homines, sed apud Deum etiam, inobedientiæ corruat in reatum. Debent itaque milites principibus, principes regibus obsequium militandi, ut cum pro pace, pro patria, pro Ecclesia necessitas ingruerit præliandi, ad nutum majorum minores non differant præparari, scientes se Dei prælia magis quam hominum præliari. Si vero contra pacem, patriam, Ecclesiam, majorum rabies tentaverit desævire, minores cæteros ad adjuvandum promptos non debet invenire, qui si commoniti fuerint, memoriter debent scire quia « Deo magis quam hominibus oportet obedire (*Act.* v). » Quod si perverso vel timore vel amore majorum cesserint voluntati, licet excusabiles videantur, non erunt excusati, quin Deo inveniantur veraciter repugnare, si consenserint pacem ecclesiasticam impugnare. Præcipitur etiam populis ad jure vivendum congregatis, ut reverenter obediant justis legibus civitatis, ut nullus inter cæteros contendat obtinere privilegium propriæ libertatis, ne suo male vivens arbitrio pacem collectæ confundat unitatis. Non enim intra pacis gremium posset popularis quiescere multitudo, nisi eam communiret obedientiæ fortitudo, quia diversitas naturalis et propria tam multorum, et vitiosa mutabilitas animorum, turbam frequentius faceret perturbari, et turbatam ad lites et odia concitari. Non itaque civitas, non viculus, non quælibet congregatio popularis conceditur vivere, tanquam vel solitarius onager, vel passer in ædificio singularis, sed licet licenter maneat habitus et vitæ quæ dicitur sæcularis, imponitur tamen ei obedientiæ nectura salutaris. Sed hæc obedientia proficit quidem saluti terrenæ civitatis, non tamen sufficit virtuti perfectæ sanctitatis : prodest lucris foralibus et paci temporali, non tamen satis mores excolit profectu spiritali. Linguam premit ne ad conviciandum proximum effrenetur, manum tenet ne feriat, ne violenter rapinam operetur ; necessarias timoris angustias superfundit, charitatem voluntariam in cordibus non diffundit : malum exterioris operis interdicit, bonum tamen religionis intimæ non indicit.

CAPITULUM II.

Hoc propter illam debemus obedientiam subtilius intueri, per quam datum est salutem animæ promereri, per quam constat non tam mala serviliter opera cohiberi, quam bona diligentius adimpleri. Ipsa nimirum illa est, qua Deo vero Creatori omnium obedimus, qua mandata ejus legendo vel audiendo cognita custodimus, ab his scilicet quæ præcipit ne fiant abstinendo, et ea quæ jubet fieri, faciendo. Hanc profecto in Scripturis viam obedientiæ duplicem invenimus, hoc tanquam bivio ad ejus fastigium sine erroris devio pervenimus, cum et ea quæ mandat non fieri horrore libero fastidimus, et faciendis amore gratuito sollicitudinem impertimus. Hæc autem via duplex, omni rationali proponitur creaturæ, habens promissionem 487 vitæ quæ nunc est et futuræ, quia et in præsenti reddit viatorem virtutibus consummatum, et in futuro, cum ad calcem pervenerit, tam honore quam gloria coronatum. In hac via duplici, omnes ab initio profecerunt, si tamen vivendi et proficiendi spatium habuerunt, quicunque Deo, ejus dante gratia, suis meritis placuerunt, et ad ejus consortium pervenire feliciter meruerunt. Verum cum hanc utramque viam omnes justos perspicuum sit tenere, alioquin Deo sufficienter non possent complacere, nonnulli tamen inveniuntur alterius earum laudibus amplius enitere, et pro una quasi sola virtutis apud Deum meritum obtinere. Quidam enim inveniuntur ob hoc non mediocriter commendari, quia quæ fieri jussa sunt, studenter diligentius operari; alii vero dignas laudes nihilominus promerentur, quia nolunt facere quæ fieri divinitus prohibentur. Facientibus quæ facienda sunt Dominus in

Evangelio pollicetur, quod eis regnum vitæ præparatum ab initio largietur : « Venite, inquit, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXIX). » Et hoc quare ? « Esurivi enim, inquit, et dedistis mihi manducare, » et cætera quæ ibidem opera misericordiæ consequuntur quæ, quia facere studuerunt, et regnum indeficiens assequuntur. Eum vero qui prohibita fortiter aspernatur, alibi Scriptura et beatum prædicat et laudabilem admiratur. « Beatus, ait, qui post aurum non abiit, nec speravit in thesauris pecuniæ. Quis est hic? et laudabimus eum (*Eccli.* XXXI). » Sicut illi beati sunt faciendo quod fidelibus est indictum, sic iste nihilominus, quia respuit interdictum, quia et illi ad illa facienda majorem studuerunt diligentiam adhibere ; et iste ad respuendum vetita, inventus est et eniti fortius, et laudabilius enitere. Unde Isaias : « Beatus, ait, vir custodiens manus suas ne faciat omne malum (*Isa.* XXXVI). » Quod nimirum poterit certius pervidere, qui Scripturas voluerit seriatim a principio recensere. Sed quoniam easdem Scripturas nec acquisivi scientia, nec clausi memoria, non possum multa in præsenti exempli gratia compilare, et ideo duos saltem viros, Adam et Abraham volo ad medium revocare, in quibus obedientia videtur non mediocriter coruscare. Abraham Deo præcipienti gravia, satisfecit (*Gen.* XXII) ; dum quod jussus est facere, libens fecit ; et ideo in exemplum obedientiæ cunctis proponitur post futuris ad eamdem gloriam per eamdem obedientiam perventuris. Adam vero quæ jussus est vitare levia, non vitavit (*Gen.* III), sed ad faciendum prohibita declinavit ; et in eo quoque cunctis liquido posteris demonstratur, quid contemptum obedientiæ prosequatur. Sicut autem in illo obedientia commendabiliter prædicatur, sic in isto per oppositum nihilominus commendatur, dum ille præcepta faciendo quia tenuit obedientiam, tanta gloria decoratur ; iste vetita non vitando, quia respuit obedientiam, tanta ignominia deturpatur. Et hic attendendum est quoniam Adam prohibitus est tangere, Abraham vero jussus occidere. Huic primo homini levia interdicuntur, illi vero patriarchæ gravia proponuntur ; iste qui nondum peccaverat et fortior esse debuerat, levem non voluit obedientiam sustinere, ille qui peccatis jam erat irretitus et ad benefaciendum eisdem retibus præpeditus, gravem potuit obedientiam adimplere. Ille proposita sibi obedientiæ leviori semita, sic defecit, iste arctiori sibi proposita, sic profecit, quia facilius videtur a levibus abstinere, quam ad fortiora prævalere. Iste prohibitus pomum effectu noxio manducavit, ille jussus affectu benevolo filium immolavit. Fateor : hujus rei absconditum intellectu meo non potest penetrari, tantis mihi videtur perplexitatibus obscurari.

CAPITULUM III.

Ad tam profundum mysterium plus quam dici valeat, animus obstupescit, quia mihi indigno nondum illa dies desiderabilis illuxerit, in qua habitantibus Hierusalem domus Davidicæ fons patescit, cujus irriguo cum locus fuerit peccator pœnitens, hilarescit, quia pulsis maculis peccatorum, spiritalis eo scientia largius adincrescit. Istum fontem per prophetam Zachariam habitantibus Hierusalem Dominus pollicetur, quo eorum conscientia efficacius abluetur, et ablutorum ignorantia detergetur, si tamen dies illuxerit qua hoc dignum fieri judicetur. « In die, inquit, illa, erit fons patiens domus David et habitantibus Hierusalem, in ablutione peccatoris et menstruatæ (*Zach.* XIII). » Per David, Christus procul dubio figuratur ; per domum David, Christi Ecclesia figuraliter designatur. Fons vero domus David, Scripturarum est spiritalis scientia, quæ apud eos manet quos perfectiores habet Ecclesia, quia non nisi in perfectis scientia perfectior invenitur, et eisdem magis ac magis ad augendum meritum aperitur. « Erit, ergo, patens fons domus David ; » patens quidem ipsi domui David, quia qui fuerint Christi quasi domus et mansio specialis, eis abundantius infundetur Scripturarum intelligentia spiritalis. Sed quando hoc erit ? « In die, inquit, illa. » In qua die? In illa scilicet quam vobis tantum et toties commendavi, quam venturam vobis toties prophetavi, quam venire tanto desiderio præoptavi, quando scilicet Christus meus, qui lux vera est, in vestris cordibus **488** orietur, quando ejus cognitio, ejus dilectio vobis largius infundetur, quando non jam in vobis ullo urgente periculo morietur, quando vivens cum mortuis non quæretur, sed resurgens et ascendens et sedens ad Patris dexteram veraciter cognoscetur. « In die, ergo, illa erit patens fons domus David ; » patens, ut dictum est, ipsi domui David, quia quibus erit perfecte Christus in conscientia, in eis erit Scripturarum perfecta scientia, et hæc utique non celata, non signata timoris operculo vel negligentiæ deprimentis, sed abundans et redundans fons aquæ salientis. Sed in hoc, quid nobis gratiæ conferetur, si perfectus spiritalis scientiæ gratia muneretur, cum a perfectionis gradu adeo longe simus, ut ad eum aspirare, nedum attingere non possimus ? Quod ergo : « In die illa erit fons patens domus David ; » quid ad nos ? Imo multum ad nos, cum in illis perfecta Scripturarum scientia sic abundet, ut in eis non claudatur vel ex inopia vel ex invidia, sed redundet ; et eam oculis circumstantium tanquam signatus puteus non furetur, sed ad nos foris positos quodam quasi rivulo derivetur. Doctores enim sancti, sic de sua gaudent vel scientia, vel abundantia meritorum, ut etiam de salute sint solliciti proximorum, et ob hoc nostris erratibus condolentes, doctrina sua multiplici nos informant, et nostrorum tersa fuligine peccatorum, ad eam qua facti sumus, imaginem nos reformant. Unde postea quam dictum est : « In die illa erit fons patens domus David » adjungitur : « Et habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ. » Non solum illis qui sunt Christi quasi familiaris mansio, fons patebit ; non solum Christi cubiculariis Scriptura-

rum interna subtilitas apparebit, sed foras etiam ad eos qui sunt cives Hierusalem effundetur, et ad minores tanquam ad declivia, per majores, tanquam per carnalia diffundetur. Per doctrinam enim majorum, imperfectio minorum eruditur, per illorum divitias spiritales istorum inopiæ subvenitur, ut sciant et valeant sordes peccatorum præsentes abolere et a supervenientibus præcavere. Hoc est quod dicitur : « In ablutionem peccatoris et menstruatæ. » Peccator et menstruata propter levia et gravia sunt peccata, quia peccator est qui levium aspergitur maculis delictorum ; menstruata vero, quæ gravium polluitur immunditiis peccatorum. Menstruata quidem ex decreto legis immunda judicatur, et quidquid tetigerit, pollutum reputatur, et per eam non incongrue illa expressius anima figuratur, quæ carnalium voluptatum fluxu incomposito deturpatur. Sed tamen hæc abluitur, si intra muros Hierusalem vult manere, si super hujus fontis rivulum vult dedere, si a forensibus peccatorum tumultibus vult sibere, si sanis majorum monitis aurem benevolam vult præbere. Denique illa agricultura non immerito exsecrabilis reprobatur, in qua Esau laborare sensu perdito lætabatur, perplexa etiam silvarum opacitas non laudatur, in qua idem voluptate misera venabatur. Hoc propter, quisque sapiens vel domi habitet cum Rebecca retentæ gratia puritatis, vel saltem post auditum Salomonis edictum, assiduus intra muros maneat civitatis, de qua idem Solomon jubet Semei ulterius non exire (*III Reg.* II), et quia forte exiit, sine remedio meruit interire. Sic nimirum fons patens domus David fit habitantibus in ablutionem peccatoris et menstruatæ, quando a peccatis tam levioribus quam gravioribus emundantur, qui intra hos muros Hierusalem, non tam pede quam spiritu conversantur, videlicet qui amant sub pace et otio, quiete et silentio demorari, et divinarum fluentis Scripturarum salubriter irrigari. Hierusalem, ut nostis, *visio pacis* dicitur : in Hierusalem ergo habitare non incongrue perhibentur qui a strepitu sæculari longiuscule removentur, et intra septa silentii, pacis intuitu continentur, ut ibidem spiritualibus officiis occupentur, ament divinas Scripturas assiduitate congrua lectitare, lectas et non neglectas grata memoria ruminare, occasionum obstacula manu obvia repulsare, otiosa colloquia maturo consilio relegare, necessaria vero, locis et temporibus prudenter ordinare. Isti sunt habitatores sanctæ illius civitatis, qui obliti quæ foris sunt, intus degunt sub regula sanctitatis, qui abhorrentes non solum actus, sed et verba superfluæ vanitatis, apponunt diligentiam, ut tandem perveniant ad scientiam veritatis. Ad istos fons ille patens domus Davidicæ derivatur, istis irriguum salutare fecundo calice propinatur, quo et eorum conscientia defæcatur, et Scripturarum intelligentia declaratur. « In die, inquit, illa, erit fons patens domus David et habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ. » Utinam mihi dies illa vel tenuiter, orire- A tur, et illius diluculo tenebrarum mearum profunditas solveretur. Utinam ad me fontis illius stilla vel modica, guttatim laberetur, et ejus stillicido, ignorantiæ meæ et morum ariditas aliquantulum pelleretur, et eisdem moribus arctiori judicio castigatis, in Scripturarum involucro subluceret mihi intelligentia veritatis.

CAPITULUM IV.

Verum etsi prædictam Hierusalem videor habitare, quia cum sanctis fratribus claustrum me continet regulare, tamen 489 spiritus meus quem corporale regagulum non potest retentare, mihi frequentius tanquam avicula videtur avolare. Cui cum multo esset melius si intra fines debitos teneretur, si quietis patiens, indicto silentio lætaretur ; si appositis B Scripturarum epulis salubri edulio pasceretur ; tamen levitate pridem inolita libentius recurrit ad solita : et quasi per silvarum aspera quærit voluntatis miseræ blandimentum, ut ubi gravius, sed tamen gratius sustineat detrimentum. Cujusmodi aviculæ nativam levitatem videtur bene quidam ethnicus ostendisse, sicut recolo in scholis puerum me legisse :

Cum bene sint, inquit, *clausæ cavea Pandione natæ ;*
Tamen nititur in silvas quæque redire suas

Ovid.

Natas a Pandione quasdam esse aviculas, ethnici fabulantur, quæ cum captæ quovis aucupio domi teneris virginibus præsentantur, illæ clausas cavea servare studiosius gratulantur, exquisitas epulas et potum gratuitum apponere delectantur : forte monent et præmonent etiam ut loquantur, ut oblitæ garrulitatis nemorosæ, nostris verbis laudabiliter abutantur. Quæ cum sibi videantur cuncta necessaria præsto esse, æstus vel pluvias, vel frigoris molestias non adesse, majorum avium violentos impetus non obesse, tamen si forte ostiolum caveæ semiclausum relinqui deprehendunt, volant et evolant, et avide silvas pristinas apprehendunt : ibique laborantes inedia, æstu, gelu, pluvia, volatu perdito se suspendunt, et quia voluntariam hanc esse miseriam non attendunt etiam avicularem levitatem, ut ad nostras redeamus litteras, propheta Osee videtur expressus designasse, cum dicit quasi avem, Ephraim avolasse : Ephraim, inquit, quasi avis avolavit (*Osee* IX). D Ephraim interpretatur *fructificatio* vel *ubertas*. Noster itaque spiritus qui fructus uberes posset dare si vellet assiduus intra muros Hierusalem habitare, recte quasi avis dicitur volare, cum quietis impatiens invenitur ad amanda quæ foris sunt, recursare, ubi quamvis laboriosius operetur, ejus operatio gloriam non meretur, quia postquam loco debito non tenetur, ei operanti merces gloriæ non debetur. Unde et Osee subjungit : « Gloria eorum a partu, et ab utero et a conceptu (*ibid.*). » Per conceptum recens cogitatio, per uterum deliberatio, per partum operatio videtur designari ; quibus tribus modis videmur in sæcularibus conversari, quia quasi in conceptu nobis est quod recens agitamus : in utero autem quod deliberando gestamus : in partu vero

quod jam opere consummamus. Gloria igitur eorum a partu, et ab utero et a conceptu recedit, quia sive excogitent, sive cogitata deliberent, sive deliberata perficiant, apud Deum gloriam non habebunt, qui se intra fines positos pacis Hierusalem non tenebunt, qui a spiritalibus etsi non pedem, tamen spiritum pertinaciter removebunt, qui corde et animo sæcularibus adhærebunt. Quod si volnerint quasi rationabiliter excusare et post magna, ut putant, opera cum Deo disputare : franguntur judicio, quoniam post sordes abierunt, dum sæcularia magis quam spiritualia dilexerunt, unde alibi idem Osee dicit : « Ephraim fractus judicio, quoniam cœpit abire post sordem (*Osee* v). » Quia igitur animus vel spiritus meus intra regularem caveam non moratur, sed quasi avis avolans per inania, inconstans evagatur, profecto Christus ei spiritales Scripturarum epulas non propinat : eumque ut refugam, illarum intelligentia non saginat. De quo pulchre Salomon in Proverbiis dicit : « Sicut avis transvolans de nido suo, sic vir qui relinquit locum suum (*Prov.* XXVII). » Quem si forte idem Christus aliquando dignatur revocare, ut sedeat, sileat, legat vel audiat aliquid salutare : ille pennas habens illitas collecto pulvere sæculari, reversus invenitur non tam cellam vinariam, quam nidum luteum fabricari. Sicut enim hirundo foris volitans pennas aquis refertur immergere, eisque madefactis, pulverem tactum colligere, et reversa luteum sibi ex eo nidum construere ; sic levis ille spiritus cum amore noxio per devia quæque currit, aggravat quidem pennas, nunc cogitationum aquis vehementibus quas incurrit, nunc actionum immundo pulvere qui occurrit, et si forte ut melius sibi consulat, introcurrit : se tamen ab his quæ foris collegerat, non absolvit, sed eis cohærentibus tanquam nido luteo se involvit. Cum ergo videam quia cor meum dereliquit me : quid dicam, nisi : « Complaceat tibi, Domine, ut eruas me? » Non enim possum nisi ejus placito ab his luteis nexibus expediri, quibus mihi videor inextricabiliter impediri : non possum divinis litteris erudiri, nisi utrinque expeditus a sua gratia merear exaudiri. Quod si non merui, imo quia non merui perfectam scientiam obtinere : mihi saltem insinuet quid videatur mysterii continere, quod primus homo inventus est mandatum levissimum non tenere, Abraham vero gravissimum viriliter adimplere.

A

B

C

D

CAPITULUM V.

Forte in his duobus viris diversorum sub manu jubentis meritorum figuraliter designantur duo genera subditorum, quorum primum vile et imbecillum nec levi resistere potest vento, quia ut plantatio novella, nondum fortiter innititur fundamento, et ad resistendum usus vel exercitii non gaudet adjumento. Alterum vero, quia 490 jam exemplo præcedentium terretur infirmorum et animatur laude vel præmio robustorum, cum usu et exercitio fuerit confirmatum, mandatorum gravedine nescit flecti sed habet ad omnia cor paratum. Cum enim quis infirmus obedientiæ tyro novus efficitur, et ne illud vel illud faciat, interdicto majoris constringitur : plerumque ad id quod non licet acrius instigatur, nititurque in vetitum et cupit quod negatur. Aliquando vero quia id quod interdictum est, vile quid æstimatur, si factum fuerit nocere magnopere non putatur : et faciens non æstimat reatu gravissimo se teneri, sed putat illud posse facilius aboleri. Denique nescit rudis infantia prudenti sibi consilio providere, nescit spe futuri præsentes molestias sustinere : siquid ei libuerit, non putat non licere, et si forte novit illicitum, mavult tamen dulcedini præsentium inhærere. Quod in illo primo homine figuraliter demonstratur, cum tanquam novitius in claustro obedientiæ collocatur, qui postquam ne pomum comederet juberi se audivit, consilio serpentis et uxoris illud avidius appetivit, vel forte quia pomum interdictum, utpote nullius aut parvi pretii vilipendit, digne satis interdicentem obedientiam non appendit : et quamvis suadentem diabolum mentiri veraci scientia deprehendit, Deum tamen irasci tam graviter non perpendit. Vel potius Adam velut infans in vestibulo ætatis ineuntis, nondum sibi præcavere consueverat ab incursu molestiæ postmodum subeuntis, parumque de futuro, plurimum sollicitus de præsenti, postventura despiciens cessit præsentia suggerenti. In illo quippe sui exordio quo non parvulus infantili corpore, sed grandior est repertus; et si a Deo creatore non parva scientia est refertus : tamen quia non satis timuit, utpote mali quidpiam non expertus, comedit prohibitum, et a prima gratia comedens est desertus. Cum enim in exordio mundi et ipse exordium accepisset, et, ut dixi, a Deo non mediocrem scientiam percepisset, bonum quidem et malum pariter credendus est scivisse, sed bonum per experientiam, malum vero solummodo per scientiam cognovisse. Et quoniam videtur illud perfectius sciri, quod quis habens vel patiens dicitur experiri : malum quod expertus non fuerat, minus scivit, et ob hoc, illud incautius appetivit. Et cum in illud inexpertum lapsu misero se demisit, bonum quod perfectius tenere videbatur amisit : et ad illud perditum, manum cum voluit non remisit, quia mox interpositus et custos angelus, et ignitus gladius non permisit. Quod quid sibi velit, quia in responsione de salute primi hominis expositum continetur, hic iterum dici necessarium non videtur ne, dum quod ibi dictum est, hic superfluo replicatur, sermo tardius ad propositum revertatur. Ille itaque primus homo cum se ad bonum quod per experientiam noverat, non solum gressu stabili non erexit, sed etiam ad malum inexpertum curiositate labili se deflexit; satis innuit quod prima ætas sub manu obedientiæ similiter operetur : si remota gratia, suo arbitrio relaxetur. Denique tunc temporis, et prima ætas mundi, et prima ætas hominis agebatur, unde ille et iste quodammodo infirmus habebatur, quia, etsi Adam, ut prædixi, corpore non erat infantilis, tamen non erat maturus tempore, vel senilis, quæ temporis

maturitas, etsi non semper omnibus sanctitatis confert sufficiens incrementum, plerisque tamen cooperante gratia dat necessarium adjumentum. Per sex quippe ætates ab initio ad finem decurrit iste mundus, per totidem et homo qui dicitur minor mundus: et sicut ille per ætatum incrementa invenitur viros habere sanctiores; sic et iste processu temporis debet sanctius excolere suos mores, ut juxta gradus ætatum, ascendat et gradus obedientiæ celsiores, et processus, dierum invitet eum ad profectus animi digniores. Prima mundi ætas ab Adam sumpsit exordium. Secunda vero a Noe, cujus tempore fuit diluvium. Tertia ab Abraham qui jussus est filium immolare. Quarta a David qui juxta nomen suum hostes suos invenitur fortiter debellare. Quinta a Jechonia cum in Babylonia populus Israel exsulavit. Sexta a Jesu Christo, qui pro nobis moriens et resurgens, nos etiam sibi commortuos suscitavit. Prima hominis ætas, infantia est, secunda, pueritia; tertia, adolescentia; quarta, juventus; quinta, virilis ætas; sexta, senectus. Sic etiam sexto gradu ad summam obedientiæ pervenitur, qua perventione nihil in hac vita perfectius invenitur, ut in illis vel mundi vel hominis sex ætatibus sit figura, in his autem veritas, non cum illis senio desitura, sed consummatum obedientem cum Christo ad Patris dexteram perductura. Possent autem illæ vel mundi vel hominis sex ætates, sex istis gradibus coaptari, et quæ cui conveniat, per ordinem demonstrari, nisi hæc demonstratio diuturni operam exigere videretur, et nunc in manibus Adæ et Abrahæ obedientia teneretur. Sed quoniam et uterque istorum in illis ætatibus continetur, et cum de illis sermo erit, non etiam ab istis recedetur: non est incongruum si hoc loco tentavero demonstrare quomodo videantur horum singula singulis concordare; si tamen mihi tententi suppetat et facultas, quia, fit videre videor, imminet et huic operi non parva difficultas.

491 CAPITULUM VI.

In prima mundi ætate Deus hominem de limo terræ finxit, et ei facto magnum vel grave aliquid non indixit, sed fructum scientiæ boni et mali ne comederet interdixit, comedentem vero ipsa die moriturum esse prædixit. Et pulchre primo homini primum Deus gradum obedientiæ demonstravit, cum ei recenter facto non quidquam arduum imperavit, sed mandatum obedientiæ possibilitate facili temperavit, utpote qui eum quem fecerat, perire non optavit. Primus enim est obedientiæ gradus novellum quempiam velut infantem a non necessariis cohibere, et in planitie levium mandatorum athletam parvulum exercere, ut cum didicerit prohibitis levioribus non hærere, possit pedem ad obedientiæ gradum alterum promovere. Quocirca et a fructu « qui erat, ut legitur, pulcher ad videndum, suavis ad edendum (*Gen.* III), » idem non incongrue novitius prohibetur, cui tamen ad esum aliorum copia fructuum indulgetur, quia solent infantes omnibus, quæ pulchra viderint, curiosius inhiare, et extensa manu nisi forte prohibeantur ad os tenerum applicare. Unde ille, etsi infantili ignorantia non seductus, consilio tamen uxoris inductus, prohibitum incontinenter apprehendit et apprehensum comedens experimento veraci et misero deprehendit: quid vel conferat obedientia si indeficienti obsequio teneatur, vel e contra quid inferat si contemptu illicito decretur. Posset quidem illum sufficienter mandatum acceptum custodire, si eidem accepto vellet tenaciter obedire, nisi forte propter istud, aliud sibi postmodum donaretur, quod etiam perficere majoris imperio juberetur. Cum enim quis a re aliqua prohibetur et quidquam aliud facere non jubetur, sola illa abstinentia sufficientis est virtutis et ob hæc abstinenti æternæ præmia dat salutis. Inde est quod illi, quos tenet conditio popularis; et in foro hujus vitæ mores et habitus sæcularis, divina lege non tam ad grandia compelluntur, quam a prohibitis repelluntur, ut quos premit infantilis infirmitas, quæ est communis plurimorum, 'salvet 'saltem facilis abstinentia vetitorum. Quod in Actibus apostolorum evidentius declaratur, cum fidelium multitudini non nisi abstinere a prohibitis imperatur. « Visum est, inquiunt, Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum et sanguine suffocato, et fornicatione a quibus custodientes vos bene agetis (*Act.* XV). » Videtis populo ab apostolis quidquam aliud non injungi quam eos ab his quæ prohibita sunt sejungi, et quamvis per hæc perfectioni apostolicæ non conjungi, tamen eos a salvando fidelium numero non disjungi. « Quasi modo geniti infantes, ait Petrus, lac concupiscite (*I Petr.* II); » et Paulus Corinthiis: « Tanquam parvulis in Christo, inquit: lac vobis potum dedi, non escam (*I Cor.* III). » Et quare lac illis et non escam dederit si quæratur, ne profectum spiritalem invidere magister discipulis videatur: « Nondum enim, ait, poteratis, sed nec adhuc quidem potestis (*ibid.*). » Ab hoc lacte non debet quisquam facile removeri, nisi forte ad escas fortiores idoneus fuerit promoveri, cui scilicet grandescenti non sufficit observatio lactea levium mandatorum, sed ad micas jam properat quæ cadunt de mensa dominorum. Unde legitur (*Gen.* XXI) quia Abraham Isaac filium suum ablactavit, et in ejus ablactatione convivium præ gaudio celebravit, quia epulari patrem oportet et gaudere, cum filius ad profectus aspirat ampliores, cum lacte non contentus cibos appetit fortiores, sicut Paulus Thessalonicensibus adgaudebat, quos proficere spiritaliter attendebat. « Vos estis, inquit, corona mea et gaudium (*I Thes.* II). » Anna quoque Samuelem filium legitur (*I Reg.* I) ablactasse, ablactatum in Silo domino præsentasse, quia non digne ad ministrandum sacris altaribus offeruntur qui lactis adhuc participes cibo solido non vescuntur. Quales Paulus Hebræos esse noverat, quibus dicebat: « Facti estis quibus lacte opus

sit, non cibo (*Hebr.* v). » Qui vero ab hoc lacte non prosilit anterius ut grandescat, sed resilit posterius ut sordescat, qui mente depravatus ad faciendum devolvitur interdictum, propheticum illud incurrit maledictum : « Sicut ablactatus super matrem suam, ita retributio in anima mea (*Psal.* CXXX). » Super matrem suam parvulus ablactatur, cum languore incumbente nec etiam ad lac sugendum roboratur; et pressus inedia mortis incurrit detrimentum, utpote qui ad congruum ætati suæ non invaluit alimentum. Hoc morbo ille Adam primo conditus laboravit, cum mandatis obedire levibus non curavit, cum fructuum concessorum alimoniam recusavit, et ad venenatum uxoris consilium aurem morbidam inclinavit. Hoc etiam morbo posteritatis suæ seriem infirmavit, eamque peccati nexibus tam inextricabiliter obligavit, ut omnes in peccatis et concepti et nati, in peccatis etiam moriantur, propter raros admodum qui sola gratia liberantur. Unde et illa prima ætas quæ in copiosam gentium multitudinem se diffudit, proficiens in pejus cogitatus suos et opera sic confudit ut quanto numerosior, tanto deterior redderetur, et quasi admisso equo tota præceps in vitia deferretur. Quæ ut alia multa taceam, quibus se non timuit implicare, quæ omnia non est hujus vel **492** loci vel temporis replicare : in tantum habenas pudicitiæ relaxavit, tantum jura castitatis legitimæ temeravit, ut in ea pauci justa lege matrimonii tenerentur, sed passim et indiscrete viri mulieribus miscerentur. Lex quidem, etsi adhuc membranis vel tabulis non inscripta, jam tamen in eorum cordibus erat scripta, docens ut unusquisque uxorem propriam licite sibi sumat, et quam alter acceperit appetere non præsumat, quia sicut suam alteri non vult dare, sic nec sibi debet uxorem alterius copulare. Denique noverant quia illi primo homini non nisi unam Deus uxorem copulavit ex quo manifeste posteris indicavit, quia debet quisque intra suæ uxoris gremium coarctari, non per alienas bestialiter effrenari. His contemptis legibus, quibus debuerant obedire, et ad uxorem proximi proximus non hinnire : filii Dei, ut scriptum est, cum pulchras filias hominum attendebant, in earum amplexus lascivo impetu proruebant (*Gen.* VI). Tantum placebat oculis objecta mulierum pulchritudo, ut ei virorum succumberet fortitudo : malletque victa in illius amœno cubiculo captivari, quam viriliter resistendo laboriosa victoria coronari. Filios Dei illos creditur appellare Scriptura, qui de Seth geniti, divina permanserant in cultura ; filias autem hominum, quæ de Cain posteris nascebantur, qui deos colentes alienos, errore devio tenebantur. Duplex igitur peccatum ille Dei populus committebat, qui se et non suis et idololatris mulieribus commiscebat, cum alterum eorum satis superque sufficeret ad iram promerendam et irato Deo pœnam sibi æternaliter inferendam. Cum enim legitur quia videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt uxores sibi ex omnibus quas elegerant (*ibid.*) manifeste datur intelligi quia non solum virgines quas a nexu conjugii liberas cognoscebant, sed et maritatas fortiores infirmioribus auferebant : præsertim cum eos effrenes legis nullius censura cohiberet, nec vita sanctior, sed forma pulchrior complaceret. Si vero non maritatas sed tantum virgines creduntur elegisse, et electas sibi in matrimonio conjunxisse, sic etiam culpam non mediocrem incurrerunt quia nequaquam cultores Dei cultricibus dæmonum conjungi debuerunt. His et multis aliis Deus tandem ad iracundiam implacabiliter commovetur, nolens ut tanta eorum malitia impunita diutius evageturr, sed quia totus mundus reus inobedientiæ tenebatur, vult ut totus superincumbente diluvio submergatur. « Ecce ego, inquit, adducam diluvii aquas super terram, ut interficiam omnem carnem (*ibid.*). » Recte satis carni quæ nullo in cœlestia desiderio ferebatur, aquas diluvii Deus superinducere comminatur, et interficere omnem carnem quæ spiritui noluit obedire; sed propriis voluptatibus inservire, quæ noluit passiones corporis exsecrari, sed in illis sensu perdito volutari, ut quæ luxuriæ reumatibus et locis humentibus delectabiliter est immersa, tribulationum profluvio velut aquarum diluvio pœnaliter sit submersa. Si vero, quod est difficile, fuerit quis inventus qui habitans inter malos super sui custodiam sit intentus, qui non recuset teneris ab uberibus lac haurire, id est mandatis levibus curam diligentius impertire : is profecto non debet aquis tribulationum inundantibus interire, sed de infantia, profectu mentis, ad pueritiam pertransire. Qui enim ad faciendum prohibita non cum cæteris peccatoribus exardescit, sed ab æstu malitiæ sub umbra obedientiæ requiescit, Noe justus dignus est appellari, qui cum domo sua solus a diluvio meruit liberari. Denique Noe, *requies* interpretatur. Super istum quippe gratanter Dominus requievit cum de super terram iratus, omnem malitiam abolevit : in istius spiritu gratuitum sibi reperiens habitaculum mansit, cum ejus spiritus in cæteris quia caro erant hominibus non permansit. « Non permanebit, inquit, spiritus meus in hominem, quia caro est. Pœnituit eum, sicut ait, quod fecisset hominem super terram (*Gen.* VI), » quoniam ad malum cuncta illius cogitatio carnali lubrico deflnebat, ejusque voluntati vita illius in omnibus obsistebat, quem ad hoc fecerat, ut mundus eo quasi litteris inscriberetur, et ab illo Creator vocali concordia laudaretur. Sed quia jam confusam plenamque blasphemiæ idem Creator noverat hanc Scripturam, de superficie terræ omnem voluit delere creaturam, ut in libro suo legibilior littera scriberetur, ut justo Noe melior progenies conferretur. « Delebo, inquit, hominem quem creavi a facie terræ : pœnitet enim me fecisse eos (*ibid.*). » Et pulchre : « Delebo. » Sic enim prudens scriptor Scripturam veterem vult delere, ut non membranam vel tabulam velit pariter abolere, sed

ut salva base quasi prioris et immobilis fundamenti, aliud ædificium imponatur stabilioris utique firmamenti. Unde quidam ethnicus cum discipulum edoceret, et ad corrigendum priora diligentius admoneret sic ait :

Sæpe stylum vertas : iterum quæ digna legi sint Scripturus.

HORAT.

Vult poeta sapiens ut si, quod scriptum est, congruere proposito non videtur, prudens scriptor delere non gravetur, ut cum diligentius inconvenientia corrigetur, quod residuum est convenientius reservetur. Sed quia non tam poetarum quam prophetarum testimonia religiosis auribus æstimo complacere : locutus Deus in manu prophetarum asserit etiam se delere, ut verso stylo tabula non destruatur, sed cum illa planata fuerit, durabilior littera rescribatur. « Delebo, inquit, Hierusalem sicut deleri solent tabulæ, delens vertam et ducam crebrius stylum super faciem ejus (*IV Reg.* XXI).» Ac si dicat : Non placet quod scriptum est, et ideo non mihi scripturam hujusmodi reservabo, sed stylo ducto crebrius, et prava dirigam et aspera complanabo : ibique scripturam meliorem explanans, legibiliter exarabo. De quali Scriptura dicit ad Habacuc : « Scribe visum et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit (*Habac.* II).» Recte ergo se delere Deus hominem asseverat, in quo, quia caro est, nequaquam ejus spiritus perseverat, quia et ejus spiritu scribuntur non delibili atramento, quicumque indelebiliter ascribuntur fixo fidei fundamento. Sicut Paulus ad Corinthios ait : « Vos estis epistola Christi, scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi (*I Cor.* III). » Solus Noe cum domo sua meretur liberari, per quem possit humana posteritas reparari, in quo finem accipit ætatis series præcedentis, initium vero reparatio subsequentis.

493

CAPITULUM VII.

In qua ætate subsequenti mundus quasi aliquantulum jam grandescit, et qui eatenus infans exstiterat, proficiendi ordine puerescit : et diluto et deleto fere quidquid egerat ejus novitas infantilis, majori gratia succedit et procedit agilitas puerilis. Quæ pueritia mundo confert populi numerum ampliorem, et eumdem populum aliquantulum doctiorem, quia, etsi nondum Creatoris perfectum penitus amatorem, timore tamen utili jam utcunque utilium provisorem. Unde Noe cui divina sententia testimonium laudis ascribit, qui in hac mundi pueritia pluribus annis vixit : factus agricola vineam post diluvium plantasse perhibetur, cujus ante diluvium prorsus mentio non habetur (*Gen.* IX). Quia enim primam illam ætatem aquarum nimietate noverat deperisse, et se cum domo sua vix arcæ præsidio illud diluvium evasisse, divino doctus spiritu eleganter in ordine vitem ponit, et falernum nobile aquis insipidis anteponit, ne mundus ultra pœnam similem vereatur, sed timoris hujus pulsa molestia securus in gaudium efferatur. Vinum quippe non solum sitientem potat, sed et potum lætificat, quia cum siti quis laborat et arescit, et insuper quavis molestia contrahitur ejus animus et ægrescit; si vino sobrie potus est, ab utraque nonnunquam ægritudine convalescit, intellectus ejus acuitur, animus incandescit, sermo promptior redditur, facies hilarescit. Et pulchre non prima sed in secunda mundi ætate vini poculum propinatur, quia infans qui necessario cibis adhuc lacteis educat.. austerum vini liquorem bibere nondum audet, cui si forte oblatum fuerit, gustatæ ejus fortitudini non adgaudet. Puer vero qui jam cibis fortioribus enutritur, ad bibendum vini calicem aptior invenitur : eique talis potus proficere non mediocriter æstimatur, si tamen in sumendo modus et temperantia teneatur. Sic et illa ætas obedientiæ, quæ per similitudinem, infantia nominatur, mandatis, ut supra dictum est, teneris et infantilibus informatur ; pueritia vero austerioribus jam salubriter oneratur, si tamen ultra vires austeritatis hujus onere non gravatur. Illa quidem ad vitandum prohibita movetur languidius, hæc, ad faciendum quæ jussa sunt, promovetur agilius : gaudens campo liberiore frui ab his jam nexibus aliquantulum absoluta, quibus adhuc infantia præpeditur tanquam fasciis obvoluta. In hoc gradu vel ætate incipit obedientis animus dilatari, et tarditate pristina non gravari, jubentis imperium non solum patienter, sed et libenter audere, et ad faciendum illud, mobilitate commendabili velociter prosilire. Iste puer idoneus ad flectendum, habilis ad currendum, nescit quamlibet vilia, si tamen non gravia, fastidire, sed avidus promissorum, promittentis jussibus festinat obedire. Propter hanc festinationem qua ad obediendum proficientis animus inclinatur, ipse proficiens in Scripturis, ut æstimo, puer plerumque nominatur, in quo nomine non brevis annorum numerus designatur, sed obediens esse promptulus intimatur. Qualem puerum æstimo quondam populum Israel exstitisse, quem per Osee prophetam Deus se asserit dilexisse : « Quia inquit puer Israel ; et dilexi eum (*Osee* XI).» In Ægypto quidem filios Israel infantilis ignorantiæ tenuit hebetudo, cum vario eos errore seduceret superstitiosa gentilium sanctitudo, cum falsos deos, quos videbat illorum sacrificiis et oblationibus honorari, arbitraretur dignum se quoque divinis obsequiis venerari. Unde ibidem idem propheta dicit : « Baalim immolabant, et sacrificabant simulacris (*ibid.*).» In hoc autem errore divina eos diu patientia supportavit, et per Moysen et Aaron tandem eos de ejusdem Ægypti tenebris evocavit, non satis cognoscentes quod ejus supportatio vel evocatio nihil aliud intendebat, quam eos, licet renitentes, curare misericorditer contendebat. Unde illic subjungitur : « Et ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis, et nescierunt quod curarem eos (*ibid.*)» Postquam autem de Ægypto, duce Moyse sunt educti, et ejus monitis, ad colendum Deum, pro suo modulo sunt instructi :

Deum quem ante ignoraverant, aliquantulum cognoverunt, cognitum dilexerunt, ut jam non more infantium ejus brachiis portarentur, sed vocantem et trahentem tanquam pueri sequerentur. **494** De quo tractu per eumdem prophetam Dominus subjungit. « In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis (*ibid.*). » Ne Adam post peccatum diutius oberraret; et a suo Creatore irrevocabiliter elongaret, post illum fugientem idem Creator miserationis suæ funiculum jecit, et eum ad se converti et reverti dono gratiæ suæ fecit: reversumque irretivit molli vinculo charitatis, ut trahentem sequeretur arbitrio propriæ voluntatis.

..... *Trahit enim sua quemque voluptas.*
VIRG.

Eodem funiculo et filios Israel a jugo Ægyptiacæ servitutis retraxit, et eductos de Ægypto, charitatis vinculo post se traxit, in columna ignis et nubis præcedens subsequentes, voluntariam ei obedientiam promittentes (*Exod.* XIII). « Omnia, inquiunt, quæ præcepit Dominus faciemus: et erimus obedientes. (*Exod.* XXIV). » Recte ergo: Puer, inquit, Israel et dilexi eum, quia et « Ego, ait, diligentes me diligo (*Prov.* III), » et dilecti tunc primum intelligunt, et gaudent a Deo se amari, cum ejus incipiunt mandatis delectari. Possunt multa de Scripturis testimonia compilari, in quibus ii qui obediunt, inveniuntur pueri nominari, quos si propter ætatem pueros æstimet quisquam dici; si attendat diligentius, inveniet sibi multoties contradici. Cum Abraham hospitio angelos tanquam homines suscepisset, et susceptis præparare convivium voluisset: « Cucurrit, inquit, ad armentum, et tulit inde vitulum tenerrimum et optimum, deditque puero (*Gen.* XVIII). » De quo puero subjungitur: « Qui festinavit et coxit illum (*ibid.*). » Videtis puerum ad faciendum quæ jubetur levia non tardantem, sed, quod est proprium pueri, festinantem, ut non solum jubentis imperium compleatur, sed et complentis hilaritas gratiam mereatur. Idem Abraham cum jussus esset filium suum Isaac immolare, et vidisset locum procul quem Deus ei voluit præmonstrare: « Dixit ad pueros suos: Exspectate hic; et cum adoraverimus, revertemur ad vos (*Exod.* XXIV). » Et hic pueros non ætate parvulos sed ad obediendum promptulos æstimo designari: paratos et ire cum domino, et euntis reditum præstolari. Loth quoque cum apparentibus sibi duobus angelis occurreret, et hospitalitati deditus in domum suam eos humiliter invitaret: « Obsecro, ait, domini, declinate in domum pueri vestri (*Gen.* XIX). » Non video quare iste se puerum fateatur, quem jam habere uxorem et duas filias Scriptura protestatur, nisi quia paratus erat angelorum voluntatibus obedire, cujus erat propositum peregrinis et hospitibus deservire. Jacob, cum ex præcepto Domini in terram nativitatis suæ reverteretur, et timens Esau fratrem suum, placare eum muneribus niteretur. « Misit, inquit, per manus servorum suorum singulos seorsum greges, dixitque ad pueros suos: Antecedite me: et sit spatium inter gregem et gregem (*Gen.* XXXII). » Ut autem istos propter obedientiam dici pueros Scriptura demonstraret, subjungit: « Et præcepit priori dicens: Si obviam habueris Esau, » etc. (*ibid.*) Et infra: « Similiter, inquit, mandata dedit secundo ac tertio (*ibid.*). » Videtis eos designari nomine puerorum; quibus injungitur obedientia mandatorum: non quod ætatem parvulam quæ jam præteriit, iterum sibi sumant; sed quod jubentis imperio contradicere non præsumant. Quales se habere pueros Evangelicus ille centurio testabatur, cum pro uno illorum sollicite Dominum precabatur. « Domine, inquit, puer meus jacet in domo paralyticus: et male torquetur (*Luc.* VII). » Et adjunxit: « Habeo sub me milites, et dico huic: Vade et vadit, et alii, Veni, et venit, et servo meo: Fac hoc et facit (*ibid.*). » Isti sunt pueri centurionis, qui student ei pro viribus obedire, ad agendam domus suæ militiam ire fideliter aut venire: ad nutum imperantis obtemperanti obsequio deservire, si tamen non prævaleat eos languor noxius impedire: « Dico, inquit, servo meo: Fac hoc, et facit. » Obediens ergo qui puer antea, idem servus postea nominatur, quia jubenti Domino cervice supposita famulatur, qui ad imperium, etsi perfectius nondum gaudet, ei tamen resistere, contumaci procacitate non audet.

CAPITULUM VIII.

Sicut enim servorum est dominos habere, sic eorum est illos, si non diligunt, vel timere, ut quos ad serviendum non adducit completiva dilectionis hilaritas, cogat saltem inchoativa timoris necessitas. Unde Dominus cum in eremo ad serviendum sibi filios Israel invitaret, et per manum Moysi præceptis eos multiplicibus obligaret: se esse Dominum diligentius affirmabat, et hoc ipsum frequentius replicabat. « Custodite, inquit, Sabbata mea: ego Dominus (*Levit.* XXVI). » « Nolite converti ad idola; ego Dominus. Custodite omnia præcepta mea: ego Dominus (*Levit.* XIX). » Et multa hujusmodi. Quia illis erat necessarium obedire, quod quidem nihil est aliud quam servire: vigilanter præceptor eorum se Dominum dicit esse, ut ex eo se illi intelligerent servos esse. Sicut enim filius ad patrem, et pater ad filium, sic ad servum dominus, et servus refertur ad dominum: suntque hæc nomina ad invicem relativa, ut nec servus sine domino, nec sit dominus sine servo. Cum igitur illis Deus monita dat vivendi, volens ut aures habeant audiendi, frequenter interserit: « Ego Dominus, » ut sciant servi sibi nihil amplius expedire, quam suo Domino per obedientiam deservire. Serviunt ante obedientes, vel obediunt **495** servientes, proficiendi quidem amore si aliquantulum sunt perfecti; puniendi vero timore si fuerint imperfecti, quia et juxta Horatium

Oderunt peccare boni virtutis amore;

et juxta Isaiam: « Salutis spiritum concipimus a

timore. » Qui vero nec amore nec timore ad obedientiam adducuntur, servi quidem sunt, sed nequam servi sunt : et ideo ligatis manibus et pedibus, id est bene operandi sublata penitus facultate, in exteriores tenebras devoluti puniuntur, mortis perpetua cæcitate. Qui autem vel amore virtutis, vel ex debito necessariæ servitutis nituntur Domini jussionibus obedire, sed infirmitate obvia præpediti ad effectum non possunt pervenire, juvandi sunt, et pro eis divinæ est misericordiæ supplicandum, ut quibus præsto est qualiscunque voluntas agendi, adsit etiam facultas utcunque peragendi. Talis ille centurionis puer vel servus mihi fuisse videtur, qui quoniam vel sibi adjacet, ab eodem centurione diligi promeretur, quia vero perficere bonum non invenit, torqueri languore perhibetur. Quis enim languor potest quemquam amplius perurgere, quam velle et non posse id quod voluerit adimplere? Cum autem hæc impossibilitas resistit voluntati, tanquam odiosa infirmitas sanitati, nullum posse conferri video tantæ remedium gravitati ; nisi tandem cedat vel voluntas impossibilitati, vel forte impossibilitas voluntati. Ad quorum alterum desperatio nos reducit; ad alterum vero sola Dei gratia nos adducit, quia tunc plerumque voluntatem a proposito revocamus, cum eam posse impleri penitus desperamus, tunc vero pervenimus ad effectum ejusdem voluntatis, cum ea quæ impossibilia sunt, reddit possibilia divinæ gratia largitatis. Ad illud quidam comicus consulto revocat præsumptores ; ad istud vero Christus suos misericorditer animat dilectores. Ille : « Quoniam, inquit, non potest id fieri quod vis : id velis quod possis (122). » Prudens consilium ethnicus dat superbis, ut si præsumpserint impossibile quid attentare ; ad id tentandum quod possit fieri, festinent animam revocare. Christus vero fideles suos ad sperandum impossibilia sic hortatur, ut ipsorum in Deo non in homine spes ponatur ; et hujusmodi spes manebit inconfusa, per eam quæ in eorum cordibus vera charitas est diffusa (*Rom.* v). « Quæ impossibilia sunt, inquit, apud homines : possibilia sunt apud Deum (*Luc.* xviii). » Quod attendens centurio, de salute servi vel pueri non desperat, sed eum ægrotantem sanari posse fiducialiter asseverat ; si, quæ in Christo habitat, divinæ placuerit majestati, invictæ cujus nihil est impossibile potestati. « Tantum, inquit, dic verbo : et sanabitur puer meus (*Matth.* viii). » Magna fides. Puerum suum quem sanare non potest, quia homo, sanari posse credit ab eo qui est homo. Novit enim, quia etsi puerum suum jubet, tanquam Dominus ut ei obediens obsequatur : non tamen confert gratiam, ut quod ille jussus fuerit, efficaciter exsequatur ; Christum vero non solum visibiliter hominem videt esse; sed et Dominum invisibiliter credit esse : et ideo eum non solum quidquid voluerit imperare, sed et quidquid imperaverit posse dare. Quod propter Christus : « Non inveni, inquit, tantam fidem in Israel (*Matth.* viii). » In Israel secundum carnem qui me nimis carnaliter intuetur, qui nec timet me ut Deum, nec me saltem ut justum hominem reveretur, qui aut nullam aut perfectam me habere potentiam non fatetur, qui vel a Deo me esse, vel cum Deo unum esse mente incredula diffitetur, in hoc inquam Israel ad quem specialiter missus veni, tantæ perfectionem fidei non inveni, quantam in hoc alienigena video præeminere, qui carne occultatam divinam majestatem corde credulo potuit prævidere. Hujus itaque merito sanat Christus puerum qui languebat, ut pulso languoris obstaculo perficeret vel levem obedientiam quam volebat, sciens illam non suis viribus sed divina perfici largitate quæ operatur in eo et velle et perficere, pro voluntate. Tales pueri et in psalmo ad laudandum Dominum invitantur, quia hi qui vel infantili imperitia nondum fantur, vel impossibilitate languida prægravantur : divinas laudes non sufficiunt personare ; quæ nolunt sub torpenti silentio latitare. « Laudate, inquit, pueri Dominum : laudate nomen Domini (*Psal.* cxii). » Illi quidem possunt utcunque laudes Deo placitas effutire, qui pulso languore et infantia, discursu agili appetunt obedire, qui cum audiunt quæ per Scripturas Deus non solum interdicere voluit sed jubere, nituntur pro viribus loquaci obsequio respondere. Denique puerilis annorum ætas affluit loquacitate et audiendi curiosa, delectatur loquendi garrula novitate : eo magis per hujus latitudinem evagari, quo ætas anterior intra silentii angustias diutius visa est coarctari. Infantiæ quidem loquendi ad perfectum non donatur facultas, sed loquentibus inhiantem nativa quædam reprimit difficultas : vixque tandem sufficit panca verba conari, quæ domi a parentibus audit frequentius ventilari. Pueritia vero videns sibi majorem loquendi facultatem præberi, intra penates patrios jam non sustinet contineri, sed foris vagabunda majorem nititur æmulari, odio habens silentium, cum sui similibus diligit verbosari. Est autem idonea non solum maternam linguam, quam domi didicit, retinere, sed et novam quamlibet, si oblata ei fuerit, obtinere : imo plures vel linguas, vel artes discendo potest puer facilius 496 adipisci, et earum imposterum tenacius dicitur reminisci. Unde consulto magistris litterarum, vel quarumlibet artium præcipue pueri committuntur, et ad quamvis scientiam in annis puerilibus imbuuntur, ut cum in his acceperint eruditionis congruum fundamentum, in sequentibus acquirant sibi facilius, et solidius supplementum. Ob hoc forte et prima ætas mundi unius linguæ, vel labii fuisse reperitur, et ætati secundæ linguarum diversitas impertitur, ne vel illi supra vires quidquam arduum inferretur, vel huic quidquam juxta vires congruum differretur. Ita et in secundo gradu obedientia non incongrue loquacior æstimatur, dum auditis jussibus ad agendum expe-

(122) Ferentius.

ditius solito præparatur; et non solum exsequitur congrua et suis viribus leviora; sed tanquam puer garrulus se facturam promittit ampliora.

CAPITULUM IX.

Verum quia iram invenitur plerumque promereri qui puerum adhuc agens præsumit grandia polliceri: ab hoc etiam gradu necesse est obedientiam quodammodo removeri, et ad tertium altiorem profectus ordine promoveri. In quo gradu non jam more pueri obediens leviter verbosatur, sed tanquam adolescens ad obediendum ardentius animatur: et sic novo apud se gaudet virium incremento, ut intendat etiam esse cæteris adjumento. Videns enim quosdam reprehensibiles accusari, et eorum exemplo infirmos quoslibet depravari: non solum videri eorum similis erubescit, sed etiam ad obtinendum dissimile meritum incandescit. Optat quidem sic divinis jussibus obedire, ut possit etiam obediendi formulam proximis impertire, ne sibi soli vivere videatur, si non ex ejus imitatione ad vitam alius generatur. Intelligit enim minoris esse meriti quod in castris obedientiæ militatur, si non alter aspiciens, ad eamdem militiam invitatur; si quis tepidus tam tenuem obedientiam vult tenere, ut sub jure suo possit superincumbens modius cohibere, cum potius eadem obedientia debeat sic ardere, ut omnibus qui in domo sunt, mereatur commendabilis apparere. Quæ autem sic eminet tanquam super candelabrum luminosa, fit profecto non mediocriter fructuosa, quia et profectus ejus utile confert aliis hortamentum, et aliorum utilitas ejus profectui dat augmentum. Quidquid enim ejus exemplo alius commendabiliter operatur, ejus non immerito meritis assignatur; et quasi mater tot filios videtur parturire, quot proximis ardenter elaborat vivendi formulam impertire. Denique cedente annorum pueritia succedens adolescentia jam pubescit, et intra lumborum officinam novum quoddam incendium adolescit, quo fervente caro vix sustinet continentiæ repagulo coaretari, sed amore sobolis ad generandum appetu dilatari. Hæc enim humanæ carni lex est naturaliter attributa, ut cum non possit gignere, intra infantiam, vel pueritiam constituta, adolescentiæ fines ingrediens sterilitatem incipiat non amare, sed ut fructum faciat, consortem sibi appetat copulare. Prima igitur ætas hominis et secunda, infirmitate naturali quodammodo permanet infecunda, quia, etsi processus temporis sufficientem utrique pro suo modulo dat profectum, tamen neutram generandi perducit ad effectum. Tertia vero ætas ad hoc promovetur beneficio naturali, ut quasi solitudinis impatiens amore gaudeat sociali; et jam idonea copulæ nuptiali fecundari appetat sobole filiali. Sic et obediens tunc quasi ad gradum tertium dicitur pervenire, cum eo jam affectu invenitur jussionibus obedire, ut non solum sibi, sed et cæteris pariter utilis habeatur, eisque ad imitandum utiliter proponi mereatur. Cum enim ad obediendum tanquam in camino interius inardescit, et pro loco, et tempore foris ejus non ficta humilitas elucescit: recte et profectus ejus commendabilis judicatur, et ad proficiendum rudes quosque, et teneros cohortatur. « Fulcite, inquit, me floribus: stipate me malis, quia amore langueo (*Cant.* II). » Solet adolescentulum amoris facula sic ignire, ut plerumque ad languorem cogatur intolerabilem devenire: tandemque sibi videatur per impatientiam deperire, nisi ei quælibet festinet consolatio subvenire. Quia enim, vel nullos, vel raros amoris aculeos sentire consuevit, et nunc intra renes teneros ignis paulo grandior adolevit: nescit ætas indocta patienter onus insolitum sustinere, sed rei quam diligit cupit statim amplexibus inhærere. A quibus dum ingrato difficultatis obstaculo prohibetur, ad optandum quod interim obtinere valeat commonetur, ut hujus præsentia impatiens animus aliquantulum avocetur, ne illius absentia intolerabiliter prægravetur. Optat igitur adolescens in virenti hortulo collocari, inter florum et malorum oblectamenta varia conversari, quibus et languori occurritur, ne plus justo per impatientiam ingravescat, et amori suo succurritur, ne, quod videtur incommodius, refrigescat. Sicut enim cum differtur quod optatur, animus aliquando amplius exardescit, sic plerumque dilatione nimia in desperationem corruens refrigescit: et quod nimis arduum desperat se posse adipisci, tanquam sibi consulens diligit oblivisci. Verum adolescens cum grato amore fuerit irretitus sic suos ad effectum perducere nititur appetitus **497** ut si dilati fuerint, non tamen eos velit a proposito revocare, magis amans amore alteri, quam premente ignavia penitus non amare. Recte ergo floribus, et malis fulciri postulat, et stipari, quorum decore et odore solet amantis animus oblectari, ut hoc avocamento impatiens vehementia temperetur, et eodem nihilominus hortamento torpens appetentia suscitetur. « Fulcite me, inquit, floribus, stipate me malis, quia amore langueo. » Hoc et in gradu adolescentiæ fervidus obediens recte dicit, cum ejus conatibus difficultas obvia contradicit, cum quoniam ad eum quem diligit tanquam saltu subito non potest pervenire, in his saltem, cum quibus conversatur, optat consolationem aliquam invenire. Putat enim Deo satis suam solius obedientiam non placere, si non sibi diligat, et obedientes alios adhibere; si non tanquam florida vernantis hortuli blandimenta illorum amplectatur bonæ indolis rudimenta. Flores quippe dicuntur, qui laxato gelu concretæ pravitatis, et infusa vernali temperie sanctitatis: erumpentes de cortice oppressoriæ vetustatis assumunt sibi decorem tenerum floridæ novitatis. Mala vero dici possunt qui majoribus monitis instituti, fructum gratiorem bonorum operum assecuti: odorem proximis bonæ opinionis propinant, cultoresque suos condigno profectu obedientiæ jam saginant. Hujusmodi malis, et floribus iste obediens stipari appetit et fulciri, ut fructuosa ejus adolescentia valeat inveniri: fructuque suo, id est proximorum profecti

bus gratuletur, et hoc pastu roboratus, et instantius diligat, et dilectum patientius præstoletur.

CAPITULUM X.

Jacob ille patriarcha sic se pasci ab adolescentia sua dicit, cum sibi mortem imminere considerans, Ephraim et Manassem benedicit. « Deus, ait, qui pascit me ab adolescentia mea, benedicat pueris istis (*Gen.* XLVIII). » Ab adolescentia quidem sua Deus patriarcham illum pavit, ex quo scilicet tam ferventem illi obedientiam inspiravit, ut per eam, et proximis incentivum bene vivendi largiretur, et illorum profectu tanquam manuum suarum laboribus pasceretur. Ex eo enim sibi videtur obediens hunc pastum invenire ex quo suam obedientiam aliorum gaudet utilitatibus deservire; ex quo sicut portatus est, incipit et portare, et provectus ad annos pubertatis aliorum infantiam supportare. Hoc est onus sive jugum ad quod sufferendum Apostolus nos hortatur, ut lex Christi, quæ est charitas, impleatur, quam implere non prævalet infantia, vel lueritia terrenæ parvitatis, quæ sibi tantum vivens nescit æstum fraternæ charitatis. Ideo Jeremias : « Bonum est, inquit, viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua (*Thren.* III). » Cum aliquis quasi annos impleverit pubertatis, cum in eo coaluerit fructuosa maturitas sanctitatis, cum in secreto cordis et renum amor incaluerit generandi, simul quoque generatur, vel genita roboratur charitas patiens supportandi. Quis enim eum quem verbo, vel exemplo generare appetit, diligere non credatur; et quis eum quem diligit non æquanimiter patiatur? bonum est autem viro, id est suave et utile cum hoc jugum portaverit, cum in Dei servitio, et alios sibi conjunxerit, quod ex eo fit ex quo tanquam adolescens, annos implevit pubertatis, id est processu obedientiæ, accepit hujusce gratiam sanctitatis. Bonum est, inquam, viro cum sic dominica laboraverit in cultura, ut quæsierit non solum sibi, sed et cæteris profutura, ut nec onager cui est solitudinis summa cura, nec jumentum fuerit discors, et recalcitrans in junctura. Denique jugum ut videtur dictum est a jungendo, eo quod ferum non recipiat singularem (123), sed dilectionis gratia transferatur numerum ad pluralem, jungatque duos simul ne quis in frenis evagetur, et solivagus pereat, cum nullum habeat a quo si ceciderit sublevetur. Qui enim jugi copula continentur, mutuo confoventur : et ab eo quod simul cupiunt facile non declinant, quia recreandi gratia super alterutrum se reclinant. Ideo Dominus : « Tollite, inquit, jugum meum super vos : jugum enim meum suave est, et onus meum leve (*Matth.* XI). » Ac si dicat : Si mei vultis et esse, et videri, sub jugo meo diligite contineri, ut vos zelus et contentio non disjungat, sed fraterna dilectio indissolubili nexu jungat. « In hoc enim cognoscent omnes quia mei estis discipuli : si dilectionem habueritis ad invicem (*Joan.* XV). » Hujus autem conjunctionis beneficio non mediocriter levigatur, quod amare solitudini durum, et intolerabile reputatur, quia jugum meum non deprimitur fasciculo molestæ gravitatis, sed in altum sustollitur adminiculo pennatæ levitatis, hujusmodi jugum propheta Samuel diu sustinuit; sed consortem sibi duræ cervicis adhibuit, quem cum diligeret volens quasi secum ducere pariter ad triturum, ille recalcitrans violenter irruit in juncturam. Cum enim propheta sinceræ charitatis affectu populum Israel judicaret, eumque ad terendum obediendi semitam ducere laboraret : ille quietis impatiens, et obedientiæ sarcinam æstimans duriorem, pro bono malum reddens, tandem alium quæsivit præceptorem. Sed vir sanctus « cum his qui oderunt pacem, manens pacificus (*Psal.* CXIX), » jugum quod devote susceperat, non abjecit; et eorum a quibus rejiciebatur sollicitudinem non rejecit, sed ab adolescentia sua usque ad senium, illos et sustinuit æquanimiter, **498** et dilexit, et pro eis tam resistentibus quam obsequentibus indefesso ardore spiritus intercessit. Unde et apud illos videtur quodammodo gloriari, quod inter inquietos inventus sit quiete conversari; nec aliquando quempiam oppresserit fastigio potestatis, sed eis præfuerit solius intuitu charitatis. « Ego, inquit, senui, et incanui. Itaque conversatus coram vobis ab adolescentia mea usque ad diem hanc, ecce præsto sum. Loquimini coram Domino, et coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum; si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi. Et dixerunt : Non es calumniatus, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quidpiam (*1 Reg.* XII). » Et infra : « Ora, inquiunt, pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur (*ibid.*) » Et ille : « Absit, inquit, a me hoc peccatum in Domino, ut cessem orare pro vobis (*ibid.*). » Videtis prophetam jugum ab adolescentia tulisse patienter; et pro eis quos pertulit orasse diligenter, quia bonum sibi æstimat, si multiplicandæ sobolis amore teneatur, etsi eis quos diligit fructuosus omnino semper habeatur. Cum autem affectu generandi vir obediens inflammatur, et ejus desiderium effectu prospero consummatur, cum cæteris elaborat imitabilem se præbere, et illos considerat suis vel monitis, vel exemplis diligentiam adhibere : tunc non solum patienter, sed utrisque utiliter levis illa sarcina, vel suave jugum fertur, quia ferentibus ab invicem recalcitrandi molestia non infertur. Hoc est, ut æstimo, quod sermo divinus Abrahæ pollicetur, quod scilicet in semine illius benedictio gentibus conferetur, quod fides ejus, et obedientia in exemplum posteris proponetur, ex quo stellarum multitudini comparanda seges imitantium orietur. « In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XV). » Et iterum, « Suspice, ait, cœlum, et numera stellas si potes : sic erit semen tuum (*ibid.*). » Quia enim Abraham

(123) Allusio ad psalmum LXXIX, 11.

de terra sua et de cognatione sua obedivit exire, A tantam apud Deum meruit gratiam invenire, ut multarum gentium pater efficeretur, et non tam carne quam spiritu copiosa ejus posteritas haberetur. « Egredere, inquit, de terra tua et de cognatione tua, et de domo patris tui; et veni in terram quam monstrabo tibi, faciamque in te gentem magnam, et benedicam tibi, erisque benedictus : atque in te benedicentur universæ cognationes terræ (*Gen.* XII). » Et infra : « Patrem, inquit, multarum gentium posui te (*ibid.*). » Et pulchre Abraham benedictionis hujus gratia muneratur, pulchre ejus soboles stellis obedientiæ merito comparatur, quia et tertius gradus obedientiæ, spirituali sobole fecundatur, et tertia mundi ætas jam tunc temporis agebatur. Ab Abraham enim tertia mundi ætas, ut superius dictum est, B inchoatur, quæ ad usque David currens in quatuordecim generationibus consummatur, qui nimirum numerus generationi congruæ coaptatur, quia ab hoc annorum numero generandi possibilitas homini ministratur. Duæ vero mundi ætates præcedentes quæ in suis generationibus denarium numerum non excedunt, ad hunc benedictionis cumulum non accedunt, quia, etsi decem annorum ætas proficit ad videndum, tamen naturæ legibus præpedita nondum sufficit ad gignendum. Verum si denario quaternarius compleatur, si legis Decalogus Evangelii gratia cumuletur, si de puerilitiæ rudimentis ad pubertatem adolescentiæ veniatur, si de amore carnali et proprio ad amandum spiritualiter proximum transeatur, tunc homo incipit posse gignere filios spirituales, C quia jam relegavit motus inconditos, affectus animales. Si autem quis immaturo tempore formam gignentis assumpserit, si in annis adhuc puerilibus constitutus, adolescens velle videri præsumpserit; si cum adhuc latere debeat in publicum prodire voluerit, si indoctus docere, si infirmus regere fortiores tentaverit : audiat quid sequatur procaciam talia præsumentis, clamante vel potius intonante vera sententia cujusdam sapientis « Væ tibi terra, cujus rex puer est (*Eccli.* X). » Recte ergo mundi adolescentia ferventis obedientiæ titulis insignitur, recte illius meritis fecunditate spiritalis sobolis delinitur, dum in Isaac, qui non secundum carnem sed per repromissionem genitus, *risus* vel *gaudium* inter- D pretatur, obedienti Abrahæ lætabunda promissio consummatur. « In Isaac, inquit, vocabitur tibi semen (*Gen.* XXI). » Sic nostra debet adolescentia fecundari, sic illa decet fecunditate prospera jucundari, ut sub umbra hiemali sterilitatis gelicidio non torpescat, sed sole æstivali ad amandum proximum fructuosus incandescat. Talem Timotheo filio suo Paulus apostolus adolescentiam vult adesse, quæ exemplo virtutum fructuosa cæteris possit esse, ne quibus debet prodesse potius quam præesse, inveniatur econtra onere contemnendæ prælationis obesse. « Nemo, inquit, adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate (*Tim.* IV). »

CAPITULUM XI

Hæc autem obediens adolescentia, sive adolescens obedientia quæ se ipsam ardet exemplum fidelibus exhibere, quæ non solum propter se, sed et propter fratres et proximos meritis vult florere, ad obtinendum plenius hujus donum virtutis, proficiente gratia, conceditur fines ingredi juventutis. **499** In qua juventute vir obediens augmento virium roboratur, dum pro eadem obedientia sustinere molestias non gravatur : idoneus non solum adversis impugnantibus invincibiliter repugnare, sed et quævis obstantia spe vincendi audacter impugnare. Sicut enim in adolescentia fervescit obedientiæ sanctitudo, sic in juventute invalescit ejusdem sanctitudinis fortitudo, ut cum illa ad profectum tam sui quam proximorum ardet obedire, ista non recuset pro ejusdem obedientiæ legibus interire. Denique obedientia non satis dignis videtur laudibus efflorere, quæ paulo delicatior consuevit non nisi prosperis adgaudere, quæ præcepta plana quidem et mollia sufficit adimplere, sed passionum minitantia, etsi voluntas appetit, tamen cogit infirmitas abhorrere. Igitur adolescentiæ ferventi necessario superadditur et juventus, in qua vir obediens mandatorum expletione facili non contentus, ad majora fit promptior victoriæ titulis sic intentus, ut pro Deo vel proximo subire belli varios non recuset eventus. Qualibus juvenibus Joannes apostolus scribit dicens : « Scribo vobis juvenes, quia fortes estis et vicistis malignum (*I Joan.* I). » Cum Joannes apostolus juvenibus istis scribit, signanter eis quidquam aliud non ascribit, quam et eos fortes esse et vicisse malignum, dans intelligi quia et fortitudo quasi proprie convenit obedientiæ juventuti : et fortis inventus malignum subjicit servituti. In hoc quippe quarto gradu obedientiæ malignus expugnatur, in quo Christum patientem robustus juvenis imitatur, dum sicut ille jussu patris pro fratribus voluit mortem pati, sic et iste obediens non recusat vitam impendere charitati. Hoc est enim ad quod ille noster adversarius expavescit, hoc est unde plurimum illius pernicies ingravescit, cum scilicet in castris obedientiæ caro nostra mortis afflictionibus contabescit; quæ quo magis atteritur, eo noster spiritus amplius hilarescit. Talem pugnam vel congressum ille nequam non mediocriter exhorrescit, in quo pugil obediens juvenili fortitudine convalescit; ad quam oppugnandam quo magis ille subdolus intumescit, eo fortius repercussus cassatis demum viribus elanguescit. Sicut enim hostis impugnans languidius, tardum et languidum efficit repugnantem, quia fortitudine non est opus, nisi contra fortius impugnantem : sic impugnans fortiter, reddit probum pugilem fortiorem, quia forti quæsitam certamine palmam victor habet non immerito gratiorem. Quod etiam dignum fide quidam ethnicus æstimavit, idque brevi versiculo memoriæ commendavit :

Et bene, inquit, *uti pugnes : bene pugnans efficit hostis.*

OVID.

Sic et noster obediens tunc amplius commendabilis invenitur, cum præceptis adimplendis major difficultas inesse comperitur, et in illis ejus spiritus nihil horret asperum, nihil vile, si tamen mereatur robur absequi juvenile. Neque enim est in quolibet graduum præcedentium satis fortis ut ad nutum obedientiæ possit contemnere minas mortis; sed in isto triumphandi fiduciam induitur, passionum fortitudine relegata, et quibusque adversis obviat, terribilis ut castrorum acies ordinata. Denique hominis quarta ætas, quæ sequens adolescentiam juventus nominatur, ad agenda quæ belli sunt prima congrue roboratur, quia et arma bellica potest sufficienter juvenis sustinere, et impugnationibus hostium congruis viribus respondere. Neque enim adolescens ad explendos actus bellicos invalescit, sed conatus ejus insufficiens evanescit, quia, etsi ei aliqua præsumptio suggerit ut insistat, tamen ætas revocat quæ vires sufficientes corpori non ministrat. Juvenis vero, quia lacertos exerit fortiores, nimirum triumphos consequetur certiores; et, si castra consistant adversum se, defectu virium non turbatur; si exsurgat prælium, in hoc sperans amplius gratulatur. Quod evidenter in divinis etiam litteris videtur designari, cum invenitur Judæ Machabæi fortitudo vel potentia commendari : « Judas Machabæus fortis viribus a juventute sua, sit vobis princeps militiæ, et ipse aget bellum populi (*I Mach.* II). » A juventute sua Judas fortis viribus prædicatur, quia ætatibus retroactis naturæ munere non donatur, ut eis præsto sit sufficiens fortitudo corporis, sine qua in prœliis non obtinetur laudis et gloriæ plenitudo. Recte igitur ex quo potuit sufficientem fortitudinem obtinere, ex eo prædicatur ejusdem laude fortitudinis eminere : ut detur intelligi quia corporeæ laus virtutis munus quodammodo est et beneficium juventutis. Unde in sequenti Machabæorum libro, cum diceret Scriptura quosdam obsessos obsidentibus fortiter repugnantes, et longe inferius, quosdam alios hostes suos viriliter expugnantes : signanter et hos et illos juvenes nominavit, per quod evidenter, ut æstimo, designavit quia naturaliter non obtinet imperfecta pueritiæ sive adolescentiæ teneritudo ut eam comitetur perfecta corporis fortitudo. « Robusti, ait, juvenes pro muris consistentes, fortiter repugnabant (*II Mach.* XII). » Et infra de Juda Machabæo, juvenibus ait fortissimis electis : « In castris interfecit viros quatuor millia (*II Mach.* XIII). » Iturus in hostes vir doctus ad prælium, illos provide sibi elegit adjutores, quos non solum laudis et gloriæ noverat amatores, sed dono juventutis, viribus et audacia fortiores, ut possent vel triumphatis hostibus palmam desiderabilem feliciter obtinere, vel illis triumphantibus mortem laudabilem fortiter sustinere. Hæc est enim juvenum **500** quasi proprie summa cura, qui tamen non degeneres amant quæ honori suo noverint profutura, ut in bellicis actibus laudem fortitudinis assequantur, ejusque præsidio vel evadant gloriose vel glorioslus moriantur. Putant quippe non esse inglorium nec procul a virtute si florentes robusta et viridi corporis juventute, hostibus subjici dedignentur ignobili servitute, magisque mori eligant ulti fortiter in medio pugnatorum, quam vel turpem inire fugam laudis immemorem, vel ducere vitam degenerem sub servili dominio derisorum. Super quo Scriptura filios Israel commendabiles prædicavit, cum eorum eleganter fortitudinem commendavit : « Parati sunt, inquit, aut vivere aut mori fortiter (*I Mach.* IV). » Sive igitur vivant, sive forsitan moriantur, fortitudinis gloria juvenes non privantur, dum vel vitam merentur victori gladio retinere, vel forti prælio gloriosæ mortis victoriam obtinere. Quod Judas Machabæus eleganter verbo et opere designavit, cum in prælio moriturus ad obtinendam hujusmodi gloriam socios prudenter confortavit : « Absit, inquit, istam rem facere, ut fugiamus ab eis, et si appropiavit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, et non inferamus crimen gloriæ nostræ (*I Mach.* VII). » Videtis quia Judas florens nobili juventute, turpem fugam exsecrans, mori desiderat in virtute, ne amore vitæ degeneris gloriæ suæ crimen dedecoris inferatur, sed honeste morienti decus et gloria conferatur. Plautus etiam in captivis prudenter visus est hoc sentire, quod scilicet in virtute moriens nequaquam credendus sit interire. « Qui per virtutem, inquit, perit, non interit. » Idem in Amphitrione : « Virtus, inquit, omnia in sese habet; omnia adsunt bona, quem penes est virtus. » Nil ergo damni vel dedecoris credendus est incurrisse, qui tam vivens quam moriens invenitur virtuti paruisse, imo ei virtutis non immerito laus confertur, apud quem vitæ degeneri honesta mors viriliter antefertur. Ob hoc forte, cum Judith vidua Holophernem Assyriorum principem occidisset, et illius exercitus a spe victoriæ tumida decidisset, refert Scriptura et eosdem Assyrios turpiter fugientes, et filios Israel fortiter persequentes, ut scilicet illos arguendos imbecillitatis femineæ, et timoris degeneris demonstraret; et istos, econverso, laude juvenes fortitudinis commendaret. « Cum omnis, inquit, exercitus decollatum Holophernem audisset, solo tremore ac metu agitati, fugæ præsidium sumunt : ita ut nullus loqueretur cum proximo suo (*Judith* XV). » Videtis Assyrios timore concussos degeneri fugæ refugium turpiter appetisse, et nec vitæ commendabilis, nec honestæ mortis gloriam meruisse, quia cum in negotiis bellicis necessaria deficit fortitudo, inhonestæ vel vitæ vel mortis necessario sequitur turpitudo. Filii autem Israel qui fortiter vel mori vel vivere sunt putati, fugientibus hostibus spe victoriæ confortati, ut ad nihilum ducerent illorum infirmatam virtutem, ad persequendum eos miserunt electam juventutem. « Omnis, inquit, regio, omnisque urbs electam juventutem misit armatam post eos : et persecuti sunt eos in ore gladii (*ibid.*). » Recte ad

persequentes hostes armatam juventutem miserunt, id est eos quos armatos fortitudine cognoverunt, ut spes hostilis exercitus in contrarium verteretur, dum quos speraverat se posse expugnare, eorum potius fortitudine vinceretur. Speravit enim Assyrius ut facile Judæorum fortitudinem expugnaret, sicut Judith meminit cum hymnum post victoriam Domino decantaret: « Venit, inquit, Assur ex montibus ab aquilone in multitudine fortitudinis suæ; dixit se incensurum fines meos et juvenes meos occisurum gladio (*Judith* XVI). »

CAPITULUM XVIII.

Quod autem per juvenem fortitudo nonnunquam designetur, ipse etiam angelus Raphael latenter intimare videtur, qui veniens ad homines, cum se fortem illis disponeret exhibere, in forma juvenis eisdem voluit apparere. « Egressus, inquit, Tobias invenit juvenem stantem: et ignorans quod angelus Dei esset, salutavit eum et dixit: Unde te habemus, bone juvenis? » (*Tob.* v.) Et infra Tobias senior: « Nunquid, ait, poteris filium meum perducere ad Gabelum in Rages civitatem Medorum (*ibid.*). » Et ille: « Ego ait ducam et reducam eum ad te (*ibid.*). » Potens quidem potuit angelus Tobiam ducere, et ad patrem reducere, qui dæmonium quod septem viros Saræ post invicem occiderat potenter triumphavit, et ne virum octavum Tobiam læderet, fortiter religavit. Sicut scriptum est: « Tunc religavit dæmonium in deserto superioris Ægypti (*Tob.* VIII). » Hanc autem fortitudinem qua et prædictum dæmonium religare, et ab ejus malitia Tobiam uxoratum potuit liberare, et nomine et specie idem angelus designavit, dum se et exhibuit juvenem et Azariam Ananiæ filium nominavit. « Ego sum, inquit, Azarias Ananiæ magni filius (*Tob.* v). » Azarias autem interpretatur *adjutor*. Et pulchre in forma juvenis apparet, qui ad hoc venerat ut juvaret, quia ad exhibendum sufficiens adjutorium imbecillitatis non prævalet ægritudo; sed fortem adversarium triumphat prævalens fortitudo. Cum igitur angelus et se nominat adjutorem, et ostendit juventutis beneficio viribus fortiorem, in spem victoriæ vult inducere dubitantem, et quasi in petra fiduciæ collocare animum titubantem. **501** Ne autem videretur hæc auxilii vel fortitudinis pollicitatio præsumptiva, quia tumens præsumptio non est utilis, sed nociva, eleganter illam visus est commendare, dum unde sibi ducat originem signanter voluit demonstrare. « Ego sum, inquit, Azarias Ananiæ magni filius. » Ananias interpretatur *gratia Domini*. Gratia igitur Domini voluit angelo fortitudinem suam dare, qua religans dæmonium, Tobiam potuit adjuvare, et ipsa gratia parturivit juvenem Azariam, id est fortitudinem adjutricem, et eadem fortitudo recognoscit humiliter parentem Ananiam, id est gratiam genitricem. « Ego sum, inquit, Azarias Ananiæ magni filius. » Quibus verbis Azarias non solum quod Ananiæ sit filius se ipsum commendavit, sed eumdem Ananiam commendabilem prædicavit, dum non simpliciter Ananiæ, sed Ananiæ magni se esse filium memoravit, ut sicut appareret commendabilis ex gratia fortitudo, sic eamdem gratiam commendaret prædicabilis magnitudo. Est enim quædam gratia Domini quasi parva, est et gratia Domini quasi magna. Parva Domini gratia dici potest, qua nobis largitur vires corporis, venustatem vultus, speciem corporalem, honores, divitias, famam, potentiam, acutum ingenium, indefessum studium, scientiam litteralem, et cætera hujusmodi quæ lætitiam conferunt sæcularem. Magna vero gratia Domini non incongrue dicitur, qua nobis vitæ conceditur sanctitudo, et ejusdem sanctitudinis tam efficax, et sufficiens fortitudo, ut sub pedibus nostris adversarius Satanas conteratur, ut universæ terræ malleus confringatur, ut possimus non solum nos ab illius nexibus expedire, sed et ne cæteris noceat, nostris eum viribus fortiter irretire. Hujus magnæ gratiæ, quæ figuraliter magnus dicitur Ananias, opus est adjuvans fortitudo, id est filius juvenis Azarias, qui potenti virtute in deserto Ægypti religasse dæmonium perhibetur, et eamdem virtutem non a se habuisse, sed magna Domini gratia confitetur. Quod quasi prudenter Tobias intelligens respondit: « Ex magno genere es tu (*ibid.*). » Vere ex magno genere, ex magna nobilitate, adjuvans illa fortitudo procedit, quam vel hebes ignorantia, vel tumens arrogantia non præcedit, sed magna Domini gratia dat virtutis et benevolentiæ tam exuberans incrementum, ut non solum sibi, sed et cæteris impertiat salutis adjumentum. Sic et obedientia quæ in quarto sui gradu fortitudine roboratur, et eadem roborata non in se sed in Domino gloriatur, habet quidem ipsa certæ spei fortius munimentum, et cæteris subministrat obediendi efficacius hortamentum. Neque enim ad obediendum præceptis gravibus potest congrue cæteros invitare, qui delicatus obediens non vult præcepta gravia tolerare, cujus solum in sermone ventilatur commendabilis obedientiæ pulchritudo, sed in executione operis non invenitur solida fortitudo. Sunt quippe nonnulli qui satis noverunt obedientiam commendare, et de illius virtute vel præmio commendabiliter disputare: si quos habent subditos, eis quæque gravia potentialiter imperare, nec tam quid illi valeant, quam quid ipsis libeat retractare, cum tamen ipsi vel decretis majorum, vel præceptis Scripturarum non obediant inclinare, sed ea vel contemnant penitus, vel pro suo conentur arbitrio levigare. Sed quia commendabilis auctoritas est dicendi, ipsa præmonstratio faciendi, qui de obedientia disputant, vel potentialiter imperant, non satis audiuntur, si non et ipsi obedientiæ legibus obsequuntur; si cum jubent alios præcepta sanctitatis humiliter adimplere, non et ipsi elaborant sancti et humiles veraciter apparere. Quidquid enim jubendum est, intimatur efficacius præagendo, quam solo verborum strepitu præloquendo, præsertim si quod facile est ad jubendum, difficile esse cognoscitur ad implendum. Quod quidem Aod judicem

filiorum Israel non latebat, qui suos ire jubens in prælium, eosdem præcedebat. « Aod, inquit, insonuit buccina in monte Ephraim : descenderuntque filii Israel cum eo, ipso in fronte gradiente. Qui dixit ad eos : Sequimini me. Descenderunt post eum, et percusserunt Moabitas circiter decem millia (*Judic.* III). » Bene judex fortissimus ad prælium filios Israel cohortatur, cum et ipse promptior in fronte agminis gradiatur : sciens quia non satis commendabiliter grave negotium imperatur, si imperans enerviter molli otio declaratur. Quod etiam Abimelech in obsidione turris Sichem visus est demonstrare, qui quod verbo imperavit, exemplo voluit præmonstrare. « Arrepta, inquit, securi præcidit arboris ramum : impositumque femori humero dixit ad socios : Quod me videtis facere, cito facite (*Judic.* IX). » Et adjungit : « Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes sequebantur ducem. Qui circumdantes præsidium succenderunt, atque ita factum est, ut fumo et igne mille hominum necarentur (*ibid*). » Videtis exercitum præceptis velociter obedire, cum ducem suum videt non tam verbis quam operibus anteire, quia non mediocriter fortem reddit obedientiam subsequentis ipsa forma præposita fortiter præcedentis. Quod et Judam Machabæum existimo nullatenus ignorasse, qui omnes suos venire jubens in prælium, ad hostes prior legitur transfretasse. « Ut autem, inquit, appropinquavit Judas ad torrentem aquæ, statuit scribas populi secus torrentem, et mandavit eis dicens : Neminem hominum relinqueritis : **502** sed veniant omnes in prælium. Et transfretavit ad illos prior, et omnis populus post eum : et contriti sunt ante faciem eorum omnes (*I Mach.* V). » Et in sequenti libro : « Ipse, inquit, primus Machabæus sumptis armis cæteros adhortatus est simul secum periculum subire (*II Mach.* I). » Patet quia fiducialiter imperat, qui etiam legi obtemperat, qui torpere ignavia existimat inhonestum, eum qui cæteris injungit quidquam difficile vel molestum. Qui vero ad agendum grandia muliebriter elanguescit, profecto injungere cæteris eadem erubescit ; et, si forte pudore relegato ad jubendum procaciter intumescit, nimirum ejus verbositas, quoniam nulla vitæ munit auctoritas, non recipitur, sed vilescit. Quis enim obaudiret si judex præciperet ut prælium exercitus graderetur, ut molestias æstus vel frigoris æquanimiter pateretur, ut inedias, vigilias, castrorum gravamina spe victoriæ levia reputaret, ut pro pace, pro patria, usque ad mortem fortiter decertaret ; si non etiam ipse judex esset ad eadem pariter expeditus, si torperet ignavia, lenociniis carnalibus irretitus, vaporibus adgaudens balneorum, crines muliebriter redimitus, sub umbra in cubiculo plumarum mollitie delinitus, inter cibos accuratos, et secundos calices lumborum exaudiens appetitus ? Expedit ergo ut princeps qui injungit bellum militibus, sit quasi unus ex eisdem æque militibus, et cum princeps habeatur, loco et merito dignitatis militem se exhibeat pari exercitio probitatis. Unde apud quemdam invenitur quidam princeps militum commendari : qui cum vellet socios ad prælium efficaciter exhortari, studebat inter eos non tam verbis perstrepere, quam manu valida præliari. « Multum, inquit, ipse pugnare, sæpe hostem ferire, strenui militis et boni imperatoris officia simul exsequebatur. » Est igitur omnibus obedientiæ necessaria fortitudo, per quam tam jubenti, quam obsequenti meritorum acquiritur claritudo, dum eis qui imperat se ipsum studet formam probabilem exhibere, et subjectus obtemperat exemplo proposito fortiter adhærere.

CAPITULUM XIII.

Denique David, a quo quarta mundi ætas exordium dicitur accepisse, ad hunc obedientiæ quartum gradum creditur pervenisse, qui populi princeps factus, non putat congruum umbra et otio delectari, sed utilitati illius obediens gaudet indefessa fortitudine præliari. Cui rei videtur et ejus interpretatio nominis concordare, quæ ostensa invenitur fortidinem resonare. Interpretatur enim David *manu fortis*. Et ipse nimirum manu fortis congrue nominatur, qui ex præcepto Domini ejus prælia præliatur, qui adeptus robustam obedientiæ juventutem, exhibet præliando Deo placidam servitutem. Ad quam eum nequam Saul salubriter commonebat, fidelique militi rex imperans dignum obsequium injungebat. « Tu tantummodo, inquit, esto fortis : et præliare prælia Domini (*I Reg.* XVIII). » Quod etiam commendans illa mulier Abigail, prudenter loquebatur, cum eumdem David ad misericordiam flectere nitebatur. « Faciens, inquit, faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris (*I Reg.* XXV). » Ille quidem prælia Domini præliatur, qui in castris obedientiæ conversatur, qui in eis, Ecclesiæ hostibus, totis viribus adversatur, et pro pace fidelium sustinere quasvis molestias non gravatur, qui propter Deum assiduis afflictionibus tribulatur, et in suis libenter infirmitatibus gloriatur, qui in omnibus quæ strenue et fideliter operatur, eum cui parere et placere disposuit Dominum veneratur. Hæc autem prælia David insatiabiliter appetivit, ad hæc gnaviter peragenda, invicta fortitudine ; in his labore grato juventutem suam attrivit ; in his usque ad senium Deo fideliter obedivit. Et quoniam hanc sibi inesse præliandi fortitudinem attendebat, ex qua victoriæ triumphantis inconfusibilem spem habebat ; ipsam vero fortitudinem non a se sed a Deo sibi esse veraciter cognoscebat, ut et illam fortius et perfectius obtineret, recte eumdem Deum tanti largitorem muneris diligebat, ipsumque et fortitudinem et spem suam esse gratanter ajebat : « Diligam te, inquit, Domine, fortitudo mea (*Psal.* XVII) ; » et alibi : « Domine, inquit, spes mea a juventute mea (*Psal.* LXX). » Dominum dicit fortitudinem suam, Dominum dicit et spem suam, quia illius est donum hujus commendabilis fortitudo, illius est et donum Dei efficax certitudo. « Domine, inquit,

spes mea a juventute mea. » Ac si dicat : Ex quo mihi contulisti fortitudinem juventutis, ex eo contulisti et spem salutis, quia te operante fortis audacia præliandi consequenter largitur fiduciam triumphandi. Alioquin si non prægreditur divini muneris fortitudo, non consequitur spei efficax certitudo : et desperans viribus enervatis ad obtinendam gloriam non laborat, et torpentem otio tristis confusio decolorat. Econtra idem David in alio psalmo dicit : « Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam (*Psal.* XLII). » Tunc quippe Deus nostram lætificat juventutem, cum nostræ fortitudini certæ spei suggerit et virtutem, sicut eadem fortitudo mœrore contrahitur et ægrescit, cum ad fortia peragendum nulla spe gloriæ juvenescit. Læta vero juventus diligens fortiter obedire, ad altare Dei se spondet introire, quia tunc demum in holocaustum Deo poterit se offerre, **503** cum primum molli otio quisque fortia dilexerit anteferre. Hæc est juventus illa, cui hostis mundus plurimum adversatur, cujus fortitudinem succumbens viribus admiratur : cui tentator ineffícax assidue insidias machinatur eamque posse flecti quavis fallacia suspicatur. Verum illa usu patiendi plurimum roboratur, roborata vero spe laudis, et gloriæ non inaniter gratulatur; quia, etsi hostes ei quævis obstacula possunt nequiter adhibere, tamen donante gratia non possunt prævalere. De quibus alibi dicit : « Sæpe expugnaverunt me a juventute mea; etenim non potuerunt mihi (*Psal.* CXXVIII). » Ac si dicat : Ob hoc impugnationes suas non cessant inculcare, quia juventutem meam non prævalent conculcare, quæ si aliquando se illorum ditioni perdita subdidisset, profecto ab impugnando victrix illorum malitia quievisset. Sæpe igitur impugnaverunt me a juventute mea; et : « Ego sum in laboribus a juventute mea (*Psal.* LXXXVII). » Quia ex quo juvenilem fortitudinem sum sortitus, ex eo sum majoribus impugnationibus hostium appetitus, quia fidelis Deus non dat eisdem hostibus potestatem, vel licentiam impugnandi, nisi cum mihi adesse viderit fortitudinem repugnandi. Ergo a juventute mea graves impetus hostium sum perpessus, sed repugnans, expugnans labore diutino, et continuo non defessus, ex quo potui præliari, multa sum congredientium turba pressus, sed potens in eo qui me confortavit, superincumbente tribulationum diluvio non oppressus. Hanc autem potentiam, qua David adversus hostes suos inventus est prævalere, Saul ejus persecutor in spiritu potuit prævidere : et cum sciret quod eamdem non posset reprimens cohibere, miser non erubuit et laudare invidens, et laudans invidere. « Benedictus, inquit, tu fili mi David; et quidem faciens facies, et potens poteris (*I Reg.* XXVI). » Et supra : « Iratus, inquit, Saul adversus Jonatham dixit : Omnibus diebus quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum : itaque jam nunc mitte, et adduc eum ad me, quia filius mortis est (*I Reg.* XX). » Solet quisque invidus nihil molestius sustinere, quam quod videt alterum eventu prospero præeminere; et quamvis illum commendare virtutum merito compellatur, tamen invidentiæ tormento intolerabili cruciatur. Quia enim Joseph a patre cunctis filiis plus amatur, illorum adversus eum odium suscitatur; et postquam ille simplex visum eisdem fratribus somnium enarravit, hujusmodi sermo majorem invidiæ et odii fomitem ministravit. Denique juxta quemdam ethnicum :

Invidia Siculi non invenere tyranni
Tormentum majus,

quia, et si corpus ab illis occiditur, tamen fortis animus flecti nescit; invidia vero majori damno, primum interior animus computrescit, et consequenter corpus compatiens contabescit. Unde et in captivis comicus ille Plautus, miserorum proprium dicit esse, ut semper invideant eis quos viderint bonos esse :

Est, inquit, *miserorum, ut malevolentes sint, et [invideant bonis.*

Torquetur ergo Saul invidia, cum David potentiam intuetur; nec intra silentium ejus perversitas continetur, quin verbo et opere ad demonstrandum quod misere invidet effrenetur, quia princeps ille nequam, qui vinculis obedientiæ non tenetur, qui sensu obstinato Creatorem offendere non veretur, nil molestius reputat, quam si cæteros videat sanctitatis legibus fortiter obedire, et victrici obedientia ad honorem et gloriam pervenire. Tunc enim regnum illius irreparabiliter infirmatur, cum justi obedientia fortitudine confirmatur, tunc illius diripiuntur vasa, vel spolia, et captivatur perdita fortitudo, cum huic indulgetur fortis obedientiæ plenitudo : tunc rex ille cum exercitu misero victus confusione debita deturpatur, cum iste manu fortis regni solio sublimatur. In hac enim obedientia fortem esse, hoc est procul dubio regem esse, quia qui mandatis cœlestibus fortiter famulatur, potestatibus adversariis imperialiter dominatur : et quo amplius studet servum se humilem virtutibus exhibere, eo fortius invenitur vitiis jure regio præsidere. Denique illa mundi quarta ætas, cujus in exordio David dicitur rex fuisse, post eumdem David usque ad finem sui reges legitur habuisse, et mundus florens provectu juvenilis ætatis, invenitur etiam floruisse sceptro regiæ potestatis. Et pulchre regum imperio mundi juventus inventa est præeminere, et mundanæ juventuti regum series præsidere, ut detur intelligi quia fortitudinem regiam juventutis obtinet plenitudo, et eidem juventuti quasi familiariter præsidet regia fortitudo. Ob hoc autem fortitudo recte etiam regia nominatur, quia quasi proprie ipsa regibus assignatur. Dum sine ea nec regnum suum prævalent retentare, nec fines hostium victricibus aquilis penetrare. Unde cum de Rege regum adversis principibus diceretur : « Tollite portas principes vestras, et introibit Rex gloriæ (*Psal.* XXV); » eidem principes responderunt : « Quis est iste Rex gloriæ? » (*Ibid.*)

Ac si dicant: Si rex vester portas nostras appetit introire, dicite quis ille sit qui adversus eas audeat vel mutire, cum tot retro diebus nullis huc venerit tam fidenter, easdem portas nullus irruperit violenter? Et cum sciretur quia ille non solum regali nomine præfulgebat, sed, quod est regis proprium, fortitudine præpollebat, quærentibus : « Quis est iste Rex gloriæ, » responsum est : « Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio (*ibid.*). » Hoc est dicere : Si de rege gloriæ inter vos **504** quæstio ventilatur, hic nimirum re magis quam nomine rex esse comprobatur, quia fortis et potens adversus omnes contrarios principatus, triumphale solium obtinebit, honore et gloria coronatus (*Psal.* VIII). « Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio. » Ad hanc vocem omnes illi maligni principes diffugerunt, et portæ infernales ruptis vectibus patuerunt; et fortis armatus atrium suum ultra non prævaluit custodire (*Luc.* XI), cum rex gloriæ fortior et potentior illuc dignatus est advenire. Qui merito rex dictus est, non solum cum infernum potenter triumphavit; sed et cum ante judicem, irrisiones, colaphos, sputa, opprobria toleravit, quia regium est non solum fines hostium felici victoria possidere, sed et eorum molestias invicta patientia sustinere. Quod confirmans idem Christus, judici qui eum quasi potentior puniebat, interrogatus satis breviter, et veraciter respondebat : « Rex sum ego.—Tu dicis, inquit, quia rex sum ego (*Joan.* XVIII). » Ac si dicat : Putas quidem potestatem in me regiam te habere, sed hæc tua potestas non potest diutius permanere, quia hujus quam tantopere diligis altitudo, non mansoria, sed transitoria est pulchritudo. Regnum vero meum, etsi hic impugnat passionum momentanea mœstitudo, indeclinabiliter tamen sustentat invicta obedientiæ fortitudo; provehit autem illud spei inconfusibilis certitudo : consummat autem cœlestis gloriæ indeficiens claritudo. Vere igitur rex sum ego, quia sive patiar, sive moriar, a fortitudine obedientiæ non recedo, sed pede indeclinabili, per angustam ejus semitam sic incedo, ut cum in ea videar graves hostium impetus sustinere, tamen inveniar virtute regia prævalere. Huic autem regi, etsi non potest quisquam alius obediens coæquari, tamen necesse est ut pro suo eum modulo studeat imitari; imitabitur autem, si ad obediendum fuerit non solum fortiter expeditus, sed in eadem expeditione prudenter etiam eruditus. Decet enim obedientem non solum fortem esse, ut pro lege divina constanter patiatur; sed etiam eruditum, ut sciat quid, qualiter exsequatur, ne quod fidenter ejus vel aggreditur, vel prosequitur fortitudo, decóloret intellectus imparis hebetudo; sed cum in agendo constantia inflexibilis teneatur, agendi quoque prudentia, vel consilium non insufficiens habeatur. Obedientia quippe satis adhuc est et inculta, quæ innixa tantum fortitudini, permanet inconsulta : et ipso fortitudinis impetu nonnunquam detrimentum incurrit, si ei eruditio prudenti consilio non succurrit. Ideo Dominus quibus dicit : « Estote fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente; » eisdem alibi dicit : « Estote prudentes sicut serpentes (*Matth.* X), » ut det intelligi ei qui vult perfectius obedire, sicut fortitudinem, sic et prudentiam convenire, quia sicut ad aggrediendum quod difficile est, fortitudine præmunitur, sic necessario ad sciendum qualiter illud aggredi debeat, eruditur. Quod etiam propheta divino doctus Spiritu designavit, qui quos fortes noverat, ad eruditionem et intelligentiam invitavit. « Et nunc, ait, reges intelligite; erudimini, qui judicatis terram (*Psal.* II). » Et liber Sapientiæ. « Ad vos, inquit, reges, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, et non excedatis (*Sap.* VI). » Reges dicit apud quos fortitudo, quæ propria regum est, præpollebat, quos forte adversus hostes ejusdem fiducia fortitudinis extollebat; sed ut eos vel præsumptio propria, vel hostilis versutia non seducat, vult ut ipsam fortitudinem intelligens eruditio freno consilii circumducat.

CAPITULUM XIV.

Hic est obedientiæ quintus gradus, ad quem necessario pervenitur; hæc est virilis ætas, qua congrue obediens insignitur, ut quem reddit juvenem fortis constantia præliandi, eum quoque virum efficiat prudens consilium ordinandi. Neque enim facile sufficientem victoriam obtinebit, qui in agendo fortia necessarium ordinem non tenebit, existimans cuncta se posse peragere violenter, nec multum curans si quid egerit imprudenter. Nam, etsi regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud : tamen idem regnum violentia nullatenus assequitur, nisi eam prudens consilium moderetur, cum non nisi prudentes virgines potuerint ad nuptias introire, et ad prudentiam serpentinam apostolos Dominus voluerit erudire. Sicut ergo annorum juventutem vivendi ordine virilis ætas prosequitur, in qua fortis viribus processu temporis, prudentiæ maturioris efficitur : sic obedientiæ fortitudini proficiendi ordine discreta prudentia superadjungitur, cujus quasi virili consilio ejus gressus prudenter dirigitur. Unde Salomon in Proverbiis : « Vir, inquit, prudens diriget gressus suos (*Prov.* XV). » Neque enim ad tenendum iter obedientiæ fortitudo sufficit gradiendi, nisi præsto sit et prudens consilium dirigendi, cum extra viam plerumque fortiter decurratur, et cursu devio non nisi dispendium incurratur. Quod autem consilium fortitudine quasi dignius, et sublimius habeatur, apud Isaiam prophetam evidentius demonstratur, qui cum super florem Jesse septem spiritus requiescere memoravit, primo consilium, postmodum fortitudinem nominavit. A superiori quippe inchoans, et deorsum versus, per ordinem veniens, ad postremum sic ait : « Et requiescet super eum spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis (*Isa.* XI). » Ubi datur **505** intelligi, quia cum in catalogo spirituum non parum valeat fortitudo, tamen quiddam sublimius habeat prudentis consilii plenitudo, quia illa, etsi

non hostis viribus, tamen cedit laqueis seductoriis compedita, nisi hujus cauto moderamine fuerit custodita. Propter quod sapiens quidam ait : « Melior est sapientia quam vires; et vir prudens magis quam fortis (*Sap.* VI). » Denique in bellis quantum valeat prudens consilium, declaratur, si divina Scriptura diligentius attendatur. Cum Mathathias moriturus filios suos sollicitius informaret, et quis in quo præesset cæteris diligentius ordinaret : « Ecce, inquit, Simon frater vester, scio quod vir consilii est; ipsum audite semper, et Judas Machabæus, fortis viribus a juventute sua, sit vobis princeps militiæ, et ipse aget bellum populi (*I Mach.* II). » Sic nimirum pater vult ut Judas fortis viribus militiæ præferatur, ut tamen Simon vir consilii prius in omnibus audiatur, ne si eo inaudito quisquam fortis ad bellum præsumat proficisci, compellatur ruinam magis quam victoriam adipisci. Unde in sequentibus invenitur quia nonnulli corruerunt, pro eo quod in sua confisi fortitudine, ad bellum sine consilio processerunt. « In die, inquit, illa ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt sicut Judas fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælium (*I Mach.* V). » Et infra : « Simon, inquit, et qui cum ipso erunt, pugnaverunt contra Bacchidem: et contritus est ab eis, et afflixerunt eum valde, quoniam consilium ejus, et congressus ejus erat inanis (*I Mach.* IX). » Videtis quod ad Judam, et eos qui eum eo sunt, victoria non accessit, quia eos præliantes consilium non præcessit; Simon vero, vir consilii, afflixit adversarios et contrivit, quorum fortitudinem prudens consilium non munivit. Ideo Jesus filius Syrac, justum erudiens : « Fili, ait, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis (*Eccli.* XXXII). » Hostilis quippe et versuta malitia quæ semper justum satagit subjugare, cum illius fortitudinem a rectitudine consilii viderit deviare, fidenter eum aggreditur, et si non viribus expugnare, tamen blanditiarum retibus colligare, sciens quia fortitudo plerumque cedit dulci eloquio mulierculæ deceptricis : « Favus quippe distillans labia meretricis (*Prov.* V). » De qua Salomon in Proverbiis : « Fovea, inquit, profunda est meretrix, insidiatur in via quasi latro, et quos incautos viderit, interficiet (*Prov.* XXIII). » Pulchre ista meretrix insidians quasi latro, non prudentes, sed incautos interficere prædicatur, quia hostilis versutia non tam justorum fortitudinem, quam prudentiam exsecratur. Imo quo eos viderit fortiores, eo amplius gloriatur, si illorum incauta fortitudo ejus forte blanditiis seducatur. Quibus autem fallaciis eadem versutia justi fortitudinem comprehendit, cum eam non esse virili munitam consilio deprehendit, superius idem Salomon satis eleganter ostendit, in qua ostensione revocare ab iisdem nexibus nos intendit : « Considero, inquit, vecordem juvenem qui transit in platea juxta angulum (*Prov.* VII). » Per vecordem juvenem puto inconsultam justi fortitudinem figurari, quia sicut in juvene fortitudo, sic in corde prudentia consilii videtur designari, quam nimirum qui non curat in his quæ agit salubriter obtinere, ipsum etiam cor merito convincitur non habere. Unde infra dicitur : « Virga in dorso ejus, qui indiget corde (*Prov.* X). » Ac si dicat : Qui cordis prudentia non refugit indigere, flagellum imprudentium recte compellitur sustinere. Et propheta Osee cordis nomine prudentiam figuravit, qui columbæ seductæ imprudentem populum comparavit : « Factus est, inquit, Ephraim quasi columba seducta, non habens cor (*Ose.* VII). » Quasi columba erat Ephraim, qui fratres suos amore simplici diligebat, sed seducta non habens cor, qui hostiles tendiculas prudenti consilio non canebat, cum fere inutilis habeatur simplicitas columbina, nisi eam erudiat prudentia serpentina. Hujusmodi « vecordem juvenem considero, ait Salomon, qui transit in platea juxta angulum : et prope viam domus illius graditur in obscuro, advesperascente die, in noctis tenebris, et caligine (*Prov.* VII). » Per obscurum et vesperam, noctem et caliginem, videtur illius juvenis multiplicem ignorantiam designare, pro qua hostili factioni invenitur amplius propinquare, qui si sole radiante iter rectum et angustum prudenter tenuisset, profecto illi accessus faciles non delisset. « Ecce, inquit, mulier occurrit illi ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas (*ibid.*). » Per hanc mulierem, hostilis deceptio non incongrue figuratur, quæ ad capiendas animas ornatu meretricio præparatur, ut quod hasta, vel gladio, vel cæteris bellorum non prævalet armamentis, procaci vultus fallacia, et verborum perficiat blandimentis. Unde sequitur : « Apprehensumque deosculatur juvenem; et procaci vultu blanditur, dicens : Veni, inebriemur uberibus, donec illucescat dies; et fruamur cupitis amplexibus (*ibid.*). » Ac si dicat : Doctrina carnali et lutea volo te debriari, grata mollitie meorum amplexuum delectari; donec dies nobis congaudentibus illucescat, id est donec effectu concupito nostrum desiderium hilarescat. Quare autem quod postulat posse fieri non desperet, et vecordi juveni falsa pro veris efficaciter asseveret, causam competentem videtur mulier non tacere, in quo divina Scriptura, etsi non illum juvenem, tamen nos doctiores voluit exhibere. Cum enim dixisset : « Veni, fruamur cupitis amplexibus, » subjunxit : « Non est enim vir in domo sua; abiit via longissima (*ibid.*). » Profecto si via longissima non abiisset, si in domo sua, prout decuerat, vir fuisset, non facile juvenem prædicta mulier decepisset, sed huic ille et prudenti fortitudine et forti prudentia restitisset. « Non est, inquit, vir in domo sua. » Virum æstimo prudens consilium debere intelligi, quod nisi fortitudini principetur, nisi in corde obedientis familiariter demoretur, in illud subdole virtus illabitur inimica, et seductibilem juvenem subvertit mulier impudica. De qua subjungit Scriptura : « Irretivit eum multis sermonibus : et blanditiis labiorum protraxit illum (*ibid.*). » Non

arcu, non gladio, non eum jaculis appetivit, sed blandis labiorum sermonibus irretivit; et quem novit pressum et oppressum imprudentis nubilo cæcitatis, traxit et attraxit loro seductoriæ voluptatis. De quo subjungitur : « Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, ignorans quod ad vincula stultus trahatur (*Prov.*, VII). » Cum enim fortitudo imprudentiæ tenebris obscuratur, nec virili consilio ad cavendum hostis insidias informatur, facile quidem blandimentis mendacibus delinita seduci, et seducta, quasi bos ad victimam, potest duci. Quocirca obedientem qui juvenili fortitudine gloriatur, consequenter Scriptura verbis dulcibus exhortatur ne hujus deceptionis meretriciæ mollibus vinculis abstrahatur, sed ab ejus accursu et incursu, pede provido retrahatur. « Nunc ergo, inquit, fili, audi me, ne abstrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris semitis ejus; multos enim vulneratos dejecit, et fortissimi quique interfecti sunt ab ea (*ibid.*). » Non dixit : Prudentissimi quique, sed : « Fortissimi quique interfecti sunt ab ea, » ut eum qui se fortem esse considerat diligentius admoneret, ne in sua tantum fortitudine spem haberet, sed in acquirendo prudens consilium studeret diligentiam adhibere, sine quo fortitudo perfectum victoriæ titulum non potest obtinere. Unde Salomon cum dixisset : « Mulierem fortem quis inveniet? » (*Prov.* XXXI.) paulo infra subjunxit : « Operata est consilio manuum suarum (*ibid.*) » ut ostenderet eam fortitudinem debere laudabiliter prædicari, quæ invenitur consilio manuum operari, non tam in illa, quam in isto vitam laudabilem collocari, sicut alius videtur quidam sapiens protestari : « Omnia, inquit, fac cum consilio, et vives. » Debet igitur obediens in cubiculo cordis sui quasdam quasi nuptias celebrare, et nexu irremisso consilium fortitudini copulare, ut hæc illi lege debita principetur, et impetus juveniles virilis discretio moderetur.

CAPITULUM XV.

Quod autem sicut juveni virium fortitudo, sic et viro conveniat maturioris consilii plenitudo, Salomon in eisdem Proverbiis visus est designare, cum utrique quod suum est signanter voluit assignare : « Exsultatio, inquit, juvenum, fortitudo eorum (*Prov.* XX). » Et supra : « Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri (*Prov.* XVIII). » Et iterum : « De fructu oris viri replebitur venter ejus (*ibid.*). » Et illud : « Aqua profunda, verba ex ore viri (*ibid.*). » Viro consilium prudenter attribuit, quod nimirum juventus obtinere nondum promeruit, quia, etsi ei ad acquirendum amor et studium videntur suffragari, tamen angustia temporis invenitur adhuc aliquantum refragari. Neque enim parvo tempore opus est ei qui virilem vult prudentiam adipisci, et ad ejus cumulum profectu congruo proficisci; sed cum in illius camino fervore debito sit accinctus, necesse est usu diutino sit etiam expolitus. Recte ergo hujus perfectio virili primum assignatur ætati, in qua breve spatium studiosæ non præjudicat voluntati, sed, si gratia præcunte torporis non officit hebetudo, adducit ad perfectum congrua temporis longitudo. Quod attendens Eliu aiebat : « Ideo, viri cordati, audite me (*Job* XXXIV). » Et infra : « Viri intelligentes loquantur mihi, et vir sapiens audiat me (*ibid.*). » Hos Eliu ad audiendum se idoneos æstimabat, quos præsentina juventutis scientia non inflabat; sed quos proventu ætatis, in virum perfectum noverat pervenisse, et lima exercitii competentem cordis prudentiam acquisisse. Unde et ipsum Job arguens admiratur, quem ætate virum aspiciens, expertem prudentiæ arbitratur, cum virili ætati sciat prudentiam convenire, cui ipse Job curam et studium debuerat impertire. « Quis est, inquit, vir sicut Job, qui bibit subsannationem quasi aquam; qui graditur cum operantibus iniquitatem? » (*Job* XXXIV.) Et subjungit : « Ideo, viri cordati, audite me; » ac si dicat : Quia scio ad viros quasi specialiter prudentiam pertinere, illos ad me audiendum debeo commonere; cujus rei gratiam Job non meruit obtinere, quia se in illa forte, cum posset, noluit exercere. Quam tamen calumniam Job superius a se sollicite relegavit; seque esse prudentem veraciter et humiliter affirmavit. « Et mihi, ait, est cor sicut et vobis, nec inferior vestri sum (*Job* XII). » Injuste ergo imprudentem eum Eliu judicavit, cum ad se audiendum cordatos viros contumaciter invitavit, qui tamen non ex toto a veritatis regula declinavit, dum quasi propriam virorum prudentiam esse existimavit. Non enim possunt ad ejus summam facile promoveri, qui in ea contempserint diutius exerceri, qui **507** cum adhuc debeant intra parvulorum numerum contineri, audent procaciter perfectorum prudentiam polliceri. De qualibus perfectis Paulus dicit : « Perfectorum est solidus cibus, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus (*Hebr.* V). » Illos Paulus ad cibum solidum recte idoneos existimavit, quos diutini temporis studium informavit, quorum sensus exercuit laboriosa discendi consuetudo, non subvertit affectata exterioris nominis pulchritudo. Qualem se esse quidam satyricus asserebat, qui poetas repentinos præsumptionis mordaciter arguebat :

Nec fonte, inquit, *labra prolui caballino,*
Nec in bicipiti somniasse Parnasso.
Memini me ut sic repente poeta prodirem.

PERS., prol., 1, 2, 3.

Non videtur satyrico satis esse commendabilis scientia repentina, quæ saltu præpropero in medium contempta prosilit officina, quæ lima carens, studii tumet ventositate præsumptiva, nec eam ad perfectum ducit expolitio completiva. Recte ergo et David cum qui non abiit in consilio impiorum, in capite libri (*Psal.* I) aurum voluit appellare, et eumdem virum beatum prædicare; quia virilis fuit prudentiæ imprudentium consilio non seduci, et beati portio muneris in divinæ legis promptuarium introduci, ut assidua ejus meditatione doctior redderetur, et in viruta

perfectum proficiens, prudentis obedientiæ laudibus A
laretur. Denique Roboam filius Salomonis, quia prudentium virorum monita non audivit, sed eorum, qui secum nutriti fuerant, consilio juvenum obedivit, regnum patris quod eatenus indivisa concordia fuerat counitum, divisione irreparabili reddidit bipertitum, cujus decem tribus ad Jeroboam filium Nabath transierunt, duæ vero reliquæ non suo, sed David merito sub ipso remanserunt. Unde Scriptura eumdem Roboam minutum prudentia, non tam stultum, quam stultitiam, emphatice nominavit : perverso cujus consilio populus ab unitate pristina declinavit. « Et reliquit post se de semine suo gentis stultitiam, et minutum prudentia Roboam, qui avertit gentem consilio (*Eccli.* XLVII). » Quia Roboam virili prudentia non fuit eruditus, sed juvenili consilio contumaciter infrunitus, avertit gentem suam, ut non ei successionis ordine deserviret, sed ad tribum aliam pars imperii maxima deveniret. In quo patet quam necessario fortitudini prudentia conjungatur, quam necessario fortis obedientia prudenti consilio muniatur, ut cum in exsequendo quod justum est nullo sit difficultatis obstaculo præpedita, sit etiam exercitio intelligentiæ prudentis erudita. Neque enim sufficienter fortitudo sua Roboam conservavit, quam tamen idem esse non mediocrem existimavit, ita ut pro ea patri suo contumaciter se præferret, cum ad preces populi, seniorum consilio imprudentiam juvenum anteferret. « Minimus, inquit, digitus meus grossior est lumbis patris mei (*III Reg.* XII) ; » ac si dicat : Opus meum vel minimum reddit grossius et plenius solida fortitudo, patrem vero meum arguit mollis et tenera grossitudo; quia et ego ad agendum fortia fortiter sum paratus, et pater meus lumborum mollitie muliebriter enervatus. Sciebat Roboam quia decet principem congrua fortitudine roborari, sed ignarus forsitan quia decet eamdem fortitudinem prudenti consilio gubernari, et ob hoc, sic de sua fortitudine gloriatur, ut minutus prudentia regni quoque paterni gloria minuatur. Non ergo sufficit ad agendum fortia quemvis impulsu fortitudinis agitari, nisi etiam noverit adeptam fortitudinem consulta prudentia moderari, ut cui fortitudo audacem agendi ministrat appetitum, cum zona prudentis consilii D
reddat efficaciter expeditum. Sic enim cursor agilis proposito bravio facile non potitur, si in currendo laxis vestimentorum sinibus præpeditur; sic agendi fortitudo laude sperata nullatenus gloriatur, nisi in agendo prudentiæ balteo præcingatur, imo nonnunquam quo se fortius putat ire, eo ad casum graviorem compellitur præcipitatius devenire. Propter quod et Dominus dicit ad Job : « Accinge sicut vir lumbos tuos (*Job* XL) ; » ac si dicat : Fortitudo tua non satis commendatur, si non virili consilio prudenter accingatur, quia tenebrosis imprudentiæ sinibus obvoluta, cum affectat currere, ruit in præcipitium provoluta. Inde est quod etiam ipsum Dominum Propheta commendavit : « Qui ad currendam viam ut gigas fortiter exsultavit (*Psal.* XVIII). — Indutus est, inquit, Dominus fortitudinem, et præcinxit se (*Psal.* XCII). » Non solum quippe Dominus fortitudinem indutus est, sed ne quasi superabundans effluceret, præcinctus est; sciens quia tunc fortitudo rectius et perfectius operatur, cum eam cingens et astringens prudens consilium moderatur. Unde angelus qui in forma hominis hominibus divino jussu apparuit, seque illis adjutorem non solum fortem, sed et prudentem exhibuit, sicut ad demonstrandum quia fortis erat, juvenis voluit apparere, sic ad demonstrandum quia prudens erat, se præcinctum voluit exhibere : « Egressus, inquit, Tobias invenit juvenem stantem præcinctum, et quasi paratum ad ambulandum (*Tob.* V). » Præcinctus quidem B
erat, qui fortitudinem, qua dæmonium religavit, prudenti consilio mirabiliter ordinavit, ut cum prudentiam confortaret agilis fortitudo, fortitudinem temperaret prudentis consilii plenitudo. Non est ergo sufficienter ad agendum fortia præparatus, nisi qui et munitus fortitudine et prudentia fuerit informatus, qui in quarto gradu obedientiæ fortitudinem est 508 indutus, et quinto proficiendi ordine prudentiam assecutus.

CAPITULUM XVI.

Denique mundi quinta ætas a Jechonia sumit exordium, qui *præparatus Domini* interpretatur, eo quod illo tempore populus Israel ad hoc a Domino præparatur, ut non solum fortiter, sed et prudenter captivitatis molestias patiatur. Sub illo quippe filii Israel pressi jugo divinæ jussionis, relicta terra nativitatis suæ, fiunt incolæ Babylonis, ut illic exsulantes discant patiendi experimento, quod antea prophetarum fuerant commoniti documento. Illa enim scientia perfectior existimatur, quæ per experientiam confirmatur, dum quod a foris auribus perstrepit doctrina lectionis, intus tenet et retinet experientia passionis. De qua ad Philippenses apostolus Paulus dicit : « Scio penuriam pati (*Philipp.* IV). » Illam, ut existimo, scientiam Paulus dicit, quæ acquiritur non legendo, sed eam de qua loquitur penuriam patiendo : et patientia proficiens probationem operatur, probatio spem, per quam animus confortatur; spes autem donante gratia non confundit, quia charitas Dei in cordibus sic sperantium se diffundit (*Rom.* V). Ad hoc igitur Deus in illa ætate filios Israel voluit promovere, ut quævis incommoda non solum possent, sed experimento discerent sustinere : ut hac eruditione convenienter informati, invenirentur et forti prudentia et prudenti fortitudine ad obedientiam præparati. Hoc nimirum et Jechonias interpretatione sui nominis designavit, a quo illa ætas, ut jam dictum est, inchoavit : et Joannes Baptista in eremo voce terribili prædicavit, qui eamdem ætatem quasi limes et terminus consummavit. « Parate, inquit, viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri (*Matth.* III). » Tunc nimirum via Domini præparatur, tunc per rectas ejus semitas ambulatur, cum opus veri-

tatis ad prudentiæ regulam informatur, ut in forti et opere et consilio indeclinabiliter maneatur. Quod quia non ex nobis, sed ex Deo est, ne quis audeat gloriari, Propheta humiliter Deum super hoc voluit deprecari : « Dirige, inquit, me in veritate tua, et doce me (*Psal.* XXXIV). » Vidit quemquam non sufficienter in veritate dirigi sanctitatis, si non etiam informatus esset doctrina veritatis, quia, etsi ut alibi testatur intelligi a mandatis, tamen sine intellectu non perfecte graditur in mandatis. « Ideo da mihi, inquit, intellectum et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo (*Psal.* CXVIII). » In toto corde lex Dei nullatenus custoditur, si non scrutante intellectu eadem custodia prævenitur ; sed cum fortis obediens scrutatione sollicita prudenter eruditur, tunc divinæ legi perfectus, quo prudentius obeditur. Intelligens ergo David ad hunc gradum obedientiæ se profectum, et Deum benedicens qui tribuit ei intellectum : « Paratum cor meum, inquit, Deus ; paratum cor meum, cantabo et psallam (*Psal.* CVII) ; » et iterum : « Paratus sum et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua (*Psal.* CXVIII) ; » quæ mandata parato satis corde non possunt custodiri, nisi custos, ut dictum est, studuerit prudenter erudiri. In quo gradu obedientiæ cum quis fuerit sublimatus, cum et juvenili munitus fortitudine, et virili prudentia fuerit informatus, necesse est adhuc ulterius se extendat, et quasi habitis non contentus, ad aliquid sublimius manum tendat.

CAPITULUM XVII.

Restat enim sextus ille profectus virtutis, quæ vel senectus obedientiæ, vel obedientia dicitur senectutis ; quæ quantum in hac vita conceditur, a tumultu ætatum præcedentium aliena, in throno majestatis sedet præpotens et serena. Fortitudo quippe juvenilis adversantem sibi reperit infirmitatis nostræ nimiam gravitatem, virilis vero prudentia ignorantiæ cæcitatem ; ad quarum evincendas molestias necesse fuit laborem et sudorem non mediocrem adhiberi, ut earum ad unguem possent obstacula prohiberi. Ista vero senectus obedientiæ jam non pugnat, jam molestiis sibi adversantibus non repugnat, quia eam vel quasi stantem adhuc in acie hostis adversarius non impugnat, vel cedentem et præbentem terga fugæ compos victoriæ non expugnat. Sedet enim, ut dictum est, in sede magistrali, et lætatur humiliter honore triumphali, nullusque adversarius ei procaciter contradicit, et, si forte obmurmurat, majestate manus silentium hic indicit. Indictum cujus hostes et vitia reverentur, dictum vero virtutes cæteræ venerantur, dum ei et ab illis pro reverentia, ut dignum est, defertur, et istis pro diligentia venerabiliter antefertur. Senectus quippe venerabilis, non diuturna neque annorum numero computata, quam plerumque molestat ægritudo, tussis inquietat, premit moles corporis incurvata, deturpat pallor marcidus rugisque facies exarata ; sed quam a tumultu repugnantiæ profectus maturior alienat, et in excelso concordiæ acquisita munditiæ pax serenat. Etenim quædam hujus vel munda pax, vel parata munditia senectutis, quam nec virilis prudentia, nec obtinere fortitudo potuit juventutis, cum scilicet sopita gravi molestia præliandi, non lacescit, sed quiescit in sublimi solio judicandi. « Spiritualis quippe **509** judicat omnia, et ipse a nemine judicatur (*I Cor.* II). » Denique apud ethnicos veteres cum virilis ætas ad certum sui terminum deveniret, et vir lege naturæ contiguum senectutis vestibulum introiret, licentia generali a præliandi debito laxabatur, et tanquam emeritus quiete et otio sexagenarius fovebatur. Cui etiam de publico sufficiens alimonia deinceps præbebatur, tantoque et honori et timori apud cæteros habebatur, ut ætatis privilegio minorum esset censor, exhortator ad virtutes, vitiorum liber reprehensor. Ad hoc enim ista ætas præcipue congrua videbatur in qua sanguine frigescente homo jam a vitiorum strepitu feriatur, utpote qui in schola fortitudinis et prudentiæ lima exercitii ad unguem expolitus, præcedentis luxuriæ, vanæ laudis et gloriæ servili puritate conterit appetitus. In hoc quoque annorum numero videbatur eis quiddam mysterium contineri, per quod ipsi volebant omnes diligentius admoneri ; quanta perfectio in sexagenario debeat inveniri, quanta ei reverentia perfectionis merito debeat impertiri. Sex enim ducti decies, vel decem ducti sexies, sexaginta faciunt, quorum denarius ideo perfectus ab arithmeticis affirmatur, quia usque ad eum tamen progressu continuo numeratur, eo autem finito ad unum necessario remeatur, ut computatione iterata numerus augeatur. Ideo forte et decem præcepta legis populo Israel per manum Moysi Deus scripsit, quibus ei vivendi regulam sic indixit, ut qui eam obediens adimpleret, perfectus haberetur ; nec ab eo quidquam ultra per id temporis quæreretur. Senarius autem ob hoc esse perfectus ab illis asseritur, quia ex partibus suis numerus iste primus conficitur ; quod apud illos nequaquam parvipendit, nisi qui virtutem numerorum consideratione debita non attendit. In sex quippe unitates, in tres binarios, in duos senarios, æquali portione secatur, cujus trinæ sectionis si unitas, binarius, ternarius assumatur ; eum cujus partes sunt, sic inveniuntur perficere, ut eumdem perfectum non possunt excedere. Etenim unum, duo, tria (quæ sunt partes senarii) si pariter cunimus, nihil minus, nihil amplius, quam eumdem senarium invenimus. Quodpropter idem numerus qui perfectione commendabilis prædicatur, cum vel denarium multiplicat, vel per denarium multiplicatur, liquido patet quantæ perfectionis qui exinde conficitur numerus habeatur, quanta ætati sexagenariæ, vel prudentiæ, vel reverentiæ perfectio debeatur. Hujus autem senarii perfectio etiam a principio commendatur, cum Deus, qui in mensura et numero et pondere omnia prudenter operatur, sexto die quæ materialiter voluit operari perfecit, quo die et hominem ad imaginem suam fecit, quem terrenis omnibus merito rationis præfecit. In quo forte figuraliter in-

timavit, quia homo quem sexto die, ut dictum est, figuravit, in cujus figuratione Deus opera consummavit, Creatori suo corde mundo et pacato deberet perfectius obedire, eique obedienti terrena cætera perfecte nihilominus subservire. A quo statu obedientiæ, quia homo ille operante serpentis astutia declinavit, et assumptæ rationis præstantiam ad muliebre consilium uxoris inclinavit; venundatus sub peccato posteritatis suæ seriem similiter obligavit, a quo nexu non angelus, non propheta, sed sola, quem voluit, Dei gratia liberavit. Quia vero a perfectione senaria fuerat lapsus homo, sexta mundi ætate factus est Deus homo, ut se humanis, non peccatis, sed passionibus conformaret, et hominem deformatum ad perfectionis suæ similitudinem reformaret. In se quippe homine, quem vere passibilem demonstravit, hominibus cæteris perfectam obedientiæ semitam præmonstravit, qua Deo Creatori non solum usque ad mortis angustias obeditur, sed in eadem quoque obedientia mentis mundæ tranquillitas custoditur. Hæc nimirum tranquilla munditia prædictæ congruit senectuti, in qua perfectus obediens non est subditus servituti; sed de corde puro et bona conscientia sic obedit, ut ei digne invitabilis proponatur quem ætate perfectum antecedit.

CAPITULUM XVIII.

In cujus typo apostolus Paulus viduam eligendam proponit, non illam adolescentiorem, quæ luxuriata in Christo nubere jam disponit; quam, Timotheum instruens, diligenter præmonet devitari, ne vel vita vel fama sacerdotis illius mereatur consortio deturpari; sed viduam veterem, non minus sexaginta annorum, quæ laborare destitit lascivis passionibus juniorum, nec versatur in conflictu duro et dubio vitiorum, cujus sanguis torpuit, elanguit vigor antiquus, muliebria defecerunt, lasciviens marcuit umbilicus. « Vidua, inquit, eligatur non minus sexaginta annorum; si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est (*I Tim.* v). » Illa quippe anima sanctorum consortio debet annumerari, illam omnes in Ecclesia debent honore debito venerari, quæ bonis operibus diutinum dilexit studium adhibere, affectu et effectu sanctorum necessitatibus condolere, quibusque junioribus imitabilem se præbere, Deo mundam et tranquillam jam gaudet obedientiam exhibere, amore cœlestium a se cuncta **510** carnalia cohibere. « Quæ, inquit, vere vidua est et desolata, speret in Deo et instet obsecrationibus et orationibus nocte ac die (*ibid.*). » Anima quæ carnale desiderium jam non curat, nec se prætereunti sæculo configurat; quæ cuiquam temporali solatio non incumbit, et non solum illicitis, sed etiam rebus licitis non succumbit: hæc, inquam, anima, vere vidua est et desolata, vidua quidem cui vere viventi mundus mortuus reputatur, desolata vero, dum nulla vel re vel spe transitorii gaudii confortatur. « Hæc autem vidua sperat in Deo, et instat obsecrationibus et orationibus nocte et die. » Quia enim totam a mundo lubrico spem avertit, ad sperandum in Deo totam libere se converiit; sic ea quæ retro sunt, diligens oblivisci, ut ab ipso nisi ipsum, nil desideret adipisci. Quod ejus desiderium cum adhuc ab effectu beato differatur, ne huic dilationi quidquam ex adverso noxium inferatur, obsecrationibus et orationibus sollicitudine mentis instat, ut ab eis nocte vel die devota vidua non desistat. « Instat, inquit, obsecrationibus et orationibus nocte et die. » Si cujuslibet ingruat difficultatis adversitas, fracta, tædia non diffidit, si gratia proficiendi arrideat, elata inani gaudio temere non præfidit; sed sic utrobique fervens et humile suum desiderium moderatur, ut nec a spe sollicitudo, ne spes a sollicitudine sejungatur. Hæc est illa oratio quam sine intermissione monet Apostolus celebrari, cui vere vidua debet in adversis et prosperis immorari; sic ardens exaudiri, ut dilationem non refugiat sustinere, et sustinendo amplius promeretur id quod postulat gratius obtinere. In qua nimirum oratione idem sine intermissione Apostolus versabatur, sicut ad Romanos loquens in fronte ipsius Epistolæ protestatur: « Sine intermissione, inquit, memoriam vestri facio in orationibus meis (*Rom.* i). » Hoc idem ad Philippenses, hoc et ad Colossenses, hoc etiam ad Thessalonicenses, hoc ad Timotheum, hoc etiam dicit ad Philemonem, quod eorum scilicet assiduam in suis facit orationibus mentionem; orans forte ut et ipsi pacem senilis obedientiæ prævenientе gratia consequantur, et sereno consensu mentis et corporis mandatis cœlestibus obsequantur. Unde tam istis quam cæteris fere omnibus, quibus epistolas suas mittit, in cujusque epistolæ principio salutem hanc præmittit, ut primo eis gratia, deinde pax a Deo conferatur, quo munere et obedientia inchoata proficit et fine debito consummatur. « Gratia, inquit, vobis et pax a Deo (*I Cor.* i *et alib.*). » Hujusmodi ad Ecclesias, hujusmodi salutem ad discipulos Paulus scripsit, excepto ad Hebræos, si tamen epistolam illam scripsit: non enim ipse, ut a quibusdam dicitur, sed sub ejus nomine alius eam scripsit; vel ipse potius eam scribens, eo, quod ipse novit, consilio, salutem ascripsit. Pulchre autem in salute non solum gratiam, sed et pacem Paulus ponit, et utraque simul jungens, signanter gratiam anteponit; in gratiam gratuitam remissionem intelligens delictorum, in pace vero, perfectionem debitam meritorum. Ex sola enim gratia pectori primum delicta remittuntur, his remissis bona efficacius opera consequuntur; quorum lima et studio ad senilem tandem obedientiam merito pervenitur, cum sopita lite carnis et spiritus, Deo serenius obeditur. Illa remissionis munificentia nullis operum meritis prævenitur, et ideo recte gratia dicta est, quia gratis divina bonitas hanc largitur; hæc provectæ mentis tranquillitas, etsi divini esse muneris non negatur, tamen laboranti et sudanti quasi debita merces datur. De qua mercede idem alibi Paulus dicit: « Pietas ad omnia utilis est;

promissionem habens vitæ quæ nunc est et futuræ (*I Tim.* IV). » In hac vita quæ nunc est, merces redditur pietati, cum tranquilla mentis perfectio inchoatæ conceditur sanctitati; cum ad illud centuplum ipsa dicitur sanctitas pervenire, quod antequam vitam æternam possideat aliquando meretur invenire. « Centuplum, inquit, accipiet, et vitam æternam possidebit (*Matth.* XIX). » Qui terrena plene contempserit, hic centuplum dicitur obtinere, et eo muneratus, vitam æternam postmodum possidere: et sic fructuosæ perfectio perfectioni præludit, et longe fructuosius altera consummat alteram, non excludit. Hæc enim perfectio centupla, cum vita præsens terminatur, non cedit, sed præcedit; non deficit, sed proficit; non sui sustinet detrimentum, sed accipit sufficiens incrementum, quia, etsi quodam vivendi merito meretur perfectio nominari, tamen eget perfectionis futuræ beneficio consummari. Unde non incongrue imperfectio perfecta, vel potius perfectio dicitur imperfecta, perfectio quidem, quia juxta modum vitæ hujus pacatam obedientiam vel obedientem munditiam meruit obtinere, imperfecta vero, quia vitam æternam nondum ei conceditur possidere. Est igitur vitæ perfectio, sed præsentis, imperfecta vero respectu subsequentis, quia quod perfectum hic habetur, adhuc tamen ex parte est, et futurum perfectum cum venerit, evacuabitur quod ex parte est (*I Cor.* XIII). Evacuabitur autem non imperfecta perfectio, sed ipsa perfectionis imperfectio, quia hæc imperfectio tunc erit penitus annullata, cum finem consummantem invenerit perfectio consummata. Cujus consummationis finem si quis illic perfectius vult gustare, in hujus vitæ stadio debet diligenti studio prægustare, ut ad senilem munditiam vel mundam obedientiam nitatur prævenire, id est corde mundo et corpore **511** non immundo mandatis cœlestibus obedire. Quæ senilis munditia, quæ munda obedientia renuntians propriæ ditioni, et amore irremisso majorum subdita jussioni, nimirum divinæ est proxima visioni, si creditur, imo quia creditur evangelicæ sponsioni: « Beati, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V). » Ubi notandum quia non ait: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum vident, sed: quoniam ipsi Deum videbunt, dans intelligi se locutum de præsenti cordis munditia, non futura, de visione autem Dei non præsenti, sed potius postfutura; ut scilicet hic munditia primitus habeatur, et ad Dei visionem postmodum veniatur. Si enim diceret: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum vident, de illis vel angelis vel sanctitatis hominibus dicere videretur, quibus jam Dei visio præsentialiter indulgetur; non de nobis vel cæteris quibuslibet postfuturis, ipsum Deum non videndum videntibus, sed visuris. Ergo beati mundo corde, qui scilicet in hac vita cordis munditiam assequi meruerunt; beati, inquam, non quia Deum vident præsentialiter vel viderunt, sed quoniam ipsi Deum videbunt. Videbunt quidem cum id quod ex parte est evacuatum fuerit, cum spes eorum in rem transierit; cum cedente primatu fidei totum hominem sola charitas occupabit, et eam quam fides operata est munditiam, manens et permanens eadem charitas consummabit. Fides enim munditiam operatur, sicut Petrus in apostolorum Actibus protestatur: « Fide, inquit, mundans corda eorum (*Act.* XIII). » Et Paulus ad Titum: « Omnia munda mundis: coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum (*Tit.* I). » Mundos dicit eos quorum intimam fides non ficta conscientiam permundavit, sicut e converso coinquinatos, quos infidelitas inquinavit. Perfectio igitur fidei munditiæ operatur virtutem, munditia vero gratam obedientiæ senectutem, cum profectus obediens sic æstuat desiderio puritatis, ut frigescat et marceat ad agenda vel amanda carnalis opera voluptatis. Senectus enim bona non solum ad explendum illicita desideria non fervescit, sed etiam ad agenda quæ licita sunt torpescit; et si ex contubernio carnis hujus voluptatum ejus deceptio arridens hilarescit, illa tamen in sua puritate sub laudabili silentio conquiescit.

CAPITULUM XIX.

In cujus rei typo David rex, ut æstimo, legitur senuisse, et in toro senescentis Abisag Sunamitis juvencula dormisse, quam nimirum idem rex et a suo prorsus cubiculo non removit, et tamen eam soluto lumborum cingulo non cognovit. « Et rex, inquit, David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies: cumque operiretur vestibus, non calefiebat, dixeruntque ei servi sui: Quæramus domino nostro regi adolescentulam virginem, et stet coram rege, et foveat eum, dormiatque in sinu suo: et calefaciat dominum nostrum regem. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, et invenerunt Abisag Sunamitem, et adduxerunt eam ad regem. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum rege: rex vero non cognovit eam (*III Reg.* I). » David, ut satis notum est, *manu fortis* interpretatur. Qui profecto non incongrue tunc senescere perhibetur, cum fortis obediens ad quietæ puritatis fastigium promovetur, cum jam intra fines ejus carnis et spiritus contentio non habetur, cum viget in neutro quod efficaciter obedientiæ reluctetur. « Habebat, inquit, ætatis plurimos dies. » Plurimi dies hujus senis collectio est virtutum, quibus gaudet consummatus obediens se imbutum, qui accepta benedictione superni Largitoris, de profectu gradiens in profectum, visioni jam proximat Creatoris. Unde scriptum est: « Benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus deorum in Sion (*Psal.* LXXXIII). » De virtute quidem ierat in virtutem, qui jam adeptus erat obedientiæ senectutem, cujus ætas profectuum jam pristinis erat facibus emundata, « ætas enim senectutis vita immaculata. » In qua senectute quæ dies habere plurimos invenitur, id est quæ multis et perfectis virtutibus insignitur, nonnulli Patrum viam præsentem, ut legimus, finierunt; et de fastigio senectutis ad videndum Deum in Sion transierunt. De Job quippe

scriptum est : « Mortuus est senex et plenus dierum (*Job* XLII). » De Abraham vero : « Mortuus est, inquit, in senectute bona, provectæque ætatis et plenus dierum (*Gen.* XIII). » Felices Job et Abraham, quos fecit seniores dierum plenitudo, cujus merito plenitudinis excepit illos dierum longitudo; illa, inquam, longitudo, quam nulla potest meta vel terminus angustare, in qua suis fidelibus suum Deus ostendit salutare ! « Longitudine, inquit, dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum (*Psal.* XC). » Ad cujus visionem Propheta, dum hic viveret, suspirat, qui cum timore et tremore Deum sollicitus exorabat, ne eum sperata dierum plenitudine privari pateretur, sed ad eam potenti misericordia perducere dignaretur : « Ne revoces, inquit, me in dimidio dierum meorum (*Psal.* CI). » In dimidio dierum suorum dicitur revocari, qui profectu donorum spiritualium non conceditur consummari; qui eorum aliquibus acquisitis, dum tendit sollicitus ad futura, de medio proficiendi quasi morte rapitur immatura. Propheta igitur flagranti desiderio **512** ad dierum plenitudinem vult produci, ut per eam mereatur ad dierum longitudinem perfectius introduci; sciens quia si hic felici virtutum senio muneretur, illic Dei visione sine dierum termino perfrueretur. Propter quod alibi dicit : « Usque in senectam, et senium, Deus, ne derelinquas me (*Psal.* LXX). » Quod senium idem propheta sicut erat prece sollicita prælocutus, Scriptura perhibente, tandem est assecutus; et qualiter sese habuerit in eodem senio constitutus, idem Scripturæ sermo est descriptione commendabili prosecutus : « Cumque operiretur, inquit, vestibus, non calefiebat. » Bonus senex, qui sic nativas affectiones corporis est oblitus, ut reflecti nequeat ad earum procaces vel inconditos appetitus; ut quamvis corruptione mortalitatis constet ejus animam aggravari, non tamen compellatur illius imperio serviliter subjugari. Vestes quibus operiri rex iste senex asseritur, corruptio mortalitatis non inconvenienter accipitur; quas primus homo sibi suisque posteris miserabiliter acquisivit, cum in paradiso deliciarum mandatum Dei contumaciter præterivit. Qui cum nudus creatus esset puritate cœvæ sanctitatis, peccando vestitus est involucro pelliceæ pravitatis, et hoc morbo tam graviter ejus humanitas vitiatur, ut deinceps necessario mortalis et corruptibilis habeatur. His vestibus importunis etsi noster, ut dictum est, senior operitur, etsi ejus humanitas noctibus hujus vitæ, vel infirmitatibus obsepitur, earum tamen exactione ad appetendum carnalia non ignitur, nec earum minas horret, nec blanditiis delinitur. Instant illæ et incumbunt, ut hujus afficiant imo inficiant senectutem, sicut solent premere, et forte opprimere cujuslibet teneram juventutem, ut vel gulæ, vel iræ, vel avaritiæ facibus inflammetur, et a rigore debito senilis obedientiæ maturitas relaxetur. Cæterum hæc senectus, etsi multis et variis quasi flatibus est impulsa, manet tamen quasi arbor firmis radicibus inconcussa; et in camino vitæ hujus, etsi ignis impulsu folium ingravescit, illa tamen ad emolliendum nullatenus incandescit. Recte itaque dictum est : « Cumque operiretur vestibus, non calefiebat. »

CAPITULUM XX.

« Dixerunt ergo, inquit, servi sui : Quæramus domino nostro regi adolescentulam virginem, et stet coram rege, et foveat eum, dormiatque in sinu suo, et calefaciat Dominum nostrum regem » Cum huic seni et effeto prædictarum copia vestium imponatur, nec tamen frigus marcidum (quod est quasi senectutis proprium) deponatur; inito consilio servi ejus quærunt adolescentulam virginem, ut ejus consortio foveatur, quæ et cum illo dormiat, et ei mollitie feminea blandiatur. Verecundo dormitionis nomine carnalem hic æstimo copulam designari, ad quam servuli procaces putant posse regis senium incitari, ut quem cætera vel vitia vel necessaria carnis hujus non possunt emollire, delicatior voluptas libidinis sibi valeat efficacius irretire. De qua ad Joseph, apprehensa lascinia vestimenti ejus, domina sua dicit : « Dormi mecum (*Gen.* XXXIX), » Servi qui adolescentulam quærunt, cogitationes nostræ sunt, quæ ideo servi non incongrue nominantur, quoniam rationi jure debito famulantur, adversus quam, etsi præsumunt aliquando garrire, tamen ei justo debent ordine deservire. Adolescentula vero quam isti quærunt, libidinis est voluptas, quæ nonnullos sanctorum consuevit fallaciis impugnare, et, si tandem victa ratione censenserint, fortius expugnare. Hæc ipsum David aliquando prostravit, sed forte cum adhuc versaretur in solario tumidæ juventutis, necdum se reclinaret in cubiculo quietæ senectutis. Hæc Salomonis sapientiam infatuavit, hæc Samsonis fortitudinem infirmavit; hæc plerosque alios nota reprehensibili deturpavit, quos tamen antea multa vivendi probitas honestavit. Hanc libidinis voluptatem cogitationes vagæ nonnunquam justo viro impudenter adducunt, et in ejus memoriæ cubiculum introducunt, ut oblatam, enervato vigore, spiritus amplectatur, vel saltem ad modicum ejus ad eam intuitus inflectatur. Nec mirum si hæc invenitur cum fuerit requisita, quæ frequenter occurrit etiam non quæsita; quæ antequam vocetur, procax et impudens introcurrit, et juxta illud ethnici

.... licet expellas furca, tamen usque recurrit.

Hoc enim vitium humanæ tam proprium est naturæ, hoc nostræ tam naturaliter insitum genituræ, ut non sine eo posteritatis successio propagetur, non sine eo generationis propagatio consummetur. Ex quo primus homo præsumpsit facere, quod et fuerat interdictum, carni ejus vulnus hujusmodi tam pœnaliter est inflictum ut, velit nolit, libidinis concupiscentiam patiatur, et ad gignendum non nisi eadem operante concupiscentia moveatur. Quo morbo idem homo omnes posteros suos sic infecit, imo nisi gratia eis divina subveniat, interfecit, ut quicunque per carnis concupiscentiam generantur, eodem infecti contagio damnari originaliter mereantur. Et quia nostra omnium sic inficitur genitura, idem vitium omnes sic geniti

jam patimur et natura : et ipsa concupiscentia qua sic natura nostra originaliter vitiatur, quia jam non potest evitari, natura nominatur. Natura igitur filii sumus iræ, digni propter naturalem concupiscentiam **513** deperire, nisi ut prædixi velit nobis divina gratia subvenire, et nos ab involucro naturali gratis et misericorditer expedire. Propter quod Deus Pater voluit Filium suum humanari, et in hac humanatione carnis concupiscentiam nihil penitus operari, sed electam virginem sine virili copula gravidari, et ex ea Christum operante sancto Spiritu procreari. Qui quoniam conceptus est modo vel opere non carnali, et, ut dicam apertius, non lumborum prurigine, non concupiscentia maritali, caro ejus infecta non est nostro omnium contagio naturali, sed puram tantum simplicemque materiam sibi traxit ex utero virginali ; quod ut posset fieri, vel ut factum facilius crederetur, voluit ut virgini vir carnaliter nullatenus misceretur, ut credito quod mater sine coitu mirabiliter concepisset, consequenter etiam crederetur quod in concipiendo nullam carnis concupiscentiam pertulisset : hæc igitur Christi caro quæ nescivit æstuantem libidinis officinam, sufficientem nobis conferre potuit medicinam, ut per ejus munditiam nostræ concupiscentiæ Deus misericorditer indulgeret, etsi eam nondum penitus, dum hic vivimus, aboleret. Manet quippe naturaliter in nostra carne concupiscentia voluptuosa, quam nobis intulit parentum generatio vitiosa, quæ et intus æstuat et foris turpiter effrenatur, si non rigido et discreto rationis moderamine refrenatur. Quia vero idem carnis appetitus tantum in giguentibus operatur, ut sine eo nullius nostrum generatio compleatur : non incongrue nos ipse quasi gignere perhibetur, instinctu cujus ad gignendum generans promovetur. Unde illa quam servi David quærunt et advocant ei, Abisag nominatur, quæ *pater meus superfluus* interpretatur.

CAPITULUM XXI.

« Quæsierunt, inquit, adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, et invenerunt Abisag Sunamitem, et adduxerunt eam ad regem. » Abisag, ut dictum est, interpretatur *pater meus superfluus*. Ille carnis appetitus pro eo pater dicitur, quia humanam obtinet sic naturam, ut quasi jure propria nostram omnium præveniat genituram : et eam quasi principaliter dicitur operari, sine cujus damnabili, sed tamen delectabili præsentia non potest consummari. Verum idem *pater* ideo recte *superfluus* perhibetur, quia sine eo humana sufficienter posteritas crearetur, nisi primus ille homo reus inobedientiæ teneretur, et tam sibi quam posteris hanc pœnalem inferre maculam mereretur. Hoc ex superfluo nobis addidit hostis ille antiquus, sanctæ illius puritatis in qua homo factus fuerat non mediocriter inimicus ; qui videns et invidens puram illius simplicemque naturam, nullo eam penitus contagio deturpante, hanc inflixit maculam illius puritati inobedientiæ consilio mediante. Unde idem hostis, Leviathan meruit appellari (*Job* III ; *Isa.* XXVII), quod interpretatur *additamentum eorum*, quia naturæ hominum quos Deus creaverat puros ab omni contagio vitiorum, ille nequam et invidus hoc de sua non natura sed malitia voluit adhiberi, quod ab eis vel eorum posteris non posset removeri. Curavit igitur ad illam puritatem libidinis maculam introduci, sine qua satis posset nostra, juxta illud ethnicum, cœna duci ; nunc vero hæc modo superflua, vel superefluens habeatur, tamen nos tam giguentes quam genitos inseparabiliter comitatur. Jam igitur in homine nequam ille gaudet se jus quoddam proprium obtinere, cujus carni videt peccati concupiscentiam inhærere : a qua nullus hominum potest se naturaliter expedire, nisi Christus, in quo solo princeps mundi nihil suum potuit invenire (*Joan.* XIV). Præter illum, omnes alii prædicta concupiscentia deprimuntur, et leonis rabidi tumultuosam in carne sua malitiam patiuntur ; dum vel æstu libidinis effrenato in præcipitium devolvuntur, vel ad eum coercendum, multis curis et laboribus atteruntur. Cui rei consonat quod prædictum nomen Abisag interpretatur etiam *patris mei rugitus*. Diabolus naturali omnium quodam modo pater fuit, non quia carne sua, sed quia concupiscentia carnali nos genuit ; nobisque imaginem suæ pravitatis impressit, per quam, ne ad divinam similitudinem possemus resurgere, nos depressit. Ad cujus imaginem removendam divina bonitas nobis defuit, dum vel circumcisionem sub lege, vel sub gratia baptismum instituit, ut quos filios diaboli fecerat generatio concupiscentialis, filios faceret Dei regeneratio spiritalis. Ipsa tamen concupiscentia nobis adeo manet inolita, ut nec post baptismum sit prorsus abolita, sed quodam quasi rugitu naturæ adhuc obstreprit puritati, non tamen ut noceat, sed magis exerceat dantes operam sanctitati. Recte itaque Abisag interpretatur sive *pater meus superfluus*, sive *patris mei rugitus*, quia hic qui nobis adhuc obstrepit ex superfluo, pridem incidit appetitus ; qui necessarius non esset, si homo non præterisset mandatum, et vel ad culpam incitat, vel ad cautelam sollicitat homines post peccatum. Pulchre autem eadem Abisag dicitur Sunamitis. « Invenerunt, inquit, Abisag Sunamitem. » Sunamitis interpretatur *coccinea*. Coccinea speciem sanguinis tenet ; et peccatum significat. Unde Propheta : « Libera me de sanguinibus, Deus, Deus meus (*Psal.* L). » Et Dominus per Isaiam : **514** « Manus vestræ sanguine plenæ sunt (*Isa.* I). » Et paulo infra : « Si fuerint peccata tua ut coccinum, quasi nix dealbabuntur (*ibid.*). » Abisag igitur Sunamitis, quia *rugitus superfluus*, peccatum est. Quod enim humanæ superfluum est necessitati, quod naturæ nequiter obstrepit sanctitati, quid nisi peccatum merito judicatur, quo et primi hominis transgressio vindicatur, et ejus in nobis hæreditaria pravitas indicatur ?

CAPITULUM XXII.

« Erat, inquit, puella pulchra nimis. » Miror

quare huic Sunamiti ascribitur nimia pulchritudo, cum carnali concupiscentiæ tanta sciatur inesse turpitudo. Sed quia constat mulierum amatores nihil amplius quam earum pulchritudinem admirari, turpitudinem abhorrere, specie plurimum delectari, per hujus pulchritudinem nil convenientius existimo quam delectationem concupiscentiæ designari, major qua humano corpori nulla creditur assignari. Inter omnia enim quibus humana caro nequiter delectatur, lumborum delectatio lege misera principatur, in cujus expletione caro tam enerviter affici perhibetur, ut ipse quoque spiritus quasi compatiens carnaliter enervetur. Ob hoc etiam puella sive adolescentula nominatur, ut ætatis virore gratior delectatio videatur; quia quisquis ad hoc officium relaxatur, etsi non ætate tamen opere juvenis comprobatur. Unde Apostolus ad Timotheum : « Juvenilia desideria fuge (*II Tim.* II). » Et cum Abrahæ vel Saræ senescenti promittitur filius, ait Sara : « Postquam consenui, et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? » (*Gen.* XVIII.) Recte ergo Abisag puella pulchra nimis fuisse perhibetur, ne si turpis et vetula diceretur, profecto minus delectabilis videretur, et ad ejus copulam nullus merito raperetur. In quo amplius nostri senis perfecta continentia commendatur, qui cum hujusmodi adolescentula uno in cubiculo sic versatur, ut ad ejus complexus nullatenus accendatur, sed eam tantummodo secum dormire patiatur. « Dormiebat, inquit, cum rege, rex vero non cognovit eam. » Hæc nimirum prædictorum fuit intentio servulorum, ut adducta juvencula dormiret cum rege et calefaceret eum; id est, sic oblata memoriæ carnalis concupiscentia recipi mereretur, ut in ejus consensum juvenescens senior raperetur. Sic enim aiunt : « Quæramus domino nostro regi adolescentulam, dormiatque in sinu suo; et calefaciat dominum nostrum regem. » Nunc vero dicitur : « dormiebatque cum rege, » nec additur quod calefecerit eum, imo subjungitur : « rex vero non cognovit eam. » Hæc igitur dormitio, oppressio est, cum premitur et opprimitur carnalis delectatio somno gravi, ut non promineat sed torpens lateat in conclavi. De cujusmodi oppressione dicitur ad Jonam : « Quid tu sopore deprimeris? (*Jon.* I) » Servilis cogitationum turba seni objicit opera juventutis; sed ille manens et permanens in puritate maturæ senectutis, sic sustinet phantasiæ memoriam occurrentis, tanquam præsentiam sub quieto silentio dormientis. Etsi enim illam apud se tanquam in cubiculo suo sentit, tamen non amplectitur, non approbat, non consentit, quia marcens et frigidus concretæ gelicidio puritatis, non fervescit, nec liquescit lascivæ incendio pravitatis. « Rex vero, inquit, non cognovit eam. » Illam quippe natura senior non cognoscit, cujus delectari amplexibus non exposcit; omnem mundi voluptatem sibi existimans interdici, ne Deo non possit adhærere, si adhæreat meretrici. Qui enim mundi hujus effici vult amicus, Deo, sicut scriptum est, constituitur inimicus, et cum sensu perdito convincitur abhorrere, si illi elegerit effeminatis moribus adhærere. Unde Adoniam filium Agith morti Salomon adjudicavit, quia ille reus stultitiæ Sunamitem Abisag adamavit.

CAPITULUM XXIII.

« Ait Bethsabee ad Salomonem : Detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor (*III Reg.* II). » Non solum ille non vult æstuantem animum a proposito revocare, sed et nomine uxoris suam vult incontinentiam palliare, dum non vult ut quis se in aliquo præsumat cohibere, sed quidquid libet, sibi etiam vult licere. Sic plerique, etsi sciunt quidquam lege publica omnibus interdici, illud tamen sibi nolunt ab aliquo contradici : existimantes se felices merito posse dici, si libere affectum miserum effectu compleant infelici. Quo contra longe melius prudens ille Tullius sentiebat, qui quemdam hujusmodi virum intuens aiebat : « O miserum, cui peccare licebat! » Peccandi licentiam Tullius miseriam magnam putat, cum illicitum quis affectum sensu perdito perficere non refutat : eum enim disponentem nec timor legis sufficit revocare, nec post facinus perpetratum præsumit ejusdem severitas vindicare. Nec solum tamen digna est vindicari affectatæ consummatio pravitatis, sed etiam inexpletæ pravitas voluntatis, quoniam apud Deum, cui secreta cordium nuda sunt et aperta, non refert utrum mala corde, vel opere, sint perfecta. Cum enim quid mortiferum corruptus animus concupiscit, et ad perficiendum sola possibilitas defetiscit, sufficit ad culpam ipse consensus captivæ rationis, damnarique promeretur **515** veri judicio Salomonis. Quocirca Salomon cum audiret quod Abisag Sunamitem Adonias sibi vellet jure uxorio copulare, id est libero et affectu et effectu voluptati carnalium incubare, effectum quidem illius appetitui denegavit, et solum appetitum morte merita condemnavit. « Quare, inquit, postulas Abisag Sunamitem Adoniæ? postula ei et regnum (*ibid.*). » Ac si dicat : Si quod male concupivit, conceditur etiam libere perpetrare, hoc nihil est aliud quam regnare, quia non tam rex est qui tenet manu sceptrum regiæ dignitatis, quam qui exercet actu imperium propriæ voluntatis. Hoc autem regnum quod non subjicitur divinæ jussioni, in quo voluntas propria digniori præponitur rationi, non est a Deo, nec ejus principes Deus novit, sed tam regnum quam regnantes projecit pariter et denovit. De qualibus per Osee dicit : « Ipsi regnaverunt, et non ex me : principes fuerunt, et non cognovi (*Ose.* VIII). » His ergo tam regnis quam regibus, quibus Deus notitiæ suæ gratiam non infundit, iram suam justo judicio superfundit; et quos ad eminentiam lucis suæ non promovet infrunitos, in tenebris propriæ malitiæ latere non sinit impunitos. « Effunde, ait, propheta, iram tuam in gentes quæ te non noverunt, et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt. (*Psal.* LXXVIII). » Sic iratus Salomon cum audiret Adoniæ injustum appetitum, nec illum

permisit adimpleri, nec deserunt impunitum, sed pullulantem nequitiam morte celeri præcepit resecari, ne ad portum perducta voluntas mereretur nequiter gloriari. « Juravit, inquit, rex Salomon dicens : Quia contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc (*III Reg.* II). » Et infra : « Vivit Dominus, quia occidetur Adonias. Misitque rex per manum Banaiæ filii Joiadæ, qui interfecit eum et mortuus est (*ibid.*). » Sic puniri debuit qui nequiter intumebat, qui propriis non contentus, aliena contumaciter appetebat, qui voluptati carnalium enerviter immergi cupiebat, et in ea licenter permanere tanquam in regni solio disponebat.

CAPITULUM XXIV.

De quo recte Scriptura præmisit : « Adonias autem filius Agith elevabatur dicens : Ego regnabo (*III Reg.* I). » Adonias interpretatur *dominator dominus*, Agith *festus* sive *solemnis*. Ad regnandum ergo ille dicitur contumaciter elevari, qui *dominus* diligit appellari ; quem sibi quasi filium festa solemnitas parturivit, dum ad ambiendum sublimia maternis cum blanditiis enutrivit. Qui enim intra metas appetendi licita humiliter delitescit, tanquam ingenitus præsentis gaudii partum nescit : et ad vulvam carnalis concupiscentiæ non adduci, et in auras operationis miseriæ nullatenus vult educi. Quem vero solemnis, id est communis malorum impudentia in lucem projicit perversæ libertatis, ut jam non erubescat de affectu vel effectu noxiæ parvitatis ; Adonias, id est *dominator dominus*, congrue nominatur ; quia quidquid est libitum, putans sibi licitum, vel re vel spe misera dominatur. « Adonias, inquit, elevabatur dicens : Ego regnabo. » Magna præsumptio. Regnum sibi stulta superbia pollicetur, et quod nequiter concupiscit, inaniter sperare non veretur, ut si forte quod appetit efficaciter assequi non meretur, interim saltem spe labili tanquam vento volatili delectetur. De quo bene per Osee dicitur : « Ephraim pascit ventum et sequitur æstum (*Osc.* XII). » Ventum quidem pascere dicitur vel nutrire, qui spe volatica miseram gaudet animam delinire ; qui quod stulte concupiscit, sese adepturum sperat, et eamdem spem fovere et inaniter amplecti perseverat. Hic etiam sequitur æstum miseræ voluntatis, qui urit et decutit flores teneros internæ castitatis ; qua corrupta plenius hostis efficitur veritatis. Unde cum dixisset : « Ephraim pascit ventum et sequitur æstum ; » subjunxit : « Tota die mendacium et vastitatem multiplicat (*ibid.*). » Mendacium quidem multiplicat, falsa pro veris assidue diligendo ; vastitatem vero, tandem pro meritis exterminium patiendo : quia juxta modum vel mensuram æstus et mendacii præcedentis, mensuratur quantitas exterminii subsequentis. Sic Ephraim iste fructificat, tales sibi fructus perverse multiplicat ; qui vitæ et salutis fructus uberes consequi potuisset, si juxta nomen suum fructuosius vivere voluisset. Econtra noster senior nec pascit ventum, nec sequitur æstum, sed expellens et propellens spei deceptoriæ falsitatem, prosequitur, imo complectitur pacatam obedientiæ puritatem. Cujus sexto gradui ætas senectutis, ut prædictum est, videtur convenire, in qua datur homini quamdam sui munditiam invenire ; ad quam retroactis ætatibus non conceditur pervenire, dum caro adhuc insolens puritatis gaudet semitam præpedire.

CAPITULUM XXV.

Sexta etiam mundi ætas huic convenit puritati, in qua ætate Christus non solum nostræ remedium attulit pravitati ; sed et tantam suis fidelibus perfectionem contulit sanctitatis, ut senescere viderentur obedientiæ merito, non ætatis. Ad quod eos et verbo et exemplo voluit erudire, monens illos et prænonens usque ad mortis periculum obedire ; et in hac obedientia serenam munditiam custodire, Deique visionem vitæ munditia **516** prævenire. Ideo et ipse intacta voluit nasci de Virgine, neque sibi immundum ex ipsa contraxit origine ; ut cum munditiam, conceptus et natus, naturaliter obtineret, processu vitæ hujus in eadem creabiliter permaneret. Mundus autem ad munditiam suos voluit exhortari, non quod in hac munditia possent ei nascendo coæquari ; sed adjuti gratia niterentur eum pro viribus imitari, et lima et labore tandem ei pro suo modulo conformari. Qui Simonem Petrum eligens, ab uxoriis cum complexibus sequestravit, Joannem Zebedæi a nuptiarum proposito revocavit ; cæterosque apostolos ab hujusmodi nexibus reddidit expeditos, quibus vel licitis vel forte illicitis mundus eos tenuerat impeditos. Ex quo patenter innuit quia per iter continentiæ ad arcem munditiæ facilius pervenitur, in qua, ut satis dictum est, Deo gratius et perfectius obeditur ; cum scilicet obediens a carnalibus desideriis expeditur et sapientiæ salutaris gratis compedibus devincitur. Cujus arcem munditiæ Joannes, ut existimo, fuerat consecutus, cum Electæ vel Gaio scribens de suo est senio prælocutus, ut quod scripturus erat, commendatius redderetur, cum quis, vel quantus scriberet, in fronte prægnitum haberetur. « Senior, inquit, Electæ et natis ejus. » Et illud : « Senior Gaio charissimo (*III Joan.* I). » Quid sibi vult quod scribens tam signanter se dicit seniorem, nisi quia latenter innuit se adeptum misericordiam ampliorem, cujus ubertas contulit ei conscientiam mundiorem, conscientia mundior obedientiam gratiorem ? De qua ubertate dicitur per Prophetam : « Et senectus mea in misericordia uberi (*Psal.* XCI). » Et infra : « Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi (*ibid.*). » Hæc senecta uberior ; hæc ubertas optimæ senectutis, provectio est non ætatis decrepitæ, sed virtutis, cujus mentionem Joannes his quæ dicturus est signanter anteponit, per quod eis quibus scriptitat, imitabilem se proponit. Vult enim ut et ipsi in misericordia uberi consenescant, ut profectu gratiæ, non tam crinibus, quam moribus incanescant, ut in tumultuoso vitiorum negotio non sordescant, sed sub mundo et pacato silentio, in sublimi senilis obe-

dientiæ conquiescant. In excelso cujus et cæteri ejus coapostoli quiescebant, qui non tam annorum numero quam virtutum cumulo senescebant; quos ultima mundi ætas habere meruit pastores et doctores, ut filiis gratiæ prænonstrarent perfectionis semitam seniores. Quorum senectutem Isaias odore prophetico sentiebat; qui longe retro positus, de postventuris præloquens aiebat: « Dominus ad judicium veniet, cum senibus populi sui et principibus ejus (*Isa.* III). » Senes et principes populi, apostolos dicit, qui non solum cum cæteris ad judicium sunt venturi, sed præ cæteris in judicio sunt sessuri; non jam rationem de suis iniquitatibus reddituri, sed aliorum iniquitates potestate judiciaria damnaturi. Quos senes vel principes dicit, propter obedientiam senilem et maturam, merito cujus adepti sunt tantam inter cæteros præfecturam, ut vice judicum mereantur super duodecim tribus residere; cum judex Christus adveniens cum eis videbitur gloriæ solium obtinere. Unde et Anna: « Ut sedeat, inquit, cum principibus, et solium gloriæ teneat (*I Reg.* II). » Hujusmodi senibus mundi senectus, id est sexta ætas, meruit insigniri, ad quorum similitudinem coævos eorum condecet erudiri, ut qui in eadem ætate quamvis post invicem continentur, eadem canitie senilis obedientiæ venustentur. In hoc enim ætate ministrantem sibi Christus fieri vult perfectum, qui sub lege vel ante legem non repulit imperfectum; ut ætatum processu obedientia majorem accipiat et profectum, et eodem numero consummetur, quo inobedientia corruit in defectum. In sexto quippe gradu obedientiæ summitas invenitur, in sexto nihilominus ad profundum inobedientiæ devenitur; et in senio, tam obedientia quam inobedientia consummatur, sed illud ascendens et proficiens, istud vero corruens et deficiens judicatur. Quamvis superbos homines propheta dicat ascendere, malos et seductores Paulus proficere; sed in pejus quidem profectus est malorum, et in ruinam vergit ascensio superborum. Paulus inquit: « Mali homines et seductores proficient in pejus (*II Tim.* III); » et David: « Superbia, inquit, eorum qui te oderunt, ascendit semper (*Psal.* LXXIII). » Et alibi: « Dejecisti, ait, eos dum allevarentur (*Psal.* LXXII). » Ad hunc autem inobedientiæ profectum vitiosum, ad hoc inveteratæ senectutis fastigium ruinosum pervenitur animo in pejus de malo gradatim corruente, quia juxta quemdam ethnicum: « Nemo turpissimus fit repente. »

CAPITULUM XXVI.

Primus igitur corruendi gradus, quasi primæva est ætas infantiæ, cum in corde recens concipitur obedientis contemptus justitiæ, et procedens ad effectum affectus corruptæ voluntatis immergitur tanquam uberibus carnalis et lacteæ voluptatis. De qualibus per Prophetam dictum est: « Beatus qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram (*Psal.* CXXXVI). » Si vero non ad petram, id est Christum, hujusmodi parvuli allidantur, si genimina viperarum acuta falce non velocius recidantur, processu temporis proficiunt in pejus et grandescunt, et propulso corpore primitivo, agilitate malitiæ puerescunt. Quod enim agit languidius tarditas infantilis, **517** peragit expeditius agilitas puerilis; parata non solum sibi suique similibus adgaudere, sed et garritu procaci, quos viderit dissimiles, irridere. Quales illos arbitror pueros exstitisse, qui prophetam Elisæam leguntur irrisisse; qui juba vitiorum habentes frontem impudentiæ capillatam, illum persecuti sunt qui habebat frontem conscientiæ decalvatam. « Illudebant, inquit, ei pueri dicentes: Ascende, calve, ascende, calve (*IV Reg.* II). » Non attendunt, miseri, quia typum illius gerebat Elisæus, qui cum non solum homo esset, sed etiam homo Deus, quasi calvus cæsariem non habuit per superflua vitiorum, nullique pœnæ jure obnoxius, irrisiones tamen sustinuit peccatorum, cum in loco Calvariæ crucem ascendere dignaretur, ut nobis contumacibus formam obedientiæ largiretur. Verum plerique non solum non curant obedientium calvitiem imitari, sed quasi a tergo pingentes ciconiam, magis eligunt cachinnari; eosque puerili garritu molestе persequuntur, qui contemptores sui majoribus humiliter obsequuntur. Quibus nisi nostro Elisæus festine maledicat, et immittens eis ursos, garriendi malevolentiam interdicat, de pueritia transeuntes in adolescentiam, jam pubescunt, et amplioris malitiæ stimulis interioribus incandescunt. Neque enim sufficit eos quos viderint obedientiæ deditos pueriliter irridere, sed, ut sibi reddant consimiles, eisdem apponunt et nocere, et nitentes corrumpere illorum obedientiam integræ castitatis, venenoso consilio eis injiciunt seminarium pravitatis. Qui ut voti compotes non mediocriter hilarescunt, si eorum consilio seducti quilibet acquiescunt; si ad sui similitudinem possunt quasi filios generare, quos videant secum ab obedientiæ regula declinare. Super quibus adolescentibus Dominus non lætatur, sicut Isaias veraci vaticinio protestatur: « Propter hoc, inquit, super adolescentulis ejus non lætabitur Dominus (*Isa.* IX). » Et Moyses: « Cogitatio, inquit, hominis prona est in malum ab adolescentia sua (*Gen.* VIII). » Ex eo enim majoris homo esse malitiæ declaratur, ex eo majus incurrere præcipitium judicatur, ex quo et cæteris infundere venenum perversi consilii machinatur, et factus impudens, consortes et sequaces alios efficere gratulatur. Et quia in lumbis prurientibus suam vult diabolus solidare virtutem, hujusmodi adolescentulum ad robustam provehit juventutem, ut in eo gradu contumax ejus inobedientia roboretur, et a proposito, nec prece, nec pretio, nec minis cujuspiam revocetur. De qualibus juvenibus David dicit: « Juvenes eorum comedit ignis (*Psal.* LXXVII). » Hujusmodi quippe juvenes ignis comedens devoravit, quos tanto ardore grata perversitas inflammavit, ut non recusent quasvis molestias fortiter

sustinere, dum tamen concupitam possint malitiam adimplere. Cujus scuto fortitudinis obdurati, miseroque profectu, fumo caliginis obscurati, transeuntes in virum perfectum, perversam prudentiam assequuntur, qua etiam jam nec vident in quod præcipitium devolvuntur. Dicentes enim malum, bonum, et bonum, malum; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum, quidquid agunt, velut dignum laude efferunt vel excusant, suosque reprehensores indignando respuunt vel accusant. De qualibus Paulus : « Obscuratum est, inquit, insipiens cor eorum (*Rom.* I). » Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et Isaias : « Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes (*Isa.* V). » Perversa est talis prudentia, quæ in suo errore nequiter obdurescit, et inani tumens vento, doctrinæ saniori nullatenus acquiescit, quo amplius elevatur, eo profundius ruitura, de præsenti væ non curans, æternum væ postmodum inventura. Ne quid autem ejus perditioni deesse videatur, vir iste male proficiens superducto senio consummatur : et quem virum vel juvenem fecit juncta prudentiæ fortitudo, cum senem efficit propositæ malitiæ grata consuetudo. Quo enim amplius sua ei perversitas indulcescit, eo gratius perverse vivere consuescit, usuque misero accedit ei senectus præmatura, finem sui, non nisi morte forsitan, habitura. Quales illi senes erant, quorum malitia Susannam immeritam accusavit, quæ amore castitatis eorum concubitum recusavit, quorum testimonii falsitatem puer revelavit, revelatam judicialis sententia morte merita condemnavit : « Inveterate, inquit, dierum malorum, nunc venerunt peccata tua (*Dan.* XIII). » Isti veteres, imo inveterati pleni quidem erant dierum, sed malorum, pleni procul dubio multiplici numero vitiorum, quorum luci subdolæ maledictionem justus pœnitens imprecatur, ne ad ejus illecebras reductus et seductus exstingui mereatur, ne ad ejus illecebras reductus et seductus exstingui mereatur : « Lucerna enim impiorum exstinguetur (*Prov.* XIII) ; » « Pereat, inquit Job, dies in qua natus sum, maledicant ei, qui maledicunt diei (*Job* III). » Et Jeremias : « Maledicta, inquit, dies in qua natus sum, dies in qua concepit me mater mea, sit maledicta (*Jer.* XX) ; » in his malis et maledictis diebus senes illi judices erant inveterati, qui extorres veri luminis inferentes perperam castitati, filiam Juda falso testimonio criminis damnaverunt, sed converso judicio, in foveam quam foderant inciderunt (*Psal.* VII). Similes quorum et illi seniores populi postmodum exstiterunt, qui ut Jesum dolo tenerent et occiderent, consilium inierunt (*Matth.* XXVI); quem, etsi Deum esse revelato fidei oculo non viderunt, tamen hominem innocentem cum **518** Pilato judice cognoverunt. Hæc est illa profundæ malitiæ senectus decrepita, quam exarat et incurvat perversitas diu inolita, cui quasi proprie ad cumulum sunt superaddita anhelitus intercisio, frequens excreatio, tussis, pituita; quæ male induratam sic premunt et opprimunt senectutem, ut nesciat renovari juxta illam spiritalis aquilæ juventutem. Hac igitur semota quæ a bono penitus intorpescit, quam multis molestiis aggravatam prudens et nobilis animus digno fastigio perhorrescit; ad eam revertamur quæ profectu virtutum incanescit, ad cujus appetitum jure quisque sapiens incandescit. Est enim (quod mirum est) continens, sed fecunda, maturitate gravior, sed jucunda, ut nec gravitas jucunditatem, nec jucunditas gravitatem; nec integritatem fecunditas, nec fecunditatem tollat integritas.

CAPITULUM XXVII.

Pulchre autem Abraham legitur senuisse, et senescens de anu libera filium genuisse; in cujus senio, typus et commendatio est virtutis, in filio autem fructus ostenditur senectutis. « Erant, inquit, ambo senes provectæque ætatis (*Gen.* XVIII). » In his autem senibus quanta fuerit perfectio sanctitatis, quanta continentia, quanta gratia puritatis, satis superque illa Saræ demonstrat responsio, cum ad sperandum filium invitat eos divina promissio. « Veniam, inquit, ad te tempore isto; et habebit filium Sara uxor tua. » Et Sara : Postquam, ait, consenui, et Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? (*ibid.*). » Quibus verbis innuit quia voluptati operam jam non dabat, jam non desideriis carnalibus æstuabat; jam ambo relegaverant carnale debitum vicariæ servitutis, et quasi vidui sic manebant sinceræ beneficio senectutis. Promissione ergo facta non accedunt ad copulam, ut desideriis carnalibus inservirent, sed ut filio nascituro gignendi ministerium impertirent; non ut præoptatum suo præponerent Creatori, sed ut promissum acciperent, acceptum redderent promissori. Quidquid ergo senes agunt qui contra spem, in spem credere potuerunt, qui non sibi carnaliter subservire, sed Deo potius obedire salubri consilio voluerunt, non arguit eorum quasi deliram et reprobam senectutem, sed figurat, et commendat senilis obedientiæ servitutem; dum parati sunt et gignere quem promitti sibi divinitus audiebant, et immolare genitum, quem tantopere diligebant. Unde idem filius non secundum carnem, sed pro repromissionem esse genitus ab Apostolo (*Gal.* III) prohibetur, quia non carnis est, sed potius miraculi, ut de anu et sterili filius gigneretur; qui etiam Isaac, id est *risus* vel *gaudium* nominatur, quia uterque parens de promissa et reddita tali sobole gratulatur. Sed miror quod eumdem filium, quem tam diligenter promiserat Deus Abrahæ senescenti, quem adeptus senior, et gaudebat, et plurimum adgaudebat eidem grandescenti : per quem, et suam sobolem juxta promissum divinum sperabat a Deo cumulari, ut arenæ, vel stellis comparata non posset præ multitudine numerari; miror, inquam, quod eum Deus sibi petiit immolari, et pater obediens, nec ad modicum præsumpsit refragari. Ad hanc quippe obedientiam, qua Deo pater Abraham obedivit, cum eum quem diligebat unicum ille sibi in sacrificium requisivit; nostram tandem locutio retorquere debet habenam laxiorem, quia inde profecti excursum fecimus longiorem.

Longe etenim superius Adæ et Abrahæ obedientiam in manibus tenebamus, et illum arguendo, huic laudem meritam ascribendo, de illius defectu, de istius profectu utcunque tractabamus; cum locus admonuit, ut sex gradus, vel profectus obedientiæ per ordinem referremus, eisque sex ætates mundi, vel hominis conferremus. Cui rei pertractandæ nostra locutio se immersit, et in ea laborans diutius, ut verum fatear, vix emersit; quia, etsi cuiquam non fuisse videtur subtilis altitudo, tamen conatus impares ipsa plerumque laborandi fatigat longitudo. Nunc ergo ad Abraham, ut prædictum est, redeatur, de quo in medium quæstio versabatur; quod rem difficilem ad jubentis imperium explere paratus exstiterit, cum rem parvam, et facilem primus ille Adam pernicioso contemptu neglexerit. Adam, qui, etsi grandis corpore, tamen recens tempore, adhuc tanquam infantulus habebatur, et ideo nihil grave, vel asperum, sed leve, quod et tenerum facere jubebatur; illorum typus erat qui in primo gradu obedientiæ constituti, aguntur, vel premuntur timore obnoxio servituti. Qui si minis cujuspiam fuerint appetiti, vel forte blanditiis mollibus deliniti, infantum more, genu tremulo facile titubant, et declinant, et contemnentes utilium, ad amorem præsentium se inclinant.

CAPITULUM XXVIII.

Abraham vero qui senex, et provectæ ætatis fuisse perhibetur, illorum non incongrue figuram tenuisse videtur, qui ad sextum gradum obedientiæ sublimati, nil suæ, sed omnia divinæ tribuunt voluntati. Qui non solum penitus a se quæ prohibita sunt, relegant, sed etiam concessa, et licita Deo sponte sic allegant, ut ad perfectum optatæ cumulum sanctitatis offerre non recusent suæ sacrificium voluntatis. Quidquid enim **519** peccatum est, cunctis generaliter prohibetur, et si quis illud perpetrare dilexerit, reatus arguetur; nec vult justitia, ut stipendium laudis tribuatur operibus iniquorum, et servi contumaces in hæreditate participent filiorum. Ideo forte Sara dixit : « Ejice ancillam, et filium ejus; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac (*Gen.* XXI). » Ancilla figurate voluntas est peccati, filius vero ejus, affectus consentiens voluntati; quos nimirum justitia quæ a peccati est libera servitute, habere non sustinet jus hæreditarium cum virtute. Est autem opus justitiæ, et prohibitis non abuti, et concessis, vel licitis bene uti; quorum ob hoc dignatur Deus se facere promissorem, promissorum vero largum exhibet redditorem, ut fideles sui facilius ab illicitis arceantur, et ab illis coerciti, istorum salubrius amore teneantur. « Veniam, inquit, ad te, et habebit filium Sara uxor tua (*Gen.* XVII). » Ad Abraham Deus perhibet se venire, et quod juste desiderat, misericorditer impertire, quia fidelem suum tunc Deus dicitur manifestius visitare, cum illius justitiam dignatur fecundare, ut non solum cum ea sit ei thalamus nuptialis, sed ex eodem thalamo procedat etiam soboles filialis. In thalamo fidelis cujuslibet justitia quodammodo jam versatur, quæ tendens ad licita, illicitis adversatur; cum idem fidelis in secreto cordis sui justitiam amplexatur, et ei cohærendo de fructu proferendo sollicitus meditatur. Verum eadem justitia quasi adhuc sterilis judicatur, cum justo affectui effectus operis non donatur; cum justus et justitia in abscondito grati cubiculi conjunguntur, sed difficultate qualibet obviante ad libitum opera non sequuntur. « Velle, inquit, adjacet mihi, perficere autem bonum, non invenio (*Rom.* VII). » Cum vero affectus justi visitante gratia vertitur in effectum, cum volentis imperfectio, operandi adducitur ad perfectum; tunc quasi Sara, quæ prius erat sterilis, fit fecunda, et Isaac generatur proles desiderabilis, et jucunda. Quo genito voti campos merito pater gaudet, et ei grandescenti applaudit plurimum, et adgaudet, quia fidelis quisque cum se videt prioribus illicitis non intentum, sed et sibi collata esse licita, et eisdem collatis dono gratiæ se contentum; digne et irreprehensibiliter gratulatur, quia hujusmodi operibus salutis debitum non negatur. Qui enim torum meretricium nesciens, in nuptiali thalamo demoratur, qui rapinam exsecrans, justo patrimonio, vel labore proprio sustentatur, qui nulli perperam inferens injuriam, patientibus suffragatur, qui nullius odio contabescens, cunctos sustinet, diligit, veneratur; is nimirum (si tamen in proposito perseverat) in æternum posse vivere non desperat. Per hoc opus licitum, spem salutis fiducialiter amplexatur, et super hac spei certitudine gratulatur, quemadmodum per filium sperata posteritas dilatatur, et super hoc filio pater non immerito jucundatur. Opera quidem in Scripturis filiorum nomine designantur, quia sicut ne posteritas deficiat, filii generantur; sic fidelis quilibet, quæ concessa et licita sunt, gratanter operatur, per quæ, et mortem evadere, et vitam assequi veraciter arbitratur. « Respice, inquit, in servos tuos, et dirige filios eorum (*Psal.* LXXXIX). » Et quasi exponendo subjungit : « Et opera manuum nostrarum dirige (*ibid.*). » Quia vero in his operibus, et præsentis vitæ suavitas non penitus removetur, et tamen vitæ quæ futura est non inaniter spes tenetur; nonnulli qui ea dono gratiæ sortiuntur, affectu quodam tenero tanquam filium amplectuntur. Gaudent quippe uxores licitas, et ex eis filios se habere, domos, agros, prædia possidere : frumento, vino et oleo sua cellaria redundare, his et cæteris anni successibus abundare; et considerantes per hæc se non solum non ad illicita provocari; sed etiam ab adulterio, furto, rapina cæterisve illicitis revocari; ei gratias agunt cujus eos larga benevolentia consolatur, cum eis et futura promittat, et bona præsentia largiatur. Hujusmodi Pharisæus ille sibi quasi filium habere videbatur, in cujus amplexu non mediocriter lætabatur, qui de perceptis beneficiis Deo gratias referebat, et se tanquam fecundum, orbatis et sterilibus præferebat. « Deus, inquit, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines, injusti, raptores, adulteri, velut etiam hic publicanus (*Luc.* XVIII). » Neque in hoc arguitur,

quod de perceptione munerum veraciter exsultavit, sed quia publicano minus providus insultavit, quia rei veritas ad justitiam non sufficere judicatur, sed ejusdem facies superjectæ fuco superbiæ deturpatur. Est ergo necessaria et humilis veritas, et verax humilitas, ut nec veritatem præsumptio contumax inhonoret, nec humilitatem adjuncta falsitas decoloret. « Jejuno, inquit, bis in Sabbato; decimas do omnium quæ possideo (*Luc.* XVIII). » Videtis hominem quæ terrena sunt, licite possidere, quæ tam sibi quam cæteris divinam legem noverat indulgere, quæ dum sibi, suisque percipit, ei debet gratiarum laudibus respondere, dono cujus eadem meruit obtinere. Cum autem quis dono gratiæ sese ad illicita non inclinat, et in bonis temporalibus molli accubitu se reclinat; cum quidquid illicitum novit, horret, et possessio licitorum a justitiæ regula non abhorret; non est mirum si suo statui sanctam applicat voluntatem, si gaudet ad hanc quasi voluntariam sanctitatem, cum et voluntas obsequitur sanctitati, et sanctitas blanditur voluntati. Iste est quasi filius cui pater Abraham adgaudere, in quo dilecto sibi dicitur **520** complacere; considerans quod in eo spem accipit sobolis nullis post temporibus desituræ, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ. « In Isaac, inquit, vocabitur tibi semen (*Gen.* XXI) ; » ac si dicat: Non solum gaudeas quod tibi datur filius in præsenti, sed quod per eum tua multiplicabitur soboles in sequenti; quia cum propter Deum operibus non nisi licitis impenditur cura, profecto sequitur præmiorum retributio permansura.

CAPITULUM XXIX.

Sed hunc aliquando sibi Deus filium vult offerri, qui cunctis debet temporalibus anteferri, qui fideles suos ideo beneficiis præsentibus consolatur, ut non tam munera, vel data sua, quam ipse munerum dator diligatur. Postulat ergo sibi dilectum filium immolari, cum admonet etiam concessa et licita relegari; cum fideles suos docet non solum quæ sunt prohibita non tenere, sed etiam causa sui ab his quæ jure possident, æquanimiter abstinere. Ille autem postulanti offerre filium non recusat, qui monitus ad contemnendum propria sese oppansione incongrua non excusat; non respondet quod tale quid non facere possunt omnes, objectans illud de trivio : « Non omnia possumus omnes. » Ille dilectum filium Deo dicitur immolare, qui accepta ejus beneficia non refugit eidem resignare, qui ad ejus nutum bona temporalia eligit non habere, vel eorum inopiam sine murmurio sustinere. Job ille sanctissimus hujusmodi videtur sacrificium obtulisse, cum omnia quæ licite possidebat, Deum largitorem sibi asserit abstulisse; cum pauper, et orbatus nullam infert calumniam ablatori, sed patientia præmunitus, agit gratias largitori. « Dominus, inquit, dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum (*Job* I). » Longe post apostoli Deo spontanei sacrificium obtulerunt, qui ad contemptum temporalium invitati, quæ possidebant, omnia reliquerunt, audientes quia sibi dignum perfectionis cumulum non apponit, qui postulatus altario filium non imponit, qui uxorem, filios, domos, agros, prædia obedientiæ non postponit, qui Deum largitorem acceptis ejus beneficiis non præponit. « Qui non renuntiaverit, inquit, omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus (*Luc.* XIV). » Verum quidam juvenis cum minoris capax obedientiæ, de majori quasi sollicitus haberetur, quæsivit a Domino quid faciens, vitam æternam habere mereretur : et cum a juventute sua se implesse mandata legalia fateretur, audivit concilium quo quasi dilectum offerre filium moneretur. « Si vis, inquit, perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus; et veni, sequere me (*Matth.* XIX). » Quo audito, juvenis, tristis, ut scriptum est, recessit : « erat enim, inquit, multas possessiones habens (*ibid.*). » Nolnit iste filium immolare, quem carnaliter diligebat, noluit perfectionis intuitu contemnere quæ diligens possidebat: forte idoneus non tangere pomum prohibitum, sed adhuc invalidus ascendere perfectionis culmen propositum. Fortior quidem primo Adam qui ad vetitum enerviter se inflexit, sed illo Abraham longe infirmior qui se ad fortia, sic erexit, ut se ostenderet audito mandato præsentium validum contemptorem, paratus Deo filium immolare, non tam datum diligens, quam datorem. Unde et in uno montium jubetur sacrificium hoc offerre, ut sciat quia Deum rebus debet omnibus anteferre; et sicut vallibus et campis, montis supereminet altitudo, sic præ omnibus quæ vel injuste, vel juste diliguntur, Dei debet diligi sanctitudo. « Offer, inquit, eum super unum montium quem monstravero tibi (*Gen.* XXII). » Montes quippe, virtutes sunt; unus autem montium qui nominatim nequaquam exprimitur, recte per antonomasiam dilectionis virtus accipitur; qua homo a terrenorum multis et variis nexibus expeditur, et uni Deo indissolubili nexu obedientiæ conjungitur. Quem etiam montem Deus sese asserit Abrahæ monstraturum, ut sciamus dilectionem Dei præter eum nobis neminem collaturum; sed ipse quia diligendus sit speciali gratia facit intelligi, intellectum vero facit et diligi. In qua dilectione jubet dilectum filium immolari, quia non sufficit, vel forte non proficit quæ possidemus vel diligimus aspernari; si in valle vel planitie intentionis pravæ non contemnimus demorari; si ad diligendum Deum non contendimus sublimari, si nostris operibus non invenitur charitas principari. Unde Apostolus : « Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest (*I Cor.* XIII). » Si quis ergo, vel terrenæ sacculum facultatis, vel forte hostiam offert propriæ voluntatis, necesse est offerat in monte charitatis, cui verus oriens superfundit æternæ radium claritatis. Ideo forte Abraham appellavit nomen loci illius *Dominus videt*, unde usque hodie dicitur : « In monte Dominus videbit (*Gen.* XXII), » quia Dominus dilectionis sublimem flagran-

tiam propitius intuetur, et ab ea nullius interpolatione nubis vel caliginis cohibetur. Super vallem vero quæ vitiorum sordibus tenebrosa, æstum nesciens charitatis, cunctis est virtutibus odiosa, nequaquam illucescit divini respectus facies luminosa, cujus clara sinceritas abhorret vitiosa; et ideo si qua ibi fit oblatio, non erit fructuosa, quantumvis numero, vel magnitudine copiosa. Est enim, ut scriptum est, Deus non vallium, sed montium (*III Reg.* xx). **521** Quod prudenter intelligens Josias, rex justissimus, sacrificia quæ in valle filii Ennon fiebant, studuit removere, sciens Deo profundarum sacrificia vallium non placere. « Contaminavit, inquit, Thopheth quod est in valle filii Ennon, ut nemo consecraret filium suum, aut filiam Moloch (*IV Reg.* xxiii). » Thopheth locus est in valle filii Ennon, ad quem filii Israel confluebant, ibique sensu perdito filios aut filias offerebant. Non timentes miseri non solum homicidia, sed et servientes superstitione miserâ fieri (*sic*). Thopheth interpretatur *oris protectio*, sive *oris periculum*. Et pulchre locus in quo malignis spiritibus immolatur, oris protectio nominatur, quia nequam illi spiritus, cum offerri sibi sacrificia gratulantur, cultores suos se protegere protestantur; sed eorum promissionibus perversi homines seducuntur, et seducti ad gehennæ periculum devolvuntur. Unde Thopheth interpretatur etiam *oris periculum*, quia et illi protectionem fallaciter pollicentur, et isti periculum veraciter promerentur; et ore pestifero illi peccantium se spondent protectores et in pœnis eorumdem exhibent postmodum derisores. Interpretatur etiam Thopheth *gehenna*, quia illorum protectio quasi quoddam initium est gehennæ, et in pœnis damnatio, nil nisi profunditas est gehennæ. « Thopheth, inquit, quod est in valle filii Ennon. » Ennon interpretatur *ecce hæc*, sive *sunt*, ac si dicatur: *Ecce hæc sunt*. Cum enim perversi spiritus perversos homines ad peccandum seduxerint, et in mortis æternæ periculum secum induxerint, dicunt eis: « Ecce hæc sunt; » ac si dicant: Ecce hæc sunt, vel loca, vel præmia quæ in castris nostræ militiæ meruistis, cum sub protectione nostra manere sensu perdito voluistis; cum oris nostri periculum vitare castigatis moribus noluistis; cum vestros nobis filios vel filias consecrastis, cum ea quæ vobis erant licita, nostro cultui dedicastis; cum spreto rege vestro, cui offerre sacrificia debuistis, regi nostro Moloch oblatis muneribus deservistis. Denique Moloch interpretatur *rex*. Ipse est, ut arbitror, filius Ennon, filius scilicet perditionis, filius æternæ illius damnationis; quæ diabolo, et ejus angelis præparatur, qua ipse consummata sua suorumque malitia muneratur. In cujus valle Thopheth non incongrue fuisse perhibetur, quia quidquid ille hominibus, vel insultans ingerit, vel decipiens pollicetur: non illustrat oriens solis visitatio luminosa, sed aggravat et obscurat vallis depressio tenebrosa. Recte ergo Josias contaminavit Thopheth. Tunc nimirum Josias Thopheth contaminat, cum quilibet justus rector subtili doctrina nobis insinuat quia non sit dæmonibus serviendum, nullis eorum voluntatibus obsequendum: nihil, quod eorum sit, nostris operibus admiscendum, nihil eis horum quæ diligimus offerendum. Tunc Josias Thopheth contaminat, cum doctor aliorum, suam quoque obedientiam prudenter examinat; cum in ea nil carnale, nihil patitur tenebrosum, intentionis intimæ non principium, non finem vitiosum, sed abhorrens profunda vallium, ad montana festinat pervenire, ibique fervens spiritu, Deo, propter Deum diligit obedire. Denique Maria accepto spiritu in montana abisse perhibetur, ut montanos cives concivis et ipsa miraretur, ut de montana tam sua quam illorum obedientia lætaretur, et nos etiam ad montana montanorum exemplo civium hortaretur. Recte ergo Abraham non in valle filium immolavit, sed in monte quem ei Dominus præmonstravit, quia nullum utile sacrificium invenitur, quod sale diligentis sapientiæ vel sapientis diligentiæ non conditur: « Omne, inquit, sacrificium tuum sale condies (*Levit.* ii). »

CAPITULUM XXX.

Sed quid est, quod Abraham paratus immolare filium, revocatur, et reddito sibi filio, præsentatus aries immolatur, nisi quod cum Domino rerum nostrarum oblatio perfectionis intuitu præsentatur, in præsenti retributio centupla nobis datur? Marcus evangelista: « Nemo est, ait, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut matrem, aut patrem, aut filios, aut agros propter me, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc (*Marc.* x). » Cum igitur mandatis vel consiliis evangelicis quivis obtemperat, offerens Deo quidquid temporaliter ante possederat, distractis rebus suis nullum se damnum existimat incurrisse, considerans se voluntariæ paupertatis perfectiorem thesaurum invenisse. Et quia rerum quamvis licitarum possessio temporalis, perfecto viro jam esse vitæ videtur animalis; recte velut inventus aries dicitur immolari, cum ipsarum rerum carnalis affectus obedientiæ ponitur in altari, ut quæ prius fuerunt lucra, jam pro Christo reputet detrimenta (*Philipp.* iii), et quod prius habitum, præsertim quia licitum, ad bene vivendum utile videbatur, nunc oblatum vel potius immolatum longe utilius habeatur. Isaac enim redditur vivus patri, quia tanta perfectio, tantum conceditur gaudium voluntati, ut oblatis reddita præferens, intelligat sic perfectius adimpleri, quod ei divina miseratio voluit polliceri. « In Isaac, inquit, vocabitur tibi semen (*Gen.* xxvii); » ac si dicat: « Centuplum accipies, et vitam æternam possidebis (*Matth.* xix). » Si possessio vel dilectio rerum temporalium velut aries immoletur, immolanti velut redditus Isaac centena retributio conferetur, in qua semen, id est perfecti **522** operatio non jam sustineat detrimentum, sed sobolis postfuturæ, id est retributionis permansuræ optatum accipiat incrementum. Job nimirum justo veteri, quia rerum suarum ablationem patienter

sustinuit, fenore duplicato munificentia divina restituit, ut sciretur quanti sit meriti patientia quæ obedit, quæ damnis provocata, corde firmo, labiis non excedit. Noster autem obediens qui sermonibus evangelicis informatur, qui jam non umbræ rerum sed veritati potius conformatur : larga manu suam Deo donat pecuniam ad usuram, et ab eo largiorem multo recipit ad mensuram. Recipit enim in præsenti, non sicut Job, dupla, vel forte quod amplius est decupla, sed ejus receptio evangelio prædicante fit centupla. Qui numerus nescit vitæ veteris imperfectum, sed perfectus transit perfectius ad perfectum, quia sicut decem ductis decies perfectio fit centena, sic ductis centum decies consummatio fit millena. Quem numerum, ut existimo, Deus Abrahæ mysteriaB liter pollicetur, quod sua videlicet obedientia consummetur, cum semen ejus in Isaac asserit et vocari, et vocatum stellis cœlestibus comparari. Ille autem mysterium prudenter intelligens obedientiæ laxat lora, et oblitus quæ retro sunt, pronus extenditur ad priora, dum et Isaac postulatum offerre non detrectat, et quem acceptum diligit, eumdem sibi redditum plus acceptat. Perfectio enim quæ offerentibus propria redonatur, multo amplius, multo rectius acceptatur, quia quod ad simplum est centuplum differentis merito quantitatis, hoc est ad propria perfectio recepta voluntariæ paupertatis.

CAPITULUM XXXI.

Quamvis in oblatione et redditione Isaac existimem quid subtilius designari quod nostris obedientibus potest perfectius assignari, quod Abraham cum filium C acciperet et oblatum reciperet in spiritu forte vidit, et amplectens umbram, rei veritatem sequentibus non invidit. Abrahæ quidem Sara matrimonio dicitur copulari, cum nostro spiritui divina proponit gratia suffragari, ut ejus ope et ministerio fecundetur, et bonorum operum fecunda sobole jucundetur. Sara autem *princeps* interpretatur, quia bonis operibus spiritualis gratia principatur, sine qua nihil boni quisquam operatur, cum bene operantem ipsa misericorditer et præveniat et sequatur : « Sine me, inquit, nihil potestis facere (*Joan.* XIII); » sed, quamvis hæc gratia et sit spiritualis veraciter et dicatur, in eo tamen quem adjuvat non spiritualia primitus operatur; non eum reddit profectu præpostero spiritaD lem; sed primum sustinet, fovet, complectitur animalem. « Non prius, ait Apostolus, quod spiritale, sed quod animale, deinde quod spiritale (*I Cor.* XV). » Et dum gratia spiritalis videtur se a spiritalibus coarctare, recte quasi conclusa dicitur vulva Saræ, et ex ea non proprie nasci filius prohibetur, sed ejus parturitio usque ad tempus magis conveniens inhibetur. Ejus enim proprie filius existimatur, qui omnia judicans spiritalis a nemine judicatur, qui ad unguem perfectis virtutum meritis informatur, et matri spirituali expressa similitudine conformatur (*I Cor.* II). Quem filium dum se videt adhuc gratia non habere, non vult tamen spiritum, quem complectitur, sterilem permanere, sed ad congrua opera A eum interim satagit invitare, et ancillam suam ei dispensatione utili copulare : « Ingredere, inquit, ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios (*Gen.* XVI). » Ancilla hæc ad quam Abraham monente Sara ingreditur, vita activa, seu actio laboriosa non inconvenienter accipitur, quæ ideo ancilla Saræ congrue fuisse perhibetur, quia et ipsa fecunda vel utilis, nisi dante gratia, non habetur. Quæ primum procul dubio fructum facit, cum pro posse suo rudis obediens aspiranti gratiæ satisfacit, cum ad agendum quæ justa sunt temporalia, se extendit, et per hæc nisi Deo præcipue placere non intendit. Abraham de ancilla filium dicitur generare, cum de vita activa invenitur fructus boni operis pullulare, cum suos quisque mores prudenter inB format et componit, cum suos in judicio exteriores ordinat et disponit, cum sic bonis temporalibus amat uti, ut diligenter studeat eorum affluentia non abuti, cum sic uxorem licitam diligit se habere, ut tamen non recuset orationi ad tempus inhærere, cum forte uxore postposita et abjecto sacculo pecuniariæ facultatis, transfert se justorum in conventum, majoris intuitu sanctitatis, ibique ad nutum obedientiæ bonis operibus insudat gnaviter et insistit, fratrumque utilitatibus deservire humiliter non desistit. Iste est qui de ancilla filius generatur, ista sunt in quibus vita activa plurimum fatigatur, erga quæ Martha sollicita frequenter perturbatur, donec tandem Mariæ otium mens nostra proficientibus meritis assequatur. In quo nimirum otio primus C homo fuerat constitutus, mandatoque divino ad sui custodiam prudenter institutus, ut scilicet intra metas quietis et justitiæ se teneret, qui ad hoc factus erat, ut pacatos fines quasi jure proprio possideret. Sed quia seductæ uxoris acquievit consilio, pulsus procul est ab ejusdem quietæ possessionis confinio; et zabuli deceptoris voluntati nequiter obsecutus, amissis propriis miserabiliter est ad impropria devolutus, **523** dum puritate ingenitæ nuditatis exutus, alienæ est pannis miseriæ graviter obvolutus. Hæc ergo afflictio temporalis a qua sibi quisque sentit plurimum contradici, non civis proprie, sed potius advena debet dici; quæ aliunde veniens invasione molesta nostros fines quietos impetivit, dum invidia D diaboli « mors in orbem terrarum, sicut scriptum est, introivit (*Sap.* II); » cæterum hæc advena jam fructuosa nobis efficitur, jam ex ea nobis medicamentum salubre conficitur; si tamen ab obsequio Saræ nequaquam avertitur, si ad faciendum fructum consilio maturiori convertitur. Sicut enim actio nocet laboriosa cum per devexa discurrit voluptatum, sic juvat, cum miseranti gratiæ humiliter exhibet famulatum, cum non imperat more civis intra fines patrios exsultantis, sed hospes et advena convertitur ad obsequium imperantis. Unde et ancilla cui Abraham, monente libera, dicitur copulari, Agar non incongrue legitur nominari; in quo nomine hujus rei significatio est expressa. Agar enim interpretatur, *advena*, vel *conversa*. Et pulchre advena

vel conversa, quia homo laboriosam nesciret penitus actionem, sed ut propriam possideret quietis continuæ mansionem ; si in eo quod factus erat, manere voluisset, si injunctam sibi obedientiæ regulam tenuisset. Quæ tamen actio nostræ jam saluti non penitus est adversa, sed in medicinale remedium est conversa ; dum limam vel exercitium obedientiæ præbet cuivis imperfecto, illo salubriter disponente « Qui fingit laborem in præcepto (*Psal.* xciii). » De qua et filius procedit anterior quidem natu, sed inferior prioratu : super quo matrem non dilato ejus desiderio Deus audit, qui tamen adhuc Saram desiderantem etiam parere non exaudit. Quodpropter etiam idem filius ancillæ Ismael appellatur, Ismael autem *auditio Dei* interpretatur, quia cum rudis obediens manus strenuas injunctum exerit ad laborem, Deus non vocum sed operum audit, propitius hunc clamorem : « Vocabis, inquit, nomen ejus Ismael, eo quod audierit Dominus afflictionem tuam (*Gen.* xvi). » Sic etiam illa uxor Jacob Lia quæ *laboriosa* interpretatur, quæ fuisse lippa Scripturarum testimonio declaratur, primum quidem peperisse filios perhibetur, cum Rachel quæ interpretatur *ovis*, seu *videns principium* adhuc conclusione sterili premeretur. Longe post uxorem Elcanæ Phenennam, Anna quæ interpretatur *gratia*, adhuc sterilis haberetur (124), et de ejus sterilitate ipse Elcana non mediocriter tristaretur : « Annæ, inquit, dedit partem unam tristis, quia Annam diligebat (*I Reg.* i). » In quibus tam Jacob quam Elcanæ uxoribus vivendi quædam signatur diversitas, cui diversitati nequaquam damnabilis inest perversitas ; sed diversis generibus diversa quædam utilitas, quam utilitatem et utilitatis diversitatem Scripturæ mysterialiter commendat auctoritas. Per Liam quippe, labor et actio, per Phenennam vero, ejusdem laboriosæ actionis signatur conversio, quia vita activa eis convertitur in salutem, qui velut Agar Ægyptiam, laboriosam amplectuntur obedientiæ servitutem. Per Rachel, quæ *ovis* aut *videns principium* dicitur, innocens puritas et quædam accipitur visio principalis, per Annam vero gratia spiritualis, quia post vitæ limam vel exercitium actualis, per quod homo proficiens esse desinit animalis, ad contemplandum Deum abundantiore gratia pervenitur, in cujus abscondito faciei perfectus obediens sepelitur, qui sejunctus a temporalibus, quorum ad horam sollicitudine devincitur, contemplandæ veritati liberam tandem diligentiam impertitur. Prius ergo de Lia vel Phenenna, sive Agar Ægyptia filius generatur, quia de vita laboriosa primum posteritas operum propagatur, quæ quidem opera actualis fatigatio non proferret, si gratia spiritualis aliquid ei de jure proprio non conferret.

CAPITULUM XXXII.

Quod enim noster obediens ad ancillam liberæ se inclinat, quod prolis intuitu, ab illius vigorosa copula non declinat, donum est gratiæ, quæ et quidquid vult, imperat privilegio libertatis, et explendi efficaciam subministrat largæ munificentiæ bonitatis.

(124) Phrasis manca.

Arguenda igitur est ancilla, si adversus dominam insolescit, si vita activa contra spiritualem gratiam intumescit ; si cum largo illius munere fecundatur, ipsa spiritu contumaci ejus suave dominium aspernatur. « Ego, inquit Sara, dedit ancillam meam in sinu tuo ; quæ videns quod conceperit, despectui me habet (*Gen.* xvi). » Tunc quippe ancilla concipiens Saram videtur despicere, cum se vita activa de fructu boni operis aliquantulum præsumit extollere ; cum menti suggerit, ut spiritualibus negotiis non magnopere curet insistere, sed magis exterioribus curam impendere ; eique proposita quasi rei utilitate blanditur, quæ scilicet apud se promptior et paratior invenitur. Ancilla hæc typum illorum mihi videtur obtinere, qui cum se viderint in exterioribus prævalere, suoque ministerio fratres aliquantulum indigere, putant se illis virtutum merito præeminere ; quos attendunt spirituali otio tenacius inhærere. Quia enim ministerii sui utilitas quasi coram posita non differtur, illorum autem qui vacant, otio spirituali cito ad medium non profertur, vitam suam pluris existimant præsentialiter fructuosam, altoque supercilio illorum despiciunt 524 sterilem, otiosam. Cujusmodi præsumptio cum obedientis animo se immergit, eumque seducere suspenso ac tacito passu pergit ; ille si hanc seductionis nebulam statim a foribus non abstergit, si assensum tribuens vel ad modicum in aliam partem vergit ; occurrit spiritualis gratia, et condemnat sententiam falsitatis, arguit spiritum declinantem et ad regulam revocat æquitatis : « Inique, ait, agis contra me : ego dedi ancillam meam in sinu tuo, quæ videns quod conceperit, despectui me habet : judicet Deus inter me et te ; » ac si dicat : Non est æquum ut tu quem volui negotiis exterioribus erudire, qui eras invalidus solis spiritualibus studium impertiri ; activam tuam patiaris de fructu suo temere superbire, fastuque præsumptivo contemplationi spiritualium contraire ; ejusque velis ausui vel ex sententia, vel ex patientia consentire, quem a justi regula constat plurimum dissentire. « Judicet, inquit, Deus inter me et te. » Inter me, cujus dono ad ancillam fertilem accessisti, et te qui ejusdem ancillæ tumorem vel ad modicum procedere concessisti ; judicet Deus et discernat causam nostram, commendans prout dignum est meæ benevolentiam largitatis, arguens et emendans tuæ consensum voluntatis. Cum justi spiritum divina correctio sic percellit, in quo mali propositi venenosa intentio non præcellit ; qui maligni hostis non amplectitur avidus hortamenta, sed ejus forte, velit, nolit, sustinet tentamenta ; cum hujus, inquam, spiritus sentit se divino monitu coerceri, et inspirante gratia gaudet plenius edoceri ; prudenter satis videtur respondere, prudentique responso, si quid culpæ contraxerat removere : « Ecce ancilla tua in manu tua est, utere ea ut libet (*ibid.*). » Scio, ait, quia activæ contemplativa jure debito principatur, laborioso negotio spirituale otium enim dominatur, Mariæ audienti Martha satagens fatigatur ; laboran-

tis actio fructuosa spiritali gratiæ famulatur, cujus largo munere optati fructus onere honorabiliter fecundatur. Dignum ergo est ut non hujus beneficii sit ingrata, sed tibi semper humilibus obsequiis inclinata; eamque subditam in manu tuæ habeas potestatis et ea justo ordine utaris ad libitum voluntatis. Quod si levitate muliebri præsumpserit aliter quid sentire, et contra rectum ordinem, procacitate garrula vel mutire, assensum illi mea virilis discretio non præbebit, sed tuo spirituali consortio spiritaliter adhærebit. Cum enim ad eam non accesserim æstu luxuriandi, sed potius gratia generandi, nolo sic me sua carnali alliciat voluptate, ut recedam a sincera spiritualium sanctitate. « Affligente igitur, inquit, eam, id est Agar Sarai; fugam iniit (*Ibid.*). » Affligitur quidem Agar, cum quisque obediens sentit sibi spiritaliter intimari, quod in suo forensi opere non debeat gloriari; cum profectus exterior penitus evanescat, si flabro vanitatis interior dilectio refrigescat. Fugam autem inire Agar non incongrue perhibetur, cum a laudis appetitu idem obediens impulsu gratiæ removetur, cum sciens eum decipi qui mercedem transitoriam sibi sperat de suorum meritis operum salubriter jam desperat. Fit quippe obedientium forensis actio quodammodo fugitiva, cum melius instructa compellitur a spe recedere præsumptiva; cum intelligit quidquam boni operis a se sibi non esse, et relicta gratia spiritali, nil, nisi defectum et miseriam superesse : « Cumque invenisset, inquit, eam Angelus Domini in solitudine, dixit ad eam : Agar ancilla Sarai, unde venis et quo vadis? Quæ respondit : A facie Sarai dominæ meæ ego fugio. Dixitque ei Angelus : Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu ipsius (*ibid.*). » Et rursus : « Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum; et non numerabitur præ multitudine (*ibid.*). » Agar fugitivam Angelus Domini dicitur invenire, inventamque affatu consolatorio convenire; cum activam nostram divinus sermo permittit ultra vires tentari, sed occurrens dignatur doctrina multiplici consolari; exhortans et admonens, ut ab eo quod stulte præsumpserat avertatur, et ad obediendum spirituali gratiæ humiliter revertatur. « Revertere, inquit, ad dominam tuam; et humiliare sub manu ipsius. » Hoc nimirum multis in locis invenitur sermo divinus commonere, hoc divina Scriptura tam in novis quam veteribus paginis edocere, ut scilicet nullus de suis operibus præsumat gloriari, sed assignet gratiæ quidquid boni prævalet operari. Qua doctrina si quis velut Angelo visitante fuerit institutus, et eidem inclinato supercilio humiliter obsecutus, audiet consequenter quod eidem divina visitatio pollicetur, quod humiliter obsequenti pollicens benevolentia vel miseratio largietur : « Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, et non numerabitur præ multitudine (*ibid.*) » ac si dicat : Si is qui in exterioribus viriliter exercetur, imperio spiritualium humiliter obsequi non gravetur; si quod forte in labore proficit actuali, non sibi arroganter, sed assignet gratiæ spiritali; si cum occupatur et satagit circa Marthæ ministerium et laborem, partem Mariæ sedentis esse tamen intelligat meliorem : is profecto semen suum, id est operationem sentiet tam multipliciter propagari, cujus propagatio non poterit præ multitudine numerari.

525 CAPITULUM XXXIII.

Post hæc dixit Deus ad Abraham : « Uxorem tuam vocabis Saram, et benedicam ei; et ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum. Cecidit Abraham in faciem suam, et risit dicens in corde suo : Putasne centenario nascetur filius, et Sara nonagenaria pariet? Utinam Ismael vivat coram te! » (*Gen.* XVII.) Postquam Abrahæ de ancilla Ismael generatur, postquam de vita laboriosa profectus boni operis propagatur; postquam imperio spiritualium noster obediens est humiliter obsecutus, et in forensi negotio dignum laudis meritum assecutus; Deus qui juxta Apostolum (*Rom.* II) dives est in bonitate, obedientem suum nova quadam visitat largitate, ut qui se strenue in negotio exercuit actuali, majorem accipiat profectum in otio spirituali : « Ex illa, inquit, dabo tibi filium, cui benedicturus sum (*Gen.* XVII), » habenti filium de ancilla, promittitur filius et de libera, quia qui in modico exhibuit se fidelem, dum ad nutum Saræ genuit Ismaelem, dignus videtur ad aliquid amplius promoveri, in quo benedictionem majorem valeat promereri. Quod quid ei divina dignatio tunc promittit, cum eum in contemplationis suæ quasi quoddam vestibulum intromittit; et ei speculanti jam incipit vel tenuiter sublucere, quam jucundum, quam bonum, sit Deo, quietis et otii complexibus adhærere. Qui cum sentit hujus lucis tenui radio se perfundi, et ejus charitatem in corde suo per Spiritum jam diffundi, de promissi novitate gaudii non ridere, id est imminenti beneficio diligit adgaudere : « Risit, inquit, Abraham, dicens in corde suo : Putasne centenario nascetur filius? » Cum obedientis spiritus incipit invisibilia per speculum intueri, intelligens sibi Deum magis solito polliceri, ridet et tanquam sit incredibile quod promissum fideliter præstolatur, apud se in silentio promissionis magnitudinem admiratur : « Putasne, inquit, centenario nascetur filius? » Non hoc dicit desperando, sed potius admirando; admiratur enim qui de acceptis beneficiis dignas laudes non sufficit exhibere, quomodo majora merebitur obtinere. Ille autem obediens recte centenarius appellatur, qui vitæ activæ labore et studio consummatur; qui tantum illius fastigium conceditur adipisci, ut exinde sentiat perfectum fructum boni operis proficisci. Cujus perfectionem dum considerat se habere, videtque in spiritu majorem sibi alteram imminere; tantam Dei munificentiam admirans hilarescit, et de se nec præsumens ad tantum beneficium obstupescit. Ne autem videatur quod imminenti beneficio sic intendat, ut animo negligenti dona præterita vilipendat; ostendit quia sibi mediocre vel contemptibile non videtur, si quod

jam adeptus est, ei dono gratiæ conservetur. « Utinam, inquit, Ismael vivat coram te! » Utinam quod in activa sub fasce obedientiæ laboravi, quod ex eo labore et sudore qualecunque mihi meritum comparavi, vivat coram te, id est dignum sit tuo conspectui complacere, et in eo merear gressu stabili permanere. Neque enim parvum me beneficium arbitror obtinere, si quod acquirere potui, possum etiam retinere; si in eo quo me tua benevolentia voluit collocare, dignetur etiam, ne tentatus deficiam, confirmare vel servare. « Utinam, inquit, vivat coram te! » Et signanter ait, coram te. Plerumque enim homo in suo vel aliorum conspectu bominum quasi gnaviter operatur, et tamen idem in conspectu Dei mortuus judicatur; quia ipse, cujus oculus nulla pituita, nullo pulvere tenebratur, solus perfecte videt cujus opus vivere mereatur; quo fructu quo fine bonis operibus studium impendatur. « Utinam, inquit, vivat coram te! » quod labore et studio acquisivi, quod jussioni tuæ, vel curandis exterioribus, obedivi; quod te imperante, activam sum, spe sobolis, amplexatus, quod in ea modicum quid tuo munere sum lucratus. Quod si post hujus tuæ beneficia largitatis spondes te apponere majora novæ munera sanctitatis, ut quem pressit et afflixit quotidiana exteriorum sollicitudo, quæ te suscipiat, susceptum deliniat interna spiritualium pulchritudo, quis ad tantam gratiam non hilariter obstupescens incomprehensibiliter hilarescat! Quia vere fervens desiderio dilationem vix potest sustinere, nec ei quidquam sufficit, quandiu quod desiderat se intelligit non habere, quod aio: « Putasne centenario nascetur filius, » dico procul dubio non desperans, sed magis curiosum et impatiens esse meum desiderium asseverans. Ne autem hujus desiderium nimiæ dilationis gravedine defatiscat, imo ut quo differtur amplius, eo amplius concupiscat, eleganter Deus et iterat sponsionem, et differt dationem, ut iterata sponsio exspectantem ultra vires non sinat fatigari, et dilatum dilatio faciat avidius exspectari. « Ait Deus, inquit, ad Abraham: Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac: et constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum (*ibid.*). » Non solum Deus suam illi sponsionem voluit iterare, sed iteratam adjectione grata commendabilem demonstrare; dum insinuat quale nomen eidem filio sit futurum, quem obedienti suo asserit se daturum. « Vocabis, inquit, nomen ejus Isaac (*ibid.*). » Isaac, *visus* vel *gaudium* interpretatur. Bona promissio, quæ risus vel gaudium meretur nominari, quæ tristitiæ **526** languescentis nescit caligine tenebrari; per quam noster obediens delectabili suavitate cœlestia jam prægustat, et eum in futuro difficultas aliqua non angustat. Hæc enim pietas promissionem habet vitæ quæ nunc est, et futuræ (*I Tim.* IV); qua obedientem et in præsenti vita speculandi inchoata suscipit altitudo, et eumdem in futura fruendi consummata perficit latitudo. Unde et adjungit: « Et constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum (*ibid.*). » Et quidem, quod hic spiritualiter inchoatur et perficitur in æternum, pactum suum Deus in fœdus constituit sempiternum, dum sicut temporalia facit tempore terminari, sic post finem temporis, illud felicius consummari. Et ne cassum videatur quod obediens in exterioribus tantam studuit diligentiam adhibere, cum illa non dicantur in æternum, sicut spiritualia, permanere; ostendit Deus ea non debere inutilia judicari, quamvis ea nullo modo spiritualibus comparari. « Super Ismael quoque, ait, exaudivi te: ecce benedicam ei, et augebo, et multiplicabo eum valde. » Tunc nimirum super Ismael Abraham exauditur, tunc in vitæ actualis operibus profectus amplior invenitur; cum ipse obediens ea Deo vivere, id est Deo desiderat complacere, et tamen pluris ducit, spiritualibus inhærere. Quorum differentia, ut adhuc quasi certius cognoscatur, quod paulo ante dictum est, iterum replicatur, cujus replicatio quo amplius obligat promissorem, eo videtur reddere illum, cui promittitur, certiorem. « Pactum vero meum, inquit, statuam ad Isaac (*ibid.*). » Ut autem hilarem obedientis redderet appetitum, exhibendi promissi tempus nominat definitum, quia plerumque gratior, vel promissio certa, vel promissionis habetur certitudo, cum eam non aggravat infinita temporis longitudo. Ideo ait: « Quem pariet tibi Sara in tempore isto anno altero (*Gen.* XVIII). » Tempore quidem isto spondet Isaac nascitur [nasciturum?], cum divini gustus dulcedine noster obediens sperat se et prævidet adepturum; non solum in illa cum facie ad faciem Deus cunctis fidelibus revelatur, sed et in hac vita, cum nondum ad liquidum noster oculus declaratur. « Tempore, inquit, isto anno altero (*ibid.*). » Per annum, perfectionem existimo designari, quia sicut annus multiplicato dierum numero dicitur consummari; sic operum temporalium collectione, vitæ perfectio actualis, et operum profectu spiritualium coalescit perfectio spiritalis. Unus ergo, vel primus annus, illa perfectio est, quam sibi quisque obediens videtur acquirere, cum temporalibus curis et operibus studet insistere, cum injuncta sibi exteriora prudenter exsequitur, et in exsequendo ea perfectionis profectum assequitur. Alter vero annus, illa est perfectio, ad quam post vitæ laboriosæ exercitium pervenitur, cum a curis exteriorum obedientis animus expeditur, totoque desiderio studiis spiritualibus se immergit, et ad speculandum Deum devotionis manu faciem suam tergit. In hac perfectione, quasi anno altero Deus nasciturum esse Isaac pollicetur, ut in spe nasciturі noster obediens collætetur, sciens non solum quantus, verum et quando ei tandem filius orietur, cum scilicet tempore isto altera ei perfectio tribuetur. Quem Deus et spe grata satis pro tempore delinitum, et ipsa re dilata ferventiorem ejus considerans appetitum, tandem implet quod promiserat, ut quem suspensum reddiderunt verba diu-

tius promissiva, gratius et perfectius ipsa reficiant completiva.

CAPITULUM XXXIV.

« Visitavit, inquit, Dominus Saram suscepitque et peperit (*Gen.* XXI). » Visitat Dominus Saram, cum obedienti suo auget beneficium gratiæ spiritalis; ab eo longe faciens tumultum negotii temporalis, cum ejus desiderio concedit largius quietem otiosam, et ejusdem gratiam otii, vel quietis efficit fructuosam. Fit autem fructuosa, cum quietus obediens contemplandi tendens ardenter ad perfectum, in ipso profectu tanta sentit dulcedine se affectum, ut eadem dulcedo, quasi merces jam digna videatur, propter quam non immerito contemplationi studium impendatur. Oblitus quidem quæ retro sunt, ad inquirendam et tenendam æstuat veritatem, affectuque tenero inventam ejus amplectitur puritatem, quo amplexu ineffabiliter delectatur, delectatione cum Paulo : « In cœlestibus, conservatur (*Philip.* III). » Cum enim perfectum obedientem spiritalis occupat lectio, post lectionem pura et defecata delinit oratio, legendi beneficio vel orandi suspendit meditatio, et eum in his omnibus compungit vel potius inungit grata devotio, constat eum quodammodo choris angelicis interesse, non corpore, sed spiritu divino vultui præsto esse, raptusque in excessum nil sibi æstimat jam deesse, dum oblatis inhians cum Petro dicit : « Bonum est nos hic esse (*Matth.* XVII, 4). » Istud bonum, iste fructus, iste quasi filius, cui non possit merita complacere, quis eum recte sapiens non desideret obtinere, quis in ejus obtentu digne sufficiat congaudere, quis tali gaudio non gaudeat arridere? « Vocavit, inquit, Abraham nomen filii sui quem peperit ei Sara, Isaac (*Gen.* XVI); » Isaac autem *risus* vel *gaudium* dicitur. Et pulchre, Risus vel gaudium, quia perfectus obediens in hujus adhuc vitæ miseria constitutus, et hunc dono gratiæ fructum dulcedinis assecutus, vix humanæ mentis angustia suum gaudium comprehendit, **527** majus quo, nullum, vel etiam simile deprehendit. Etsi enim antea in profectu exteriorum operum lætabatur, cum in illo tantum expers adhuc spiritualium versabatur, illud tamen gaudium longe fuisse aliud judicatur, quod in temporalibus et transitoriis quodammodo etiam transitorium habebatur. In his quippe exterioribus prudenter laborare, et in eorum labore et studio proficientibus meritis exsultare; sicut habet hic initium, sic etiam hic finitur, quia in cœlesti mansione quidquam tale nullatenus invenitur. Ibi nemo curis et laboribus exercetur, nemo in transitoriis gaudere perhibetur; sed omnibus illic habitantibus quies læta, silentium jubilans, gaudia sunt quieta. Dulcedo quorum ab his, etiam in hac vita largo munere prægustatur, a quibus abundante gratia contemplandi suavitas degustatur; cum scilicet mens eorum a terrenarum cogitationum turbore (*sic*) vacuatur, et ad terendam semitam puritatis amore sereno dilatatur. Sic igitur hoc gaudium hic incipit, ut hic non etiam terminetur, sed inchoatum in hac vita, in cœlesti gloria perfectius consummetur, in quo tanquam in Isaac vocari perhibetur semen serenius operandi, et in eo semine benedici posteritas indeficiens contemplandi. Ideo Sara, videns quod Ismael grandiusculus cum parvulo Isaac jocaretur, prudenterque intelligens quid tali non tam ludo quam ludibrio signaretur : « Ejice, inquit, ancillam et filium ejus, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac (*Gen.* XXI) : » Ismael grandiusculus cum parvulo Isaac dicitur, et ludens ei conatur illudere, cum temporalis actionis jucunditas, quæ prius et facilius convalescit, adversus spiritalem, adhuc quasi rudem et teneram aliquantulum insolescit; cum blandiens obedientibus quasi promptior et paratior vult videri, ipsosque obedientes a difficultate spiritualium removeri. Plerumque enim quod facilius obtinetur, familiarius occurrit, quod magis usitatum est, licet expellatur, recurrit; qui occursus vel recursus recte ludus, sive illusio judicatur, cum ejus nonnunquam lenocinio contemplantis acies retundatur, in cujus corde gratuita Dei miseratio colludium videt volvi, volens eum ad consensus noxii errorem non devolvi; dignatur quasi duris eum monitis erudire, et pene dubitanti, eruditione celeri, subvenire. « Ejice, inquit, ancillam et filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. » Nolo, inquit, existimes quod activa contemplativæ aliquatenus sit æqualis, quod illius jucunditate dignitatem obtineat gaudii spiritalis, quod illius labor tumultuosus, quamvis pro suo modulo fructuosus, ad cœlestem transeat mansionem; ibique sub priori negotio cura vel exercitio divinam obtineat visionem. Hanc existimationem a secreto tuæ conscientiæ pelle foras, cujus præsentia nobilitatem Isaac non mediocriter decoloras, si activæ, vel ejus temporali gaudio conferas sempiternum, si, quod transit cum tempore, manere existimes in æternum. « Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. » Perfectio exteriorum operum cum spirituali jus hæreditarium non obtinebit, sed illa cessante, ista in æternum quod suum est, possidebit; et quod inpræsentiarum meruit dulcedine suavi persentire, ibi tanto suavius, quanto manifestius, gaudebit invenire. Unde in Evangelio Dominus : « Videbo, inquit, vos et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis (*Joan.* XVI). » Videt suos Deus, cum eis revelat oculum contemplandi, cum eis contemplantibus infundit gratiam prægustandi; cum de suæ dulcedinis gustu illis plurimum dat gaudere, promittens huic gaudio nullum terminum imminere. Quia vero in hujus vitæ statu nulla sunt oblectamenta, quibus non immineant tentamenta (est enim tentatio vita humana, super terram) post tanta beneficia quæ obedienti nostro divinitus conferuntur, ei quoque tentationes ab ipso Deo nihilominus inferuntur. « Tentavit, inquit, Deus Abraham dicens : Tolle filium tuum quem diligis Isaac; et offer eum in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi (*Gen.* XXII). »

Mira res! Tanto ante tempore Deus promiserat Abrahæ quod ei filius nasceretur, prædicens etiam quod idem filius nomine censeretur, in quo filio semen eidem Abrahæ vocaretur, et in eo semine benedictio gentibus conferretur. Nunc autem sibi Deus eumdem filium postulat immolari, tanquam immolatus possit feracius dilatari. Justus vero Abraham cujus fides commendabilis prædicatur; Deum promittere nil superfluum, arbitratur; sed plenissime sciens quia quæcunque promisit, potens est et facere, non recusat ei filium immolare, cui, sicut vitam dederat, sic et a mortuis poterat excitare.

CAPITULUM XXXV.

Tunc quippe Deus sibi filium Abrahæ vult offerri, cum omnibus datis suis se ipsum postulat anteferri ut quod justus gaudet per speculum in ænigmate (*I Cor.* XIII) contemplari, non sibi, sed Deo sciat id debere gaudium assignari. Tunc Abraham filium, quem diligit jubetur immolare, cum is cui datur contemplando cœlestium dulcedinem degustare, non propter se cui datur, vel propter id quod datur, sed propter eum a quo datur, intelligit diligendum; amoremque dulcedinis degustatæ ad eum qui contulit referendum. Cum enim quis collata sibi Dei beneficia gratanter amplexatur, **528** et propter ipsa, Deum largitorem consequenter diligere gratulatur, habet quidem fructum non mediocrem gaudium spiritale, sed eidem adhuc inhæret gaudio quiddam aliquantulum animale. Plerique Deum non solum non diligunt, sed etiam odio persequuntur, ejusque miseri donis temporalibus abutuntur, sic amantes visibilibus carnaliter inhærere, ut quemadmodum canem ab uncto corio nulla eos valeant flagella absterrere. De qualibus David : « Superbia, inquit, eorum qui te oderunt, ascendit semper (*Psal.* LXXIII). » Et per Amos : « Misi, ait, in vos mortem, et percussi in gladio juvenes vestros; et non redistis ad me, dicit Dominus (*Amos* IV). » Et per Jeremiam : « Frustra, inquit, percussi filios vestros; disciplinam non receperunt (*Jer.* II). » Plerique autem videntes sibi temporalia quæ diligunt abundare, Deum largitorem incipiunt collaudare; parati quidem si pleni fuerint gratias exhibere, et econtra murmurantes, si forte cœperint indigere. Unde et David : « Confitebitur, ait, tibi cum benefeceris ei (*Psal.* XLVIII). » Et cum in eremo populus Israel moraretur, murmurasse pro aquæ penuria perhibetur. Quidam vero considerantes, quam terribiliter suis Deus contemptoribus comminatur, et e regione, quæ, et quanta se conferre suis dilectoribus protestatur, a timore inchoantes ad amorem tenerum sapiendi, vel ad sapientiam proficiunt diligendi. Qui, quo amplius in prudenti dilectionis dulcedine munerantur, eo spe certiori, majora in futuro munera præstolantur; et quo cœlestium munerum spem percipiunt ampliorem; eo amplius ipsum diligunt largitorem. Attendentes quippe quantam in itinere suis fidelibus dat virtutem, meritoque virtutis quantam in patria dat salutem; tanta illius bonitate laudabiliter excitati, diligendo respondent ejusdem bonitati, diligunt diligentem, eligunt eligentem, ardentque ad eum tota devotione converti, quem sibi propitium, multis jam beneficiis sunt experti. In persona quorum Propheta dicit : « Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi (*Psal.* LVI); » et alibi : « Convertere, inquit, anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. (*Psal.* CXIV.) » Cum autem isti de acceptis beneficiis spiritalibus hilarescunt, et propter ipsa, ad diligendum Deum laudabiliter incandescunt; tanquam filium Isaac videntur ulnis tenerioribus amplexari, sperantes per eum posteritatis suæ seriem dilatari. Sed ut spes eorum solidior et perfectior habeatur, et in rem multo efficacius convertatur, vult Deus, ut a perfectis idem sibi gaudium offeratur, id est, ut suis ipse muneribus præferatur, ut non tam de illis, quam de ipso qui contulit gaudeatur. Offert igitur gaudium suum Deo, qui de suis jam muneribus non gaudet (*II Cor.* VI), sed de eo, qui diligit eum de corde puro, et conscientia bona, non quia suis dilectoribus vel temporalia, vel spiritualia confert dona; sed quia summe bonus est in natura, cujus luminosam non attingit munditiam mens obscura. Ad quam ejus dilectionem Scriptura sacra fideles nititur erudire, sed erudienti non nisi perfectus quisque sufficit obedire, quia hanc obedientiam nescit turbida actio inchoantium viatorum, sed pura contemplatio quasi triumphantium perfectorum. « Confitemini, ait, Domino quoniam bonus (*Psal.* CXVII). » Non est, inquit, satis ad perfectionis cumulum consequendum, si Deum existimatis propter collata nobis beneficia diligendum; si eum sequimini quia de panibus comedistis, si confitemini quia ejus beneficia percepistis. Volo vos perfectionem obedientiæ paulo subtilius intueri, ut obediatis Domino quoniam bonus est, confiteri; non quoniam bonus est vobis (quia talis confessio quasi mercenaria est), sed quoniam bonus; bonus, inquam, in natura sua, bonus in se ipso, cui bono bonum est adhærere, ut in eo non nisi de eo diligat quis gaudere. Ideo Abrahæ dictum est : « Offer eum in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi. » De holocausto ad vescendum nihil relinquitur, sed divino igne totum consumitur; per quod nimirum intelligitur oblatio consummata, cum scilicet mens justi tanto charitatis igne est concremata, ut sibi nil retinens proprii gaudii, vel amoris, tanquam oblita sui, tota in amorem transeat Creatoris. Huic autem accepti beneficii amorem vel gaudium offerenti, et in abscondito faciei divinæ totum se laudabiliter immergenti : « Non extendas, inquit, Dominus manum tuam super puerum, nec facias illi quidquam (*Gen.* XXII); nunc cognovi quod timeas Deum; et non pepercisti filio tuo unigenito propter me. » Scito, ait, et te mihi offerendo tuum gaudium, obedisse, et tamen nil de eodem gaudio deperisse; sed illud me tibi multo gratius, multo solidius reddidisse, quod jam et intelligis, et diligis a me quidquid est accepisse. Jam enim et me diligis propter me, et non

habes gaudium nisi de me; quia, etsi dona mea gratanter amplexaris, non tamen de his, sed de me præcipue gratularis; nec propter illa diligis me, sed illa diligis propter me. Sic igitur dilectus Isaac offertur, et offerenti procul dubio non aufertur; sed tam Deo quam Patri gratus et incolumis conservatur, pro quo juxta inventus aries immolatur. Quandiu enim vir obediens spiritalibus Dei beneficiis adgaudebat, et Deum propter illa, dignam vicem referens, diligebat; et, si hujusmodi gaudium vel dilectio, commendabilis habebatur, inerat tamen ei quod animale merito dicebatur. Animalis quippe homo illum novit diligere, quem sibi utilem vel sentit (*I Cor.* II), vel sperat **529** existere; si autem nullum ei commodum elucescit, ad diligendum nullatenus incandescit. Quod nimirum bestiale, quod terrenum, quamvis satis proximum habeatur, sic tamen ignorantiæ, vel infirmitatis nostræ vepribus implicatur, ut a quovis non facile possit ejus reprehensibilitas deprehendi, vel forte deprehensa, exstirpatione congrua reprehendi. Sed maturus obediens cum ad montem venerit perfectæ charitatis, perfundique meruerit divinæ radio claritatis, acuto intuitu deprehendit quidquid in se fuerat animale, eoque immolato nil nisi retinet spiritale. « Levavit, inquit, Abraham oculos, viditque post tergum, arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio (*Gen.* XXII). » Et pulchre animal quod Abraham pro Isaac immolavit, arietem fuisse Scriptura memoravit, qui (ut nostis) dux est, et prævius non hædorum, sed gregis innocui videlicet ovium vel agnorum. In quo ariete illa non incongrue animalis intentio designatur, qua homo Deum propter sua beneficia diligere comprobatur; cum ab illo, et quædam sibi videt jam tribui, et majora in futuro sperat retribui. Qualium ille unus mihi videtur exstitisse; qui se dicebat retributionis intuitu divinis jussibus obedisse. « Inclinavi, inquit, cor meum ad faciendas justificationes in æternum, propter retributionem (*Psal.* CXVIII). » Hujus retributionis intuitus arietis more greges præcedit plurimorum, quos velut ad pascua ducit, et præducit ad custodiam mandatorum; quæ forte illi non magnopere custodirent, si sibi retribui non ambirent. Cujusmodi ducatum nostra et studia, et opera simplicitate ovina prosequuntur, dum spe præmii mandatis cœlestibus humiliter obsequuntur; sibique in hoc non parvam conferri gratiam arbitrantur, quod vel amore mercedis ad obediendum efficaciter animantur. Et revera non parum gratiæ fidelibus suis Deus impendit, cum eis obedientiæ fructum commendabilem præostendit, ejusque, et spe, et desiderio illos in itinere sic accendit, ut indignus eis non immerito videatur, qui hunc apprehendere non contendit. Qui si forte exuberante gratia ad contemplationis fastigium sublimantur, ibique divinæ gloriam majestatis quamvis in ænigmate speculantur; tanto gustatæ dulcedinis affectu debriantur, ut toti in illam excessu commendabili transferantur. Ubi oculis interioribus elevatis ad ipsum, qui suis dilectoribus nihil confert melius quam se ipsum; tam puris et defæcatis amplexibus amant ipsum, ut et dona sua non nisi diligant propter ipsum. Cum autem in hoc excelso excessu commendabili sublimantur, vultuque levato et mundato quidquam, nisi Dei faciem non mirantur, qui paulo ante retributionis intuitum affectu mercenario sequebantur, jam eumdem post tergum profectu gratulatorio deprehendunt, volentemque vel posterioribus adhærere, statim viriliter apprehendunt, et ne quidquam de eo resideat divinis altaribus non solum immolant, sed incendunt. « Levavit, inquit, Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. » Oblato igitur ariete qui divino igne penitus concrematur, Abraham reddito sibi dilecto filio gratulatur, quia maturus obediens tunc sentit gratius et perfectius se gaudere, cum a dilectione sui gaudet oculum amovere, solique Deo diligit inseparabiliter adhærere. Diligit, inquam, propter ipsum cuncta quasi postponere, nec nisi propter ipsum quidquam diligere, in diligendo illum, non suum diligentis fructum attendere, sed dignitatem et meritum dilecti perpendere; quod scilicet in se ipso talis et tantus habeatur, qui etsi non retribuat, ea tamen quæ sua est, bonitate diligi mereatur. Cum autem is Deum diligit non pro fructu, non tamen eum diligit sine fructu, sed mirum in modum cum dilectionis suæ fructum proprium non prætendit, cum in diligendo, cathedram mercenariam non ascendit, fructum consequenter multo majorem apprehendit, quia illi qui diligit eum gratis, majora Deus infundit suæ munera largitatis. Quæ munera non tam ipsum auctorem commendare, quam per eum ipsa videntur commendari, dum non illum propter ista, sed propter illum, ista perfectus quisque diligit amplexari, cujus desiderio cum solus auctor munerum satisfacit, ejus quoque munera sunt, auctor quæ pretiosa facit (*sic*).

CAPITULUM XXXVI.

Cum enim perfecte diligitur is qui donat, propter eum quoque diligitur quidquid donat, ejusque bonitas suo solius merito gratiosa, quæ suis confert dilectoribus, efficit pretiosa. Unde quidam sapiens (124*): « Non enim, ait, tam utilitas parta per amicum, quam amor ipse delectat, tumque illud fit quod ab amico profectum est jucundum. » Sapientes quippe sæculi, cum dilectionem qua Deus diligitur, ignorarent, et de illa qua se homines invicem diligunt, disputarent, illam dixerunt non satis esse commendabilem, quæ utilitatis extrariæ intuitu coalescit, et si lucrum vel spes lucri deficiat, evanescit. Unde prædictus sapiens : « Plerique, ait, amicos tanquam pecudes, eos potissimum diligunt ex qui-

(124*) Cicero.

bus sperant se maximum fructum esse recepturos. » Itaque pulcherrima illa et maxime naturali carent amicitia per se expetenda. Et 530 alibi : « Si utilitas, inquit, conglutinaret amicitias, eadem commutata dissolveret. » Virtutem autem veræ dilectionis iidem sapientes subtilius perscrutati, et lynceum ut putabant infigentes oculum veritati, illam commendabilem censuerunt, quæ mutua virtutis consideratione laudabiliter inchoatur, quæ non impulsu paupertatis, sed amore probitatis nodo indissolubili solidatur. Unde idem sapiens : « Intelligamus, inquit, sensum gigni diligendi et benevolentiæ charitatem facta significatione probitatis, nihil enim amabilius virtute, nihil quod magis alliciat ad diligendum. » Et iterum : « Ego, inquit, admiratione quadam virtutis ejus, ille vicissim opinione fortasse nonnulla, quam de meis moribus habebat me dilexit : et quanquam utilitates multæ et magnæ consecutæ sunt, non sunt tamen ab earum spe causæ diligendi profectæ. » Videtis quia Tullius Cicero, sive Lelius quem inducit loquentem, non concedit ut perfectam dilectionem conglutinet aucupatio utilitatis, sed facta sanctificatio probitatis ; et in diligendo non mercedis ambitio præferenda, sed amore virtutis virtus est amplectenda. Cum autem in amico præcipue virtus diligitur, consequenter et commodum quod ab illo procedit, jucundum efficitur, fitque ordo conveniens cum amicus de amico sic lætatur, ut virtus utilitati non virtuti utilitas præferatur. Verum quia in dilectione Dei quemquam repentina conversio perfectum non efficit, humana quippe conditio ad capiendum sublimia tam cito non sufficit, dives in bonitate Deus qui imbecilles et parvulos nos attendit, infirmitati nostræ misericorditer condescendit ; et novellæ plantationi suæ congruum dat fomentum, processu vero temporis proficiendi robustius incrementum. Volens igitur quosdam ad vitæ melioris excellentiam promovere, quos novit ab æterno ad suam gratiam pertinere, vidensque illos nondum esse idoneos fastigio spiritali, primum demulcet eos beneficio temporali, ut cum ea percipiant quibus eorum carnalis animus delinitur, ad illum se convertant qui eorum voluntatibus sic blanditur. Conversis autem ad se auget Deus suæ munera largitatis, per quæ sibi magis ac magis inhiet infantia teneræ parvitatis, quæ parvitas non educitur facile de sinu consuetudinis seducentis, si ei non præludat inclinata maturitas educentis. Eapropter illis adhuc parvulis et prudenti consilio dat minora, et sibi jam inhiantibus præmonstrat ampliora ; talique præludio trahit eos et abstrahit a conversatione et desiderio sæculari, et propter sua tam collata quam sperata facit aliquantulum se amari. Processu vero dierum facit eos mundum mundique fallacias aspernari, abjectisque sæcularibus, adeptis spiritalibus gratulari ; et eorum affectos dulcedine promissis cœlestibus amplius inflammari, et propter ista Deum ulnis avidioribus amplexari. Sic nimirum Deus salutem desiderans electorum, et pie condescendens impossibilitatibus infirmorum, eos sibi non dedignatur allicere beneficio terrenorum, et ad se diligendum confortare spe cœlestium præmiorum. Quos autem misericorditer ad profectum promovet ampliorem, quorum obedientiam optat fieri sanctiorem, eos jubet ut quidquid sibi gaudent vel sperant Deo non graventur offerre, id est propriis utilitatibus Deum liberaliter anteferre. Jubet, inquam, ut nihil diligant ante ipsum, nihil nisi propter ipsum : sic in eum intendant, ut quasi obliviscantur et se ipsos, et non nisi propter ipsum diligant vel se ipsos. Tunc autem multo sanctius, multo fructuosius inveniuntur se ipsos diligere, cum se propter illum diligunt quasi negligere : non ad proprium commodum, palpitantem oculum deprimentes, sed illius suavitati indefessam aciem imprimentes, sic parati collatis vel speratis muneribus adgaudere, ut non nisi auctori munerum gaudeant adhærere. Hæc est dilectio obediens, vel obedientia diligens angelorum, hæc etiam fidelium in illorum jam consortio receptorum, hæc est nihilominus et quorumdam in hujus vitæ stadio sed paucorum, qui in terris positi perfectionis fastigium assequuntur, et more vel amore angelorum mandatis cœlestibus obsequuntur. Ad quam perfectionem etsi non potest facile perveniri, et si eam naturæ imperfectio non potest experiri, non tamen debemus juxta nostrum modulum et alios metiri, quia Deus potens est, quibus, quando, quantam vult gratiam impertiri. Ejus igitur gratia processu dierum et virtutum nonnulli maturescunt, et tantorum maturitate profectuum consenescunt, ut quidquid bestiale et proprium in eis fuerat enervetur, et tanquam aries divinis altaribus immoletur, quidquid autem spirituale et divinum Deo reddi nequaquam differatur, ut non tam de muneribus quam de auctore munerum gaudeatur. Quæ nimirum obedientia non est nostra, neque nostri similium infirmorum, quibus multo pulvere caligat acies oculorum ; sed eorum est quorum pretioso inuncta collyrio pupilla declaratur, et obscura mandatorum intellectu lynceo contemplatur. Est enim multa obscuritas vel obscura subtilitas in mandatis, per quæ suis fidelibus excellentia loquitur divinæ majestatis, in quibus continentur ipsius arcana voluntatis, quæ perviderí nequeunt nisi oculis interioribus tersa caligine revelatis. Quod Propheta considerans : « Revela, inquit, oculos meos, et considerabo 531 mirabilia de lege tua (*Psal.* CXVIII) ; » vere nisi oculi operante gratia revelentur, divinæ legis mirabilia non videntur, quia lex umbram habet tam subtili sibi nubilo cohærentem, ut fallat oculum suffusione vel modica lippientem. Est quippe mandatorum Dei multa diversitas, quorum tamen nulla unquam inveniri potest perversitas, quia licet quædam in plerisque quasi contrarietas habeatur, absit tamen, ut qui mandat vel errore vel inconstantia teneatur. Cum vero in illis tanta sit multiplicitas ut vix possit comprehendi, et contrarietas aliquorum nullo pacto debeat reprehendi, restat scire quid cunctis et hominibus et temporibus irrevocabi-

liter indicatur, quid diversa et generari hominem (*sic*), et statui temporum separabiliter injungatur, quid autem aliquando quibusdam hominibus tam specialiter vel singulariter imponatur, ut non nisi vel semel vel raro tale quid in posterum audiatur.

CAPITULUM XXXVII.

Unde mihi tria videntur esse genera mandatorum, ad quæ Deus invitat et promovet obedientiam electorum, quorum nullum aliquando ad perfectionem meritorum existimo pervenisse nisi cui datum est in aliquo illorum generum profecisse.

Primum genus convenienter potest invariabile nominari, quod nulla prorsus causa nullo invenitur tempore variari, sed quia per se necessarium cunctis erat, tam ante legem quam sub lege, et post legem fixum et immobile perseverat. Hujus autem B generis est charitas, humilitas, patientia, mansuetudo, temperantia, fortitudo, et cæteræ hujusmodi virtutes, quæ generaliter omnibus indicuntur, sine quibus justi nec novi nec veteres salutem consequuntur; quas ita per se bonas, et in eo bono stabiles constat esse, ut nullo unquam modo vel aliud vel aliter possint esse. Semper enim hæ virtutes bonæ et erunt et fuerunt, suumque possessorem et bonum facient et fecerunt, quas ab eo quod bonæ sunt, nec ipse Deus aliquando credendus est immutare, nullum docens sive jubens ut ab eis eligat deviare.

Secundum mandatorum genus pro eo variabile potest dici, quod invenitur diverso vel generi hominum vel statui temporum sic indici; ut vel illud C non omnis homo tenere jubeatur, vel illud idem non omni tempore teneatur. Sub hoc genere illa quantum arbitror includuntur, quæ de sacrificiis vel legalibus cæremoniis filiis Israel injunguntur, quibus nationes cæteræ ex præcepto nullatenus astringuntur, quarum tamen aliqui placuisse Domino cognoscuntur. In ipso etiam populo Israel quædam levitis specialiter sunt indicta; quæ tamen sunt cæteris tribubus interdicta, quia illi altari et tabernaculo ministrare jubentur, a cujus ministerii dignitate cæteri prohibentur. Plurima autem quæ tunc temporis filiis Israel per manum Moysi sunt mandata, nullis retro vel populis vel hominibus leguntur imperata, quæ etiam Christo veniente non solum naD turalia non putantur, sed et plurimum sunt noxia, si more antiquo litteraliter teneantur. Ipse etiam Christus adveniens quædam nova diligenter instituit in quibus fidelium suorum salutem constituit, ut videlicet nullus salvari se speraret, qui hanc institutionem tenere fideliter non curaret. Ad tergendum enim vitæ maculas præcedentis, et obtinendum certius æterna præmia subsequentis, baptismi lavacrum et altaris panem et calicem consecravit, consecrata celebrare suis in posterum fidelibus imperavit, quæ sub lege vel ante legem nostis nulli realiter assignata, sed figuris et ænigmatibus tantummodo mysteriaiter præsignata.

Tertium mandatorum genus inter ista duo videtur quasi medium collocari, quod nec prorsus tanquam primum potest invariabile nominari, nec tanquam secundum invenitur cuilibet generi hominum vel statui temporum specialiter assignari; sed sic ab initio est cunctis generaliter impositum, ut ei qui imposuit tantummodo mutare sit licitum. Quod quia et ipse raro admodum legitur immutasse, et eo quod ipse novit consilio contrarium quid mandasse, idem genus recte vix mutatum aut vix mutabile potest dici, cujus stabilitas a solo Deo videt sibi aliquantulum contradici. In hoc genere continetur quod dictum est: « Non occides, non mœchaberis, non furtum facies (*Exod.* xx), » et si quid est hujusmodi. Quæ nimirum et ante legem et sub lege et post legem tenenda judicantur, et tenentes divinæ Scripturæ testimonio commendantur, contemptores vero excessus inolerabilis arguuntur, et nisi forte digna pœnitudo subveniat, damnatione debita puniuntur. Unde sicut nostis Cain propter homicidium condemnatur, Joseph quia voluisse mœchari cum domina quamvis mendaciter accusatur, in ultione criminis affectati longo tempore carceri mancipatur. Idem quoque Joseph cum postea frumentum Ægyptiis esurientibus largiretur, et fratribus suis venditionis suæ non immemor durius loqueretur: eosdem arguit quod ei mala pro nobis illicite reddidissent, et scyphum suum in quo augurari solitus fuerat furto ei tollere præsumpsissent. Cum autem hæc et ante legem inveniantur illicita, et sub lege per Moysen scripto prohibita, patet quia Deus ea passim et libere noluit actitari, sed obedientes suos ab **532** illorum actu illicito revocari. Verum quia hujusmodi observantiam non ipsa rei sanctitudo vel dignitas, sed ipsius præcipientis commendat auctoritas, idem auctor qui hæc ne fierent voluit prohibere, voluit cum potuit ut hæc eadem fierent et jubere. Quo jubente obediens non solum excusatur, sed etiam si non obediat plurimum accusatur, quia sicut reus est qui præsumit quod agere prohibetur, sic est dignus argui qui contemnit agere quod jubetur. Jussit ergo Deus cum voluit filios Israel ut exituri de Ægypto argentum, aurum, vestem plurimam a vicinis suis et hospitis mutuarent, et nocte insuspecta furto Ægyptios spoliarent ut illorum opes tali transitu ad istos devenirent, et isti de Ægypto ad eremum manu vacua non transirent: « Cum egrediemini, ait, non exibitis vacui, sed postulabit mulier a vicina sua et ab hospita sua vasa argentea, et aurea ac vestes, et spoliabitis Ægyptios (*Exod.* III). » Et longe infra: « Fecerunt, inquit, filii Israel sicut præceperat Dominus Moysi, et petierunt ab Egyptiis vasa argentea, et aurea vestemque plurimam, et spoliaverunt Ægyptios (*Exod.* XII). » Quod factum quomodo posset dignum venia judicari, si non illud præcepti velamine sese gauderet obumbrari, si non rapinam furtive spoliantis, justam redderet auctoritas imperantis? Quamvis quod Ægyptius a populo Dei furtive spoliatur, quibusdam non jussio sed permissio videatur, ut scilicet idem

populus non hoc facere jubeatur, sed ad faciendum voluntati propriæ relinquatur. Videtur enim eis quod non conveniat divinæ puritati, ut aliquando jubeat contrarium sanctitati, ne auctor furti Deus fuisse prædicetur, a quo furtum alias tanta diligentia prohibetur. Quo contra quidam existimant Deum et hoc filiis Israel præcepisse, et tamen sanctitati contrarium nil egisse, quia sicut sanctum est non fieri quod jubet ut non fiat, sic sanctum est et fieri si forte jusserit ut hoc fiat. Sicut enim opus quodlibet ejus prohibitio facit illicitum, sic ejusdem jussio idem opus efficit licitum, tantum subtili oculo discernatur, quid cunctis generaliter quid quibusdam specialiter injungatur. Neque enim vel omnibus omnia præcipit agere, vel quidquid semel imperat vult etiam eos repetere, sed quibusdam quædam sic imperat, ut ea ab eis tantummodo velit agi, quædam sic ut eadem velit non nisi semel agi. Quod autem filiis Israel Deus non solum permiserit, sed et præceperit ut Ægyptios spoliarent, Scriptura videtur evidenter ostendere, quam si quis paulo diligentius velit attendere, existimo non præsumet verbis repugnantibus diu contendere, ne arguatur sensum suum contra rei veritatem pertinaci contentione defendere : « Fecerunt, inquit, filii Israel sicut præceperat Dominus Moysi, et petierunt ab Ægyptiis vasa argentea, et aurea, vestemque plurimam, et spoliaverunt Ægyptios. » Videtis quia in spoliando Ægyptios filii Israel sic leguntur fecisse, sicut eis Dominus per manum Moysi legitur præcepisse, et nimirum quidquid eis præcipit illius excellentia potestatis, possunt et debent agere salva regula sanctitatis. Et quid mirum si damnum quod merebantur Ægyptii sustinere, et commodum quod forte digni erant filii Israel obtinere, expleri voluit distributor ille justissimus præmiorum, utrisque reddens diversa stipendia meritorum? Quid autem refert utrum aperte vel occulte, bello an furto, id agi voluerit divina æquitas, apud quam nulla unquam inveniri potest iniquitas. Quis discutiat, vel discussam arguat illius voluntatem, cui semper inesse certum est irreprehensibilem æquitatem? Cæterum ne exemplo hujus facti suæ quisquam in posterum avaritiæ blandiretur, et non tam divinæ obedientiæ quam suæ concupiscentiæ satisfaciens furaretur; nihil tale Deus nec eisdem filiis Israel postmodum voluit imperare, sed a furto eos multis et verbis et verberibus revocare. Dicto enim per Moysen : « Non facies furtum (*Exod.* xx), » et postea per Josue : « Cavete ne de his quæ præcepta sunt quidpiam contingatis (*Josue* vi), » cum Achaz filius Charmi Domini mandatum præterisset et de spoliis Jericho argentum et aurum et coccineum pallium abscondisset, iratus Deus, non solum auctorem sceleris morte debita condemnavit, sed et multos de populo in ultionem ejusdem criminis coram hostibus suis stravit : « Anathema, inquit, in medio tui, Israel; non poteris stare coram hostibus tuis donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere (*Josue* vii). » Et Josue ad Achaz : « Quia turbasti nos, inquit, exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitque eum omnis Israel (*ibid.*); » ex quo patet quia, etsi Deus Ægyptios a filiis Israel voluit spoliari, non tamen hoc exemplo furtum voluit actitari, sed sic illud tunc temporis eo quod ipse novit consilio jussit agi, ut postea non juberet, imo etiam prohiberet simile quidquam agi; sic et prophetam Osee (cap. i) jussit primo ut fornicariam, secundo ut adulteram sibi acciperet in uxorem, in quo facto propheta turpe satis flagitium incurrisset, si non divinæ voluntati potius quam suæ voluptati veraciter obedisset. Sciebat quidem per Moysen dictum esse : « Non mœchaberis, » et mœchari procul dubio perhibetur, qui mœcham sibi jungere non veretur; sicut et postea per Paulum legisperitum dicitur : « Qui adhæret meretrici unum corpus efficitur (*I Cor.* vi), » quod ergo fornicariæ sive adulteræ propheta copulatur, et tamen adulterii macula non fœdatur, divinæ jussioni non immerito deputatur, quæ nonnisi **533** quod rectum est, jubere comprobatur; quia et jubendo, in rectum virtute ineffabili commutatur, quod tam ante, quam postea non rectum judicatur. Sed hoc non facile caligans cordis oculus intuetur, cujus lippitudini divina claritas non medetur, quod tamen Prophetæ planum satis et lucidum videbatur, ad quem, et in quo Dominus loquebatur. Sic enim ait : « Verbum Domini quod factum est ad Osee, et principium loquendi Domini in Osee (*Osee* i); » ille ergo mandatum subobscurum purgato oculo pervidebat, qui non solum ad se, verum et in se loquentem Dominum audiebat; intelligens bonum esse quidquid eo loquente jubebatur, unde et Propheta *videns* merito dicebatur.

CAPITULUM XXXVIII.

Est itaque nihilominus bonum quod idem Dominus jubet occidi, qui profecto summopere jubet etiam non occidi, ut sicut reus est noxæ qui contra mandatum inhumanus occidit, ita et argui mereatur qui jussus occidere, non occidit. Dictum quippe est per Moysen : « Non occides (*Exod.* xx), » quod ante et post Moysen ex decreto divinæ justitiæ est sanctum, et a viris obedientibus diligentissime custoditum. Et in his qui contemnere præsumpserunt, districtius est punitum, sicut nostis quia Cain Dominus graviter reprehendit, cum ejus homicidium, imo fratricidium deprehendit, et tam illum quam alios occidentes ultio consequens apprehendit. Cum autem non sit occidendum, sicut et scribi et teneri illius summi auctoris voluit bonitas, quasdam tamen exceptiones ejusdem bonitatis fecit auctoritas, ut liceat hominem occidi salva regula sanctitatis, si tamen occisor prudenter intelligat a mandatis. Concessit enim auctoritas illa divina, ut qui sub signis justitiæ prælia Domini præliantur, eos interficiant qui sibi nequiter adversantur, ad conservandos fidelium terminos populorum, nequaquam vereamur sanguinem fundere barbarorum. Unde et in Scripturis sanctis plures inveniuntur plurimum commendari,

quos ad occisionem hostium constat commendabiliter inflammari; et e regione nonnulli reprehensionis maculam incurrerunt, qui ad fundendum sanguinem enervi negligentia torpuerunt. Commendatur Aod judex filiorum Israel, quod adversus Eglon regem Moab gladium ancipitem audacter exemit (*Jud.* III), et audaci fretus prudentia regem pinguissimum interemit, quo perempto Moabitas oppressores versa vice filii Israel oppresserunt, oppressisque illis, per annos octoginta sub pace et otio quieverunt. Arguitur Saul quod cum populum Amalech eventu belli prospero devicisset, et a viro usque ad mulierem et parvulum et lactentem ex præcepto Domini cunctos interficere debuisset, tamen Agag regem eorum degeneri pressus ignavia non occidit, et quod sibi ex eo malum incumberet, diligenti prudentia non prævidit. Volens autem Samuel quasi corrigere quod ille neglexerat, aggressus est facere quod ille non fecerat. « Adducite, inquiens, ad me Agag regem Amalech, » et infra : « Cecidit Saul Agag coram Domino in Galgalis (*I Reg.* XV). » Est etiam concessio divinæ auctoritatis, ut si qui Deo auctore personam gerunt publicæ potestatis, si corrumpi viderint scita legum et jura civitatis, ratione prævia mortem inferant sceleratis, ne parcendo malis, eorum malitiæ præbeant incrementum et serpente paucorum malitia res incurrat publica detrimentum. Quod sacerdos Phinees dignum fieri judicavit, cum unus de filiis Israel ad scortum Madianitem coram omni populo declinavit, accensusque Phinees zelo Dei, arrepto pugione lupanar ingredi festinavit : et tam virum quam mulierem in ipsis genitalibus transforavit (*Num.* XXV). Quæ vindicta nulli dubium quin divinæ justitiæ complaceret, cum ipse Deus ei gratum testimonium prohiberet. « Phinees, inquit, filius Eleazari avertit iram meam a filiis Israel, quia zelo meo commotus est (*ibid.*). » Præter has exceptiones quas juste belligerantibus, vel in republica potestatem gerentibus fecit ea quam audistis concessio generalis, est etiam occidendi quædam jussio specialis, quæ quare facta sit, etsi a scrutantibus non potest comprehendi, non tamen debet ab ignorantibus reprehendi. Jussit enim Deus Abraham ut suum ei filium immolaret (*Gen.* XXII), ut quem in spem propagandæ prolis acceperat, immolandum suis altaribus præsentaret; nec dignus fuit arguI sive qui tale quid legitur præcepisse, sive qui præcipienti, affectu magis quam effectu fortiter obedisse. Quæ nimirum jussio ad omnes patres generaliter non est facta, sed occulto quodam consilio ad tantam singularitatem penitus est redacta, ut nonnisi huic soli tale Deus mandatum protulerit, nisi ille solus filium suum rogatus obtulerit : etsi enim Jephte filiam suam legitur obtulisse (*Jud.* XI), non tamen hoc mandatum a Deo legitur accepisse; nec invenitur Scriptura evidens testimonium protulisse, unde constet illum Deo per talem hostiam placuisse. Potuit quidem Deo et immolando filiam displicere, et tamen justis aliis operibus complacere, potuit superstes hujus perpetrati facinoris pœnitere, et peccati maculam dignis pœnitentiæ fructibus abolere. Quod autem idem Jephte Deo placuerit, non est fas quempiam dubitare, cum eum in sanctorum Catalogo inveniatur apostolus nominare (*Hebr.* XI). Cæterum de mandato ad Abraham loquitur evidenter Scriptura, nec indiget 534 prudens lector ad probandum aliqua conjectura, quia ubi planum et evidens elucet documentum, eo contemptibile, quo etiam inutile probatur vel profertur argumentum. Jussit etiam idem Deus ut fortissimus ille Samson se ipsum occideret, et in morte sua Philistæos convivas opprimeret (*Jud.* XVI), sicque ruina domus, et Nazaræi obedientiam consummavit, et irrisoris populi cachinnantem malitiam terminavit. Quod si hujus mandati Scriptura nullam invenitur facere mentionem (neque enim Samson hujusmodi accepisse legitur jussionem), tamen ex verbis Apostoli colligitur argumentum quod huic sententiæ confert sufficiens munimentum. Cum enim Apostolus illum ponat in Catalogo sanctorum, sanctus autem non sit nisi per custodiam mandatorum, constat quia seipsum occidens obedivit mandato, non olim scripto in tabulis, sed recens intrinsecus inspirato. Alioquin sanctus secundum Apostolum nullatenus haberetur, si occidens se ipsum reus inobedientiæ teneretur, cum post mortem nullum sibi acquirat meritum pœnitendo, qui mandatum pœnitendi tenere noluit moriendo. Restat igitur credere quia Deus qui per illum mira, imo miracula dignatus fuerat perpetrare, novum illi hoc mandatum latenter voluit inspirare, ut qui hostes suos ante subegerat manu forti, fortiori obedientia nunc se ipsum cum hostibus daret morti; et qui crines amiserat in gremio decepticis mulierculæ dormiendo, mentis magis quam corporis vires sibi resumeret moriendo. Hoc autem occidendi mandatum quo vel Abraham filium suum vel se ipsum jubetur Samson occidere, eis tam privatim, tam specialiter invenitur sermo divinus ascribere, ut nec eis licuerit novo huic et insolito refragari, nec ad hujus simile inveniatur quisquam alius invitari. Necesse est igitur ut qui vult perfectius mandatis cœlestibus obedire, diligenter satagat pedes suos ab ignorantiæ maculis expedire, ut eorumdem mandatorum subtilitatem, subtilium diversitatem valeat invenire, et profectu congruo ad senilis obedientiæ latitudinem pervenire. Ad hanc enim, ut existimo, non facile pervenitur, si non prius ejus subtilitas aperitur, si cum mandatorum diversitatem subtilius quisque cernit, qui vel omnibus vel quibusdam conveniat, pariter etiam non discernit. Verum quia nostri temporis hominibus scimus jam talia non mandari, qualia Abrahæ, Samsoni, Osee diximus imperari : illis sepositis, de eo sollicitius est curandum, quod nobis Scripturarum testimonio præcipitur observandum. Id autem est quod scilicet omnibus generaliter imperatur, a quo nullus omnino fidelium relaxatur, id est charitas, patientia, fortitudo, et cæterarum hujusmodi virtutum interior

pulchritudo, sine qua nec populariis antiqua, vel recentior multitudo, nec majorum salutem consequitur celsitudo.

CAPITULUM XXXIX

Habet etiam unaquæque professio legem quasi propriam quam præcipitur observare, sub ditione cujus debet specialiter militare; cui legi sua quædam præscripta est certitudo, infra quam, vel contra non facile consistit rectitudo. Dividitur enim omne fidelium genus in populum et clerum; in populo autem subdiviso, alius agricolarum ordo est, alius militaris, in clero, alia est humilitas monachica, alia dignitas clericalis. Unusquisque autem cujus professionis sit, certius debet scire, et quid eidem professioni testetur veritas convenire, ut vel et agnitos ejus terminos non præsumat levitate tumida præterire, sed cervice inclinata ejus præscriptis legibus studeat obedire. Præterea diligentius attendendum, quis, cui, ordinatione debita præponatur, quis præposito supponatur, ut cum suum quisque noverit præceptorem, sese illi exhibeat devotum in omnibus auditorem. Sic quippe Christus Ecclesiam de quatuor mundi partibus congregavit, sic illam congregatam salutis nostræ sollicitus ordinavit, ut in fronte præsidendi digniores apostolos collocaret, eisque ad obediendum cæteram multitudinem inclinaret. Sed ne solis Apostolis hanc prælationem dedisse videretur, et eis decentibus ordo utilis confundi mereretur; alios etiam septuaginta duos discipulos designavit, quos in omnem locum, quo venturus fuerat, destinavit, ut vice apostolica, imo et vice sua verbum vitæ ubique gentium prædicarent, et doctrina salutari electos ad fidem catholicam informarent. Quorum doctrina ut apud auditores commendabilis haberetur, et in eis, vel per eos ipse qui mittebat, loqui veraciter crederetur, ait eis: « Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit (*Luc.* x). » Constat ergo, quia quos ad regendum populum pastores et doctores Deus voluit ordinare, et eis honorem præsidendi, imo laborem instituendi subditos delegare, non sunt ab eisdem subditis cervice indomita contemnendi, sed cum timore, et reverentia, ut præcones judicis audiendi; quia quidquid misso vel confertur decoris, vel dedecoris irrogatur, ad mittentem redundare nequaquam dubitatur. Cum autem missis tam apostolis quam eorum successoribus reverentia debeatur, et contemptor eorum non mediocriter argui mereatur; illi tamen arctioribus obedientiæ vinculis alligantur, qui in conflatorio disciplinæ ad vivendum **535** regulariter congregantur; qui mundo renuntiantes, eligunt proprium nil habere, et vitam apostolicam imitantes communiter omnia possidere. Qui cum suo arbitratu patrem sibi e multis unum elegerint, et illius imperio voluntariam cervicem subdiderint, debent quidem et illum contra Deum penitus non audire, et eidem in omnibus quæ secundum Deum præcipit, obedire. Secundum Deum autem ejus esse præcepta perhibentur, si non Dei jussionibus adversentur; si denique in illis tenore stabili regula conservetur, quam vel Augustini canonicam, vel Benedicti monachicam, tam ipse quam ejus subditus profitetur. Cum enim ad tenendum hanc sive illam regulam a prælato subditus præmonetur, et secundum eam iste illi obedientiam pollicetur; non debet hoc votum prælatus postmodum jubendo præterire, nec jubenti compellitur subditus obedire, nisi id exigat tantæ ratio necessitatis, ut omitti non valeat sine dispendio charitatis. Regularis quippe traditio quam tradentis cura pervigil ordinavit, et ad conservandum inter fratres charitatis ordinem promulgavit; nullus posterorum ad immutandum subjacet propriæ voluntati, sed ei, cujus gratia promulgata est, servit tantummodo charitati. Si igitur quod ad nutriendum charitatis ordinem ille sollicitus voluit promulgare, ordinatæ charitati successor ejus aliquando viderit obviare; potest illud hujus non dissolutio, sed prudens discretio temperare, et non suæ lubrico voluntatis, sed devotæ impulsu charitatis fideliter dispensare. Si vero dispensatorem necessitatis justæ ratio non constringit, susceptam semel regulam sine reatu procul dubio non infringit; sed tam ipse quam subditus prævaricationis argui promeretur, si vel jubendo, vel agendo traditionem illius omittere non veretur. Sicut enim uterque vovit regulam se tenere, sic uterque votum suum debet tenendo regulam adimplere, et sic dare operam propositæ sanctitati, ut eorum voluntas regulæ, non regula subjaceat voluntati. Alioquin frustra quisquam secundum regulam vivere se sponderet, si præcepta regulæ diligentius non teneret; si prælatus immutans regulam non urgente rationabili necessitate, omnia vellet agi pro sua voluntate. Frustra, inquam, religionem profitentibus ad medium regula proferretur, si eidem regulæ prælati voluntas præferretur; quia ipsa jam voluntas in regulam verteretur, dum secundum eam, et non secundum regulam viveretur. Qui ergo sub prælato regularem vitam proponeret profiteri, deberet quidem non secundum regulam, sed secundum illius voluntatem, obedientiam polliceri, ut ei deinceps imperaret, non regula, non ratio, sed voluntas juxta illud satirici:

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

Verum noster ille Augustinus qui scripsit Regulam clericorum, dans prælatis, et subditis differentiam congruam præceptorum, nulli eorum concessit libertatem propriæ voluntatis, sed jugum regulæ sicut subditis, ita (ut videtur) imposuit etiam et prælatis. Cum enim in eadem regula, tam prælatos, quam subditos multifariam instruxisset, et nunc utrisque communia, nunc propria singulis monita contulisset, ad extremum uno præcepto cunctos pariter obligavit, quo eos indifferenter ad præscriptam regulam alligavit. « Ut autem, inquit, vos in hoc libello tanquam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, semel vobis in septimana legatur; et ubi vos inveneritis ea quæ scripta sunt facientes,

agite gratias Domino omnium bonorum largitori. Ubi autem sibi quicunque vestrum videt aliquid deesse, doleat de præterito, caveat de futuro. Cum nec per oblivionem quidquam eorum quæ scripsit, vult negligi, et ideo ipsum libellum semel in septimana omnibus jubet legi, et ubicunque eorum videlicet tam prælatus, quam subditus aliquid sibi deesse viderit, cum de præterito vult dolere, de futuro diligentius præcavere; patet, quia non regulam voluntati, sed regulæ subjecit voluntatem, et adversus regulam nulli eorum voluntariam contulit libertatem. Debent igitur Regulam custodire omnes qui eam susceperunt, et secundum illam reddere Deo vota sua, quæ propriis labiis distinxerunt, ut eorum nullus illam præsumat præterire, cum secundum illam et imperare prælatus, et se voverit subditus obedire. Cujus voti rigorem quisquam eorum, ut prædictum est, non remittit, nec præcepta regulæ venialiter, vel mutat, vel omittit; nisi forte is cui loco dispensatoris datum est præsidere, necessitatem rationabilem viderit imminere, ut non pro voluntate inveniatur regulæ damnator, sed pro necessitate præceptorum ejus fidelissimus dispensator; tepens ea quandiu charitati et saluti viderit subservire, omittens vel remittens, cum ea illis veraciter noverit contraire.

CAPITULUM XL.

Ea quippe quæ a Deo proprie novimus promulgari, dispensatoris prudentia non possunt relaxari; cum « Non occides, non mœchaberis (*Exod.* xx), » et quidquid est hujusmodi, ad nos divina traditio sic transmittat, ut humanam dispensationem penitus non admittat. Quæ vero ab homine pro sua voluntate salubriter novimus ordinari, ut possit inter fratres et nutriri charitas, et nutrita fortius conservari; **536** quæ et ante votum voluntaria suscipi non coguntur, et post votum in necessaria convertuntur; ea et homo illius vicarius posse vel omittere, vel remittere perhibetur, sed nonnisi cum necessitate rationabili perurgetur, quia, etsi ejus voluntas, tamen lege necessitas non tenetur. Est itaque fidelis dispensator, qui cum sibi commissos loco et dignitate præcedit, tamen a Regula per contemptum et injuriam non recedit; nec ita sibi vult suos obedire, ut negligant veritatem communis Regulæ custodire. Ille quoque subditus fidelis esse obediens perhibetur, qui in sua obedientia Dei beneplacitum intuetur, et sic studet fieri eorum quæ sibi homo præcipit exsecutor, ut in illis non reddatur præceptorum cœlestium persecutor. Nonnulli quippe nescientes, vel potius contemnentes veritatem divinæ voluntatis, quæ præcipue testimonio Scripturarum, et subditis necessaria est et prælatis; sic prælatorum gaudent voluntatibus deservire, ut inveniantur prorsus non tam Deo quam hominibus obedire (*Act.* v). Quia enim forte vident magistros suos auribus prurientes, asperisque sermonibus, licet veracibus, succensentes, blandis vero, licet fallacibus adgaudentes; ipsi quoque gravi rubigine deformantur, dum magistris talibus morum sollicitudine conformantur. Postponentes itaque seria quæ apud illos sciunt locum gratuitum non habere, proponunt adulatoria, quibus illos intelligunt paulo tenacius adhærere; eoque mercimonio, et prælati assuescunt nisi grata et suavia non jubere, et subditi non torpescunt obedientia simili respondere. Dumque tali concordia magister et discipulus sibi invicem conformantur, grato testimonio, non mediocriter ab invicem commendantur, dum et talem magistrum discipulus discretum asserit præceptorem, et præceptor discipulum obedientissimum auditorem. Econtra verus obediens ob hoc exhibet obedientiam præceptori, quia præceptum ejus placere extimat Creatori, nec offenso Deo eligit homini complacere, nec dum placat hominem, Deo negligentius displicere. Scit enim quia si verbis adulatoriis præceptori placere niteretur (quibus procul dubio Deus graviter offendi perhibetur) in hoc jam servus non Dei, sed hominis haberetur, quod manifeste apostolica sententia prohibetur ad Corinthios: « Pretio, inquit, empti estis; nolite fieri servi hominum (*I Cor.* vii). » Eos intelligi vult Apostolus hominum servos esse, qui cum magistros viderint ad blanda et inania justo amplius pronos esse; justæ severitatis virilem constantiam non opponunt, sed illorum laxis mentibus molli accubitu se supponunt. Dumque aures eorum prurientes student sermonibus placitis delinire, et eorum non spiritalibus, sed carnalibus affectibus obedire; constat eos non Deo, sed homini, peccato, non justitiæ deservire, et ad mortem servitute degeneri devenire. Unde et ad Romanos: « Nescitis, ait, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis; sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam? » (*Rom.* vi.) De qua morte quia Christus mortis suæ pretio nos redemit, et de nostræ compedibus servitutis libertate sui Spiritus nos exemit; ei obedientia, ei debet servitus exhiberi, id est ejus placitum, non carnem hominis appetitum debet obediens intueri. « Pretio, inquit, empti estis; nolite fieri servi hominum (*I Cor.* vii). » Cujus ergo? Idem ad Colossenses « Domino, ait, Christo servite (*Colos.* iii). » Et ne hoc dicto videretur ab hominum prorsus obedientia nos arcere, tanquam sic Christo, ut non etiam hominibus vellet nos obedientiam exhibere; paulo ante præmisit: « Filii, obedite parentibus per omnia (*Ephes.* vi). » Ergo debent per omnia filii parentibus obedire, quod nihil est aliud quam per obedientiam deservire; et ne Apostolus possit forte sibi contrarius existimari, subdit unde hujusmodi existimatio debeat amputari. Cum enim dixisset: « Filii, obedite parentibus per omnia, » subjunxit: « In Domino (*ibid.*), » ut obedientia filiorum in Domino, non contra Dominum habeatur; et non hominibus, id est vanis et humanis eorum affectibus, sed Christo Domino serviatur. Quod etiam Ephesiis loquens ait: « Filii, obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est (*ibid.*). » Itaque, ut dictum est, non contra Dominum, sed in Domino; hoc enim justum est. Nulli autem dubium quin omne

peccatum Domino veraciter adversetur, et qui ei laxat lora, contra Dominum operetur; Dominoque displiceat non solum secans persecutionis apertæ ferramentum, sed forte nihilominus molle fallacis obsequi blandimentum. Plerumque enim quem strepens persecutio non attrivit, repens adulatio enerviter emollivit; et qui tonante sævitia, nec ad modicum declinavit, sibilante fallacia prurientem auriculam inclinavit. Cujusmodi pestem linguæ blandæ, noxiæ, decepturis, tanquam favum venenosum distillantem de labiis meretricis; Propheta recte sentiens exsecratur. eta se amoveri voce sollicita deprecatur. « Oleum, inquit, peccatoris non impinguet caput meum (*Psal.* CXL). » Peccatoris oleum sermo est blandientis, fabricatus et prolatus juxta placitum prurientis, quo dum caput illius, id est mens interior impinguatur, totum corpus operum perfusione noxia prægravatur. Orat ergo Propheta, ne cordi suo serpentina mollities tractu lubrico se infundat, virtutumque operibus virus noxium superfundat, et non soli sibi pruritus noceat audiendi, sed et suis familiaribus **537** prompta pernicies obsequendi. Intelligit enim luem istam jus sibi non modicum inter subditos obtinere, dum sermone gratioso student majoribus complacere; et inter majores posse raros admodum inveniri, qui non sibi favorabili obsequio gaudeant obediri. Unde quanta plerumque pernicies prosequatur, Scriptura canonica manifestius protestatur, quæ nimirum Joas regem Juda dicit ad idololatriam devenisse, sed prius principes suos adulatoriis eum obsequiis delinisse. « Ingressi sunt, inquit, principes Juda, et adoraverunt regem, qui delinitus obsequiis eorum acquievit eis (*II Par.* XXIV). » Quo fructu autem, et illi regem voluerint delinire, et rex delinientibus consentire, subjecit Scriptura : « Et dereliquerunt, inquit, templum Domini Dei patrum suorum, servieruntque lucis, et sculptilibus (*ibid.*). » Videtis lingua mollis adulantium auriumque prurigo, cujus mali fons quidam fuerit et origo, et propter susceptum fallacis obsequii lenimentum, tam rex quam populus incurrerint idolatriæ detrimentum. Qui adeo de malo in pejus profecerunt, ut ad Deum quem dereliquerant non redirent, prophetasque sibi missos a Domino non audirent; imo Zachariam prophetam populus juxta regis imperium præsumpsit lapidare, quia illos ab idololatria voce libera nisus est revocare. « Mittebat, inquit, eis prophetas, ut reverterentur ad Dominum, quos protestantes illi audire noluerunt. Qui congregati adversus miserunt lapides juxta regis imperium et interfecerunt eum (*ibid.*). » Quia ergo juxta quemdam comicum, veritas odium parit, obsequium amicos; pauci veritatis gratia volunt majorum odia sustinere, multi festinant eis blandiendi obsequio complacere, eligentes eorum utique fieri familiares et amici, quam veritatem ingratam proferendo non sufferentibus inimici. Et quoniam vix aiter Petrus invenitur, qui Paulum arguentem suffert patienter (*Gal.* II), vix est Paulo quisquam A similis qui Petrum arguat confidenter · sed sic nobis subditos dare volumus operam sanctitati, ut ingratam veritatem nostræ non præferant voluntati. Enim vero neque hæc majoribus obedientia, est requirenda, nec eis requirentibus exhibenda; sed illa potius cujus integritas non sustinet assuto panniculo deturpati, cujus nescit veritas blandis sermonibus adulari. Cum enim ad hoc quisque religiosus jubeatur majoribus obedire, ut obedientiæ merito divinam possit gratiam invenire; certum est tam prælatis quam subjectis nullatenus expedire, ut ad quidquam aliud, vel jubendo, vel obsequendo studeant pervenire. Si autem major in jubendo, et regulæ diligat veritatem, et non suam, sed Dei diligentius eligat voluntatem, non erit tanquam homo nostri B similis respuendus, sed tanquam Deus cujus vicem obtinet audiendus. Etsi enim eis qui nihil aliud vovit quam propositam regulam se tenere, hujus lege voti ad ulteriora non possumus cogendo promovere; tamen is qui perfectus obediens vult haberi, angustis voti finibus non debet cohæreri, sed diffusa in eo plenius charitate, ad majora provehi libera voluntate. Auctor quippe Regulæ, etsi noluit ut contra eam quidpiam auderemus, non tamen prohibuit quin super eam plurima faceremus; sic volens regulares observantias non tenere, ut tamen nollet a superabundantia prohibere. Et cum ad illas jam nos quidam voti compellat necessitas, ad hanc charitatis liberæ ducit suavitas, nec majoris est meriti quod flagrantia charitatis gratuito nos facit C obedire, quam quod suscepta Regula quæ vovimus, non sinit præterire. Quam obedientiam, ut videtur, Apostolus designavit, cum loquens de Onesimo Philemonem discipulum commendavit. « Confidens, ait, in obedientia tua scripsi tibi, sciens quoniam et super id quod dico facies (*Philem.* XXI). » Super id igitur quod suum nobis auctor regulæ commendavit, super ea quæ nobis nominatim vivendi præcepta promulgavit; bonus obediens non refugit operari, nolens voti finibus avarus redditor angustari; sed erumpens in quamdam planitiem interminæ largitatis, quidquid præcipitur promptus aggreditur affectu charitatis; quidquid enim homo præcipit vice Dei, quod tamen contrarium non sit ei, quod con- D stet, nec mandatis majorum authenticis obviare, nec a recte vivendi Regula deviare; debet subditus, non adversus id quamvis subitum et forte insolitum disceptare, sed aure fidei tanquam divinum oraculum acceptare.

CAPITULUM XLI.

Sic filii Jonadab præceptum patris grave et insolitum audierunt, et auditum constantia inflexibili tenuerunt; quo præcepit eis ut vinum deinceps non gustarent, nec in domibus, sed in tabernaculis habitarent. Quod, etsi noverant sibi a Deo nullatenus hoc indictum, tamen patris tenuerunt immobiliter interdictum, scientes quia debent filii parentibus obedire, nisi forte cum parentes Deo constat jubendo contraire. Et quoniam qui recte de virtute proficiunt

in virtutem, intra degenerem et angustam retineri non sustinent servitutem; pulchre isti qui obedientes fuisse memorantur, filii Jonadab appellantur : Jonadab interpretatur *spontaneus*. Filii ergo spontanei sunt, qui præscriptis nolunt voti finibus coarctari, sed in campo liberiore affectu spontaneo dilatari ; dum non solum **538** quæ Deus jubet satagunt adimplere; sed nihilominus, et quæ homo quem constat jubendi ministerium obtinere. Cui enim vicem suam, vel ministerium voluit impertiri, in eo se, et sperni asseruit, et audiri, ut nec propter ministerium homo si contra Deum jusserit audiatur, nec quia homo est, si secundum Deum jusserit, contemnatur. Decet quippe auditorem, nec amore, nec odio prægravari, si tamen vult perfecte judicium et justitiam operari, ut nec propter amorem noxium præceptoris operari quid præsumat contra rectitudinem Creatoris ; nec propter odium vel contemptum ejus quem hominem videt esse, mandatum ejus prætereat, quem in jubendo recta Dei vicarium constat esse. Quod in Evangelio manifestissime demonstratur, cum non dicta, sed facta Pharisæorum Dominus exsecratur. « Quæ dicunt, inquit, facite, quæ autem faciunt facere nolite ; dicunt enim, et non faciunt (*Matth.* xxv). » Volo, inquit, et quod male faciunt vos penitus exsecrari, et quod bene dicunt laxis obedientiæ sinibus amplexari; quia, et opera eorum sequaces suos pertrahunt ad ruinam, et sermo eorum regularem prædicat disciplinam. Cum igitur eos forte, vel potius eorum opera odio habeatis, non tamen ideo si quid recte præcipiunt contemnatis; sed quod in eorum moribus dissonat eis tanquam proprium relinquatis, et quod in verbis consonat mihi, quia meum est ascribatis. Sed sciendum quia hæc est obedientia perfectorum non præcipientis mores, sed pondus attendere præceptorum; est autem in populo Dei major numerus infirmorum; a quo non facile majorum monitis obeditur, si monentium vita, vel injusta, vel odibilis invenitur Ideo Dominus qui pusillos suos non vult scandalo perturbantibus pœnam gravissimam irrogari, volens non solum prælatis, sed et subditis providere, eosdem prælatos diligenter inventus est præmonere, ut se minoribus studerent dignos, et imitabiles exhibere. « Luceat, inquit, lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (*Matth.* v). » Qui dixit apud Lucam : « Qui vos audit me audit (*Luc.* x), » dixit et apud Matthæum : « Luceat lux vestra coram hominibus (*Matth.* v); » ut per illud subditos ad obediendum majoribus informaret, et per illud prælatos ad exhibendum se imitabiles invitaret; sciens quia facile majori subditus non obedit, si jussa jubentis vita imitabilis non præcedit. Nec quisquam potest facile quempiam imitari, si qui proponitur imitandus non studeat summopere se amari, ut non solum divino conspectui justus appareat, sed et fratribus suis amabilem se et gratum exhibeat. Sicut enim ad id quod diligitur prono intuitu oculis se convertit, sic ab eo quod non diligitur se avertit, et ei quem nec etiam vult videre, non facile potest quisquam sese pedissequum exhibere. Ideo Apostolus volens dilectionem inter patres et filios conservari, sine qua non potest patrem filius imitari, cum dixisset : « Filii, obedite parentibus per omnia in Domino (*Ephes.* vi), » statim subjecit : « Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros (*ibid.*). Quia videbat non expedire filiis, ut laxo vivendi vinculo solverentur, et freti noxia libertate per morum devia vagarentur; paterna sollicitudine necessarios eis terminos præfinivit, eosque nectura salutatis obedientiæ compedivit. « Filii, ait, obedite parentibus per omnia in Domino, hoc enim placitum est (*ibid.*). » Sed ne in hac ordinatione patres præsumptivo spiritu superbirent, et occasione acceptæ pietatis in filios libere desævirent, eos quoque monitis competentibus erudivit, et revocans a latitudine propriæ voluntatis, arctis compedibus irretivit. « Patres, inquit, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant (*ibid.*). » Nolite, inquit, eis iræ venenum infundere, quos grato dilectionis oleo debetis perfundere ; nolite ad aliquod eos vitium provocare, quos ab omni debetis vitio revocare. Nolite filiis passu tenero ad Dei festinantibus visionem, occursu pestifero importunam inferre læsionem ; ne qui debent affectu filiali vestris jussibus obedire, impulsu vero compellantur ab eadem obedientia resilire. Bonus enim pater, non elatus collatæ sibi fastigio præfecturæ, sed volvens et revolvens onus impositæ sibi curæ, non spirat minas in cervices tremulas subjectorum, sed vix respirat dum frequenter suspirat gravi sollicitudine filiorum. Bonus pater filiis non parat laqueum, non ruinam, sed eis salutarem, non tam verbis quam moribus dat doctrinam ; eoque pondere, vel mensura necessariam temperat disciplinam, ut serpentis astutiæ jungat mansuetudinem columbinam. Illa prudenter corrigit proserpentem tortitudinem vitiorum, ista sibi clementer allicit pronam teneritudinem animorum; corrigit, inquam, ne effluant, vel forte pereffluant nullo repagulo cohibente, allicit vero ne deficiant, et a via resiliant sævitia intolerabiliter perstrepente. Per illam filiis pater ingerit reverentiam et timorem, per istam vero suggerit patientiam et amorem ; ne vel amor sine timore efficiat negligentes, vel timor sine amore quod est gravius odientes. Unde Paulus cum Philippenses instruens diceret : « Quæcunque sancta, » statim subjunxit : Quæcunque amabilia hæc cogitate (*Philip.* iv); » sic acquirendam vel tenendam innuens sanctitatem, ut necessario copulandam astrueret charitatem, Et ne hoc videtur cæteros præmonere, **539** quod ipse vel non posset vel nollet forsitan adimplere, consequenter adjecit : « Quæ et didicistis et vidistis et audistis in me (*ibid.*). » Super quo etiam Thessalonicensibus loquens, prælatos breviter instruit, dicens : « Corripite inquietos, consolamini pusillanimes (*Thess.* v). » Quibus verbis aperte dat

intelligi, quod non sufficienter operetur in subditis correptio sanctitatem, nisi in eis etiam ædificet consolatio charitatem, cum sub fasce correptionis pusillanimis animus defatiscat, nisi grato consolationis beneficio reviviscat. Non vult ergo Apostolus ut pater a filiis solummodo timeatur, ne timor ad odium devolvatur, sed sic illum vult timeri, ut etiam amplius diligatur, quia dilectionem facilis obedientia comitatur. « Sine offensione, inquit, estote Ecclesiæ Dei, sicut et ego per omnia omnibus placeo; non quærens quod mihi utile sit, sed quod multis, ut salvi fiant (*I Cor.* x). » Videt quia salutem subjectorum non satis efficaciter operatur, qui non curat et satagit ut affectu tenero diligatur, nec possunt ejus digne monita complacere, si monentem contigerit auditoribus displicere. Cujus indutus sensu noster ille Augustinus, tanquam in trutina ponens pariter timorem et amorem, minoris esse ponderis vult timorem, ut cum timore et amore prælato subjectus obtemperet, justo et salubri ordine amor ejusdem prælati præponderet. Loquens enim de prælato : « Quamvis, ait, utrumque sit necessarium, tamen plus a vobis amari appetat quam timeri. » Cum ergo prælatus a subditis et timeri debeat et amari, evidenter præcipitur ut diligenter appetat plus amari, et profecto satis liber a culpa non habetur, si quantum in se est non eum plus diligat qui veretur. Nisi enim diligatur, subjectum populum mirando vestigio non præibit, et ad eum intuendum gratanter idem populus non exibit, cum odiosa justitia non satis dignam præbeat se videri, et eam ad imitandum nullus fere gaudeat intueri.

CAPITULUM XLII.

Hoc est, ut videtur, unde Joannem Zachariæ Christus in Evangelio commendavit, et turbas populares esse commendabiles intimavit, quod scit ille gratum se non solum Deo, sed etiam hominibus exhibebat, et ad vivendum eum egrediens undique populus confluebat. « Cœpit, inquit, Joannes ad turbas dicere de Joanne : Quid existis in desertum videre (*Luc.* VII) ? » Turbarum nomine illi non incongrue designantur, qui cum aliquandiu in peccatis quiete noxia teneantur, divino tandem timore, etsi graviter, tamen salubriter excitantur, et ad exeundum divinæ concussionis manu fortissima proturbantur. De quibus propheta : « Commovisti, ait, terram, et conturbasti eam; sana contritiones ejus quia commota est (*Psal.* LIX). » Bona turbatio, bona contritio, bona commotio, cum ad pœnitendum male quietus populus commovetur, et commoto larga Dei bonitas benigne miseretur, ut rejecto pacis pristinæ blandimento, jam Christum diligat sustinentem Christus vitalis alimoniæ beneficio refovere : « Misereor, inquit, super turbam, quia triduo jam sustinent me, et non habent quod manducent (*Marc.* VIII). » Hujusmodi turba cum divino respectu fuerit excitata, et a grata mollitie corporalium passionum impulsu timoris insoliti proturbata, amore novitatis jam egreditur ad videndum, intelligens munus gratiæ studiis anterioribus præferendum. Denique et Abrahæ dictum est : « Exi de terra tua et de cognatione tua, et de domo patris tui (*Gen.* XII), » ut sciamus quia non est nobis in his quæ nostra sunt carnalia demorandum, sed exitu religioso ad spiritualia demigrandum. De quo Isaias : « Recedite, inquit, recedite, exite inde : pollutum nolite tangere; exite de medio ejus (*Isa.* LII). » Bonus exitus quo exitur de medio immundæ pravitatis, quo exitur de sepulcro mortiferæ vetustatis; quo ad vocem clamantis Domini Lazarus exire non moratur (*Joan.* XII), et opera ministrorum a peccatorum institis relaxatur. Bonus, inquam, exitus, quo de medio turpitudinis exitur, non quo ad medium turpitudinis pervenitur, bonus quo quis infirmior exit ad imitandum fortiores, non quo sensu erroneo ad videndum egreditur nequiores. Denique Dina filia Jacob cum melius teneretur in conclavi paternæ mansionis (*Gen.* XXXIV), egressa est ut videret mulieres illius regionis, quam egressam Sichem filius Emor videns, virginem appetivit, et erepto virginitatis flosculo tristem blanditiis delinivit. Cain ille nequissimus cum apud se prius de homicidio cogitaret (*Gen.* IV), egressus est in agrum ut illud opere perpetraret; eoque perpetrato ejici se a facie terræ et a facie divina abscondi protestatur, et peccati merito super terram profugus evagatur. Quia ergo et bonus et bono contrarius esse exitus comprobatur, recte Christus loquens turbis, de earum exitu sciscitatur : non ut responsionibus earum addisceret quod ante nesciebat, sed ut nobis ostenderet quod sciens inquirebat. Qui cum dixisset : « Quid existis in desertum videre; » ipse sibi inquirenti respondit : « Arundinem vento agitatam (*Luc.* VII). » Quod si remisse proferatur, nihil quod subaudias, est addendum; si vero interrogative, vel vere, vel ita est, vel aliquid hujusmodi, est apponendum. « Quid existis, ait, in desertum videre ? arundinem vento agitatam ? » Vere ita est. « Vere, inquit, ad videndum arundinem existis, quam non in foro, vel platea, sed in quieto solitudinis **540** invenistis, quia et foralem plateam peccantium occupat multitudo, et arundini amica est aquosa et invia solitudo. Solitudo autem, vel desertum perfectio vitæ est melioris, in qua juvenum lascivia, virginum chori, lites civium non versantur, sed eam tam verbis quam moribus exsecrantur; nec eam inhabitat plurimorum vaga et perstrepens multitudo, non carnium vel carnalium nidores, non viciorum inficit ægritudo. Quam demulcet non durus aquilo, sed auræ sibilus lenioris, gratoque susurro perfundit aquæ rivulus purioris, aquæ, inquam, sine sui læsione morum maculas abluentis, et in vitam æternam gratioso impetu salientis. Cujusmodi perfectio pro eo recte deserti nomine figuratur, quod a multis, vel infirmitate vel negligentia deseratur, imo a tam paucis efficaciter appetatur, ut ab eis illis angusta semita vel tenuiter vix teratur. Ad quod desertum David asserit se fugisse, et in eo securus ab hostium incursu legitur exstitisse. « Ecce, ait,

elongavi fugiens et mansi in solitudine (*Psal.* LIV.) » Persequente quippe Saule David, in monte solitudinis Ziph profugus habitavit locique munimine persequentis malevolentiam declinavit; et cui non dedit vincere resistendi præsumpta fortitudo, ne vinceretur præstitit fugientibus amica solitudo. « Morabatur, inquit, David in deserto in locis firmissimis, mansitque in deserto solitudinis Ziph, in monte opaco (*I Reg.* XXIII). » Saul interpretatur *petitus* vel *petitio*. Per quem mundus in maligno positus videtur non incongrue designari, in cujus appetitu videtis bestialem populi multitudinem effrenari, qui justi Samuelis humili magisterio nolentes infrenari, regali potestate per plana diligunt evagari. Ziph interpretatur *flos*. Bonus ergo perfuga David qui et mundum sanctos persequentem fugere festinavit, et in monte solitudinis Ziph fugiens latitavit, ut fugitivum muniret proficiendi eminens altitudo, et munitum deliniret ejus altitudinis florida pulchritudo. « In monte, inquit, solitudinis Ziph, in monte opaco. » Mons iste solitarius floridus et opacus, sanctarum est eminentia Scripturarum, ad quam justus satagit se transferre, cum minas mundanorum incursuum cervice famula non vult ferre. Quæ Scriptura, mons dicitur, propter eminentis excellentiæ dignitatem, solitarius, propter appetentium raritatem : floridus, propter morum aut virtutum quam continet floridam venustatem; opacus, propter obscuram spiritalis intelligentiæ densitatem. De quo Habacuc : « Deus, inquit, ab austro veniet, et sanctus de monte Pharam (*Habac.* III), » quod alia translatio habet : « De monte umbroso et condenso. » Et Aggæus : « Ascendite, inquit, in montem, portate lignum, ædificate domum (*Agg.* I). » In montem nimirum quisque sapiens tunc ascendit, cum a mundi facie persequentis Scripturæ altitudinem apprehendit; cum sub umbra ejus in florido gramine refrigerandi gratia se extendit, ejusque protectione a solis vel æstus injuria se defendit. Lignum portat, domum ædificat, cum de Scripturis exempla sanctorum præcedentium sibi sumit, et in usus suos prudenti artificio sic insumit, ut et de moribus auferat nuditatis inconvenientiam animalem, et in se domum Deo ædificet spiritalem. « Profectus autem David de monte solitudinis Ziph, mansit, inquit, in deserto Maon. Et profectus de deserto Maon, mansit in deserto Engaddi (*I Reg.* XXIV). » Mutatio hæc locorum non desperationem timidam subsistendi, sed profectum indicat fugiendi; quia justus, etsi gaudet ad munita solitudinis se fugisse, tamen, quandiu quidquam deest, nondum satis existimat profecisse. « Mansit ergo David in deserto Maon. » Maon interpretatur *habitaculum*. Gaudet bonus perfuga non solum ad deserti altitudinem festinare, ejusque suavitatem floridam ferventi desiderio prægustare; sed spiritu irremisso ibidem elegit habitare, extentus ad priora, ad ea quæ retro sunt (*Phil.* III), nullatenus recursare. « Hic habitabo, ait, quoniam elegi eam (*Psal.* CXXXI). » In deserto vel solitudine habitat, qui in Scripturarum scientia diligit meditari, in præceptis earum meditatione debita conversari, a contradictione linguarum, a conturbatione hominum sequestrari, et in pace et otio, proficiendi gratia, delectari. In deserto habitare populus Israeliticus non gaudebat, qui ad tenebrosa Ægypti lenocinia tumultuante animo recurrebat, qui fastidio inventæ solitudinis gravabatur, et in ea corpore, in Ægypto spiritu versabatur. « Profectus David de deserto Maon, mansit in deserto Engaddi. » Engaddi interpretatur *fons hædi*, per quem recte baptismus accipitur, quo humilis peccator abluitur, qui, etsi de virtute proficiens in virtutem ad perfectionis cumulum promovetur, tamen juxta Christi consilium, servum inutilem se fatetur. « Cum omnia, inquit, bona feceritis, dicite : Servi inutiles sumus (*Luc.* XVII). » Est enim baptismus ablutionis, baptismus pœnitentiæ, baptismus lacrymarum, baptismus qui non solum abluit immundum peccatorem, sed ablutum exhibet fervidum amatorem; dum quo amplius hyssopo humili aspersus dealbatur, eo ad diligendum amplius et fructuosius inflammatur. Quo baptismo cum pauci admodum baptizentur, tanquam in deserto manere perhibentur; quia munditia vitæ perfectioris, quasi quædam est solitudo, quam non incolit imperfectorum turbida multitudo.

541 CAPITULUM XLIII.

In qua solitudine Joannes, de quo supra diximus, habitabat, qui arcem munditiæ virtutum meritis occupabat; qui baptismo figurali venientes ad se plurimos baptizabat, eosque ad fructus dignos pœnitentiæ, tam verbo quam moribus invitabat. Ad quem videndum non immerito confluebant, qui fama ejus exciti formam vivendi ab eo sumere cupiebant, festinantes de locis propriis sic exire, ut et videre illum, et viso diligerent obedire. « Quid existis, ait, in deserto videre? » (*Luc.* VII.) Et recte quærit quid exierint videre, interest enim plurimum quid videatur. Est visio noxia, est et utilis. Noxia quidem, cum incautus foris oculus evagatur et ad culpam videntis animus irritatur, cum ille discurrit per inutilia libertate noxia resolutus, et iste exæstuat desideriis carnalibus obvolutus. De quali visione Dominus in Evangelio : « Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam (*Matth.* V). » Quam visionem a se remotam Job insinuat dicens : « Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem de virgine (*Job* XXXI). » Contra quam orat et Propheta : « Averte oculos meos, ne videant vanitatem (*Psal.* CXVIII) : » utilis autem visio est, cum sic exteriora simplex oculus intuetur, ut ad laudem Creatoris interior animus excitetur, cum per id quod ad videndum ille sollicitus aperitur, iste ad devotionem quodam velut impulsu follium reignitur. Quam Propheta, ut videtur, insinuat dicens : « Revela oculos meos et considerabo mirabilia de lege tua (*ibid.*). » Tunc quippe Deus revelare cujuslibet oculos perhibetur, cum ejus mirabilia ille diligentius intuetur, cum sanctos ejus terrenis postpositis cœle-

alia cogitantes non sufficit admirari, eos denique mirabiles et videre, et visos diligit imitari. « Videbo, inquit, cœlos tuos, opera digitorum tuorum (*Psal.* VIII). » Cœlorum nomine sanctos vult intelligi, extensos ad priora operante gratia spiritali, quos videre dicitur qui eorum profectibus hilarescit, et provocatus exemplo ad imitandum laudabiliter incandescit. Sic quippe visio qua justos videmus, non parum gratiæ, non profectum mediocrem nobis confert, cum scilicet eorum et justitiam volumus imitari, et meritis amplioribus adjuvari. Quem profectum Christus, ut æstimo, pervidebat, cum ad videndum ubi habitaret duos in Evangelio discipulos commonebat. Dicentibus quippe illis : « Rabbi, ubi habitas? respondit : Venite et videte (*Joan.* I). » Eos autem ad videndum nullatenus commoneret, si fructum hujus modi visio non haberet; si quod foris utile prudens oculus inveniret, ad profectum interioris animi non transiret. Et Philippus Nathanaeli Christum annuntians : « Quem scripsit, ait, Moyses in lege et prophetis, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth. » Quo respondente : « A Nazareth potest aliquid boni esse? idem Philippus subintulit : Veni et vide (*ibid.*). » Videbat et Philippus huic visioni fructum plurimum non deesse, cum oculus prudenter curiosus justum sibi diligit præsto esse, cum respuens eam quæ noxia est sæculi vanitatem, visam exterius amat interius justi cujuslibet sanctitatem. Recte igitur quærit Dominus quid exierint videre, et ostendens se scire quod quærebat, ipse sibi percunctanti non distulit respondere : « Arundinem, inquit, vento agitatam? » (*Luc.* VII.) Quæro, ait, quid exieritis videre, et quid videritis volo vos non latere, quia ille ad quem videndum vestra curiositas laudabiliter excitavit, tanquam arundo est quæ vento agitatur. Si autem quod dictum est, arundinem vento agitatam, interrogative legatur, subaudiendum est : Vere, vel, etiam, vel aliquid hujusmodi, quod interrogationi affirmando respondeat, ut cum manifesta interrogatio præferatur, subauditæ affirmationis occulta responsio consequatur. « Quid existis in deserto videre? arundinem vento agitatam? » Vere, vere, inquit, ita est, vere ad videndum arundinem existis in deserto, quia constat illum vicem arundinis obtinere, qui suos auditores prædicandi officio satagit edocere. Arundo calamus est. Arundine autem vel calamo Hebræi erant soliti scriptitare, et membranas tenues notis permanentibus exarare, ut quod latebat in profunda scientia doctiorum, ministerio calami transiret ad notitiam cæterorum. Calamus igitur vel arundo, prædicator eloquens non immerito nominatur, cujus prædicatione vivendi nobis regula demonstratur, per quem Deus leges suas in auribus nostris scribit, cujus lingua et sermone viam nobis justitiæ sic describit, ut jam nulli omnino liceat dubitare, qui loquenti aurem voluerit humiliter inclinare. Unde Propheta : « Lingua mea, inquit, calamus scribæ velociter scribentis (*Psal.* XLIV); » scriba noster Deus est scriba noster, Spiritus sanctus est, cujus calamus lingua est prophetalis, per quam nobis describit rectitudinem spiritalis, dum eam movet et dirigit ad loquendum, tanquam scriba calamum vel arundinem ad scribendum. Qui nimirum scriba velociter scribere perhibetur, cujus velocitas nullo repagulo cohibetur, quia cum sibi voluerit calamum vel arundinem coaptare, nihil ejus voluntati prævalet obviare. Unde alibi : « Velociter, ait, currit sermo ejus (*Psal.* CXLVII). » Ejus sermo velociter currit, efficaciter operatur, cum ipse calamus vel arundo impulsu vehementis Spiritus agitatur; cum ei spiritalis scientiæ gratia se infundit, **542** et ejusdem acumen scientiæ ægra conscientia non retundit; cum eum perflat auster ille fortior duri propulsor aquilonis, de quo, vel cui loquitur veri sapientia Salomonis : « Surge, inquit, aquilo, veni, auster; perfla hortum meum (*Cant.* IV). » Hujus austri forti spiramine hortus Salomonis perflatur, et vento prospero arundo vel calamus agitatur, cum factus est repente de cœlo sonus tanquam flatus vehemens, et replevit totam domum ubi erant sedentes (*Act.* II), ut deinceps auderent coram principibus et potestatibus cum fiducia verbum loqui, imo ferventes Spiritu quæ audierant et viderant non poterant jam non loqui. Sic et Joannes arundo non incongrue nominatur, qui flatu vehementi divini Spiritus agitatur, ut imponens calcem silentio, venientes ad se populos ad pœnitentiam diligat exhortari, imo non vereatur reprehensione libera Herodis adulterium exsecrari. Quem nimirum Joannem si ventus hujusmodi non urgeret, inter genimina viperarum positus vel taceret, vel ejus sermo commendabilem efficaciam non haberet, quia quicunque Dei Spiritu non aguntur, filii quidem sæculi contra idem sæculum vel nullatenus vel inaniter obloquuntur. « Quicunque autem Spiritu Dei aguntur, ait Apostolus, hi filii sunt Dei (*Rom.* VIII); » filii vero Dei nesciunt se huic sæculo conformare, sed deformes cæteros in pulchritudinem debitam affectu sollicito reformare; et nec minis adversantium nec blandiiis adulantium incurvantur, quia bonæ arundines actu venti commendabilis roborantur. Arundo autem quæ non agitur flatu spiritus vehementis, cum innisus ei quis fuerit, frangitur, et manum transforat incumbentis, quia si quis non agente divino Spiritu præsumpserit doctor esse, invenitur non tam suis prodesse auditoribus quam obesse. Recte ergo Joannes arundo vento dicitur agitata, cujus lingua adeo est impulsu divini Spiritus instigata, ut quamvis in eremo procul a tumultu civium eligeret habitare, non tamen posset ibi sub umbra nocentis silentii latitare, sed ut leo rugiens fremensque minaciter, lingua scribæ scribentis velociter, vox clamantis, præco judicis intonaret, et longe lateque torpentes populos ad salubre remedium excitare. « Agite, inquit, pœnitentiam : appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* III). » De quo bene additur : « Quid existis in deserto videre? hominem mollibus vestitum (*Luc.* VII); » vel si interrogative

dicatur, hominem mollibus vestitum? Subaudiendum est, ut supra, vere ita est, vel aliquid hujusmodi.

CAPITULUM XLIV.

Joannes quippe qui arundo dictus est agitata flatu spiritus vehementis, vestitus quoque asseritur mollibus indumentis, ut sicut per arundinem vento actam prædicandi commendabilis fortitudo, sic per mollia vestimenta vivendi signetur incomparabilis pulchritudo. Solent parentes quos tenere diligunt filios, et maxime filias mollibus induere vestimentis, ut delicata earum teneritudo asperitate vestium non lædatur, et pulchritudo ingenita ornamentis cultioribus augeatur. Sic et Deus Pater quos præ cæteris diligit, vestibus induit delicatis, id est munit et venustat meritis et virtutibus accuratis, ut in earum velut molli sindone delicatior anima volutetur, et aspersa grossitudine vitiorum ejus delicatia non gravetur. Quæ si forte degenerans a nobilitate collatæ sanctitatis propriæ voluntati obnoxia lapsum incurrerit vetitæ pravitatis, avertit plerumque ab ea Deus affectum quo eam tenere diligebat, auferique ornatus delicatos quibus eam mollem et teneram vestiebat. Quod per Isaiam peccatrici animæ comminatur, quæ pridem in deliciis tanquam virgo tenera versabatur, nunc autem se inclinans ad infirma et egena propriæ voluntatis, meretur spoliari et re et nomine pristinæ dignitatis. « Descende, inquit, virgo, sede in pulvere, sede in terra, non vocaberis ultra mollis et tenera ; tolle molam et mole farinam (*Isa.* XLVII). » In excelso quippe fidelis anima residebat, cum quæ retro sunt oblita mandatis perfectioribus inhærebat, cum inter choros cœlestium vivendi similitudine versabatur, et in carne præter carnem solius Creatoris desiderio tenebatur. Mollis quoque et tenera non immerito vocabatur, cum in abscondito vultus Dei a conturbatione hominum servabatur, cum soli juncta Christo versabatur intra thalamum nuptialem, ut nec faciem ventus urens, nec corruptor impeteret pudicitiam virginalem. Cum autem sicut Dina egressa est ad videndum mulieres extraneæ regionis, postponens claritatem internam visionis, Sichen illius, qui corruptor est virginum, immundis est amplexibus appetita, et pudore defloratо mortiferis ejus blanditiis delinita. Dicitur ergo ei : « Descende, sede in pulvere, sede in terra. » Quæ hactenus in excelso virginalis sanctimoniæ merito resedisti, descende, quandoquidem deceptoriis suasionibus adhæsisti, et sede in abjecto et depresso terrenæ pravitatis, sustinens promeritum dedecus immundæ vilitatis. « Non est enim, inquit, solium filiæ Chaldæorum (*ibid.*) : » est quidem solium præcelsæ dignitatis filiæ civium supernorum, cujusmodi **543** solio caret filia Chaldæorum, quæ privata nativa teneritudine, qua virgo nobilis vel nobilitas virginis commendatur, more ancillarum, aspero et servili operi deputatur : « Non vocaberis, inquit, mollis et tenera ; tolle molam, mole farinam. » Quia contempsisti, quæ mei erat muneris, teneritudinem virginalem, assume tibi gravium peccatorum molam vel circuitum sæcularem, qua premente vel potius opprimente, cogitationum multiplicitas incomprehensibilis orietur, cujus nube volatica non tam pasci, quam cæcari peccatrix anima promeretur. Ad hanc molam vel farinam compellitur misera devenire, quæ virtutum mollibus indumentis sese noluit delinire, quia et nobile otium cultus mollis et regius insignire, et servili operi videtur ignominiosa nuditas convenire. Quam nimirum nuditatem per Isaiam minatur eis Dominus se inferre, ut nudati ad opera servilia possint libertate misera se transferre, qui sensu perdito renuentes ejus molle et tenerum jugum ferre, divinæ jussioni voluntatem elegerunt propriam anteferre. « Decalvabit, inquit, Dominus verticem filiarum Sion, et crinem earum nudabit, et auferet ornatum calceamentorum et lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras, et discriminalia, et periscelidas, et murenulas, et olfactoria, et inaures, et annulos, et gemmas in fronte pendentes, et mutatoria, et pallia, et linteamina, et acus, et specula, et sindones, et vittas, et theristra (*Isa.* III). » Hæc sunt ornamenta quibus anima, si a Deo recesserit, denudatur; si vero in illius amore persteterit, laudabiliter adornatur, quibus et Joannes (de quo nobis sermo est) refulgebat, sicut ei Dominus testimonium perhibebat ; hominem, inquit, mollibus vestitum. De quibus mollibus et per Ezechielem dicit : « Vestivi te discoloribus et calceavi te hyacinthino, et cinxi te bysso, et indui te subtilibus, et ornavi te ornamento, et dedi armillas in manibus tuis et torquem circa collum tuum, et dedi inaurem super os tuum, et circulos auribus tuis, et coronam decoris in capite tuo, et ornata es auro et argento, et vestita es bysso, et polymito, et multicoloribus (*Ezech.* XVI). » His, ut dixi, mollibus indumentis erat Joannes vestitus, id est textura, virtutum varia, more nobilium insignitus, nesciens, imo respuens aspersis et servilibus studiis implicari, eligens et commendans spiritali otio delectari. Unde Christus subjungens : « Ecce, ait, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt (*Luc.* VII). » Reges dicit eos qui religioso quodam fastu subjici vitiis dedignantur, qui carnales affectus edomant, et edomitis principantur, qui ad faciendum in terra sua judicium prudenter eruditi, ad expugnandum quævis resistentia redduntur fortiter expediti. De qualibus propheta : « Et nunc reges, intelligite, erudimini qui judicatis terram (*Psal.* II). » Et in alio psalmo : « Reges, inquit, terræ et omnes populi, principes et omnes judices terræ (*Psal.* XLVIII). » Domus autem istorum regum, virtutes sunt quæ cum forti et prudenti artificio compinguntur, et connexu congruo in unam quasi fabricam rediguntur, architecto suo conferunt et validum repulsorium exteræ tempestatis, et in secreto præsidentis conscientiæ pacatam sedem regiæ potestatis. De qualibus per Isaiam : « Ædificabunt, inquit,

domos et habitabunt (*Isa.* LXV). » Et per Ezechiel : « Ædificabunt domos, et habitabunt confidenter (*Ezech.* XXVIII). » Domum quippe ædificat, et in ejus habitaculo conversatur, qui virtutes congregat, et earum constanter umbraculo delectatur ; qui studiose sibi virtutum merito coacervat, multoque studiosius se in illis continet et conservat. Domum autem ædificat, sed in ea non dicitur habitare, qui quod bene cœperit, non studet consummare ; qui prudenter admonitus ad agendum quæ justa sunt, aliquandiu cor apponit, sed salubri proposito finem debitum non imponit. Quod quia perfectis aut electis congruere non videtur ; recte per Isaiam Dominus pollicetur : « Non ædificabunt, et alius habitabit ; non plantabunt, et alius comedet (*Isa.* LXV). » Ædificant, sed alius habitat, plantant, sed alius comedit ; qui ad construendam bonorum operum fabricam fortiter elaborant, sed laborem suum intromisso vastatore per negligentiam decolorant : qui virtutum plantaria, qui feracem in ordine vitem ponunt, sed adversus bestias et latrunculos dignam satis custodiam non apponunt. Super hoc, Scriptura (*Gen.* XXV) Jacob minorem natu videtur commendare, quia vir simplex domi elegerit habitare, cum Esau major fratrum conversatione simili non contentus, exteriora præferens, venandi studio sit intentus. Denique obstetrices in Ægypto, quia timuerunt, inquit (*Exod.* I), Deus ædificavit illis domos, vel (juxta Septuaginta interpretes) fecerunt sibi domos ; similate viro sapienti qui adversus ventos et flumina quærens inviolabile firmamentum, domum suam ædificat supra petræ solidæ fundamentum. In hujusmodi domibus Deus, ut David (*Psal.* XLVII) perhibet, cognoscetur, quia ejus cognitio in profectu virtutum obtinetur ; cum juxta Isaiam (*cap.* XL) quæ aspera fuerant, in plana convertuntur, id est dura et ferrea igne amoris valido molliuntur. « Ecce, ait, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt (*Luc.* VII). » Qui enim amore divino tenere fuerint emolliti, et in abscondito secretorum digna scientia delicatius eruditi ; in his esse domibus, id est virtutum meritis perhibentur, quæ nisi ab his qui prudenter seipsos rexerint, non habentur. Quo pretioso virtutum indumine quia Joannes, Christi testimonio, refulgebat, dignum A se videri populis 544 confluentibus exhibebat ; scribens eis et describens erudito sermone regulam sanctitatis, doctrinamque salutarem commendans moribus accuratis. Sic enim auditorum animos ad obediendum efficacius inclinabat, cum ejus doctrinam morum suavitas commendabat ; cum non satis pro imperio verbis dominantibus intonabat, sed injunctam obedientiam injungentis dilectio levigabat. Liquet ergo diligenter intuentibus quam necessarium habeatur, ut qui cæteris imperat ab eis diligi mereatur, ut non solum ejus justitia formam præbeat sanctitatis, sed et morum gratiam in suis auditoribus affectum excitet charitatis. Denique finis præcepti ideo forte charitas perhibetur, quia sine illa præceptum perfecte non impletur ; cum B præceptum sit ut et sese præceptor exhibeat subditis gratiorem, et subditi affectu reciproco, vel vice debita diligant præceptorem. Quod si gratia operante contigerit, nil jucundius nil fructuosius invenitur, nil tam sibi congruum jubentis et obsequentis grata societas experitur, quia cum patet ad jubendum filium non nisi diligenti sollicitudine se inclinat, et sinu paterno affectu filius tenero se reclinat, obedientia in neutro unde conqueratur inveniens hilarescit, et ad quævis grandia hilaritate salutifera convalescit. Si autem ira, disceptatio, potentia, fastus, contumaciter imperat, et tristitia, murmur, rixa, rancor obtemperat, profecto serena obedientiæ facies non mediocriter offuscatur, et a reatu noxio nec imperans nec obtemperans excusatur. Quia C ergo finis præcepti est charitas de corde puro et conscientia delæcata, et sine charitate non est obedientia consummata ; in hujus sinu prælatus et subditus pariter requiescant, et complexu mutuo ad diligendum invicem incandescant. Qui cum se viderint perfectæ dilectionis vinculo indissolubiliter colligari, et apud se tam in jubendo quam in obsequendo modum et ordinem debitum conservari, non indigebunt ultra nostris sermonibus informari, gaudentes jam se Deo, plusquam dici valeat, conformari. Potest igitur hoc in loco nostra congrue responsio terminari, quam expleto negotio superfluum est amplius dilatari ; cum ad hoc intentione præcipua niteretur, ut profectu congruo ad perfectum obedientia duceretur.

—

VI.

DE SILENTIO CLERICORUM.

PROŒMIUM.

Quæritur, fratres, quod, quibus, quando, quare silentium sit tenendum, et e regione commendabiliter seponendum, cum plerumque in Scripturis inveniatur silentium approbari, plerumque vero in eisdem nihilominus reprobari. Huic autem quæstioni (ut videre videor) non potest facile respondere suosque auditores dignam satis, ad intelligentiam D promovere qui non prius elegerit sese intra claustra silentii cohibere, et in eis conversatione congrua familiarem illius notitiam obtinere. Ille enim præcipue doctor congruus invenitur, qui non tam sciendo quam sentiendo, verum esse quod prædicat, experitur, qui non velut torrens actus hiemalibus pluviis, sola ex scientia verbosatur, sed magis ex sententia, velut ex fonte vivido veritatem proferre compro-

batur. Qualem se esse doctorem ille sapiens attendebat, et ut ad imitationem sui provocaret cæteros, aiebat : « Mihi autem dedit Deus dicere ex sententia (*Sap.* VII). » Videtis quia iste non sola ex scientia, quæ nonnunquam auditu colligitur extrario loquebatur, sed magis ex sententia quam gustus interior operatur, velut cum vinum non bonum esse scitur fama solummodo ventilante, sed esse bonum sentitur gustu perfectius judicante.

Quia igitur propositæ quæstionis arcanum mea satis experientia non degustat, profecto ejus solutio non mediocriter me angustat, quam attendo tantis perplexitatibus implicari, ut a me inexperto non possit ad liquidum explicari. Sed quo ad explicandum est difficilior, eo explicanti venia debetur facilior, quia eum discreta judicum sententia non accusat, qui pro posse suo perferre onus impositum non recusat. Denique angeli non solum adgaudent et ministrant hominibus perfectæ facultatis, sed et pacem annuntiant bonæ hominibus voluntatis (*Luc.* II), ut et qui meruerint perfecti esse operis, eorum adminiculo perseverent, et qui bonæ voluntatis fuerint, non desperent. Eapropter sub spe aggredior de silentio respondere, fidens in eo quem scio bonæ voluntatis hominibus præsidere, **545** qui ea bonitate, quæ sua est, vel aggredienti gratiam ministrabit, vel insufficienti veniam non negabit.

CAPUT PRIMUM.

Silentium quidem a religiosis viris non mediocriter commendatur, in claustris religiosis diligentius conservatur, nullumque claustrum dignum satis laude nostris jam temporibus perhibetur, in quo diligenti custodia regulare silentium non tenetur. Est enim, ut Isaias dicit (*cap.* XXXII), justitiæ cultus silentium, quia qui justitiæ exhibere curat obsequium, non potest apud eam sufficientem gratiam invenire, si quidquid in os venerit, præsumit effutire. Et revera cum plurimi ad vivendum juste et regulariter congregantur, et in eodem conclavi propter metum Judæorum clausis foribus demorantur, non facile cohibent linguas mobiles ne rixentur, si non a vaga licentia loquendi, indicta lege silentii cohibentur. « Cum enim sit inter vos zelus et contentio, ait Apostolus, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? » (*I Cor.* III.) Necessario igitur ad vivendum regulariter congregati, loro silentii colligantur, ut cum religionis gratia homines non hominibus fabulantur, in secreto cordis sui Deo familiarius colloquantur, ejusque spiritali colloquio, non homines, sed dii effici mereantur. Verumtamen ad promerendam hujus muneris gratiam non satis oris silentium invalescit, nec quoties tacet lingua, totiesque interior animus conquiescit, imo plerumque quo tenacius illa exterius obmutescit, eo iracundius ille interius exardescit. Si autem eamdem iracundiam, qua laborat, rupto silentii obice verbis perstrepentibus evaporat, nimirum velut hulcus erumpente sanie, detumescit, sensimque velut fornax aperto spiraculo refrigescit. Quodpropter, ut video, non semper oris silentium commendatur, nec in paginis Scripturarum solum istud silentium nominatur, imo potest et in illis aliud silentium reperiri, et forte in se ipso quisque diligentius experiri.

CAPUT II.

Est quippe in Scripturis genera silentii mihi invenire, quorum singulatim si quis velit evidentius definire, poterit quidem illud per oppositum et melius providere, et audientibus pleniorem ejus intelligentiam exhibere. Est enim silentium a locutione. Est silentium a bonis. Est silentium a malis. Silentium a locutione, est cessare vel quiescere a loquendo. Locutio autem alia fit verbis, alia fit signis. Quæ autem fit verbis tam proprie generaliter locutio nominatur, ut eam dici locutionem dubitare nec simplex quispiam videatur, et plerique æstimant ob hoc esse humano generi traditum ut loquatur, ne velut inter pecora sic inter homines silentium teneatur. Et revera Deus in creatione mundi priusquam diversi generis animantia fecit muta, quæ novimus vel in terris, vel in aquis, vel in aere distributa, et eadem non propter se, sed propter futurum hominem instituta, ad extremum hominem ad imaginem suam fecit, quem cæteris, tam bestiis quam piscibus et volatilibus sic præfecit, ut ratione præditus ad serviendum Creatori intelligeret et diligeret se creatum, et eidem sic creato exhibent cætera irrationabilia famulatum. Est autem ratio, virtus quædam et discretio naturalis, qua bonum a non bono, et justum ab injusto discernere potest natura spiritalis, qua Deus qui est spiritus veracites creditur insigniri, et ipse eam cæteris vel humanis, vel angelicis spiritibus voluit naturaliter impertiri. Dedit enim creator spiritus creati, angelorum vel hominum spiritibus rationem, per quam boni et mali haberet naturaliter notionem, ut cum hujus beneficio inter justum et injustum facerent discretionem, ex adjuncti libertate arbitrii inclinarent sese ad propositam optionem. Verum quidam angelici spiritus eadem ratione et arbitrio male usi, de superna luce beatitudinis in profundæ miseriæ tenebras sunt detrusi, ibique apud eos inolita ratio quidem mansit, sed erga suum Creatorem obsequium eorum rationabile non permansit. Alii vero sicut ex conditione rationales spiritus exstiterunt, sic in obsequio Creatoris rationabiliter perstiterunt, et suorum concivium non secuti, pleniore sunt gratia perseverandi meritum assecuti. Hi divinam voluntatem mundo et spiritali oculo contemplantur, et suas invicem conscientias, inolito quidem acumine speculantur, nec egent ut aliquid verbis perstrepentibus doceantur, neque, ut locutione media, quidquam, vel a Deo, vel ab invicem jubeantur. Quia enim tegumentis non sunt torporis obvoluti, sed ab omni mole, vel crassitudine penitus absoluti, spiritali vident subtilitate quod eis divina gratia præostendit, et amoto prorsus velamine, alter alterius nudam conscientiam deprehendit. Post quorum creationem, de limo terræ Deus hominem figuravit,

eique figurato rationem vitæ, spiritum inspiravit, ut ex grato beneficio primæ suæ creationis, factoris factus ad imaginem, capax existeret rationis. Homo ergo sicut et angelus, rationalis exstitit ex natura, sed humanam carnem habens, quod non angelica creatura cujus carnis involucro rationalis anima tegebatur, et non ipsa, sed terrenum ejus **546** operiorium videbatur. Unde visum est congruum benignissimo Creatori, et omnium, quæ creavit fidelissimo provisori, ut homini qui ex anima, constabat et corpore loqui daret, eique naturalem quodammodo loquendi habitudinem assignaret, ut cum ex ratione quid conciperet utile, vel honestum, loquendo homo homini faceret manifestum. Decebat quippe sic inter homines gratum commercium celebrari, sic eos pariter locutione media sociari, ut cum apud se eorum conscientiæ superducto carnis indumine tegerentur, ad mutuam foras notitiam assumpto vocis vehiculo facile perferrentur. Denique propter hominem qui naturali donatur ratione, et ad proferendum rationis consilium necessario, dictum est, utitur et sermone; ipse quoque Deus et angelus plerumque verbis sonantibus sunt locuti, et, quæ homini necessaria fuerant, modis congruentibus exsecuti. Quos cum spirituales, imo spiritus, locutione vocali certum sit non egere, tamen propter homines voluerunt nonnunquam visibiles et audibiles apparere; et assumpta materiali voce, et forma tales sese ad horam exhibere, ut eos posset homo, et audire corporaliter, et videre. Hinc est quod in paradiso cum Deus primum hominem collocavit, quæ nimirum innumeris, et fructiferis arboribus abundavit, quibus earum vesci deberet, eidem homini Deus materialibus verbis dixit, lignum autem scientiæ boni et mali loquendo nihilominus interdixit. « Ex omni, ait, ligno quod est in paradiso, comede, de ligno autem scientiæ boni et mali non comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris (*Gen.* II). » Quia enim Deus hominem fecerat capacem rationis, et ad proferendum, ut dictum est, arcanum, officium dederat et sermonis, ut ei condescenderet, voluit ipse quoque materialibus verbis uti, ut evidentius edoceret acceptis illum beneficiis non abuti. Sic nimirum antiquis Patribus audibilem sese Deus, vel angelus pridem exhibuit, et in qua voluit forma visibilis plerumque apparuit, assumens ad tempus, in qua videri et audiri posset, materialem quamlibet creaturam, qui erat invisibilis et inaudibilis per naturam. Quod etiam Adam videtur innuere, cum post peccatum compertam nuditatem conatur abscondere, cum vocem Dei deambulantis in paradiso perhibet se audiisse, et aspectum illius propter novæ nuditatis ignominiam timuisse. Dicenti enim Deo : « Adam, ubi es? respondit : Domine, audivi vocem tuam, et timui eo quod nudus essem (*Gen.* III). » Audivit ejus vocem, et ab eo videri se timuit, a quo autem visus erat, sed videri sese non puduit; quia ante peccatum nullam repugnantiæ sentiret in corpore læsionem, corporalem non timebat Dei vel angeli præsentis visionem. Postquam vero suasione mulieris salubri decidit a præcepto, divina ultione rebellionem pertulit a subjecto; et male commonitus intemperantiam sequi ducem, implevit quod post dictum est, « qui male agit, veraciter odit lucem (*Joan.* III). » Fugit ergo, et in umbra sub ficulneis frondibus delitescit, nec tamen ideo divina benignitas obmutescit, sed latentem inveniens alloquitur, et arguit, et revocat ad salutem, et ad medelam muneris, indicit vanitatis non spontaneam servitutem. Eodem modo et ad Cain locutus fuisse perhibetur, qui eversus invidia fratrem immeritum occidere non veretur, et requisitus ubi sit, se scire contumaciter diffitetur, ne scelus perpetratum confessione debita humiliter expietur. Postmodum vero Jacob revertenti de Mesopotamia in forma viri angelus non solum se videri, sed et passus est corporaliter se teneri, et cum illo usque mane mirabili mysterio luctabatur, et inter luctandum, quæ satis vobis nota sunt, loquebatur. « Dimitte, ait, me; jam enim ascendit aurora (*Gen.* XXXII). » Et iterum : « Quod tibi nomen est? Non vocaberis ultra Jacob, sed Israel erit nomen tuum (*ibid.*). » In Novo quoque Testamento facile est tale quid invenire, cum Zachariam altari assistentem legitur Angelus convenire, eique veterano Joannem prænuntiat nasciturum, et infirmatum fide usque ad id temporis sub silentio permansurum (*Luc.* I). Paulo post ad Mariam angelus Gabriel destinatur (*ibid.*), et in viri specie, Virgini solitariæ præsentatur, salutat, et cum ea jam esse Dominum protestatur, expavescentem refovet, et asserit de Spiritu concepturam, suumque, et omnium Salvatorem novo genere parituram. Alias tam in Novo quam in Veteri Testamento invenitur angelus apparere verbisque materialibus colloquium hominibus exhibere, ut sic illis suam, vel Dei notam faceret voluntatem, qui propter notitiam occultorum, sortiti sunt loquendi facultatem. Felices quidem, si sic hujus gratia muneris essent usi, ut a notificandis illicitis abstinerent, collato beneficio non abusi, si locutionis adminiculo alterutrum noxia non docerent, nec ad iram, Dominum suis muneribus commoverent. Esset enim tunc omnis locutio commendanda, multoque silentii repagulo coarctanda, quia nec mortiferum proferret quisquam verbum, pro quo damnari mereretur, nec saltem otiosum, pro quo rationem reddere cogeretur.

CAPUT III.

Verum in secunda mundi ætate, cum una eademque lingua omnes ubique gentium loquerentur, et accepto beneficio quidam perversius cæteris uterentur, divina **547** censura voluit eos a proposito revocari, et confundens linguam eorum, fecit eos ab invicem separari. Volebant enim turrim miræ magnitudinis ædificare, cujus posset altitudo cœlorum altitudini propinquare, ut hoc facto, nomen eorum fama celebri vulgaretur, et ad longe postfuturos, monumentum præsumptæ malitiæ trans-

ferretur. « Venite, inquiunt, faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum, et celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras (*Gen.* II). » Perversa locutio. Perversa, inquam, et digna cui silentium imponatur, ut ope silentii affectata perversitas seponatur, ne sibi vel innocua vel forte proficua videatur, si, quod verbo protulit, explere operibus permittatur. Malitia enim cui favet quæsita societas et assistit, prolata in medium, ab incœpto facile non desistit; si nequam ejus proposito manus valida non resistit, et quod illa molitur instruere, hæc destruere non persistit. Quod intuens Dominus : « Cœperunt, inquit, hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui (*ibid.*). » Recte sic peccantes Deus voluit sic punire, ut quod videbat in malum sibi invicem unanimo spiritu consentire, et ad perficiendum quod male conceperant, verbis efficacibus alterutrum irretire, in lingua percutiens cogeret eos voces mutuas non audire, ut auditu repercusso nescirent et desisterent invicem obedire. Sed melius et culpa et pœna culpæ congrua poterit pervideri, si (quæ paulo supra dicta sunt) seriatim placeat recenseri in quibus invenitur ortus malitiæ, et tantus ejusdem profectus contineri, ut a justo vindice vel nequeat, vel non debeat diutius sustineri. Nam et Apostolus : « Mali, inquit, homines proficiunt in pejus (*II Tim.* III). » Et Dominus per prophetam : « Laboravi sustinens (*Jer.* VI). » Loquens igitur Scriptura de filiis filiorum Noe, qui et illis post diluvium oriuntur, et in multas gentes et populos, per terras et insulas dividuntur, mystico demonstrat sermone quo ordine malitia eorum excreverit, et ad quantam superbiam malitiosa impietas nefario progressu devenerit. « Cum proficiscerentur, inquit, de oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, et habitaverunt in eo (*Gen.* II). » Nimirum propter ortum solis oriens nominatur, quod ex ea scilicet parte, sol ad nos rediens oriatur, qui ortu suo nocturnas tenebras velut increpat et retundit, et tersa mundi caligine diurno fulgens lumine se infundit. Eapropter per orientem non incongrue divina illustratio designatur, per quam depulsa nostra cæcitate, nobis Sol justitiæ præsentatur, ut deinceps non noctis, non tenebrarum filii caligemus, sed induti « arma lucis, sicut in die, honeste ambulemus (*Rom.* XIII). » De quo Zacharias : « Visitavit, inquit, nos oriens ex alto (*Luc.* I). » Sedentibus enim in tenebris et umbra mortis, lux orta est eis (*Isa.* IX). Et ad veræ lucis ortum quisque divino doctus spiritu se gaudet convertere, ut oculis et manibus oblatam possit eamdem excipere, imo ut ejus facie illius facies requiratur, et quæsita, a quærente nullatenus avertatur. « Exquisivit te, inquit, facies mea; faciem tuam, Domine, requiram (*Psal.* XXVI). » Quo fine ? quo fructu ? subjunxit : « Ne avertas, inquit, faciem tuam a me (*ibid.*). » A facie etenim requirente suam Deus faciem non avertit, sed ad illam præstolantem grato munere se convertit, et ostensus quodammodo præstolanti, de virtute illam provehit in virtutem, virtutumque merito perducit postmodum ad salutem. Unde Propheta : Domine, inquit, Deus virtutum converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus (*Psal.* LXXIX). » Ac si dicat : Converte nos, et convertere ad nos, ut cum tua facies nostræ per fidem illuxerit faciei, assequi mereamur promissæ gloriam speciei. In hujus typo rei, cum adesse nobis divinam gratiam deprecamur, cum vel stamus in oratione, vel forte flexis genibus incurvamur, versi corporaliter ad orientalem plagam quasi videre occasum recusamus, ut habitum mentis nostræ situ corporis ostendamus. Debemus enim velut detrimenta, occiduas peccatorum tenebras adversari, et ortum solis justitiæ, converso ad eum desiderio præstolari, ut ille adveniens, id est exoriens, nos conveniat non aversos, sed illustrantis gratiæ convertat faciem ad conversos. Juxta quod scriptum est : « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos (*Zach.* I). » Et Jeremias : « Circumspice, ait, Jerusalem ad orientem, et vide jucunditatem quæ veniet tibi (*Baruc* IV). » De hoc oriente prædictus ille populus dicitur proficisci, cum lucem veram quæ conversos ad se illuminat, voluntate propria inventus est oblivisci, nec timuit superbo spiritu apostasiæ crimen incidere, id est averti a Deo et in suas adinventiones præcipiti elapsu decidere. « Initium enim superbiæ, apostatare a Deo (*Eccl.* X). » Forte de hoc oriente et Balaam ariolus venisse memoratur, cum a Balac rege Moabitarum ad maledicendum filiis Israel invitatur, cujus faciei divina satis facies non illuxit, dum illius respectu manus iste ab omni munere non excussit. « De Aram, inquit, adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus orientis. (*Num.* XXIII). » Neque enim vocanti Balac assensum Balaam præbuisset, si aversus a sole justitiæ non fuisset, nec in populum, cui Dominus benedixit, affectu malevolo delicuisse, si non montes orientis, id est justitiam reliquisset. « Justitia, inquit, tua sicut montes Dei (*Psal.* XXXV). » De qualibus orientem relinquentibus Dominus 548 per Jeremiam : « Verterunt, inquit, ad me tergum et non faciem (*Jer.* III). Et infra ; « Dorsum, ait, et non faciem ostendam eis in die perditionis eorum (*Jer.* XVIII). »

CAPUT IV.

« Cum autem proficiscerentur illi filii Noe de Oriente invenerunt, inquit, campum in terra Sennaar (*Gen.* XI). » Relicto quidem Oriente vel montibus Orientis, campus recte in terra Sennaar invenitur, quia lata et spatiosa via est per quam ad mortis præcipitium devenitur, et perversus animus non curans facie veri luminis illustrari, per planitiem voluptatum habenis gaudet laxioribus evagari. Campus quippe in Scripturis aliquoties commendatur, et per eum humilitas vel morum æqualitas designatur, quia tumoris asperitate relicta, planitiem

humilitatis appetitur et fraterna dilectio composita morum æqualitate acquiritur. « Ego, inquit, flos campi (*Cant.* II).» Et Propheta: «Ambulavit, inquit, verbum et exivit in campos, » id est humilibus et mansuetis apparuit. De quibus alius Propheta: « Invenimus, inquit, eam in campis silvæ (*Psal.* CXXXI).» Campi silvæ nationes esse gentium perhibentur, quæ in adventu Christi asperitate peccatorum inculti se silvescere humiliter confitentur, et humilis merito confessionis fideliter et salubriter complanantur, ut tanquam amarus oleaster in olivæ dulcedinem inseri mereantur. Et ad Ezechielem Dominus : « Egredere, ait, in campum et ibi loquar tecum. Et egressus sum, inquit, in campum et ecce gloria Domini stabat quasi gloria quam vidi juxta fluvium Chobar (*Ezech.* III).» Campus iste non incongrue signat latitudinem charitatis, ad quam si quis egreditur de latibulo vel angustia terrenæ et propriæ voluntatis, sentit sibi Deum loqui, Deum sibi plenius apparere, imo in se illum, et in illo nihilominus se manere. « Deus quippe, ut legitur, charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo (*I Joan.* IV). » Ideo Apostolus Corinthiis tanquam filiis : « Vobis dico, dilatamini, et vos (*II Cor.* VI), » ac si dicat: Exite de angusto gurgustio affectuum terrenorum, et transite ad amorem, et desiderium æternorum, ut cum hujus vos mandati exceperit florida latitudo, liberius et plenius divinæ majestatis gloriosa vobis appareat magnitudo. Aliquando vero per campum libera vitiorum signatur latitudo, cum animæ peccatrici, vel aspera vel angusta videtur virtutum altitudo, et non valens, vel non volens ad illius eniti arduam gravitatem, in se ipsa recidens, diffusam peccandi amplectitur libertatem. Hinc est forte quod Josias justus rex cum in campo Mageddo præliatur, spe frustratus victoriæ, a sagittariis vulneratur, et inde triumphantibus adversariis mortuus reportatur, unde non solum vitam, sed et victoriam referre inaniter arbitratur. « Perrexit, inquit, ut dimicaret in campo Mageddo, ibique vulneratus a sagittariis, mortuus est (*II Par.* XXXV).» Et in libro Regum : « Portaverunt, inquit, eum servi sui mortuum de Mageddo (*IV Reg.* XXIII) ; » [interpretatur Mageddo *tentatio*. Tentatio autem est, quidquid nobis videmus temporaliter arridere, in cujus appetitu cum volumus quasi victoriam obtinere, asperam et angustam religionis intimæ proponimus disciplinam, et optatus exteriorum successus spiritualem nobis vertitur in ruinam. In campo igitur quasi Josias rex justus occiditur, cum in diffuso exteriorum appetitu, nostræ, si qua est, justitia mentis opprimitur, et de Mageddo, id est de tentatione, morte subita reportatur, cum ab his quæ appetit, spe cassata, mens interior repulsatur. Denique poeta quidam :

Bella, inquit, *per Emathios plus quam civilia campos,*
Jusque datum sceleri canimus.....

(LUCAN. *Pharsal.* I, 1.)

patenter insinuans per Emathios, id est sanguineos campos nihil prosperum designari, in quibus inveniuntur scelus et bella plus quam civilia jure injurio principari. Rex quoque Nabuchodonosor auream erigit statuam in campo Duram provinciæ Babylonis (*Dan.* III), sonituque multiplici ad adorandum eam invitat homines ejusdem regionis, volens profecto, ut cum ejus imperium advocata convenerit multitudo, grato eam sinu excipiat tam loci quam idololatriæ latitudo. Attamen tres pueri Sidrac, Misach et Abdenago regis imperium exsecrantes, non tam ejus statuam, quam Deum verum cultu debito venerantes, malunt tribulationis caminum sustinere divini amoris nexibus compediti, quam percurrere propositam idololatriæ latitudinem expediti. Hujusmodi et campus iste est quem supradicti homines invenerunt, qui aversi ab oriente occasum errore devio quæsierunt, et in tantam malitiosæ mentis latitudinem sunt diffusi, ut cœlum vellent impetere inaudita præsumptionis caligine circumclusi.

CAPUT V.

« Invenerunt, inquit, campum in terra Sennaar (*Gen.* II).» Recte in terra Sennaar tam perversa inveniri dicitur latitudo, quia ubi et deperit virtutum spiritualium fortitudo, et habetur contemptui bonæ opinionis ingenua claritudo; ibi regnum obtinet infrenis et indomita sceleris amplitudo. Sennaar interpretatur *excussio dentium*, vel *fetor eorum*. Dentes, quasi molæ sunt, quibus panis molitur et teritur, ut ad ventrem possit convenientius pertransire, vitalemque illic succum venis concurrentibus impertire, ut hujus alimonia illarum ministerio per membra cætera diffundatur, qua diffusa corpus totum salubrius et robustius vegetatur. Panis autem, divina **549** Scriptura est quæ interiorem hominem debet erudire, ut in virum perfectum congruis possit gradibus pervenire, quia, et subtracto Scripturarum pane, jejunus et abstinens infirmatur, et eodem avidius sumpto invalescens cor hominis confirmatur. Dentes vero quibus idem Scripturarum panis atteritur et in ventrem memoriæ vitalis cibus trajicitur, intelligentia et diligentia non fallaciter æstimantur, quæ sibi invicem occurrentes profectum nobis salutiferum operantur. Cum enim animo nostro intelligentia quasi desuper nobis datur, si eidem nostra quasi deorsum diligentia substernatur, fit nimirum molitio vel comestio gratiosa, nostroque spiritui ad vivendum spiritualiter fructuosa. Intelligentiam quippe quæ potest et ingenium nominari, non nostro nobis arbitrio, sed divino munere constat dari: et ob hoc dens molaris superior non incongrue reputatur, qui utpote dignior, nostro esui, id est nostro profectui principatur. Diligentia vero (vel si placet, ut magis studium nuncupetur) nostro quasi arbitrio naturalibus intelligendi viribus adhibetur, et hæc potest merito molaris inferior nominari, qui superiori occurrens, invenitur pariter operari, unde Propheta: « Da mihi, ait, intellectum et scrutabor legem tuam (*Psal.* CXVIII), » Cum enim intellectum a Deo postulat sibi dari, et consequenter spondet

legem ejus diligenti studio se scrutari, insinuat et Dei esse proprium, ut intellectum homini largiatur, et suum esse hominis, ut studio prosequatur intellectum, verumtamen et intellectus, et studium, nisi divino munere, non habentur, et alterutrius beneficio proficiunt et augentur, quia et cum inquisita quis intelligit, ad inquirendum studiosius incitatur, et inquirendi studio ipsa intelligentia declaratur. Hujusmodi vero dentes, qui et nobis non nisi divino munere, conferuntur, et ad perfectum nostro sine opere non feruntur, sicut pia humilitas sanos efficit et confirmat, sic nimirum superbia eosdem excutit et infirmat. Tunc enim proficere, et in profectu persistere studiosum ingenium, vel ingeniosum studium invenitur, cum mens proficere cupientis humilitate debita prævenitur; cum scilicet eo intuitu panem appetit frangere Scripturarum, ut ea fractione operetur salutem animarum. « Operamini, ait, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam (*Joan.* VI). » Imo propheta cum dixisset quod præmissum est: « Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, » subjunxit: « Et custodiam illam in toto corde meo (*Psal.* CXVIII); » plane ostendens quia non ob aliud, intellectum desiderat obtinere, non ob aliud scrutandæ legi promittit se studium adhibere, nisi ut ejusdem legis cognitæ possit custos efficacior inveniri, quæ, nisi cognoscatur, non potest custodiri. Cum vero adversus Deum mens interior intumescit, et operante superbia divinæ legis custodiam perhorrescit, ipsa ejus intelligentia, si qua forte naturaliter inerat, tenebrescit, et diligentia perscrutandi opprimente contemptu, et fastidio evanescit. Et dum eadem superbia resipiscere non curat in melius, sed obstinata malitia proficere studet in pejus, eos quos prædiximus dentes non solum concutere, sed et concussos gaudet excutere, ut nec studio exercere diligat intellectum, nec intelligat se vergere miser animus in defectum. Excussis autem dentibus, id est intelligentia et diligentia profligatis, quibus et diligentius intelligi et intelligentius diligi debuit cibus solidus veritatis, idem miser pascitur inani pabulo falsitatis, et in ea constituit sedem sibi peremptoriæ firmitatis. Sicut enim veritatis alimonia nutritur et perficitur commendabilis fortitudo, sic vanitate seductoria coalescit quædam contraria firmitudo, ut perversus animus a proposito non possit revocari, sed in cæco profectu malitiæ sese gaudeat confirmari. Hæc est terra Sennaar, pertinax videlicet obstinatio pravitatis in qua gradum stabilem se figere mens plena vanitatis, quæ neglecto et projecto intellectu et studio spiritualium mandatorum, cæco fertur impetu per optatam latitudinem vitiorum. De qua Apostolus: « Evanuerunt, ait, in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum (*Rom.* I). » Sed quoniam, ut dictum est, Sennaar interpretatur *fetor eorum*, sciendum quod hæc quoque interpretatio non abhorret a moribus iniquorum qui, etsi habent intelligentiam et adhibent diligentiam in Scripturis, tamen cœlestia non amantes immergunt animum transituris. Sunt quippe nonnulli quorum naturalis intelligentia non cæcatur, sed de die in diem adjuncto labore, et studio declaratur multamque scientiam diligenti sibi sollicitudine coacervant, sed præcepta justitiæ, quæ scientia comprehendunt, moribus non observant; non enim ut vivant sanctius, appetunt multa scire; sed transitoriis voluptatibus suam volunt scientiam deservire, videlicet ut per eam possint efficacius ad lucra temporalia pervenire, aut cum cæteris vel forte præ cæteris tumenti supercilio superbire. Et dum hæc intentio miseram intrinsecus mentem rodit, et ad notitiam cæterorum manifesta per opera foras prodit, ipsa intelligentia, ipsa ejus diligentia, quæ ad sciendum proficere videbantur, tam sibi quam cæteris ad vivendum nocere comprobantur. Illas quidem non obcæcatio velut excutiens longe facit, sed præsentes pravæ intentionis vermiculus putrefacit et forte salubrius eas quispiam non haberet, quam tumentes humore noxio, et putredine **550** corruptas obtineret. Plerique dentium infirmitate vexati, cum eos festina medicatio non restituit sanitati, utilius judicant eos penitus exstirpare, quam illorum et sufferre dolorem, et fetorem colloquentibus propinare. Sic nimirum cum intellectu et studio, Scripturarum scientiam quilibet comprehendit, si secundum easdem Scripturas vivere non contendit, tam sibi quam proximis obesse plurimum comprobatur, dum et scienter peccat, et ejus pravitate proximus inquinatur. Qui enim bonum Christi odorem in omni loco debuerat se præbere, vice versa invenitur fetorem noxium exhibere, cujus dentes cum avaræ vanitatis vermiculo corroduntur, os grandescit, verba tument, auditores propinata putredine corrumpuntur. Unde Scriptura: « Dixit, inquit, Balaam filius Beor, qui novit doctrinam Altissimi, et visiones Omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos (*Num.* XXIII). » Iste videns Omnipotentis visiones inquisitione sollicita quæ justa fuerant, intellexit, sed ad faciendum ea miseræ voluntatis aciem non direxit; imo apertis oculis in avaritiæ ruens incendium, regi Balac in mortem Israel exsecrabile dedit consilium. Ad hujusmodi Sennaar dicuntur reprobi devenire, et in ea campum, id est quæsitam peccandi latitudinem invenire, inventamque non festinant unius diei spatio more hospitum pertransire, sed in ea diuturnam habitationem, civitatem decernunt stabilire: « Invenerunt, ait, campum in terra Sennaar, et habitaverunt in eo (*Gen.* II). »

CAPUT VI.

Habitatio hæc morosam significat mansionem, cum videlicet animus in proposito divinam vel facit vel disponit facere stationem, cum diligens id quod male aut bene appetit, vel ei datum est obtinere, ab eo pedem, vel affectum non vult prece, non pretio, non minis aliquibus retorquere. Unde Scriptura de malis habitatoribus loquens: « Jebusæum, inquit, non deleverunt filii Benjamin-

habitavitque Jebusæus cum filiis Benjamin usque in præsentem diem (*Judic.* I). » De bonis vero : « Non commovebitur, ait, in æternum qui habitat in Jerusalem (*Psal.* CXXIV), » Ponitur etiam in Scripturis habitatio pro dominatione, cum videlicet quis in statu non solum permanere, sed jure potestatis quoddam quasi dominium dicitur exercere, ut fruatur instar regis voluntatis liberæ præfectura, qua nihil acceptans rationalis plerumque obtinet creatura. « Habitabat, inquit, Joseph in domo domini sui (*Gen.* XXXIX). » Et hanc habitationem paulo infra quasi exponens : a quo, inquit, præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum, et universa quæ ei tradita fuerant. Et David : « Inhabita, inquit, terram, et pasceris in divitiis ejus (*Psal.* XXXVI); » id est, dominare corpore tuo et capies fructum ex eo. In eo igitur quod de illis dictum est : Habitaverunt in eo, sive habitationem, sive intelligi placeat mansionem, contumacem illorum voluntatem Scriptura voluit designare, qui, quod male cœperant, contendunt efficaci potentia consummare.

CAPUT VII.

Et quoniam perverso cuique sua solius malitia non satis efficax æstimatur, si non ei ad agendum similiter et alius adjungatur, obnixe illi student suos complices invitare, verbisque hortatoriis ad concupitum opus vehementius incitare. « Dixitque, ait, alter ad proximum suum : venite, faciamus lateres, et coquamus eos igni (*Gen.* II). » Cum in camino cordis malitiæ tumultus incandescit, nihil amplius quam silentium exhorrescit, et intolerabile judicans intra nativas angustias coarctari, rupto silentii repagulo per verborum latitudinem diligit evagari. Sicut enim mustum in laguncula continetur, et incluso forte spirandi remedium non præbetur, fremit quidem, et cohiberi non sustinens intumescit, ejusque tumor ad rumpendum lagunculam ingravescit; sic plerumque malitia perversum animum exagitat et dirumpit, si negata loquendi licentia non erumpit. Quod Eliphaz Themanites pulchre insinuans, ait : « Conceptum sermonem tenere quis poterit? » (*Job* IV.) Dixit ergo alter ad proximum suum. Et recte is qui conceptam malitiam sub silentio non potest cohibere, ad explendum eam nonnisi proximum dicitur commonere, quia si remotum, si longe positum quemlibet affaretur, ejus locutio vel tardius, vel forte nullatenus audita cassaretur. Proximus autem iste est non tam loco, vel genere quam effectu; qui manus nefarias simili non retrahit ab affectu, qui, ne justorum vel colloquio vel consortio, nequam propositum derelinquat, illos refugiens, ei quem sibi videt similem, appropinquat. Audivi quemdam dicere quod in tantum religiosis adjungi formidaret, ut etiam cujusdam fratris sui qui monachus erat, colloquium devitaret, timens ne religiosorum colloquio, et ipse religionem affectaret, cujus tam affectum quam effectum adhuc sibi adesse non optaret. Mira perversitas! Timebat iste ne bonus fieret, qui timere debuerat, ne malus remaneret, et aurem inclinare suam si non Evangelio, saltem ethnico præmonenti, liceat sperare timenti. Et forte illi sperare licebat, sed non libebat, quia non solum studebat ut sanctus haberetur, sed timebat ne hanc ei voluntatem divina gratia largiretur. Sic perversus quisque laxato loro gens **551** verbosari, ei qui grato versatur in silentio non curat sociari; et si quandoque acciderit ut eodem loco cum illo teneatur, longe tamen est ab eo cujus mores et justitia non sectatur. Ejus vero consortium diligit obtinere, cujus mores intelligit suis moribus respondere, auditamque verbositatem, non solum æquanimiter sustinere, sed se duplo garrulum et gehennæ filium exhibere. Qui non immerito etiam genere proximus æstimatur, quia quisquis ea quæ diaboli sunt operatur, ex eo esse Patre quasi Filius comprobatur, sicut divina manifeste Scriptura protestatur. Paulus ad Elymam magnum : « Fili, ait, diaboli, inimice omnis justitiæ (*Act.* XIII). » Et Joannes apostolus : « Qui facit, inquit, peccatum, ex diabolo est (*Joan.* VIII). » Et Dominus in Evangelio : « Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere (*ibid.*). » Omnes igitur qui voluntatem diaboli nequiter exsequuntur, ejusdem filii esse convincuntur, sicut e regione in Dei filios transferuntur, qui ejus voluntati fide et operibus obsequuntur. « Quotquot, ait, receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I). » Quos autem unius patris filios constat esse, qui eos unius generis negat esse, cum ex eo quod generetur, genus vel generatio nominetur? Et quoniam diabolus omnium malorum, Deus vero bonorum pater vel genitor prædicatur, profecto in Scripturis duplex generatio memoratur, quarum altera nisi malos quosque signare non intendit, altera bonos omnes sub eodem nomine comprehendit. De malis : « Generatio, inquit, mala et adultera signum quærit (*Matth.* XVI), » et per Moysem : « Generatio prava atque perversa (*Deut.* XXXIII). » De bonis vero : « Generatio, inquit, rectorum benedicetur (*Psal.* III). » Qui autem unius generationis vel generis sunt, profecto proximi sunt, et imo justus omnis eum qui justus est, suum recte proximum confitetur, et injustus injusti nihilominus esse proximus perhibetur. Dixit ergo alter ad proximum suum, id est iniquus ad iniquum, qui ex unius diaboli non substantia sed malitia generati, non carne vel sanguine, sed morum similitudine sunt cognati. Et sicut proximum suum justus diligit ut se ipsum, illum salvari prorsus desiderans ut se ipsum : ita et proximum iniquus odit et implicat ut se ipsum, mali semper amans, et illum trahens pariter ad se ipsum. Et in hoc similis est patri suo, qui cum impulsu superbiæ in profundum malitiæ decidisset, et hominem ascendere, unde ipse ceciderat, noluisset, assumpta forma verbisque congruis mulierem aggressus, ejusque simplicitatem circumventione callida supergressus. « Nequaquam, ait, moriemini,

scit quippe Deus quia quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum. Tulitque mulier de fructu, et comedit, deditque viro suo (*Gen.* III). » Videtis perversa locutio quantam perniciem operetur, ut cum in esca laqueum, venenum in lingua simplex mulier non veretur, ad comedendum vetita laxis temperantiæ legibus effrenetur, ejusque verbis suasoriis vir uxorius enervetur. Et recte diabolus in forma serpentis apparuit, cum incautæ mulieri, ut transgrederetur mandatum, consuluit, quia hujusce animal serpendo et tractu lubrico se infundit, venenumque in lingua portans, incautis illud et imprudentibus superfundit. Si nimirum antiquus ille Satanas, coluber tortuosus, amantibus justitiæ non mediocriter odiosus, non ambulat, non perstrepit, ne auditus a longe caveatur, imo serpit et labitur, ut adveniens nesciatur, et quem incautum reperit, mordere in silentio perhibetur, in cujus morsu non tam venenum quam veneni comes individua mors habetur. Hujus autem silentium, est ipsa ejus intentio latebrosa, morsus vero, locutio venenosa, cum apud se videlicet in secreto cujusque perniciem aucupatur, et eamdem, adhibitis quas potest machinis, quasi forinsecus operatur. Semper enim apud se malitiæ facibus inardescit, et moræ impatiens, vix aliquantulum conticescit, nil sibi ducens gravius, quam cum sub silentio delitescit, et ab actu noxio quasi ferians, requiescit. Rumpens ergo silentium cito lingua viperea verbosatur, suisque auditoribus venenum infundere machinatur, ut cum eos infecerit, sibi effici similes gratuletur sitque malum eo gratius quo in plures amplius diffundetur. Huic patri venenoso illi se fecerunt qui de oriente profecti, a vero lumine defecerunt, et ne longo silentio offenderent patrem suum, dixit alter ad proximum suum. Sermo autem qui inter hujusmodi filios medius ventilatur, et quo sollicite alter proximum, similis similem exhortatur, sic ab intus foras ad publicum derivatur, ut a fonte suo non degener, non dissimilis habeatur.

CAPUT VIII.

« Venite, inquiunt, faciamus lateres et coquamus eos igni. Et habuerunt, inquit, lateres pro saxis, et bitumen pro cæmento (*Gen.* II). » Opus dignum opifice. De luto mista paleis antiqui lateres faciebant, et eorum aquosam mollitiem admotis ignibus excoquebant, eosque induratos vice sibi lapidum adhibebant, et exinde tam muros civitatum quam domorum parietes construebant. Per lutum autem molle et aquosum, carnalis voluptas non incongrue designatur, in cujus immunditia more suis diabolus volutatur, quia et amica luto sus, ut quidam invenitur **552** ethnicus memorare, et apud Job legitur Behemoth in locis humentibus habitare. Palea vero inanis et volatica typum tenet superbæ vanitatis, quam vannus discretiva infructuosæ arguens levitatis, et latere non sustinens inter grana solidæ veritatis, concussam et excussam in auras projicit miseræ libertatis. At illa huc illuc vento levitatis propriæ circumfertur, eique certa sedes nubiloso in aere non confertur, donec tandem in terra decidens, luto platearum tenacius adhærescit, ibique velut grato excepta gremio molli accubitu requiescit. Cum enim justi suis ab operibus severo judicio inanem excutiunt vanitatem, attendentes Deo non nisi solidam virtutum placere veritatem, illa fugit et transvolat ad iniquorum opera lutulenta, eisque immergitur, et quasi requie fruitur opulenta, dicit quippe justus : « Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. (*Gal.* VI). » De injustis vero, David : « Et gloriati sunt, ait, qui oderunt te (*Psal.* LXXVIII). » Et Salomon : « Qui lætantur, ait, cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis (*Prov.* II). » Et iterum Paulus : « Quorum Deus, inquit, venter, et gloria in effusione ipsorum (*Philip.* III). » Sunt quidem nonnulli qui cum deberent curam bonis operibus impertire, vel, si male quid egerint, saltem verecundiæ limites non transire, sed magis erubescere cum incurrerint lubricum juventutis, quia de homine verecundo habetur aliqua spes salutis, non solum tamen de perpetratis nequam operibus nullatenus confunduntur, sed inani gloria quasi voti compotes extolluntur, digni (ut æstimant) laudis titulo coronari, quod in male agendo vel præferri potuerint cæteris vel æquari. Isti luto paleas recte dicuntur ad faciendum lateres admiscere, qui et agunt lutulenta, et nolunt ea sub silentio cohibere, imo et sunt præcipites quæ immunda noverint actitare, sic verbosi et garruli eadem sensu perdito jactitare. Verumtamen hujusmodi operibus ignis quasi necessarius adhibetur, cujus ardore nimio plasma laterum solidetur, quia lutum si non calore adhibito firmius induretur, experimento notum est, tactu levissimo confringetur. Ignis autem quo immunda et fluida opera convalescunt, et ne facile solvi possint, vehementius indurescunt, mentis malitia non immerito judicatur, quæ apud nonnullos desperantis contemptus præcipitium operatur. « Peccator, inquit, cum venerit in profundum malorum, contemnet (*Prov.* XVIII). » Malitia est cum quilibet non infirmitate vel ignorantia vel quavis negligentia viam justitiæ derelinquit, sed ex decreto perversæ voluntatis et ardore nequitiæ jam delinquit, ut nec speret nec desideret in præsenti vel futuro, a proposito removeri, nec ab eo, velut canis ab uncto corio, possit minis quibuslibet absterreri. Hujusmodi malitia cor Pharaonis vehementius induravit, qui contemnens Moysen, ipsum quoque Dominum ignoravit, quem cum postmodum et scire et fateri plagis crebrescentibus cogeretur, non tamen ad hoc valuit, ut ejus perversitas solveretur. « Nescio, inquit, Dominum, et Israel non dimittam (*Exod.* V). » Et infra : « Dominus justus, ego et populus meus, impii (*Exod.* IX). » Et infra : « Cave, inquit, ne ultra videas faciem meam, quocunque enim die apparueris mihi, morieris (*Exod.* X). » Patet quanto

æstu malitiæ Pharaonis cor nequam præpeditur, qui plagis multis et gravibus flagellatus, non tamen ad condignam pœnitentiam emollitur, sed divina castigatione longe in deterius commutatur, ut ejus castigator quasi lavare laterem videatur. Denique et ipse Pharao in Ægypto faciendis lateribus intendebat, et ad faciendum eos, filios Israel perurgebat (*Gen.* II), nil propensius appetens quam luteis et carnalibus inquinari, et in eis tam se quam cæteros reprehensibiliter indurari. Cujusmodi lateres, illi de quibus sermo est : « Habuerunt, inquit, pro saxis, et bitumen pro cæmento. » Saxa quæ naturaliter fortia sunt, recte signant opera sanctitatis, quæ si prudens artifex conglutinaverit cæmento charitatis, surgent et proficient instructuram ædificii spiritalis, quam ventorum violentia non evertit, non fluminum illuvies, non tentatio temporalis. Quibus saxis et cæmento cum deberent suum ædificium fabricare, si ad cœli fastigium, si ad Dei sublime solium vellent veraciter propinquare, pro his errore devio bitumen et lateres habuerunt, ut cuncta essent lutea quæ in suo ædificio superinvicem posuerunt. Bitumine autem et lateribus juxta libitum præparatis non deficit, sed proficit inchoatæ nequitiæ pravitatis, et in altum extollitur lingua procax, irreverens et infrunita, et nihil perversius quam loquacitas impunita. Cum enim superius ad faciendum lateres alter proximum invitaret, et lingua licet modica totam silvam, juxta Jacobum, inflammaret, tam grave incendium divina patientia non exstinxit, et vagam eorum loquacitatem jugo silentii non restrinxit. Soluta igitur et infrenis locutio præsumptiva, nec certum sciens terminum, nec sua continens incentiva, terram quasi fastidiens, per campos aeris evagatur, et eisdem non contenta ipsum cœlum jam attingere meditatur. Sequitur enim. « Et dixerunt : Venite, faciamus nobis civitatem et turrim cujus culmen pertingat ad cœlum. » Loquax præsumptio nolens silentii jugum ferre, amans certum modum finesque debitos non sufferre, ipsi divinæ sedi violentiam vult inferre, nec ulli rei, quam sibi resistere posse videt, vult deferre. Sed regnum cœlorum non cedit contumaciter rapienti, nec illud **553** diripiunt hujuscemodi diripienti; imo : « Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum (*Psal.* CXIII). » Et per Abdiam : « Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus (*Cap.* IV). » Volens igitur Deus magniloquam linguam disperdere, ne suum illa propositum ad effectum nequam lætetur perducere, suum etiam quodammodo silentium ipse cupit, et illorum prava colloquia ferramento novi generis interrupit.

CAPUT IX.

« Descendit enim, inquit, Dominus, ut videret civitatem, et turrim quam ædificabant filii Adam, et dixit : Ecce unus est populus; et unum labium omnibus, cœperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis donec eas opere compleant, venite igitur descendamus, et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui (*Gen.* XI). »

Plerumque in Scripturis descensio Dei grata et optabilis invenitur, cum scilicet inferioribus conferre sua beneficia comperitur; velut cum miserans quod in Egypto populus Israel Pharaonis imperio gravaretur, ad liberandum eum descendisse idem Dominus se fatetur. « Descendi, ait, ut liberem eum de manibus Egyptiorum (*Exod.* III). » Et nostis quod alibi, sicut pluvia in vellus descendere perhibetur, et consequenter « justitia, inquit, et pacis abundantia orietur (*Psal.* LXXI). » Aliquando autem cum Deus descendere memorantur, secuturam percussionem ipsa ejus descensio præminatur, velut cum Sodomam et Gomorrham disponit percutere, et quasi præminando proponit descendere. « Clamor, inquit, Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est, descendam et videbo (*Gen.* XVIII). » Ipsa quoque visio Dei aliquando gratiam confert, aliquando infert iram. Confert gratiam cum dicitur : « Vidi afflictionem populi mei, et descendi ut liberem eum (*Gen.* III). » Et in Evangelio : « Cum esses, ait, sub arbore fici vidi te (*Joan.* I). » Infert vero iram cum dicitur : « Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum (*Psal.* XXXIII). »

Et per Amos : « Ponam, inquit, oculos meos super eos in malum, et non in bonum (*Amos.* IX). » Ita et hic cum dicitur : « Descendit Dominus ut videret civitatem, et turrim quam ædificabant filii Adam, » ira ejus et percussio designatur : quia illorum forti superbiæ fortiori vindicta resistere præminatur, quia quantavis adversus eum surrexerit altitudo, percutit, et evertit manus ejus invictissima fortitudo. » Unus est, inquit, populus, et unum labium omnibus (*Gen.* XI). » Perversa ista unitas quæ illum populum nexu mutuo compedivit, et ad loquendum grandia eorum labia counivit, ut claustrum silentii abhorrescentes a disciplinæ regula solverentur, et pari sensu, et consensu per diffusa loquendi spatia vagarentur. Sed in hanc unitatem, quasi grandem lapidem Deus misit, et eam eleganti dissidio in partes plurimas sic divisit, ut contra propositum ab incœpto desisterent, quamvis forte in ejusdem voluntatis consensu persisterent. Et eo quidem gravius, et molestius sunt puniti, ab explendo voluntatem violentius præpediti, et nihil quisque intolerabilius sustinet quam affectum, et is eum vehementer æstuat, et perduci non prævalet ad effectum. « Venite, inquit, descendamus, et confundamus ibi linguam eorum. Dixerant illi : Venite faciamus nobis civitatem, et turrim cujus culmen pertingat ad cœlum. Dicit Dominus : Venite, descendamus, et confundamus ibi linguam eorum. » Putabant illi quod ampliori fortitudine vigeret suorum multitudo, et in sua multitudine esset plurima fortitudo, sed et Deus fortium multitudine, vel multorum fortitudine non carebat, quibus vel tardare,

vel cassare nequam illorum propositum prævalebat. « Descendamus, inquit, et confundamus, » angelis forte loquitur, qui ejus gaudent indesinenter jussibus obedire, quibus sibi astantibus hujusmodi consuevit ministerium impertire, ut vel disperdant, et dissipent actus, et consilia perversorum, vel ædificent et plantent affectus, et studia conversorum. « Nonne omnes fratres, inquit Apostolus, administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? » (*Hebr.* I.) Sive electi angelorum ministerio foveantur, sive reprobi digne pro meritis puniantur; nimirum proficit ad salutem hæreditariam electorum, qui plerumque manus suas lavant in sanguine peccatorum. Angelis ergo dicit Deus : « Venite et ascendamus, quia nullis descendere credibiliter æstimatur, et per illos vindictam et iram in peccatores et reprobos operatur, et quod per illos facit, recte illos facere Scriptura protestatur, et quod eo jubente faciunt, jubenti recte nihilominus assignatur. « Descendamus, inquit, et confundamus ibi linguam eorum ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. » Quia justa et salubria non loquuntur, sed justis, et saluti contumaciter obloquuntur, lingua eorum male sibi consona confundatur, ne juxta propositum sermo veneficus noxie diffundatur. Sic autem illam ultio divina vult confundi, « ut non audiat, inquit, unusquisque vocem proximi sui, « ut qui videlicet sibi spontaneum silentium non imponit, nec religionis intuitu ori suo digitum superponit; tamen velit nolit, compellatur vel loqui parcius, vel silere, cum non invenerit qui ei valeat respondere. **554** Revera qui silere non sustinens diligit verbosari, constat eum mediocriter non molestari, si ejus verbositati auditor subtrahatur, vel si ab auditore nulla ei responsio præbeatur.

CAPUT X.

Quidam vero cum loquendi prurigine curiosius effervescit, si auditorem inveniat, pueriliter hilarescit, et ei plerumque importunitate garrula tandiu adhærescit, donec tanquam vertatur plenitudo in vomitum, juxta ethnicum quemdam :

Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

Quidam vero si loquens inveniat auditorem, adhuc tamen conqueritur, si non etiam habeat responsorem, eique, ut æstimat, injuriæ intolerabiles inferuntur, si verba verbis vice mutua non reddantur. Unde cum præcepto Sennacherib regis Assyriorum Rapsaces Jerusalem mitteretur, et ad serviendum Assyriis clamore minaci et garrulo filios Israel hortaretur, Eliacim, et Sobna, et Joæ principes civitatis, suggesserunt illi ut lingua eis altera loqueretur, ne populus intelligens ad respondendum loquaciter moveretur. « Loquere, aiunt, ad servos tuos Syra lingua, intelligimus enim, ne loquaris ad nos Judaice in auribus populi qui est super murum (*IV Reg.* XVIII). » Volebat ut loquentem Rapsacem populus intelligere non valeret, ne verbositati ejus lingua simili responderet, scientes quia flatus vel tenuis respondendi, auget incendium garriendi. At ille qui nolebat a loquendi profluvio cohiberi, sed largiorem materiam sibi a respondentibus exhiberi, modesto suggerentium consilio nequaquam obsecutus, lingua Judaica Judæorum in auribus est locutus. « Stetit, inquit, Rapsaces et clamavit voce magna Judaice, et dixit : Audite verba regis magni, regis Assyriorum (*ibid.*), » et cætera. Cujus cum linguosam procaciam non posset prudens admonitio temperare, eleganti consilio Ezechias rex silentium populo voluit imperare, ut cum ille videret sibi nullatenus responderi, amplius torqueretur, et vel sic cogeretur a proposito removeri. « Siluerunt, inquit, et non responderunt ei verbum, mandaverat enim eis rex dicens : Ne respondeatis ei (*Isa.* XXXVI). » Prudens consilium, ut si verbosantium importunitas cuilibet inferatur, non verbo verbum, sed silentium referatur, objectuque silentii os iniqua loquentium obstruatur, et quasi propositum turris lateritiæ destruatur. Quia vero illis civitatem, et turrim ædificantibus inerat et cura præloquendi, et affectus vehemens pari verbo et opere respondendi, omnes pari supplicio erant feriendi, et ab uno eodemque proposito eadem sententia cohibendi. Confusa est igitur lingua eorum, ut unusquisque vocem proximi, non audiret, nec suas invicem voluntates sermo internuntius aperiret, sed ad vocem præloquentis obstupescens auditor obmutiret, et quem intelligere non valebat, ei nec etiam libens auditum impertiret. Et cum nollent audire alterutrum, vocesque mutuas intelligere non valerent, difficultate subita compulsi sunt ut silerent, et quod a natura intuitu justitiæ tenere noluerunt, justo Dei judicio pœnaliter inciderunt. Sed intolerabile judicantes una localiter contineri, et ab explenda malitia ingrato silentio cohiberi, elegerunt pariter longe ab invicem separari, et cum eis tantummodo, quos loquentes intelligere poterant, conversari. In septuaginta quippe, et duarum gentium multitudinem fuerant jam diffusi, et eodem linguarum munere perversitatis suæ merito sunt confusi, ut scilicet non omnes simul linguarum omnium haberentur, sed gentes singulæ linguis tantum singulis loquerentur. Cum in die Pentecostes congregatis discipulis Paracletus se infudit, linguam illorum hujus muneris affluentia non confudit, sed ita linguæ omnes sunt illis omnibus dispertitæ, ut non singulæ singulis, sed omnes essent omnibus impertitæ. Non igitur illic fuisse creditur confusio pœnalis, sed, ad consolandum eos infusio spiritalis, dono cujus alter alterius voces novas et varias intellexit, intellectus et gratiam ad donantis injuriam non inflexit. Illi vero qui ædificare civitatem lateritiam moliuntur, cum unius essent labii, divina sententia feriuntur, ut in quot gentes fuerant multipliciter jam diffusi, tot linguarum numero pœnaliter sint confusi. Septuaginta quippe et duæ gentes jam in unius cœtu multitudinis habebantur, quæ uno eatenus, et loco, et labio tenebantur, sed in campo Sennaar, et linguis toti-

dem confunduntur, et inde ab invicem in partes totidem dividuntur. Sic enim illis hæc confusio divino est ordine distributa, ut singulis gentibus singularis lingua sit attributa, et cum nollent perversitate nimia reticere, alteri tamen altera non possit respondere. Ab eo igitur unusquisque, cum quo tenere cogebatur silentium, sejunctus, et ei solummodo cui loqui poterat, est adjunctus, et ita se per gentes, et linguas perurgente divina sententia localiter diviserunt, divisi ab ædificando civitatem propositam cessaverunt.

CAPUT XI.

« Ita, inquit, divisit illos Dominus ex illo loco in universas terras, et cessaverunt ædificare civitatem, et idcirco vocatum est nomen ejus, Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ (*Gen.* II). » Recte civitas quam ædificare cœperant verbosantes, neglecto loro justitiæ **555** ad explendum opus malitiæ alterutrum exhortantes, Babel sive Babylonia nominatur, id est *confusio;* quia qui linguam volubilem modesto refrenare non vult silentio, profecto sibi confusionis ædificium machinatur, ubi nulla quies est, ordo perit, religio dissipatur. Unde et princeps ædificantium hujusmodi civitatem, Nemrod, fortis venator contra Dominum fuisse perhibetur (*Gen.* X), cujus nomen officio, officium confusioni obsistere non videtur, imo secundum nomen suum confusum est opus suum. Nemrod quippe interpretatur *transgressor* vel *tyrannus.* Et transgressor vel tyrannus non incongrue nominatur qui cæteris non affectu præsidet charitatis, sed more tyrannico dominatur, qui transgrediens metas justitiæ, et alios efficit transgressores, suoque vel imperio, vel exemplo reddit subditos nequiores. Qui venator fortis contra Dominum signanter appellatur, quia sibi sua solius perditio non satis sufficiens æstimatur, nisi et cæteros violenta indagine persequatur, nisi sua contra Dominum male prævaleat fortitudo, ut ei obsequatur captiva similium multitudo. Per quem Nemrod videtur nonnullorum excellentia figurari, qui cum se viderit occulto Dei judicio cæteris principari, eos majestate manus placidæ non serenant, non a confusione verborum perstrepentium alienant, sed inquientis moribus auferunt illud beneficium quiescendi, et gravi suo magisterio illis materiam dant loquendi. Cum enim perversus quisque locum obtinet præsidendi compellens subditos quasi ad debitum obsequendi, iidem subditi, vel imitantes suum præsidem, dissolvuntur, vel abhorrentes ejus malitiam de illius frequenter magisterio conqueruntur, et sic inter illos perit silentium custos religionis, ædificaturque non pax Jerusalem, sed tumultus et confusio Babylonis. Princeps quippe qui disciplinam, et compositos mores odit quo laxante religionis lorum subjectus populus silentium non custodit, non pacis ædificat, non quietis, non justitiæ civitatem, sed turbat et confundit collectæ multitudinis unitatem. Eo enim religionis indeflexam rectitudinem non tenente, nec a strepitu illicitorum actuum quiescente, tumultuantur subditi quietis silentium relegantes, perversæ illius voluntati indignis favoribus acclamantes, vel juxta Nahum prophetam, gementes ut columbæ, in suis cordibus murmurantes. Relegato autem quieto silentio, turbam turbatam tenet confusio, quæ loquendi tempus ordinem, modum nescit, et tamen ad loquendum immoderatius effervescit. Cujusmodi confusionem necesse est divisio prosequatur, ut scilicet confusorum alter ab altero dividatur, ne perverso consortio ducatur ad perfectum, quæ divisio ab invicem declinare cogitur in defectum. Sic venator ille Nemrod, et qui cum illo erant, linguis multiplicibus confunduntur, confusi ab invicem localiter dividuntur, desistuntque a murorum Babyloniæ vel turrium incremento, in quibus utebantur et lateribus pro saxis, et bitumine pro cæmento. Ex quo patet quantum princeps afferat confusionis, quanto molimine instauret muros, vel ædificia Babylonis, qui negligentia prævalente per angustum religionis tramitem non incedit, qui subditos, gradu, vel ordine meritorum excellentia non præcedit; qui sē illis potius ducem præferens inconsultum, rupto pacis silentio eos excitat in tumultum. Tenens enim avidius habenam voluntatis propriæ laxiorem, subjectionis vinculo compeditos provocat ad clamorem, et qui eos ad quiete vivendum debuerat prævenire, inquietus potius laborat sibi similes invenire. De quo per Moysen : « Clamor, inquit, Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est (*Gen.* XVIII); et per Isaiam : « Exspectavi, ut faceret justitiam, et ecce clamor (*Isa.* V). »

CAPUT XII.

Clamor quippe locutio est immoderatior et nociva, negligentiæ deprimentis et turbati spiritus ostensiva, qui turbatus cum negligit super custodiam sui stare, ad loquendum noxia gaudet linguam volubilem relaxare. Quia laxata liberius rectitudo justitiæ non tenetur, quia David protestante, vir linguosus nequaquam dirigetur, qui vel ori suo non digitum superponit, vel sermones suos in judicio non disponit. Ideo ipse David : « Custodiam, ait, vias meas, ut non delinquam in lingua mea (*Psal.* XXXVIII). » Sicut enim in spe et in silentio secundum Isaiam fortitudo nostra erit, sic in multiloquio secundum Salomonem (*Prov.* X) peccatum non deerit, et recessus cordis absconditos munda religio non serenat, si linguam labilem objectum silentii pessulum non refrenat. « Si quis putat se religiosum esse, ait Jacobus (*cap.* I), non refrenans linguam suam, hujus vana est religio. » Linguam quidem membrum modicum constat esse, sed tamen cæteris omnibus sic obesse, ut quasi totam silvam occupet et incendat, si eam reprimere virilis discretio non contendat. Quodpropter et eadem nonnunquam in Scripturis gladius appellatur, quia male libera mortis exterminium operatur, dum vel a corpore sejungit animam, ut homo temporaliter occidatur, vel Deum ab anima, ut quo interius, eo deterius moriatur. « Dentes, inquit, eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gla-

dius acutus (*Psal.* LVI). » Horum lingua et temporaliter occidi Christum fecit, et eosdem ipsos spiritualiter interfecit, quam si vellent sub **556** justo silentio cohibere, pulso mortis merito, possent vitam felicius obtinere. Recte ergo in potestate linguæ esse legitur mors et vita, quia quodam privilegio potestatis obtinet concupita, et cum vel ad mortem, vel ad vitam electione libera se extendit, præelectam et dilectam efficaciter comprehendit. « Mors et vita, inquit Salomon, in manu linguæ (*Prov.* XVIII). » Mors nimirum, cum ad loquendum procaciter intumescit; vita vero, cum sub grato silentio delitescit. Mors, cum foras solutis legibus evagatur; vita autem, cum discreto moderamine refrenatur. Mors in lingua, cum loquendo quis vel injuste proximum scandalizat, vel supremi judicis iram sibi vindicem thesaurizat, laxato sibi loro stultitiæ nequiter blandientis, si non forte coarctatur manu silentium imponentis. De quo Salomon : « Qui imponit, ait, stulto silentium, iras mitigat (*Prov.* XXVI). » Ira quippe Dei vel proximi facile provocatur, cum lingua imprudentis sub silentio non arctatur, quia, etsi forte bonum quid dicere comprobatur, tamen quia tempus non novit proferendi, hoc ipsum reprobatur. Unde Jesus filius Sirac : « Ex ore, inquit, fatui reprobatur parabola, non enim dicet eam in tempore suo (*Prov.* XXV). » Recte ergo stultus intra claustra silentii cohibetur, ne foras evagantem hostilis malitia libere deprædetur, quia civitas murorum non clausa munimento, irruente hostium multitudine facile subjacet detrimento. Quod insinuans Salomon : « Sicut urbs patens, inquit, et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum (*ibid.*). » Si autem in loquendo valeat spiritum cohibere et tenendo silentio velit diligentiam adhibere, hoc fretus munimento et nonnulla poterit incommoda removere, et perplura quæ non mediocriter proderunt, obtinere. Sicut enim non invenitur, qui, si fluxerit, multiloquio non delinquat, dum obtinendæ stultitiæ multiloquium, quam silentium appropinquat : ita qui tacere dilexerit, aut sapiens effici promeretur, cum auditus magis quam garritus acquirendæ sapientiæ vicinetur, aut, etsi non fuerit, esse tamen sapiens æstimatur, dum cæteris non ejus stultitia verbis erumpentibus intimatur. Super quo Salomon : « Stultus, ait, si tacuerit, sapiens reputabitur, et si compresserit labia sua, intelligens (*Prov.* XVII). » Et cuidam qui volebat sapiens æstimari, cum tamen non sufferret intra silentium coarctari, alter fertur responsum elegans intulisse, sicut nobis invenitur prudens Boetius retulisse. « Intellexeram, inquit, te esse philosophum, si tacuisses. » Potest ergo philosophus, sive sapiens quis videri, si elegerit inter silentii terminos contineri, et virtus, quam verum est in cordis abscondito non haberi, oppanso tacendi velamento putatur obtineri. Denique verba sua nescit vir minus sapiens moderari, et vel suam, vel aliorum invenitur ruinam operari, cum passim loquitur, vel nil penitus profutura, vel procul dubio nocitura. Ad tacendum quæ non prosunt perfectio nos invitat evangelicæ lectionis, terretque contemptorem metu reddendæ rationis, quia verbum otiosum, etsi humana negligentia parvipendit, divina tamen severitas districte illud in judicio reprehendit. « Omne verbum, inquit, otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii (*Matth.* XII). » Et Isaias : « Si desieris, inquit, digitum extendere, et loqui quod non prodest (*Isa.* LVIII). » Philo quoque sapiens : « Custodite, inquit, vos a murmuratione quæ nihil prodest, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit (*Sap.* I). » Obscurus sermo est qui loquentium animos manifesto nocendi strepitu non pertundit, sed incautis minusque prudentibus lapsu tacito se infundit, et sicut non affirmat se magnopere profuturum, sic mentiendo suggerit se nihil penitus nociturum. Obscurus sermo est quem veritatis radius non perfundit, vel in cujus veritate sese charitas non diffundit, cujus ortum scilicet rectæ utilitatis intentio non præcurrit, cujus vel prudentiæ simplicitas, vel simplicitati prudentia non occurrit. Hujusmodi autem sermo Scriptura perhibente, non ibit in vacuum, quia suum auctorem non præstat innocuum, sed eum, etsi non malitiæ saltem otii efficit arguendum quorum illa damnabilis, istud quamvis leviter, tamen inevitabiliter, puniendum. Ideo forte a locutione otiosa propheta Eliseus prophetarum filios revocabat, eosque diligentius ad silentium invitabat cum ipse magnopere sollicitus habetur ne absente eo in cœlum Elias raperetur. Egressi quippe filii prophetarum, qui erant in Bethel et alii postmodum qui erant in Jericho, dixerunt ei : « Nunquid nosti quia Dominus hodie tollet dominum tuum a te? Qui respondit : Et ego novi, silete (*IV Reg.* II). » Non est, inquit, opus ut quid inutiliter proferatis, ut quod mihi notum est, tanquam incognitum requiratis, ne, dum compellor aurem vobis vana loquentibus inclinare, ab eo quo tendebam inveniar vel ad modicum declinare. Silete igitur ne loquaci levitate vaniloquium incurratis, ne incauto vaniloquio vobis offensam contrahatis, quia sermonem inutilem præsto condemnat otium, et cultus est justitiæ, ab eodem tenere silentium.

CAPUT XIII.

Quod si tantopere sermo reprehenditur otiosus, quem et parit levitas et effectus non sequitur fructuosos : quomodo redargui et damnari debet, tam in radice, **557** quam in superficie vitiosus, tumore, invidia, furore, imprudentia venenosus. De quo per Psalmistam : « Os tuum, inquit, abundavit malitia et lingua tua concinnabat dolos, sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum (*Psal.* XLIX). » Et per Jeremiam : « Extenderunt, ait, linguam suam quasi arcum mendacii (*Jer.* IX); » et paulo infra : « Sagitta vulnerans lingua eorum (*ibid.*). Et adjungit : « Nunquid super his non visitabo? dicit Dominus,

aut in gentem hujusmodi non ulciscetur anima mea? (*Jer.* IX). » Lingua mendax vulnerans, irreverens, infrunita, judicante districto judice non erit impunita, sed divina eam animadversio visitabit, et ulciscens in judicio severius judicabit. Quod affirmans Isaias : « Omnem, inquit, linguam resistentem tibi in judicio judicabis (*Isa.* LIV). » Linguam sibi resistentem judicat Dominus, ut ulterius non resistat, ut a suo velit nolit praviloquio jam desistat, ut quæ silere noluit pro acquirenda proposita sanctitate, vel in vita sileat, loquendi tandem sublata facultate. Quod per eumdem Isaiam supra insinuans dicit : « Ultionem capiam, et non resistet mihi homo (*Isa.* XLVII). » Et addit : « Sede, tace, et intra in tenebras filia Chaldæorum, non vocaberis ultra domina regnorum (*ibid.*). » Cum tempus, inquit, districtæ venerit ultionis in quo mihi non resistet humanæ disputatio rationis, tu, quæ vaga et garrula voluntatis propriæ latitudine fruebaris, et in regnandi solio tibi quasi domina videbaris, oppilato gutture et suffocatis faucibus obmutesces, et interpolata die tua, in tenebrarum abscondito delitesces. « Sede, inquit, tace. » Quia vago et instabili nihil molestius quam sedere, loquaci et garrulo nihil intolerabilius quam silere, sile tace, ut sicut prius agere mihi contraria lætaberis, ita nunc quæ tibi molesta, vice reciproca patiaris. Sicut enim qui diligentes me, meis jussibus obsequuntur in portum voluntatis suæ meo diligentis munere deducuntur, ita qui continuum in me tenentes odium effrenatis mihi vocibus obloquuntur, meum versa vice odium sustinere compelluntur. Hoc est quod per Jeremiam idem insinuat Dominus dicens : « Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva, dedit contra me vocem, ideo odi eam (*Jer.* XII). » Hæreditatem quæ præsumit contra Dominum vocem dare, et juxta prophetam Ezechiel perseverat sermone confirmare, idem odit Dominus, et severe judicans exhæredat, imponens tandem terminum, ne juxta libitum, diutius jam procedat, ut quæ malitia prævalente obloquendi non deposuit voluntatem, divina justitia puniente, perdat miseram facultatem. Sicut enim perversitas infidelium, incauta loquacitas reprobatur, et salutem neutra jure potest hæreditario possidere, si tamen contigerit in proposito permanere. Altero justo quidem, sed occulto judicio fidem nescit, et luce fidei non perfusa, tota penitus tenebrescit; alteram, quasi matutinum solis jubar fides conspicua jam decorat, sed lingua incontinens quasi nubes irruens decolorat. Quodpropter cum dixisset per prophetam Jeremiam : « Dedit contra me vocem, ideo odi eam; » subjunxit : « Nunquid avis discolor hæreditas mea mihi? Nunquid avis tincta per totum (*ibid.*). » Avis discoloribus maculis variatur, cum anima recto quidem titulo fidei radiatur, sed immoderatæ locutionis vitio maculatur, cum a forma religionis ecclesiasticæ non recedit, sed intra metas injuncti silentii non incedit. Et quoniam duobus recte dominis non servitur, avem, quæ sic discolor invenitur ipse creator ejus recusat possidere, qui nihil cum alieno domino communiter vult habere. Quia enim avis ista discoloribus se vestivit, dum religioni assumptæ linguam dissonam cohibuit, dum regulæ exterioris sese nexibus infrenavit, sed linguam mobilem irregulariter effrenavit, ipse Deus qui solus omnia vult tenere, totum prorsus respuit, quia partem alteram non conceditur obtinere. « Nunquid avis discolor hæreditas mea mihi? » Nequaquam. « Non erit, inquit, avis discolor hæreditas mea, sicut nec avis tincta per totum. » Sicut enim in sortem meam non cedit quisquis religionem impudentius exsecratur, et abjecto candore nativo adulterinæ tinctura fuliginis offuscatur, sic nec qui sese religiosum convenientius profitetur, si contra me dare vocem laxa loquendi janua non veretur. Ab hujusmodi ergo locutione quæ Deo esse contraria comprobatur, necesse est, summa cura, summo studio sileatur, ut hoc silentio mortis meritum propulsetur, et hæc repulsio vitalem justitiam operetur. Hoc autem silentium, et semper, et ubique et omnibus est tenendum, nunquam, nusquam, nulli, penitus seponendum, quia sicut nulli datur divina lege licentia delinquendi, sic omnibus mandatum imponitur, quæ justa sunt, diligentius exsequendi.

CAPUT XIV.

Quodpropter prædictæ locutioni descriptum silentium imponitur, et e regione interdictum silentium seponatur; quod quia perhibente Scriptura, divinæ justitiæ contradicit, divina eum bonitas pie curans, de omnibus interdicit. Hæc igitur viro sapienti diligenter præcipit non silere, non linguam eruditam sera silentii cohibere, sed cum juxta mandatum expenderit tempus congruum in tacendo, jam non incongrue laxat januam in loquendo. Denique Socrates philosophus, qui jurejurando sub silentio discipulos 558 astringebat, non eisdem loquendi licentiam, in perpetuum auferebat, sed imponebat eis tempus silentii definitum, ut videlicet quinquennii spatio unumquemque redderet eruditum, sciens auditorem tacium longe efficacius eruditi, garrientem vero intempestivo verborum strepitu præpediri. Quod alius quidam sapiens pulchre insinuans, ait : « Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet plus dapis, et rixæ multo minus. » Ex quo patet quia nolunt sapientes ethnici, ut erudiendus quilibet silentio comprimatur, cum tacitus habere plus dapis et sapientiæ mereatur : et cum sub silentio pastus doctusque fuerit congruenter, loqui permittitur, imo forte præcipitur evidenter. Quod a nostris litteris iidem ethnici quantum arbitror acceperunt, quarum et si non spiritualem, tamen utcunque moralem intelligentiam perceperunt, et in eis commendantes quod suo congruere proposito cognoverunt, cætera infideles fidelibus, animales spiritualibus reliquerunt. Quorum spiritualium quidam ait : « Doce me, et ego tacebo (*Job* VI). » Et alius : « Antequam loquaris, disce (*Eccli.* XVIII). » Quod autem volenti discere sit tacendum, et cum

doctus tacendo fuerit, sit oquendum. Ecclesiastes insinuans : « Tempus, ait, tacendi et tempus loquendi (*Eccli.* III). » Ut vir prudens, et tempus silentii noverit anteire, et tempus loquendi secundo loco, vel ordini convenire. Viro igitur sapienti lex divina præcipit ut loquatur, composita cujus locutio favo mellis non incongrue comparatur, dum ejus suadela audientis anima dulcoratur, sanaturque infirmitas acquisita, sanitas confirmatur. Unde Salomon : « Favus, inquit, mellis verbi composita dulcedo animæ, et sanitas ossium (*Prov.* XVI). » Et supra : « Lingua, inquit, sapientium sanitas est (*Prov.* XII). » Cum autem lingua sapientium sanitas sit, quis dubitet eam non debere silentio cohiberi, sed imperitis et infirmantibus adhiberi, ut vice canum lingentes ulcerum fœditatem, dolorem mitigent, pellant morbum, revocent sanitatem? De qua David : « Lingua canum tuorum ex inimicis (*Psal.* LXVII). » In cujus typo rei putrescentem Lazarum canes in Evangelio lingere perhibentur, quia sapientes quique minus sapientibus adhibentur, ut oris medicamine, et multifaria verbi cura tanquam ferro, oleo, potione, malagmate, ligaturam, et nocentia resecent, et adhibeant diligentius profutura. Hujusmodi quidem verba sapientes non debent reticere, sed minus eruditos indefesso eloquio commovere, nisi forte cum obstinatos eosdem ita viderint auditores, ut audito verbo vitæ reddantur nequiores. Qualibus Paulus dixit : « Quia repellitis verbum Dei, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII). » Super quo Ecclesiasticus admonet dicens : « Ubi non est auditus, non effundas sermonem (*Eccli.* XXXII). » Et Salomon in Proverbiis : « In auribus, inquit, insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquii tui (*Prov.* XXIII). » Propter hujusmodi viros qui nullis doctorum monitis obsequuntur, sed quo magis commoniti, eo exacerbati amplius persequuntur, iidem doctores tacendo plerumque scientiam suam velant, et margaritas porcis sanctum canibus non revelant, non invidentes eis quibus debent doctrinæ pabulum exhibere, sed tempus exspectantes quod id possint convenientius adimplere. Quodpropter Ecclesiasticus ait : « Homo sapiens tacebit usque ad tempus, et recte usque ad tempus (*Eccli.* XX). Cum enim sapiens tempus viderit imminere quo sibi, vel honestum sit, vel utile non tacere, non abscondet lucernam scientiæ sub tegumento modii deprimentis illud mandatum audiens Scripturæ salubriter commonentis. « Non abscondas, inquit, sapientiam tuam in decore ejus, in lingua enim agnoscitur sapientia, et sensus, et scientia, et doctrina in verbo sensati (*Eccli.* IV). » Cum itaque sensus, et scientia, et doctrina sit in verbo sensati, non est imponendum tantæ silentium honestati, quia thesauro abscondito invisa scientia comparatur, cujus sensa non proferri cassum esse quidam philosophus protestatur. « Cum læta, inquit, doceat promere gaudia, cassum est nolle loqui sensa decentia. » Sicut autem qui depressi tumore sensa decentia non loquuntur, non solum sæcularibus, sed et divinis litteris arguuntur, et dicuntur per prophetam : « Canes muti, non valentes latrare (*Isa.* LVI), » amantes tam in suam, quam aliorum perniciem dormitare; sic nimirum dignis laudibus efferuntur, qui quod recte sentiunt, congruis locis, et temporibus eloquuntur. Illi sunt enim quorum et scientia contemptibilis non habetur, et lingua eorum ornare scientiam perhibetur, dum et sciunt quid, cui, quando, quomodo, congrue proferatur, et eidem scientiæ lingua promptior famulatur. De quibus Salomon : « Lingua, inquit, sapientium ornat scientiam (*Prov.* XV). » Tunc quippe scientia sapientium ornatu debito sit fecunda, cum ad proferendum lingua congrue sit facunda, cum videlicet quod illa intellectu, et studio meruit obtinere, hæc utilitatis gratia fidenter aggreditur non silere. In cujus fuga silentii, et sensus loquentis interior elucescit, et audientis animus grato accubitu requiescit, et sic amborum pariter non mediocris utilitatis coalescit, dum ille ad proferendum, ille ad audiendum congrue et delectabiliter invalescit. Quod pulchre insinuans Salomon ait : « Mala aurea in lectis argenteis qui loquitur verbum in tempore suo (*Prov.* XXV). » Per malum, fructus; per aurum, signatur sapientiæ claritas pretiosa; per argentum, eloquium, per lectum vero ejusdem eloquii suavitas gratiosa; quæ si conveniant, nihil utilius, nihil apud homines **559** gratius invenitur, sicut melius longe novit qui non loquendo sed habendo potius experitur. Mala ergo aurea in lectis argenteis, recte dicitur collocare, qui sapientiam fructuosam suavi novit eloquio dispensare, qui ad propalandum sensa decentia loquens tempore congruo se inclinat, in cujus dulciloquio auditor mollius se reclinat. « Mala, inquit, aurea in lectis argenteis qui loquitur verbum in tempore suo. » Et recte in tempore suo, non enim nisi suo in tempore loqui sapiens invenitur, ex quo et esse manifeste sapiens comperitur, quia sicut perhibente Scriptura : « Homo sapiens usque ad tempus tacebit (*Eccli.* XX), » sic idem, imminente loquendi tempore, non silebit.

CAPUT XV.

Quales super muros Jerusalem, scribente Isaia, Dominus custodes constituit; eisque ut perpetuo loquerentur signanter instituit, quia sermone vigilium et hostium insidiantium spes cassatur, et sollicitudo civium resistendi labore continuo non lassatur. « Super muros tuos, ait, Jerusalem constitui custodes, tota die et tota nocte perpetuo non tacebunt (*Isa.* LXII). » Muri Jerusalem est fidelium in Ecclesia multitudo quam compactam cæmento charitatis invicta solidat fortitudo, quorum singuli, perhibente Petro, vivi lapides nominantur, qui ex se muros efficiunt cum dilectionis mutuæ fœdere glutinantur. « Et ipsi, ait, tanquam lapides vivi superædificamini in domos spirituales (*I Petr.* II). » Super autem hujusmodi muros, Petrum, Paulum, et cæteros hujus formæ custodes Deus ponit, et eis custodiendorum sollicitudinem sic imponit, ut velit eos non solum

molli somnolentia non torpere, sed agilitate strenuos perpetuo non tacere. « Tota die, inquit, et tota nocte perpetuo non tacebunt. » Sive dies commodi vel favoris temporalis affulserit, sive damni vel minarum caligo nocturna sese offuderit, et sapiens et custos fidelis nescit sub silentio dormitare, sed memor præceptoris præceptum diligit indefesso studio prædicare. Unde cum dixisset per prophetam spiritus : « Tota die et tota nocte perpetuo non tacebunt, » ad eosdem custodes faciens apostrophem subjunxit : « Qui reminiscimini Domini, ne taceatis et ne detis silentium ei (*Isa.* LXII); » vos qui memores estis ejus qui vos constituit super muros, scitote vos non illi torpente silentio placituros, et ideo recte quæ non sunt illi placita non daturos, sed ad murorum custodiam infatigabiliter locuturos. Hujus et mandati, et mandantis, Petrus, et ejus coapostoli memores exstiterunt, qui pro perhibentibus Pharisæis in loquendo fortiter perstiterunt, et offusa nocte minarum, contumeliarum, carcerum, verberum, quæ cuncta pertulerunt, non tamen quæ audierant et viderant, tacere potuerunt : « Non possumus, aiunt, quæ audivimus, et vidimus, non loqui (*Act.* IV). » Mira res ! Tanto quidem loquendi ardore fuerant inflammati, tanto fastidio ingratum silentium exsecrati, ut non solum fiducialiter loquerentur quæ nossent, sed musto spiritus debriati, non loqui jam non possent.

A

B

CAPUT XVI.

Et recte, ut non possent non loqui sanctus in eos spiritus supervenit, apud quos et antea a regalibus sedibus omnipotens sermo venit, ut et ipse inveteratum dure silentium debellaret, et ora tacentia clavis Davidica reseraret. Mundus quippe veterani reus silentii tenebatur, noctisque teterrimæ quasi palpabili caligine premebatur, cum sermo Dei Patris, instar roris nostro velleri, lapsu placido se infundit, et ad humanos oculos virginalis uterus hunc perfundit. Quod insinuans sapiens ille Philo aiebat : « Cum enim quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu iter medium haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, de cœlo exsiliens a regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminii terram prosiliit (*Sap.* XVIII). » Quod silentium, quietum nominat *epytheton*, id est *proprietas rei*, suum est enim silentii, ut quietum sit, alioquin silentium non est, si quietum non est. Quamvis in hoc quod dicit (quietum) illud videtur silentium designari quod constat nocte media celebrari; cum jam videlicet quieverunt plenius vespertini, et necdum suscitantur strepitus matutini. Cum enim nox adveniens silentium afferre videatur, monens quodammodo ut a labore diurno, et strepitu quiescatur, prima tamen ejus parte solent adhuc nonnulli operari, et ultima nihilominus ad operandum itidem suscitari. Media autem parte omnes generalius conquiescunt, et vel occupantur somno, vel saltem in cubiculo delitescunt; et hac hora intempesta silentium fit quietum, quod in dici abeuntis vel redeuntis confinio frequentius inquietum. Quietum vero silentium agi præcipue nocte media comperitur, unde et alia translatio; non, quietum, sed, medium habere silentium invenitur, in quo nihil velle videtur aliud designari, quam quod nocte media constat silentium quietius actitari. « Dum medium, inquit, silentium tenerent omnia. » Quod autem per hoc dicit (medium) mediæ noctis manifeste designet silentium consequenter innuitur, cum infertur :

C

D

560 CAPUT XVII.

« Et nox in suo cursu iter medium haberet (*Sap.* XVIII). » Hoc intempestæ noctis silentio cum somno profundius indulgetur, illa in libro Regum meretrix surgere perhibetur, quæ mortuo filio per suam negligentiam opprimentis, tulit vivum filium de alterius latere dormientis. Quod altera mane percipiens cum lac vellet filio suo dare, conquesta est et arguit quod hæc furtum præsumpserit perpetrare; et cum nullum inter eas finem posset habere contentio, veraci præsentantur Salomonis ambæ judicio. Quarum illa : « Consurgens, ait, intempestæ noctis silentio tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, et collocavit in sinu suo; suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo (*III Reg.* III). » Conqueritur ista quod intempestæ noctis silentio ad perpetrandum furti facinus ejus hospita surrexisset, cum dormire potius, vel forte vigilans feriari saltem ab opere debuisset, quia ob hoc intempestam constat noctem mediam nominari, quod tunc præcipue non est tempus aliquid operari. Nec attendit hæc mulier quod hanc horam debuit plus timere, magis esse sollicita majori sibi vigilantia præcavere, quia qui dolo, vel insidiis inferre cuiquam diligit quid molestum, ut minus caveatur, tempus eligit intempestum. Denique somno gravi cum Ægyptii nocte media deprimuntur, ab Angelo vastatore eorum primogenita perimuntur, adventum cujus prædocti filii Israel vigili sollicitudine præstolantur, præstolantes modo, vel incommodo simili non gravantur. Quod recolens David nocte media nolebat obdormire, sed venturum Dominum exspectatione sollicita prævenire, ut si forte iterum ad turbandum ille quietum, vel medium silentium adveniret, adveniens eum non solum vigilem, sed et intentum laudibus inveniret. « Media, inquit, nocte surgebam ad confitendum tibi (*Psal.* CXVIII). »

Sciebat enim quia regnum cœlorum, quod decem virginibus comparatur, quod nisi a vigilantibus, et oleum laudis habentibus non intratur, tunc præcipue vel offerri, vel auferri veraci sententia prædicatur, cum minus ab incautis, vel dormientibus exspectatur. Clamore quippe facto nocte media sponsus venit excludens eas quas paratas et habentes oleum non invenit, eas vero secum ad nuptias introduxit, quas vel dormitio, vel olei dilata emptio non seduxit. Sic nimirum frequenter venire Dominus consuevit cum majore silentio observator improvidus conquievit, cum paucos sui sollicitos, laudes et vigiliæ tenuerunt, cæteri vero omnes quasi nocte intem-

pesta, id est media siluerunt. Hoc medium, vel quietum silentium omnia continebat, et quasi nox intempesta iter medium peragebat, cum verbum Dei Patris propter nostram omnium salutem voluit humanari, et humana sui præsentia nocivum silentium fortiter debellari. Quinta quippe mundi ætas per id temporis agebatur, quæ a Jechonia sumpsisse initium prædicatur, quæ tanto silentio est oppressa, ut in ea rarus admodum haberetur qui verbum Dei palam cum fiducia loqueretur. Cum enim ab Abraham usque ad Jechoniam duarum sit ætatum series evoluta, in quibus patriarcharum et prophetarum multitudo copiosius est locuta; ista ætas nullos invenitur prophetas habuisse, exceptis paucis admodum, quos in ejus initio legimus exstitisse. In ejus enim initio Aggæus, Zacharias, Malachias, quem Ezram Hæbrei autumant, exstiterunt; qui velut in noctis crepusculo, propinquanti jam silentio aliquantulum restiterunt, quibus præsentibus, tanquam stellis micantibus, prædicata veritas sublucebat, et animos auditorum error ignorantiæ non penitus vel abducebat. Cæterum his sublatis nox in profundum vergens amplius tenebrescit, et somno gravius obrepente a prædicandi strepitu conquiescit, et tota illa ætas tractu longissimo sic decurrit, nec prædicatio tenebris, nec silentio lux occurrit. Cum ergo totus mundus a prædicandi studio conticeret, et nox ignorantiæ iter medium, id est profundissimum obtineret, « omnipotens sermo Dei a regalibus sedibus exsilivit, et in mediam exterminii terram debellator durissimus prosilivit. » Regales autem sedes, sunt multarum diversitas mansionum, quas Deus præparavit diversarum meritis actionum, ut in eis videlicet regno vel dominio pro suo quisque merito perfruatur, quorum ipse regum Rex, et dominantium Dominus habeatur. Per terram exterminii, terrena hominum vitiositas designatur, ad quam Dei Filius, verbum Patris, sermo omnipotens venire memorantur, ut ab ea prædictum silentium felici exterminio proturbaret, durusque debellator luce sua tenebras ignorantiæ propulsaret. Quod autem de cœlo idem sermo dicitur exsilire, et in mediam terram exterminii prosilire, saltus nomine adventus ejus subitus commendatur, qui ad illos venire diligit a quibus non speratur, quos profundæ tenebræ, gravis sopor, quietum silentium detinebat, ut venturum non videret qui eos salvare misericorditer disponebat. Illum quidem venientem Zacharias, Simeon, Anna, Elizabeth prævenerunt, qui spiritu docti prophetico venturum in proximo providerunt, et de illo forte aliqua, velut galli nocte media, cecinerunt, sed detentos gravi somno excitare sono tenui nequiverunt. **561** Ille solus igitur eos potuit excitare, ille male quietum eorum silentium efficaciter proturbare, qui non solum potens, sed etiam omnipotens legitur sermo esse, qui per se ipsum veniens, mandatum Patris loquitur indefesse.

CAPUT XVIII.

Denique quando nasci, et humanis oculis homo voluit apparere, realis invenitur iter medium nox habere, et paucis pastoribus super gregem suum in eadem vigilantibus regione angeli superveniunt nova et mirifica visione. Qui nimirum, et in lucem nocturnas tenebras et quietum silentium convertunt in clamorem, dum magno cum tripudio natum illis annuntiant Salvatorem, cujus ortu, et in cœlis gloriantur angeli præcelsæ claritatis, et in terra pax confertur hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II). Quo audito, pastores incomprehensibiliter gratulantur, et recedentibus angelis, rupto et ipsi noctis silentio invicem adhortantur, ut transeant usque Bethlehem verbum quod factum est invisuri, novumque obsequium novo puero delaturi. Nec sufficit quod angeli vel pastores quietum silentium diruperunt, et in divinas laudes sub eadem noctis hora lætis vocibus eruperunt, sed et cœlum protulit sidus novum, quod loquentis vice, vel officio fungeretur, dum non lingua, sed mystico novi generis lumine loqueretur. Visa cujus facies gratum mysterium invenientis, excitavit astrologos in partibus orientis, et fulgore prævio tres magi festinarunt Jerosolymam devenire, in civitate regia sperantes natum puerum invenire: « Ubi est, aiunt, qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum. Tunc Herodes, inquit, turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo (*Matth.* II). » Videtis novi Regis ortu Chaldæos, et Judæos pariter quamvis dissimiliter conturbari, et utrosque ad quærendum vehementius incitari, sed illos ut invento, oblatis muneribus, suppliciter obsequantur; istos autem ut eumdem, flagrantes invidia, persequantur, quem inventum Chaldæi cum juxta propositum adorassent, et in somnis admoniti mandato Herodis obsequi recusassent, per aliam viam ad sua cum gaudio revertuntur, et inventi Regis magnalia nationum populis eloquuntur. Herodes autem cum videret a magis sibi non renuntiantibus se illusum, et ab eo quod speraverat, prudenti consilio se exclusum; furoris incontinens, silentio premi nescit, sed ad persequendum regem, manifestius et contumacius inardescit. Mandat ergo omnes pueros in Bethlehem natos infra biennium trucidari, ille inter cæteros, non posset liberari, malens illis in finibus puerum nullum esse, quam illum quem quærebat, cum cæteris etiam superesse. Quodpropter hoc idem puer et permisit et voluit actitari, ut ejus fama nominis posset diffusius dilatari, et de verbo carnem facto ad omnium salutem electorum pulso procul silentio verbum fieret ubique gentium vel locorum. Nec solum quando natus est, quietum Christus silentium proturbavit, et ad loquendum tam probos quam reprobos homines excitavit, sed et quando passus, et mortuus, die tertia voluit suscitari, suamque resurrectionem longe lateque omnibus prædicari. Quæ nimirum resurrectio facta est cum partes mundi superas solis absentia tenebraret, et noctis præsentia terræ superficiem occuparet; cum altus sopor divinas hominum sollicitudines re-

moveret, cum profundo noctis itinere silentium omnia contineret, cum accincti lumbos galli sollicitudine vigili concinebant, qui varias noctis horas cantu nuntio discernebant. Hac intempesta hora Christus a mortuis voluit suscitari, qua mortales soluti curis non solent excitari. Mane vero summo mulierum sedulitas declaratur quas mittentes et dolentes angelus consolatur, dicens eum surrexisse, quem claudi tumulo non satis fideliter æstimabant, resurgentem vivere, quem cum mortuis errore femineo quæritabant. Quare, quæso, nocte omnia aguntur cum homines somno silentio tenebris deprimuntur, nisi ut delapsi in torporem, alacres hujusmodi beneficio redderentur, nocivo detenti silentio magnalia divina loquerentur, obscuratum habentes intellectum, adipisci lumen scientiæ mœrerentur?

CAPUT XIX.

Ad cumulum autem gratiæ, postquam illo Christus unde venerat, remeavit, et assumptum corpus nostrum ad Patris dexteram collocavit, sanctum inde spiritum apostolis, sicut promiserat, mittere non tardavit, quo transmisso, eorum corda, ut etiam mortem contemnerent, inflammavit, ut non loqui jam non possent ora patula dilatavit. Et hoc quidem alto diei lumine factum congrue prædicatur, cum hora ejus tertia jam ad meridiem propinquatur, in quo meridie de summo cœli axe sol clarius illucescit, et profectu consummato vehementius inardescit. Per quod innuitur quia tanto illius munere largitatis, tanta in illis diffusa est vehementia charitatis, ut propter verbum injunctæ et susceptæ prædicationis, proficiendo accederent ad tolerandas molestias passionis. Quodammodo enim appropinquare ad meridiem sol videtur, ubi esse et lucidior, et ferventior perhibetur, cum justus urgente spiritu, non solum a justitia non recedit, sed ei prædicandæ instat fortius et procedit, et **562** quo magis fortis adversarius obviat et resistit, eo clarius et fidentius iste prædicat, et insistit. Et dum propter prædicandæ amorem et instantiam veritatis, suffert minas, et odia humanæ pravitatis, proficiendi gratia lunge factus ab ortu matutino fit tanquam sol in meridie, vel aurum fervidum in camino, eo pretiosior fervore lucido, vel luce fervida meritorum, quo magis incandescit ad sufferendum æstuantem malitiam reproborum. Ei ergo Christus mortuus est, ei mortuus resurrexit, cujus auferre tenebras, cujus ignorantiam abstergere non despexit, cujus torporem languidum, cujus vetus silentium relegavit, cujus et ad vivendum conscientiam, et ad loquendum scientiam informavit. Ei autem illapsu repentino, quasi hora tertia superfusus, ei spiritus consolator in linguis igneis est infusus, cujus tam securam conscientiam, tam audacem, cujus linguam reddit tam loquacem, ut quæ loquenda sunt, non possit reticere, paratus horum gratia, flagrantem passioni, caminum sustinere. Tales erant quibus cum Pharisæi silentium imponere conarentur, prohibentes ne ultra in nomine Jesu populis loquerentur, illi tamen prohibiti urgente spiritu non tacebant, sed læto et volenti animo illatas contumelias sufferebant. « Ibant, inquit, gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* v). Contumeliam quippe furor persequentium inferebat, vel sufferentis animum spiritalis unctio leniebat, quæ nimirum quo vehementius ille sævit, eo validius lenimentum afferre consuevit. Nec enim tantum persecutor valet ad id quod grave est inferendum, quantum spiritus consolator ad idem sufferendum : imo iste multo est efficacior ad silentium removendum, quam ille ad illud imponendum. Quapropter apostoli, accepto in igne Spiritu, sic loquuntur, cum eos adversarii minis, flagris, et carceribus persequuntur, ut eorum prædicatio quamvis multipliciter refutetur, impatiens tamen silentii abjecto velamine denudetur, et quamvis pluribus eumdem Spiritum non habentibus sit molesta, fiat tamen opportune, importune omnibus manifesta

CAPUT XX.

Hinc forte quod eisdem præceptum est, ut calceis non utantur, sed ad prædicandum missi, nudis pedibus gradiantur, habentes tantum soleas quibus interpositis a terra sejunguntur et spinis et tribulis et serpentium morsibus non læduntur. Pars itaque pedis inferior operitur, decooperta vero superior invenitur, ut prædicatio nec terrenis fæcibus turpiter adhærescat, nec sub umbra silentii pari turpitudine delitescat. Cum enim prædicatio terrenum præcipue commodum aucupatur, cum spinis avaritiæ et aculeis inanis gloriæ tribulatur, cum præceps vel indocta non evitat morsum falsiloquii virulentum, cum hoc, et his similia, nullum sibi reputat detrimentum, nimirum pes loquentis videtur soleam non habere, sed terreno pavimento totus carnaliter adhærere. Cum vero idem prædicator vel propter linguas detrahentium contabescit, vel ad minas persequentium expavescit, et ira vel timore, cum loqui debeat conticescit, pes ejus quasi quodam pressus opertorio non patescit et supra verbi speciem vile morticinum invalescit. Imo cum Moyses ad educendum de Ægypto filios Israel mittendus vocaretur et quomodo prædicationi deberet insistere mystice doceretur. « Solve, inquit Dominus, calceamentum de pedibus tuis (*Exod.* III), » ut scilicet tua cunctis prædicatio declaretur, non rancoris vel timoris superducto velamine tenebretur. Sic et apostoli nudis ad prædicandum jubentur pedibus ambulare, ut eorum prædicationem nullius terror, nullius detractio valeat obscurare, sed tanquam lucerna super eminentiam candelabri collocetur, et lux lucens coram hominibus non suam sed Dei gloriam operetur. Quod etiam sermone prophetico videtur designari, cum vox prædicantium jubetur exaltari, ne timore noxio turpiter reprimatur, sed repulso tectorio fortiter exprimatur. « Clama, inquit Dominus tuam per Isaiam, ne cesses, quasi tuba exalta vocem qui evangelizas Jerusalem, exalta, noli timere. Dic civitatibus Judæ : Ecce Deus vester (*Isa.* LVIII, XL). »

Eum qui prædicat non solum vult Dominus clamare, sed a clamando etiam non cessare, et non tenuiter, non mediocriter, sed in modum tubæ vocem præcipit exaltare, forte ut auditores efficaciter possit ad prælium excitare. Tuba enim in prælio jampridem habebatur, qua præcinente, idem prælium agebatur, quoniam audito ejus sono exercitus animosior reddebatur, non audito autem languidius agere videbatur. Per quam tubam prædicator non incongrue figuratur qui fidelium animos ad expugnandum hostes invisibiles exhortatur, cujus exhortatio inutilis et inefficax non habetur, si studeat exaltari, si digna fortitudine commendetur. « Exalta, inquit, in fortitudine vocem tuam, exalta noli timere. » Hujus vocem exaltat debita fortitudo, cujus tanta firmat conscientiam sanctitudo, ut nec minis adversantium timeat referiri, nec favoribus adulantium gaudeat deliniri. Qui cum ad utrumque digna fuerit fortitudine præmunitus, ad loquendum libere, erit viriliter expeditus, et **563** quidquid obvium fuerit, adversabitur, et excludet, ejusque os patulum quævis importunitas non occludet. Imo cum dixisset, « Exalta, noli timere, » subjunxit : « Dic civitatibus Judæ, ecce Deus vester. » Ille enim quæ justæ sunt recte civitatibus dicit, cui nullus timor efficaciter contradicit, qui timore posito quarumlibet adversantium gravitatum, affectu pietatis pacem et salutem diligit civitatum. Civitates Judæ, fideles animæ perhibentur quæ suum Creatorem verbo et opere confitentur, quibus prædicator dare præcipitur verbi triticum cum mensura, ut quod sibi commissum est, reddat Domino cum usura, cui si dixerit : « Domine, mna tua decem mnas acquisivit (*Luc.* XIX), » audiet ab eo : « Eris potestatem habens super decem civitates (*ibid.*). » Et si dixerit : « Domine, mna tua fecit quinque mnas, audiet ab illo : Et tu esto supra quinque civitates (*ibid.*). » Supra tot quippe civitates quasi jus accipit debita potestatis, quot civitatibus impertivit verbum salutiferæ veritatis, quot civitates prædicationis vallo et propugnaculis præmunivit, id est quot animas Deo per verbum sibi traditum acquisivit. Quibus enim erudiendis studuit præsto esse, eisdem animabus non immerito dicitur et præesse, dum ei tanquam doctori et ductori a retributore bonorum omnium imputatur quidquid boni docta et obediens illarum humilitas operatur. Iste doctor sive ductor non tantum loqui præcipitur sed clamare, et vocem sicut tuba clamando exaltare, ut intellectus vel ratio quæ divinitus infunditur animo spiritali, fertilis habeatur, cum ei copulatur sermo fœdere maritali. Quasi enim virgo tenetur clauso thalamo verecunda, et ignorato viro permanet infecunda, cum ratio inspectiva secreto silentii jucundatur, nec assumpti sermonis maritali copula fecundatur. Nec sufficit cuivis sapienti habere rationem, nisi eidem rationi junxerit et sermonem, ut in ipso conciliet quoddam quasi matrimonium nuptiale, ex quo velut soboles procedat beneficium spiritale.

CAPUT XXI.

In cujus typo rei quidam philosophus fingit quasdam nuptias celebrari (125), et ad conciliandum eas ipsam turbam deorum cœlestium congregari, qui etsi forte in aliquibus disparem habent sensum, tamen universi parem in his nuptiis dant consensum. Ab omnibus quippe illis satis congruum æstimatur, ut Mercurius quem figuram sermonis tenere idem philosophus arbitratur, uxorem sibi ducat matrimonio tempore pubertatis, cum scilicet ad ducendum maturæ vel congruæ sit ætatis. Unde Jupiter cum eas debere fieri nuptias testaretur, congregatis cœlicolis de ipso Mercurio dixisse perhibetur

Illum, ait, *connubio rite jugarier*
Suadent emeritis secla laboribus,
Et robur thalamos flagitat additum.

Quia ille, inquit, robur ætatis conveniens est adeptus, et jam pro tempore labores plurimos est expertus, hujusmodi convenientia videtur nuptiales thalamos flagitare, ut ultra non differat dignam sibi uxorem copulare. » De qua idem Jupiter subjunxit :

At virgo placuit docta quidem nimis.
Et compar studio.

Cum iste Mercurius, qui figuram sermonis dicitur obtinere, tempore jam maturo uxorem sibi debeat adhibere, recte prudens juvenis illam præ cæteris habet gratiosam, quam et doctrinæ commendabilis et paris propositi attendit studiosam. Cujus dum maritali fœdere devincitur, ex ea sibi dignos acquirere filios invenitur, talique matrimonio fit non mediocriter fructuosus sine quo, velut ducens vitam cælibem, redditur otiosus. Propter quod in loquendi clausula Jupiter :

Jungantur, inquit, *paribus nam decet auspicis*
Nostris accumulent astra nepotibus.

Quæ sit autem virgo illa cui Mercurius debet jungi, et ab ejus complexu et nuptiali fœdere non disjungi, idem Jupiter invenitur superius demonstrare, « noveris, inquiens Mercurium philologiæ nuptias postulare. » Et supra : « Illum, ait, jampridem philologiæ sentio amore torreri. » Per philologiam spiritalis ratio figuratur, quam in cujusvis anima summus ille artifex operatur, per quam justum et injustum apud se illa cernit, et eorum quid tenendum, quid spernendum prudenter examinat et discernit. Hujus quasi nuptias sermo sibi postulat et asciscit, hujus amore torridus, eam sibi jungere concupiscit, quia nulla vel honestas vel utilitas est sermonis, quem non fovet et promovet sinus et prudentia rationis. Sine hujus interiori et fetu et complexu sermo exterior vel garriens dicitur et vilescit, vel timore et diffidentia coercitus refrigescit, et in aures venire sapientium erubescit, dum sponsali ornamento, et doctrina rationabili non fulgescit. Si autem præsens

(125) Martianus Capella, De nuptiis Philologiæ et Mercurii. Vide lib I, pag. 132, lib. II, p. 179 seq. edit. Ulrici Friderici Kopp, Francofurti ad Mœnum, 1836, 4°.

ratio illius velut in cubiculo commoretur, si nativam illic pulchritudinem conservare et excolere delectetur, illic etiam instruit et informat prudenter locuturum, et format congruenter sermonem foras tanquam e thalamo processurum, unde Juno : « Atqui, ait, ejusdem virginis convenit subire vinculum, quæ illum etiam quiescere cupientem conjungere non perferat. » Hujus quippe rationis copula, sermonem quasi sponsum Mercurium non enervat, sed illius potius honorem et merita coacervat, dum latens in conclavi cordis, non permittit ut ille tanquam torpeat suo lodice, sed in ramos loquaces diffundatur **564** habens vivacem fiduciam in radice. Sic ramos forenses diffundenti, sic diffusius eloquenti apud Lystram Paulo turbæ honorem deferebant, in hoc errantes miseri, quia illum non hominem, sed Deum esse Mercurium asserebant. « Dii, aiunt, similes hominibus descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero, Mercurium, quia ipse erat dux verbi (*Act.* XIV). » Nonne vobis in Paulo videntur hujusmodi nuptiæ celebrari, et philologiæ Mercurius quodam matrimonio copulari, dum intus in secreto rationis amor eum efficit eruditum, et inde velut Sponsus de thalamo verbum producitur expolitum? Sic enim apud eum sermo et ratio grato fœdere convenerunt, sic gratam sibi sedem in illo pariter invenerunt, ut et ratio utilis et fecunda ministerio haberetur sermonis, et sermo foveretur in gremio vel sinu rationis. Nam sicut sermo, si rationi non incumbat, non satis commendatur, sic ratio, si ad copulam sermonis non transeat, quasi sterilis judicatur, et sejuncti ab alterutro, fecundi satis et utiles non habentur, juncti vero simul duo, fructuose mutuo confoventur. Decet ergo et dignum est ut philologia Mercurio desponsetur, decet ut ratio intrinseca, sermone forinseco maritetur, quia non est torpore silentii deprimendum, quod interna ratio dictaverit exprimendum : imo illud præcipue et solummodo debet dici, cui ratio judicaverit debere silentium non indici. Quodpropter quæ ad prædictas conveniant nuptias, novem musæ, cum hujus laudes virginis canerent post invicem, non confusæ, sic earum singula suum voluit symbolum terminari, ut respondentes concinerent, concinentes assererent illam dignam Mercurio fœderari. Cantu enim uniuscujusque solicanæ jam finito, omnes dicunt pariter concentu repetito.

Scande cæli templa virgo
Digna tanto fœdere.

Penultima quarum Euterpe :

Jure, ait, *senatum*
Scande tonantis,
Quam decet unam
Mercuriali
Fœdere jungi.

Quam digna vero tanti honore fœderis habeatur, quam decenter una hoc Mercurio conjungatur, postrema Thalia in suo dicit cantico consequenter. laudes utrique congruas innectens diligenter.

Est, inquit, *doctus ille divum,*
Sed doctior puella,
Nunc nunc beantur artes
Quas sic sacratis ambo.

Doctus quidem sermo est fundatus solida ratione, doctior est ratio cujus doctrinæ decus elucet in sermone, artes vero digno laudis culmine tunc beantur, cum istorum communi præsentia consecrantur. Nulla enim ars, nulla congrue pertractatur scientiæ disciplina, quæ nequaquam in illorum communi limatur officina, ad quam pertractandam vel sermoni rationis acumen non succurrit, vel rationi præviæ sermo congruus non occurrit. Eapropter Thalia postquam laudes illorum multipliciter enarravit (suum enim canticum aliquanto largius dilatavit) ipsam hujus dilatationem in modum orationis complevit, et dicto completorio sub silentio requievit.

Vos, inquit, *disciplinas omnes*
Ac nos sacrate musas.

Vos, ait, sine quibus nulla scientiæ disciplina commendabiliter exercetur, quorum alter sine altero volentibus proficere sufficiens non habetur; vos, inquam, nostram musarum scientiam consecrate, id est sacris nuptiis sacra vestra præsentia venustate. Scio enim et sermonem vobis plurimum non prodesse, imo forte non mediocriter et obesse, si tanquam onager nobis voluerit solitarius præsto esse, et rationis integritatem fructus non satis congruos parturire, si in complexum verbi recusavit devenire.

CAPUT XXII.

Denique in lege veteri quodammodo Moyses dat mandatum, ut istorum neuter talem eligat cælibatum, dum ei qui non inventus fuerit dare fructum, idem Moyses districtius incutit maledictum. « Maledictus, ait, qui non reliquerit semen super terram. » Unde et filia Jephte Galaaditis ætate jam adulta manens in domo patris virgo nubilis sed innupta, plangit quod diutius justo pudorem tenuerit virginalem, et maturo tempore ad copulam non transierit maritalem. « Dimitte me, ait, ut plangam virginitatem meam cum sodalibus meis (*Judic.* XI). » Ratio quæ tanquam virgo videtur sterilis permanere, dum nimio gaudens silentio foris refugit apparere, dum a complexu verbi sese diligit cohibere, et a quiete sua omnem prorsus tumultum prohibere, tandem plangit tristis, pœnitens, gemebunda, considerando quod ejus silentium ejus sit virginitas infecunda. Hoc propheta Isaias considerat diligentius, et attendit, et se inutiliter siluisse, graviter reprehendit, imo esse nocivum ejus silentium intimat et ostendit, cujus pœnaliter imminere veraci intelligentia deprehendit : « Væ mihi, ait, quia tacui! » (*Isa.* VI.) Sed quare tacuit, statim humiliter confitetur, qua confessione loqui deinceps fiducialius promeretur, ut prudens auditor se debere intelligat non silere, et si forte siluerit, saltem causam silentii non tacere. Dicto enim : « Væ mihi quia tacui, tanquam quæreretur quare tacuerit! » subjungit : « Quia vir pollutus labiis

ego sum (*ibid.*). » Ideo, inquit, tacui, quia mihi labia sunt polluta, et pollutionis involucro ne loqui valeant obvoluta, quia cujus ad dictandum conscientia non est munda, consequenter ad loquendum labia sunt immunda. Si autem purgentur diligenti sollicitudine recessus **565** intestini, si juxta Evangelium, mundum fuerit quod intus est calicis et catini, interior munditia reddit quasi exterius os ablutum, et ablutionis beneficio, ut loqui valeat, absolutum. « Munda, inquit, prius quod intus est calicis et catini, ut fiat et id quod deforis est mundum (*Luc.* XI). » Quia ergo propheta causam silentii, labiorum immunditiam novit esse, nec negavit, sed humiliter se confessus est reum esse, meruit ab angelo misericorditer visitari, et mundari calculo quem ille forcipe tulerat de altari. « Volavit, inquit, ad me unus de seraphim, et in manu ejus calculus quem forcipe tulerat de altari, et tetigit os meum, et dixit: Ecce tetigi hæc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur (*Isa.* VI). » Per calculum qui tollitur ab angelo ignitus de altari, nihil melius quam charitatem æstimo designari, qua tactus quilibet nescit frigescere, sed ignitur, quia procul dubio nihil illa flagrantius invenitur. Ignito cujus tactu aufertur iniquitas, peccatum mundatur, quia ignis urit et exurit paleas iniquorum operum, et « charitas, ut legistis, operit multitudinem peccatorum (*I Petr.* IV). » Sicut autem cum præsens est peccatum vel iniquitas, absens vero ignita charitas, et conscientia interior elanguescit, et lingua exterior obmutescit, sic nimirum cum districta increpatione iniquitas absentatur, et vultu gratioso charitas præsentatur, conscientia grato sanitatis munere diffusius hilarescit, et lingua consequenter ad loquendum velut incontinens incandescit. Unde cum post tacta calculo labia Dominus diceret: « Quem mittam, et quis ibit nobis? » statim Isaias respondit: « Ecce ego, mitte me (*Isa.* VI). » Non exspectat propheta, ut compellatur ire, sed ad nutum inquirentis offert se ultroneum deservire, quia cui divinus calculus ignitæ flagrantiam dat virtutis, impatiens moræ libens suæ reddit obsequium servitutis. Procul ergo faciens illud Væ! quod meruerat tacita justo amplius veritate, cum sua nondum labia purgarentur ignita charitate, jam purgatus velut exaltat in fortitudine vocem suam, mittentique spontaneus obsequitur ad docendum diligenti sollicitudine plebem suam. Sic volebat obsequi, sic diligentius obedire, sic ad loquendum cæteris Paulus condignam sollicitudinem impertire, quem paterno affectu tanquam filium instruebat, et obnixe testificans a peste silentii prohibebat. « Testificor, ait, coram Deo et Christo Jesu qui judicaturus est vivos et mortuos, et adventum ipsius, et regnum ejus, prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina (*II Tim.* IV). » Et ad Titum: « Loquere, ait, quæ decet sanam doctrinam (*Tit.* II). » Et infra: « Loquere, inquit, et exhortare, et argue cum omni imperio (*ibid.*). »

CAPUT XXIII.

Sed quoniam silentium, de quo eatenus vel tenendo vel non tenendo disseruimus, esse silentium a locutione quæ fit verbis, diximus autem, et locutionem esse quæ fit signis; ad istam locutionem noster tandem calamus convertatur, ut quid prosit, ab ea silere vel non silere similiter advertatur. Sicut enim locutio quæ fit verbis, vel noxia vel necessaria reperitur, noxia quidem, cum divinæ voluntati loquendo contraitur, necessaria vero, cum per illam ejusdem jussibus obeditur: sic nimirum locutio quæ fit signis, invenitur in Scripturis aliquoties accusari, et in eisdem nisi (fallor) multoties commendari. Est ergo a signis quoque et silendum et non silendum: silendum quippe ab his quæ maligna perversitas machinatur, non silendum vero ab his quæ discreta charitas operatur. Sunt autem signa multa multæque diversitatis, quibus utuntur homines ad ostendendum mutuo secretum voluntatis, inter quæ primum et præcipuum locum verba videntur obtinere, et notitiam occultorum certius et manifestius exhibere. Verba enim signa sunt, et hi procul dubio qui loquuntur, significare Scripturarum testimoniis asseruntur, ut certum sit verba non nisi signa esse, quibus significamus ea quæ utcunque volumus nota esse. Unde cum Dominus dixisset Petro: « Cum esses junior, cingebas te et ambulabas ubi volebas, cum autem senueris, alius te cinget, et ducet quo tu non vis (*Joan.* XXI), » evangelista subjunxit: « Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum (*ibid.*). » Talibus quippe verbis significavit illum non solum moriturum, sed et contra voluntatem humanæ infirmitatis mortis discrimina perpessurum, qua morte Deum clarificare veraciter probaretur, dum illius voluntatem infirmitati suæ præferre videretur. Idem Joannes in Apocalypsi: « Quam dedit, inquit, illi Deus palam facere servis suis, et significavit mittens per angelum servo suo Joanni (*Apoc.* I). » Et Paulus ad Corinthios: « Significatum est mihi ab his qui sunt Cloes, quia contentiones sunt inter vos (*I Cor.* I). » Hujusmodi significatio verbis facta esse veraciter æstimatur, cum scilicet veritas ipsa rei, non tacendo sed loquendo potius intimatur, ut, sicut dictum est, verba noverimus signa esse, quibus inter cætera constat primum et præcipuum locum esse. Cætera vero signa, etsi verbis pari efficacia non æquantur, valere tamen plurimum judicantur, et tanta ejus affinitate conjungi perhibentur, ut qui signa faciunt, loqui quodammodo prædicentur. Unde Salomon in Proverbiis: « Homo, inquit, apostata, vir inutilis graditur ore perverso, terit pede, annuit oculis, digito loquitur (*Prov.* VI). » Videlis **566** quia homo apostata, etsi ad loquendum linguam solvere non videtur, signa tamen digito faciens, loqui non incongrue perhibetur, quia et tritura pedis, et nutus oculorum, non audibilis, sed visibilis est locutio perversorum. Cum enim perversi quilibet occulta sua volunt a suis tantum similibus deprehendi, nolentes ea vel cassari a cæteris, vel saltem

reprehendi, locutione vocali, et usu cognita generali, coram omnibus non loquuntur, sed signis tacentibus, et proposito congruentibus abutuntur. Sic venereæ turpitudinis amatores, cum nolunt vel nequeunt æstuantem compescere cogitatum, et ad mutuam transferre notitiam suarum appetunt secreta voluntatum, quia plerumque non datur facultas libera colloquendi, signa furtiva faciunt, si tamen adsit locus vel tempus faciendi. Quorum unus :

Verba, inquit, *superciliis sine voce loquentia dicam,*
Verba leges, digitis verba notata mero.

Terunt etiam manum sive pedem attritione procul dubio non læsura, sed corruptis æstuantium animis non mediocriter placitura, dum sic gaudet alter alterius de tritura, ut quæ optantur, avidius sperentur certius adfutura. Innuunt etiam oculis et nutibus invicem alloquuntur, et quod lingua non licet, signis familiaribus exsequuntur, etiam suppressa voce, vicem vocis agere diligunt innuendo, nihil aut parum minus agentes nutibus quam loquendo. Quod asserens prædictus ethnicus :

Nutibus, ait, *in vestris pars bona vocis erat.*

Sic proditores, sic latrones, sic nequissimi qui signa sibi congrua fabricantur, sic pede, vel manu, quovis gestu corporis locutiones subdolas operantur, ut apud similes, vel suos complices non sint muti, quamvis ab ignorantibus videantur sub silentio constituti.

CAPUT XXIV.

Nunquid non Judas Iscariot est quodammodo vobis visus fari, cum suum et dominum, et magistrum præsumpsit osculari, cum signum pacis exsecrabili abusione pervertit, et illud non genere in nequitiæ signum vertit : « Dedit, inquit, eis signum dicens : Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum (*Matth.* xxvi). » Osculum iste nequam proditionis suæ detestabile signum facit, dum suos secutores providia sollicitudine doctos facit, ut omissis cæteris, ei caute manus injiciant ad tenendum, quem ipse discipulus elegerit osculandum. Actis retro diebus osculum erat signum dilectionis, cum videlicet relegantes qui molestias iræ, discordiæ, factionis, ad gratiam benevolentiæ solebant revocari, vel in eadem gratia manifestius et tenacius confirmari. Quia enim in osculo duorum labia pariter conjunguntur, et attractu mutuo, eorum spiritus ab invicem sentiuntur, recte per osculum placuit dilectionis gratiam designari, per quam duorum animos constat grato fœdere copulari. Hinc est quod cum altaris sacramenta, vel sacra mysteria celebrantur, in eorum completione astantes alterutrum osculantur, signantes nos cum illo per dilectionem spiritum unum esse, cujus sacris mysteriis diligimus interesse. « Qui enim adhæret Domino, unus spiritus est (*I Cor.* vi). » Quæ Spiritus unio, illo nimirum osculo designatur, quod Scripturæ testimonio sanctis ac fidelibus assignatur, cum vel Isaac patriarcha Rebeccam legitur osculari, vel Sponsa in Canticis Sponsi osculo gratulari. Quia igitur ab antiquo invenitur esse osculum signum pacis, signum benevolentiæ non simulatoriæ, sed veracis, ipse etiam Christus quodammodo videtur admirari, quia videt illud converso et perverso ordine depravari : « Juda, inquit, osculo Filium hominis tradis (*Luc.* xxii). » Mira res! Osculo solent discordes ad concordiam revocari, concordes in solida perseverantiæ gratia confirmari, duo vel plures unanimo spiritu couniri, hinc inde venientes in unum quasi manipulum devinciri. Nunc autem fas et nefas simulatione detestabili tu confundis, dum latenti malitiæ signum benevolentiæ superfundis, tu corrumpis jura rerum, tu violas legum scita, dum conceptam nequitiam velat species inaudita. Tu fallendi et nocendi genus mirificum, imo maleficum invenisti, ad quod inveniendum, et efficaciter adimplendum, tu prior, tu solus, tu posterior devenisti, dum me odis, dum me prodis, causam non habens criminandi, manum tamen non extendis, sed præparas, et prætendis amicalem gratiam osculandi. Denique Joab filius Sarviæ (*II Reg.* xx), etsi mentum Amasæ principis exercitus Juda quasi osculans, ut legitur, apprehendit, sibi tamen utcunque consulens, illi osculum non impendit, sed gladium qui fabrefactus levi motu egredi poterat in vagina, usque ad ilia dependentem exemit, et percussum in latere illum quamvis immeritum interemit. Tu vero et magistrum me salutas, et odis salutatum, ut amicum oscularis, et tradis osculatum, ut hoc dilectionis signum, ut hoc pacis vinculum corrupisse tu solus videaris, et tanti reus sceleris tu primus, tu novissimus habearis. Nam ipsi quoque latrones qui viatorum vel pecunias vel animas persequuntur, ad decipiendum illos osculo non utuntur, sed alia quævis signa sibi componere moliuntur, quibus cum satisfaciant proposito, non tamen tanti criminis arguuntur. Habent quippe sibilum oris, habent sonum buccinæ, vel tubæ, vel aliud hujusmodi quo suos complices et commonent præsentes, et revocant absentes, dispersos congregant, congregatos invitant, ei cum eorum lingua volubilis non solvitur ad loquendum, hujusmodi tamen signa valent non mediocriter ad nocendum. His enim et suos adjutores eo modo quo dictum est, alloquuntur, et suos adversarios graviter persequuntur, et parum vel nihilominus buccina vel sibilo inveniuntur nocere, quam si verbis manifestis suum vellent propositum adimplere.

CAPUT XXV.

Denique cum adversus filios Israel excitare Deus populos nationum proponeret, et graves istorum exercitus illorum impugnatione puniri disponeret, non tam verbo quam signo legitur id facturus, et de multa signorum copia sibilum electurus. De quo loquens Isaias : « Elevabit, inquit, signum in nationibus procul, et sibilabit ad eum de finibus terræ (*Isa.* v). » Quia motus divinæ voluntatis nullus nostrum congrue potest fari, quæ propria sunt hominum, idem sibi Deus sustinet assignari, ut per ea ejus nobis utcunque voluntas innotescat, cum ad

capiendum eam vix alter nostra parvitas convalescat. Igitur more nostro signum dicitur elevare, et ad convocandum de remotis finibus hostilem exercitum sibilare, ut hoc signo convocatus de filiis Israel suam expleat optionem, et ipse Deus dignam pro meritis capiat ultionem. Sibilus autem iste quo suos Deus convocat adjutores, ut eos filiorum Israel faciat oppressores, ipsa est inspiratio, vel conspiratio, qua illi nequissimi congregantur, congregati expugnare filios Israel machinantur; qui nihil tale possunt facere vel perficere, nisi missi, vel ab illo qui disponit juste omnia, sint permissi. Et quoniam divina ira justoque judicio id agi nequaquam dubitatur, ipse Deus hoc agere non incongrue memoratur, eisque dicitur inspirare qui de sic inspiratis prudenti ordine explet suæ consilium voluntatis. Quidquid autem Deus, vel per se vel per ministros quoslibet disponit actitari, constat ultra ejus placitum non morari, quia etiam minister nequam sic festinat propriæ satisfacere pravitati, ut pariter obediat divinæ (quamvis nescius) voluntati. De quo Isaias subjungens: « Ecce, inquit, festinus velociter veniet, non deficiens neque laborans in eo (*ibid.*). » Percepto signo, id est inspiratione, vel sibilo divinæ dispositionis, quæ filios Israel disponit ferire gladio ultionis, minister nequam festinat velociter advenire, suo magis quam Dei placito intendens obedire. Sic enim de malo bonum Dei bonitas operatur, ut cum ab illo non nisi bonum diligatur, divino tamen ordini servire malitia compellatur, et quod reprobis efficitur detrimentum, electis vero necessarium purgamentum, Deo bene omnia disponenti utrobique habetur instrumentum. Unde et in sequentibus idem propheta dicit eum muscæ, et api sibilare, quia etiam musca, et apis non possunt ad nocendum cuipiam advolare, nisi missionis, vel permissionis divinæ sibilo fuerint aspiratæ et ad explendum quod voluerint, prout tamen licentiam acceperint, liberius effrenatæ. « Sibilabit, inquit, Dominus muscæ quæ est in extremo fluminum Ægypti, et api quæ est in terra Assur (*Isa.* VII). » Per muscam et apem, una et eadem pestis mihi videtur designari, sed propter diversos effectus diversis nominibus appellari, quam offensi Dei censura districtior nobis pœnaliter irrogavit, cum primus parens noster pomum vetitum manducavit. Hæc autem pestis, illicita illecebra est, quæ in modum muscarum importunius advolat et accurrit, et licet districtius repellatur, tamen usque recurrit. Quæ nimirum pestis sive illecebra tanta nonnullos perurget gravitate, ut non parum de illorum minuat sanctitate, et boni nominis gratiam et odorem, injecta macula turpitudinis convertat in fetorem. Quod insinuans Ecclesiastes : « Muscæ, inquit, morientes perdunt suavitatem unguenti (*Eccle.* X). » Unguentum, nomen bonum est : bona fama, bonus odor. De qua Salomon in Canticis : « Unguentum, inquit, effusum nomen tuum (*Cant.* I). » Et in Proverbiis : « Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ (*Prov.* XXII). » Et Paulus ad Philippenses : « Quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ hæc cogitate (*Philip.* IV). » Et ad Corinthios : « Christi bonus odor sumus (*II Cor.* II). » Hujus autem suavitatem unguenti perdunt muscæ morientes, cum carnis illecebræ dignos continentiæ terminos excedentes totam virtutum massam totius conspersionis corrumpunt novitatem, et religiosæ castitatis attaminant puritatem. « Modicum, inquit, fermentum totam massam corrumpit (*I Cor.* V). » Denique ubi muscæ tenacius insederint inventam munditiam sordidare, inventum inveniuntur candorem maculare, et non parum gratiæ perdit pristina pulchritudo, cui tanta, tam indecens adhæserit turpitudo. Si autem unguento muscæ tabidæ importunius immergantur, si immersæ ibidem moriantur, multo gravius, multo intolerabilius inferunt detrimentum, corrumpentes et in nauseam convertentes suave condimentum. Sic nimirum carnis illecebræ, cum virtutum catalogo immoderatius se immergunt, cum colluvione mortifera illas inquinant et aspergunt, totius compositionis unguentariam perdunt, et disperdunt suavitatem, et offendentem in uno, ream omnium efficiunt sanctitatem. Quid enim amplius decolorat candorem sanctitatis, quam immunda colluvio **568** hujusce pravitatis, quæ et nostrum corruptivum inundatione perfundit vitiosa, et consentientem spiritum obtundit caligine tenebrosa? Quodpropter in extremo fluminum Ægypti esse musca prædicta perhibetur, ut ex ipso incolatu ejus immunditia demonstretur, quia sicut virtus munda recessibus defæcatis, et severioribus delectatur, sic immunda vitiorum colluvies, lutosis et humentibus gratatur. De qua Petrus : « Sus, inquit, lota in volutabro luti (*II Petr.* II). » Et Dominus ad Job de immundo spiritu. « Sub umbra, inquit, dormit in secreto calami, in locis humentibus (*Job* XL). » Recte ergo in extremo fluminum Ægypti dicitur musca esse : « Muscæ, ait, quæ est in extremo Ægypti fluminum » quia, etsi flumina in Scripturis voluptates plerumque significant spirirales, flumina tamen Ægypti videntur innuere nonnisi noxias et carnales.

CAPUT XXVI.

Sunt quippe flumina paradisi, sunt flumina sapientiæ, sunt flumina Babylonis, sunt flumina Egypti. Quæ utrum sint utilia vel nociva, ipsa eorum patenter innuunt adjectiva. Quis enim abnuat quatuor paradisi flumina debere commendari, quibus ipse paradisus legitur irrigari, quæ inde prodeuntia in diversas profluunt regiones, et secundo impetu impinguant et lætificant aridas nationes? Est nimirum ecclesia, paradisus debitæ voluptatis, de qua fluit et profluit doctrina quadrifida evangelicæ puritatis, quæ non solum eos irrigat quos intra fines suos primis temporibus potuit invenire, sed, ad foris positos dignata est abundanti benevolentia devenire, ut enim omnes colligat, ad omnes ultronea derivatur, et eorum ignorantiam infusionis suæ beneficio

tergere gratulatur, sciens non posse diligentius id amari, quod constat penitus ignorari, ut ergo Deum et sciant et diligant diversi et dispersi populi, nationum, flumina paradisi diversarum irrigant terminos regionum, nullusque aut rarus de ignorantia jam potest excusari, cum ignorantis voluntas magis quam impossibilitas debeat accusari. Eorum enim quæ de paradiso prodeunt flumina : « Nomen, inquit, uni Phison, et nomen secundi Gehon nomen vero fluvii tertii Tygris, quartus autem ipse est Euphrates (*Gen.* II). »

CAPUT XXVII.

Phison interpretatur *os pupillæ* sive *oris mutatio*. Pupilla tam acutæ, tam subtilis est naturæ, ut videat, et signat intellectum, qui miro acumine videt invisibilia, nisi forte gravis eum urgeat hebetudo, ut pupillam oculi plerumque lippitudo. Os autem pupillæ, sermo intelligentiæ, cum scilicet donante gratia et intelligit quis prudenter, et eadem intellecta proferre conceditur eloquenter. Nam qui non videt intellectu linceo veritatem, sed lippiens, vel cæcatus somniat vanitatem, quid nisi congruentem visioni pronuntiat falsitatem? De qua propheta Ezechiel : « Vident, inquit, vana et divinant mendacia (*Ezech.* XIII). » Isti, etsi os habent, dum satis vel forte plus quam satis, volubiliter eloquuntur, non tamen os pupillæ, dum nullam, vel modicam intelligentiam assequuntur, et utique eis non satis proficit, imo plerumque officit os habere, si non pupillæ os iidem meruerint obtinere. Quod attendens Apostolus : « Quidam, ait, aberrantes conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant (*I Tim.* I). Si autem pupilla infuso spiritali collyrio declaratur, ut cordi lippienti divina gratia intelligentiam largiatur, consequenter ad loquendum veraciter os mutatur, ut quod prius falsitate et vaniloquio effluere videbatur, intellectu declarato vera et commendabilia proloquatur. Denique Phison interpretatur etiam *oris mutatio*, quia cum ille qui dixit de tenebris lucem splendescere, pupillam in Pauli tersa gravi lippitudine declaravit, os ejus pariter immutavit, ut cum prius blasphemus et persecutor Christum Dei Filium abnegaret, eumdem in synagogis libere postmodum prædicaret, et cum populus Judæorum non satis ejus prædicationibus assentiret, ille ad irrigandas gentium nationes, more fluminis, pertransiret.

« Nomen, inquit, fluvii secundi Gehon. » Gehon interpretatur *pectus*, sive *præruptum*. Pectus domicilium cordis est, per quod sapientia figuratur, unde et apud Osee : « Columba non habens cor, seducta nominatur (*Ose.* VII), » quia qui prudenti sapientia non munitur, deceptoris facile maculis irretitur. Pectus ergo, doctrina spiritalis non incongrue potest dici, quam constat nec seducere nec seduci, quæ abundans fonte invido subtilissimæ puritatis rivos fundit uberes gratæ et necessariæ veritatis. Imo forte supra pectus Domini, ut legitur, Joannes recubuit (*Joan.* XXI), non quia in cœna recumbendi aliud spatium, vel locum non habuit, sed quia illo in pectore spiritalis sapientiæ fons latebat, et inde ad recumbentem rivulus desiderabilis profluebat. Ad cujus recubitum pectoris quia non facile pervenitur, et passim a quibuslibet aqua abscondita non hauritur, recte Gehon interpretatur etiam *præruptum*. Præruptum autem dicitur quod altum est, quod excelsum est. Et quid altius, quid excelsius quam sapientia, quam **569** nullo pacto assequuntur, qui nullam diligentiam non impendit, qui ejus appetitui studiosum animum non intendit, et tamen qui videtur intendere, non eam apprehendit, sed nonnunquam eo inde elongat amplius quo ad eam amplius se extendit ? De quo Salomon : « Excelsa, inquit, stulto sapientia (*Prov.* XXIV). » Et iterum : « Quid prodest stulto habere divitias cum sapientiam emere non possit ? » (*Prov.* XVII.) Et in Ecclesiaste : « Dixi, sapiens efficiar, et ipsa longius recessit a me, et alta profunditas, quis inveniet eam ? » (*Eccle.* VII.) Vere alta profunditas, quam non solum stultus, et negligens non contingit, sed etiam studiosus et intelligens vix attingit, ut quo difficilius ad eam rarus quispiam conceditur pervenire, eo ad perveniendum gratiorem et diligentiorem curam studeat impertire. Pulchre igitur Gehon *pectus* sive *præruptum* interpretatur, quia sapientia spiritalis qua doctus prædicator affluit et ditatur, imprudenti et stulto, et cœlestibus non intento habetur inaccessa, excellentiæ merito infinitum stultorum numerum supergressa.

« Nomen, inquit, fluvii tertii, Tygris. » Tygris fera velox et rapax, ad cujus velocitatem tardiores. Non mediocriter obstupescunt, rapacitatem vero infirmiores nihilominus perhorrescunt. Ob hoc autem huic fluvio hujus feræ vocabulum assignatur, quia et ipse velox esse plurimum memoratur, et quo velocior, eo rapacior quævis obviantia præcipitat et abducit, et forti violentia in profundam voraginem introducit. Per quem fluvium non incongrue sermo sapientiæ figuratur, qui spiritu impactus vehementi, obstaculo degeneri non tardatur, sed ad irrigandum benevolos auditores prompta diligentia derivatur, ad confutandum reprobos velocitate rapacissima copiosius effrenatur. De quo Propheta : « Velociter, ait, currit sermo ejus (*Psal.* CXLVII). » Et Apostolus ad Thessalonicenses : « Orate, inquit, ut sermo Dei currat (*II Thess.* III). » Velociter, inquit, exuberans sapientiæ sermo currit, quia ei timoris, vel amoris noxii languens ignavia non occurrit, vel occurrentem comprimit violentia spiritalis, et ut levem stipulam præcipitat inundatio fluvialis. Quod innuens Paulus Ephesiis : « Legatione, inquit, fungor in catena, ita ut in ipso audeam, prout oportet me, loqui (*Ephes.* VI). » Et ad Timotheum : « In quo labore, ait, usque ad vincula (*II Tim.* II), »—« sed verbum Dei non est alligatum (*II Tim.* IV). »

Et infra : « Prædica, inquit, verbum, Insta op-

portune, importune (*ibid*.). » Et ad Titum : « Lo- A 570 quere, ait, et exhortare, et argue cum omni imperio (*Tit.* II). » Quid sermo hujusmodi nisi velociter decurrebat, et ignorans obstaculum impetu rapacissimo defluebat, ut quasi Tigris ad prædam timore seposito raperetur, vel quasi fluvius mundans per declivia lapsu præcipit deferretur? Denique Tigris lingua Syra nominatur Diglath, quod interpretatur *acutum* vel *angustum*, quia « vivus est sermo Dei, et efficax, et acutior omni gladio ancipiti (*Hebr.* IV), » cujus acumen, non in foro, et platea, sed in arduo, et velut invio reperitur, nec ad illud nisi arcta et angusta semita pervenitur.

« Quartus, inquit, fluvius ipse est Euphrates. » Euphrates interpretatur *frugifer* sive *crescens*. Qui enim prædictorum gratia numerum illustratur, ni- B mirum crescere, et fructum facere comprobatur, in se ipso de virtute proficiens in virtutem, et tam verbo quam exemplo cæteros provocans ad salutem. « Posui vos, inquit, ut eatis, et fructum faciatis (*Joan.* XV). » Istos quippe divina gratia sic disponit, istos gradu, et merito cæteris anteponit, ut non solum mereantur non argui pecuniæ infructuosius occultatæ, sed laudem adipisci merito studiosius et fidelius duplicatæ. « Duo, inquit, vel quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia duo, vel quinque superlucratus sum. Et Dominus : Euge, ait, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui (*Matth.* XXV). » Hæc flumina irrigant paradisi amœnam C voluptatem, horum salubris impetus Dei lætificat civitatem, hæc ad illos, vel guttatim, et tenuiter delabuntur qui rudes intellectu, majoribus et doctioribus obsequuntur.

CAPUT XXVIII.

Hujusmodi et illa mihi esse videntur, quæ sapientiæ flumina perhibentur, quæ de suo sapientia inexhausto et abscondito sinu fundit, et diversorum cordibus diversa et congrua mensura superfundit. De quibus fluminibus cum eadem sapientia per quemdam loqueretur, et eis David regem vel ejus forte filium conferre videretur, se effundisse illa manifestius affirmavit, per quod nobis illorum originem commendabilem demonstravit. « Ego, inquit, sapientia effudi flumina (*Eccli.* XXIV). » Quæ autem D flumina effuderit, patenter insinuat cum præmittit : « Posuit David puero suo excitare regem ex ipso fortissimum in throno honoris sedentem in sempiternum qui implet quasi Phison sapientiam, et sicut Tigris in diebus novorum, qui adimplet quasi Euphrates sensum, qui mittit disciplinam sicut lucem, et assistens quasi Gehon in die vindemiæ (*ibid.*). » Expressis nominatim fluminibus subinfertur quod prædictum est : « Ego sapientia effudi flumina. » Illa ergo flumina constat contemptibilia non fuisse, quæ sapientia legitur effudisse, quia ipsa est quæ doctrinam efficit fructuosam quam præsentia sui reddiderit luminosam. De qua subjungit : Doctrinam quasi antelucanum illumino (*ibid.*). » Et infra : « Doctrinam, ait, quasi prophetiam effundam, et relinquam illam quærentibus sapientiam (*ibid.*). » Doctrinam recte quasi prophetiam effundere se testatur, cum donum spiritualis scientiæ tam exuberans plerisque largiatur, ut pleniore gratia in more videntium prophetarum, percipiant, et edisserant secreta oracula Scripturarum. Nam cui datur occulta, tam de futuris quam præsentibus, vel præteritis revelare, procul dubio dicitur prophetare, unde et qui olim ad revelandum arcana prophetiæ spiritu replebantur, vulgari sermone *videntes* vocabantur. « Ait Saul ad Samuel : Indica, oro, mihi ubi est domus videntis? at ille, ego sum, inquit, videns (*I Reg.* IX). » Illis videntibus sapientia doctrinam quasi prophetiam se dicit effundere, et quærentibus illam promittit relinquere, ut in eo commendetur et munus gratuitum effundentis, et consequenter nonnullum meritum exquirentis. Si enim munus doctrinæ gratis cuilibet effundatur, necesse est ut ab eo diligentius exquiratur, alioquin et iste per negligentiam jam delinquit, et auctor gratiæ contemptori quod obtulerat, non relinquit. Ideo David : « Beati, qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquiram eum (*Psal.* CXVIII). » Et Dominus : « Qui credit, inquit, in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII). » Et iterum : « Qui biberit aquam, quam ego dabo ei (*Joan.* IV). » Videtis et huic dantis gratiam præsto esse, et gratuito muneri requirentis fidei meritum non deesse, ut vir prudens, et non sine gratia se quidpiam posse speret, et in exquirendo gratiam fideli diligentia perseveret. Perseverans quippe diligentia scrutatoris haurit aquas, ut scriptum est, « in gaudio de fontibus Salvatoris (*Isa.* XII); » aquas, inquam, quæ et tumultu carent, et limo non tenentur, sed illimes cum silentio fluere perhibentur. Quas qui abjiciunt, per eumdem Isaiam districtius arguuntur, et eis aquæ alterius efficaciæ promittuntur, quæ cum super illos undis frementibus intumescent, illi procul dubio sub optabili silentio non quiescent. « Pro eo, ait, quod abjecit populus iste aquas Siloe quæ vadunt cum silentio, ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas (*Isa.* VIII). » Siloe interpretatur *missus*, Christum significans qui dicit : « Missus sum ad oves quæ perierunt domus Israel (*Matth.* XV). » Aquæ ergo Siloe, Christi doctrina est spiritalis, cujus gustum, et saporem homo non percipit animalis, quia et hujus putei multa altitudo, et dignum hauritorium non habet carnalis hebetudo. In his aquis Siloe quæ felici silentio serenantur, in his fluminibus quæ de paradisi vel sapientiæ abdito derivantur, illa die qua dictum est : « Musca sordida non versatur, sed illorum munditiæ hujus colluvies adversatur. »

CAPUT XXIX.

Alias igitur aquas et flumina, ut arbitror invenire, quæ huic muscæ potius videntur convenire, in quibus illa gratum habens domicilium volutatur, et in tali volutabro etsi nequiter, tamen delectabiliter sordidatur. Hæc autem sunt forte illa quæ dicuntur

flumina Babylonis, quæ vir prudens, recordatus æternæ illius mansionis, etsi non prævalet a se penitus propulsare, ea tamen studet supereminens conculcare. « Super flumina, inquit, Babylonis, ibi sedimus et flevimus dum recordaremur Sion (*Psal.* CXXXVI). » Nam qui non immergitur fluminibus immundæ voluptatis, sed super ea sedet imperio regiæ potestatis, gaudet quidem quod visco carnalis illecebræ non ligatur, sed dolet quod in ea quam diligit Sion vel Jerusalem nondum plenius conversatur. At illi qui gaudent in hujusmodi fluminum cœno mergi, et tantarum sordium a se maculas non abstergi, firmitate perdita vagi et instabiles conculcantur, et ad puniendum eos, ultores angeli destinantur. « Ite, inquit Dominus per Isaiam, angeli veloces, ad gentem convulsam, et conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram (*Isa.* XVIII). » Quia terram eorum, id est robur debitæ firmitatis diripuerunt flumina fluxus videlicet carnalis voluptatis, ite angeli; ite, inquam, et explete velociter acceptæ ministerium visionis, ne rideant si evadant justæ sententiam ultionis.

CAPUT XXX.

Sic etiam per Ezechielem Pharaoni regi Ægyptio comminatur, qui cubare in medio fluminum gratulatur, cum flumina Ægypti sint procul a justi cubiculo prohibenda, vel saltem moderationis districtæ repagulo cohibenda. « Ecce ego, inquit, ad te, Pharao rex Ægypti, qui cubas in medio fluminum tuorum et dicis : Meus est fluvius, ponam frenum in maxillis tuis (*Ezech.* XXIX). » Pharao formam tenet illius maligni spiritus, qui cum prior in accepta non staret veritate, factum quoque hominem infecit simili pravitate, suadens illi ut mandatum prætergredi nequaquam vereretur, affirmans quia non sicut Deus dixerat, moreretur. Cujus consilio rudis homo præscriptos sibi terminos præterivit, ejusque negligentiam, vel contemptum divina statim ultio sic punivit, ut membris concupiscentiæ legem infligeret, quæ adversus spiritum discrimine duro confligeret. Quia vero spiritus ille nequam, auctor esse peccati prædicatur, hæc autem concupiscentia, et peccatum, et peccati lex esse non negatur, ad cumulum
571 perditionis suæ hujusmodi se fecisse fluvium gloriatur, cujus et affectum ingerit, et effectu plenius gratulatur. « Meus est, inquit, fluvius et ego feci eum. » Ego feci, ut homo conditus vergeret in peccatum, ego in lumbis ejus motus excito carnalium voluptatum, ego in his voluptatibus meam exerceo potestatem, interioris hominis conturbo cogitatus, conculco sanctitatem. Unde infra Dominus ad eum : Ventilabas, inquit, cornu in fluminibus tuis, et conturbabas aquas pedibus tuis, et conculcabas flumina eorum (*Ezech.* XXXII). » In fluminibus suis cornu dicitur ventilare, cum in carnis voluptatibus suum videtur imperium exaltare, cum eorum, quos decipit, aquas, id est affectus spirituales pravis cogitationibus quasi pedibus conturbare, et illorum flumina, id est torrentem internæ voluptatis prævalet conculcare. Sed quia divina justitia nihil deserit impunitum, ultionis sententia quandoque hostem percutit infrunitum, et vel pro præteritis recipit quod meretur, vel a præsentibus, et futuris freno tanquam imposito cohibetur. « Ponam, inquit, frenum in maxillis tuis (*Ezech.* XXIX, XXXVIII). » Et infra : « Eo quod dixeris : Meus est fluvius, et ego feci eum, idcirco ecce ego ad te, et ad flumina tua (*Ezech.* XXIX). » Quia non solum de propria malitia digne pœnitens non tristaris, sed insuper de illa tanquam de justitia gloriaris : « Ecce ego ad te, ad flumina tua, » ut et te videlicet pravo semper deseram in affectu, et affectatam malitiam velis nolis aliquando prohibeam ab effectu. « Ponam, inquit, frenum in maxillis tuis. » Et infra : « Prohibui, ait, flumina ejus et cohibui aquas multas (*Ezech.* XXXI). » Tunc quidem aquæ multæ difficultatis obice coercentur, in quarum diluvio perversi quique approximare ad Deum non merentur, tunc flumina multo perfluentia impetu perhibentur, et in se repercussa undis detumescentibus quasi sub silentio cohibentur, cum domus quæ fundata est supra petræ solidæ fundamentum, non deponit sed opponit molestiis irruentibus inviolabile firmamentum. « Venerunt, inquit, flumina et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit, fundata enim erat supra petram (*Matth.* VII). » Et apud Lucam : « Illisum est, ait, flumen domui illi, et non potuit eam movere (*Luc.* VI). » Et Salomon in Canticis : « Aquæ multæ, inquit, non poterunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam (*Cant.* VIII). » Ædificii sic fundati non evertunt venti aut flumina firmitatem, nec possunt, ut audistis, aquæ sive flumina exstinguere vel obruere charitatem, quia is qui petra est, imposito sibi ædificio dat munimen congruæ sanctitatis, et idem qui charitas, conservat supereminentem machinam charitatis. Flumen quippe seu flumina quæ fundatæ domui minaciter illiduntur, aquas multas quæ inundatione facta diluvium inferre moliuntur, ipse majestate manus comprimit et refrenat, et objectis difficultatibus ab effectu concupito potenter alienat. Unde Isaias : « Levabit, inquit, manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui, et percutiet eum in septem rivis (*Isa.* II). » Super flumen Dominus levare manum suam et in septem rivis eum videtur percutere, cum menti fluctuanti misericorditer disponens succurrere, fluctibus illius virtute spiritus intonat ut quiescant, et eos ab alveo cursus pristini divi dit multipliciter, ut arescant. Quandiu enim fluctus passionum discurrit libere solitos per meatus, non mitescit sed ingravescit, et omnia secum præcipitat effrenatus, habens proprium, ut quo ei via laxior indulgetur, eo ad explendum quod appetit, insatiabilius derivetur. Si autem ei optata effluendi libertas occludatur, et per multas angustias parva ejus semita dividatur, nimirum prius tumens ejus affluentia tenuatur, et ardore castitatis prævalido reuma incompositum exsiccatur. Quod longe infra Isaias insinuans : « Arescet,

inquit, aqua de mari, et fluvius desolabitur, atque siccabitur, et deficient flumina, et attenuabuntur rivi aggerum (*Isa.* XIX). » Cujusmodi aquæ vel flumina cum inundante profluvio exuberant et augescunt, cum nullo coercente repagulo per optatum alveum liberius intumescunt, ei muscæ, cujus videtur Isaias facere mentionem, congruum diversorium, gratam exhibent mansionem : « Muscæ, ait, quæ est in extremo fluminum Ægypti (*Isa.* VII). » Ægyptus *tenebræ* interpretatur. Flumina ergo Ægypti sunt affectus fluidi carnalium voluptatum, qui cum forte in quolibet obtinere prævaluerin principatum, evertunt et præcipitant blanditiis mollibus enervatum, extorrem justitiæ, tenebris gravioribus obscuratum. In quorum fluminum non primo, non medio, sed extremo esse musca prædicta memoratur, quia inter ea quibus caro vitiose et nequiter delectatur, nil quidem gratius, sed nihil gravius, nil jucundius, sed nil immundius, nil familiarius, sed nihil pœna dignius eidem carni videtur arridere, quam lumborum voluptas, quam (etsi repugnet voluntas) ei tamen constat naturaliter adhærere. Pulchre igitur musca, quæ est in extremo fluminum Ægypti, lumborum designat voluptatem, quæ attactu pestifero, virtutum inficit puritatem, quæ extremum locum tenebrosæ et carnalis obtinens pravitatis, et frequenter impugnat, et plerumque expugnat arcem mundæ, et niveæ castitatis. « Sibilabit, inquit, Dominus muscæ quæ est in extremo fluminum Ægypti, et api quæ est in terra Assur (*ibid.*). »

572 CAPUT XXXI.

Per apem quoque non immerito illicita carnis appetentia figuratur, quia non solum mel et favum, sed etiam aculeum apis gestare comprobatur, et quæ fauces delinit mellis edulio dulcique potione, amara nihilominus invenitur gravis aculei punctione. Verum transit celeriter gustu mellis delectatio gratiosa, gravat autem diutius aculei punctio venenosa, nec tantum illa gratiæ, tantum suavitatis, quantum ista molestiæ quantum videtur habere gravitatis. Sic etiam carnis appetentia mulcet renes sive lumbos suavi quodam lenocinio pruriendi, sed pungit conscientiam naturali quadam amaritudine pœnitendi, et quanto in expletione illis arridet blandimento, tanto, imo ampliori torquet læsam conscientiam detrimento. Quod prudens ille attendit Boetius diligenter, et scripto diligenti expressit evidenter, volens ut qui legerit, non diligat primam faciem actionis, cujus extrema gerunt caudam et aculeum scorpionis.

Habet, inquit, hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes,
Apiumque par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, et nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.
(Boet. lib. III, De cons. phil. metr. VII).

Vides quia voluptas in modum apis volantis, mella fundit, et fugit, quia quod in ea libet (unde et libido nominatur) et occurrit, volatu subito, ut quasi avicula videatur, et pertransit velociter, cum effectu misero consummatur. Eo autem consummato cujus libens caro lenocinium experitur, præsenti cujus experientia carnalis etiam animus delinitur, gravi morsu, et læsura miserum cor feritur et super re consummata gravi judicio convenitur. Non est ergo magnopere gustus hujus dulcedinis appetendus, qui termino tantæ acrimoniæ est claudendus, nec bene fauces avidas ebrietatis miseræ mel indulcat, super dulcorem cujus virus suæ amaritudinis fel inculcat.

CAPUT XXXII.

Recte (cum in lege offerri plurima jubeantur, quæ oblata in altari sive in holocaustum, sive in sacrificium accendantur, ut oblatis, et accensis Deum sibi placare mereantur, qui docente Moyse placari eum talibus arbitrantur); recte, inquam, nihil mellis hujusmodi oblationibus admisceri, nihil prorsus in altario præcipitur adoleri, sed ab igne divino mel diligentius prohiberi, et juxta prohibitum, invenitur penitus removeri. Ait quippe Dominus ad Moysen : « Nec quidquam fermenti, aut mellis adolebitur in sacrificio Domino super altare, non ponetur in odorem suavitatis (*Lev.* II). » In melle, carnalis voluptatis illecebrosam dulcedinem æstimo figurari, quam Dominus suo non vult altario præsentari, cujus lenocinio nostras carnes prohibet deliniri, quas potius rigore condientis justitiæ vult saliri. Unde in eodem Levitico subjungitur : « Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui, de sacrificio tuo : in omni oblatione offeres sal (*ibid.*). » Carnes quippe molles naturaliter, et infirmas, sal impositum reddit firmas, et ab eis procul dubio faciens vermes proximos et fetorem, conservat imo etiam meliorat statum solidum et saporem. Sic et nostrum corruptivum, facto procul enervi blandimento, rigor digne adhibitus conservat, sapienti justitiæ condimento, et lenocinante mollitie, vitiorumque vermibus effugatis, viget in eo dignum robur, et integritas castitatis. Sale itaque sapido omne sacrificium condiatur, mellis vero lenocinium in altario non ponatur, quia et optanda est præsentia sapientiæ, tuarum, Domine, sedium assistricis (*Sap.* IX), procul amovendus « favus distillans labia meretricis (*Prov.* V). » Favus, ut nostis, apis est opificium, continens mel in cera, et favi meretricii, distillatio non sincera. Et non solum mel distillatum invenitur ab altario prohiberi, sed et cera divinis luminaribus adhiberi.

CAPUT XXXIII.

Cum in tabernaculo fœderis luminaria disponuntur, si bene memini, apponi cera vel cerei non leguntur, et eorum inter illa prorsus mentio non habetur, sed oleum de olivis lucidum et purissimum adhibetur. « Præcipe, ait, filiis Israel, ut afferant

tibi oleum de olivis purissimum ac lucidum ad conciunandas lucernas ingiter, extra velum testimonii in tabernaculo fœderis, ponetque eas Aaron a vespere usque in mane coram Domino, cultu rituque perpetuo, super candelabrum mundissimum ponentur, semper in conspectu Domini (*Lev.* XXIV). » Quid sibi vult quod nequaquam in tabernaculum Aaron cereos intromittit, et eos divina sanctio inter sua luminaria non admittit, sed oleum de olivis purissimum coram Domino Aaron ponit, et ejus tantum lucernas mundissimo candelabro superponit? In cera, fragilis quidam fluxus sive fluxa fragilitas designatur, quæ illis, qui perfecte lucent in Ecclesia, nullatenus assignatur, quos a fragili mollitie sinceros divina gratia vult haberi, et a fluxu carnalium affectuum puritatis gelicidio coerceri. Quod propter Apostolus eos quos instruit prohibens fermentari, in azymis sinceritatis diligenter admonet epulari, dans intelligi, quia nihil aliud sunt azyma sincera, quam munda **573** conversatio sine cera. « Epulemur, ait, non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis (*I Cor.* V). » Non vult Apostolus nos in modum ceræ esse fragiles sive faciles ad flectendum, non solutos vel solubiles ad fluendum, recolens sorte, quod et poeta imberbem juvenem cereum in vita reprehendit, et Propheta peccatores tanquam ceram perire fluidam deprehendit.

Imberbis juvenis, ait poeta, *tandem custode remoto,*
Cereus in vitium flecti.

Et David : « Sicut fluit cera, inquit, a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei (*Psal.* LXVII). » Et iterum : « Sicut cerea quæ fluit auferentur (*Psal.* LVII). » Ideo Apostolus : « Observare, inquit, nos oportet ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus (*Hebr.* II). » Horum ignem, qui et juxta poetam, cerei ad vitia deflectuntur, et juxta Prophetam, sicut cerea quæ fluit, auferuntur; horum, inquam, ignem suo Deus tabernaculo non admittit, sed eos in illo ambulare vel jubet minaciter, vel permittit, ut quoniam illo igne quem in terram mittere et ardere voluit, accendi noluerunt, illo igne ardeant, ardentes pereant, quem sibi nequiter succenderunt. De quo per Isaiam : « Ambulate, inquit, in lumine ignis nostri, et in flammis quas succendistis (*Isa.* L). » Reprobato autem illo igne quem sibi miseri succenderunt, æstu cujus cerei, et fragiles in vitia defluxerunt, illum ignem Deus voluit sibi dari, illum in suo et tabernaculo, et candelabro collocari, cui præbet oleum de olivis tam indeficiens nutrimentum, ut debitæ claritatis non sustineat detrimentum. Oleum tumores compescit, dolores mitigat, relevat infirmos, afflictos consolatur, et ideo per illud recte misericordia figuratur, quæ corde tenero proximi condolet ad ruinam, et compatienti affectu confert solatii medicinam. Hoc oleo Christus unctus nos infirmos dignatus est visitare, et refotos salubri solatio ad spem salutis misericorditer revocare, et infusa gratia suæ super nos ubertatis, tersit diutinum nostræ languorem siccitatis. Nonne siccus erat Saulus cum Christum Dei Filium ignoraret, cum terrores minarum et cædis, Christi discipulis intonaret, cum Damascum proficiscens voce lapsa desuper, est a proposito revocatus, et in terram corruens turbatis sensibus obcæcatus? Qui cum squamis oculorum cadentibus deponeret infusam cæcitatem, et recepto visu interno attenderet malitiæ pristinæ siccitatem, eum qui sibi loquebatur, Christum esse quem Deus unxerat, intellexit, et ad unctum siccus accedere non neglexit.

Denique poeta quidam, qui nimirum Christum esse peruunctum nescivit, suis tamen auditoribus prudens consilium impertivit, ut non solum per doctrinam fidelium planior veritas innotescat, sed et per os infidelium ea nobis utrinque sublucescat, ait enim :

Si prodesse tuis pauloque benignius
Ipsum te tractare voles, accedes siccus ad unctum.

Quia vero Paulus ethnicorum nec dicta, nec consilia vilipendit, quæ tamen utilitati contraria non perpendit, juxta prædictum consilium festinavit ad Christum accedere, ut suam siccitatem illius unctio posset abstergere. Qui ab illo tam misericorditer est susceptus, et tanti solatii exuberantem gratiam est adeptus, ut et ipse posset cæteris solatium impertire, et acceptæ unctionis beneficio siccis accedentibus subvenire. Unde ad Corinthios : « Benedictus, inquit, Deus Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt (*II Cor.* I). » Et quoniam oleum non solum impertit infirmis solatium et medetur, sed etiam cæteris supereminere liquoribus perhibetur, recte per illud, sicut misericordia, sic etiam charitas figuratur, quæ sui excellentia virtutibus cæteris principatur. De qua Paulus : « Major, inquit, horum est charitas (*I Cor.* XIII). » Hujus ignem in suo Deus tabernaculo vult ardere, ardentem non abscondi sub modio, sed super candelabrum resplendere, ut et domus interior tenebrarum molestiis non gravetur, et qui limen ingressus fuerit, viso lumine gratuletur. Recte ergo et eligitur oleum, et cera reprobatur, ut in domo Dei misericordia sive charitas indeficiens accendatur, ignis vero imprudentis concupiscentiæ nullo pacto in ea dominetur, sed frigescat, cinerescat, ut nec etiam in ea nominetur. Nihil hoc in loco invenio de apum operibus approbari, sed ceram a candelabro, mel autem ab altario reprobari, ex quo patet in ape mollem carnis appetentiam non incongrue figurari, quæ fructus reprobos diligit operari.

Quam apem, cui juxta Prophetam, Dominus sibilat, idem Isaias esse dicit in terra Assur, ut scilicet non sit mirum, si per eam tale quid accipi memoratur, quod in tali, tam congruo diversorio commoratur. « Et api, ait, quæ est in terra Assur (*Isa.* VII). » Assur interpretatur *deprimens* sive *elatus*. Deprimens autem sive elatus, antiquus ille

hostis est, qui durissimus tributi exactor semitas viantium præpedit et infestat, et fratrum accusator gravi calumnia eos deprimit et molestat, non curans quibus vel blanditiis, vel molestiis quemvis efficiat peccatorem, dummodo illius pressi et oppressi videat se victorem. Victor autem in superbiam nequiter elevatur, et tumens, inaniter gloriatur, miser non perditionis propriæ remedium accepturus, sed perditorum consortio fruiturus. Recte ergo et deprimens dicitur, et elatus, qui quo magis deprimit, eo elatior invenitur, et quo elatiorem, eo graviorem oppressorem eum quisquam perditus experitur. **574** Terra hujus Assur, possessio ejus est quam sibi ab antiquo propriam meruit obtinere, et jure quodam stabili in perpetuum possidere. Quam terram sive possessionem, nihil rectius quam peccatum æstimo posse dici, cui ipsum diabolum, vel quod ipsi diabolo certum est sic addici, ut ei auctori et inventori illud principaliter assignetur, et ipse in eo tanquam in jure proprio potestate misera dominetur, cadens de cœlo, sicut legistis Dominum in Evangelio recolentem : « Videbam, inquit, Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem in terram (*Luc.* x). » Fertur procul dubio cecidisse, sicut etiam invenitur Isaias propheta cecinisse. « Quomodo, inquit, cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram (*Isa.* xiv). » Quid est autem de cœlo in terram, nisi de cœlestium virtutum sublimi abscondito, in infimam peccati cadere firmitatem, unde nullus ei pateat ad amissam reditus claritatem? Suo enim se peccato diabolus tam indissolubiliter obligavit, et ruinam suam, tam fortibus vectibus confirmavit, ut ei non solum revertendi ablata sit facultas, sed spe prorsus perdita, nulla sit et voluntas. Quem prolapsum homo peccando misere prosecutus, in tantam est ipse firmitatem, et tam inextricabilem devolutus, ut inde ullo modo ad pristinam vivendi gloriam non rediret, sed in peccato suo firmitate ministra deperiret, nisi Deus factus remedium congruum inveniret, et assumptæ carnis malagmate nostra vulnera deliniret. Qui profecto, in quem homo peccando corruerat infernum, penetravit, et armatum male fortem ipse fortior alligavit, et clavo crucis suæ, in qua suum misericorditer tinxerat vestimentum, illius mansionis effregit fortiter munimentum. Unde revertentem cum triumpho angelici spiritus admirantur, et quis quantusque ipse sit, mirantes et stupentes sciscitantur, quem attendunt et infernum tam fiducialiter irrupisse, et inde inaudito miraculo cum victoriæ titulis erupisse. Mirantur, inquam, quod tantam inferni firmitatem Christus everterit, et suorum cinctus collegio ad cœlorum alta redierit, ostendens se implesse ministerium æternæ jussionis, et offerens illi vestem tinctam sanguine passionis. « Quis est iste, inquiunt, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? » (*Isa.* lxiii.) Edom ipse est Esau. Interpretatur autem Edom *terrenus*, et mundum significat qui ad se venientibus miro fallendi genere vitæ hujus proponit blandimenta, et ea diligentibus infert mortis æternæ detrimenta. Bosra vero civitas est in Moab et interpretatur *munita* vel *firma*, infernumque significat, qui tot et tantis erat custodibus, muris, vectibus, seris communitus, ut nulli introeunti esset ad superos reditus expeditus. Quos enim in mundo hostis ille nocendi artifex seducebat et ad peccandum, vel blandiens, vel forte opprimens inducebat, eos ad munita et firma inferni penetralia deducebat, unde illos ad salutem nullius gratia, nullius potentia postmodum educebat. Cum igitur et mundum et infernum Christus moriens triumpharet, et resurgens a mortuis victor ad cœlestia remearet, angeli, ut dictum est, tantam miraculi novitatem videntes, obstupescunt, imo suum suppleri numerum novo adventu fidelium hilarescunt. « Quis est iste, inquiunt, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra. » Quis est iste qui confringens inveteratum inferni munimentum, et cunctis retro sæculis ejus inviolabile firmamentum, victor inde revertitur nullum belli præferens instrumentum, sed assumptæ carnis tinctum sanguine vestimentum? Cæterum, etsi Deus bonitatis suæ gratia miseratus est hominem et redemit, et de claustris infernalibus, quæ munita et firma videbantur, exemit, ipse tamen diabolo quem nullius deceptio, sed sua solius perversitas interemit, terram suam, id est jus peccati solidum non ademit. Hanc illius possessionem justa Dei bonitas non invasit, nec illi compatiens salutarem pœnitentiam persuasit, sed quia malitiæ primus inventor est et deliquit, inventum suum ei Deus proprium dereliquit. Omne igitur peccatum diabolus sibi vult ut proprium vindicare; et Deus judex justus, ut reprobum non cessat vindicare, ille illo, ut pastu gratissimo delectatur; iste illud, ut sibi contrarium exsecratur. Ideo dicit ei : « Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ (*Gen.* iii). » Et per Isaiam : « Serpenti, pulvis panis ejus (*Isa.* lxv). » Sicut enim Deus pascitur cœlestibus, id est justitia, munditia, veritate, sic terrenis diabolus, peccato videlicet, immunditia, falsitate : et sicut ille, sic iste cibos sibi similes expetit et affectat, et eorum alterum cibus alterius non delectat. Propter quod Paulus : « Deponentes, inquit, mendacium, loquimini veritatem (*Ephes.* iv). » Et ad Colossenses : « Mortificate, ait, membra vestra quæ sunt super terram (*Colos.* iii). » Non igitur ea quæ sunt super cœlum.

CAPUT XXXIV.

Neque enim mortificari præcipiuntur justitia, prudentia, temperantia, fortitudo, quibus subvectum hominem cœli suscipit altitudo, dum illum faciunt a terreno peccati contagio procul esse, affectuque et merito summis et cœlestibus interesse. Nec illa etiam mortificare prudens Apostolus nos coegit, quibus plasmator noster Deus corporaliter nos compegit, quæ non nostro opere, sed suo per se tempore moritura in vitam sunt cœlestem re-

surrectionis 575 beneficio transitura. Illa igitur subdolus nos decepit, quorum compactione membra prædictus Apostolus mortificare nos præcepit, quorum lenociniis serpens ille perversus operator miseros nos infecit, et infectione misera sui similes nos effecit, quorum, nobis ne forte ignorantiam prætendamus, vult ut hujus mandati consequentiam attendamus, qui ea quæ mortificari præcipit diligenter, nominatim exprimit consequenter. Dicto enim : « Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, » subjecit : « Fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus (*Coloss.* III). » Et paulo post : « Deponite, inquit, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam (*ibid.*). » Hæc membra sunt quæ a cœlo vel cœlestibus longe facta, super terram, vel in terram sui merito sunt redacta ; quæ ipsi diabolo in possessionem propriam derelicta, ejus quoque ministris ad suam ipsorum perniciem sunt inflicta. Hæc sunt membra quibus corpus compingitur iniquorum (*Rom.* VI) ; hæc terra quam caput comedit perditorum, quam vult doctor egregius vel nos penitus non habere, vel saltem hoc in nobis, non regnum, non dominium obtinere. « Non regnet, inquit, peccatum in vestro mortali corpore (*ibid.*). » Vult Apostolus in nobis peccatum vel non esse, vel dominandi privilegio non præesse : sed et si forte impudens nostræ obmurmurat jussioni, tamen vel invitum nostræ subjici ditioni. Quod per Isaiam Dominus misericorditer et promittit, et per suam gratiam suis dare fidelibus non omittit, dicens se præcelsis eorum virtutibus præsidere et peccatum suum ipsis conculcantibus subjacere : « Cœlum, inquit, sedes mea, et terra, scabellum pedum meorum (*Isa.* LXVI). » Cœli nomine virtutes æstimo figurari, quæ ab imis et luteis dignitate propria merentur sequestrari ; et quo ab his subtilitate defæcata sublimius se absentant, eo familiarius divino conspectui se præsentant. In quibus Deus ob hoc sedem perhibet se habere, quia constat illas ei non mediocriter complacere, et quarum puritate suis oblata conspectibus hilarescit, in eisdem sedens regnans, judicans requiescit. Terra vero, peccatum est, quod quia summa et cœlestia videntur exsecrari, in inferioribus meruit collocari, et remotum a virtutum fastigio sibi in uno quasi globo et glutino sic cohæret, ut tanquam massa plumbea in suo semper perseveret. Hoc autem peccatum non solum a sua manu, vel dextera vel brachio longe fecit, sed abundante gratia suis cum pedibus sic subjecit, ut possint et illius molestiis fortiter repugnare, et victores illud, tanquam platearum lutum vel pulverem conculcare. Manus Dei vel dextera vel brachium, Christus est, qui adversus peccatum suum nullam penitus luctam gessit, quia iniquitas et peccatum ad eum penitus non accessit, sed suis illud pedibus permisit aliquantulum admisceri, ut in ejus prælio possit, ut scriptum est, Israel exerceri. Pedes vero ejus, electi ejus sunt qui verbo et exemplo ad benevolos eum deferunt auditores, ut et illi efficiantur suscepto verbo fidei pugnatores. De quibus Isaias : « Quam pulchri super montes, pedes annuntiantis et prædicantis pacem (*Isa.* LII). » Isti pedes Domini cum adversus peccati occurrentes molestias gerunt bellum, ipso Domino præsidente illud sibi rediguut in scabellum, et quorum ille virtutibus tanquam cœlo dignatur præsidere, terram, id est peccatum facit eis, ut scabellum pedibus, subjacere. In hac terra, illa de qua sermo nobis est, apis dicitur conversari, quia illicitam carnis appetentiam certum est intra vitiorum numerum deputari, quibus omnibus adversarius ille nequam, utpote terræ, conceditur principari, qui cœlo et cœlestibus justorum virtutibus non desinit adversari. Denique Paulus cum vitiorum catalogum contexuit seriatim, ipsam carnis appetentiam inter illa posuit nominatim, et a membris quæ super terram sunt, eam censuit non excludi, nec liberum a peccato qui senserit ejus lenocinio se illudi. « Mortificate, inquit, membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem (*Colos.* III), » etc. Quicunque ergo tangitur hujusmodi vel ad modicum passione, qui vel ejus mulcetur lenocinio, vel aculei mordetur læsione, profecto sese intra sibi positos limites penitus non arctavit, sed de jure diaboli, de terra ejus aliquid usurpavit. Quod cum in illo idem nequam spiritus recognoscit, cum tumultu et arte subdola reclamat proprium et reposcit, vultque malignus artifex, ut quod usurpatum est, avidius teneatur, ut quo justius, eo infestius reposci mereatur. Nec tamen ob hoc reperit ut velit rehabere, et ablata homini solus eadem possidere, sed quasi exploratoribus præmissis fraudulenter ipse prædo tyrannicus adesse festinat consequenter ; et si persenserit præmissos, recipit diligenter, in suo tanquam jure dominium exercet violenter. Quæ violentia, sicut nonnisi diabolo nequiter immittente, sic fit non nisi Deo justius permittente, et hæc permissio qua velut percepto signo diabolus effrenatur, apud Isaiam sibilus appellatur. « Sibilabit, inquit, Dominus muscæ et api, quæ est in terra Assur, et venient et requiescent in torrentibus vallium (*Isa.* VII). » Sibilat Dominus muscæ et api, cum adversus eas fortitudinis aciem non producit, cum justo suo judicio, a nostri custodia se subducit, cum sine gratia, nostri deserit arbitrii libertatem, cum nostram non conservat munimento 576 continentiæ castitatem. Hæc autem non agere, quid est aliud quam signum irascentis et nos procul a se in manus hostium relinquentis ? Quid est, inquam, aliud quam quidam sibilus provocantis, et ad prædam præoptatam raptores malevolos invitantis ? Videtur enim illos quodammodo provocare, cum ultro se ingerentes non curat culpis exigentibus revocare, cum velut ovem miseram lupo rapido præostendit, et ad illum deterrendum, manu baculum non extendit. Sic etiam de conclavi firmissimo cibi nonnunquam exponuntur, et eisdem expositis nulli custodes imponuntur, et cum nulla repagula catulis

avidioribus opponuntur; quid nisi cibi neglecti eis quodammodo apponuntur? Ad illos quippe neglectos currunt etiam non vocati, tanquam voce vel sibilo fuerint invitati et sua eos quasi jure aviditas illuc pellit, unde præsens custodia non repellit.

CAPUT XXXV.

Ideo de musca et api dicitur : « Et venient et requiescent in torrentibus vallium (*Isa.* VII). » Cum sibilat illis Deus, id est cum nostræ castitatis et continentiæ lorum laxat, et eo quod ipse novit consilio, a districta nostri custodia se relaxat, cum lumbos nostros, juxta quod mandat Apostolus, non præcingit, cum renes et cor nostrum forti cinctorio non astringit, musca et apis, id est carnales illecebræ, velut de insidiis erumpentes, multoque examine nostrum habitaculum irrumpentes, accepta garriendi licentia largius effervescunt, et tanquam voti compotes in torrentibus vallium requiescunt. Torrentes vallium sunt impetuosi fluctus cogitationum. Torrentes naturalis fontis exuberantia non impacti, sed guttis pluvialibus tumefacti, juga montium et camporum plana fluxu præcipiti deferentes, multoque impetu ad profunda vallium confluentes, collectis et advectis sordibus easdem valles inficiunt, talique affluentia immundos in eis lacus efficiunt. Sic voluptatum carnalium affectiones non de puritatis fonte vivido generatæ, sed minutis et multis suggestionum imbribus confortatæ, in excelsis et planis justorum meditationibus locum et requiem non habentes, nec a fluxu præcipiti collectam immunditiam cohibentes, defluunt ad cogitatus depressos, et pusillanimos infirmorum, et velut grato in receptaculo in eis ædificant sentinam vitiorum. Cujusmodi cogitatus quamvis multo examine congregatos, quamvis multa duritia usuque diutius congelatos divina tamen præsentia districte judicans scindi facit, et sicut a facie ignis ceram vel glaciem liquefacit. Quod Michæas propheta insinuans : « Montes, inquit, consumentur subtus eum, et valles scindentur sicut cera quæ fluit a facie ignis, sicut aquæ quæ decurrunt in præceps (*Mich.* I). » Veniente quippe districto judice, subtus eum, montes, id est perversorum congeries operum consumentur, et quæ superbe in actus processerant ad nihilum reducentur. Vallis quoque, id est secreta et profunda cogitatuum latibula discindentur, et quæ impunita latere speraverant, graviter punientur. Sicut nulla tumens operum confidentia ejus graviter præsentiam sustinebit, sic et eum profunda cujusquam cogitatio non latebit, sed in lucem proferet quod in tenebris latere putabatur, sicut et Cumæa vates illa prophetice Sybilla protestatur :

Dejiciet, ait, *colles, valles extollet ab imo.*

Dejiciet colles, cum manifesta opera ultione superducta potenter conculcabit : extollet valles, cum occultos cogitatus sibi videnti omnia præsentabit, cum eisdem scrutator rerum et cordium graviter imminebit, et gravi cum potentia suum in eos judicium exercebit. Quod per prophetam Joel terribiliter comminatur, cum se ad judicandum venire protestatur, dicens quia in vallem Josaphat eos qui judicandi sunt adducet, et illic eis pro merito pœnam celerem superducet. « Cum convertero, ait, captivitatem Juda et Jerusalem, congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis, ibi super populo meo, et hæreditate mea Israel quos disperserunt (*Joel* III). » Cum eos qui in mundo mundi lenocinia non affectant, quos captivos in hac vita seductibiles carceris blanditiæ non delectant, qui peccata sua humiliter, et Deum vivum veraciter confitentur, qui pacem veram et æternam interioribus oculis intuentur; cum eos, inquam, Deus converterit ad obtinendam certo spei fœdere libertatem, tunc congregabit reliquos ad sufferendum gravem æquitatem. « Congregabo, inquit, omnes gentes et deducam eas in vallem Josaphat. » Josaphat interpretatur *judicium Domini*. In vallem autem Josaphat Deus gentes congregat et adducit, cum ad profunda cogitationum suarum judicandos quosque revocat et reducit, ut illic eos districte arguat et accuset, ubi eos aliqua verborum oppansio non excuset. De qualitate enim meritorum non exteriora quælibet, sed internos interrogat cogitatus, ad quos cum fuerit perversus quisque districto judicio revocatus, scire compelletur, et quæ neglexerit indicta, et quæ dilexerit interdicta. Unde scriptum est : « In cogitationibus impii interrogatio erit (*Sap.* I). » Interim vero in torrentibus, quorum affluentia hujusmodi vallium profunda sordescunt, musca et apis gratanter requiescunt, quia carnis illecebræ cum inflammant lumborum officinam, gratum habent rapacem fluxum cogitatuum et sentinam. **577** Quæ nimirum nec venirent nec prævalerent, nisi eis divina justitia sibilaret, nisi permissione sua optatum eis Deus aditum relaxaret, qui cum justus judex nos non bene meritos quasi disponit oblivisci, illas pestiferas juxta suum libitum adversum nos permittit proficisci.

CAPUT XXXVI.

Hoc percepto sibilo adversus David regem fortiter eruperunt, inventumque in solario, captum mente, vagum oculis reddiderunt, quarum ille mollibus lenociniis enervatus obedivit, amplexuque illicito uxorem Uriæ ruptis continentiæ legibus appetivit. Hanc etiam acceperant, sibilantes Dei permissionem, cum paterno sublimem solio, eruditum impetunt Salomonem, cujus sapientiam fatuam, et fortitudinem elumbem effecerunt, et decorem castitatis intemperantiæ sordibus infecerunt. Habens enim ille, ut legitur, reginas sexaginta, et concubinas octoginta, vel secundum quosdam, septuaginta uxores, trecentas concubinas, præter eas etiam ad juvenculas et scorta passiva vagus et incontinens se extendit, quorum nequaquam divina Scriptura numerum comprehendit. In hoc Dei sibilo ejus ira patenter demon-

stratur, cum immissa vel permissa gravis in nos tentatio debacchatur, a qua permissione vel sibilo, si illius justitia superducto silentio non desistit, tot et tantis tentationuum molestiis nostra infirmitas non resistit. Unde nobis necesse est ut hunc a se Deus sibilum removere, et quietum sibi dignetur silentium admovere, ut scilicet non super nos ejus ira tumultuosius effervescat, sed indignos miserans, grato sub silentio conquiescat. Ea enim sibilante vallis nostra diluvio torrentium inquinatur, et mens nostra flexo genu fortitudinis incurvatur, cujus cum incurvata fuerit rectitudo, transit per eam sequens hostium multitudo. Hi sunt qui juxta Isaiam dicunt animæ : « Incurvare ut transeamus (*Isa.* LI). » Cum vero transierint, jam non vel dicunt, vel loquuntur, sed juxta Sophoniam sibilare potius asseruntur, ut dicendo, malignorum consilium miseris infunditur, sibilando triumphantium garritus, et tripudium effundatur. « Omnis, ait Sophonias, qui transit per eam sibilabit, et movebit manum suam (*Soph.* II). » Sibilus iste et mota manus quid nisi quædam esse videtur locutio, qua cunctis manifeste declaratur illorum seductio, qui cum per animam incurvatam viderint se transisse, exsultant et insultant, nec tacent juxta propositum se vicisse. Magna quippe est exsultatio populi triumphantis, multa cachinnatio, multus sibilus insultantis, magnus concursus magnusque strepitus colloquentis, magnus denique fastus victorum more spolia dividentis. Unde Isaias: « Sicut exsultant, inquit, victores capta præda quando dividunt spolia (*Isa.* IX). » Iste hostium sibilus, ista eorum exsultatio vel insultatio, non mitescit, iste insultantium strepitus nullo sub silentio delitescit, si non et Deus a prædicto velit sibilo reticere, suoque illorum silentium extorquere. De quo ejus silentio prædictus Sophonias: « Dominus, inquit, Deus in medio tui fortis silebit in dilectione tua (*Soph.* III). » Cum enim tenerius Deus diligere nos disponit, prædictum sibilum premit fortiter et seponit, et grandinem iræ suæ in misericordiæ mutat rorem, ventosque minaciter sibilantes auræ tenuis in plangorem. Aurora flante hostes prius effrenati fortiter reprimuntur, et eorum tripudia gravi silentio comprimuntur, fretum nostrum in campos æquoreos complanatur, fluctus silent, navis illorum silentio gratulatur. « Statuit, inquit David, procellam ejus in auram, et siluerunt fluctus ejus, et lætati sunt quia siluerunt (*Psal.* CVI). » Cum procella pellitur, tenuis aura spirat, ventorum quassa flatibus adventu silentii mens respirat, et quo ei profusius grata serenitas illucescit, eo serenius præsentia grati muneris hilarescit. In hoc enim sibi Deum intelligit præsto esse, suis cum precibus, suis desideriis non deesse, et quem in procella ventis et turbinibus irascentem, in flatu auræ tenuis sentit benigne miserentem.

CAPUT XXXVII.

Ista est forte aura quam sentire legitur Elias fugitivus, cum in fugam celerem timore eum cogeret oppressivus, cum fugæ præsidio, reginæ sævientis minas evaderet, et in spelunca latens Deum sibi quodammodo præsentem attenderet. « Et post ignem, ait Scriptura, sibilus auræ tenuis (*III Reg.* XIX); » signum est gratiæ spiritalis quo propheta corde pavido fugiens convenitur, et ei spes gratiæ consolantis, vel præsentis solatium impertitur. Sicut enim flatu vel sibilo Deus aliquoties se iratum, sic flatu vel sibilo signat plerumque se placatum, et hæc signa ejus iram vel gratiam eloquuntur, quod planius innotescit cum effectus varii consequuntur. « Flavit, inquit Moyses, spiritus tuus, et operuit eos mare, submersi sunt in aquis vehementibus (*Exod.* XV). » Quid flatus iste nisi irascentis et jubentis Dei loquitur voluntatem, punire disponentis Ægyptiorum persequentium pravitatem, et mare statim, velut intelligens signum iræ, festinat incredulos aquis vehementibus operire? Sic et illic manifeste sibilus iram signat, ubi peccatoris divitis æternum interitum Job designat, cum illius perditionem videns judex sævissimus imminere invenitur vel irascens **578** ridere, vel tanquam ridens veraciter succensere. « Stringet, inquit, super eum manus suas, et sibilabit super illum, intuens locum ejus (*Job* XXVII). » Videns quippe Deus in sua et avaritia, et malitia divitem obstinatum, et ad perditionem suam obstinata nequitia destinatum, stringit super eum manus suas quasi ridens, et plausu manuum significans se lætari, quod tale studium tali videat pretio mancipari. Sibilat etiam super illum, indignans et pro nihilo ducens contumaciam præsumentis, in malum suum tempus continuum et operam insumentis, intuens locum ejus, quod videlicet non sit a proposito rediturus, sed in locum suum, id est sibi congruum tanquam Judas Iscariot abiturus. E regione, cum post resurrectionem suis Christus discipulis se ostendit, et nova eis charismata suæ largitatis impendit, insufflavit et dixit eis : « Accipite Spiritum sanctum (*Joan.* XX). » Quid autem gratiæ præsignaret quod discipulis insufflavit, verbis sequentibus intimavit : « Accipite, inquiens, Spiritum sanctum, » ut certum sit quia sicut verbum invenitur flatus significans prævenire, sic verbum consequens, occultum signi mysterium aperire. Parvo tempore post, cum iterum uno conclavi pariter clauderentur, et vel metu Judæorum, vel exspectatione promissi muneris tenerentur : « Factus est, inquit, repente de cœlo sonus tanquam flatus vehemens, et repleti sunt omnes Spiritu sancto (*Act.* II). » Tali flatu, tali signo, tali Deus sibilo prælocutus locutionem suam effectu est operis prosecutus, et quod mystico flatu vel sibilo designavit, dans illis vehementem affluentiam spiritus consummavit. Inde est forte quod nati carnaliter, cum spirituali lavacro renascuntur, et ministerio sacerdotis aqua baptismatis abluuntur, eumdem ministrum videmus in fontem mysticum insufflare, ut signet illi fonti vivificantem spiritum adventare. Ab hoc flatu vel sibilo Deum volumus non

silere, seu nostris eum precibus, nostris clamoribus respondere, ut et nobis infundat gratiam requirendi, et ipse propitius non differat beneficium respondendi. « Ad te, inquit, Domine, clamabo, Deus meus, ne sileas a me, ne quando taceas a me (*Psal.* XXVII). » Et alibi: « Ne sileas quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus sicut omnes patres mei (*Psal.* XXXVIII). » Non silet Deus a nobis, cum flatu mystico baptismi fontem purificat, cum exspectatione sollicitos vehementi spiritus flatu lætificat, cum sibilo auræ tenuis dignatur timidos refovere, cum denique nobiscum usque ad consummationem sæculi permanere. De quo sibilo per Zachariam: « Sibilabo, inquit, eis, et congregabo illos, quia redemi eos (*Zach.* X). »

CAPUT XXXVIII.

Nec solum flatus, vel sibilus vicem verbi videtur obtinere, et his modis quos diximus, et forte pluribus silentium removere, sed et tuba, et buccina, et pleraque hujus vel alterius generis instrumenta ad pellendum æque silentium, et explendum verbi officium sunt inventa. Unde et in bellis in quibus egent voce maxima convocari, et ad fortiter insistendum, vel fortius resistendum omnes pariter incitari, quia visum est oris verbum satis conveniens, vel sufficiens non haberi, tubam et buccinam Scriptura perhibente legimus adhiberi. Quia enim nullius vox tam clamosa poterat inveniri, quæ tam longe lateque posset ab omnibus exaudiri, congruum duxit humana prudentia invenire quælibet instrumenta, quæ plenius sufficerent ad proferendum hujusmodi convenientius hortamenta. Quod nimirum invenitur et Dominus non tacere, cum per manum Moysi curat filios Israel edocere non solum quid pacis tempore sint acturi, sed etiam qualiter ad belli discrimina processuri. « Si exieritis, inquit, ad bellum contra hostes qui dimicant adversum vos, clangetis ululantibus tubis, et erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum (*Num.* X). » Non vult Deus eos nisi tubis clanxerint ad bellum procedere, non furtim et cum silentio adversantes hostes impetere, sed clangore valido ipsos copiosius et alacrius promoveri, et ipsorum adversarios soluta resistendi fortitudine perterreri. Tubarum enim excitati sonitu bellatores confluunt copiosi, et ad bellum fortius ineundum redduntur animosi, et qui se fortes et alacres senserint, minas et cædes spirant, pusillanimes vero, exemplo fortiorum erubescunt forsitan et respirant. Ipsa quoque bellatorum animalia vel jumenta quæ in equestri acie non parva conferunt adjumenta, tubarum sonitu ferocius inardescunt propulsaque timoris ignavia spe proximi certaminis hilarescunt, vix intra fines debitos posset equus superbiens contineri, indignans sub silentio sessoris imperio cohiberi, spumat ore, naribus stertit, ungula terram fodit, et dum a cursu vel conflictu moræ impatiens vix differtur, nesciens stare loco, brevi spatio frequentius circumfertur. Ille etiam elephas, cujus esse perhibetur tam incredibilis fortitudo, ut in ipso magna turris, et in turre deferatur militum multitudo, sicut viso sanguine, ut Scriptura perhibet, acrius animatur, sic forte audito clangore buccinarum, animosius efferatur. Recte ergo apud illos quos bello voluit strenuos exhiberi **579** tubas, vel buccinas Deus præcipit adhiberi, ut ex inde præsens ille carnalis populus commodum temporale, post futuri consequantur intellectu mystico spiritale. Sic enim illorum bella Deus voluit ordinare, ut magis intenderet spirituales pugiles informare, qui non adversus carnem et sanguinem, id est materiales homines colluctantur, sed spiritibus aereis spiritali fortitudine reluctantur.

Quod in ipsis verbis Domini quibus illum videtur populum commonere, si retractet diligentius posset quis liquido pervidere, quæ sic texunt historiam illi populo litteralem, ut in ea magis expostulent sensum accipi spiritalem. Cum enim dixisset Dominus: « Si exieritis ad bellum contra hostes qui dimicant adversum vos, clangetis ululantibus tubis, » adjunxit: « Et erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro (*ibid.*). » Ut videtur, ad hoc jubet eos non sine tubis clangentibus præliari, ut ad clangorem tubarum illorum valeat recordari, tanquam ipse bellantium non facile recordetur, nisi clangentibus tubis ad eorum memoriam excitetur. Et forte ita se veritas rei habet, ut cum Dei populus vult ad prælium proficisci, ambiens triumphatis hostibus victoriam adipisci, inveniatur Deus quasi prælantium oblivisci, nisi tubarum clangore compellatur eorum reminisci. Nam cum sit populus idem, spiritalis prælii discrimen aggressurus, et incerto eventu adversum spiritales nequitias congressurus, si rectores et doctores ejus suis eum non instruant monitis et doctrina, Deo non recordante gaudebit eorum adversarius de ruina. Sermo quippe et instructio qua debet rector populi sollicitus insonare, et clamore indefesso tanquam tuba vel buccina personare, pellens torporem ignorantiæ, reddit populum eruditum, et eruditionis beneficio ad agenda prælia fortiter expeditum. Hujus autem populi qui doctrina congrua salubriter informatur et informatione salubri ad resistendum hostibus utiliter animatur, Deus juste misericors et justus misericorditer recordatur, ut ei prælianti victoriam de adversariis largiatur. « Erit, inquit, recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum (*ibid.*). » Et ne forte qui debeant esse populi tubicines ignoretur, quibus scilicet clangendi ministerium specialiter assignetur, idem Dominus qui haberi tubas et buccinas imperavit, in eodem capitulo evidentius demonstravit. « Filii, ait, Aaron sacerdotis clangent tubis (*ibid.*). »

CAPUT XXXIX.

Patet quia quibus animarum custodia delegatur, eis quoque ut tubis clangant et buccinis, specialiter imperatur, et qui specialiter aliorum sunt rectores, necesse est ut sint pariter et doctores. Unde infra

in eodem libro Numeri, cum mitteret Moyses millenos de singulis tribubus, ut adversus Madianitas debeant præliari, et juberet Phinees sacerdotem eisdem exercitibus principari, inter cætera quæ illi et mandavit et donavit, ad bellum strenue peragendum, tubas quoque dedisse legitur ad clangendum. « Millenos, inquit, de cunctis tribubus misit Moyses cum Phinees filio Eleazari, et adjunxit: « Vasa quoque sancta et tubas ad clangendum tradidit ei (*Num.* XXXI). » Moyses legislator (ut scriptum est, lex per Moysen data est) typum tenet Christi, qui cum fideles suos ad expugnandum invisibiles hostes mittit, missos laborare morbo ignorantiæ non permittit, sed talem illis prudenti ordine dat rectorem, cujus meritis et doctrina Deum sibi pronum sentiant adjutorem. Eorum enim rectori vasa sancta et tubas ad clangendum tradit, quæ non solum eidem utilia sunt rectori, sed etiam non mediocriter populo necessaria bellatori. « Vasa, inquit, sancta et tubas. » Bona quidem munera, bonus et munerum ordo. Vasa, corpora nostra sunt, quorum, etsi materia lutea esse et fragilis perhibetur, in ipsis tamen thesaurus invisibilis continetur, dum in eorum gurgustio nostræ animæ demorantur, quarum præsentia eadem ipsa corpora vegetantur. De quibus Paulus: Habemus, inquit, thesaurum istum in vasis fictilibus (*II Cor.* IV). » Quæ vasa venustantur non parvæ gratia sanctitatis, si munda refulserint candore debitæ castitatis, si ejus intuitu cui debemus nos acceptabiles exhibere, abhorrentes illicita, diligimus etiam a licitis abstinere. « Continuimus nos, inquit David, ab heri et nudiustertius, et fuerunt vasa puerorum sancta (*I Reg.* XXI). » Hanc autem continentiæ sanctitatem nulli magis quam ecclesiæ rectoribus æstimo convenire, qui sicut honore dignitatis, sic merito sanctitatis debent subditos prævenire, quibus non satis convenientem formulam dant vivendi, si non præcesserint per modestam et honestam semitam continendi. Vel forte vasa, nostræ animæ possunt dici, in quibus aut deserente gratia, iniquitates et vitia colliguntur, et ipsorum merito virga ferrea confringuntur; aut largiente Deo, virtutum charismata congregantur, et ab ipso largitore suorum merito munerum conservantur. Quæ enim sunt in contumeliam, merentur reprobari, quæ vero in honorem, ab ipsorum opifice conservari, et aurea et argentea intra gazophylacium admittuntur, immunda et lutea in sterquilinium confracta remittuntur. Illa quæ sunt in honorem et flagrant munere sanctitatis, grata sunt ipsi Deo internæ flagrantia charitatis, cum scilicet non sola superficies, tanquam **580** paries subdole dealbatus, sed illi se præsentat recessus conscientiæ defæcatus.

A

B

C

D

CAPUT XL.

Denique fatuæ virgines, quia in his vasis nequaquam oleum habuerunt, id est intra recessus animæ sanctitatis veræ flagrantiam habere neglexerunt, cum ad Sponsi januam inani conscientia devenerunt, clausam sibi et nullis aperiendam precibus invenerunt. « Domine, inquiunt, Domine, aperi nobis. At ille: Amen dico vobis, non novi vos (*Matth.* XXV). » In quo illarum fatuitas et fatua vacuitas veraciter experitur, quod ad Christi nuptias non qui clamaverit, sed qui attulerit, exauditur, et illarum janua non vocibus, sed muneribus aperitur, et Sponsus ille non vocanti, sed donanti propitius invenitur. « Non omnis, ait, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum (*Matth.* VII). » Et ideo in Exodo: « Non apparebis, inquit, in conspectu meo vacuus (*Deut.* XVI). » Quod de nostris litteris in suas ethnici litteras transtulerunt, et eos transferentes posteri favorabiliter extulerunt, et quod illi a nostris prioribus et potioribus acceperunt, posteri commendantes grato usu et memoria recepe-
B runt:

Si nihil attuleris, ait quidam, ibis, Homere, foras.

Et Plautus in Asinaria: « Si affers, inquit, tunc patent, si non est quod des, ædes non patent. » Quis inter scholares clericos qui frequentant litterarum sæcularium lectionem, non facit frequentius istorum versuum mentionem, et a quo verbum istud jucunde et memoriter est retentum, non commendat auctores, tanquam illorum fuerit hoc inventum? Quanquam illi hujusmodi sententiam quodammodo perverterunt et ad demonstrandam quorumdam avaritiam converterunt, qui juxta Isaiam (*cap.* I), diligentes munera, sequentes retributionem, aliquos veneratione debita non attendunt, nisi quos afferre
C sibi munera deprehenderunt. Apud quos qui apparuerit vacuus, putatur et fatuus, et e regione fatuus non putatur a quocunque multa pecunia computatur. Propter quos illud vulgo frequentius ventilatur; vacui thalami faciunt dominam fatuam, quia ejus offerendis muneribus indigens manus caret, ejus sapientia apud illos commendabilis non apparet. Cæterum Deus qui avaritiæ morbum nescit, propter se nostra munera non exposcit, sed nobis consulens, vult nos inanes et vacuos non haberi, sed majestati suæ onustos et divites exhiberi. Vult nos esse vasa non vacua et deserta, propter immunditiam gravitatis, sed munda et referta copioso munere sanctitatis, ut nos et eligat suæ gratia bonitatis, et electos diligat fructuosæ nostræ merito vo-
D luntatis. Quale vas voluit illum esse et suæ voluntatis gratia dedit esse, qui sui præcedentibus meritis non electus, cum iram meruisset, misericordiam est adeptus. « Vas, inquit, electionis mihi est iste (*Act.* IX). » Hoc in typo Moyses Phinees filio Eleazari tradit vasa sancta, ut scilicet eum quem præliaturo populo vult præesse præfiguret donis mysticis sanctum esse, et corpus ejus vel animam vel utrumque potius tanta sanctitudine dilatari ut eum jure debeat sequens populus imitari. Et quoniam non expedit ut sit mutus qui ordinante Deo est ad præsidendum populo constitutus, proinde Moyses Phinees sacerdoti tubas dedit, ut eo tubicinante bellatores et velocius congregentur, et ad bellum peragendum fortius animentur. Neque enim sufficit

prælato cæteris se præbere ductorem, nisi etiam exhibuerit se doctorem, ut cum viam sequentibus monstraverit prævius ambulando, ad hanc eos noverit animare dignis sermonibus prædicando. Ideo cum de Paulo dixisset Dominus : « Vas electionis mihi est iste, » subjunxit : « Ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel (*ibid.*), » dans intelligi quia in illo esset non solum veritas sanctitatis, sed et sancta prædicatio veritatis, ut cum in abscondito cordis sui Deum veraciter adamaret, ipsum quoque Judæis et gentibus sermone congruo prædicaret. Nam qui ad diligendum Deum interius inardescit, si tubæ carens sonitu, sub torpenti silentio delitescit, sibi soli utcunque consulens, cæteris exhortatione necessaria non succurrit, et illis fugientibus (ut Isaias prænonet) cum aqua et panibus non occurrit. Ilic si in acie bellica dux constituitur aliorum, et in forti negotio cura ei committitur bellatorum, quantum illis prodest exerta fortitudine præliandi, tantum, imo plus obest non habens sonitum exhortandi.

CAPUT XLI.

Quod prudenter intelligens Aod judex filiorum Israel, cum adversus Moabitas vellet fortiter præliari, et ad idem prælium filios Israel efficaciter exhortari, « insonuit, inquit, buccina in monte Ephraim, descenderuntque cum eo filii Israel, ipso in fronte gradiente (*Jud.* III). » Videtis quia percepto signo judicis filii Israel congregantur, et ad sonum buccinæ amore præliandi viriliter animantur, quorum forte nullus vel rarus admodum convenisset, si ad bellum procedere judex cum silentio voluisset. Nunc vero quis e populo judicem non audiret, quis audito non diligentius obediret, cum ille et buccina fortiter personaret, et hoc in monte Ephraim ut idem sonitus clarius reboaret? Sicut in monte nonnunquam vexillum collocatur ut **581** longe lateque a pluribus et remotioribus videatur, sic etiam in monte, prudenti consilio tuba vel buccina conclamatur, ut idem clamor et melius et remotius audiatur. « Insonuit, inquit, buccina in monte Ephraim (*ibid.*) » Ephraim interpretatur *fructificatio*. In monte ergo frugifero, id est in fructuosa eminentia meritorum, in fructu et profectu operum excelsorum, bonus judex studet buccina personare, et ad grave discrimen prælii subjectum populum invitare. Cujus signum vel sonitum quia de valle sterili non procedit, dum suos auditores fructuosorum meritis operum antecedit, illi et annuunt, et audito diligentius obsequuntur, eumque præcedentem alacritate strenua prosequuntur. « Descenderunt, inquit, cum eo ipso in fronte gradiente (*ibid.*). » Iste et cum loquitur, vult cæteris esse sublimior, et cum progreditur nihilominus eisdem anterior, ne vel tacens silentii nocentis arguatur, vel indigne loquens, præsumptor et garrulus videatur, ne gradiens incurrat delicatæ vitium tarditatis, sed omnibus, in omnibus prætendat et ostendat condignam formulam sanctitatis. Hoc est quod Isaias mysterialiter videtur ostendere cum eum qui evangelizat in excelsum præmonet montem ascendere, tanquam evangelizandi ministerium nullus sibi debeat usurpare, qui illud habitatione infima elegerit deturpare. « Super montem, inquit, excelsum ascende tu qui evangelizas Sion (*Isa.* XL). » Quod si præcesserit in excelsum montem ascensio, non est arguendum si prædicandi sequatur præsumptio, quia illa prædicatio dignæ fortitudinis invenitur, quæ excelso montis cacumine præmunitur. Ideo illic sequitur : « Exalta in fortitudine vocem tuam (*ibid.*) » Cum enim prædicaturus in montem ascenderit, et quadam vivendi prærogativa quasi victoriæ signum levaverit, recte ab inferioribus longe lateque meretur audiri, qui primum vitæ merito studuit arduus et conspicuus inveniri. Unde alias idem propheta : « Levate, inquit, signum et exaltate vocem, levate manum et ingrediantur portas duces (*Isa.* XIII). » Si levatum signum, si vox clarius exaltata, et docendi manus, id est operatio fuerit elevata, duces nostri cum repulsa de prælio non redibunt, sed triumphantibus aquilis portas hostium introibunt. Ad vigilem eorum instantiam, ad instantem movet præsentiam, vectes oppositi relaxantur, vires hostium infirmantur, muri denique per circuitum funditus collabuntur, cuncta prius resistentia gravi excidio subvertuntur.

CAPUT XLII.

Quod Josue filius Naum in illo pulchre prælio figuravit, quo civitatis Jericho fortitudinem debellavit, ad quam debellandam non arcus et gladius inventi sunt prævalere, sed buccinæ sacerdotum præcipuum victoriæ titulum obtinere. Mandavit enim Josue ex præcepto Domini, ut septem sacerdotes cum buccinis arcam fœderis anteirent, et tam ipsi quam omnis exercitus civitatem Jericho per sex dies totidem vicibus circuirent, septimo autem die circuitum septies iterarent, et in circumeundo, non verbis sed buccinis personarent. « Circuite, ait, urbem semel per diem, sic facietis sex diebus; septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas quarum usus est in jubilæo, et præcedant arcam fœderis, septiesque circuibitis civitatem, et sacerdotes clangent buccinis. Cumque vox tubæ longior atque concisior increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, et muri funditus corruent civitatis (*Jos.* VI). » Hoc tubarum vel buccinarum sonitu illa nimirum locutio designatur, quæ proprio quodam et speciali modo prælatis et sacerdotibus assignatur; qui septiformis spiritus novam gratiam jubentur non silere, quorum grande præconium non posset adversatrix Jericho sustinere. Ductiles enim tubæ quibus isti personant sacerdotes, evangelica prædicatio est, quam apostoli et eorum proferunt successores; qui divino electi munere duces sunt plebium, et doctores, qui sermone ducto et producto, de abstrusa caligine sensuum mysticorum, in subjectis destruunt erectas et munitas moles et machinas vitiorum. Sicut autem per denarium lex data per Moysen plerumque figuratur,

quia in ea mandatorum decalogus litteraliter commendatur, sic per septenarium nostri, hujus temporis figuratur plenitudo, in qua per septiformem spiritum datur novæ gratiæ perfecta sanctitudo. In septenario quippe ternarius cum quaternario continetur, quorum alter alteri, ut septem faciant, adhibetur, cum per quatuor mundi plagas infunditur gratia tenendæ fidei, spei et charitatis, cum quatuor Evangelia evidenter fidem prædicant trinitatis; cum in homine quaternarius corporis ternario animæ subjugatur, et ipsa anima Deo adhærens, unus cum eo spiritus effici gratulatur. Ideo et sacerdotes septem, et tubæ septem, et dies septem, et septimi diei circuitus septem fuisse perhibentur, cujus virtute mysterii turres, et mœnia Jericho subvertuntur, in qua subversione, et sacerdotum chorus meritis invalescit, et subjectus Dei populus, adeptis victoriæ titulis hilarescit. Denique ille buccinæ assumuntur, quarum usus **582** est jubilæo. « Sacerdotes, inquit, tollant septem buccinas quorum usus est in jubilæo. » Jubilæum, Hebræi annum quinquagesimum nominabant in quo districtæ possessiones ad pristinos possessores ex præcepto Domini remeabant, in quo fiebat gratuita remissio debitorum, et reddita libertate absolutio servulorum. Et quia tot et tanta in illo anno beneficia redundabant, illum, ut dictum est, jubilæum, id est remissorium appellabant, et in eo tubis, vel buccinis mysterialibus personabant, optatæque remissioni clangore festivo consonabant. Nec solum in jubilæo sed in aliis quoque festivitatibus tubis mysticis utebantur, et dierum solemnitati clangore consono congruere videbantur, ut et præsentis festi gaudium his qui carnales erant, signis exterioribus demonstrarent, et spiritualiter intelligentibus futura spiritalia figurarent. Unde in Numeris : « Si quando, inquit, habebitis epulum, et dies festos, et Kalendas, canetis tubis super holocaustis et pacificis victimis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri (*Num.* x). » Et David : « Buccinate, ait, in neomenia tuba in insigni die solemnitatis vestræ (*Psal.* LXXX). » Quod in Numeris, Kalendas, hoc in psalmo neomeniam dicit. Neomenia dicitur *nova luna*. Nova autem luna Hebræi Kalendas, id est mensis habebant initium, in quo tubis clangentibus ex præcepto Domini rumpebant silentium; et cum sive illum sive alium diem festum juxta morem impositum celebrabant, ut eidem festo congruerent, vel potius ut mysterium texerent, buccinabant. Cujusmodi morem quem Synagogæ divina priscæ legis instituto delegavit, Ecclesia tempore gratiæ a se non penitus relegavit, sed tubas ductiles quibus illa illo in tempore personavit, ista in signa ærea formæ alterius commutavit. Quæ cum habet epulum, id est cum in altario corporis et sanguinis Christi conficit sacramentum, et illud per ministrorum manus dat spiritale fidelibus alimentum, cum diem festum agit, cum neomeniam, novum mensis celebrat incrementum, id est cum solemniter memorat depositum esse vitæ veteris detrimentum, et gratiæ perfectioris inchoatam plenitudinem vel augmentum, consuevit solemni jubilo signis æreis personare, quæ apud nos invenitur usus frequentior campanas nominare. Horum autem signorum tam celebre ministerium in Ecclesiis frequentatur, ut vix aliqua Ecclesia, vel monasterium habeatur, in quo sine hujusmodi signis fidelium populus convocetur, sine illorum præconio divinum officium celebretur. Sonantibus quidem illis torpentia noctis silentia dissipantur, dormientes alacritate vigili suscitantur, Ecclesiam ministri adeunt, ad celebrandum synaxim, vel laudes matutinas, forenses vero ad agendum opus manuum per diversas vigilant officinas. Illa sonant, et necessario quodam jubilo præloquuntur, isti cantu, vel opere injunctum sibi officium exsequuntur, eosque nocte vel die, confusa horarum ignorantia non molestat, dum illarum distinctionem signorum clamosa prælocutio manifestat. Horum autem clamor, horum est locutio tam sonora, ut circumquaque penetret aeris spatia longiora, et cum uno in loco constringente vinculo teneantur, clavo percussa ferreo longius audiantur. Non ergo inter præsentes solum, sed inter absentes etiam et hæc signa operantur, quia non visui, sed magis auditui, remoto silentio famulantur, quia sicut fit silentium cum auris dicitur nil audire, sic illud removeri, vel potius certum est deperire, cum ad proximos vel remotos invenitur sonora quævis locutio pertransire. Denique legalis pontifex cum orandi gratia Sancta sanctorum ingreditur, in tunica hyacinthina tintinnabula ferre præcipitur; ut cum ab his qui foris stant oppanso velamine nequaquam videatur, mystico tamen sonitu, vel sonoro mysterio significantius audiatur.

CAPUT XLIII.

Est tamen alia quædam signa nihilominus invenire, quæ inveniuntur magis visui quam auditui deservire, quæ tam proprie signa esse verborum perhibentur, ut plerumque non signa sed verba figurato loquendi genere nominentur. Sunt enim litteræ, quodammodo ligaturæ, quibus subjecta quævis planities exaratur, et prudenter conjunctis legendi series ordinatur. Unde juxta grammaticos littera, quasi legittera nominatur, eo quod per eam iter legentibus præbeatur, vel quia in ceratis tabulis antiqui scriptitabant, stilluris litteras nominabant. Prudens vero antiquitas, quæ sicut tempore sic etiam cura et providentia nos prævenit, hoc idcirco litterarum beneficium adinvenit, ut cum verba transitoria quisquam figere non valeret, ea scripto memori quodammodo retineret, dum eorum notas et signa membranis vel tabulis litteraliter exararet, et eisdem inspectis ad memoriam transacta revocaret. Inter quæ verba et signa verborum, id est litteras, tanta quidem affinitas invenitur, tanta affinitate significatum et significans devincitur, ut plerumque verba quæ ore proferimus, nominemus litteras translative, et e converso litteras, quæ scribuntur dicamus verba nihilominus abusive. Sic enim in

codice scripto verba esse plurima perhibentur, in quo tamen non verba transitoria, sed mansoriæ litteræ veraciter continentur, et qui verba Latina loquendo **583** protulerit, Latinas dicitur litteras protulisse, cum certum sit non litteras, quæ adhærent codici, sed verba transeuntia proferri potuisse. Denique cum Dominus Moysen filiis Israel præfecisset, eumque in monte Sinai quæ ab illis volebat fieri multis sermonibus docuisset, eorumdem sermonum seriem idem Moyses scripsisse perhibetur, ut non solum inter eos qui præsentes aderant legeretur, sed apud etiam postfuturos nulla oblivionis litura deleretur. Unde in Exodo : « Scripsit, » inquit, « Moyses universos sermones Domini (*Exod.* XXIV). » Et longe infra : « Cum per dies quadraginta Moyses jejunasset, ut secundo legem accipere mereretur, et ei Dominus in vertice montis familiariter loqueretur : Scribe tibi, ait, verba hæc quibus et tecum et cum Israel pepigi fœdus : et scripsit Moyses in tabulis verba fœderis decem (*Exod.* XXXIV). » Ex quo patet sermones seu verba quæ nimirum loquendo proferuntur, abusive pro litteris accipi quæ scribuntur, et litteras, quæ verborum signa sunt, a Domino commendari, dum eas in tabulis præcipit exarari. Multo autem ante Moysen, sicut Judas refert apostolus, Henoch septimus ab Adam prophetavit qui prophetiam suam diligenter litteras commendavit, volens ut ad posteros litterarum illa vehiculo transferretur, quæ scripta in præsenti vel nusquam vel in canone non habetur. Etsi enim tanti viri non contemnenda fuit auctoritas, ejus tamen scriptum jam prisca fecit suspectum antiquitas, dubitantibus rectæ fidei viris, utrum ab illo omnia essent scripta, quibus erat ejus nominis titulatio superscripta. Multi quippe multa scripto et litteris commiserunt, quibus non sua, sed aliorum nomina præmiserunt, ut vel scripta sua meliorum titulis confirmarent, vel majorum titulos scriptis reprehensibilibus infirmarent. Multi etiam, cum scripta majorum digna laudibus invenerunt, tabescentes invidia de suo aliquid immiserunt, injectaque fece turbaverunt inventam puritatem, et superseminantes zizania, obscurarunt tritici veritatem. Quia vero Scriptura Henoch ab hujusmodi libera suspicionibus ad posteros non pervenit, profecto apud eos auctoritatem canonicam non invenit, quia, etsi ille non nisi scriptor exstitit veritatis, tamen posteritas suspectas habuit tam multæ litteras vetustatis. Sive igitur hac de causa, sive qualibet alia, scriptura illius in canone non ponatur, eum tamen scripsisse nequaquam dubitatur, quia, ut dictum est, Judas apostolus hoc in sua Epistola protestatur qui in divinarum Catalogo scripturarum auctoritate canonica confirmatur. Utrum autem idem Henoch litteras primus invenerit, an ab aliquo priore inventas acceperit, ex Scriptura canonica non arbitror esse certum, quod tamen ab aliis utcunque litteris est compertum. Verum quisquis illas invenerit, nullus in Scriptura canonica isto anterior scripsisse comperitur, nullus prior inventum suum mandasse litteris tam veraciter invenitur, sed licet apud nos vel uspiam vel in canone inveniri nequeat ejus scriptum, tamen scribendi munus ei primo certius est ascriptum. Et recte eum, qui generationis ordine ab Adam septimus nepos erat, auctoritas canonica scripsisse primum asseverat, quia id muneris nulli est convenientius attributum, quam ei quem constat septem dona Spiritus sancti assecutum. Quod enim Henoch ad gradum generationis septimum legitur pervenisse, innuit eum septiformem spiritus gratiam invenisse, ut scilicet a timore inchoans, ad sapientiam meruerit promoveri, et sapienter doctus, doctor minus sapientium exhiberi. Denique spiritus ille Dei ob hoc forte digitus nominatur, quod per eum in tabulis cordium sapientia describatur, ipse internus scriptor, ipse nihilominus et scriptura, quam de cordibus electorum nulla delet superscriptio vel litura. Qui spiritus, cum prædictum Henoch gradatim promovens ad sapientiam sublimavit, suo eum officio novo quodam genere dedicavit, ut quod ille cordi hujus familiariter aspiraret, iste foris ad notitiam cæterorum legibiliter exararet. Scribit itaque ille interius calamo spiritali, scribit iste exterius ministerio litterali ; ille velut templo sibi dedicato cordi præsidet sapienti, iste velut dedicatus obsequitur Domino præsidenti. Cui rei convenit quod Henoch interpretatur *dedicatio*, quia cum quis ad tantam sapientiam promovetur, ut scribæ interiori et ipse scribendo conformetur, solemnis quædam et festiva dedicatio celebratur, dum scilicet obsequente calamo ipse scriba, vel regente scriba ipse calamus operatur. « Lingua mea, » ait propheta, « calamus scribæ velociter scribentis (*Psal.* XLIV). » Neque ut æstimo digne silentio præteritur, quod translatus idem Henoch nusquam inter homines invenitur, quia nullus hominum, qui scilicet non nisi humana et transitoria gaudet scire, eum assequi, eum prævalet invenire, qui scribæ interioris arcanum sanctuarium introire et ad ejus meruit sapientiæ cubiculum pervenire. Illa enim spiritualis sapientiæ sublimitas, quæ perfecto cuilibet est concessa, humana solummodo sapienti prorsus est inaccessa, quia dum ille spiritalibus studiis tanquam divinæ faciei abscondito serenatur, iste humanis et transitoriis actibus conturbatur. « Abscondes, » inquit, eos, in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum (*Psal.* XXX). » Recte igitur Henoch qui ab Adam progressu mystico septimus numeratur, qui inventa septima a conturbatione **584** hominum feriatur, recte, inquam, illi hujus gratia muneris et ministerium delegatur ut librum litteris texuisse ipse primus omnium canonico testimonio declaretur, etsi easdem litteras invenisse forsitan æstimetur. Congruum quippe visum est earum inventoribus, ut hoc signo non solum præsentes absentibus loqui possent, sed longe post sequentes præcedentium verba nossent, ut qui loquendi imo vivendi munere jam carerent, manente scripto suo post futuris legentibus vel audientibus non tacerent.

CAPUT XLIV.

Refert autem quidam Judaicæ scriptor antiquitatis, quod filii Seth, videlicet Enos et fratres ejus, patrem suum bonis moribus imitati ignavum otium relegantes, dederunt operam honestati, et quia multo tam studio quam ingenio viguerunt, arcana quædam scientiæ quæ latebant cæteros, invenerunt. Quæ cum nollent oblivione vel negligentia deperire, sed ad futurorum notitiam ostensione indelebili pervenire, duas sibi columnas, unam lateritiam, alteram vero lapideam aptaverunt, et in eis quod prudenter invenerant, conscripserunt. Audierant enim prædicente sibi avo suo Adam quod processus temporis malitiam hominum sic augeret, ut eam non æquo animo divina potentia sustineret, et ingravescente malo, grave humanis rebus exterminium immineret, humanumque genus una vice incendium, altera vero diluvium aboleret. Prudenti ergo usi consilio unam, ut dictum est, lateritiam, alteram lapideam voluerunt sibi columnam præparare, et eis novam scientiam scripto durabili commendare, attendentes quia si diluvio inundante, solvi lateritia cogeretur, lapidea indissolubilis haberetur, et si solvi lapideam ignis angustia perurgeret, lateritia patiens ignium, inviolabilis permaneret. Et ita profecto inventum suum arbitrati sunt posse posteris exhiberi, cum eorum Scripturam primo contingeret exterminio non deleri, incerti quidem utrum incendium an diluvium primitus inferretur, certi autem quod imminente altero diutius alterum differretur. Constat autem istos litteras habuisse qui suam in columnis perhibentur scientiam conscripsisse, et forte ipsi easdem primi litteras invenerunt, qui homines illius temporis nova scientia, nova sciendi diligentia prævenerunt.

Prima igitur ætas illa cui nisi unum labium, nisi una lingua non adfuit, et præsentibus consulens et sequentibus providens, litterales sibi notas instituit, ut verbi transeuntis et veloci transitu pereuntis quoddam exarabile et durabile haberet monumentum et derivatione perutili transiret ad posteros hoc inventum. Illud vero labium sive lingua qua illo in tempore populus utebatur, nullo speciali nomine censebatur, quia dissimilis alia nusquam gentium adhuc poterat inveniri, ad cujus distinctionem suo ista vocabulo deberet insigniri. Sic et litteras quas illa sibi ætas primitus exaravit, nullo ut abitror per id temporis vocabulo nominavit, sed litteræ simpliciter dictæ sunt vel scriptura, multo post tempore distinctum vocabulum habitura. In secunda enim ætate, cum de oriente profecti filii Noe, campum in terra Sennaar invenirent, et in eo ad ædificandum famosam illam turrim diligentius operam impertirent, obviante divina justitia linguarum multitudine sunt confusi, et cassato proposito sejuncti ab invicem longe lateque per gentes et familias sunt diffusi. Et quia in familia Heber pristina lingua mansit, in qua et antea divini cultus religio aliquantulum fuerat et permansit, sicut ab illo Heber familia ejus dicta est gens Hebræa. In hac autem Hebræa gente et lingua, quæ divisæ ab aliis exstiterunt inventæ pridem litteræ perstiterunt, et qui sibi distinctum hoc vocabulum successione quasi hæreditaria tenuerunt, sicut Hebræam linguam, sic et Hebræas litteras habuerunt. In secunda igitur ætate fuisse quidem litteras apud Hebræos scimus; non tamen qui eorum scripserint, vel quæ scripta reliquerint, comperimus, et vel tota illa ætas a faciendo libros siluit et quievit, vel occulto nobis consilio factus antiquitas abolevit.

Tertia vero ætas quæ ab Abraham inchoavit scriptores nobis peritos et authenticos ministravit in qua Moyses a filia Pharaonis inventus est et nutritus, et processu temporis omni sapientia Ægyptiorum ad unguem eruditus. Per cujus manum Deus filios Israel liberavit, et in eremo collocatos mandatis legalibus informavit, præcipiens ut ejusdem verba legis litteris mandarentur, ut adminiculo litterarum indelebili memoria tenerentur. Quod scribendi ministerium eidem Moysi delegatur, ut qui ductor est populi, doctor etiam habeatur, quia et qui ducem se exhibet, debet subditis doctrinæ pabulum impertire, et doctori nihil magis arbitror expedire quam ipsos quos erudit, virtutum meritis anteire. Ducit ergo et docet Moyses populum animalem, et ex præcepto Domini mandat litteris doctrinam spiritalem, ut non solum qui præsto aderant præsenti commonitorio docerentur, sed etiam qui longe post lecturi fuerant, præscriptam regulam sequerentur. Voluit autem Deus et præcepta informandis necessaria moribus litteris exarari, et mundi conditionem ad notitiam præsentium revocari, **585** ipsique Moysi quæ præterita fuerant prophetico spiritu revelari, et ab eo tam præsentibus quam sequentibus rerum seriem litteraliter enarrari. Post Moysen, Josue filius Nun eumdem populum Domino præcipiente duxit, et in terram promissionis, quod Moysi negatum fuerat, introduxit, ibique decem tribubus in funiculo distributionis hæreditatem divisit, et eadem gesta sua premi silentio non permisit. Assumpto enim et ipse calamo litterales apices exaravit, et magistrum minister imitatus, rerum historiam ordinavit, commendans scripta, quæ et grata præsentibus et utilia posteris judicavit, in quo non solum res gestas explicavit, ut memoria tenerentur, sed profunda signavit mysteria, ut subtili gratius intelligentia caperentur.

Post id temporis, judicum series et eorum opera describuntur, qui in eadem ætate tertia fuisse cognoscuntur, quorum forte notitiam de medio pridem oblivio sustulisset, si mandata scripto memori non fuisset. In ætatis hujus prolixo tempore quo nostra hæc facta esse Scriptura comprobatur, quæ prima apud nos auctoritate canonica roboratur, populi gentium sibi litteras invenerunt, et earum scientia nonnulli apud eos primitus claruerunt.

Ante quidem quam in Ægypto Moyses nasceretur, cum Isaac in terram Chanaan geminorum Jacob et

Esau jam pater haberetur, Argivis, id est Græcis primus rex Inachus præfuisse, et post ipsum Phoroneus filius ejus legitur imperium tenuisse. Filia vero ejus Io quæ alio nomine Isis est appellata, illustris quidem genere, sed ingenio plurimum illustrata, egressa fines Græciæ in Ægyptum devenit, ibique late et juste imperans, primum litteras adinvenit. Visum est enim illi quod non solum elegans, sed et necessarium haberetur, ut alter alteri nonnunquam in silentio loqueretur, et remote ab invicem cum verba mutua non audirent, secreta voluntatum mediantibus litteris aperirent. Quod quia Ægyptiis non mediocriter fuit gratum, præsertim cum id muneris nullus adhuc, vel rari scirent gentibus esse datum, eamdem Io, vel Isidem et mortuam, prout decuit, doluerunt, et post mortem velut deam errore devio coluerunt. Tanti siquidem beneficii esse non immemores voluerunt, et ideo templum illi devotione misera construxerunt, in quo et ad repræsentandam illius memoriam, voluerunt simulacrum adhibere, cui suas decreverunt preces et hostias exhibere. Hoc autem simulacrum sic prudenti sunt consilio fabricat, ut ori suo digitum superponere videatur, per hoc innuens quoniam ipsa Io, et loquendi superfluum devitasset, et magistra discipulos ad silentium invitasset; ob hoc enim credita est litteras invenisse, et eos quibus præerat arcem litterariam docuisse, ut cum vellet quis vel occulta præsentia manifestius indicare, vel ad memoriam quævis præterita revocare, non semper cogeretur verborum strepitum adhibere, sed tacente lingua posset litteris elegantius id explere. Denique noverat prudens regina quod indecentius nil habetur, quam si rupto silendi repagulo mulier verbosetur, et ea judicio prudentium argui promeretur, quæ maxime prudentibus viris audiri frequentius non meretur. Unde Apostolus ad Corinthios : « Mulieres, inquit, in ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, turpe est enim mulierem loqui in ecclesia (*I Cor.* I). » Et ad Timotheum : « Mulier, ait, in silentio discat (*I Tim.* II). » Salomon (*Prov.* VII) etiam cum in Proverbiis ducit in medium mulierem impudicam, et incauto juveni dolis et blanditiis inimicam, de hoc inter cætera illam arguere comperitur, quod silentio non astricta, sed garrula, et quietis impatiens invenitur. « Ecce, ait, occurrit illi mulier ornatu meretricio, garrula et vaga, quietis impatiens. » Quia ergo regina cum inter plurimos versaretur, incongruum tamen dixit si inter eos loqui frequentius audiretur, pulchre silentio studuit diligentiam adhibere, et occurrentia quævis negotia non tam verbis quam litteris adimplere, ut patenter ostenderet non se loquaci procacia turpiter infrunitam, sed modeste et gnaviter, honeste et gnaviter eruditam. Cujus prudentia ut ad memoriam revocetur, et ad silendi modestiam quisque intuens invitetur, simulacrum illius, quod verbo quidem hujusmodi mandatum non imponit, ut id tamen significet, ori digitum superponit.

CAPUT XLIV.

Vel forte illud simulacrum ori suo digitum non superponere, sed apponere perhibetur, ut per id, non silentium, sed locutio figuretur, ut scilicet quemadmodum digiti superpositio invenitur locutionem reprimere, sic eam appositio figuraliter sciatur exprimere. Quia enim Io cum aut videri loquax aut garrula modeste recusaret, aut voluntatem suam remotis quibuslibet nuntiare verecundius affectaret, novum quoddam loquendi genus dicitur invenisse, quod constat Ægyptiis non mediocriter placuisse; hoc in ejus simulacro iidem Ægyptii signaverunt, cujus ori digitum non superponere, sed apponere voluerunt. Per os quippe convenienter locutio figuratur, quia oris instrumento locutionem proprie fieri non negatur, et ipsa litterarum exaratio quædam esse locutio perhibetur, quamvis non ori, sed manui **586** exarandi officium assignetur. Cum ergo statua Isidis suum digitum ad os ponit, quibusque intuentibus forte, ut prædictum est, silentium non imponit, sed hoc indicio ad memoriam vult redire, quod regina prudens Io quoddam loquendi genus studuit invenire. Quod inventum rudes Ægyptios erudivit, et a propriis ignorantiæ maculis expedivit, dum hujus beneficio plurimum excitati quorumdam altitudinem secretorum subtilius et diligentius sunt scrutati. Adepti enim litterarum honestam et necessariam notionem accinguntur præcipue ad investigandam siderum rationem, et quod inde subtili diligentia, et diligenti experientia priores perceperunt, ut ad cæteros eadem sententia largius deveniret, litteris mandaverunt. Sic amore sciendi, et studio legendi profectum capientes, processu temporis fiunt Ægyptii sapientes, et præ cæteris nationibus quodammodo in cœlestia se extendunt, dum stellarum et cursus, et stativas, et domicilia deprehendunt. Cujusmodi scientiam tanto studio inventi sunt nonnulli appetisse, ut viderentur, juxta Prophetam (*Psal.* LXXII), velut in cœlum os suum potuisse, et propter astrorum notitiam quam utcunque assequi perhibentur, periti hujus artis, passim astrologi dicerentur. Præcipuus quorum magnus Atlas ille astrologus fuisse memoratur, de quo poetarum mendosa garrulitas fabulatur, quod tanta et tam fortis ejus fuerit magnitudo, ut in ejus humeris cœli recubuerit altitudo. In quo nihil aliud debere intelligi prudentes arbitrantur, qui plerisque fabulis sensus inesse mysticos attestantur, quam quod in illo viro tantam certum est scientiam exstitisse, ut sublimem astrorum notitiam crederetur præ cæteris attigisse.

Cujus ille mirus artifex Prometheus frater erat, quem de luto formasse homines error gentilium asseverat, non satis intelligens falso cuiquam hominum tale quid assignari, cum hoc potuerit solus Deus, non Prometheus operari. Verum quia illo adhuc tempore infinita erat stultorum multitudo, quos velut platea lutum, larga ignorantiæ tenebat hebetudo, prudens ille Prometheus nonnullos colli-

gens de medio imperitæ et stolidæ nationis, prudentem illis doctrinam velut formam humanæ impressit rationis. Dumque illos rudes et inconditos erudivit, et in suo auditorio prudenti eos artificio ad unguem expolivit, digna sciendi norma velut humana forma reddidit luculentos, quos invenerat grossa et deformi lippitudine lutulentos. Cum autem isti fratres, Atlas et Prometheus multa scientia præpollerent, et ad docendum cæteros non parvam diligentiam adhiberent, natus in Ægypto Moyses, in carecto fluminis est projectus, et inde a filia Pharaonis misericorditer est susceptus, nutritus ab ea, omnem Ægyptiorum sapientiam processu temporis est adeptus.

CAPUT XLV.

Longe vero post Isidem, Phœnices, ne litterarum immunes haberentur, et inferiores Hebræis vel Ægyptiis viderentur, novos et ipsi fecerunt apices et figuras, locutioni suæ et memoriæ profuturas, ut scilicet verba seu voces præcipitio transitorias naturali, fixas et stabiles loramento redderent litterali. De quibus poeta quidam :

Phœnices, ait, *primi, famæ si creditur, ausi*
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Quod inventum Cadmus Agenorides in Græciam deportavit, ibique decem et septem Phœnicum litteras declaravit, cujus gratum Græci magisterium habuerunt, et ab eo sciendi et legendi scientiam et consuetudinem acceperunt. Quia vero hujusmodi litteras primi Phœnices invenerant, qui docente Cadmo Græco didicerant, placuit eisdem Græcis librorum suorum initia colore phœniceo decorare, et hoc signo acceptum beneficium ad notitiam revocare. Cujus rei consuetudo apud Græcos primitus inolevit, et usque in hodiernum vetustas eam temporis vel oblivio non delevit, imo ad nos usque perveniens tam generaliter celebratur, ut vix scribatur liber, cujus non principio color phœniceus apponatur. Post eas vero litteras quas inventas a Phœnicibus Cadmus, Græcis, ut prædictum est, notas fecit, Palamedes belli Trojani tempore alias tres adjecit, et post eum Simonides alias quoque tres dicitur invenisse, quibus junctis prioribus, viginti trium litterarum numerum complevisse. Harum beneficio litterarum cœpit habere litteratos Græcia sapientes, qui scientiæ acquirendæ curam diligentius impendentes, deorum laudes quibus errore delusi vario servierunt, ad dilatandam eorum memoriam studiose litteris commiserunt. Et quia studium eorum fuit verbosa de diis carmina fabricari, theologi meruerunt generaliter nominari, gratum habentes tale sibi vocabulum assignari, in quo posset eorum quasi divinum officium designari. Quorum priores et antiquiores Orpheus, Linus, Musæus fuisse referuntur, qui suis contemporaneis fama et scientia præferuntur, quorum labore litterario, diis falsis laudes et carmina deferuntur, et hominibus erroneis documenta placita conferuntur. Eo autem tempore quo poetæ in Græcia claruerunt et famæ testimonio litteralis artem scientiæ tenuerunt, in terra promissionis jam populus Israel versabatur, ibique a judicibus, et, **587** ut quidam æstimant a Debbora judice regebatur.

Post eos poetas quod diximus theologos nominari, quia elegerunt de diis suis præcipue fabulari, fama quoque scientiæ illa Sibylla Græciam illustravit, quæ de Christo plurima, veridico afflata spiritu, prophetavit. Decem autem Sibyllæ litteris fuisse gentium asseruntur, quarum tres assertione posterorum non parvis laudibus efferuntur, quæ merito litteralis scientiæ, viris illius temporis non solum conferri, sed multorum testimonio inveniuntur veraciter pluribus anteferri. Una illarum trium, Erythræa, altera Cumæa, tertia vero Samia fuit, quarum Erythræa, sive ut quidam magis æstimant, Cumæa illam prophetiam dicitur texuisse in qua videtur Christi adventus, passio, resurrectio, extremumque judicium claruisse. Et hæ quidem Sibyllæ per id temporis fuerunt, per id temporis litterari scientia claruerunt, quo ea quæ a David sumpsit exordium, ætas mundi jam quarta volvebatur, et populus Israel sub regum imperio tenebatur. Eo tempore Sibylla Erythræa fama sua Græciam illustravit quo rex Achaz sive, ut quidam aiunt, Ezechias ejus successor Judæis imperavit. Samia vero Sibylla postmodum fuisse perhibetur, cum jam a Manasse filio Ezechiæ Judæa regeretur. Post Erythræam quoque Sibyllam perhibetur. Thales Milesius surrexisse, qui unus, et primus septem Græciæ sapientium dicitur exstitisse, et pollens in physica per id temporis claruisse, quo et Judæa lætabatur prædicto Ezechia justius imperante, et Roma recens condita Romulo dominante. Post Thaletem Milesium sex alii fuisse memorantur, quibus illo priore addito septem sapientes Græciæ nominantur, et isti sex illo claruisse tempore perhibentur, cum jam filii Israel Babylonia captivi tenerentur. Horum autem nomina sunt hæc : Pittacus Mityleneus, Solon Atheniensis, Chilo Lacedemonius, Periander Corinthius, Cleobulus Lydius, Bias Prieneus. Isti quia vita et scientia cæteris sunt prælati, generali quodam vocabulo sophi sunt appellati, nondum usu obtinente, ut qui docti litteris haberentur, ad distinctionem multitudinis imperitæ philosophi dicerentur. Dicti sunt etiam sophi, quod Latine dicitur *sapientes*, Anaximenes, Xenophanes, Thaleti Milesio succedentes, quin perscrutando rerum causas et naturas, eumdem magistrum imitantur, in suo tamen sensu abundantes singuli diversa plurimum opinantur. Qui et ipsi litterali scientia eo tempore claruerunt, quo filios Israel captivos Babylonii tenuerunt, quo et Pythagoram claruisse in ea parte Italiæ memoratur, quæ nunc vicina Græciæ, tunc Magna Græcia dicebatur. Qui cum humilitatis gratia sophum, id est sapientem nollet se profiteri, attendens quamplurimos dici sophos potius quam haberi, primus se philosophum, id est *amatorem sapientiæ* nominavit, quo nomine

non ipsam rem, sed amorem sibi rei modestius arrogavit. Quod dictum cum ad cæterorum notitiam deferretur, cunctisque modestum et humile, et huic professioni congruum videretur, apud eos gratus et elegans mos est inolitus, qui ex tunc et deinceps vetustate temporis non est abolitus, ut qui flagrans amore litterarum, earum scientia præpolleret, non jam sophi, sed philosophi sibi vocabulum obtineret.

Novus iste philosophus, novam Y litteram adinvenit; in cujus forma illud innuit figurate, quod indiscreto judicio prima vivitur in ætate qua finita quoddam quasi bivium invenitur, dum vel ad dexteram prudentiæ, vel ad sinistram stultitiæ devenitur. Quarum sinistra, prius lata, et spatiosa grato lenocinio voluptatis ad finales tendit angustias, concupitæ merito pravitatis, dextera vero prius B arcta et angusta, gravi quadam facie vel initio sanctitatis levigatur in profectum, et transit ad perfectum diffusæ charitatis. De quibus Salomon : « Vias, » ait, « quæ a dextris sunt, novit Dominus, perversæ autem sunt quæ a sinistris sunt (*Prov.* IV). » Ob hoc hujus litteræ sinister ramusculus a latitudine inchoans, angusto exitu terminatur; dexter vero prius angustior ad ultimum dilatatur, quia et angustiis pœnarum clauditur lenocinantis injustitiæ gratitudo, et arctum itèr justitiæ grata præmiorum excipit latitudo.

In hac ætate quinta, quam a captivitate Babylonica Matthæus asserit inchoari, et per annos plurimos protelatam in adventu Dominico terminari, anta inter Græcos philosophorum copia redundavit, C tantus illos scribendi amor, et studium occupavit, ut præ cæteris nationibus ea regio litteris refulgeret, et ejusdem regionis cæteris civitatibus Athenarum fama celebris præemineret. Athenis enim scientiæ quasi gymnasium habebatur, in quo nuda philosophorum agilitas indefesso exercitio luctabatur, ibi fornax, vel caminus, incudo, malleus, officina, quorum ope vel opere cudebatur philosophica disciplina. Illic quippe Socrates, illic Plato indigenæ miro pollentes ingenio sunt nutriti, illic miro ferventes studio apprime litteris eruditi : illic Platonis academia disputantium strepitu reboavit, unde feraci germine Platonicorum docta posteritas pullulavit. Ad hanc ergo civitatem, hinc inde D curiosius confluebant qui plenius informari litteris cupiebant, arbitrantes quod ad unguem litteris scientia non veniret, quam Atheniensis lima non diligentius expoliret.

588 CAPUT XLVI.

Post Græcos, quorum scientia, ut dictum est, in civitate floruit Athenarum, ad Latinos usus transiit litterarum, et Carmentis nympha gratum illis beneficium impertivit, dum illos adhuc rudes novis litteris erudivit. Ipsa quidem nympha quæ Nichostrata proprio nomine vocabatur, Carmentis vero quoque carminibus ventura loquebatur, prima decem, et septem, ut aiunt, Latinis litteras tradidit, quibus

A illi verba sua et locutiones varias texuerunt, eoque numero non contenti processu temporis alias addiderunt. Nam *h* et *k*, et *q*, et *x*, quas prudens mulier non creditur invenisse, docta posteritas dicitur addidisse, ut quia nonnunquam insufficiens mulieris videbatur inventum, invento sequenti conveniens fieret supplementum; *y* vero et *z* litteræ sunt Græcorum, quas mutavit sibi voluntas potius quam necessitas Latinorum, videlicet ut cum in locutione Latina Græcis aliquando nominibus uterentur, eadem Græca nomina prædictis Græcis litteris scriberentur. Hebræi ergo viginti et duas litteras, Græci vero viginti et quatuor habuerunt. Latini vero inter utrosque velut quoddam medium tenuerunt habentes quidem viginti et tria, quibus scripturas suas B texerent elementa, quorum quædam a prædicta muliere, quædam a cæteris sunt inventa. Cujusmodi elementa vel litteræ cum processu temporis ad plurimorum notitiam devenerunt, et eis longe lateque studiosi quique doceri voluerunt, Romæ tandem præcipue hæc doctrina, et multorum frequentia convenarum doctrinæ hujus incanduit officina. Sicut enim Athenis Græcarum litterarum fons quidam et exuberans exstitit plenitudo, unde fluxit et effulsit doctorum non parva multitudo, sic et Romæ Latinarum efferbuit scientia litterarum, concurrente et studente multa illic copia poetarum. Illic quippe multa eis scribendi materia præbebatur, illic eorum studio merces placita reddebatur, illic eorum fama laude celebri vulgabatur, dum quod pugnantium agebat strenuitas, istorum facundia copiosus loquebatur. Erat autem summum Romanis propositum manu forti nationes exteras expugnare, expugnatis potentialiter imperare, non tam majores auri divitias ambiendo, quam summam imperii dignitatem, ut scilicet, mundi caput et dominam suam constituerent civitatem. Unde quidam eorum auri pondera vilipendens, laudemque victoriæ, et victoris dominum magnipendens liberalem animum, non substravit aurum, et divitias possidenti, sed responsum elegans protulit offerenti. « Romani, » ait, « non quærunt aurum, sed imperare habentibus aurum. » Hæc et hujusmodi, qui vel dicebant, gnaviter scripto commendari amatores gloriæ cupiebant, ut eorum memoria et in præsentiarum ad longe positos deferretur, et imposterum nulla oblivionis fuligine deleretur. Hoc propter labori litterario certatim scriptores insistebant, et tam acta quam dicta nobilium efferre laudibus contendebant, recipientes et stipendia pecuniarum, quibus temporaliter indigebant, et inanis gloriæ titulum quem plerumque avidius et vehementius appetebant. Hujus mercedis intuitu non solum doctiores, sed et minus docti ad scribendum publice prorumpebant, et non tenentes modum, velut ranæ in paludibus garriebant, nihil turpius æstimantes quam habere quantulamcunque scientiam litterarum, et non etiam libros conscribere, et includi numero poetarum. Quos attendens quidam ad scribendum

passim velut ad nundinas currere vel indictum, irrisorium illis incutit maledictum, ut quos a præsumpta procacia non sufficit imperfecto cohibere, satyrica saltem irrisio confundi faciat et silere :

Occupet, inquit, *extremum scabies, mihi turpe relinqui.*

Tot et tales scribendi sibi officium usurpabant, et loqui nescientes, premi silentio recusabant, ut etiam his quibus inerat scientiæ major perfectio, non mediocriter displiceret imperitorum tanta præsumptio. Verum tam periti quam imperiti extorres divinæ veritatis, et, vel non cognoscentes Deum, vel utcunque cognitum non sequentes affectu charitatis, scripta sua satis commendabilia non reddebant, dum in eis Deo vero placere nullatenus appetebant. Obcæcatum quippe infidelitatis caligine habentes intellectum, a perfecto discernere non noverant imperfectum, sed eos solum dignos laudibus asserebant quos in scriptis suis et excogitare subtilius, et loqui ornatius attendebant. Nulli quidem vel rari admodum vero lumine radiati, dignum testimonium deferebant æternæ veritati, et cum multi labore litterario diligenter exerceri, paucis eorum datum est Deum perspicacius intueri.

Inter cætera quæ vates illa Sibylla multo studio scriptitavit, et scribendo multis perplexitatibus implicavit, ut asserunt qui legerunt, est quædam invenire quæ videntur Christo Deo et homini convenire. Quæ proæcto huic opusculo inserere recusavi, quia eorum prolixitatem gravem fore auditoribus æstimavi, et si forte vel audire vel legere diligentius ea vultis, in promptu vobis erunt quorumdam catholicorum voluminibus revolutis. Ille quoque poeta (Virgilius) nobilis qui eversionem aggressus est Trojanorum, **589** et seriatim recensere priscam originem Romanorum, sentiens sibi tenuem veritatis radium sublucere, perceptum igniculum sub silentio noluit cohibere.

Nate, ait, *meæ vires, mea magna potentia solus.*

Et alibi :

Jam nova, inquit, *progenies cœlo dimittitur alto.*

Quæ nimirum de Christo mysterialiter dicta esse nonnulli arbitrantur, quamvis historialiter aliis alludere videantur, quia nulli dubium sic de Christo plurima prædicari, ut certum sit eadem aliis juxta litteram assignari. Cæterum quia hi poetæ vel prophetæ non sunt fidem sinceram assecuti, sed nescientes quid dicerent (ut in passione Caiphas) sunt locuti, divina censura loquaces eorum litteras non satis approbavit, quos a fide alienos vitæ merito reprobavit. Sive igitur de Deo quidquam obscurius seu forte lucidius eorum loquacitas prædicavit, eos summus ille judex dignos premi silentio judicavit, qui, etsi pleraque vera et Deo congrua prædixerunt, tamen quia expertes fidei prophetarum digni officio non fuerunt. Dicunt nonnulla quæ veritati videntur convenire, et tamen eos jubet eadem veritas obmutire, velut cum dæmones laudes Christi dicere permittuntur, et tamen a proposito in dicto silentio reprimuntur. « Scio, » ait, « te qui sis Sanctus Dei. » Et ille : « Obmutesce, » inquit, « et exi ab illo (*Luc.* IV) » Et infra : « Exibant, » inquit, « dæmonia a multis dicentia : Scimus qui sis Filius Dei, et increpans non sinebat ea loqui (*ibid.*). » Quod si jubentur obmutescere qui testimonium deferunt veritati, quia in deferendo, non fidei charitas, non fides jungitur charitati, quanto magis a loquendi profluvio recto judicio repulsantur, qui falsa, qui erronea, qui Deo contraria verbosantur. Recte igitur philosophi gentium tam Græci quam Latini, qui multis scriptis et variis personabant, et errore seduci vario eidem labore litterario consonabant, tuba evangelica intonante vehementius sunt repressi, et velut ranæ, audito tonitruo latibulis palustribus sunt immersi. Non immerito Jacobus et Joannes filii Boanerges, id est filii esse tonitrui perhibentur, quibus intonantibus ranæ garrulæ perterrentur et ad istorum litteras philosophica loquacitas obstupescit, et oppressa clamore valido silet penitus vel raucescit. Assertores enim catholicæ veritatis tam subtilia, tam sublima sunt locuti, doctrinamque salutarem tanta virtute Spiritus, tanta constantia prosecuti, ut audientes ethnici mirabiliter obstuperent, non habentes quid auditis rationabiliter responderent. Et quoniam profunda mysteria nullo intelligentiæ hauritorio comprehendunt, obstinati et miseri, doctores catholicos reprehendunt, æstimantes eos quos audiunt nova et mirifica more fluminis effutire, sensu devio velut arreptitios insanire.

Cum Paulus coram Festo præside et rege Agrippa accusatus graviter disceptaret, et verba sua invincibili Scripturarum testimonio roboraret, Festus mirans tam terribiliter illum, tam volubiliter intonare, nec habens in quo posset huic tonitruo efficaciter obviare. « Insanis, » ait, « Paule, multæ litteræ ad insaniam te adducunt. » Et ille : « Non insanio, » inquit, « optime Feste, sed veritatis et sobrietatis verba loquor (*Act.* XXVI). » Et paulo post Agrippa : « In modico, » inquit, « Paule, suades me Christianum fieri (*ibid.*). » Tanta Paulo litterarum erat scientia, et ante reges et præsides disserendi tanta constantia, ut eum ab incœpto nullus timor illorum deterreret, et ei disserenti quisquam resistere loquendo non valeret. Ideo verba ejus quibus adversariis constanter resistebat, et ad insinuandam illis fidem catholicam fortiter insistebat, prudenti consilio voluit Deus ut litteris mandarentur, ut non solum ad notitiam eorum qui tunc erant, sed et qui post futuri erant, scripti beneficio transferrentur. Sicut enim ethnicorum scripta Christus adveniens voluit tenebrare, et antiquum florem decutiens nocturno silentio deputare, sic apostolos virosque apostolicos, quos perfudit catholicæ fidei quasi lumine matutino, ad loquendum et scribendum excitavit quodam vehementis spiritus incentivo. Qui quo magis fide et operibus enitescunt, eo ad scribendum vehementius incandescunt, prout cuique suam Deus gratiam impertivit, et non solum ad vivendum, sed etiam

ad scribendum donis eum spiritualibus erudivit. Processu ergo temporis multi multa Evangelia conscripsere, quorum divino consilio meruerunt quatuor præeminere, quæ et exquisita veritas auctoritate canonica roboravit et sacrato mysterio quaternarius numerus commendavit. Præterea tractatus, epistolas, sermones, homilias et cætera genera Scripturarum multi scribere sunt aggressi, ferventes studio litterarum, et quo amplius de die in diem fides ubique gentium dilatatur, et donante gratia fidelium numerus augmentatur, eo plures ad scribendum diversis locis et temporibus accinguntur, et divinæ laudis magnalia tam Græcis quam Latinis litteris multipliciter efferuntur. Cum autem multa fortitudine et forti multitudine catholicorum scripta veracia solemniter invalescunt, ethnicorum vanitates, et insaniæ mendaces segniter elanguescunt, et illa velut ad meridianum axem festinantia profectu prospero dilucescunt, istæ gradu occiduo profunda noctis caligine tenebrescunt. Catholicorum litteras alacris vigilantia commendabiliter insignire, ethnicorum vero torpens festinat ignavia consopire, dum ad illas scribendas vel legendas fidelis **590** quilibet dignam vult sollicitudinem impertire, ad istas somno gravi, contemptu probabili jubetur obdormire. In quibus si forte catholicus videtur aliquando velut graves oculos aperire, dum in eis aliquid honestati congruum, utile moribus æstimat invenire, et si legit, non tamen elegit affectu voluptuario illarum tenebris adhærere, sed quæ bona sunt colligit, et collecta diligit ad usus sibi congruos detorquere. A catholicis autem scripta gentilium vel non legi, vel hoc intuitu debent legi, ut scilicet quod in eis falsum est et inutile, nequaquam diligatur, quod vero utile, velut granum a paleis eligatur. Quod quidem in omnium fere notitiam certum est devenisse, et ad hoc processu temporis cernimus rem venisse, ut jam inter ethnicos nulli vel pauci admodum scriptores habeantur, et illorum scripturæ veteres a religiosis nunc catholicis vix legantur. Tanta quippe catholicorum scribentium coaluit et prævaluit multitudo, tanta in eorum scriptis apparuit et complacuit sanctitudo, ut scriptoribus ethnicis videamus silentium merito jam imponi, et nostrorum nova scripta scriptis illorum veteribus anteponi. Neque incongrue nostris temporibus ethnicorum litteræ siluerunt, et tuba ecclesiastica repercussi scriptores ethnici tacuerunt, quia non proficere sed deficere debuit præsumptum ædificii munimentum, cui religiosa veritas non præbuit nobile et immobile fundamentum, sed inflata vanitas et supposuit et superposuit fallax et instabile blandimentum. Illorum vero intelligentiæ merito, cœlestis gratiæ sunt mysteria deoperta, et janua scribendi plerisque intelligentibus est aperta, qui scientiæ et sapientiæ studium impendentes, quæ retro sunt, anteriorum intuitu, diligunt obliviscì et suam suorumque salutem operantes, Deum principaliter adipisci. Et hi profecto non solum scribere quæ senserint permittuntur, sed etiam premi silentio non sinuntur, ne, si possunt et negligunt talentum duplicatum reddere creditori, arguantur et tradantur ad æternum interitum exactori. Quamvis enim nullo defuerint vel defuturi sint tempore detractores, qui dente satyrico mordent et lacerant hujusmodi tractatores, non tamen sic illorum jubetur malevolentia pertimeri, ut istorum debeat a scribendo benevolentia coerceri.

Si doctorum series a modernis sursum versus, usque ad apostolos revolvatur, quorum innumera multitudo, et simul post invicem fuisse memoratur, vix eorum quisquam, ut æstimo, poterit inveniri, tam felicem statum temporis habuisse, ut veraciter gauderet se nullum detractorem, nullum æmulum pertulisse. « Satis, inquit æmulus, patres nostri antea dictaverunt, digno satis studio Scripturas canonicas discusserunt, quorum subtilitas sufficiens exstitit ad scribendum et sufficientia nobis contulit ad legendum. » Quid opus est scriptores novos iterum scriptitare, et famæ ventilabro suam scientiam jactitare, tanquam secreta Scripturarum non pervenerint ad priores, sed intellectu lynceo tandem ea isti videant juniores? Sic et sic nonnulli detrahentium obloquuntur, et scriptores sui temporis venenosis oblocutionibus persequuntur, ut vel eos hujusmodi gravatos injuriis revocent a scribendo, vel eorum saltem scripta reddant contemptibilia, detrahendo. Nostis quemdam nostri ordinis, qui cum Cantica canticorum exponere jam cœpisset, et super eorum paucos versiculos, libros fere quatuor perfecisset, non modicum volumen expleterus eo tenore quo cœperat, usque ad terminum perduxisset, idipsum vero quod scripserat, paulo immaturius voluit forensibus legendum exhibere, sperans forte labori sibi grato cæteros etiam adgaudere. Quo comperto nonnulli graviter id tulerunt, et in eum succensentes, tam opus quam opificem irriserunt tanquam juxta quemdam ethnicum, tertium e cœlo Catonem viderint cecidisse, vel juxta nostras litteras, Saulem inter prophetas Domini præcipitem irruisse. Graves quorum molestias cum novus iste scriba æquo satis animo non sufferret, et silere quam patere illorum morsibus anteferret, opus inchoatum projecto calamo non perfecit, assumptoque sibi silentio suis detractoribus satisfecit. Enimvero divina bonitas cum nostris majoribus suam voluit gratiam impertire, eisque prompta manu sciendi et scribendi januam aperire, sicut multos illis contemporaneos intra illud secretarium non inclusit, sic plures postfuturos ab eodem sanctuario non exclusit, imo tam posterius quam anterius nonnullos ad hoc officium voluit promovere, etsi non omnes æqualem in scribendo mererentur gratiam obtinere. Benignus Deus, cum eum amplectitur qui scientia cæteros antecellit, inferiorem quemlibet (ea quæ sua est) misericordia non repellit, sed diversorum sicut verbo sic et scripto nihilominus vult laudari, cujus laudes a nullo eorum sufficienter prævalent explicari. Qui autem a scribendo vult studiosum quemlibet inhibere,

quasi quemdam terminum vult divinis laudibus adhibere, ut videlicet de eo non præsumat quispiam scriptitare, nisi cui datum fuerit summa et perfecta scientia rutilare, cum ab hoc (ut arbitror) nullus recte clericus arceatur, si tamen sana fide et doctrina idem officium exsequatur. Hoc nimirum esse mihi videtur officium clericale, hoc clerico præ cæteris assignatum est speciale, ut cum Deum diligit sejunctus a negotiis quibus vita sæcularium implicatur, in **591** legendo et scribendo præcipuum ejus studium impendatur. Sed quia sicut de signis cæteris, sic etiam de litteris satis, ut arbitror, est tractatum, satis forte quis ab eis recte vel sileat vel non sileat intimatum, transeundum esse nobis ad illud silentium jam videtur, quod is qui nil retribuit tenere perhibetur.

CAPUT L.

Est enim silentium sicut a locutione, ita et a retributione, cum scilicet quis invenitur inferre quidpiam alteri vel conferre, et ille accipiens nil referre. Quæ nimirum redditio vel retributio, bifaria est, dum alia similis alia dissimilis est. Similis autem est quæ vel grata gratis vel ingrata reddit ingratis. Dissimilis vero, vel ingratis grata vel gratis reddit ingrata. Hæc retributio bifaria vel potius quadrifaria, poterit manifestius apparere, si quis velit de Scripturis testimonia recensere, in quibus inveniuntur nunc isto nunc illo modo nonnulli respondere, et ab iisdem responsionibus velut quodam quieto silentio continere. De illa retributoria responsione quæ similis nominatur, quæ grata gratis reddere gratulatur, per Moysen in Levitico Dominus voluit non tacere, cum ea proposita filios Israel ad obedientiam voluit promovere. « Si mandata, inquit, mea custodieritis, dabo vobis pluvias temporibus suis et terra gignet germen suum, et pomis arbores replebuntur, et comedetis panem vestrum in saturitate (*Lev.* xxvi). » Et in Deuteronomio: « Si custodieris, ait, mandata Domini Dei tui, abundare te faciet Dominus omnibus bonis fructu uteri tui et fructu jumentorum tuorum, fructu terræ tuæ (*Deut.* xxviii). » Quia scio vobis adhuc infirmis et carnalibus satis cœlestia non placere, sed affectu animali terrenis et visibilibus inhærere, si, quæ vobis injuncta sunt, dilexeritis custodire, ego quæ vobis grata esse non dubito, larga manu diligam impertire, vobis mihi utcunque obedientibus avarum silentium non tenebo, sed prompta largitate vestris voluntatibus respondebo, ut quem sine mercede vel præmio non amatis, servitutis exhibitæ retributorem benevolum sentiatis. In quo divina æquitas quamdam nobis retribuendi formam proposuit, quam omni animanti velut quamdam naturæ legem imposuit, ut scilicet omne animal ad referendum grata gratis naturaliter excitetur, et quasi dignum sit argui, si legis hujus vinculo non tenetur. Inde est quod muta animantia non solum sui, sed etiam alterius generis animantibus mansuescunt, et placare et placere invicem assuescunt, et vix aliquid tantam invenitur habere feritatem, quod non saltem ad sui simile affectuosam applicet voluntatem. Quod attendens Sapiens: « Omne, inquit, animal diligit simile sibi et omnis caro ad similem sibi conjungitur (*Eccli.* xiii). » Quod si tantum in mutis valet animantibus hæc natura, ut ea consociet mutuæ cujusdam benevolentiæ ligatura, multo rectius loro simili vinciri debet humana creatura, quæ ad videndum Creatorem virtutum est meritis perventura. Neque enim decet ut cum feras mitiget affectuosa societas vel affectio socialis, hominem inhumanum reddat truculentia bestialis, et non solum non aspiret ad oblatum fastigium meriti spiritalis, sed etiam habeatur expers convenientiæ naturalis. Quam gentilis quidam commendans: *Conveniens*, inquit, *homini est hominem servare [voluntas.*

Nihil convenientius iste prudens ethnicus æstimavit, nihil magis decere hominem judicavit, quam ut eum quem sibi forma similem intuetur, naturali judicio servandum arbitretur. Cui Scriptura divina: « Visitans, inquit, speciem tuam, non peccabis (*Job* v). » Species hominis, alius homo est qui jure similitudinis promeretur ut ab homine impenso beneficio visitetur. Et ne forte, dum refugit ad reddendum hoc beneficium invitari, dicat homo se non posse Deum invisibilem imitari, mutis saltem animantibus jubetur similari, quæ nativo affectu diligunt pariter sociari, ut cum homo superioris Dei altitudine inimitabili se excuset, in hoc saltem similari propositis inferioribus non recuset. Nam cum dixisset Ecclesiasticus: « Omne animal diligit simile sibi, » adjunxit: « Sic et omnis homo proximum sibi, » et subjiciens: « Omnis caro ad similem sibi conjungitur, » iterum adjecit: « Ita et omnis homo simili sibi sociatur (*Eccli.* xiii), » ut cum ad imitandum Deum ignavius quilibet non satis invalescat, muta saltem animantia non posse imitari confusus erubescat, imo exutus hominem et indutus recte lapidem judicetur, qui ad reddendum beneficium durior esse bellua non veretur. Et forte ob hoc Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ prædicatur (*Matth.* iii), quia ejus potentia operante ad hoc humana duritia mitigatur, ut non sit jam contenta mutis animantibus similari, sed in reddendo gratis grata justum Abraham studeat imitari (*Gen.* xxi). Qui cum accepto quem optarat filio lætaretur (*Rom.* ix), sperans quia sibi semen in Isaac (ut promissum fuerat) vocaretur (*Gen.* xxii), ingratus vel incredulus non fuit benigno et veridico promissori, paratus quem acceperat postulatum retribuere tributori. Sic necesse est quivis sapiens justum Abraham imitetur, ut quod a Deo accipit, eidem retribuere non gravetur, ne tanquam sub modio accepti claritas luminis recondatur, vel quasi talentum commissum fossa humo nequiter abscondatur. Quod nimirum idem Abraham videtur abhorrere, eligens magis loqui quam linguam silentio **592** cohibere, sciens eum apud Deum gloriam

non habere qui auctori munerum grato non vult animo respondere. « Loquar, inquit, ad Dominum meum cum sim cinis et pulvis. « Quamvis, ait, involucro terreni pulveris obvolutus, quamvis nondum a peccatorum plene vinculis absolutus, tamen Domino gratis muneribus præloquenti et ad retribuendum similia præmoventi, ego non tam verbo respondere quam operibus festinabo, dum ei dona sua lance patula resignabo, et cum eum, qui sua est bonitate mihi parvulo prælocutus, ego pro posse meo liberalitate retributoria fuero prosecutus, optatus mihi filius, risus vel gaudium orietur, in quo mihi longævitas vel posteritas indeficiens tribuetur. In hoc Abraham quædam retribuendi forma præscribitur, quæ infirmis quibusque inaccessa specialius perfectis ascribitur, quibus cordi est, non solum declinare arguendæ ignominiam parcitatis, sed avidius aspirare ad pleniorem gloriam largitatis.

Sunt quippe nonnulla, quæ, si fiant, majorem gloriam conferunt, si non fiant, majorem culpam non afferunt, nec est tantopere neglector eorum arguendus quantopere is qui ea diligenter expleverit, attollendus.

Sunt vero alia quæ et auctorem suum magnopere non decorant, et contemptorem suum gravius decolorant, nec acquiritur tantus bonos vel meritum de perfectis quantum dedecus quanta macula de neglectis. Illa nimirum quæ obscuriora et minora facile peraguntur, quæ saluti necessaria cunctis generaliter imponuntur, et expleta non attribuunt præclarum nomen et gloriam expletori, et contempta infligunt gravioris culpæ maculam contemptori. Qui enim tenet quod scriptum est : « Non occides; non mœchaberis ; non furtum facies (*Exod.* xx), » et cætera hujusmodi, reus procul dubio non tenetur, sed gloriam non meretur, pœnam criminibus debitam non incurrit, sed laudis eximiæ titulum non acquirit. Quod pulchre invenitur quidam ethnicus ostendisse, dum cuidam nullius furti reo introducit eleganter alterum respondisse. Nam cum alter vellet suam quasi justitiam jactitare, et pro ea sibi magnum quiddam et præcipuum arrogare : « Non furtum, inquit, feci. » Et alter statim intulit : « Non pasces in cruce corvos. » Ac si diceret : Si a furto continere manus innoxias elegisti, crucis supplicium et ignominiam evasisti, carnes tuæ in escam volatilibus non dabuntur, quæ mala civili judicio reis criminum infliguntur. Cæterum sicut pœnam ignominiosam te perspicis evasisse, non sic putes etiam laudis præcipuæ gloriam acquisisse, quia si quis ab ignominia immunis invenitur, non tamen statim gloriosis laudibus insignitur. Qui autem furto vel homicidio vel quolibet similium non timet implicari, graviter et ignominiose meretur cruciari, nec tantum præmium vel tantam gloriam adipiscitur abstinendo, quantam pœnam, quantam ignominiam id agendo. Quod apud quemdam satiricum intimatur, dum per vicos et plateas plausibiliter declamatur. « Sejanus, inquiunt, ducitur unco. » Sejanus iste quasi reus criminum et convictus tantæ pœnæ, tanto ludibrio, exigentibus omnium odiis, est addictus, ut ipse vel ejus forte statua per medium civitatis unco ignominiosius traheretur, et a multis passim irrisione gratulatoria clamaretur : « Sejanus ducitur unco. » Quis non videat quod iste tantis scelerum et odiorum maculis obvolutus, tantam pœnam, tantam sit infamiam assecutus, quanta laus quanta illi gloria non daretur, si ab hujusmodi liber incommodis haberetur. Est igitur invenire plurima quæ non multam pariunt gloriam si diligentius teneantur, sed multam pœnam, multam ignominiam, si negligentius postponantur, et quorum contemptus in profundam miseriam introducit, eorum expletio ad culmen gloriæ non perducit. His autem quisque perfectior contentus non vult esse, quæ tanquam levia et multorum communia novit esse, sed affectu liberali ad ardua magis tendit, in quibus gloriosum laudis titulum apprehendit. Cujusmodi laus nec ipsos etiam ethnicos præterivit, quorum strenuitas præeminere cæteris appetivit, dum in retribuendo beneficio quidquam grave, quidquam arduum non refugit, non denique mortis subire discrimina subterfugit. Satis quippe in eorum litteris ventilatur et ubique legentium dignum memoria prædicatur, quod Pylades et Orestes tanta sunt amoris mutui nectura colligati, ut prodigi vitæ hujus, mori pro alterutro sint parati. In Scythia locus est qui ab antiquo Taurus mons dicebatur, ubi templum erat marmoreum in quo virgo Diana colebatur, eidemque virgini sacerdos non alia quam virgo ministrabat, quæ manu virginea sacris altaribus hostias immolabat, ubi ritum mirabilem vel potius miserabilem impia sanxit antiquitas, quem per multum temporis custodivit sera posteritas, ut videlicet si quis forte illuc advena deveniret, ductus ad victimam in honorem Dianæ virginis interiret. Cum ergo illuc Pylades et Orestes sinistris ventorum flatibus appulissent, et arrepti juxta morem immolari coram altario debuissent, Iphigenia virgo quæ invita sacerdotis officio fungebatur, compatiens morituris, perficere sacrificium morabatur. Tandem illa : « Unum, inquit, e vobis necesse est immolari, et juxta gravem ritum Dianam fuso sanguine venerari, alter vero ad propria redire permittetur, ut unius immolatio, alterius reditu **593** nuntietur. » Quo audito, Pylades dicit hostiam se futurum, Orestem vero tanquam vita digniorem ad sua rediturum, et Orestes e converso jubet Pyladem hinc abire, affirmando se potius ad explendum sacrificium interire. Pia contentio, nova dissensio inter juvenes versabatur, quia unicuique grave satis et injurium videbatur si altero moriente ipse supervivere cogeretur, imo si non ipso præmortuo superstes alius haberetur. Cujusmodi factum Gethæ et Sauromathæ et cæteri Scythiæ barbari mirabantur, et mirantes dignum memoria fatebantur, totaque gentilitas non premendum silentio judi-

cavit sed in laudem eorumdem juvenum mandatum litteris ad posteros derivavit.

Tale quid et de duobus Pythagoricis Damone et Pithia in litteris quoque gentilium perhibetur, quorum alter cum reus judicio duci ad mortem juberetur, postulavit ut permitteretur paulisper suos revisere, eisdem provisurus, et die præscripto ad decretum supplicium reversurus. Cui princeps qui juxta legis censuram illum mandaverat interire, æstimans quod non posset quemquam pro se sponsorem invenire : « Tua, inquit, tibi petitio et petita dilatio non negatur si tamen dederis qui pro te, si reversus non fueris, moriatur. » At ille socium obtulit qui ejus vice supplicio subjaceret, si promissam ille fidem negato reditu non teneret : et oblatus pro offerente sponsor fieri non negavit, sed illo recedente, diem intrepidus sub manu judicis exspectavit. Venit dies quo reus se præsentem promiserat exhibere, et cum moram faciens videretur promissum non implere, is qui vas fuerat, ad supplicium ducebatur, et mori pro absente æquo satis animo parabatur. Et dum iste in apparatu mortis mira constantia versaretur, ecce alter rediit ne reus mendacii teneretur, et quia licet tardiuscule se præsentem die reddidit constituto, asserebat debere potius se occidi sponsore penitus absoluto. Mirabantur omnes quod tanta illos amicitia colligarat, tanta eos ad moriendum pro alterutro constantia confirmarat, ita ut princeps a mortis debito utrumque relaxaret, et devotus in eorum amicitiam recipi postularet.

Sed ne solis ethnicis tantus, amoris gratia, vitæ contemptus, et mortis appetitus inesse videatur, vel forte quod dictum est fabulosum esse et frivolum asseratur, tale quid invenitur etiam inter nostros apud Antiochiam contigisse, et pro puella Christiana vir quidam martyrium pertulisse. Cum enim illa decora vultu, spiritu fervens, religionis amans, carnis integritatem servare decrevisset, et evitans aspectus publicos habitare privatim elegisset, eo cœpit a procis pluribus concupisci, quo fama renuntiante desperabant suum posse desiderium adipisci. Quæ cum nullis eorum petitionibus consentiret, nullus ad eam optatum aditum inveniret, amor intemperans et gravem ducens repulsæ læsionem, tandem convertitur ad inferendam virgini passionem. Producitur itaque puella tanto flagrans amore puritatis, ut mortem perpeti non recuset pro tuendo munere castitatis, magis timens ne pudorem virgineum defloret amator impudicus, quam ne vitam corpoream tollat carnifex inimicus. Quam videntes constantem in professione, religione fortem, expositam ad pœnas, vitæ prodigam, avaram pudoris, de tuenda integritate sollicitam, ad viriles aspectus confundi, mortem proximam non vereri, cogitarunt quomodo eam a fide et religione converterent, quomodo ad convertendum eam, timorem tollendæ castitatis incuterent, ut cum labefactassent religionis assumptæ firmamentum, consequenter inferrent virgineo pudori detrimentum. Jubent ergo eam vel deos oblato sacrificio venerari, vel ad corrumpendam integritatem immundo prostitui lupanari, ut quidquid horum eligeret, propositum cassaretur, et fracto proposito persecutor sua de victoria lætaretur. Hæret virgo et in diversa fluctuans mens raptatur, et frequenter revolvens singula undique miris angustiis implicatur ; grave ducens virgineum pudorem lenonum impudentia violari, sed multo gravius mentem idololatriæ sordibus inquinari. Super quo se ipsam conveniens : « Quid faciam ? inquit. Quo ibo a spritu nequam, et a facie peccati quo fugiam ? Si descendero in infernum idololatriæ, prope est in januis æterna perditio, si abjecero propositum castitatis, nihilominus sum digna supplicio, quia et æternum incurrit interitum fides rupta, et non parvum occurrit supplicium si promissa castitas est corrupta. » Sed quia (ut arbitror) non corrumpi castitas veraciter judicatur, cum oppressa carne violento prædoni mens integerrima reluctatur, cum, etsi caro invalida supervenientis violentiæ vulnus sentit, mens tamen robustior lenocinio non consentit; lupanar ingrediar, freta fidei munimento, et si lenonem perpessura, tamen consensum non datura corruptibili blandimento. Quamvis Deum castitatis amatorem lupanari æstimem non deesse, imo ubique omnibus eum invocantibus præsto esse, qui et Susannam de impudicorum sacerdotum manibus liberavit (*Dan.* XIII), et in domo Holofernis, Judith viduæ castitatem illæsam conservavit (*Judith.* XII), potest meam idem Deus in prostibulo tueri castitatem, et inter manus persequentium fidei sanctitatem, ut et castitate fides, et fide castitas roboretur, et in parte neutra propositum meum adversarius deprædetur **594**. His et horum similibus confortata virgo clauditur lupanari, et ad tale speculum dissoluta multitudo festinat congregari; curiosus ad videndum non vult tardior inveniri, libidinosus quisque timet ab altero præveniri. Illa intus velut agna tenera suspirat vehementius et pavescit, sed pavore non frangitur, quia Deum tenens memoriter invalescit, isti foris tanquam lupi tumultuosa rabie debacchantur, lætique illam suis esse clausam retibus arbitrantur. Dumque fremunt, ecce quidam insignis habitu militari per medium cæterorum se se ingerit lupanari, solus sibi conscius ad quid agendum pergeret introire, æstimantibus forte cunctis quod cum puella disponeret lascivire. Ad cujus introitum virgo dubitans obstupescit, dum causa veniendi nondum penitus innotescit, dubitans utrum ille veniat pudorem virgineum erepturus, an potius militari eam gladio perempturus. Cui ille : « Ne quæso, ait, virgo, ad meum introitum stupescas, ne me velut hostem et virum sanguinum pertimescas, non venio nisi ut et tuæ vitæ provideam et pudori, si tamen consulto aurem præbeas provisori. Egó tuis et tu meis volo vestibus induaris, ut mutato habitu, ego esse femina, tu vir econtrario videaris, exibisque de tugurio

pannis virilibus obvoluta, et me remanente in maculis, evolabis liberius absoluta.» Et quoniam qui vaga et impudica libidine resolvuntur, expleto hujusmodi officio velut ducti pœnitudine confunduntur, caput et faciem tuam cela hujus mei pilei velamento, ut per medias obstrepentium insidias fuga tua tuta sit hoc figmento. Miratur virgo et recusat fraudem propositam machinari, ducens incongruum damno alterius aliquid se lucrari, absolutione sua virum tam benevolum obligari, cujus tamen victa importunitatibus tandem cedit, et dato, et accepto habitu quasi vir egreditur et recedit. Qua egressa, unus eorum qui foris ad januam obstrepebant, qui vix moras explendæ libidinis sustinebant, unus quem luxuriæ vel forte malitiæ vehementior æstus urit, prævenions cæteros ad explendam libidinem introcurrit. Qui virum intuens, cum sciret feminam introlisse, commentum fraudis nesciens, putat miraculum contigisse, ut scilicet manente habitu in virum femina verteretur, quod nonnunquam fieri fabulosis gentium litteris perhibetur. « Quid sibi vult, ait, quod femina prostibulum introisti, et ecce viri speciem induisti? nulla est in vestibus transmutatio vel læsura, et alter prorsus factus est sexus, et facies, et natura. Nunquid non locus iste Deum credendus est habere tam potentem, tam diversa diversis advenientibus potentialiter inferentem, ut aut vir in feminam aut in virum femina transvertatur, et non esse quod fuerat, vel esse quod non fuerat, compellatur? » Est igitur consilii ut hinc velociter fugiamus, dum nos adhuc esse constat quod ante fueramus, ne si forte diutius hic moremur, Deo loci quod suum est operante, et nos in aliud transmutemur. Quamvis et ego mihi videar jam mutatus, et supra quam dici vel æstimari valeat, alteratus, dum qui prostibulum intraveram scortator impudicus, egrediar proposito fracto continens et pudicus.

Cognito autem quod miles dolum pro virgine fuerat machinatus, invalescente malitia morti est pro virgine destinatus, et irruente in eum concursu pravæ et pestiferæ nationis, eductus de prostibulo ad locum ducitur passionis. Quo audito, virgo velut currens ad nundinas festina revertitur, et turbæ se ingerens, quod a milite sit præventa, graviter conqueritur : « Ego, inquiens, ego sum potius cui mors debetur, iste miles, iste innocens quid meretur? » At ille : « Ego sum, ait, quem in loco turpitudinis invenerunt, quem deberi morti, meritis exigentibus astruxerunt, et quod in virum communi sententia decretum est intorqueri, non debet in feminam degeneri consilio retorqueri. Denique te et fuga inita quodammodo jam excusat, et (ut prius) ira judicum non accusat, et quæ semel es a mortis debito, et laqueorum nexibus absoluta, feminea importunitate ad repetendum eadem videris revoluta. » Cui virgo : « Non te, inquit, elegi patronum vitæ vel sanguinis, sed pudoris, ut castitas servaretur patrocinio fortioris, quia integritas non vita discrimini subjacebat, nec occisorem, sed corruptorem mea captivitas pertimebat. Quæ cum tuo et consilio, et beneficio foras fugi, profecto non martyrium, sed opprobrium subterfugi, relinquens te non ut pro me fuso sanguine morereris, sed ut pudorem meum secura tui præsentia tuereris.» Puellaris enim pudor periclitabatur conteri, non virilis, et in illum sæviebat non gladius sed impudentia juvenilis, cujus damnum irreparabile quocunque illud modo quilibet experitur, cujus interruptio nullo studio resarcitur. Si ergo de morte agitur, præsto sum : et quæ fugi virginitatis gratia conservandæ, lubens subibo, plura volens perpeti tædio vitæ diutius prolongandæ. Si festina redii, non sum procul dubio recusanda, si tardior et negligens non sum, etiam excusanda, et cui patientia defuit ad perferendum pudoris detrimentum, ad tolerandam mortem adest sufficiens fortitudinis munimentum. Quam mortem si intuleris, tuo mihi videor beneficio non redempta, sed astutiori consilio circumventa, nec videris necessitatibus meis misericorditer providisse, sed præsentibus commodis latenter invidisse. Cave ergo ne dum martyrium **595** invides, damnum inferas et pudori, ne videlicet, dum superstes maneo, subjaceam corruptori, et quem speraveram castitatis esse benevolum defensorem, vice versa, spe eversa, certum inveniam destructorem. Si autem concedis ut præsens martyrium mihi detur, nullus corruptori effectus immunditiæ relinquetur, et duplicis beneficii mihi gratissimus auctor eris, et tu nihil injurium, nullum tale incommodum patieris. In hunc modum miles et virgo ad invicem contendebant, et moriendo prævenire alterutrum cupiebant, et dum uterque sibi timet ne superstes ipse moriente altero relinquatur, mors optata utrique pariter irrogatur. Jam igitur non est in quo alter jure de altero conqueratur, cum eorum neuter supervivere concedatur, cum adeo carnifex ambos pari discrimine persequatur, ut uterque martyrium tanquam munus gratissimum assequatur. Quis istos eligat torpenti silentio præterire, cum raro possit eorum similes invenire, qui concordes in hoc solummodo fuerunt, quod certatim mori pro alterutro voluerunt? Ipsi quippe vitam suam non cum silentio transierunt qui magnanimo spiritu tam nobile, tam præstabile quid egerunt, ut eos imitari quique fortissimi vix valerent, et omnes passim tam præclari facinoris præconium non tacerent.

CAPUT LI.

De hujusmodi videtur quidam historiographus non tacere, imo eos ad hoc diligentius commonere, ut inferiorum actibus non contenti ad obtinendum probitatis fastigium enitantur, et non tanquam degeneres obscuro silentio deprimantur. « Omnes, inquit, homines qui sese student præstare cæteris animalibus, summa ope niti decet ne vitam silentio transeant. Vitam quippe transire silentio perhibentur, qui operari quidquam dignum laude præcipua non videntur, quorum actio tam proba, tam præ-

clara probitas non habetur, ut frequenter inter cæteros vocali præconio celebretur. Sed his verbis iste ethnicus eos forte videtur informare, quos et scripto et exemplo sibi diligit conformare, quos humanæ laudis intuitu vult dare operam probitati, transitoriam honestatem religiosæ præferens sanctitati. Cui cum sibi similes satagunt obedire et juxta ejus magisterium præclaris operibus studium impertire, habent quidem gloriam, sed non apud Deum, quia et in populo admirationis titulum obtinent temporalem, et a Deo quem vel nesciunt vel contemnunt, non recipiunt æternalem. Quales illos supradictos certum est. exstitisse, qui a fide reprobi, mortem pro alterutro memorati sunt elegisse, et quoniam amore non divino sed humano ad agendum maxima inventi sunt fuisse studiosi, non in cœlo sed in terra : non apud Deum, sed apud homines habentur gloriosi. Cæterum illi qui ad diligendum Deum propriis cum gratia nisibus attolluntur, et juxta secundum et simile mandatum, sincere proximum amplectuntur, non remanent in schola ethnicorum, quæ nescit fidei puritatem, sed Christi magisterium et Scripturæ sacræ audiunt veritatem. Ibi quippe dicitur, quia et Deo usque ad mortem debet quisque fidelium deservire, et nihilominus usque ad mortem proximi necessitatibus subvenire, ita tamen ut in dilectione Dei modum, pondus, terminum non attendat, in dilectione vero proximi juxta præscriptam regulam se extendat. Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua : et proximum tuum sicut te ipsum (*Deut.* VI). » Ille autem proximum ut se ipsum diligere comprobatur, qui, quod sibi vult impendi, et illi misericorditer impendere non gravatur, sive pecuniam si forte ille pauperie prægravatur, sive potius vitam suam si tamen necessitas id exigere videatur. « Qui habuerit substantiam mundi, ait Joannes, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? » (*I Joan.* III.) Et supra : « Ille, inquit, posuit animam suam pro nobis et nos debemus pro fratribus animas ponere (*ibid.*). » Et Paulus ad Corinthios : « Libentissime, inquit, impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris (*I Cor.* XII). » Et ad Thessalonicenses : « Cupide, ait, volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras (*I Thes.* II). » Hæc est forma qua suos Christus discipulos voluit informare, et eos sibi grata similitudine conformare, quam non solum apostoli, sed et multi post apostolos inveniuntur plenius assecuti, qui summa ope eniti studuerunt, ne prave et ignaviter essent muti. Illi enim languore degeneri turpiter obmutescunt qui ad impendendum gratum fratribus beneficium intorpescunt, qui vel ignavia vel malitia contemnentes justum et nobile fastigium eminendi, nullo virtutum exercitio cæteris materiam dant loquendi. Qui autem diligentius dare studet operam probitati, et non solum sua, sed et se ipsos divinæ vel fraternæ impendunt charitati, hi nimirum amoto degeneri silentio loquuntur gloriosa, imo ipsa eorum commendabilis actio fit verbosa. Nunquid non sicut passionis suæ beneficio loqui voluit Christus nobis, sic ipsa quoque ejusdem passio loquitur et pro nobis, ut non sit quod de ejus recte silentio conqueratur quisquis illius verbis aurem præbere non gravatur? Paulus apostolus : « Accessistis, ait, ad aspersionem sanguinis **598** melius loquentem quam Abel (*Hebr.* XII). » Occisio quidem Abel (*Gen.* IV), vel aspersio sanguinis ejus nos ad iram et contumeliam non irritat, sed quodam virtutis magisterio ad patientiam nos invitat, dum injustam ei mortem frater legitur intulisse, et iste illatam, nihil perperam referens, pertulisse. Cujus patientia quædam nobis locutio, quædam est commonitio non spernenda, sed a cunctis sane sapientibus audienda, ut videlicet si molestia, si persecutio, si denique mors ipsa nobis a quolibet inferatur, non odium odio, non persecutioni persecutio referatur. Cum autem nobis hujus occisio sic loquatur, sic ab ira revocare, sic ad humilem provocare patientiam videatur, ipsa Christi passio et aspersio sanguinis multo loqui melius invenitur, quæ formam digniorem exemplumque perfectius impertitur. Abel enim, nequam fratri quidquam simile non rependit, Christus vero pro suis fratribus se impendit : ille paratus fuit sufferre mortem potius quam inferre, iste inventus est libens et voluntarius se offerre. Bene ergo ille, sed iste melius est locutus, dum ille patientiam, iste est benevolentiam exsecutus, ille quasi remissius loquens pluribus imitabilem se donavit, iste paucioribus imitandus, preces Deo cum clamore valido et lacrymis offerens exaudibiles allegavit. De quo Paulus : « Preces, inquit, supplicationesque cum clamore valido et lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia (*Hebr.* V). » Preces Christus in Evangelio frequenter legitur obtulisse, et inter offerendum nonnunquam lacrymas profudisse, quas pro eo Pater videtur plenius exaudire, quod in eis erat clamorem validum invenire. Clamor validus forma est primæ et præcipuæ charitatis, qua Christus convenit nostræ duritiam pravitatis, volens imprimere, ut eum maxime ducem et prævium attendamus, et exemplo sui nostros voluntarii pro fratribus animas impendamus. Quodpropter Apostolus : « Videte, ait, ne recusetis loquentem (*Hebr.* XII). » Qui suam duritiam contendunt pertinaciter excusare, Christum sic loquentem convincuntur nequiter recusare, quia cordi obstinato defensionis patrocinium adhibere, nihil est aliud quam Christi verbum, et exemplum largitatis longius removere. In quo autem coaluit affectus novellæ voluntatis, sed nondum convaluit robur perfectæ charitatis, hujus teneritudo non debet velut exsecrabilis abhorreri, sed ut proficiat in melius doctrinæ salubris irriguo confoveri. Neque enim omnes Christum in hoc sufficiunt imitari, ut amoris largitate illi

prorsus valeant conformari, ut juxta formam ejus, mortem velint pro fratribus sustinere, quamvis optent hujusmodi gratiam vel fortitudinem obtinere.

Quos attendens Apostolus nondum posse adduci ad perfectum, eorum tamen non abhorret nec damnabile judicat imperfectum, imo fovet et promovet quod tenerius est incœptum, et commendat dum affirmat quia Deo veraciter est acceptum. « Vidua, inquit, discat primum domum suam regere et mutuam vicem reddere parentibus, hoc enim acceptum est coram Deo (*I Tim.* v); » ac si dicat : Ille cui vehemens vitiorum opprimentium quasi mortuus est maritus, nec adhuc tamen præsto est profectuum spiritalium appetitus, discat mentis suæ domum, vice rectoris viriliter obtinere, et eis quos priores beneficos experitur, gratis beneficiis respondere. Et quia hujusmodi opus nondum penitus est perfectum, ne forte quis existimet Deo fieri non acceptum. « Hoc enim, inquit, acceptum est coram Deo, » cui constat sic ea quæ perfecta et gravia sunt, placere, ut tamen imperfecta et levia non credantur quasi reproba displicere. Placet enim ei cum vice debita beneficium beneficio quis rependit, sed magis forte placet cum idem beneficium gratuito quis impendit, quia majoris est gratiæ quod sine meritis præcedentibus exhibetur, quam quod beneficio præcedenti lance pari et merita respondetur. Quod innuens Apostolus, viduam ad reddendum mutuam vicem parentibus instruit diligenter, et eam quæ gratis est munifica, eligendam astruit consequenter, dans intelligi quia et arguendus est qui acceptum beneficium non rependit, et digne commendandus qui ad conferendum gratuita se extendit. Nam cum dixisset : « Vidua discat primum domum suam regere et mutuam vicem reddere parentibus, » paulo infra subjecit : « Vidua eligatur in operibus bonis testimonium habens, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est (*ibid.*). » Quibus verbis admonet et illam viduam de beneficio vice debita referendo et istam consequenter de gratis conferendo, ostendens quod, cui sit, tempore, quod, cui dignitate meriti præferendum, cum procul dubio sit utrique pro loco et ordine deferendum. Prius enim ad hoc quisque præbere debet aurem docilem edocenti, ut discat grato commerito beneficium referre conferenti, dein profectu congruo ad hoc studeat promoveri, ut amet etiam gratis beneficus exhiberi. Et quamvis apud Apostolum mulieri silentium indicatur (*I Tim.* II), et apud Salomonem garrula et quietis impatiens arguatur (*Prov.* VII), ab hoc tamen loquendi genere nec prudens vidua relaxatur, imo et ad retribuendum grata et ad tribuendum gratuita mandatis utilibus invitatur. Denique viduam Sareptenam Scriptura divina (*III Reg.* XVII) commendabilem prædicavit, et eam **597** posteriorum dignam memoria indicavit, pro eo quod ab ea cum Propheta esuriens clamore valido alimoniæ quid exegit, illa tenaci avaritiæ premi, silentio non elegit, sed responsione munifica postulantis clamorem exaudivit, et quamvis esuriret, larga manu oleum et farinulam impertivit. Illam quoque fortem mulierem Salomonis commendant Proverbia (*Prov.* XXXI), cujus virilem animum non angustat enervis tenacia, quam timor paupertatis vel habendi cupido non reddit degenerem, sed inopi manum aperiens, suas palmas extendit ad pauperem.

Ille quoque Samaritanus qui hominem fere a latronibus interemptum motus misericordia levavit in jumentum (*Luc.* X), et ducens in stabulum, curam illius stabulario legitur commisisse, et ut magis attentum redderet, duos illi denarios protulisse; ille, inquam, Samaritanus, assertione jurisperiti indicatur illi proximus exstitisse, quem sacerdos et levita nulla flexi misericordia dicuntur præteriisse. Econtra ille dives qui anni successibus adgaudebat et ad recondendum eos, horrea sufficientia non habebat, quia tenax pecuniæ nihil inde proximus est largitus, condemnatur stultitiæ nocte animam repetitus. « Stulte, inquit, hac nocte animam tuam repetunt a te, et quæ parasti, cujus erunt? » (*Luc.* XII.) Alter etiam ille dives qui ante januam suam videt Lazarum esurire, recusans esurienti gratum beneficium impertire in inferno stillam aquæ postulat sibi dari, sentiens linguam suam flammæ gravis incendio cruciari. Et recte lingua præcipue gravem sustinet passionem, quæ, cum Lazarus sustineret duplam vulnerum et inopiæ læsionem (*Luc.* XVI), nequaquam illi verbum bonum, verbum consolatorium est locuta, et cum solo posset verbo, nullum est opus misericordiæ prosecuta. Quæ ergo ad conferendum beneficium avari silentii fuit sinibus obvoluta, ad proferendum loquaces querimonias in inferno redditur absoluta, et cruciatus proprios divino urgente judicio non potest reticere, quæ indigentem proximum verbo grato noluit refovere. Denique cum per Ezechielem ad Jerusalem Dominus loquereturr, et quod Sodomam iniquius agendo justificaverit, quereretur, inter cætera vitia quibus eamdem Sodomam et filias ejus peccasse graviter replicavit, tenacem illarum avaritiam signanter ad memoriam revocavit. « Manum, inquit, egeno et pauperi non porrigebant (*Ezech.* XVI). » Quid sibi vult quod Sodomam et filias ejus non dicit cuipiam aliquid abstulisse, nullam egeno et pauperi violentiam intulisse, sed tantummodo nullum gratis beneficium contulisse, et ob hoc damnationis sententiam pertulisse? Nimirum ut ostendat gloriari eos inaniter non debere, qui, cum forte in aliquo vident proximos indigere, duro clausi lapide nullum eis conferunt adjumentum, putantes satis esse quia nullum inferunt detrimentum, cum divina lex jubeat non solum alterutrum non nocere, sed ad juvandum invicem curam diligentius adhibere. Sicut autem isti arguuntur nullum gratis beneficium conferentes, sic plerique alii acceptis beneficiis nihil gratiæ referentes, qui cum ad exigendum quæ obtinere cupiunt

sint clamosi, ad reddendum gratis grata, nullo fiunt largitatis munere fructuosi. Quales illos in Evangelio leprosos arbitror exstitisse, quos ad impetrandam salutem magnis Christo clamoribus legimus institisse. Qui optato potientes, graviore silentii languore sunt depressi, et ad reddendum medico grates debitas non regressi. « Nonne, inquit, decem mundati sunt, et novem ubi sunt? Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena (*Luc.* XVII.) » Arguuntur qui cum optatæ adgaudeant sanitati, tamen accepto beneficio sunt ingrati, et curatori suo non solum nihil muneris largiuntur, sed nec eum laude facili prosequuntur. Ille autem decimus veritatis judicio commendatur, qui aliorum novem fugam vel silentium non sectatur, sed festine regrediens agit gratias curatori, sciens quia gratum debet grato retribui tributori. Debet, inquam, ab hoc quisque officio non silere, et vel dare quod gratum est, vel danti forma simili respondere; si tamen hoc commercium decorat et roborat honesta sanctitudo, non offuscat vel infirmat vitiorum enervis turpitudo. Non enim debent vel tribui, vel retribui grata gratis, si eadem constat esse contra regulam sanctitatis, si quis videlicet alteri placere desiderans hoc impendit, quod devium ab honesto et utili, divinæ rectitudo justitiæ reprehendit. Quod nimirum exigit avara mollities nonnullorum, et exactum exhibet arguenda munificentia plurimorum, dum vel aures pruriunt audire quod male concupitur, vel ad loquendum eadem lingua mollior efficitur. Apud Isaiam hujusmodi loquuntur exactores, qui moribus enervati ferre nolunt asperos monitores, sed eosdem postulant, ut posita gravedine sinceræ veritatis, inflectantur et loquantur molles blanditias falsitatis. «Nolite, inquiunt, aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores (*Isa.* XXX). » Videlis istis hominibus non recta sed erronea complacere, qui monitores suos mira præsumunt imprudentia commonere, ut seponentes seria quibus eorum vitia decreverant abolere, loquantur placentia quæ a vero certum est abhorrere. Cujusmodi consilio illi, ut videtur, fuerant informati, qui volentes regis Joas satisfacere **598** voluntati, adoraverunt eum, gratis blanditiis prosecuti, ejusque perversis auribus perverse placentia sunt locuti. « Ingressi sunt, inquit, principes Juda et adoraverunt regem qui delinitus obsequiis eorum acquievit eis, et dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum, servieruntque lucis et sculptilibus (*II Par.* XXIV). » Sciebant principes quia regis auriculæ pruriebant, et abhorrentes verum, vanitatis præconium avidius audiebant; et quod suo gratum esse Domino subditi cognoverunt, ut ejus gratiam obtinerent, prono satis animo detulerunt. Grato quorum obsequio pressa in illo veritas cinerescit, et ad vocem laudantium, malitia velut magnis acta flatibus exardescit, tantumque in eo error miserabilis invalescit, ut derelicto Dei templo, lucis et sculptilibus deserviret; exemploque sui ad eamdem cæteros idololatriam irretiret. De qua malitia Jeremias: « Ad vocem, inquit, loquelæ grandis exarsit ignis in ea (*Jerem.* XI). » Loquela grandis adulatio est, quæ animam miseram inflat granditer et extollit, et elata inflatione enervat penitus et emollit, extorremque roris et pluviæ quibus viget, vigoris præsidio viridescit, nulli fretam umbraculo exsiccat citius et ignescit. Ad vocem igitur loquelæ grandis exarsit ignis in ea, quia cum adulatio rupto pudoris claustro profert laudis miserabile blandimentum, cum rejecta sindone veritatis superducit vanitatis deceptoriæ tegumentum, in anima misera quæ nullum divinæ gratiæ meruit adjumentum, ignis malitiæ optatum accipit incrementum. Nam qui nostro in nobis vitio velut in camino tenuiter coalescit, accedente grandis loquelæ flatu, vehementius exardescit, cum scilicet animæ nostræ perversa desideria audimus laudibus digna duci, et quod inique agimus, deceptorum judicio benedici. De quibus deceptoribus Dominus per Isaiam: « Populo meus, ait, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt (*Isa.* III). » Talis beatificatio deceptio est, cum eos, quibus molli obsequio volumus complacere, et ab eis simile beneficium extorquere, quidquid egerint, grandi voce beatos prædicamus, et assentatione grata in sua eos nequitia confortamus. Vanitatis quippe amator libentius nihil audit, quam quod errori suo assentator arridet et applaudit, cum quidquid est libitum, tanquam sit licitum vult explere, et cæteros sibi consimiles euge gratum, euge assentorium respondere. Sed hoc euge ipsi quoque ethnici non mediocriter reprehendunt, qui tamen aliquanto subtilius moralem scientiam apprehendunt, et tam in eos qui exigunt quam in eos qui exhibere diligunt, graviter invehuntur, dum eos revocare a tam enervi proposito moliuntur. Unde quidam Satyricus ait:

> ..... *Recuso*
> *Euge tuum et belle, nam belle hæus excute totum,*
> *Quid non intus habet?*
>
> PERS. Satir. I, lib. I, 49.

Novit iste sapiens quod ille assentator ad laudandum quædam inutilia vigilans et præcinctus, nihil rectum, nihil solidum habet intus, sed cum sit dealbata ipsa superficies labiorum, interiora ejus plena sunt ossibus mortuorum. Cum enim foris quædam verborum luceat pulchritudo, in ipsa pulchritudine latet subdola turpitudo, dum illud suum euge non parit intellectus et amor veritatis, sed mollis assentatio et duplicitas vanitatis.

Quod si prudens ethnicus euge falsum, et belle subdolum respuit et recusat, et eos qui talibus delectantur, graviter arguit et accusat, quanto magis vir sanctus amator sinceræ veritatis cum propheta debet repellere voces assentatorias falsitatis? « Avertantur, inquit, statim erubescentes qui dicunt mihi, euge, euge (*Psal.* LXIX). » Videbat David non solum apud ethnicos hujusmodi vitium prævalere, sed etiam in populo Dei locum maximum obtinere, et tam prælatos quam subditos in hoc declive lubricum facilius posse duci, et eos ab eodem præcipitio vix

reduci. Nolens igitur suos in hanc assentandi fo- A rationabiliter exiguntur, quæ exigenti debet quivis
veam devenire, et timens se ipsum eorum aliquando recte munificus exhibere, et gratus exhibenti am-
adulationibus assentire : Avertantur, inquit, statim pliori munificentia respondere. Cui per sapientiam
erubescentes qui dicunt mihi, euge, euge, ut vide- dicitur : « Redde debitum tuum, et responde paci-
licet eorum vana laudatio nec ad modicum admit- fica in mansuetudine (*Eccli.* IV). » Quisquis ab
tatur, nec a rigore suo mens paulatim defiua remit- altero accipit quidquam gratum, debet illud æsti-
tatur. Nihil enim gravius quam quemlibet molles mare tanquam sit mutuatum, ut de accepto munere
blanditias exhibere, et illius blanditiis alterum sibi tanquam superior non tumescat, sed ad respondendum similiter humilitate debita mansuescat. Ad quam responsionem sive redditionem Paulus quoque Apostolus nos hortatur, cujus ad hoc hortamentis quisque sapiens informatur, ut se nunquam a debito liberum arbitretur, cum eum debitorem reddat ipsa dilectio qua tenetur : « Reddite, inquit, omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem (*Rom.* XIII). » Et ne forte quis diceret nihil horum cuipiam se debere, et ideo nulli se debito subjacere, adjunxit Apostolus a quo nullum voluit relaxare, sed omnes eo vinculo indissolubiliter obligare. « Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis (*ibid.*). Esto, ait, ut quidquam horum quæ dicta sunt, nemini debeatis, non tamen a debito recte liberos vos putatis, quia dilectio reddit vos mutuos debitores, cujus esse vos convenit veros et assiduos redditores. Denique tali debito et Deus vult teneri suisque dilectoribus quasi ex debito propitius exhiberi, quorum voces cum de suo secretario liberius audit, hoc astrictus vinculo respondet libentius et expandit. Quod asserens Isaias : « Ad vocem, ait, clamoris tui statim ut audierit respondebit tibi (*Isa.* XXX). » Vox clamoris qua Deum convenire quispiam perhibetur, ipsa est actio, cui Deus placabilis exhibetur, quia illa vox Deo est non mediocriter gratiosa, quæ amoto degeneri silentio fit clamosa. Clamor autem hujus vocis dilectio est, cujus ope si vox ipsa vel actio non clarescit, in ipsius Dei auribus non satis reboat sed raucescit. Si autem vox clamore, hoc est, dilectione actio roboratur, allegata Deo clamantis postulatio non frustratur, sed grata præloquenti facto magis quam verbo respondet gratiora, et voluntarie offerenti divina reddit bonitas ampliora. Quod per Isaiam pollicens : « Qui custodierint, inquit, Sabbata mea et elegerint quæ volui, dabo eis in domo mea et in muris meis locum et nomen melius a filiabus (*Isai.* LVI). » Hæc est retributio a qua Deum certum est non silere, sed ad vocem clamoris præcedentis grato præmio respondere, in quo et nos idem Deus sibi vult conformari, et affectu benevolo ejus munificentiam imitari.

Qui non solum ad reddendum gratis grata, sed etiam ad reddendum ingratis ingrata nos dignanter voluit erudire, et se ipsum gratam nobis formulam impertire, ut ad exemplum ejus, et a reddendo grata gratis, nequaquam torpeamus, et in reddendo vel non reddendo ingrata ingratis, discretum judicium teneamus. Ille nimirum quidquid ei gratum impenditur, reddere non pigrescit, etsi ad obtinendam salutem non semper cujusque meritum inva-

vocam devenire, et timens se ipsum eorum aliquando adulationibus assentire : Avertantur, inquit, statim erubescentes qui dicunt mihi, euge, euge, ut videlicet eorum vana laudatio nec ad modicum admittatur, nec a rigore suo mens paulatim defiua remittatur. Nihil enim gravius quam quemlibet molles blanditias exhibere, et illius blanditiis alterum sibi similem adgaudere, et sic invicem lambere, mutuum scabere, reddere grata gratis, ut de utriusque pariter conqueratur divinæ censura veritatis. « Prophetæ, inquit, prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia (*Jerem.* V). » Conqueritur per Jeremiam Dominus quod prophetæ mendaciis populum seducebant, et sacerdotes pari dementia manibus B applaudebant, et miser ille populus easdem fraudulentias diligebat, et sic tam prælatus quam subditus imminentem interitum negligebat. Hæc igitur grata vel conferre vel referre quispiam non contendat, quæ intenta discretio vel discreta intentio non commendat, quia, etsi jubet Evangelium, ut quod volumus nobis fieri, idem quoque alteri faciamus, non tamen credendum est, ut sicut licita, sic etiam illicita conferre invicem debeamus. Lucas : « Prout vultis, inquit, ut faciant vobis homines et vos facite illis similiter (*Luc.* VI); » et Matthæus : « Omnia, inquit, quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite eis (*Matth.* VII). » Nunquid amatores turpitudinis hoc mandato suam nequitiam excusabunt, et ingratæ sanctitati dare operam recusabunt, C æstimantes quod sicut volunt ut alii **599** ad conferenda perversa quælibet sibi faciles habeantur, sic eisdem quidquid illi perverse voluerint, conferre jubeantur. Sed quod dictum est : « Omnia quæcunque vultis, » procul dubio intelligendum est, quæ facienda esse justitiæ lex non defendit, non quæ illicita, et sibi contraria reprehendit, quia nihil aliud aut velle aut facere magister præcipit veritatis, quam quod sanctum et utile, nescit turpitudinem perversæ voluptatis; denique per prophetam : « Si videbas, inquit, furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas, » et subinfert : « Arguam te, et statuam contra faciem tuam (*Psal.* XLIX). » Cujus vobis videtur hoc in loco summus judex facere mentionem, qui cum fure currit, et suam ponit cum adulteris portionem, nisi ejus qui furtis et adulteriis nequiter delectatur, et super his adjutores, consocios habere gratulatur? Quod propter : Existimasti, ait, inique, quod ero tui **similis**, arguam te, et statuam contra faciem tuam (*ibid.*), ut scilicet, quod modo negligis, videas in tuis fœcibus te sordere, et scias quæ grata tibi sunt mihi similiter non placere, et quia tibi perversa diligenti similis non existo, etsi ad horam tacens tuis voluptatibus non resisto.

CAPUT LII.

His itaque sepositis quæ salvo justitiæ signaculo non aguntur, ad ea revertendum est quæ juste et

lescit, juxta quod dives purpuratus, et ad pœnas inferni legitur devenisse, et tamen in vita sua bona pro meritis recepisse. « Fili, ait, recepisti bona in vita tua (*Luc.* XVI). » Nulli dubium quin iste dives intelligendus sit Deo gratum aliquid obtulisse, et Deus æquus judex illi gratum aliquid reddidisse, ut certum sit quia, etsi quæ facimus Deus omnia non acceptat, tamen inde quidquid acceptaverit, reddere non detractat. Quod autem Deo ingratum ingeritur, aliquoties invenitur tacendo sustinere, aliquoties a reddendo similia non tacere, ut in tacendo, ejus misericordia vel patientia comprobetur, in reddendo similia, verax ejus esse justitia demonstretur. Quia vero misericordia præcedit judicium, juxta quod David ordinans : « Misericordiam, inquit, et judicium cantabo tibi, Domine (*Psal.* C), » prius dicendum video de eo quod misericors vel patiens conticescit, postmodum quod justus et verax ad loquendum gravius exardescit. Nolens quippe Deus gravem **600** differre sententiam feriendi, et feriendis hominum moribus indulgere spatium pœniteudi, per Isaiam : « Silui, ait, semper tacui, patiens fui (*Isa.* XLII), » ne videlicet si peccantes incumbente statim vindicta ferirentur, quasi recte de tam præcipiti judicio causarentur. Plerumque etenim cum peccator blandis vitiorum nexibus irretitur, et tamen juxta meritum præsenti non feritur, compactus intra conscientiam tortore gravissimo convenitur, et ejus misericordiam devote pœnitens fiducialius, cujus in differendo judicium tantum patientiam experitur. Cum vero eum, qui cor nequam manusque laxaverit ad peccata Deo districtius judicante percutit ultio festinata, idem peccator nonnunquam obmurmurat, et causatur quod super eo digna misericordia non agatur, cum, etsi non hodie, forte cras si non pridie tamen perindie pœniteret, si divina ei bonitas pœnitendi crastinum indulgeret. Silet ergo plerumque, Deus, nec statim restituit quod meremur, ut processu temporis ad pœnitentiam provocemur, et scit cui pœnitenti suam gratiam misericorditer largiatur, cujus dono gratiæ ad salutem promerendam pœnitens revertatur. Nam si statim ut peccamus, ira Dei et ultio nos feriret, et in massam nostrorum scelerum lance pari justitia desæviret, non superesset in brevi, cui ejusdem clementia subveniret, cui vitam et salutem (quam non nisi justus consequitur, impertiret) cum vix inter homines justum quempiam inveniret, et omnis fere homo juste perditus interiret. Bonum ergo silentium quod Dei misericordia commendatur, cum peccanti cuilibet pœnitendi spatium non negatur, cum Deus naturæ bonitate magis appetens diligi quam timeri, quærit occasiones quibus convenienter possit peccantibus misereri.

Non enim degeneri timore parcit cuilibet delinquenti, ne aliquando scilicet desint jacula ferienti, et cum arma defuerant quibus peccantium possit contumaciam expugnare, securius præsumant contumaces inermi et invalido repugnare. Quod nimirum de diis gentium poetæ garruli fabulantur, quos ideo cessare a feriendo nonnunquam perversos mores hominum arbitrantur, ne si velut sagittis emissis eorum semel pharetra vacuatur, ad feriendum ultra nulla eis copia præbeatur.

Si quoties, ait quidam, *peccant homines, sua ful-*
[mina mittat
Jupiter, exiguo tempore inermis erit.

Non vult Deus Jupiter, quoties peccant homines, fulminare, sed eorum plerumque vitia, vindictam differens, tolerare, ne si ad fulminandum singula rapiatur amore vindicandi, prius desint fulmina quam homines vitæ merito fulminandi. Cæterum Deus noster hoc intuitu non silet a vindicta, cum quis vel inscius vel infirmus, vel forte iniquus occupat interdicta, imo ad hoc silet, ut peccator aliquando salubriter confundatur, et confuso, largiori beneficio donum spiritus infundatur. Denique ubi abundavit peccatum, plerumque superabundat et gratia (*Rom.* V), et cui plus dimissum est, plus diligit, et cum qui cognoscit se fuisse amplius debitorem nonnunquam in reddendo videmus largiorem. Quod si forti abutens misericordia quisque negligit pœnitere, et impœnitenti divina differt censura juxta meritum respondere, in hoc ipsius Dei major patientia demonstratur qui pati non recusat eos etiam quibus misericorditer non placatur. De qualibus per prophetam : « Laboravi, ait, sustinens (*Isa.* I). » Laborare se dicit cum ingratos mores hominum scrutator intimus investigat, et perpendit quia eos compungens pœnitentia non castigat, sed quo amplius tacet, ut quasi non videre quæ puniri debeant videatur, eo amplius ad peccandum impunita eorum iniquitas induratur. Quod per eumdem Isaiam arguens : « Non cogitasti, ait, in corde tuo quia ego tacens et quasi non videns, et mei oblita es (*Isa.* LVII). » Cum anima perversa cogitatione intima non perpendit, quod divina bonitas misericordi silentio sua illi scelera non rependit, et avertens faciem, ad horam quasi elegit non videre, ut per patientiam possit ad pœnitentiam promovere, unde illa misera divinæ misericordiæ gratius et devotius deberet reminisci, inde invenitur durius et perversius oblivisci. « Et mei, ait, oblita es. » Deus autem cujus fortis patientia non lassatur, cujus patiens fortitudo diutino impulsu nostrorum scelerum non quassatur, gravi nostro proposito plerumque obstaculum non immittit, sed juxta nostrum libitum usque ad vitæ hujus exitum aliquando currere nos permittit. Et cum timore illius vel amore cervix nostra ferrea non mitescit, illius patientia vindictam comprimens conticescit considerans quo fructu nostra perversitas induretur, vel ipsa duritia quo fine, vel præmio consumetur. Quod per eumdem prophetam innuens : « Quiescam, ait, et considerabo in loco meo (*ibid.*). » In loco suo Deus quiescere perhibetur, quia in deitatis suæ secretario ira vel contributio non habetur, unde ad nos quasi videtur exire, quandiu differt eo, quod ipse novit, consilio nos ferire. Differens autem, considerat quod

ipso quiescente nostra perversitas non quiescit, sed quo amplius impunita, eo vehementius indurescit, et proficiens in pejus, donec voto miserabili ducatur ad perfectum, in hac perfectione casu irreparabili mergitur in defectum.

601 CAPUT LIII.

Denique idem prophèta cum de ipso Dei Filio loqueretur, attendens quæ et quanta nullo suo exigente merito pateretur, non solum ipsam ejus prædicere voluit passionem, sed adjuncti quoque silentii gratam facere mentionem. « Oblatus est, ait, quia ipse voluit, et non aperuit os suum, quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum (*Isa.* LIII). » Cum se Christus occidi sineret suæ grato munere voluntatis, quem tamen occidebant corrupti vitio voluntariæ pravitatis, prudenti consilio fretus os suum voluit aperire, id est contumelias ferientium præsenti gladio referire. Unde et Petro qui se adhuc ad tam humile silentium non inclinat, sed quasi procacior ad loquendum festinæ retributionis gladium evaginat : « Reconde, ait, gladium in vaginam : omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt (*Matth.* XXVI). » Noli ad feriendum gladio festinare, dum justo citius acceptas vis injurias vindicare, sed eum saniori doctus magisterio jam reconde, id est pressum et oppressum sub patienti silentio te absconde. Omnes enim qui acceperint intempestum gladium feriendi, nescientes sive contemnentes salubre silentium sufferendi, gladio peribunt, id est pari judicio ultionem incurrent divinam, nisi forte excitum gladium mutato proposito remiserint in vaginam. Et pulchre agno, qui patiens et benevolus, vel tondetur in passione sua Christus similis perhibetur, ut prudens quisque nullo fastu quasi excellentior indignetur, si ad imitandum agnum ejusdem Christi monitis invitetur. « Ecce ego, ait, mitto vos sicut agnos (*Matth.* X). » Agnum quippe si quis totonderit, mira in eo patientia demonstratur, dum ferienti, non morsu, non ictu quolibet adversatur, sed omnes motus graves tanto invenitur silentio cohibere, ut magis videatur percussus unam maxillam, alteram exhibere. Si quis vero eum totonderit, violenta ille vellus avaritia non retentat, sed ad reddendum illud adeo benevolum se præsentat, ut quasi tunicam auferenti, et pallium remittere non recuset, et eum indicta vel proposita Evangelii perfectio non accuset. Bonus itaque agnus qui si tundatur, reddere vicem nescit, si vero tondeatur, nihilominus obmutescit; et in cunctis quæ sibi viderit violento persequentis impetu contraire, tam patiens quam benevolus ad referendum paria, os suum refugit aperire. Et hic gerit non incongrue typum Christi, qui flagella et vulnera pro nobis perpeti non negavit, nec tonderi deposito humanitatis velamine recusavit, qui nos forma et exemplo patientiæ humilis erudivit, et incorruptæ carnis mundo vellere nos vestivit. Illius vero agni silentium, quod in passione sua Isaias Christum asserit tenuisse, idem Christus invenitur longe retro A per prophetam alium prædixisse. Videturque Isaias non tam novum aliquid prophetasse, quam antea prophetatum confirmandi gratia replicasse. Cum enim per os David malevolentiam persequentium demonstraret, et verbosam eorum vanitatem, dolos et instantiam accusaret, sui econtra silentii consequenter curavit facere mentionem, ostendens quod illorum malitiæ in præsenti non reddiderit talionem. « Qui inquirebant mala mihi, ait, locuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquam surdus, non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum (*Psal.* XXXVII). » Et iterum : « Factus sum, inquit, sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones (*ibid.*). » Mirum silentium! Cum eumdem Christum vana malevolorum locutio, B imo et dolosa eorum meditatio non lateret, et ingratis eorum operibus respondere paria prævaleret, sic tamen siluit, tanquam surdus, illorum verba, vel consilia non audiisset, tanquam ad redarguendum, os mutum, et invalidum habuisset. Sed quare hoc, nisi ut nos ad idem quoque silentium invitaret, ut nos a referendo ingrata, monitis efficacibus revocaret, sciens quia commonitorium tunc efficacius operatur, cum id quod faciendum est, sicut verbo, ita et opere demonstratur? Multis quippe retro diebus veterum serie Scripturarum, et multorum post invicem nos admonuerat testimonio prophetarum, ut cum nobis persecutor molestiæ quid inferret, par pari nostra humilitas quieta silentio non referret. C Quod enim per se ipsum tandem præsentialiter exhibere, hoc per prophetas suos pridem litteraliter voluit prædocere, ut silentium humile et illorum litteris præsciretur, et quod præscitum esset, hujus exhibitione roboratum commendabilius haberetur.

CAPUT LIV.

Loquens itaque per Isaiam : « Tacete, ait, qui habitatis in insula (*Isa.* XXIII). » Pulchre ad tacendum eos aggreditur invitare, qui non ubilibet, sed in insula dicuntur habitare, non quod quibusque aliis æstimet silentium non prodesse, sed quia præ cæteris, istis necessarium novit esse. Cum enim congrua omni vasi fictili sua integritas videatur, quæ plerumque vix solida inter manus tenentium conservatur; cui tamen violentus ignis accesserit, vel altera D quævis angaria patenter institerit, ei præcipue est necessaria fortitudo, ne accidenti molestiæ fractionis suæ strepitu **602** luculenta respondeat ægritudo. Sic et homo cum in horto voluptatis sub umbra gratissima refrigescit, cum in portum voluntatis deductus, tanquam in cubiculo delitescit, est mirum si adgaudens optatæ paci et otio conticescit, cujus nullo tumultu aut cauterio mens ægrescit. Si vero gravem colaphum superducta ferientis manus inflixerit, si caminus æstuans, si persecutio impugnans afflixerit, si undarum illisio, si rabies ventorum institerit, tunc præcipue necessariam habet homo fortitudinem ut subsistat, ut malis ingravescentibus a quieto cordis proposito non desistat, ut incumbente plenius cujusvis tribulationis gravissima

læsione, nulla tanquam vas infirmum et impatiens respondeat fractione. Recte ergo habitatoribus insulæ diligenter silentium imperatur, quia tunc præcipue illud esse necessarium judicatur, cum multis et variis homo incommodis fatigatur, ut scilicet illatas injurias nitatur æquanimiter sustinere, ne rupto patienti silentio similia præsumat respondere. Insula quidem terra brevior est, quæ aquis undique circumcincta a reliqua terrarum amplitudine illis interfluentibus est distincta, et nec ejus superficies undis adjacentibus cogitur operiri, nec illis penitus effugatis reliquæ terræ prævalet couiri. Quia vero mare cæteris fluminibus largius dilatatur, et diffusa ejus latitudine multum spatium occupatur, in ipso præcipue hujusmodi insula frequentius invenitur, quæ paulo supereminens aquis æquoreis circuitur. Insulæ autem nomine religiosa conversatio figuratur, quæ firmiori proposito velut quodam sui pondere solidatur, et superexcedens vitæ sæcularis periculosius et quasi labilius elementum, accedentibus ad eam prælet habitabile firmamentum. Quod nimirum alius se propheta gaudet plurimum invenisse, et relicto instabili actionum carnalium diluvio ad propositum firmius pervenisse, in quo ventis et flatibus jam more solito non urgetur, sed de profectu ad profectum gressu recto et stabili promovetur. « Duxit, inquit, me de lacu miseriæ et de luto fæcis, et statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos (*Psal.* xxxix). » Lacus miseriæ est fluxus exuberans actuum perversorum, qui occupat et absorbet infinitam multitudinem miserorum, et depressos ejus gurgustio in æternam quandoque miseriam nos deducit, si prius de profunda illius voragine manus misericordiæ non reducit. Lutum autem fæcis, sive fæx luculenta, ipsa est immunditia occultæ voluntatis, in qua miser animus hæret gaudens volutabro iniquæ voluptatis, et cum forte aliquando nihil mali exterius operatur, in hoc tamen quasi residuo, delectatione misera volutatur. De hoc et lacu miseriæ, et luto fæcis divinæ respectus misericordiæ nos educit, et ablutos remissionis gratia tanquam in insulam introducit, affectusque nostros supra solidioris propositi petram ponit, et dirigit actus nostros dum saluti reddere nos disponit. Sed quia mare sive lacus longe ab insula non recedit, optatam pacem ejusdem plenius incolis non concedit, sed quos intra fluctus suos, non prævaluit retentare, nequaquam cessat eis minas et terrores varios intentare. Sæcularis quippe vitæ homines, iræ, invidiæ, avaritiæ flatibus excitati et audaci malitia in tumentem cumulum elevati, quos et quales assultus melioris propositi hominibus ingerant quis edicat, maxime si eisdem manus forte potentior silentium non indicat?

Quia enim religiosi sanctitatis gradum obtinent firmiorem, sæculares vero locum et patientiam nequiorem, isti ad impugnandum illos indefessa rabie se extendunt, quos vita et moribus sibi esse dissimiles deprehendunt. His ergo dissimilibus nihil utilius quam tacere, et illatis injuriis non mordaci contumelia respondere, ne, qui malitiosis impugnatoribus, dissimiles sunt tacendo, tandem victi molestiis fiant similes respondendo : « Noli, ait Salomon, respondere stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris similis (*Prov.* xxvi). » Quod etiam Christus non tam verbo quam opere videtur attestari, qui suis impugnatoribus respondendo noluit similari, dum juxta Petrum, cum malediceretur non maledixit, cum percuteretur non repercussit (*I Pet.* ii), sed : « Posui, ait, ori meo custodiam cum consisteret peccator adversum me (*Psal.* xxxviii). » Hoc exemplo habitator insulæ os suum præcipitur custodire, illudque sollicitius forti sera silentii præmunire, ne tribulationum impatiens, ultionis verbum præsumat effutire, et ferientium injurias turbato spiritu referire. « Tacete, ait, qui habitatis in insula (*Isa.* xxiii). » Vos, ait, qui donante gratia jam in mari conversationem fluxam et labilem non habetis, sic consilio saniori solidius religionis propositum obtinetis, qui velut terræ fertilis jam carpitis fructus in gaudio (promissionem enim vitæ quæ nunc est et futuræ habet religio) cum interim mare circumstrepit, cum frequens undarum illuvies comminatur, cum assultibus variis in profundum redigere vos conatur, cum sæcularium potens iniquitas dure sævit, quæ magis ad defectum quam profectum insulanos accolas urgere consuevit, date operam ut vestra patientia non facescat, sed humilitatis gratia supponens ori digitum conticescat, ne si persecutoribus morum similitudine vultis reddere talionem, non jam in insula, sed in mari videamini facere mansionem.

Et forte religiosi quilibet graves sæcularium impetus utcunque possunt ferre, et æquo satis animo injuriis eorum injurias non referre, cum et stare in solidiori eminentia se perpendunt, et illis inferioribus similes effici non contendunt. Verum cum desuper aer turbidus intumescit, cum nix, grando, tonitruum fulgur ignium ingravescit, cum, cœli cataractæ videntur minaciter aperiri, cum tota prorsus insula supernis tempestatibus operiri, quis hujus habitator non vehementius contremiscat, imo quis non sub tanto pondere, omni privatus refugio defatiscat? Cum enim circumquaque mare sæviens prosperum nihil promittat, et cœlum multo gravius pluat, tonet, fulguret, mortemque repromittat, cum a lateribus non sit effugium invenire, et tempestas aeris non cesset in insulam desævire, miror si quispiam tam invicti roboris habeatur, ut non more arboris cum fragore nimio radicitus evellatur?

Sic autem mare fremens turbatam sæcularium nequitiam videtur figurare, quæ religionis viros non cessat malis operibus vel saltem moribus impugnare : sic cœli vel aeris nomine doctorum gradus sublimior designatur, quorum magisterio inferior nostra humilitas, velut terra subjacens gubernatur. Cujus cœli facies cum vespertino tempore serenatur, cum rore matutino tenuiter humectatur, cum solis

603

radio terris clarior illucescit, cum imbre temporaneo gratis vicibus impinguescit, homo natus ad laborem non mediocriter jucundatur, quia terra quam incolit, tali beneficio fecundatur. Pari modo cum doctor ecclesiasticus recumbit velut in humili tecto serenæ voluntatis, cum assurgit et irrorat profundæ scientia veritatis, cum velut solis meridiani radiis, operum meritis æstuat et clarescit, cum doctrina et sermone irrigare subditos non pigrescit : nimirum tersa mentis fuligine homo subditus hilarescit, quia ejus religio tali forte magisterio fecundius enitescit. Si vero is qui esse debeat fructuosus prædictorum munerum distributor, damnosus invenitur e contrario persecutor, si gravem in subditos potentiam diligit exercere, si pro ordine dignitatis jus tyrannicum obtinere, si tonat et fulminat, si morum intemperie debacchatur, si suam malitiam in subditorum verti miseriam gratulatur, nimirum pusillus grex non est sub cujus umbraculo protegatur, cum is quem speraverat protectorem, hostis gravior habeatur. Cum quis in mari positus venturam timet vel jam sustinet tempestatem, toto desiderio festinat obtinere terræ stabilis firmitatem, ut qui videtur sibi marino discrimine periturus, tandem potitus optato littore sit securus. Si vero terram obtinens supremis fulminibus appetatur, jam nec fugit, nec spe residua confortatur, quia falso vitam sibi quisquam mortalium repromittit, quem tam in terra, quam in aquis ultio vivere non permittit. Et cum illi grave satis maris periculum videretur, in quo tamen spes manebat ut ad terram tendere niteretur, ipsum quidem terræ periculum multo gravius asseverat, in quo miser et forte plus quam miser, quasi de misericordia jam desperat experimento comperi : nulla persecutio magis sævit, nulla magis premere vel opprimere consuevit, nullo fasce miser animus sic gravatur, nullo gravamine spes languidius infirmatur, quam cum ille se ingerit ruptis misericordiæ legibus oppressorem, quem ordo naturalis vel forte spiritalis promiserat defensorem. De qualibus Isaias : « Vir, inquit, fratri suo non parcet, et unusquisque carnem brachii sui vorabit (*Isa.* IX). » Et Michæas : « Vir fratrem suum venatur ad mortem (*Mich.* VII). » Et Matthæus : « Tradet, inquit, frater fratrem in mortem, et pater filium (*Matth.* X). » Cum vero frater fratrem, pater filium diligit molestare, et quem sinu fovere debuerat, insidiis, odiis, persecutionibus infestare, ab eodem infestato silentium facile non tenetur, sed quo iniquius putat se opprimi, eo ad respondendum gravius perurgetur. « Si inimicus meus, inquit, maledixisset mihi, sustinuissem utique (*Psal.* LIV). » Quia vero homo unanimis, dux meus et notus meus, non solum nullum beneficium mihi præstat, sed violato dilectionis jure, rancoris et invidiæ toxico me molestat, etsi manum timidam vel forte invalidam compellor continere, quomodo saltem oris vel cordis linguam potero colibere, quin clamem et reclamem et expostulem vindicari, et voluntas exigit, quod manui non conceditur, operari? Sed quoniam tempus tacendi et tempus loquendi : « Tacete, ait Dominus, qui habitatis in insula (*Isa.* XXIII). » Quia tempus, ait, non dum imminet ulciscendi, sed quidquid acciderit, æquanimiter sufferendi, juxta illud Salomonis : « Non contristabit justum quidquid ei acciderit (*Prov.* XII), » tacete, præsertim cum vestra videatur habitatio vos monere, et respectu mei debeatis quidquid tolero, tolerabilius sustinere. Vestra quippe insula, quæ assidue marinis undique fluctibus angustatur, et frequenter gravioris aeris intemperie molestatur, monet vos ut sub scuto patientiæ silenter lateatis, et quæ meo vobis accidunt judicio, sine ira et murmure transire permittatis. « Omnia, inquit David, excelsa tua et fluctus tui super me transierunt (*Psal.* XLI). »

CAPUT LV.

Denique ipse Christus, qui a Judæis carnem acceperat, et ab eis diligi naturali quodam jure debuerat, cum nullo suo **604** merito sustineret plurimos oppressores, scribas tamen et Pharisæos invenit sibi plurimum graviores. Nam, etsi Pilatus et milites et alii plerique gentilium nocuerunt qui eum passioni violentis manibus addixerunt, illi tamen graviores, illi multo nequiores probantur exstitisse, quos corruptos malitia indefessis vocibus ad hoc certum est institisse. Judæi quippe et Judæorum principes Christum innocuum accusarunt et invidia tabescentes, iniquis rumoribus diffamarunt, et cujus nec vera vitia debuissent apud ethnicos divulgare, maledictus enim juxta legem (*Lev.* XVIII) qui fratris vel filii præsumit turpitudinem revelare, aggressi sunt fictis mendaciis reum mortis et patibuli proclamare. Proclamantes autem Pilatum præsidere coegerunt, et instante malitia Romanos milites impegerunt, ut quem dignum morte corruisse non noverant in reatum, eum tamen occiderent malitiosis gentis suæ vocibus accusatum. Unde Pilatus : « Gens tua, inquit, et principes tradiderunt te mihi (*Joan.* XVIII). » Et ait, ad illos : « Quid enim mali fecit? » (*Marc.* XV). Cum ergo Pilatus nihil mali cognoverit hunc egisse quem sibi gentem suam et principes asserit tradidisse, patenter innuitur quia eumdem Pilatum ad hoc sua præcipue malitia non armavit, sed Judæorum ira et virulentum odium instigavit. In his autem quæ vel gentilis obsequens vel Judæus intulit instigator, qualis Christus insulæ fuerit habitator, quomodo scilicet ad illatas injurias quasi non audiens et mutus steterit et mira patientia præmunitus ingratis ingrata nequaquam reddiderit satis novit, qui Evangelio diligentius aurem præstat, cujus hoc evidentius revoluta series manifestat. Et hoc nimirum quod idem Christus est in Evangelio realiter exsecutus, per Isaiam prophetaliter fuerat prælocutus, ut et prophetia rei futuræ testimonium perhiberet et quod prædictum erat rei veritas exhiberet. « Ad me, inquit, taceant insulæ (*Isa.* XLI); » ac si dicat : Ad exemplum mei juxta formam meam, ad imitandum me, ad confirmandum mihi, taceant qui non solum

habitant in insula sed et dici expressius insulæ promerentur, dum multis et gravibus molestiis undique perurgentur, dum non solum inundatione sæcularium circumflua immerguntur, sed et graviora doctorum fulmina silenti fortitudine patiuntur, sicut enim quorum conversatio in cœlis est cœlum dicuntur juxta quod per eumdem Isaiam : « Cœlum, inquit, sedes mea (*Isa.* LXVI); » et David : « Cœli enarrant gloriam Dei (*Psal.* XVIII); » ita et qui habitant in insula recte possunt insulæ nominari, quo in medio scribarum et Pharisæorum conversantes, Christum eligunt imitari, qui ab illis a quibus protegi debuerant graviter impugnantur, et in sufferendo eos Christi silentium et patientiam contemplantur. De quibus iterum dicit : « Me insulæ exspectabunt (*Isa.* LI). » Illi, ait, qui cum a majoribus suis persecutionem sufferunt ad me spectant ad retribuendum sibi digna pro meritis me exspectant, scientes quia exspectantes exspectatus a retributionis præmio non defraudat, quos quisque recte sapit hujus merito silentii digne laudat. Denique ethnici qui Christum sensu devio non attendunt, virilem tamen patientiam magnipendunt, et eos prædicant cæteris admirabiliter præminere, qui noverint casus contrarios æquanimiter sustinere. Unde ille orator egregius : « Magna, inquit, laus illa et admirabilis videri solet, tulisse casus sapienter adversos, non fractum esse fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatem. » In rebus quippe asperis firmam retinet dignitatem qui maturam non abjicit mente pusillanimi gravitatem, qui vento flante valido tanquam palea non raptatur, qui usque ad defectum incumbente adversitatis malleo non quassatur. Ille, inquam, in rebus asperis retinet dignitatem cujus non degenerat rerum asperitas internam honestatem, serenum cujus animum nulla persecutionis caligo decolorat, qui ad se ulciscendum furore et odio non laborat. Quem furorem vel odium a nobis nititur relegare et in rebus asperis recessus mentis absconditos serenare qui nobis iracundia vel forte ignorantia plerumque laborantibus interdictam sibi ab hujusmodi libro attribui vult vindictam. « Mihi, ait, vindicta, ego retribuam, dicit Dominus, vel sicut translatio nostra habet, mea est ultio et ego retribuam eis in tempore (*Deut.* XXXII). »

CAPUT LVI.

Qui enim plerumque non vindicat volens peccantibus misereri et indulto spatio eos ad pœnitentiam promoveri, juxta illud Apostoli : « Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit (*Rom.* II); » profecto, cum adesse tempus considerat opportunum, exhibet se feriendis peccatoribus importunum. Unde per Prophetam : « Cum accepero, inquit, tempus, ego justitias judicabo (*Psal.* LXXIV). » Ego, ait, qui aliquandiu vestras injustitias patenter volui sustinere, et judicium ultionis quasi sub silentio cohibere, cum tempus vindicandi videro congruum imminere illud etiam judicabo quod vos egisse justius æstimatis, quia, etsi voluntas adjacet, tamen ignorantia caligatis. Neque æstimandum est ut semper Deus sileat a vindicta et impune quilibet præsumat interdicta, cum potius certa sit veritatis sententia definitum, quod apud illum judicem nihil culpæ remaneat impunitum. Quod attendens Job : « Verebar, inquit, omnia opera mea, sciens quia non parceres delinquenti (*Job* IX). » Cum Deus his qui **605** peccant misericorditer parcere non negetur, alioquin nullus nostrum accepta indulgentia salvaretur, eum tamen recte Job delinquenti non parcere protestatur, quia nulla prorsus culpa ab ultione sibi necessaria relaxatur. Etsi enim parcit peccatori, ut non pœnis infernalibus deputetur, quas profecto peccatum, si non succurrat venia, promeretur : non tamen parcit quin idem peccatum ultione purgatoria feriatur, ut eo purgato, peccator per pœnitentiam, salutem consequatur. Qui ergo parcit ea quæ sua est misericordia pœnitenti, non parcit procul dubio exigente justitia delinquenti, quia et pœnitens nisi parcente misericordia non salvatur, et justum est ut delictum competenti amaritudine mordeatur. Quodpropter Job omnia opera sua recte perhibet se vereri, considerans quia nulli delicto divina vult censura misereri, quia scilicet ferit quidquid contra justitiam perpetratur, quamvis non malitia sed forte infirmitate, vel ignorantia contrahatur. Denique et Lazarus qui profecto magnorum meritis operum enitescit, et Evangelio prædicante, lætus in sinu Abrahæ requiescit, pro peccatis quæ forte aliquando creditur incurrisse, perhibetur mala competenter recepisse. Nam cum diviti qui apud inferos torquebatur, dixisset Abraham : « Fili, recepisti bona in vita tua, » subjunxit : « Et Lazarus similiter mala (*Luc.* XVI), » dans intelligi quia sicut justus Judex fraudari divitem nequaquam sustinuit, sed pro bonis quæ gesserat, hujus illi vitæ bona restituit, ita et Lazaro delinquenti credendus est nequaquam pepercisse, sed pro malis mala librato examine reddidisse. Hoc enim est justitiæ Creatoris, ut sicut apud eam bonum opus digno præmio non fraudetur, sic et malum retributione congrua feriatur, et apud se tenet certo judicio definitum, ut nec bonum sterile, nec malum retineat impunitum. Sed quia patiens Deus peccantibus plerumque reddere paria non festinat, nec in eos, statim ut peccaverint, ultionis gladium evaginat, nonnulli æstimantes eum quasi negligentius obdormire, non formidant manus suas multis et diutinis vitiorum maculis irretire. Quibus per Isaiam dicit : « Silui, patiens fui tanquam pariens loquar (*Isa.* XLII); » ac si dicat : Ostendi vobis meam patientiam cum tacerem, cum vestris excessibus nullis adhuc percussionibus responderem, sed latentem justitiam in lucem vestro proferam cum dolore, cum vos scilicet induratos pœna feriam graviore. Quod alia translatio habet : « Tacui, nunquid semper tacebo? « Etsi ad horam, ait, vestras iniquitates cum silentio toleravi dum pœnam differens, vestram pœnitentiam exspectavi : nunquid semper me putatis modo simili taciturum, id est vestræ ingratitudini

nihil amaritudinis redditurum? Ad quod alibi per eumdem Isaiam respondetur : « Non tacebo, inquit, sed reddam (*Isa.* LXV). » Tacere, inquit, vobis videor cum peccatis, cum omnia vobis cedunt juxta corruptæ libitum voluntatis, sed tunc vobis intonante justitia non tacebo, cum, ut singula feriam, vestra mala districtius recensebo.

Denique gentiles, qui licet infidelis ignorantiæ tenebris obcæcati curam tamen impendunt paulo diligentius honestati, non æstimant rectum esse ut pravorum semper garrulitas audiatur, et patientia degeneri nunquam responsione congrua feriatur. Quorum unus :

Semper ego, inquit, *auditor tantum? nunquamne reponam?*

Audiebat iste satiricus rusticanam multitudinem poetaram qui cum perexiguam obtinerent scientiam litterarum, mira tamen impudentia doctorum sibi locum et vocabulum assumebant, et rauca et inutili verbositate libros et poemata contexebant. Quod cum huic multo tempore displiceret, nec tamen illis redargutione congrua responderet, tandem ei visum est quod non esset diutius cum silentio sufferendum, sed gravedini tam molestæ aliquid molestiæ reponendum. Cum certum, inquit, habeam vos poetas ignobiles, nihil, vel parum scire, parvam curam litteris, nullum profectioni studium impertire, semperne audiam rauca impudentia vos garrire, rusticana poemata inconsideratius effutire, et huic tantæ procaciæ, qua me vexare præsumitis, nihil reponam, tantæque phrenesi necessarium purgationis helleborum non apponam? Sic etiam cum nequam homines processu temporis ad pœnitentiam non mollescunt, sed quo magis sufferuntur, eo ad peccandum gravius indurescunt, summus ille castigator ad feriendum plerumque præparatur, ne, si parcere plus decernat, obstinatius delinquatur. Sicut enim cum arborum novella plantaria libertati propriæ relinquuntur, indiffusam ramorum latitudinem, vel proceram altitudinem efferuntur, et si forte ad annosam vetustatem proficere conceduntur, solidato vel indurato robore humanis jam viribus non flectuntur; sic nimirum cum novella iniquitas ultione seposita permittitur prosperari, accepta libertate festinat dilatari, et, si forte vindicta quasi obliviscens diutius contiescit, illa proficiens in pejus, in invictam malitiam et incorrigibilem indurescit. Plerumque igitur Deus his qui a bono cessant opere comminatur, ut comminationis tonitru torpens anima terreatur, et cum sibi ob negligentiam pœnas noverit imminere, ad agendum iniquius formidet manus, vel animum intorquere.

606 CAPUT LVII.

Prima quippe offensio est qua Deus ad iracundiam dicitur provocari, cum misera et torpens anima id quod bonum est, negligit operari; secunda vero cum jam torpore et otio non contenta, ad agendum quod malum est, vehementius sit intenta. Quæ cum a torpore et otio, non precibus, non minis revocatur, quasi accepta licentia in quamdam peccandi latitudinem evagatur, et quia primum morbi plantarium nullo mordente sarculo resecatur, de vitio procedens in vitium libertate noxia roboratur. Si vero cum a bono opere velut somno pressa languidius intorpescit, irruente minarum fulgure vigilantius expavescit, jam non solum ad agendum nequius, voluntarium animum non intendit, sed ab eo quod jam torpuerat, digna sese pœnitentia reprehendit. Cum itaque apud Jeremiam quosdam sermo divinus accusaret, et dignos accusari propter negligentiam demonstraret : « Causam, inquiens, pupilli non direxerunt, et judicium pauperum non judicaverunt, » subjunxit : « Nunquid super his non vindicabo, dicit Dominus, aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea? » (*Jer.* VI.) Ac si dicat : Si homines otio dediti a bonis operibus torpuerunt, et, quod fraterna necessitas exigebat, cum possent exsequi, noluerunt, nunquid hujuscemodi sufferam læsionem et non magis super hæc dignam accipiam ultionem? Nolo enim ut æstiment ignavo silentio me sopitum, ut quod negligenter contempserint, ego negligentius deseram impunitum, sed radicem feriam quæ terræ nequius est infusa, antequam silvescat arbor, et in ramorum copiam sit diffusa. Contemptus quippe justitiæ quædam injustitiæ radix est, qua prius quisque negligens ad agendum quod justum est, diligentiam non apponit, et male proficiens, ad agendum quod injustum est postmodum se exponit. Cum autem disponit divina cito benevolentia misereri, contemptum ejus quasi radicem ad ampliora non sinit promoveri, sed terrore censorio, velut quodam fossorio nequam resecat rudimentum, ne abutens licentia nequius accipiat incrementum. Si vero ad feriendum hujusmodi contemptum, vel radicem dormitans ultio conticescit, vel forte ad ejus minas et flagella nequam animus obdurescit, radix semel inolita vigore pestifero germinans invalescit, et profectu misero ramorum multiplicitas coalescit. Nihil enim feracius, nihil invenitur tam cito juxta libitum prosperari quam mentis perversitas quæ diligens non ardua meritorum sed occidua vitiorum, suum in his invenit profectum, et casu præcipiti ducitur ad perfectum. Quæ cum in suis perdite voluptatibus gratulatur, easque vel indignas ultione, vel forte oblivioni deditas arbitratur, justus Judex qui mala germinantia, eo quod ipse novit, consilio, silenter voluit sustinere, graviore tandem sententia eisdem adultis aggreditur respondere. Unde apud Ezechielem : « Iniquitas, inquit, domus Israel, et Juda, magna est nimis valde, et repleta est terra sanguinibus, et civitas repleta est aversione. Dixerunt enim : « Dereliquit Dominus terram, et Dominus non videt (*Ezech.* IX). » Quia peccata filiorum Israel Deus patiens in exordio voluit non ferire, sed affectum nequiorem sustinuit pervenire, illi corde obcæcato suspicati sunt Deum terrenorum sollicitudinem non habere, et quæ ab ipsis perverse gerebantur, attentius non videre. Ex quo sibi majorem fiduciam, imo duritiam assumentes

et Dei patientia negligentius abutentes, et amplius quo securius peccare præsumpserunt, et, quasi Deus talia non videret, graviora gravibus addiderunt. Quod etiam alibi quidam stultus prædicat evidenter, qui Deum æstimans non videre quod ab ipso geritur impudenter, quia ille vindictam differens peccantem sustinet patienter, ipse ad peccandum amplius sese præparat confidenter. « Quis me videt? inquit, tenebræ circumdant me et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me. Quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus (*Eccli.* XXIII). » Iste obsessus tenebris, et mentis obstinatæ duro pariete circumseptus, lucem illam, quæ Deus est, et emollit quos penetrat, inexpertus, cujus vel gravem justitiam, vel suavem misericordiam tenebrosi digna reverentia non attendunt, quia, etsi lux lucet in tenebris, non tamen eam tenebræ comprehendunt; iste, inquam, quia non videt lucem istam, se quoque æstimat non videri, et corde obdurato districtum audet judicem non vereri, et quem novit Altissimum, sic putat in superioribus commorari, ut eorum quæ perverse aguntur inferius, non curet memorari. « Delictorum, inquit, meorum non memorabitur Altissimus. » Cæterum iste Altissimus sic ad horam sustinet peccatorem, ut tamen sese postea districtum exhibeat redditorem, nec est putandum, ut sit erga illum patiens negligenter, cum in Scripturis prædicetur non solum prius patiens, sed, et redditor consequenter. Ait enim quidam sapiens : « Altissimus est patiens redditor (*Eccli.* V). » Et David : « Misericors, inquit, et miserator, et justus (*Psal.* CX). » Et iterum : « Patiens, inquit, et multæ misericordiæ et verax (*Psal.* LXXXV). » Cum igitur iste, et patiens, et redditor, miserator et justus, multæ misericordiæ et verax Scripturæ testimoniis asseratur, non est credendum quod cujusquam vitia, vel ignorans, vel negligens patiatur, **607** vel sic gentiles puniat, ut non etiam divinis legibus eruditos, vel sic feriat Israelem, ut gentiles deserat impunitos. Omnes quidem percutit, sed eis pœnas incutit graviores quorum culpas esse comperit ampliores, forte qui doctrinæ beneficio majorem ejus notitiam assecuti, timore tamen et amore sepositio vitiis sunt majoribus obvoluti. Denique servus qui scit voluntatem domini sui et non facit, digne vapulabit multis. Servum ergo cui pleniorem sui notitiam dignatur dominus impertire, districtiore sententia cum offenderit vult punire, nec ei compassione degeneri miseretur, qui quem suum et auctorem novit, et dominum, humilitate debita non veretur. Unde cum apud Ezechielem dixissent filii Israel et Juda : « Dereliquit Dominus terram et Dominus non videt (*Ezech.* IX), » ibidem subjunxit Dominus : « Igitur et meus non parcet oculus, neque miserebor, vias eorum reddam super caput eorum (*ibid.*). » Quia, inquit, me Dominum voce propria confitentur, æstimantes, quæ ab ipsis aguntur, perperam me quasi procul positum non videre, eo quod illis differo ultionis jaculum intorquere, igitur et ego tandem non parcam, neque hujusmodi peccantibus assiduo misericors apparebo, sed eorum gravi superbiæ pœnis gravioribus respondebo. Nam juxta quod superbe, et contumaciter peccare præsumpserunt, non amantes nec timentes quem esse Dominum cognoverunt, dignum est ut in caput eorum manifeste merces congrua referatur, ut non tam ego quam sua eis respondere superbia videatur. Tunc enim sua cuique manifeste respondet iniquitas, cum hujus merito gravis eum urget adversitas, cum sicut prius exsultavit in contemptu justitiæ vel jactura, sic postmodum contristatur pœnarum pari numero, vel mensura. Unde per Isaiam : « Secundum magnitudinem operis, visitatio eorum (*Isa.* XV). » Et iterum : « In mensura contra mensuram visitabit eam (*Isa.* XXVII). » Et propheta Osee : « Respondebit, inquit, arrogantia Israel in facie ejus (*Osee* V). » Quid autem sit arrogantiam Israel in ejus facie respondere, consequenter propheta voluit manifestius edocere : « Et Israel, inquit, ruet in iniquitate sua (*ibid.*). » Quia Israel iniquius non timuit operibus implicari, et mandata divina per tumorem, et arrogantiam aspernari, eadem illi congrue tunc arrogantia respondebit, cum graviter eum corruere superincumbens ultio perurgebit. Nam qui vero et servo Dei indicio sic cæcatur, ut quod caro blandiens, vel mundus offert decipiens, avidius amplectatur, miser sensu perdito videtur sibi stare, quandiu tali proposito nulla invenitur adversitas obviare. Si autem ira Dei carnali occurrens blandimento more illud medici, ultionis quodam resecet ferramento, æger ille et invalidus jam quasi cornit dum punitur, dum explere solita novis adversitatibus præpeditur, dum culparum merito, ferientis manum gravissimam experitur. Nimirum juxta perversæ modum vel meritum actionis, formatur etiam modus et asperitas ultionis, ut cum is qui deliquit, sive dure sive durius feriatur, non sit tamen quod de ferientis recte justitia conqueratur. Unde longe infra subjungit Osee de Israel : « Juxta vias ejus et juxta adinventiones ejus, reddet ei (*Osee* XII). » Quod feriendum Israel potest velut immeritum excusare, quis tanquam indiscretam ferientis justitiam accusare, cum illius iniquitas et arrogantia nominetur, et iste non tam dare quam juxta vias, et adinventiones reddere prædicetur? Ille quidem iniquus et arrogans Deum suum offendere non veretur, Deus justus et verax offendenti non quasi negligens miseretur, sed quo illum amplius familiarem suum et domesticum novit esse, eo quidquid offensæ contraxerit vult expressius ultum esse. Quod per Amos prophetam insinuans : « Tantummodo, inquit, vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ, idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras (*Amos.* III). » Quia, inquit, familiarius cæteris vos cognosco, idcirco vobis peccantibus non ignosco, quin omnia quæ inique perpetratis, in facie vestra replicem et revolvam, ut cum dignam mercedem reddidero, vos absolvam. Bonus quippe Judex, et

non parcens parcit, et non miserans miseratur, cum et peccatum punit, et medelam peccantis operatur, cum suum ad hoc populum visitans percutit ut purgetur, cum ille velut æger redire ad salutem gravi cauterio perurgetur. Non parcens parcit, cum, juxta David : « Visitat in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum : misericordiam autem suam non aufert ab eis (*Psal.* LXXXVIII), » cum videlicet superducit molestam illorum errantibus disciplinam, et eadem molestia in salutarem vertitur medicinam.

CAPUT LVIII.

Paulus etiam hoc doctus magisterio Corinthiis comminatur, eisque peccantibus se gravem adfore protestatur, quorum tamen ægritudini, quo affectu, quanta misericordia medeatur, satis superque in suis Epistolis demonstratur. « Tanquam non venturus sim, inquit, ad vos, sic inflati sunt quidam : veniam autem cito ad vos. Quid vultis? in virga veniam ad vos? » (*I Cor.* IV.) Et in alia Epistola : « Prædixi, ait, et prædico, quoniam si venero iterum, non parcam (*II Cor.* XIII). » Qui sic strepit, et intonat, et terribiliter minatur se venturum, etsi venerit, non, ut ita dixerim, parciturum, nihil in hoc attendit aliud quam illis consulere **608** vel mederi, et sic in ægritudinem desævire, ut inveniatur ipsis ægrotantibus misereri. Ipse etenim quem ad sæviendum zelus et amor justitiæ sic instigat, adeo tamen eos diligit quos castigat, ut cum eorum vitia durius arguat, et accuset, pro eorum tamen animabus se ipsum misericorditer impendere non recuset : « Libenter, inquit, impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris (*II Cor.* XII). » Hinc est quod Joseph in fratres suos videtur gravius desævire, quibus tamen ad salutem subvenire ; et eos quasi dentibus ferreis vexat durius et triturat, eorumque precibus gemebundis aurem velut claudit ferocius et obturat. Quia enim sciebat illos graviter infirmari, tantamque infirmitatem, nisi gravi cauterio non purgari, assumpta severitate vultus non eos mollitie feminea miseratur, ne miserando enerviter odisse potius videatur. Scriptum quippe est : « Qui parcit virgæ, odit filium (*Prov.* XIII). » Illorum ergo vulneri non infundit adulantis olei lenimentum, sed infigit graviter timoris et angustiæ ferramentum, et internum vulnus, quod vel temporis longævitas, vel magis impunitas faciebat noxio situ putrescere, secando et urendo prudens medicus rursum compellit crudescere. Nam peccatum quod pro eo quod diu manserat impunitum, oblivione quadam apud eos fuerat jam sopitum, ingruente pœnarum gravedine ad memoriam revocatur, et in eorum conscientiis gravi commonitorio renovatur. Unde ipsi : « Merito, inquiunt, hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum videntes angustiam animæ illius dum deprecaretur nos, et non audivimus, idcirco venit super nos ista tribulatio (*Gen.* XLII). » Quia fratris nostri, in quo nulla iniquitas est reperta, non tamen nostra malignitas est miserta, certum esse debet qui hujus rei merito nunc punimur, et pro tanto scelere tantas inpræsentiarum molestias experimur. Tribulatio quippe quam princeps iste nobis infert et intentat, fraternum illud scelus nobis in facie repræsentat, et juxta quod locuti sumus malitiosam in illo falsitatem, nunc respondere facit manifeste justi judicii veritatem. De talibus Isaias : « Agnitio, inquit, vultus eorum respondebit eis (*Isa.* III). » Tunc quippe agnitio vultus invenitur peccantibus respondere, cum peccata prætérita curant memoriter recensere, et mala gravia quæ sibi viderint imminere, patenter agnoscunt illorum se merito sustinere. Tunc agnitio vultus respondet, cum malorum novitate peccata vetera feriuntur, et ea ad memoriam velut in faciem reducuntur, et tam causæ malorum quam pœnæ peccatorum invicem conferuntur, et per prædictum Isaiam discreti judices sic loquuntur : « Multiplicatæ sunt, inquiunt, iniquitates nostræ coram te, et peccata nostra responderunt nobis (*Isa.* LIX). » Ad hoc itaque fratribus suis Joseph calumnias infligebat, eosque prudenti consilio multiplicius affligebat, ut commisso scelere pœna eis debita in facie redderetur, et hæc eis redditio effectu salutifero mederetur. « Per salutem, inquit, Pharaonis, exploratores estis (*Gen.* XLII). » Et paulo post « : Reversus, ait, locutus est ad eos, tollens Simeon, et ligans illis præsentibus (*ibid.*). » Et infra : « Exterriti dixerunt mutuo : Propter pecuniam quam retulimus prius in saccis nostris, introducti sumus, ut devolvat in nos calumniam et violenter subjiciat servituti et nos et asinos (*Gen.* XLIII). » Et infra : « Surge, inquit, persequere viros, et apprehensis dicito : Quare reddidistis malum pro bono? Scyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, et in quo augurari solet : pessimam rem fecistis (*Gen.* XLIV). » Et iterum : « Omnes, inquit, ante eum in terra pariter corruerunt. Quibus ille ait : Cur sic agere voluistis? An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia? Cui Judas : Deus, inquit, invenit iniquitatem servorum. En omnes servi sumus domini mei, et nos et apud quem inventus est scyphus. Respondit Joseph : Absit a me, ut sic agam qui furatus est scyphum, ipse sit servus meus! Cui Judas : Ego, inquit, proprie servus tuus sim qui in meam hunc recepi fidem, et spopondi dicens : Nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore, non enim possum redire ad patrem meum absente puero, ne calamitatis quæ oppressura est patrem meum, testis assistam (*ibid.*). » Videtis quam dure fratres suos Joseph exagitat, quam gravem in illos ultionis pœnam excogitat, quomodo satagit internam illorum putredinem urere vel secare, et quod in eis inultum fuerat justa sententia vindicare. Quare hoc nisi ut secando et urendo, illos efficiat saniores, et cum sanati fuerint, eos habeat gratiores, gratioribus vero se ostendat benevolum et serenum, a qua nimirum ostensione removeri omnem præcipit alienum? « Præcepit, inquit, ut egrederentur cuncti foras,

et nullus interesset alienus agnitioni mutuæ (*Gen.* xlv). » Alienus est a fratribus rancor, invidia, odium venenosum, quæ excludunt et procul faciunt affectum gratiosum; quæ involucro malitiæ superjecto oculum mentis velant, et ne Joseph cognoscatur faciem ejus celant. Quandiu enim odiosa invidorum malitia miseram mentem lædit, et ad purgandum eam digna pœnitentia non accedit, Christum procul dubio non cognoscit, licet proximum, et præsentem, sed obcæcato sensu putat mortuum vel absentem. « Duodecim, inquiunt, fratres uno patre geniti sumus, unus non est super (*Gen.* xlii). » Quem fratres non cognoscunt nec intelligunt præsto esse, eum etiam nec putant superesse, quia Christus quem odientium invidia duro clausum **609** lapide sepelivit, non nisi in cordibus diligentium revelata facie regnans vivit. Ob hoc igitur quodam velut tersorio purgat oculos invidorum, et infuso pœnitentiæ mordacis collyrio, tergit maculam vel pituitam oculorum, ut cum pupilla cordis medicamine purgatorio fuerit deoperta, deoperte ipsa ejusdem Christi facies sit aperta. Persequitur fratres Christus meritis exigentibus inimicos ut stimulis urgentibus eosdem convertat in amicos, et indignans eorum vitiis gravem incutit ultionem, ut vice reddita suam illis manifestius cognoscendam conferat visionem. « Ego sum, inquit, Joseph frater vester (*Gen.* xlv). » Ego sum, ait, qui contra vestra vitia graviter indignatus et tamen fraterno vos amore avidius amplexatus, ad hoc ferire volui quod in vobis noveram arguendum, ut me donarem vobis revelata facie cognoscendum. Hoc nimirum intuitu in electorum Christus vitia dure sævit et hoc fine desæviens, illos percutere consuevit, ut et medicinam ira et percussio salutem operetur, et in illis vel de illis cum ad unguem sanati fuerint, glorietur. De quibus per Moysem : « Percutiam, ait, et ego sanabo (*Deut.* xxxii). » Et Eliphaz Themanites ad Job : « Ipse, inquit, vulnerat et medetur, percutit et manus ejus sanabunt (*Job* v). »

CAPUT LIX.

Ob hoc forte Habacuc propheta de Dei silentio querebatur dolens quod iniquis in præsenti juxta libitum parcebatur, dolens quod non eis divina censura dure et utiliter respondebat, quod non eorum iniquitatem objectu cujuslibet amaritudinis abolebat. « Quare non respicis, ait, super iniqua agentes et taces devorante impio justiorem se? » (*Habac.* i.) Quare, ait, cum injustus justum opprimit non occurris? quare non solum oppresso sed opprimenti potius non succurris, ut videlicet percussione utili ab injustitia citius avertatur, et ad sectandum eam quam impugnat justitiam convertatur? Quare non arma et scutum misericorditer potius quam crudeliter apprehendis, et eum qui patitur injuriam, non defendis, et inferenti non cito pœnam incutis graviorem ut respiciens super illum concutias utiliter ad tremorem? Tu es enim qui respicis terram et facis eam tremere (*Psal.* cm). Quare ergo non respicis super eum qui nequiter operatur et taces cum justior a nequam et impio devoratur et eumdem impium dum non revocas, in præcipitium jam devolvis, et eum qui justus est a duplici angore et tristitia non absolvis? Dolet enim justus non pro sua solum angaria sufferentis sed pro malitia potius inferentis, optans forte quodammodo fieri anathema ut infirmo apponatur mordacius et salubrius epithema. Attendens itaque et ab impio mala sibi gravia superduci, et illum impunitum a proposito non reduci, dolori suo remedium aliud nesciens invenire Deum in quo fidit per Isaiam aggreditur convenire. « Nunquid super his, ait, continebis te, Domine, tacebis et affliges nos vehementer (*Isa.* lxiv). » Cum multis et gravibus injuriis videas nos vexari, et ad vexandum nos liberius impios effrenari, nunquid te super his poteris intra silentium continere et non potius festinabis injuriam facientibus respondere? Nunquid tacebis et affliges nos tuo silentio vehementer, dum et illos affligere et nos affligi sufferes patienter, et non magis eos qui malitia laborant verbo duro feries ut sanentur, et tuis institutis fracta cervicis duritia non ultra reluctentur? Sic nimirum gemunt justi non solum quia malorum injuriis affliguntur sed quia iidem mali nondum verberibus corriguntur, scientes eos procul dubio a Domino flagellari quos ad justitiam et salutem idem vult Dominus revocari. E converso quorum Deus et profectum non curat et reprehensibilem vitam spernit, quos denique eo quod ipse novit, consilio, salvare non decernit: eos plerumque et permittit explere nequiter concupita, et eadem inpræsentiarum nocivo quodam silentio relinquit impunita. Quia enim eos voluntas reproba ne pœniteant dure ligat et ad peccandum gravius solvit liberius et instigat, malitia induratos præsenti verbere non castigat, et cum eos a salute ira districtior longe pellat quos in filios non recipit iracunda mansuetudine non flagellat. « Flagellat, inquit Salomon, omnem filium quem recipit (*Prov.* iii; *Hebr.* xii). » Et David : « De reprobis in labore, inquit, hominum non sunt et cum hominibus non flagellabuntur (*Psal.* lxxii). »

CAPUT LX.

Hæc autem mansuetudo qua parcere talibus invenitur in qua malitiosus quisque sibi adgaudet misere vel blanditur, cum et iram in præsenti et mortem postmodum operetur, carnali tamen oculo gravis et incommoda non videtur. Illis quippe Deum esse gravem æstimant et iratum illorum vitæ et moribus intolerabiliter indignatum quos attendit et bona quæ diligit non habere, et quæ odit mala præsentia sustinere. Unde ille judex cum civitatem sanguinum in præsenti disponeret non ferire quam forte prævideret in futurum irreparabiliter interire : « Auferetur, inquit, zelus meus a te et quiescam nec irascar amplius (*Ezech.* xvi). » Quia, inquit, flagella quibus castigare te volui jam non curas, imo ad ea nequam et reprobum cor obduras, ab ipso flagellandi propo-

sito mea deinceps justitia **610** conquiescet, nec in excessus tuos illatis præsentibus molestiis excandescet. Te obduratam nequiter et addictam turpitudini non zelabor, neque per vindictam utilem tuis sceleribus indignabor, sed laxato loro voluntati liberæ, derelicta, sine quovis obstaculo juxta libitum corrues in delicta. Ex quo liquet non parvum esse beneficium cum statim Deus peccantibus indignatur, cum præsenti ultione misericorditer corrigit quod peccatur, cum delinquentem corripit in judicio potius quam furore, ut medicinali verbere castigatus Deo pœnitens serviat in timore. « Domine, inquit David, ne in furore tuo arguas me (*Psal.* VI). » Et Jeremias : « Corripe me, Domine, ait, verumtamen in judicio et non in furore (*Jer.* X). » Vult propheta sapiens præsenti potius judicio castigari, quam ultionem debitam in diem ultimum reservari, cum implacabilis Dei furor super unumquemque reprobum effundetur, et quidquid male actum est, ad mensuram et numerum punietur, et easdem pœnæ molestias salus optabilis non sequetur. Unde per Isaiam : « Remetiar, inquit, opus eorum in sinu eorum (*Isa.* LXV). » Vult ergo potius propheta illis sceleribus Deum præsenti judicio salubriter respondere, quam manus a vindicta negligenti silentio cohibere, quia in ultimo examine graviorem illi se judicem foris spondet, quibus inpræsentiarum pœna purgatoria non respondet. Qui enim peccantibus reprobis in præsenti velut patiens vult silere, et a proposito nequam nullo eos obstaculo prohibere, postmodum invenitur frendens et intonans graviter succensere, et quæ male gestata sunt, in faciem cuncta pœnaliter recensere. Ejus quippe responsio vindicatoria non differtur, neque responsioni silentium diu patiens antefertur, nisi ut qui in sordibus sunt, profectu misero appetant plus sordere, et cum plus sorduerint, mereantur non solum plurima, sed et gravissima sustinere. Recipiunt enim non solum quod inique agere voluerunt, sed de eo etiam quod inique actis diu exspectati erubescere noluerunt, et quo diutius divina eos pertulit æquitas, eo durius sua eos ex adverso traducit iniquitas. De quibus per Ezechielem : « Secundum viam, inquit, eorum, faciam eis, et secundum judicia eorum judicabo eos (*Ezech.* VII). » Et ad Tyrum et Sidonem : « Reddam, inquit, vicissitudinem vobis super caput vestrum (*Joel.* III). » Et per Abdiam ad Edom : « Sicut fecisti, ait, fiet tibi, retributionem tuam convertet in caput tuum (*Abd.* 15). » Secundum viam istorum reddit eis judex æquissimus et reponit, cum eorum malis operibus debitum finem ponit, cum habitam in illis patientiam jam seponit, cum silentium a retributione tenere diutius non proponit, cum eorum conscientiæ, quidquid male gesserint, anteponit, cum eorum denique meritis maledictionem debitam superponit. « Ite, inquit, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV). »

CAPUT LXI.

Hæc autem verba quibus sævit tam terribiliter in prædictis, quibus vel maledictos igni, vel ignem attribuit maledictis, non transeunt velut verba, sed ut ignis mansorius exardescunt, quorum gravi incendio labescentes, impii cinerescunt, et qui verba commonitoria obdurati noluerunt suis voluptatibus anteferre, verba ultoria et effectum ignis habentia non prævalent sufferre. De quibus per Jeremiam : « Nunquid non verba mea, inquit, sunt quasi ignis, et quasi mallèus conterens petram? » (*Jer.* XXIII.) Et Isaias : « Lingua ejus, ait, quasi ignis devorans (*Isa.* XXX). » Verba Dei et lingua quæ maledictionem incutiunt perituris, nullo respectu gratiæ ad pœnitentiam deinceps redituris, velut ignis esse non immerito prædicuntur, adustione quorum ad nihilum impii rediguntur. Sicut enim ignis qui aurum vel argentum reddit lucidius dum adurit, ligna, fenum, stipulam non clarificat, sed comburit, sic illud quod in die ultionis profert Dominus verbum iræ, electos non consumens, cogit reprobos ad nihilum devenire.

Nam qui meritis exigentibus perveniunt ad hoc esse ut sit illis multo melius nunquam esse, hi nimirum in Scripturis dicuntur aliquoties et non esse, quia male perditi non obtinent verum esse. De quibus Esther : « Ne tradas, inquit, regnum tuum his qui non sunt (*Esther* XIV). » Et Isaias : « Spiritus, inquit, tuus velut torrens inundans ad perdendas gentes in nihilum (*Isa.* XXX). » Et Ezechiel ad principem Tyri : « Nihil factus es et non eris in perpetuum (*Ezech.* XXVII). » Qui ergo merentur irreparabiliter deperire, constat, ut prædictum est, eos ad nihilum devenire, quia sicut igni fenum et stipula non resistunt, sic ad verbum judicantis perditionis filii non subsistunt. Quod expavescens Job ait : « Cur non tollis peccatum meum, et quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in pulvere dormio, et si mane me quæsieris, non subsistam (*Job* VII). » Si peccatum peccatori, et iniquo iniquitas non aufertur, cum ei ad extremum dormitio, id est corporea mors infertur, quia ei paterna justitia non assistit, ante faciem judicantis deficiente merito non subsistit. « Si mane, ait, me quæsieris, non subsitam (*ibid.*). » Mane, id est cum relictis vitæ hujus tenebris jam diescet, cum suæ merito justitiæ perfectioribus illucescet, si me quæsieris, id est inquisieris, si discusseris, si scrutatus fueris, tu es enim scrutans corda et renes, Deus; tibi scrutanti interna meritorum non solum nca digne respondebo, si ante faciem ignis tui nec subsistere **611** prævalebo. « Remitte ergo mihi, ait David, ut refrigerer priusquam abeam et amplius non ero (*Psal.* XXXVIII). » Si mihi, priusquam hinc abeam, non remittis, si consumptorio vulneri salubre refrigerium non immittis, abibo quidem et amplius non ero, quoniam ad eam quæ vere est, lucem gloriæ non educat, sed ad eas, quæ nihil sunt, quæ veræ mortis, tenebras introducar. Qui autem in tenebris sunt quæ nihil sunt, et ipsi quodammodo nihil sunt. Quapropter Jeremias : « Ne ad nihilum, ait, redigas me (*Jer.* X). » Plane intelligens

quia qui cum eo non sunt cum quo est bonum esse, juxta quod Petrus ait : « Bonum est nos hic esse (*Luc.* IX), » dicuntur ipsi satis rationabiliter et non esse, quia videlicet non nisi miserum habent esse. Qui enim male est respectu ejus quod vere bonum est, nihil est. Sicut ergo Jerusalem illa est quæ Conditoris sui adipisci meruit visionem, in qua suus Conditor dignatur gratam facere mansionem, sic non esse credendum est illam miseram Babylonem cui judex districtior duram incutit ultionem. Illa quidem non solum quæ bona sunt non appetit reverenter, sed ea sensu perdito contempsit negligenter; et quia in his divina eam justitia pertulit patienter, ad agendum quæ mala sunt soluto loro prorupit impudenter. Cujus impudentiam cum aliquanto judex tempore sustineret, et illa in peccando modum vel reverentiam non haberet, ultores ministros ad solvendum hujusmodi silentium evocavit, et ut juxta meritum punirent Babyloniam imperavit. « Nolite, inquit, tacere super iniquitates ejus, quoniam tempus ultionis est Domino, vicissitudinem ipse retribuet ei (*Jer.* LI). » Quia in meo silentio duræ cervicis Babylonia non profecit, et cum ejus pœnitentiam exspectarem, illa suam malitiam non abjecit, quos mihi ultores præparavi, nolo vos diutius tacere, sed dilatione posthabita illi juxta quod meruit reddere. Unde supra, per eumdem Jeremiam : « Annuntiate, ait, in Babylonem; consistite adversus eam per gyrum, et nullus evadat; reddite ei secundum opus suum, juxta omnia quæ fecit, facite illi, quoniam contra Dominum erecta est (*Jer.* L). » Quia Deus in cunctis Babyloniis viderat se excludi, omnes pariter generali exterminio vult includi, ut quia nullus compunctus fuerat amore pœnitendi, superincumbente vindicta, nulli detur facultas evadendi. Sic nimirum juxta opus suum redditur Babyloni, cum omnes ejus cives divinæ subjacent ultioni, cum sicut ab ingratis Deo noluit abstinere, sic ingratam ultionem justo tandem judicio cogitur sustinere. Sed cum de hac retributione tractasse jam sufficiat, ne protractum inde sermonem diutius lector fastidiat, ad eam stylus transitum facere commonetur, quæ ingratis grata reddere perhibetur.

Duplex quidem illa retributio, de qua eatenus sermo fuit, dicta est similis, quia similia, id est gratis grata, vel ingratis ingrata retribuit. Duplex vero quæ restat, pro eo dissimilis nominatur, quia dissimilia, id est vel ingratis grata, vel gratis ingrata reddere prædicatur.

Ad reddendum autem ingratis grata summus ille Magister omnium nos informat, dum quod agit fortiter, misericorditer vult docere, et quod docuerit, vult operibus exhibere, qui cum a Judæis sputa et colaphos, irrisiones et opprobria, crucem denique sustineret, et eis paria manu forti reddere prævaleret, eorum potius errorem miserans, patrem suppliciter exoravit, et interventu precum illis veniam impetravit. « Pater, inquit, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII). » Quorum nonnulli qui ad tale spectaculum affectu malevolo convenerunt, hujusmodi beneficium cum tanta gratia susceperunt, ut pro eo postmodum non recusarent mori, quem pro ipsis immeritis supplicasse noverant Creatori. Et ut tali exemplo doctrina pariter conveniret, et utrumque ad posteros digna memoria perveniret : « Benefacite, ait, his qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* V). » Si vultis, ait, veraciter vos Dei filios exhibere, in hoc debetis summum studium adhibere, ut his qui vos oderunt, bene ex opposito faciatis, et ingrato eorum odio gratum beneficium rependatis. Sic enim Pater vester qui in cœlis est, solem suum super immeritos dat oriri, sic malis quibuslibet pluviam necessariam vult largiri, nec recusat tam malorum quam bonorum terram largo munere fecundare, ut possint illi bonis temporalibus abundare. Cujus benevolentiæ formam necesse est ut vos etiam teneatis, ut eidem Patri Deo in hoc similes vos reddatis, qui eos quos admittit intra numerum sive ordinem filiórum, contentos non vult esse justitia sive meritis ethnicorum. « Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt? » (*Ibid.*) Videtis cum publicanos perfectos non efficiat religio spiritalis, ad hoc tamen eos lex quædam allicit naturalis, ut sicut odium referunt eis quos suos noverint inimicos, sic habere inveniantur affectum benevolum ad amicos. Tandem quoque legem etiam amplecti ethnici non refutant, qui eos, a quibus salutari se noverint, resalutant, arbitrantes esse congruum cuilibet secundum hominem vivere cupienti, ut humano affectu vicem reddat mutuam diligenti. **612** Denique audistis quia dictum est : « Diliges proximum tuum, et odies inimicum tuum (*ibid.*). » Quam ergo legem ethnicis interior dat natura, eamdem Judæis exterior cœlitus dat Scriptura, imo forte legem eis odii Scriptura veracior non immittit, sed parcendi gratia suffert venialiter et permittit. Cum his autem ethnicis, vel Judæis Christus non vult similitudinem nos habere, neque illorum legi viros evangelicos litteraliter adhærere, ut scilicet eam solum diligendi mensuram, vel modum eligamus, quod non nisi eos qui nos diligunt diligamus. Ideo cum dixisset : « Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odies inimicum tuum (*ibid.*), » statim subjunxit : « Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos (*ibid.*); » ac si dicat : Audistis quia lex quam vobis durioribus per Moysen Deus misit, inimicis vestris vicem reddere vos permisit, ego autem qui ad perfectionem evangelicam vos invito, eos procul dubio intra perfectorum non admitto, qui suos solum dilectores tenerius amplectuntur, inimicos vero lance pari et odio perse-

quuntur. Volo ergo ethnicorum vel Judæorum lege nullatenus vos teneri, sed ad ulteriora largo vos studio promoveri, ut scilicet, non solum qui diligunt, habeant vos hujus debiti redditores, sed etiam qui oderunt suos vos inveniant dilectores.

Cui magisterio proponens apostolus Paulus obedire, non ferientem juxta legem Moysaicam referire, cum et ipse vice Christi affectuose Corinthios edoceret, voluit ut eos eadem sua benevolentia non lateret. « Maledicimur, inquit, et benedicimus; persecutionem patimur, et sustinemus, blasphemamur, et obsecramus (*I Cor.* IV). » Quod autem de se ipso Corinthiis asserit evidenter, hoc ipsum Romanis imperat confidenter, attendens quia prædicator bonum cum imperio recte dicit, cum ejus dicto non voluntas, non conversatio contradicit. « Benedicite, inquit, persequentibus vos, benedicite et nolite maledicere (*Rom.* XII). » Et ne quis putet sufficere si verbo solo benevolum se ostendat, et necessarium inimico beneficium non impendat, idem Paulus consequenter evidentius id expressit, et nostræ locum ignorantiæ non concessit. « Si esurierit, ait, inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi (*ibid.*). » Hæc est, inquit, retributio perfectionis merito gratiosa, quæ ipsis inimicis efficitur fructuosa, cum videlicet eis rependimus non verborum, tanquam foliorum volaticam vanitatem, sed affectu sinceriore gratam operis veritatem. Opus autem gratum quod veraciter impenditur inimicis, non solum utile conferentibus est amicis, sed illis plerumque in spiritale beneficium commutatur, quorum prius mens odio perturbata dilectionis radio serenatur. Quod Apostolus innuens, subjungit: « Hæc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus (*ibid.*). » Si inimicum, ait, esurientem cibaveris, si potum dederis sitienti, carbones ignis congeres super caput ejus, id est gravi compunctione feries mentem ejus, et fracta illius duritia eum ad pœnitentiam provocabis, victumque beneficio, gratanter ab odio revocabis. Nonnunquam enim qui lacessitus malis a malitia non recessit, bonis econtrario melius victus cessit; et cujus duritiam illata persequentium odia non fregerunt, eum amicum fieri accepta beneficia coegerunt. Quod etiam apud eos invenitur aliquoties contigisse, quibus datum non fuerat religiosæ fidei fastigium attigisse, qui et mandatum et fructum nescientes catholicæ vel evangelicæ veritatis, odientibus tamen beneficia reddiderunt sola gratia humanæ lenitatis.

CAPUT LXII.

Cum Lucius Cinna gravibus odiis imperatorem Augustum impeteret, et quem manifeste non poterat occidere, dolo disponeret, contigit eumdem Augustum rem tam nefariam non latere, unus quippe ex consciis delatorem se voluit exhibere. Volens ergo imperator de hoste pessimo vindicari, jussit eos quos sibi amicos noverat, convocari, ut eis et homicidæ nequam propositum nuntiaret, et eorum consilio dignam in illum sententiam promulgaret. Interim vero anxius et timore sollicitus habebatur, insomnis et inquieta nox illi sollicito ducebatur, dum cogitaret quale sibi pararet adversus dolos et insidias tutamentum, et quale suis insidiatoribus inferret detrimentum. Hæc volvens et revolvens, graviter angebatur, et crebra trahens suspiria, secum varia loquebatur: adhuc dubius quid super hoc tandem negotio posset rectius definire, utrum vivere daret hosti, an eum potius cogeret interire. « Ego, inquit, vivere meum patiar percussorem? ego me sollicito illum esse patiar tutiorem? ego toties terra marique victor bravium obtinens præliorum nunc morte degeneri et insidiis moriar iniquorum? ego illum cum tripudio voti compotem exsultare, mihi victo victorem patiar insultare, et non potius aggrediar suis illum maculis irretire, et effectum doli propositi vindicta celeri prævenire? » Et hoc dicto, Augustus parumper conticuit, et ei quod dixerat non satis complacuit, visumque est ei quod tanta crudelitas majestatem regiam non deceret, ut quisquis suspectus haberetur, statim mortis discrimini subjaceret. « Quid faciam? inquit, si in caput meum tam multi appetunt desævire, si eorum stat sententia me perire, **613** tot eorum insidiis quis toties poterit contraire, et serpenti morbo sufficiens remedium invenire? Quod si opus eorum in sinu eorum dispono remetiri, et quam mihi machinantur mortem, eisdem singulis impertiri, quis occidendi modus, quis finis poterit inveniri, quis ita inhumanus ut hoc non timeat experiri? Quæ vita erit tanti, ut pro ea de medio tam multi auferantur, et ut illa sit superstes, tam innumeri moriantur, quæ sibi soli sic esse appetat gratiosa, ut non curet fieri cæteris omnibus odiosa? Sed tamen quis sapiens non se ipsum potius quam cæteros tueatur, quis alienæ sic amator, suæ autem vitæ ita prodigus habeatur, ut hostes tam nefarios impunitos vivere patiatur, ipse ignavus et degener velut agnus ad victimam moriatur? Proposuerat quippe Cinna quod ei occidendo tunc temporis immineret, cum ille se devotum sacris deorum altaribus exhiberet, cum religionis gratia diis suis hostias immolaret, et divinis intentus humana minus pericula formidaret.

Dum autem hæc vel his similia imperator anxius loqueretur, et quid magis tandem eligeret adhuc dubius haberetur, accedens ad eum uxor ejus Livia: « Vis, inquit, femineum consilium rex audire et virili auctoritate paulisper sepositа, meis monitis obedire? Qui noverunt medicinam curandis corporibus prudenter adhibere, ut dolorem, aut expellere præsentem, aut venturum valeant prohibere, cum viderint usitata remedia non prodesse, tentant contraria, quia sicut asperis aspera, mollibus mollia proficiunt et medentur, sic plerumque et asperis mollia, et mollibus aspera utiliter nihilominus adhibentur. Quia ergo asperitate nihil cotenus profecisti,

insidiatores, quippe repullulant etsi antea multos post invicem occidisti, tenta si forte clementia tibi erit utilior, si parcendo magis quam occidendo eris securior. Ecce Lucium Cinnam deprehensum jam et juxta meritum potes rependere, et cum pœnam debitam ultore gladio sustinebit, tibi nunc sollicito nihil ulterius jam nocebit. Verum si peperceris, si clementer ignoveris, si indigno vitam contuleris, et non oberit forsitan vitæ tuæ et proderit sine dubio famæ tuæ, et qui merito suæ perfidiæ tibi nunc est odio vel timori, tuæ dono clementiæ proficiet tuæ gloriæ vel honori. Placuit Augusto quod ei prudens mulier crudelitatem et homicidium dissuasit, quod sermone gratifico dignam ei clementiam persuasit, et amicis renuntians quos ad se præceperat convocari, solum sibi Lucium Cinnam jubet in cubiculo præsentari. » Cui cum præsentato poni juxta se cathedram præcepisset, et ille ad ejus imperium adhuc consilii nescius resedisset, remotis omnibus : « Volo, inquit, Cinna paulutum te tacere, et quidquid dixero, cum silentio sustinere, ut videlicet dum loquor, tu quoque ad loquendum festinus vel impatiens non prorumpas, nec objecto strepitu verborum meorum seriem interrumpas. Neque hoc dico ut tibi auferam spem loquendi, imo cum locutus fuero, dabo tibi tempus integrum respondendi, et sic utrique nostrum quod suum est libere conferetur, dum noster amborum sermo non confuse sed post invicem proferetur.

« Ego, inquit, Cinna, te felicem, divitem, honoratum, ego te reddidi bonis innumerabilibus cumulatum, ego te præ cæteris ad hunc dignitatis apicem exaltavi, et bonorum copia, multorum in te magnatorum invidiam excitavi. Et cum tanta de te meruerim, vicem debitam non reponis, sed pro bonis mala restituens, occidere me disponis, non digne considerans, quia hoc apud te mea benevolentia non meretur, meæque largitati merces hujuscemodi non debetur. » Ad hanc vocem jam non ferens Cinna silentium, exclamavit, et quod rex dixerat, vehementius abnegavit : « Absit, inquiens, iste furor ut in meum et regem et dominum manum mittam, ut, vel occulta voluntate facinus hoc admittam. » Cui Augustus : « Non sic, ait, inter nos Cinna convenerat ut non me patereris, ut adhuc me loquente tu interloquereris, sed magis ut dum loquerer, tu taceres, et post verba mea, si tibi videretur congruum, responderes. Tu, inquam, Cinna, cui fidem, obsequium, tutelam deberes impendere, vice versa et perversa me paras occidere, et ne putes me quod dico non tam scire veraciter quam inaniter suspicari, visne tibi sceleris hujus diem, locum, socios nominari ? » Quæ cum illi omnia exprimeret nominatim, et quomodo idem scelus decerneretur peragi referret seriatim, et ille non tam ex eo quod inter ipsos convenerat, quam ex rea conscientia jam taceret, dum objectum facinus prorsus refellere non valeret, idem imperator adjecit : « Velim scire, Cinna, quo intuitu prædictum facinus affectasti, quid te adepturum honoris vel gloriæ si perficias cogitasti, cujus damni merito mea tibi salus habetur odiosa, vel cujus spe præmii mors econtrario gratiosa. Nunquid ut meum solus imperium obtinere, ut subjectis omnibus tuum possis dominium vel tyrannidem exercere ? Nullumne ad hoc, præter me, obstaculum æstimas inveniri, non reputas in hoc posse ab altero præpediri et tempus invenisti adeo tuis cupiditatibus opportunum, ut in explendis illis non nisi me habeas importunum ? Sed esto, eo quidem modo vel forte alio quolibet, tuo affectui tandem cedo, et te regnare, te imperare, juxta 614 libitum jam concedo. Nunquid hoc ipsum Paulus et Fabius Maximus et Cossi et Servilii et cæteri plures magna quorum nomina præferuntur, qui magnates et nobiles suis imaginibus extolluntur; hoc ipsum, inquam, cum tanta patientia sustinebunt, et quos nunc habes æmulos, tuis profectibus adgaudebunt ? Male populo Romano, male fortuna reipublicæ nunc blanditur, et eam dignitas imperii gravem sibi et incommodam experitur, si tibi ad regnandum tam facilis aditus aperitur, si non nisi pro me solum tua hæc ambitio præpeditur. Cum autem prodit onis reus vita indignus habearis, et quam mihi mortem inferre volueras, tu potius sufferre merearis, tamen gratiore clementia justam penitus iram pono, et tibi, Cinna, proditori nunc iterum vitam dono, ut quem habui meo non exigente merito eotenus inimicum, abundanti victus beneficio vertaris in amicum. Ex hoc nunc inter nos amicitia gratius inchoetur, et de die in diem profectu congruo roboretur, et vide cum pœnam dedecorem iniquitas et proditio mereantur, quod præmium vel honorem fides et dilectio consequantur. » Et hoc dicto, eidem Cinnæ imperator ultro detulit consulatum, ut eum non tam verbis quam donis redderet cumulatum conquestus quod eumdem ille petere non auderet, cum se accepturum dubitare penitus non deberet. Hoc modo Augustus dum iram suam clementi patientia temperavit, dum bonus imperator animo suo fortiter imperavit, dum malis bona reddere prudenti usus consilio non negavit, Cinnæ malitiam in benevolentiam commutavit, et inventi sunt pariter forti amicitiæ loro sibi tam indissolubiliter cohærere, ut non deinceps arguantur ab invicem vel ad modicum dissidere.

CAPUT LXIII.

Si autem apud ethnicos ingratis grata reddere commendabile prædicatur, dum hac redditione nonnunquam odium in amicitiam commutatur, multo satius, multo sacratius inter fideles debet eadem redditio celebrari, quos decet Deum suum vita et moribus imitari. Ad hoc enim ingratis quibuslibet suæ Deus impertit beneficium largitatis, ad hoc illis exasperantibus exhibet econtrario affectum pietatis, ut a nequam illi proposito quasi congestis super caput suum carbonibus avertantur, et ad diligendum diligentem accepto compuncti beneficio convertantur. Hinc est quod cum Judas Iscariot longe a semita rectitudinis deviaret, et proditionis reus in mortem Christi nequiter anhelaret, non tamen eum Christus

(secreti conscius) manifestat, non eum opprobriis magister benevolus dehonestat, non fidem violatam, non horrendum facinus impetu vindicat repentino, sed manum comedentis admittit pariter in catino : amicum vocat cujus conscientiam pervidens exsecratur, exsecrandum proditorem mansuetus et patiens osculatur. Quare hoc ? nisi ut infuso rore gratifico ignis malitiæ defetiscat, ut pie commonitus nequam proditor resipiscat, ut ejus iniquitas non percussione ultoria, non ultione peremptoria graviter retundatur, sed ut mens nequiter infrunita tam suavi oleo delinita salubriter confundatur ? Quia enim dixerat in Evangelio : « Benefacite his qui oderunt vos (*Matth.* v), » vult ut doctrinæ congruat opus suum, et tentat delinire beneficiis hostem suum, commendabile innuens si erga malevolum benevolentia quis utatur, quamvis impensa gratia ille male pertinax abutatur. Judam quippe reum avaritiæ damnatumque sceleris deprehendit, ad quem tamen amplectendum largo sinu clementiæ se extendit, sed miser ille naufragus oblatam non navim, non tabulam apprehendit, imo præceps in profundum tandem male pœnitens se suspendit. Quod si est commendabile ut contemnenti beneficium offeratur, multo amplius congruit ut appetenti largius conferatur, et præcedentibus ingratis ejus meritis non simile quidpiam inferatur, sed voluntate gratuita merces ei placita referatur. Hoc in Evangelio et fecisse et commendasse pater ille familias perhibetur, cui, cum decem millium talentorum debitor offerretur, postulans ut eorum solutionem differre misericorditer dignaretur, ille non jam juxta preces humiles distulisse, sed supra quam speraverat, omne debitum legitur remisisse. Decem millia talenta, innumera sunt peccata, quibus homo devius suum exasperat Creatorem, quorum se apud illum multipliciter obligat debitorem, adeo semper egenus et pauper, ut ad unguem tale debitum non persolvat, imo reus venundetur, si ab omni debito eum creditor non absolvat. In eodem autem creditoris tanta bonitas invenitur, tantam in illo misericordiam homo tenuis experitur, ut si ad postulandum eum corde prono suppliciter incurvetur, ab ejusdem ingrati debiti nexu tenacissimo relaxetur. Quam tamen relaxationem Deus homini vel non exhibet, vel in exhibita non perdurat, si non etiam idem homo sese Deo benevolo configurat, ut videlicet sicut Deus gratis a debito laxat servum, sic etiam idem servus relaxare non renuat et conservum. Ad hoc enim Deus ingratis hominum meritis non solum paria non rependit, sed bonitate, quæ sua est, largum et benevolum se ostendit, ut quod ab ipso illi se noverint obtinere, discant et diligant homines hominibus exhibere, et hac ei similitudine **615** conformati valeant simili similes adhærere, cui constat non nisi merito similitudinis quemquam perfectius complacere. Cui formæ si homo non studiosius applicat se deformem, si præostenso speculo non reddit pro suo modulo se conformem, si quod accipit gratis a Domino, gratis et in proximum non refundit, si talentum divinæ benevolentiæ, ut nequam, non multiplicat sed abscondit, Deus natura bonus quasi convertetur in crudelem, et in eum dure sæviet quem velut in commisso reperiet infidelem. Quod illa evangelica lectio figuraliter demonstravit, in qua prædictus ille dominus servum suum a decem millium talentorum debito relaxavit docens non tam verbo quam opere quid sit ingratis proximorum meritis referendum, quomodo eis supplicantibus misericorditer indulgendum. Qui servus cum liber a debito recessisset, et recedenti quidam ex conservis debitor occurrisset, acceptæ remissionis immemor, cœpit in illum graviter succensere, et ad solvendum debitum verbis eum durioribus perurgere. « Redde, ait, quod debes. Et ille : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi (*Matth.* xviii). » Volo, inquit, libenter solvere debitum reposcenti, sed ad solvendum non suppetit facultas in præsenti, et ob hoc quæso ut repetitionem adhuc differas patienter, et cuncta quæ debeo, tibi restituam diligenter. At ille postulanti nullatenus acquiescens, sed ira et furore vehementius excandescens, tenens et suffocans conservum durius perurgebat, et mittens in carcerem gravi cum injuria debitum exigebat. Quod intuentes conservi, cum eis tanta crudelitas displiceret, retulerunt domino conservum servus quam immisericorditer perurgeret, et eumdem servum statim sibi præcepit dominus præsentari, præsentato cœpit vehementius indignari. « Serve, ait, nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me, nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui sicut et ego tui misertus sum? » (*Ibid.*) Tu, inquit, apud me grandi et insolubili debito fueras obligatus, et cogente inopia, nullum habens effugium desperatus, cum ad solas preces tuas omne debitum hoc remisi, et remissione gratuita liberum te dimisi. In quo tibi formam præscripseram miserendi, tuisque debitoribus grata cum mansuetudine respondendi. ut scilicet eos obnoxios debito non teneres, sed eorum inopiæ condescendens et misericors appareres. Quia vero doctrinam meam cervice dura contempsisti, et quod in me hauseras in conservum nulla benevolentia refudisti, quidquid tibi misericorditer dimissum fuerat exigente justitia repetetur, et universum debitum a primo usque ad quadrantem novissimum exigetur. « Et iratus, inquit Evangelium, dominus ejus, tradidit eum tortoribus quoadusque redderet universum debitum (*ibid.*). » Sicut fecit, factum est ei. Qui misericorditer erga supplicantem conservum non egerat, sed ab illo debitum dure et violenter exegerat, suo miser judicio suis maculis implicatur, et in caput suum iniquitas propria, jubente Domino, replicatur. Dominus iste Deus omnipotens est, qui, cum multipliciter lapsi fuerimus in peccatis, nobis dignis supplicio veniam confert gratis, et remisso debito liberos nos dimittit, superadditi gratiam, gloriam repromittit.

Quod intuens et admirans David : « Quid ret-

buam, ait, Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? » (*Psal.* CXV.) Cum offensis meis pœna justo examine debetur, meorum oblita meritorum divina mihi bonitas miseretur, et malis meis sua misericors reddit bona, mihi male promerito suæ gratiæ confert dona. Ei ergo qui talibus tanta retribuit quid rependam? ad respondendum ei, quo labore, quo desiderio me extendam; cum ad hoc peragendum nullo modo sufficere me perpendam, etiamsi pro ipso morte obita me impendam? Quia tamen nihil majus, nihil melius habeo quam me ipsum, ad bibendum passionis ejus calicem voluntarius do me ipsum, et quoniam nisi dono ejus non valeo vel hoc ipsum, invocato ejus nomine perficiam hoc per ipsum. « Calicem, inquit, salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo (*ibid.*). » Cui Domino cum non solum tale quid volumus respondere, sed nec ejus gratia postulanti conservo gratam benevolentiam exhibere, quidquid nobis dimiserat, iratus idem Dominus jubet solvi, et nos tortoribus traditos donec reddiderimus omnia, non absolvi. Quis autem possit debita decem millium reddere talentorum, imo quis satisfacere pro reatu innumerabilium delictorum? Quis sufferat si ei cuncta quæ peccaverit imputentur, si ad culparum mensuram vel numerum pœnarum paria, remota misericordia computentur?

Nullum posse arbitror inveniri qui intra Domini sui gaudium pedem mittat, si prius idem Dominus illi debitum non remittat, cum non nisi bono servo internum illud gaudium promittatur, nec bonus quisquam fiat nisi a reatus vinculo dimittatur. Ideo bene Christus cum suos invitaret discipulos ad orandum, eos quoque docuit qualiter sit orandum, ut scilicet, nullus prorsus hominum salutem se speret obtinere, qui se orationis hujus æstimaverit non egere. « Sic, inquit, vos orabitis: Pater noster qui es in cœlis: dimitte debita nostra (*Matth.* VI). » Quia nullus nostrum, vel tam justus nasci, vel natus tam juste vivere prævalet in hac vita, ut non sit ejus mortalitas debitorum maculis irretita; nullus, inquam, natus de muliere **616** potest dicere: Mundus sum a peccatis, cum nec infantem unius diei mundum esse perhibeat Scriptura veritatis, recte postulat unusquisque sua sibi debita nunc dimitti, ne propter illa postmodum Dominus in carcerem jubeat enim mitti. Quæ nimirum postulatio ab eodem Domino tunc auditur, tunc juxta votum suum a reatu debiti postulans expeditur, cum et ipsa erga proximum morbo avaritiæ non tenetur, et suo debitori larga benevolentia miseretur. Quod propter Christus cum dixisset: « Dimitte nobis debita nostra, » subjunxit: « Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (*ibid.*), » plane docens qualem constiterit nostris nos remissionem debitoribus impertiri, tali mensura Deum nobis debitoribus remetiri. Ab hac ergo retributione quia quisque se ingratis exhibet gratiorem, qua offensis proximorum rependit benevolentiam largiorem, suos Christus discipulos voluit non sinere, quos hujusmodi orationem tam diligenter voluit edocere. Sicut autem commendabiles judicat eos quos ad reddendum ingratis grata virilis animat fortitudo, ad quam nimirum non aspirat perversorum malevola multitudo, sic justo ejusdem judicio argui promerentur qui e regione, ingrata gratis reddere non merentur.

Quæ retributio, sicut est in ordine cæterarum dicta posterior, sic eisdem cæteris dicenda longe deterior, quia nihil iniquius, nihil esse detestabilius æstimo posse dici, quam quod perversi quoque inveniuntur diligentibus inimici. De qualibus Propheta: « Posuerunt, inquit, adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea (*Psal.* CVIII). » Bona quippe David populo suo, bona sibi subditis impendebat, et eorum profectus affectu sincero diligebat, sciens et docens quia « qui suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior (*I Tim.* V). » Illi autem huic benevolo vicem debitam non reddebant, non ei pro imperio, non pro beneficio deferebant; non bonis bona vel majora, vel æqualia referebant, sed mira perversitate bene merito mala nequiter inferebant.

Nostis, cum fugeret urbe, domo, sede regni timore derelicta, quanta illi Semei Jemineus intulit maledicta, ostendens se de illius fuga plurimum gratulari, nec veritus in eum lapides, et convicia jaculari. « Egrediebatur, inquit, Semei filius Gera et maledicebat, mittebatque lapides contra David. Ita autem loquebatur: Egredere, egredere, vir sanguinum, et vir Belial, ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es (*II Reg.* XVI). » In quem cum Abisai, Sarviæ filius, ira motus vellet irruere, et de cane maledico ultionem dignam expetere, David patiens, illius in vaginam gladium revocavit, et accensum furorem intuitu majoris injuriæ temperavit. « Quid mihi, ait, et vobis, filii Sarviæ? Ecce filius meus qui egressus est de utero meo, quærit animam meam, quanto magis nunc filius Jemini? » (*Ibid.*) Quid miramini, ait, si filius Gera contumeliis afficere me præsumit, cum meus adversus patrem filius arma sumit, cum ille in me furore et odio gratis sævit, quem etiam inter feras naturalis quædam affectio mitem reddere consuevit? Nam, quæ fera, quamvis humanam et discretam non habens rationem, inferi parentibus morsus, vel aculei læsionem; et non magis naturæ quodam affectu mansuescit, et seposita feritate, carnis suæ originem recognoscit? Ille autem quem David genuit, quem in virum perfectum paterna sollicitudine promovit, nativitatis immemor, oblitus genituræ, duritia quadam lapidea in se opprimit vim naturæ. Quid enim durius, quid naturæ potest magis contrarium inveniri, quam quod erga parentem nullo videtur affectu filius emolliri; sed cæcatus malitia illius regni solium sic ambire, ut sanguinem in illius interitum fauces gaudeat aperire? Magna crudelitas! Patrem filius

odit, persequitur et infestat, miraque impudentia suum cunctis odium manifestat, dum Achitophel consulente in solario tendi jubet cortinas, et coram universo Israel non abhorret ad illius ingredi concubinas. Quod forte, vel ei simile recolens, et abhorrens Michæas propheta : « Filius, ait, contumeliam facit patri, et inimici hominis, domestici ejus (*Mich.* VII). » Nam cum per Moysen dixerit Deus : « Turpitudinem patris tui, et turpitudinem matris tuæ non discooperies; mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus; turpitudinem uxoris patris tui non discooperies; turpitudo enim patris tui est (*Levit.* XVIII). » Cum hæc, inquam, ad deferendam parentibus reverentiam dixisse prædicetur, non parvam contumeliam inferre patri filius perhibetur, qui protervus et impudens torum illius præsumit attingere, et attactu illicito non solum scriptam sed etiam naturalem legem infringere. Quoddam quippe velut secretum parentalis reverentia vult habere, a quo tam natura quam Scriptura videtur filios coercere, ne quis videlicet vel ad contaminandum torum patris lubrice devolvatur, vel ad cognoscendam matrem fontemque suæ originis revolvatur.

A

B

CAPUT LXIV.

Cujus decretum legis noverunt etiam barbaræ nationes, quæ cum libere vagarentur et per innumeras ignominiæ passiones, hoc tamen loro sese arctius alligarunt, et transgressores ejus, detestandos et abominabiles judicarunt. Unde illum facinorosum **617** historiæ gentium detestantur, earumque lectores exsecrandum ejus facinus attestantur, qui eidem matri de qua pridem carnaliter erat natus, postmodum ignoranter nefando est matrimonio copulatus. De qua cum miseros miser ipse post invicem sibi pueros genuisset, et diu ignoratum miserabile tandem facinus comperisset, sic doluit, sic exhorruit naturæ se ordinem confudisse, ut in ipso matris, vel uxoris gremio dicatur manu propria sibi oculos effodisse. Quæ omnia cum revolveret plenus iracundiæ vel furoris, et quamvis pœnitens, non tamen arripiens vitæ semitam melioris, sicut Judas Iscariot commissi pœnitens ad laqueum divertit, sic iste ad Ctesiphonem furiarum præcipuam se convertit, obsecrans et obtestans ne in ipso tantam ejus malitiam terminaret, sed transfundens in filios paternis eos præjudiciis obligaret.

C

D

Annue (inquit) *Ctesiphone, perversaque vota secunda,*
Si bene quod merui, si me de matre cadentem
Fovisti gremio ; si lamentabile (inquit) *matris*
Connubium gavisus ini, noctemque nefandam
Sæpe tuli, natosque tibi (*scis ipsa*) *paravi.*
Huc ades (inquit) *et totos in pœnam ordire nepotes.*
I media in fratres, generis consortia ferro
Dissiliant..., nec tarda sequetur
Mens juvenum, modo digna veni, mea pignora nosces.

Mira imo dira furentis deprecatio! Vult pater, ut mala perpetrata nullo expiationis lavacro deleantur, sed ejus filii velut quodam originali vinculo teneantur, et corruptæ radicis vitia in ramos et folia diffundantur, et meriti paterni sceleris miserabiles filii confundantur

Videtur et Judæos malitia similis tenuisse, qui ad Christum occidendum non tam manu quam lingua leguntur institisse, nec solum ab incœpto nulli ducti pœnitentia destitisse, sed ordientes sibi telam suis eam filiis texuisse. « Sanguis ejus, inquiunt, super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII). » Sicut boni parentes affectu prono assignant filiis jus paternum, optantes summopere ut eis illud quasi maneat in æternum, sic mali et malitiosi quique suam malitiam nolunt citius terminari, sed eam in filios et filiorum filios possessione hæreditaria derivari. Ideo Œdipodes quem onus grave sceleris opprimit et contristat, malum malo cumulans, Ctesiphonem precatur, ut assistat, ut quod procul dubio suum est etiam non rogatæ, rogata faciat, imo perficiat accurate. Cujus preces nefarias infernalis illa furia non abjecit, sed juxta votum ejus ira et odio juvenes sic infecit, non solum Thebas, sed et totam bello Græciam conturbarent, et tandem mutuo gladio vitæ spiritum exhalarent. Quos ut pater adhuc vivens novit mutuis vulneribus cecidisse, et quod furens et turbatus male postulaverat accidisse, dolore exanimis, confectus senio, orbatus oculis membra tremula baculo vix sustentans, filia præcedente ad illorum se funera duci fecit, et super inventa corpora lugens, et deosculans se projecit.

« Heu, inquit, heu cujus potestas numinis, quæ fortuna mihi a principio tam graviter facta est importuna, ut tota vitæ meæ series exsecrabilis habeatur, et a malo inchoans deteriore termino concludatur? Ergo partu misero de materni uteri tenebris absolutus, et in eamdem matrem carnali conjugio revolutus, omnium fere scelerum infaustam seriem prosecutus, sum profecto deorum cœlestium iram implacabilem assecutus. Et quia in eorum oculis supra mensuram et numerum fui reus, infausto conjugio non Juno pronuba, lætus adfuit Hymenæus, torum nostrum fugit et exhorruit lex divina, vobisque nascentibus Erynnis assistit, non Lucina. Cum autem mihi misero tandem innotuit ordo rerum, odiosa mihi facta est lux dierum, et ut pœnas de me sumerem, propriis incumbens manibus ultroneus me cæcavi, et reclusus in cavea, totius vitæ hujus gaudia relegavi. Ad cumulum vero mali, quia orbam patris canitiem despexistis, et infirmam senectutem affectu benevolo non rexistis, vobis, quos qualicunque toro genueram, turbatus amentia, maledixi, et imprecans vobis paterna scelera, hæreditati miseræ vos addixi. Quis deorum, imo quæ infernalis furia me exsecrabilem sic audivit, nimisque propitia preces nefarias exaudivit, ut juxta votum nequam mea tandem pignora sic jacerent, occisique ab invicem complexu mutuo se tenerent? Cujus pectus, vel saxeum, hujus fortunæ malleo non mollescat, cujus ira vel odium sic spirante Borea non frigescat, cujus crudelem animum affectus pietatis non tandem concutiat, cum talem vitam La-

chesis, talem vobis Atropos mortem inculiat? Quem prius, quem posterius ulnis tremulis amplexabor, quem vestrum ego miserrimus affectuosius osculabor? quos, etsi teneo, non tamen concedilur et videre, quos cum non videam, datum est, quod est gravius! sic tenere? Quis mihi det, ait, pro vobis oculos iterum possim effodere, imo, ut cito moriar senile pectus ferro transfodere, cujus præsentem vitam digne satis abhorrent superi, forte et manes meos abhorrebunt etiam inferi? Quo igitur ibo, quo fugiam, ubi non premat sarcina me malorum, faciem cordis mei non operiat confusio actuum iniquorum, ubi non me torqueat importuna mentio filiorum, infaustus orientium partus, gravis perditio mortuorum? Heu! quam infesta fuit cœlo, terræ, forte et inferis genitura, cui nulla præcedens, nulla denique similis postfutura, quæ horrore scelerum transgressa est leges omnium, sive jura, **618** habeas nequam initium fine perdito desitura. » Cum hæc, vel his similia senex querulus protulisset, et ad complendam malorum ultionem sibi mortem inferre voluisset, filia, quæ dux viæ fuerat, præcipitem illius manum cohibuit, et ne propositum compleretur, ejus ense sublato, prohibuit. Cujusmodi virum si schola gentilium exsecratur, imo si a se ipso morte quam vita dignior judicatur, qui, quamvis nescius appetivit quod pater illi fecerat inconcessum, quod natura secretior vult esse filiis inaccessum, quomodo in populo Dei, eruditus lege fuerat, et Scriptura, exsecrabilis est habendus quem non lex reprimit, non natura? Quomodo Absalon dignus venia prædicetur qui deoperire patris turpitudinem non veretur; qui non solum non formidat, ut patrem filius non molestet, sed etiam hoc intendit, ut prudenti eum consilio dehonestet?

Quod si quis dixerit, quia is de quo hujus sum gratia prælocutus, multo dignius est iram gravem et judicium assecutus, qui non solum toro patris contumeliam intulisse, sed eidem quoque Patri vitam dicitur abstulisse, neque in hoc videtur minus debere Absalon reprehendi, cum in ipso quoque possit parricidium deprehendi. Ille quidem Œdipodes dum patrem quæreret, patrem incognitum dicitur occidisse, facti vero postmodum conscius non mediocriter doluisse, et quia sive mortem sive contumeliam patris noverat sibi naturæ legibus interdictam, doloris impatiens præparavit tam manus quam oculos ad vindictam. Manus quidem ultoriæ cæcitatem oculis intulerunt, oculi vero illatam cæcitatis violentiam pertulerunt, ut quia in patrem fallente oculo peccaverat, opere non affectu, justo satis ordine prius ultro pœnas sumeret de aspectu. Ad extremum cum hujusmodi vindicta sibi non sufficere videretur, et dolore prævalido gravis ejus conscientia premeretur, ad inferendam sibi mortem perduxisset eum dira Ctesiphone, si non præsens, ut dictum est, virgo ensem tulisset Antigone. Absalon vero, et præsumpsit prudens attingere torum patris, et eumdem patrem occidere perversæ gladio voluntatis, et quamvis optato non gauderet conscientia de effectu, parricidalis tamen malitia sine pœnitentia permansit in affectu. Quis igitur vobis videtur amplius deliquisse, quis parricidium impudentius appetisse? utrum ille qui lege scripta carens in patrem nescius dicitur incidisse, et hujus facti conscius pœnitens graviter doluisse, an ille potius qui doctus in Scripturis patrem malevolus invasisse, et de hujus pestis involucro nulla pœnitentia legitur evasisse? Magna diversitas! magna perversitas! Odit filius, et pertinaciter odit patrem tenere diligentem, fugat benevolum et persequitur fugientem, armat omnes, parat bellum, et ad illud collectum exercitum exhortatur, et de ruina patris spe vanissima jam lætatur. Qui si prius in cervicem Ammon fratris sui gladium improvisum exemit, si prævenlum fraude, cum cæteris in convivio parceret fratribus, interemit, nonnulla ex causatione potuit forsitan obumbrari, quia scilicet stuprum sororis illicitum dignum fuerat vindicari. Unde cum omnes regis filios occidisse Absalon crederetur, et audita fama hujusmodi rex dolore inconsolabili tristaretur, Jonadab filius Semmaa stupri degeneris, et veteris memoriæ, aggressus est dolorem regium veritatis indicio delinire. « Ne æstimet, inquit, dominus meus rex, quod omnes filii regis occisi sunt, Ammon solus mortuus est, quoniam in odio Absalon positus erat, ex die qua oppressit Thamar sororem ejus (*II Reg.* XIII). » Ne æstimet rex, quod in omnes ejus filios manum Absalon miserit, quod in fratres immeritos tam nefandum scelus admiserit, sed pro constanti habeat, quia cæteris viventibus ille magis solus occubuit, qui cum sorore Absalon illicita oppressione concubuit. Iste nunc majore dementia adversus patrem bellum parat, suosque undique colligit adjutores, eosque tam monitis quam muneribus ad propositum reddit facinus promptiores; intendens ut quem dolos, et insidias videt fugæ præsidio prudenter evadere, indagine conclusum bellica violenter possit opprimere. Pater vero affectu benevolo odientem filium amplexatur, timet illi, et mira ejus sollicitudine cruciatur, et ne forte ruinam illius videat, ad prælium non procedit, sed pro eo mandat, et diligentius intercedit. « Servate, ait, puerum Absalon (*II Reg.* XVIII). » Eum, ait, qui a virili ratione et consilio destitutus, puerili et fatuo sensu nequiter est indutus, qui adversus patrem benevolum iram concitat multitudinis imperitæ; eum, inquit, vos qui melius sapitis, custodite. Quamvis enim ille bono meo malum retribuat, nolo tamen, ut quod suum est, vester ei ensis restituat, quia quem ad odium puerilis et fatua impellit hebetudo, in quiete et pace spiritus prudens mea diligit fortitudo. Hoc est forte, quod in eorum interpretationibus nominum figuraliter designatur, quorum David, *manu fortis*, *pax* vero *patris*, Absalon prædicatur, ut ei misericordiæ, qua bonus pater nequam filio miseretur, ipsa quodammodo nominum interpretatio famuletur. Abba quidem *pater*, salem

vero *pax*, unde Abbessalon dicitur *patris pax*, quod una e medio sublata syllaba syncopatur, et jam non Abessalon, sed per syncopam Absalon nominatur. Absalon itaque *patris pax* interpretatur, non quod erga patrem, sed **619** quod pater erga filium pacem habuerit, dum subnixum manu forti puerilis hujus fatuitas ad odium non inflexit, sed miserans, et amplectens phreneticum, solam illius phrenesim non dilexit. « Servate, ait, puerum Absalon; » et infra : « Quis mihi det, inquit, ut ego moriar pro te, Absalon, fili mi, fili mi, Absalon? » (*Ibid.*)

Et quid mirum si erga filium David patiens et benevolus invenitur, cujus ipse quoque Saul, fortem benevolentiam experitur, cum scilicet, David illi nisi bona magna et plurima non conferret, et ille conferenti nisi mala multa et gravia non referret? de quo Jonathas : « Ne pecces, inquit, rex in servum tuum David, quia non peccavit tibi, et opera ejus bona sunt tibi valde (*I Reg.* XIX). » Et Achimelec : « Quis, ait, in omnibus servis tuis sicut David fidelis, et gener regis, pergens ad imperium tuum, et gloriosus in domo tua? » (*I Reg.* XXII.) Cum autem in domo regis, David fidelis et bonus permaneat, et ei coram rege, tam Jonathas quam Achimelec testimonium dignum perhibeat, eum tamen hujus fidei merito non satis digne Saul amplectitur, sed econtra odit benevolum, et quasi hostem, amicum persequitur. « Quærebat, inquit, eum Saul cunctis diebus, et non tradidit eum Deus in manus ejus (*I Reg.* XXIII); » et infra : « Assumens, inquit, Saul tria millia virorum electorum ex omni Israel, perrexit ad investigandum David. Ubi cum David in spelunca cum suis comitibus latitaret, et Saul in eamdem ad purgandum ventrem nullo comite declinaret, potuit David suggerentibus sociis vicem reddere persequenti, sed præcisa solum ora chlamidis, maluit parcere non merenti. Propitius, ait, sit mihi Dominus ne faciam hanc rem domino meo christo Domini, ut mittam manum meam in eum (*I Reg.* XXIV). » In quo facto honesta quædam ejus superbia designatur, quæ nisi honeste hostem vincere dedignatur, eamque fugiendam esse victoriam liquido manifestat, quæ victorem nota degeneri dehonestat.

Est quippe et humilitas quam divina digne Scriptura reprehendit, cum scilicet ubi vel quomodo corruat anima, non attendit, cum tanto exuritur æstu seductoriæ voluptatis, ut nullum fere habeat respectum vel diligentiam honestatis. Unde hujusmodi animæ per Isaiam dicitur : « Suscepisti adulterum, dilatasti cubile tuum et humiliata es usque ad inferos (*Isa.* LVII). » Anima quam sibi verbum Domini copulaverat collatæ gratia sanctitatis, si forte avertatur a fecundæ matrimonio castitatis, si dilatet cubile suum ut subintroductum adulterum liberius amplectatur. si effusa mentis latitudine corruptoris dæmonis immunditia polluatur, profecto suæ negligentiæ merito collapsa deinter superos, voluntate propria humiliatur usque ad inferos. Quandiu enim Deo cohæserat, inter angelos versabatur, et sublimi solio incomparabilis gloriæ fruebatur, cum vero ad suscipiendum adulterum interioris conscientiæ cubiculum dilatavit, profecto ad nimis humilia dignitatis suæ fastigium inclinavit. Magna quidem erat illa integritatis pristinæ celsitudo, econtra humilis et abjecta libidinosæ voraginis turpitudo; in illa cœlum merebatur ejus species luculenta, nunc projectam et humilem tenet terrenorum facies luculenta. De qua Dominus per Amos : « Virgo, inquit, Israel projecta est in terram (*Amos* V). » Et per Ezechielem ad Jerusalem : « Projecta es, inquit, super faciem terræ in abjectionem animæ tuæ (*Ezech.* XVI). » Cum homo, cui Deus sublime os dederat, ad cœlorum tamen alta non suspicit, sed deflexo ad ima intuitu super faciem terræ se projicit, anima ejus terrenorum contagio jam infecta in conspectu supremi judicis vilis efficitur et abjecta. Abjecta vero dum non obtinet pristinam dignitatem, transeundi per eam dat immundis spiritibus facultatem, qui ad nihil aliud videntur solliciti vigilare, quam ut ad transeundum possint illam miseram incurvare. De quibus Isaias : « Qui dicunt, ait, animæ nostræ : Incurvare ut transeamus (*Isa.* LI). » Cum enim anima ad amorem voluptatum carnalium incurvescit, ad transeundum per eam immundorum malitia spirituum invalescit; et eum idem transitus iteratione noxia frequentatur, illa jacens et humilis in suo sanguine conculcatur, cui per Ezechielem : « Vidi te, ait, conculcatam in sanguine tuo (*Ezech.* XVI). » Et Michæas : « Nunc erit in conculcationem ut lutum platearum (*Mich.* VII). » Et David : « Si reddidi, ait, retribuentibus mihi mala, persequatur inimicus animam meam et comprehendat et conculcet in terra vitam meam (*Psal.* VII). » Quo autem amplius anima conculcatur, eo procul dubio plus ægrescit et ægritudine prævalente muliebriter emollescit : et non solum enervi sua mollitie jam sordescit, sed usu longiore in suis quoque sordibus computrescit. De qua Michæas : « Propter immunditiam, inquit, ejus, corrumpetur putredine pessima (*Mich.* II). » Et Joel : « Computruerunt, inquit, jumenta in stercore suo (*Joel.* I). » Et quidam pœnitens : « Computruerunt, inquit, et corruptæ sunt cicatrices meæ (*Psal.* LXXIII). » Aliquando quippe divina miseratio languorem visitat sic jacentis, et manu medica tergit scabiem putrescentis, defectu laboranti infusa gratia dat virtutem, et incurvam illam de Evangelio miserans erigit ad salutem : « Suscitans, inquit, de terra inopem, et de stercore erigens pauperem (*Psal.* CXII). » Et in Evangelio : « Mulier, inquit, dimissa es ab infirmitate tua, et confestim erecta est, et glorificabat Deum (*Luc.* XIII). » Quam cum erexerit, confert ei novæ munera sanctitatis, et donis dona cumulans, velut in sublimi ponit eam solio dignitatis, ut abhorrens infima **620** dedignetur ad ea turpiter incurvari, superioribus inhians, in illis diligat immorari, abjectis et vilibus ultra non sustineat onustari, eminentioribus et præclaris ardenter ambiat honestari.

CAPUT LXV.

Quæ cum non solum religionis imuitu vitiorum contempta lenocinia præterire, sed etiam honestatis gratia invenitur quævis dedecora fastidire, quid nisi videtur nobili quadam, et libera mentis excellentia superbire, dum videlicet respuit indignis animum delinire? Tenet quippe eam religionis primæ et præcipuæ tanta cura, ut quæ vitæ, vel famæ cognoverit certius nocitura abhorreat et fugiat, velut onus duræ et gravissimæ paupertatis, ditari solum cupiens superbis opibus honestissimæ sanctitatis. Quod ei pulchre per Isaiam promittitur: « Ponam te, inquit, in superbiam sæculorum in generationem et generationem (*Isa.* LX). » Animam quam Deus ordinat ad transferendum eam in consortium angelorum, recte ponere dicitur in superbiam sæculorum; dum scilicet eam, et in præsenti donat magnis et præcipuis opibus meritorum, et in futuro multo majoribus et potioribus præmiorum. Et ne forte infirmitatis suæ conscia justo amplius expavescat, et a sperando et amando promissam altitudinem elanguescat, vult eam Deus exemplo et doctrina præcedentium confortari, ut horum adjumento possit ad quævis ardua roborari. « Et suges, inquit, lac gentium, et mamilla regum lactaberis (*ibid.*). » Illi, ait, qui de tenebris gentium ad lucem Israeliticam sunt conversi; qui relicta mundi latitudine arctioris vitæ semitam sunt aggressi; qui prius eruditi, et exercitati sunt in gymnasio disciplinæ, infundent tibi diligenti studio lac doctrinæ. « Et mamilla, inquit, regum lactaberis. » Quare huic promittitur mamilla regum potius quam servorum, nisi quia qui premuntur servitute degeneri vitiorum, nondum idonei, nondum sunt utiles ad docendum, sed eis est infirmitatis suæ merito silentium imponendum? Tacitis ergo servis, illi ad docendi officium admittuntur, qui recto itinere ad obtinendam justitiam diriguntur, qui ad regendum mores suos viriliter expediti, et ad docendum alios inveniuntur laudabiliter eruditi. Quos admonens Psalmus: « Reges, inquit, intelligite, erudimini qui judicatis terram (*Psal.* II). » Et alius Sapiens: « Diligite, ait, justitiam qui judicatis terram (*Sap.* I). » Qui ergo eruditione congrua satagunt insigniri, et obtinendæ sapientiæ diligentiam impertiri, recte, ut dictum est, ad docendi officium admittuntur, et erudiendæ animæ doctores a Domino promittuntur. Felix anima quæ indigno servorum ubere non lactatur, quæ iniquis doctorum moribus non vexatur, quam majorum vel perversa prædicatio in errorem devium non inducit, vel prava conversatio ad iram et scandalum non adducit. Felix anima cui tanta gratia promulgatur, ut non nisi regum cura, et sollicitudine nutriatur, quæ adulta et suffulta regiis opibus talium superborum, eosdem plenius imitando ipsa quoque in superbiam ponitur sæculorum! In hanc superbiam nunquid vobis illa posita non videtur, quæ attendens quanto virtutum culmine sublimetur, intra silentii latebras avara ingratitudine non tenetur, sed erumpit in gladium, ut per Salomonem plausibiliter glorietur? « Mecum sunt, ait, divitiæ, et gloria, opes superbæ, et justitia (*Prov.* III). » In hoc autem quod divitiæ, et gloria, vel opum superbia nominatur, inesse illi procul dubio quidquam reprehensibile non notatur, quia, etsi cum divitiis gloriam, cum opibus illa superbiam introducit, comes tamen justitia vitium pariter non admittit. Recte ergo hujusmodi tam gloria quam superbia commendabilis judicatur, quas justitia (quæ nescit vitium) comitatur, quæ illarum fructus meliores efficit auro, vel lapide, vel argento; sicut plane innuitur sequenti ejusdem sapientiæ documento. « Melior est, inquit, fructus meus auro, et lapide pretioso, et genimina mea argento electo (*Prov.* VIII). » Quo autem merito idem fructus, et genimina commendentur, nec eis recte quæque visibiliter commendabilia comparentur, sequenti versiculo evidentius demonstratur, ne qua super hoc legenti dubitatio relinquatur. « In viis, inquit, justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii (*ibid.*). » Sapientia videtur ambulare, cum quidquid agit; invenitur districtius judicare, cum angustas ejus semitas subtilis dirigit rectitudo, perducitque ad optatum eamdem rectitudinem fortitudo. Et ne forte sibi soli videatur in his omnibus laborare, et non curans aliorum prædictas opes avaro sibi studio congregare, consequenter nobis ostendere voluit quid intendat, dum tantis opibus, tanto præconio se commendat, « ut ditem, inquit, diligentes me, et thesauros eorum repleam (*ibid.*). » Ad hoc, inquit, superbas opes meas volui commendare, ad hoc meam justitiam, meum vobis judicium prædicare, ut me vos auditores horum merito diligatis, diligentes eadem opum magnificentia ditescatis, et thesauri vestri mea munificentia repleantur, qui repleti fures non timeant, ærugine vel tinea non lædantur. Vult ergo Sapientia ut qui sunt ad superbam ejus altitudinem perventuri, et discreti judicio et justitia sint maturi, quia et non nisi judicio præcedente ad justitiam pervenitur, et non nisi justitia altitudinis ejus aditus **621** aperitur. Quod per alium sapientem insinuans dicit: « Sine judicio nihil facias grave (*Eccli.* XXXIII). » Quod ait grave non importabile sive durum, sed justum quid intelligi voluit et maturum, in quo necesse est unumquemque viriliter exerceri, si inter eos, qui dignas Deo laudes deferunt, vult haberi. Unde et David: « In populo, ait, gravi laudabo te (*Psal.* XXXIV). » Gravis quippe est qui vento inconstantiæ tanquam folium non raptatur, non morum levitate a justo proposito separatur, sed cum id quod justum est, juste quærat et in eo fixus et immobilis perseverat. Ad hanc autem gravedinem quæ intelligitur non odibilis sed matura, quia vitiis potestatem, locum inconstantiæ non datura, nulla virium quantitate, nullo studio pervenitur, si, quidquid agendum est, non judicio prævenitur. Quod innuens Paulus ad Timotheum: « Sine præjudicio, ait, nihil faciens (*I Tim.* V). » Quidquid enim vir discretus agendum sibi esse determinat,

subtili prius judicio prudenter examinat, ut cum discreta examinantis judicii præcesserit altitudo, sit matura et secura sequentis operis latitudo. Ideo recte Sapientia et justitiæ vias et judicii semitas nominavit, in quo procul dubio quod suum est amborum discrete designavit, quia et in judicio habenda est angusta quædam et rara subtilitas, et tunc in opere consequenti invenitur lata securitas. Cum ergo dixisset : « In viis justitiæ ambulo, » signanter adjecit : « In medio semitarum judicii (*Prov.* VIII), » ut qui sperat ad securam operum latitudinem se venturum, sciat se per medias semitas examinantis judicii transiturum. Propter quod Psalmus : « Diriget, inquit, mansuetos in judicio, docebit mites vias suas (*Psal.* XXXIV), » dans plane intelligi quia Deus in latitudinem perfectam suorum operum non adducit, nisi quos prius in angustam judicii rectitudinem introducit, et quos introducens docet, nimirum efficit mansuetos, nec nisi eos qui mansueti fuerint, ad hoc reddere vult discretos. Recte ergo Sapientia superbas opes et suam gloriam prædicavit, recte judicii semitas et vias justitiæ commendavit, ut diligentes se, invitaret et ditaret gratia meritorum, et bene meritos, ut prædictum est, in superbiam poneret sæculorum.

CAPUT LXVI.

His opibus dives esse David profugus videbatur, hujusmodi superbiæ præeminenti solio tenebatur, cum oblato sibi loco et tempore quo de hoste posset facile vindicari, honesto fastidio ad tangendum eum respuit incurvari.

Attendit enim, ut æstimo, se gerere typum animæ justioris, quæ justitiæ merito sedem obtinet solii dignioris, cui, etsi multi suggerunt ut declinet ad vitæ contemptibilia turpioris, indignum tamen ducit cervicem flectere propositi fortioris. Denique David *manu fortis* interpretatur. Qui autem suggerunt ut in Saulem manum mittat, ut persecutorem suum quasi abire liberum non permittat, quoslibet iniquos vel malignos spiritus præfigurant, qui justi animam comitantes, ei frequentius insusurrant ut a semita sanctitatis opportuno quasi tempore jam declinet, et soluto loro justitiæ, ad immunda mundi opera se inclinet. Saul quidem *petitus* interpretatur, mundi figuram tenens quem sibi eligunt religionis debitæ contemptores, summo sibi studio voluptatum magis quam Dei appetunt amatores. Reprobato Saule : « Da nobis, inquiunt, regem ut judicet nos (*I Reg.* VIII). » Et in Evangelio abjicientes Christum : « Non habemus, inquiunt, regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX). » Et iterum : « Non hunc, sed Barrabam (*ibid.*). « Mundus ergo iste vehementer a plurimis expetitus (est enim juxta Salomonem, stultorum numerus infinitus) mundus, inquam, iste sepulcri more plenus ossibus mortuorum, eadem morticina non obducit, sed producit patenti gutture ad notitiam cæterorum. « Sepulcrum, inquit, patens est guttur eorum (*Psal.* V, XIII). » Qui autem operibus nequam velut mortuorum ossibus inquinatur, et eorum odore misero accedentes inficere gratulatur, profecto non proprie sed mundus per antiphrasim appellatur, id est vel ab immunditia qua sordet, vel magis a munditia qua privatur. Quem nomine solo mundum, re autem vera immundum qui tetigerit, non jam mundus sed attractu immunditiæ fit immundus. Super quo Moyses : « Qui tangit, inquit, quodlibet immundum cujus tactus est sordidus, immundus erit (*Lev.* XXII). » Et longe supra : « Qui tetigerit, inquit, immunditiam hominis sive omnis rei quæ polluere potest, interibit de populis suis (*Lev.* VII). » Ideo infra per eumdem Moysem Dominus : « Docebitis, ait, filios Israel ut caveant immunditiam et non moriantur in sordibus suis (*Lev.* XXV). » Cum ergo Saul declinans a via, vel devius a semita rectiore, sordes cogitatuum in lucem operum profert misero cum odore, recte in illum David manum mittere dedignatur, ne et ipse declinans tactu degeneri polluatur. Quamvis enim peccandi facultas inpræsentiarum libera tribuatur, et quasi opportunum tempus vel spatium offeratur, non tamen debet justus suggerentium monitis assentire, non suggesta iniquitas ad effectum operis pervenire. « Dixerunt, inquit, servi David ad eum : Ecce dies de qua locutus est Dominus : Ego tradam tibi inimicum tuum ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Dixitque David ad viros suos : Nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut descendens in prælio perierit, propitius **622** sit mihi Deus, ne mittam manum meam in christum Domini (*I Reg.* XXIV). » Etsi, ait, peccaturo difficultas mihi pessulum non objectat, et quidquid velim agere divina æquitas cum patientia me exspectat, mihi tamen, quidquid vobis videtur licitum, non libebit, nec hujus mundi sordibus manus mea mundior adhærebit. Christus Domini, mundus iste figurate non immerito nominatur, quia ipse a Deo vel ad malorum exitium, vel ad bonorum exercitium ordinatur, quia Deus faciens pacem et creans malum, formans lucem et creans tenebras, Isaiæ vaticinio prædicatur, dum bona et prospera, mala et aspera vel facere vel disponere non negatur.

CAPUT LXVII.

Paulo infra cum idem Saul castra in colle Achilæ metaretur, et in suo illic tentorio cum suis principibus somno profundissimo premeretur, David superveniens explere in illum suam potuit voluntatem, sed eodem spiritu fastuque simili oblatam respuit facultatem. Dicente enim Abisai : « Conclusit Deus hodie inimicum tuum in manus tuas, nunc ergo perfodiam eum lancea in terra semel, et secundo opus non erit ; respondit David : Non interficias eum. Quis enim extendet manum suam in christum Domini et innocens erit? » (*I Reg.* XXVI.) Dormit Saul, cum iste mundus et amator mundi quilibet vitiis prementibus elanguescit; et in languore sordido, securitate misera conquiescit, cum ad veram lucem justitiæ oculos mentis claudit, et in morem surdæ aspidis vocem sapienter incantantium non exaudit.

De quibus Isaias : « Dormientes, inquit, et amantes somnia (*Isa.* LVI) ; » et Osee : « Tota, inquit, nocte dormivit (*Osee* VII). » Cui si quis velit quasi vicem reddere persequenti, si quis manum in eum miserit, ut favorem vel assensum præbeat delinquenti, quid, nisi eum interficere et viam videtur intercludere veritatis, dum impellit præcipitem et impulsum præcipitat consectatu et consortio pravitatis. Unde Isaias : « Populo meus, ait, qui beatum te dicunt, ipse te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant (*Isa.* III). » Et Salomon : « Si te, inquit, lactaverint peccatores, ne acquiescas eis, pedes enim eorum currunt ad malum et festinant ut effundant sanguinem (*Prov.* I). » Non vult ergo David in modum peccatoris sanguinem dormientis effundere, non suum in alterum, vel in se alterius peccatum refundere; sed permittens illum, quem et Deus vult vivere etiam eo tempore quo delinquit, ejusdem seu vitam seu mortem divino judicio derelinquit. « Nisi Dominus, inquit, percusserit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in christum Domini (*I Reg.* XXVI). » Quamvis ei blandiatur quædam velut facies loci ac temporis opportuna, eumque ad peccandum perurgeat suggestio comitum importuna, ipse tamen fortior a recto tramite non declinat, cervicemque rigidam suggerentium monitis non inclinat. Dicunt quidem illi juxta Isaiam : « Incurvare ut transeamus (*Isa.* LI), » ut cum tua videlicet flexa fuerit rectitudo, nobis transeuntibus conculcetur illa tua nobilis sanctitudo, et quæ supino vultu superbarum videtur virtutum excellentia sublimari, abjecta humilitate in nostris non abhorreat sordibus volutari. Cæterum David, imo justus quilibet cui ad manum est honesta fortitudo, cui sordet turpis humilitas, et abjecta vilescit turpitudo, illud Joelis magnum quidem et necessarium eligit respondere, et quod respondet, affectu et operibus diligit obtinere : « Erit, inquit, Jerusalem sancta, et alieni non transibunt per eam (*Joel.* III). » Jerusalem *visio pacis* interpretatur, animæ figuram tenens, quæ quandiu veræ pacis intuitu Deo diligit deservire, et sursum cor habens ad Dominum, ejus mandatis et voluntatibus obedire, tanta eam invenitur fortitudo sanctitudinis obsepire, ut per eam alieni, id est nequam spiritus nequeant pertransire.

CAPUT LXVIII.

Ad quam et Naum propheta : « Non adjiciet, inquit, ultra ut transeat per te Belial (*Naum.* I). » Eum autem qui alienis, aut Belial per se transitum non vult dare, et a tactu Saulis decernit manus mundas et innoxias conservare, idem Saul malum bono retribuens, persequi non omittit, etsi aliquoties non benevolentia, sed astutia potius intermittit. Aliquando enim persecutor subdolus videtur propositi pœnitere, et ab incœpto manum curat potius quam animum cohibere, ut cum is quem odit seductus pacis specie jam se putaverit non invisum, iste illi superveniens de repente efficacius obruat improvisum. « Levavit, inquit, Saul vocem suam, et dixit ad David : Justior tu es quam ego, tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala, tu indicasti hodie quomodo tradiderit me Dominus in manu tua, et non occideris me (*I Reg.* XXIV). » Et infra : « Peccavi, ait, revertere, fili mi David, nequaquam enim ultra male tibi faciam (*I Reg.* XXVI). » Spondet Saul nihil David mali deinceps se facturum, ut timore seposito, securus ille maneat in futurum, sed in ejus promissis nullam David fiduciam vult habere, non se credit amari, etsi vultu placido videtur arridere. Novit quippe et experimento novit malevolentiam persequentis, novit infidos mores, et inconstantiam promittentis, quia et in mundo solis radii superfusa nebula frequentius obducuntur, 623 et sicut lux tenebras, sic ordine vicario lucem tenebræ prosequuntur. Habens ergo David suspectum Saulem, etiam cum nequam propositum intermittit, et serena exteriori facie, bona et prospera jam promittit, nequando forte corruat, ejus dolos, et tendiculas introgressus, prudenti consilio fugæ præsidium est aggressus. « Aliquando, ait, incidam in uno die in manus Saul. Nonne melius est, ut fugiam, et salver? Fugiam ergo manus ejus (*I Reg.* XXVII). » Bene prudens vir docto spiritu consilium evangelicum prævidebat, qui persecutorem suum recte sibi consulens fugere disponebat, sciens ei grave periculum imminere, qui vel malum tetigerit, vel ejus tactum non timuerit sustinere. « Cum vos, inquit, persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam (*Matth.* X). » Denique Jeremias propheta : « Fugite, inquit, de medio Babylonis, et salvet unusquisque animam suam (*Jer.* LI). » Prudenter attendens quia cujusvis anima vix salvatur, si fraudes, et impetus mundi fugere dedignatur, in quo dum multa rabies, ordo nullus, omnia sunt confusa, quæ spes animæ, si ejus retibus, vel indagine sit conclusa? Fugit itaque David eum qui promissis fidem non tribuit, qui bene merito e regione malum retribuit, sicut ipse cum velut cognito reatu compungitur, urgente veritate evidenter fateri compellitur. « Tu, inquit, tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala (*I Reg.* XXIV). » Tanto Saul veneno, tanti ardore sceleris est infectus, tanta malitia ejus premitur et opprimitur intellectus, ut cum intelligat David bonum sibi et virilem exstitisse, et quamvis injuriis lacessitum in sua eum innocentia perstitisse, non tamen eum diligat, non diligens complectatur, sed promisso beneficio pronus ad odium reflectatur. Qua urgente malitia non solum David servo suo collati merito beneficii non mitescit, sed etiam in Jonathan filium suum vehementer exardescit, eo quod ille et David justitiam commendabilem prædicaret, et patris malitiam reprehensibilem demonstraret. « Iratus, inquit, Saul adversus Jonathan dixit ei : Fili mulieris ultro virum rapientis, nunquid ignoro quia diligis filium Isai? (*I Reg.* XX). » Et paulo post : « Arripuit Saul lanceam, ut percuteret eum (*ibid.*). »

CAPUT LXIX.

Huic in Ecclesia possunt quidam similes inveniri, qui cum prælationis fastigio se viderint insigniri, tanto in minores et subditos livore debacchantur, ut non patres et rectores, sed hostes potius videantur. Obliti enim quomodo illorum debeant necessitatibus providere, quantam illorum paci et quieti diligentiam adhibere, quo affectu se illis mansuetos et amabiles exhibere, quo studio vivendi formam omnibus, et in omnibus se præbere, e converso vita graves, moribus importuni, amantes proprium, non curantes penitus de communi, attendentes et subesse cæteros, et eisdem cæteris se præesse, quidquid libet prælationis privilegio sibi licitum volunt esse. Suæ igitur voluntati grato lenocinio servientes, et quod legis, quod ordinis est, ad suum libitum deflectentes, quoniam a subjectis pro assumpto magisterio sufferuntur, fractis velut repagulis in excessus liberos efferuntur. Cujusmodi propositum si qui subditorum senserint non placere, illumque pravis majorum operibus assensum facilem non præbere, et sicut non propter hominem vitia, sic et hominem gratum propter vitia non habere, sed zelo rectitudinis quidquid ab illa discrepat abhorrere, hujusmodi subditum statim protervum judicant et vecordem, quia vident scilicet suis cum pravis moribus non concordem. Videtur quidem illis contumacis duritiæ graviter arguendus, imo gravi tanquam hostis odio persequendus, qui manu favorabili gratum majoribus accubitum non emollit, qui eorum qualiacunque opera blandis laudibus non attollit. Arguendus, inquam, est qui contra prælati sui opera præsumpserit vel nutire, et in eum quidquid agat, reprehensionis quidpiam effutire; cum, ut aiunt, subjectum non deceat nisi aut prælato prona in omnibus benevolentia consentire, aut impresso labiis digito, caute et humiliter obmutire. Non igitur impune de prælati sui vita conqueritur, qui Dei quam hominis voluntati libenter obsequitur, non in laudem apud homines, non in prosperum ei cedit, qui favore, vel silentio ad consentiendum perversis moribus non accedit. Quo enim perversi quique prælationis gradu fuerint altiores, eo hujusmodi subjecto imminent graviores, imperantes ut Roboam durum imperium in præsenti, et indurato corde pollicentes idem fore durius in sequenti. De qualibus pulchre Michæas propheta. « Si quis, ait, non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum prælium (*Mich.* III). » Quia eorum conscientia internæ veritatis refectione solida non pinguescit, ad appetendum foris vana eorum avidum os patescit, semper inhians et anhelans, ut sibi a subditis juxta libitum deferatur, et non odiosa veri asperitas, sed assentandi grata suavitas plenius offeratur. In quorum ore si quis munus non dederit concupitum, alienum a religione talem judicant appetitum, si legi quam regi magis elegerit obedire, cum legem, et regem videat paria non sentire, « sanctificant super eum prælium, » id est auctoritate qua sciunt, et recolunt se cæteris præeminere, minantur et affirmant graves illi molestias imminere. Non enim ferventem zelo justitiæ ulnis tenuioribus amplectuntur, sed quem fovere debuerant minis et contumeliis persequuntur; et si quos viderint eodem in illum odio non teneri, non differunt in eos ira graviter commoveri. « Nunquid, ait, omnibus vobis dabit filius Isai agros, et vineas, et universos vos faciet tribunos et centuriones, quoniam conjurastis omnes adversum me, et non est qui mihi renuntiet, non est qui vicem meam doleat ex vobis? » (*I Reg.* XXII.) Nunquid, ait, illi favendum est, qui parem mihi gradum vel ordinem non sortitur, qui longe inferior digna vobis munera non largitur, et non potius idem in illum debetis mecum odium exercere, ut mereamini mea majoris dona, et gratiam obtinere? Unde cum Zyphæi apud se latitare David in colle Achilæ Sauli nuntiarent, et se tradituros illum in manus ejusdem Saulis affirmarent, Saul gratum habens perversum obsequium et favorem, sicut superioribus exhibuit se molestum, sic istis adulantibus leniorem. « Benedicti, ait, vos a Domino quia doluistis vicem meam (*I Reg.* XXIII). » E regione comperto Doech Idumæo referente quod Achimelech sacerdos pro David Dominum consuluisset, et ei panes propositionis et Goliath Philisthæi gladium præbuisset, accersito eodem Achimelech, et omni domo patris sui, ait emissariis qui circumstabant eum: « Convertimini et interficite sacerdotes Domini, nam manus eorum cum David est (*I Reg.* XXII). » Videtis malum principem in servos Domini desævire, in quibus nullum aliud potest mortis meritum invenire, nisi quod non fuerant perversis ejus voluntatibus obsecuti, neque David immeritum gravi secum odio persecuti. Tanto livoris toxico, tanta nequitia torquebatur, ut si quis subditorum vanitati veritatem præferre videbatur, si quis nolebat ei favore assentatorio deservire, mereretur apud eum velut hostis in odium devenire.

Non solum igitur David innocuo nocere desiderat, sed et cæteris, quos eidem David nolle nocere considerat, et mira perversitate illi efficitur inimicus, cum tamen ipse David eidem Sauli sit amicus. Et quoniam princeps malus amico non retribuit quod meretur, sed insuper illum opprimere, et mala bonis reddere non veretur, constat eum illud grave judicium non timere, quod per prophetam Dens talibus asserit imminere. « Væ, inquit Jeremias, qui amicum suum opprimit frustra, et mercedem ejus non reddit ei (*Jer.* XXII). » Cum inimicum suum quisque diligere, et illius odio gratiam reddere jubeatur, ut Patri suo, qui in cœlis est, similis effici mereatur quantum væ meretur incurrere qui non solum non diligit inimicum, sed prævalente malitia, invehitur odiis gravibus in amicum? In quem nimirum nihil debuit perperam cogitare, non eam vel latenter malevolentiæ jaculis agitare, cum etsi ab opere exteriori forte fuerit quispiam feriatus, divina tamen censura solos interiores arguat cogitatus.

Quod per Zachariam innuens : « Unusquisque, ait, malum contra amicum suum ne cogitetis (*Zach.* v). » Quod si in amicum mala cogitatio consentanea non videtur, qua districtione operis consummatio prohibetur; cum scilicet, id quod seminario malitiæ intra conscientiam est conceptum, deliberatione et studio quis adducere molitur ad perfectum? Super quo Salomon : « Ne moliaris, inquit, amico tuo malum (*Prov.* III). »

His et hujuscemodi Scripturæ monitis præfati principes adversantur, qui habentes speciem pietatis, « intra caulas ovium conversantur, sed eos rugitu leonino, vel lupina rabie persequuntur, qui tenaces justi, non majorum pravis moribus obsequuntur. Eos, inquam, mordent et lacerant, quibus attendunt dignitatis ordine se præferri, et eisdem forte sanctitatis merito plus deferri, et quia vident majus illis testimonium virtutis gratia perhiberi, timent eos ad honoris parem gradum vel ordinem promoveri. « Saul, inquiunt, percussit mille, et David decem millia. Iratus est autem Saul nimis, et displicuit in oculis ejus iste sermo. Quid ei superest, inquit, nisi solum regnum? Et non rectis oculis aspiciebat David a die illa et deinceps (*I Reg.* XVIII). » Ecce fomes et seminarium livoris et odii, quod scilicet, militi quam principi, servo quam domino plus defertur, quod testimonio mulierum tympanistriarum regi militans antefertur, et qui debuerat merito fortitudinis fieri gratiosus, converso, et perverso rerum ordine efficitur odiosus.

CAPUT LXX.

Et non solum in David Isai filio legimus figuraliter hoc impleri, sed in Christo facto ex semine David scimus idem plenius exhiberi : qui quoniam ad agendum fortia viriliter manus explicuit, scribis et Pharisæis, et cæteris Judæorum principibus non parum displicuit. « Collegerunt, inquit, pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant? Quid faciemus? quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Ab illo ergo die cogitaverunt interficere eum (*Joan.* XI). » Pontifices et Pharisæi, quorum erat Deo specialius deservire, et in mandatis ejus tam forma quam doctrina cæteros erudire, cum deberent affectu benevolo signis Christi et meritis adgaudere, sensu miseri perdito magis eligunt invidere. Quorum quia perversitas hujus nec signa venerari, nec monita vult audire, et ille magistrorum aures non ad libitum **625** molli obsequio delinire, proficiente invidia, malunt in homicidii foveam se præmitti, quam illum docentem mira, et facientem miracula sic dimitti. « Si dimittimus, inquiunt, eum sic, omnes credent in eum (*Joan.* XI). » Et infra : « Videtis, aiunt, quia nihil proficimus. Ecce mundus totus post eum abit (*Joan.* XII). » Quorum magisterio nonnulli de populo nequiter eruditi, et ad imitandum magistros affectu prono sceleris expediti, quem attendunt pontificibus et docendo dissimilia non placere, obruere volunt lapidibus, et hominum quam Dei gratiam obtinere. « Sustulerunt, inquit, lapides Judæi, ut lapidarent eum. Et ille : Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? » (*Joan.* X.) Quia dixi vobis declinanda esse deceptoriæ lenocinia vanitatis, et saniori concilio tenendam angustiorem semitam veritatis, quia doctrinam utilem vita et moribus roboravi, et ad faciendam fidem vestros et curavi languidos, et mortuos suscitavi; rogo vos propter quod eorum opus recipio hujus vestræ beneficium largitatis, ut sic promeritum, assensu tam unanimo lapidibus obruatis? Hoccine præmio hujus apud vos gratia videor esse dignus, qui præ cæteris populis nationum vobis esse volui tam benignus, mihique bona operanti sic esse respondendum censetis, ut remunerandi gratia tandem ad lapides festinetis? At illi scientes mala bonis retribuit non debere, et tamen nolentes animum sive manus a proposito cohibere, ejusdem propositi non malitiam sed calumniam satagunt removere, et Christi rectitudinem in partem alteram detorquere. « De bono, inquiunt, opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum (*ibid.*). » Malevoli quique dum quemlibet immeritum invidia et odio persequuntur, ad hoc student, ad hoc studiosius enituntur, ut vel imponant illi excogitatæ maculam falsitatis, vel depravent et arguant auditæ rectitudinem veritatis. Sic Judæorum pessimi cum in Christo quidquam reprehensibile non viderent, ejusque famæ, et nomini infecti veneno malitiosæ putredinis inviderent, de bono (ut aiunt) opere non lapidant eum, ne ingrata gratis reddere convincantur, sed de blasphemia, ut id pro justitia facere videantur. Blasphemum autem, et nullo modo consentaneum putant esse, quod ille cum sit homo, Deum se, et Dei Filium dicit esse, cum id quod homo est, sciri possit passim ab omnibus et videri, quod autem Deus, non nisi fide possit quispiam intueri. Cujusmodi retributionem, quia mali malam benemerito reddiderunt, eique ad ultimum, clavos, crucem, mortem nefariam intulerunt, suos quoque sequaces idem Christus prædixit accepturos, ibique similia invidorum malitia perpessuros. « Si me, inquit, persecuti sunt, et vos persequentur (*Joan.* XV). » Super quo nimirum doctor et ductor prudens eapropter illos voluit prænonere, ut mala præcognita possint robustius sustinere, et invidorum odiis, cum sibi ea senserint tumultuosius imminere, discant non odio similique malitia, sed silentio et patientia respondere. Ipse quippe est bonus David, qui manu fortis, plenus spiritu, corde humilis, potens in sermone, præsentium eruditor, sollicitus futurorum, videbat non Saulem, non Doech, non accusantium malitiam Zyphæorum, non scribas, non pontifices, non Pharisæos, non denique lapidantium odia defore Judæorum, qui ad hanc retributionem cæterarum novissimam, animum, linguam, manum avidius applicarent, et mala bonis, ingrata bene meritis reddere festinarent. Quibus, etsi non videtur huic tumultuosæ retributioni superducto silentio terminus

imponendus, nobis tamen de ea tandem sermo prolixior est claudendus, ut ad disserendum aliud silentium nostra intentio transferatur, ne diuturni duorum obstaculo in medium venire tertium differatur.

De prudenti silentio a bonis.

CAPUT LXXI.

Est silentium et a bonis. Bona appellantur, quæ vel utilia vel læta sunt, a quibus nonnulli aliquando prudenti consilio conticescunt, nonnulli autem culpabiliter, quidam vero pœnaliter obmutescunt. Etsi enim pro magno quædam sui merito sunt habenda, non sint tamen omnibus omni tempore proferenda, eis videlicet qui bona, qui salubria non solum nulla reverentia complectuntur, sed effecti nequiores gravioribus odiis persequuntur. De quibus in Evangelio: « Nolite, inquit, sanctum dare canibus, neque margaritas porcis (*Matth.* VII). » Sanctum est verbum Dei quo velut simila filii nutriuntur, qui ad obtinendam Patris hæreditatem divinitus eliguntur, qui Deo placita, vel non placita discrete considerant, et noxia respuentes melioribus gratanter obtemperant. Canes vero, id est vita et moribus impudici, ingrati doctoribus, diligentium inimici, auditum salutis verbum corde humili non acceptant, sed adversus illud ore rabido garriunt et disceptant. Quos sive laveritis, sive pupugeritis, juxta vulgare proverbium, non mutantur, sed esse quod fuerant sensu devio gratulantur, et sicut parati sunt vicem reddere ferienti, sic indiscreto judicio morsum præparant blandienti. Non est igitur consilii sumere panem filiorum **626** et mittere hujusmodi canibus, qui furiosi ab advenis domesticos non secernunt, qui inter sanctum et profanum attentione sollicita non discernunt, qui a sua malitia nullo doctrinæ beneficio convertuntur, vel forte conversione proposita nequiores ad vomitum revertuntur. « Neque margaritas, inquit, porcis. » Porcus immundum est animal gaudens luto, eos significans qui affectu et opere dissoluto mores inconditos supernorum intuitu non castigant, sed corde inclinato sola quæ terræ sunt avidius investigant. Quibus si quis obtulerit verbi Dei commendabile margaritum, hujus gratia vel amore priorem non temperant appetitum, sed idem verbum luto vilius æstimare, et terrenis illud præsumunt effectibus conculcare.

Quod propter legio dæmonum: « Si ejicis, inquit, nos hinc, mitte nos in gregem porcorum (*Matth.* VIII). » Cum enim spiritus nequam in electis quibusque non permittetur demorari, cum ab ejus imperio vult eos divina gratia liberari, ille in illis eligit habitare, qui toti lutulentis voluptatibus immerguntur, qui malitia pertinaci tandem carnalium diluvio submerguntur. Cum prudens vir tales in sua nequitia viderit obstinatos, et ad vocem sapienter incantantium obturatis auribus obduratos, a bonis sibi silentium prudenter imponit, et doctrinæ margaritas coram contemptoribus non apponit. Unde et Amos propheta: « Ideo, inquit, prudens in tempore illo tacebit, quoniam tempus malum est. (*Amos* V). » Tempus malum est cum irrisores doctorum non credunt auditui, cum auditum vitæ verbum habent contemptui, cum quod ad docendum sermo copiosius invalescit, eo amplius auditoris nequam animus obdurescit. Eo ergo tempore, quo scilicet auditor invenitur sic irreverens, contumax, infrunitus, tacet quisque divino spiritu prudenter eruditus; tacet inquam aut verbo Dei deferens ne vilescat, aut forte parcens proximo, ne qui est in sordibus, plus sordescat. Audit enim quod ei spiritus interior silentium hoc indicit, et ne malis bona loqui debeat, interdicit, cujus dicto vel indicto audientis palato lingua volubilis adhærescit, et a bonis, quæ mali non jam audire merentur, obmutescit. Unde et ad Ezechielem: « Linguam tuam, inquit, adhærere faciam palato tuo et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est (*Ezech.* III). » Videtis quia Dei spiritus auditorum duritiam et culpam considerat, quæ indurato corde quem placare debet exasperat, et merito exasperantis prophetam facit idem spiritus obmutire, ne præsumat vitæ verbum obduratis et in pejus proficientibus effutire. Eodem spiritu Jeremias interdicitur, ut non oret, ut pro nequam populo, votis et precibus non laboret, ne, et devota prophetæ oratio in vacuum effundatur, et orator, cum repulsam passus fuerit, confundatur. « Noli, ait orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, et orationem, non obsistas mihi, quia non exaudiam te (*Jer.* VII). » Quia, inquit, perversa populi hujus cervix obduruit, et veniam obtinere malitia tanta non meruit, vide ut pro eis quidquam superfluo non præsumas, ut laudem, et orationem pro reparandis perditis non assumas. Laudem assumit orator, cum divinam volens misericordiam impetrare, antiqua ejus beneficia ad medium diligit revocare, recolens quomodo illos, sive illos priores, cum peccassent, noluit interire, sed eorum erratibus misericorditer veniam impertire. Cujusmodi laus, cum Deo velut in faciem replicatur, cum ei ad memoriam tanta ejus benignitas revocatur, recens ira blandimento humili temperatur, et antiqua misericordia ad conferendum rursus beneficium provocatur. Cum vero Dei laudibus quisque devotior sic insistit, et donec exaudiatur, a proposito non desistit, nimirum irato Deo precum viribus obviat et obsistit, dum ille in eo quod minatus fuerat, non persistit. Quod Moysi loquens insinuat: « Ei, ait, cerno quod populus iste duræ cervicis sit, dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos (*Exod.* XXXII). » Quare dimitti se postulat, ut furor ejus liberius irascatur, nisi quia ejusdem Moysi oratione valida tenebatur, ne in peccantem populum ira ejus et sententia desæviret, et ea sæviente peccator juxta meritum interiret? « Moyses enim, inquit, orabat, Dominum Deum suum dicens: Cur Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum? » (*Ibid.*) Quo autem fine devotus ille Deum oraverit, et orando quam fortiter furorem ejus tenuerit insinuat Scri-

ptura cum subjungit : « Placatusque est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat adversus populum suum (*Exod.* XXXII). » Ab hujusmodi oratione, qua devotus quisque Deo nunquam obsistere perhibetur, et quem non vult irati justitia judicis exaudire, monet ne præsumat preces supervacuas effutire. Quamvis enim et bonus orator, et bona ejus oratio videatur, dum vel sibi, vel alteri bonum aliquod deprecatur, ab eodem tamen bono bonus debet obediens reticere, cum Deo summe bono ipsum veraciter novit silentium complacere. De quo longe infra repetens, ait : « Noli orare pro populo isto in bonum (*Jer.* XIV). » Quod autem non sit pro eo in bonum oratio proferenda, cui salus non est manifestante spiritu conferenda, Petrus intelligens pro Anania in bonum, et Saphyra, non oravit cum sicut non peccatum, sic nec peccati pœnam per spiritum ignoravit. Cui simile est quod Joannes, ait : « Est peccatum ad mortem 627 non pro illo dico ut roget quis (*I Joan.* V). »

CAPUT LXXII.

Hoc edoctus spiritu Paulus, qui orare pro quibusdam peccantibus invenitur, paulo supra altero peccante, cessare a precibus comperitur, sciens et illorum culpis dono gratiæ facilius indulgeri, et istius malitiam indulgentiæ remedio non deleri. Timotheo loquens : « Omnes, ait, me dereliquerunt, non illis imputetur (*II Tim.* IV). » Et supra : « Alexander, inquit, ærarius multa mala mihi ostendit, reddet illi Dominus secundum opera ejus (*ibid.*). » Quid sibi vult quod iste orat ne derelinquentibus eum tale meritum imputetur, pro Alexandro non orat, sed ei reddi asserit quod meretur, nisi quia preces suas pro illis docente spiritu scit admitti, suis autem precibus pertinacem illius malitiam non remitti?

Idem alias cum ad doctrinam salutarem Judæos videret obdurari, et salutis prodigos tam medicinam quam medicum exsecrari, proposito suo calcem prudenter imposuit, et ad docendum alios innovato consilio transire proposuit. « Judæi, ait, repleti sunt zelo, et contradicebant his quæ a Paulo dicebantur, blasphemantes. Et Paulus ad eos : Vobis, inquit, oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII). » Quia vidit Paulus, audito vitæ verbo Judæos non credere, sed in contemptum, et blasphemiam obstinatione mentis excedere, non odio, sed consilio eisdem blasphemantibus valefecit, et odore bono morientibus loqui diutius non adjecit : « Christi, ait, bonus odor sumus Deo, in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt, aliis quidem odor mortis in mortem aliis autem odor vitæ, in vitam (*II Cor.* II). » Sicut plerique bono verbi odore pasti proficiunt, eoque pastu, et profectu ad spiritalem vitam perveniunt, sic nonnulli, quorum interiora felle amaritudinis corrumpuntur, eodem bono odore, velut quadam inconvenientia moriuntur. Denique homo ad perfectum et vitam pane solido promovetur, accipiter vero rapax, ejusdem panis edulio prohibetur, et cum tam illi quam isti pastus similis, imo idem penitus apponatur, in dissimilibus tamen longe dissimiliter operatur. Et recte homini cui divina munificentia contulit rationem, qua Deum intelligens, solam ejus ardenter appetit visionem ; recte, inquam, huic panis solidi congruit alimentum, et bono verbi odore accipit vitæ indissolubilis firmamentum. Ei vero qui rapaci malitia ad interitum æstuat cæterorum, qui avaris unguibus carnes lacerat infirmorum, qui supino fastu fructuosæ fidei despicit sanitatem, qui volatu superbo humilem doctrinæ præterit veritatem, ei inquam, vitalis alimonia in contrarium commutatur, dum ei, quam amare debuerat, blasphemo spiritu pertinaciter adversatur. Cujusmodi homines qui vel bono vivunt odore, vel qui eodem econtrario moriuntur, a dispensatore verbi ad liquidum non facile discernuntur, ut scilicet perfecte sciat doctor, cui recte verbum vitæ debeat committi, vel qui mente reprobus intra ejus prorsus adjutorium non admitti. Quod inquiens Paulus, subjungit : « Et ad hæc quis tam idoneus? » (*II Cor.* II.) Quis, inquit, dispensator tanta gratia poterit esse fretus, quis inveniri tam prudens poterit, tam discretus, ut intellectu sagaci præsentiat cui noxie, cui salubriter idem antidotum apponatur, quando bonis proferendis vel laxetur janua, vel silentium rectius imponatur? Hoc virtutis fastigium, hæc perfectio videtur inaccessa, nisi cui discretio forte spirituum est concessa ; quia sicut alius per spiritum, sermonem sapientiæ, alius habere sermonem scientiæ, secundum eumdem spiritum invenitur, sic idem spiritus alii prophetiam, alii discretionem spirituum impertitur.

Quam discretionem spirituum ipse Apostolus Titum habere cupiebat, et ad eam obtinendam illum diligentius admonebat, ne superfluus doctor illis verbum salutis loqueretur, quorum mente reproba salus speranda non videtur. « Hæreticum, inquit, hominem post unam et secundum correptionem, devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est (*Tit.* III). » Si quemquam, ait, hæretica pravitas jam subvertit, et ad primam vel secundam correptionem tuam induratum visitans gratia non convertit, hoc velut signo tua sit discretio certius erudita, et assumpto a bonis silentio penitus hunc devita. Cum enim proprio condemnatus judicio sic delinquat, ut blasphemator divini spiritus locum sibi pœnitentiæ non relinquat, rectum est ut doctor prudens non contendat illius apponere vulneri medicinam, cujus tanta est duritia, ut correptus non recipiat disciplinam. Eamdem spirituum discretionem ipse etiam Apostolus habere se advertit, cum Judæos deserens, ad prædicandum gentibus se convertit, cum relictis eis quos merito cognationis affectuosius diligebat, ad exteros se contulit, quos vita digniores, docente Spiritu, prævidebat. Qui cum Judæis dixisset quod superius positum est : « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam

repellitis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII); » cum hoc, inquam, dixisset, statim subjunxit : « Sic enim præcepit nobis Dominus : Posui te in lumen gentibus, ut sis in salutem usque ad extremum terræ (*ibid.*). » Videtis quia 628 Paulus invidentis malitiæ vel ignorantiæ vitio non caligat, cum Judæos deserit, et salutem gentium investigat, imo jubente et docente Spiritu id se facere profitetur, qui quantum dat intelligi, vellet ut ad suos potissimum mitteretur. Denique cum civitates gentium sollicito discursu idem prædicator aggrediatur, inventas in eis Judæorum synagogas primum ingreditur, tentans si forte suam illis Deus dignetur gratiam impertire, ut velint ejus monitis salutaribus obedire. Verum ubique tam duræ cervicis eos invenit, tam perversos, et obfirmato corde prædicatæ fidei sic adversos, ut plane intelligat ad docendum eos, Apostolum se non mitti, eisque verbum vitæ debere penitus non committi. « Veniens quippe Thessalonicam, intravit, inquit, synagogam Judæorum secundum consuetudinem, et per Sabbata tria disserebat cum eis de Scripturis. Zelantes autem Judæi, assumentesque de vulgo viros quosdam malos, concitaverunt civitatem, clamantes, et dicentes : Hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt regem alium, dicentes nescio quem esse Jesum (*Act.* XVII). » Et infra : « Cum egressus ab Athenis, venisset Corinthum, et disputaret, in synagoga testificans Judæis Jesum Christum esse. Contradicentibus, inquit, eis et blaspnemantibus excutiens vestimenta sua dixit ad eos : Sanguis vester super caput vestrum, mundus ego, ex hoc vadam ad gentes (*Act.* XVIII). » Et Romæ positus exponebat Judæis, testificans, regnum Dei suadensque eis de Jesu, et lege Moysi, et prophetis. Cumque invicem non essent consentientes : « Notum sit vobis, inquit, quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei, et ipsi audient (*Act.* XXVIII). » Diversis locis Paulus Judæos incredulos vult docere, eosque ad fidem catholicam affectu sollicito promovere, sed adversante Spiritu a proposito cogitur animum retorquere, quidquid in eis laborat intelligens efficaciam non habere. Qui sicut illos docente Spiritu intelligit reprobari, et reprobos pronuntiat indignos doctrina salutari, sic edoctus ad docendum gentium populos transire se promittit, ad quorum tamen nonnullos eum loqui, sive ire doctor Spiritus non permittit. « Transeuntes, inquit, Phrygiam et Galatiæ regionem, vetiti sunt a Spiritu sancto loqui verbum in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire Bithyniam, et non permisit eos Spiritus Jesu (*Act.* XVI). » Recte Paulus in Asia silentio se compressit, fractoque proposito Bithyniam non accessit, cum super hoc eum inveniatur Spiritus Jesu dignanter erudire, insinuans quid, quando, quibus debeat expedire.

Sic et ipse Jesu, quem nulla ignorantiæ obscurat hebetudo, sed in eo inhabitat omnis sapientiæ plenitudo tacuisse a bonis aliquoties invenitur, cum a persecutoribus suis Judæis sive gentilibus convenitur. « Principes, inquit, sacerdotum, et scribæ duxerunt illum in concilium suum dicentes : Si tu es Christus, dic nobis (*Luc.* XXII). » Sicut volumus, inquiunt, ut nomen Christi falso tibi assumere non præsumas, sic volumus, ut super eo ingratum silentium non assumas, sed nobis ignorantibus notam facias veritatem, ne pro ea teneat nostra existimatio falsitatem. » At ille : « Si dixero, inquit, vobis, non credetis mihi (*ibid.*). » Non est, ait, dignum ut vobis quod quæritis, manifestem, nec divina mysteria relatione superflua dehonestem, cum si vobis dixero, non sitis credituri, neque sanctam margaritam digna cum reverentia suscepturi. Hinc est apud Marcum, quod cum summus sacerdos interrogaret Jesum dicens : « Non respondes quidquam ad ea quæ tibi objiciuntur ab his, ille inquit, tacebat, et nihil respondit (*Marc.* XIV). » Et Matthæus : « Cum accusaretur, inquit, a principibus sacerdotum, et senioribus, nihil respondit (*Matth.* XXVII). » Non vult Jesus suis accusatoribus respondere quos aures audiendi novit procul dubio non habere, et quidquid eis diceret, prævidet in contemptum, et calumniam magis verti, eosque ad amandum veritatem induratos malitia non converti. Qui cum juxta Joannem interroganti de discipulis et doctrina ejus pontifici responderet, ejusque responsio nihil reprehensibile contineret : « Unus, tamen, assistens ministrorum dedit alapam ei, dicens : Sic respondes pontifici? Respondit ei Jesus : Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cedis? » (*Joan.* XVIII.) Si male, inquit, fuissem tibi vel pontifici prælocutus, et tu illud digno testimonio seu etiam verbere prosecutus, mirum, vel forte reprehensibile nequaquam videretur, quia juste judicans reus injustitiæ non tenetur. Cum autem in sermone meo nullam inveneris falsitatem, non tibi, non alteri, non justam dixerim veritatem, cur non solum ad diligendum quæ profero non accedis, sed dicentem utilia sic me cedis? Quia ergo videt Jesus responsiones suas, licet bonas, Judæis audientibus non prodesse, sed magis ad reddendas contumelias promptos esse, dignum ducit, ut ab eisdem bonis aliquoties conticescat, ut suo documento bonum esse hujusmodi silentium innotescat.

CAPUT LXXIII.

Qui sicut Judæis, sic etiam gentilibus silentium hoc impendit, cum ad obediendum sibi eos benevolos non attendit, cum cervicato illorum fastu considerans se illudi, eisdem illusoribus angustam vidit fidei semitam intercludi. « Interrogabat, inquit, illum 629 Herodes multis sermonibus, at ipse nihil illi respondebat. Sprevit autem illum Herodes, et illusit indutum veste alba (*Luc.* XXIII). » Liquet Jesum ob hoc Herodi responsum non dedisse, quia noverat illud necessarium non fuisse, perpendens illum esse suum loquentis benevolum auditorem, sed signorum cupidum, et eorum vel ipsius tumidum illusorem. « Sperabat, inquit, signum aliquod

videre ab eo fieri (*Luc.* XXIII.).» In cujus præsentia Jesus non solum miracula nulla fecit, sed eidem scisciitanti respondere penitus non adjecit, ne vel respondens potestatem timere videretur, vel eidem, adulari si miracula faciens blandiretur. Unde cum alibi dicerent ei quidam : Exi, et vade hinc, quia Herodes vult te occidere, ait illis : Ite et dicite vulpi illi : Ecce ejicio dæmonia, etc. (*Luc.* XIII).» Dolosam, inquit, Herodis malitiam qua laborat meus absentis spiritus non ignorat, sed timore illius mea virtus a proposito non desistit, et prudentiæ fortiori dolosa et infirma vulpecula non obsistit. Tali viro qui adductum sibi Jesum curiosius vult audire, et tamen illius auditui nullatenus obedire, idem Jesus scisciitanti respondere non curat, ne bona quæ debentur humili studioso, inconsulte præbeantur tumenti curioso. Sic etiam juxta Joannem cum diceret ad eum Pilatus : « Unde es tu? Jesus, inquit, responsum non dedit. Dicit ergo ei Pilatus : Mihi non loqueris?» (*Joan.* XIX.) Quia Pilatus docibilem se discipulum non præbebat, et non merito humilitatis, sed terrore potestatis incognita perquirebat, Jesus illum super hoc docere dedignatur, cui tacenti judex velut potentior indignatur. « Mihi, ait, non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te (*ibid.*). » Et juxta Marcum : « Pilatus, inquit, interrogavit Jesum, dicens : Non respondes quidquam? Vide in quantis te accusant, Jesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus (*Marc.* XV). » Mirabatur Pilatus, quod ei Jesus non velocius responderet, quod ille judicatus judicantis potentiam non timeret, quod etsi præsumeret malitiosam Judæorum arguere falsitatem, non saltem formidaret judiciariam præsidis potestatem. Sed Jesus cujus spiritus Paulo silentium a bonis imposuit, cum vel eum ire Bithyniam, vel in Asia loqui verbum prohibuit, novit ipse quando sibi quoque silentium sit tenendum, quando, cui, quo intuitu sit loquendum. Cujusmodi differentias quisquis spernit, quisquis eas, vel imperitia vel negligentia non discernit, non solum mala proferens arguí promeretur, sed et bona inconsulte loquens, excusabilis non habetur.

CAPUT LXXIV.

Unde cum Petrus bona loquitur, et quando ea proferre debeat non attendit, sed æstimatione præprospera, perfectionis fastigium apprehendit, Christus eum secretorum conscius reprehendit, et prudens ignoranti casum proximum præostendit. « Omnes vos, ait Christus scandalum patiemini in me in ista nocte. Cui Petrus : Etsi omnes, inquit, scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Et adjecit : Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo (*Matth.* XXVI).» Quid melius magistro discipulus potuit respondere, quam illius obsequio sic devotum, et subditum se spondere, ut scandalizatis cæteris nullum ipse scandalum patiatur, et ab eo nulla mortis instantia divellatur?

Huic simile invenitur et Paulus in suis litteris protulisse, et tamen super hoc nullus ei reprehensionis quidpiam intulisse, imo et qui protulit, commendabilis judicatur, et quod protulit dignum memoria prædicatur. « Neque mors, ait, neque vita poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu (*Rom.* VIII). » Sed mors Christi, et resurrectio tam grande secum beneficium attulerunt, hanc virtutis gratiam apostolis eorumque sequacibus contulerunt, et quem prius surrexisse mortuum pro se vident, pro eo vice reciproca mortem perpeti non formident. Nam mors Christi vetustam removit sarcinam delictorum, resurrectio autem promovit ad justitiam meritorum, ut absumpta gravaminum vetustate, et absumpta virtutis novitate, Christo compati, imo et commori jam velint et valeant, et conviventes, et conregnantes in cœlestibus una consedeant. Quod Petrus memorans : « Christus, inquit, passus est pro vobis, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus (*I Petr.* I). » Et ipse Christus in Evangelio hujus suæ passionis mysterium præfigurans. « Exemplum, inquit, dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis (*Joan.* XIII).» Per hujus itaque, et post hujus passionis non prædictam sed jam exhibitam veritatem, obtinuerunt apostoli tam promptam spiritus firmitatem, ut hoc exemplum forti proposito sequerentur, et pro Christo primitus mortuo digna consequentia morerentur. Non enim dignum erat ut prius discipuli pro magistro, quam magister mortem pro discipulis pateretur, ne mors discipuli magistro necessaria videretur, sed ille prius recto erat ordine moriturus, qui exemplum et gratiam erat cæteris præbiturus. Nullus itaque apostolorum hujusmodi gratiam est adeptus, nullus eorum inveniri potuit tam perfectus, ut pro Christo nondum mortuo forti spiritu posset mori, **630** et nondum redemptus impendere mortis obsequium redemptori. Unde cum a turba Christus persequentium quæreretur, ut inventus ad mortem secundum Judæ consilium traderetur, ait illis : « Quem quæritis? Et illi : Jesum Nazarenum. At ille : Si me quæritis, sinite hos abire (*Joan.* XVIII). » Nolo, inquit, ut me tento, et hos pariter teneatis, eosque imparatos mortem mecum perpeti compellatis, quos in fide adhuc claudos, infirmos operibus esse novi, et ad contemptum mortis vivificante gratia non promovi. Quibus quia video, licet nescientibus, hæc deesse, quæ ad salutem veram necessaria constat esse, volo eos vobis me quærentibus hinc abire, ne morte immatura compellantur æternaliter deperire. Quod Evangelista innuens subjungit : « Ut impleatur sermo quem dixit : « Quia quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam (*ibid.*). » Quibus verbis intimat quia si abire non permissi eo tempore apostoli morerentur, infirmiores fide sine dubio perderentur, et quem de salute illorum fuerat prælocutus, non videretur sermo dignam efficaciam assecutus. Dixerat enim paulo supra : « Quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex his periit nisi filius perditionis (*Joan.* XVII). »

Quos dedisti mihi, ait, ea bonitate quæ tua est ad salvandum, quamvis infirmiores meritis non deserui penitus ad damnandum, neque tuam voluntatem in eorum custodia præterivi, sed omnes mihi datos digna sollicitudine custodivi. Etsi ergo multa urget tribulatio vel occurrit, perditionem tamen nisi perditionis filius non incurrit, quem profecto mihi non dederas, sed datus forsitan videbatur, dum cum eis qui dati fuerunt, declarato nondum judicio versabatur. Ut autem sermo quem super eis Christus dixerat, impleretur; noluit ut in morte sua quisquam illorum pariter moreretur, non quod prædicto sermone cuilibet eorum ad salvandum violenta necessitas inferatur, qui profecto nisi gratia præcedente, et subsequentibus meritis non salvatur. Non enim ob hoc necessario salvandi sunt, quia sermonem hujusmodi Christus dixit, sed quia illi salvandi erant, iste præscius hoc prædixit, eorumque salutem sic et prædicere memoratur, ut non salvantis gratia, non salvandorum liberum arbitrium auferatur. Proinde ut apostoli quos Pater Filio dederat, salvarentur, et sic quæ de salvandis illis prædicta fuerant, implerentur, cum se ad moriendum audiisset Christus quæri, illos ad commoriendum noluit perurgeri. Quod enim illi de se lippientibus oculis interioribus æstimabant, quod sermone inconsiderato præcipites jactitabant, ille cordium perscrutator melius noverat non sic esse, et hoc ipsum eis fecit incumbens tribulatio notum esse. Dixit quidem Petrus scandalizatis cæteris se quoque ad scandalum non impelli, et si eum mori oporteat, ab eo tamen confitendo aliquatenus non divelli, quod et cæteri omnes uno ore pariter responderunt, et se fore constantes nihilominus spoponderunt. Nam cum dixisset Petrus: « Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo, subjungit Evangelista: Similiter et omnes discipuli dixerunt (*Matth.* XXVI). » Cui promissioni sicut fidem Petrus debitam non servavit, sed timore turbatus, lapso pede reprehensibiliter declinavit, sic et cæteri omnes pari mentis inconstantia deliquerunt, et mendacii rei magistrum fuga inita reliquerunt. Sic enim Matthæus habet: « Tunc discipuli ejus omnes relicto eo fugerunt (*ibid.*). » Qui defectu tam gravi, qui languore tam mortifero laborabant, et ad cognoscendum eum offusa cordis hebetudine caligabant, longe honestius, longe utilius modesto silentio premerentur quam excursu præcipiti pomposa et ventosa gaudia, et inania loquerentur. Nam cum eos quos efficit caligans æstimatio præsumptivos, reddit continuo timor degener fugitivos, cum verba eorum miræ fortitudinis et constantiæ promissiva, sic annullat, sic infatuat trepidatio negativa, paret quia loquendo non mediocriter quis offendit, si quid quando loqui debeat discretione sollicita non attendit

CAPUT LXXV.

Quod in Petro præcipue videtur demonstrari, qui fidenter pronuntians scandalo non turbari, audire meruit, quia esset non solummodo negatum scandalum perpessurus, sed contra quod promiserat, suum et magistrum et dominum negaturus. « Amen, inquit, dico tibi quia in hac nocte ante quam gallus cantet ter me negabis (*Matth.* XXVI). » Nescit Petrus morbi magnitudinem qua laborat, sed eam prudens medicus non ignorat, et ille voti reus a præsumpta constantia longius aberravit, et hunc esse veridicum rei exitus approbavit. Nam Petrum ad negandum tertio superveniens timor flexit, quem negantem magister verax, sed et misericors non despexit, imo respectu grato fecit illum, et eorum quæ ipse Christus prædixerat, recordari, et super his quæ Petrus consequenter fecerat, contristari. « Recordatus est, inquit, Petrus verbi Domini, et egressus foras flevit amare (*ibid.*). » Agnoscens Petrus in loquendo et promittendo bona improvidum et præcipitem se fuisse, et postmodum in negando semel et iterum, imo et tertio corruisse, facti pœnitens vocale non assumit, et in verbo deceptorio jam confidere non præsumit. Eum quippe locum, quem lubricum et sibi nocivum invenerat, **631** in quo tam amando quam timendo, velut dextro et sinistro pede corruerat, læsus graviter non potest in præsenti habere non suspectum, eumque et præcidens læsio et secuta suspicio adducit in despectum. Facti ergo pœnitens hæret et dubitat quo feratur, qua medela salutarem veniam consequatur, ad consequendum eam quo silentio teneatur, cum sibi quidquam loqui jam nec utile nec conveniens videatur. Qui apud se in silentio lapsum considerans, et quid super eo inpræsentiarum agere possit deliberans: « Quid faciam inquit, vel quid dicam? » Si magistrum rursus negavero, si culpæ culpam incurius salutis addidero, qui toties iterantem æquanimiter sustinebit, et non potius erroneum vindicta celeri cohibebit? Si vero delictum meum ore proprio statim voluero confiteri, si a malo deinceps abstinentiam, et in bono constantiam polliceri, quis inclinabit aurem benevolam confitenti, quis poterit credere mendoso pollicenti? Nunquid autem procax et impudens non videbor, nunquid verbositatis argui non merebor si ad loquendum recurram tam cito, tam facile, tam fidenter, cum illic ceciderim brevi temporis spatio tam frequenter? Hoc apud se Petrus volvens et revolvens, quid recte diceret, nesciebat, imo læsus verbo quidquam jam dicere non audebat, ne in loquendo, ut ante justo velocior haberetur, et sermonis improvidi rursus argui mereretur. Denique Salomon: « Vidisti, ait, hominem velocem ad loquendum, stultitia magis speranda est, quam illius correctio (*Prov.* XXVI).

Nonnunquam enim qui multa, vel grandia velociter repromittit, eadem nihilominus velociter intermittit, et qui ad proponendum summa paulo inconsideratior invenitur, invalidus aut negligens ruinam gravem citius experitur. Proinde Ecclesiastes: « Ne temere, ait, quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem (*Eccle.* V). » Non

parva est temeritas cum ad loquendum velocior quis habetur, et effectu præcipiti suis imparia viribus pollicetur, cum quid, quando, loqui debeat inspirante gratia non docetur, et tam bona quam mala indiscreto proferre judicio non veretur. Et quis magis temerarius, quam ille quem propria verba decipiunt, cum scilicet sermo et veritas ab invicem longe dissentiunt, cum passim et libere quidquid in buccam venerit, lingua dicit, et ejus dicto rerum consequentia contradicit. Verba itaque, sive inconsiderato judicio affirmantia falsitatem, sive timore degeneri negantia veritatem, ipsi nimirum proferenti nonnunquam etiam audienti plurimum sunt nociva, dum alteri eorum, vel forte utrique perniciem inferunt deceptiva.

Recte ethnici, qui hujusmodi verborum efficaciam attenderunt, in suis opusculis verba pro deceptionibus posuerunt, quibus videbatur iste locutionis tropus satis conveniens, ut nonnunquam pro effectu ponatur efficiens. Quorum unus : « Verba, inquit, dat omnis amans. » Omnis quippe qui amore venereo intra læsam conscientiam perurgetur, et ad sanandam eam sollicitus non habetur, neglecto salubri remedio, habet hoc velut proprium consequenter, ut verborum nexus et retia texat et jaciat fraudulenter : Æstuans enim, et festinans impudicam explere voluntatem, nihil sibi familiarius quam verbosam invenit falsitatem, cujus blandis nexibus illam improvidam devinciens delinire, vel deliniens satagit devincere, cujus æstu misero miser cogitur deperire. Verba igitur, id est deceptiones dat omnis amans, quia quisquis videt sub injusto jure cupiditatis se teneri, nec liber ab illius jugo vel imperio vult haberi, id quod dicit, fraudis curat involucro diligentius operire, ut auceps subdolus concupitam possit aviculam irretire. Denique et serpens in paradiso invenitur verbo mulierem seduxisse, eamque ad hoc promissis fallacibus induxisse, ut fructum vetitum mandati rea tangere non timeret, eamdemque transgressionem viro uxorio importunitate feminea suaderet. Unde et ipsa ad Dominum arguentem : « Serpens, inquit, seduxit me (*Gen.* III). » Quia igitur in verbo multa deceptio, multa falsitas invenitur, quod nimirum Petrus non tam loquendo quam corruendo sensisse comperitur, verbo recens lapsus non statim eidem iterum se committit, non confitetur, non orat, non denique se fore stabilem repromittit.

CAPUT LXXVI.

Relegato autem verborum strepitu, quem inpræsentiarum sibi congruum non advertit, prudenti consilio ad modestum silentium se convertit : in quo et peccati pœnitudo cordi amaritudinem infundebat, et interna cordis amaritudo exteriores oculos lacrymis suffundebat. Recolens quippe et dolens quod non domino, non magistro juxta quod promiserat ante detulerit, sed ad verbum ostiariæ negationis verbum protulerit, alium quemdam modum obtinendi remedii vult tentare, egressusque prætorio, et ingressus claustra silentii flet amare. Illic infra recessus conscientiæ, et culpam intuens et se ipsum, velut pro tribunali, sedet et judicat semetipsum, et discutiens quid verbo, quid lingua improvida sit admissum, sicut in linguam, sic etiam, imo graviori judicio, invehitur in commissum. Linguam fluxam et labilem silentio **632** cohibet et castigat, commissum vero amara pœnitudine persequens investigat, illam premit, et recludit seras, et vectes labiorum obducens, illud tergit et abstergit multas et graves undas fletuum superducens. Itaque ore, lingua, quibus graviter lapsus erat, de fructu lacrymarum et silentii non desperat, recolens forte quia in lacrymoso silentio vox quædam nonnunquam invenitur, quæ digne Deum excitat, etsi ab hominibus non auditur, unde Propheta : « Auribus, inquit, percipe lacrymas meas (*Psal.* XXXVIII). » Cum lacrymæ non audibiles, sed visibiles soleant perhiberi quas nimirum non auris audire prævalet sed magis oculus intueri, vult tamen Propheta, ut lacrymas suas Deus propitius dignetur audire, qui et videre audibilia prævalet exaudire. Apud eum contritio, et devotio spiritus non rauccscit, non lacrymosum silentium obmutescit, sed cum lingua loquacior palato culpis exigentibus adhærescit, plerumque tamen de audito fletu mens interior hilarescit. Quod innuens Propheta : « Exaudivit, inquit, Dominus vocem fletus mei (*Psal.* VI). » Habet itaque fletus vocem suam, imo et clamorem, sed in auribus Dei, quia sicut os loquentis ad pulsandas aures hominum aperitur, sic ad pulsandas aures Dei effusio lacrymarum efficax invenitur.

Unde quidem sapiens : « Nonne, inquit, lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatis ejus super deducentem eas? A maxilla enim descendunt usque ad cœlum, et Dominus exauditor non delectabitur in illis (*Eccli.* XXXV). » Videtis quia cum devoto corde vidua lacrymis irrigatur, earum clamorem non domus aliqua, non denique immensitas æris hujus claudit, sed cœlo penetrato præsentatum sibi audit miserentis Dei bonitas, et exaudit. Qui enim plerumque clamosas voces loquentium non attendit, sed corde obdurato dicentes sibi : « Domine, Domine, reprehendit, afflictam animam cui mundus immundior jam non vivit, quam velut seminecem sacerdos, et levita negligentius præterivit, bonus custos miseratur, et levat in jumentum, et lenito dolore confert medicinæ salubris adjumentum. Illius quippe vocem gemituum vel loquelam, convertit ei prudens pygmentarius in medelam, et qui ad ingratos et voces, vel oblationes illorum ingratas non respicit, devotæ viduæ gemitum loquacem non despicit. De quo supradictus sapiens præmittit : « Non despiciet viduam, si effundat loquelam gemitus (*ibid.*). » His, et hujusmodi commonitus Petrus cum verbo lapsus non audeat iterum verbosari, ne inveniatur delictum merito impudentiæ cumulari, afflicto corde eligit in silentio lacrymari, si forte a Deo possit vel hoc munusculum acceptari. Eum

quippe ad lacrymandum interna salvit devotio, cujus linguam ad loquendum tenet confusio, et cui visitantis spiritus infusio donat flere, eumdem facit timor districti judicis retinere. Unde apud Jeremiam quidam pœnitentes : « Convenite, aiunt, et ingrediamur civitatem munitam, et sileamus ibi quia Dominus noster silere nos fecit, peccavimus enim Domino (*Jer.* VIII). » Nonnulli cum post peccatum ad pœnitentiam convertuntur, et super retroactis intra conscientiam confunduntur, tanto timore apud se internum judicem reverentur, ut ad proferendas preces locutione præcipiti non laxentur. Videtur eis quod ad divinas aures vocalis oratio efficaciter non accedit, quam modesti silentii verecundia non præcedit, nec digne satis vox clamosior acceptatur, si non timore prævio discretoque judicio commendatur. « Sileamus, inquiunt, quia Dominus noster silere nos fecit (*ibid.*). » Tunc nimirum facit Dominus nos silere, cum benigno respectu nostrorum facit nos excessuum pœnitere, nobisque pœnitentibus tantum incutit timorem judicandi, ut incongrua videatur festina et loquax fiducia deprecandi. In verbo enim præcipiti errorem et lapsum nostra plerumque infirmitas experitur, in devoto autem silentio major securitas invenitur, et ideo quod noxium vel suspectum est, videtur ad horam debere seponi, id autem quod inpræsentiarum est, securius anteponi. Recolentes igitur se peccasse, graviter erubescunt, et confusam timidamque habentes conscientiam conticescunt, ne si tempus loquendi congruum librato judicio non attendant, quem pacatum iri volunt, locutione præcipiti plus offendant. Hoc autem facere, vel conferre silentium ob hoc Dominus perhibetur, quia læsa peccato conscientia ejus severitas pertimetur, cum scilicet hi, qui pro peccatis suis eo inspirante graviter ingemiscunt, tanquam ejus præsentati judicio, nullo fulti merito contremiscunt. « Dominus, inquiunt, noster silere nos fecit, peccavimus enim Domino (*ibid.*). Quia Dominum nostrum servi nequam ostendimus in peccando, timor ejus tollit nobis præsentem fiduciam in precando, et in verbis sonantibus non jam nostra videtur consistere sanctitudo, sed in devotione spei et silentii erit pœnitentium fortitudo. Etsi enim pœnitentibus larga Dei misericordia spem infundit, eos tamen timore vera et severa ejusdem justitia sic retundit, ut illum devoto magis et compuncto affectu audeant convenire, quam ad preces sive laudes verbosas, os indignum procaciter aperire. Quod etiam per Ezechielem animæ insinuat pœnitenti. « Ut recorderis, inquit, et confundaris, et non sit tibi ultra os aperire præ confusione tua, cum placatus fuero tibi (*Ezech.* XVI). » Cum ea, inquit, bonitate, quæ mea est, tibi **633** reddidero me placatum, cum te voluntas pristina jam non dabit more solito præcipitem in peccatum, volo, ut præteritorum tuorum nequaquam immemor habearis, sed ea humiliter reducens ad memoriam salubriter confundaris, et pulso recens morbo testamentum meum per os tuum insufficiens non assumas, et quod est provectorum, loqui fiducialiter non præsumas. Provectorum quippe est, ut os audeant aperire, et confortati meritis Deum fiducialiter convenire, quorum videlicet intentio, et conversatio jam non sordet, quos rea præsentium vitiorum conscientia non remordet. « Quorum uni Dominus aperi, inquit, os tuum, et implebo illud (*Psal.* LXXX). » Et ille : « Aperui, et attraxi spiritum (*Psal.* CXVIII). » Et in Actibus apostolorum : « Aperiens, inquit, Philippus os suum evangelizavit illi Jesum (*Act.* VIII). » Et Paulus : « Os meum, ait, patet ad vos, o Corinthii (*II Cor.* VI). » Cæterum peccatori dicit Deus : « Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ? » (*Psal.* XLIX.) Et alibi : « Peccasti, quiesce (*Gen.* IV) ; » ac si dicat. Si peccati contagio interiorem conscientiam polluisti, ejusque immunditiam nondum pœnitudine congrua, nondum satisfactione diutina diluisti, noli, ut protervus et impudens per os tuum meum statim assumere testamentum, sed spe humili confortatus recurre prius ad silentii munimentum, ut in eo coarctatus disciplinæ nectura salutaris (*Eccli.* XV), addiscas diligentius quando, quomodo, quid loquaris : nam, sicut non est speciosa laus in ore peccatoris, sic nimirum hauriuntur aquæ in gaudio de fontibus Salvatoris (*Isa.* XII), cum juxta Jeremiam eligit quisque Dominum in silentio præstolari (*Thren.* III), donec instar Isaiæ, mittat ei, cum carbone Angelum de altari (*Isa.* VI). Missus vero Angelus quem invenit non præsumptiva loquendi effluentia dissolutum, sed intra claustra silentii, timoris et reverentiæ sinibus obvolutum, os ejus, sive labia tangit ignito calculo et emundat, ut deinceps loquentem quæ bona sunt, et vitia dissimilis non confundat, et contumeliosa auditorum objectio non retundat. Nam eos qui præsumunt verbo justitiam prædicare, et ei quam prædicant nondum videntur correctis satis moribus concordare, vel sua ipsorum conscientia invenitur graviter remordere, vel auditorum indignatio assensum eis facilem non præbere. De qualibus Jeremias : « Ne credas, inquit, eis cum locuti fuerint tibi bona (*Jer.* XII). » Et Dominus in Evangelio : « Quomodo, ait, potestis bona loqui cum sitis mali? » (*Matth.* VII.) Qui autem ignito calculo, id est cauterio timoratæ pœnitudinis aduruntur, qui altaris igniculo, et interno ardore compungentis spiritus excoquuntur, eorum peccatum, eorum iniquitas aboletur, quibus grato usu digne abolitis loquendi licentia (*Isa.* VI), imo et gratia eis largior indulgetur. « Ecce, ait Angelus ad Isaiam, tetigi labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur (*ibid.*). » Subjungitque propheta : « Et audivi vocem Domini dicentis : Vade et dices populo huic : Audite audientes, » etc. (*Ibid.*). Qui dicit se tacuisse cum adhuc vir pollutus labiis haberetur, antequam ignito condignæ pœnitentiæ calculo mundaretur, post emundationem congruam mandatum

accipit ut loquatur, et bona jam conscientia ad loquendum bona populo destinatur. Qui sicut nonnum accepto loquendi mandato recte conticuit, vel forte loqui prohibitus effrenari protervus non debuit, sic audita voce jubentis, nuntiare quæ præcipitur non recusat, cujus munda jam labia peccatum vel iniquitas non accusat. Quod ergo se paulo ante tacuisse conquestus est, dicens : « Væ mihi quia tacui ! (*Isa.* VI.) ut æstimo, non tam silentium quam præcedens meritum reprehendit, quia scilicet dignum satis studium corrigendis moribus non impendit, et propter ipsam labiorum immundam pravitatem, loquendi et docendi negari sibi senserat libertatem : Postquam vero carbone, quem Angelus de altari tulerat, intelligit se mundatum, et mundato docendi officium delegatum, seponens jam silentium fasce cujus antea gravabatur, loquitur cum fiducia, quod dignum et utile judicatur. Est igitur consilii a bonis aliquando silere, nec prudens invenitur, qui non novit lingnam discreto silentio cohibere. Bonum est illud verbum, quod præcedit ipsum judicium, comitatur veritas, quod justa denique mittentis commendat auctoritas.

CAPUT LXXVII.

De culpabili silentio.

Qui vero mittitur, et præcipitur non silere, sed verbo necessario cæteros edocere, si contempto mandate, piger vel invidus sub silentio teneatur, nulli dubium quin culpabilis habeatur. « Serve, inquit, male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi, oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, et ego veniens recepissem utique quod meum est cum usura (*Matth.* XXV). » Per talentum sive pecuniam quam pigro servo dignatus est Dominus impertire, ut exinde lucrati satageret non fossa humo illam negligentius operire, doctrinæ verbum non incongrue designatur, quod propinare debet qui mandatum accipit ut loquatur. Qui si forte interiore mentis ægritudine contabescat, et loquendi tempore, pressus inertia conticescat, ab eo qui commissum repetit argui, promeretur, sicut is qui 634 prudenter expleverit, e regione commendabilis perhibetur. « Quis putas est, inquit, fidelis servus, et prudens quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille servus (*Matth.* XXIV). » Servus iste quem Dominus super suam familiam ordinavit, quia fideliter et prudenter cibum illis necessarium in tempore ministravit, non alio quam æternæ beatitudinis præmio numeratur, cum expleto ministero introduci se in gaudium sui Domini gratulatur. « Euge, inquit, serve bone, intra in gaudium Domini tui (*Matth.* XXV). » Sed quid est, quod dicitur : « Ut det illis cibum in tempore? » (*Matth.* XXIV.) Quare in commendando servo qui explere studuit Domini jussionem, Scriptura tam signanter facit temporis mentionem, ut non quia cibum ille dederit prædicetur, sed quia cibum in tempore dederit commendetur? Nimirum quæ prudens servus familiæ distribuit donativa, non satis placent Domino si non fuerint temporiva ; si videlicet antequam mandatum acceperit, ad largiendum prodige se exponat, si loqui præsumpserit cum nondum ei Dominus officium hoc imponat. De hujusmodi tempore idem Dominus per Prophetam : Cum accepero, inquit, tempus, ego justitias judicabo (*Psal.* LXXIV). » Ego, ait, qui cum homo fierem, subii ex decreto Patris judicium vel injustitias iniquorum, quia prius me sufferre quam inferre Pater pœnas voluit peccatorum, cum expleta obedientia ipse me, vel ego me, ea quæ sua est, vel mea est, virtute suscitabo, accepto item mandato vel tempore justitias judicabo. Sicut enim mortalis factus suffero, quia mandatum habeo sufferendi, sic resurgens et factus immortalis, tempus accipio judicium inferendi, ut a mandato Patris mea tam passio quam actio non discordet, cum utraque temporis inconvenientia non remordet.

Unde et per Isaiam : « Silui, ait, patiens fui, nunquid semper tacebo? Tanquam parturiens loquar (*Isa.* XLII). » Quia tempus, ait, tacendi novi mihi primitus institutum, loquendi vero postea nihilominus attributum, primo silui, et tuli quævis obstantia patienter, loquar autem postmodum, et mala inferentibus referam violenter. De quo et alibi per eumdem prophetam : « Non tacebo, ait, sed reddam (*Isa.* LXV). »

Et si perversis, inquit, et negligentibus videor nunc tacere, cum juxta mandatum, eorum molestias debeo sustinere, cum item juxta mandatum loquendi tempus congruum imminebit, eorum malitiis mea, quod bonum est, dum justum est, censura respondebit. Hujusmodi tempus quod et Christus, ut audistis, non præterit negligenter, quia sicut eum qui usque ad tempus tacuerit Scriptura pronuntiat sapientem, sic eum qui tacuerit, cum loquendi tempus acceperit e contrario negligentem. « Serve, inquit, male et piger (*Matth.* XXV). » Iste malus, iste piger dignus tenebris, compede vel tortura, a juxto exactore non arguitur de jactura, sed quia cum acciperet tempore congruo profutura, premens ea silentio velut quodam fossorio non reddidit cum usura.

CAPUT LXXVIII.

Hujus propheta pigritiæ argui pertimescit, cum affectus malorum tædio a bonis justo amplius conticescit, cum attendens subtilius quia pigra mollitie rigor in eo justitiæ defetiscit, a defectu inchoate visitante gratia resipiscit. « Cum consisteret, inquit, peccator adversum me, obmutui, et silui a bonis (*Psal.* XXXVIII). » Cum peccator, ait, verbum justitiæ non audiret, obduratus malitia nostro non auditui consentiret, cum volenti et docenti quæ justa sunt, non inclinans aurem devotus assisteret, sed factus impudentior adversum me palam consisteret, pressus et oppressus tædio decrevi penitus obmutire, et a bonis proferendis fracto spei gubernaculo resilire. Æstimavi enim mihi fore melius si

tacerem, si adjutores meos loquendo in deterius non moverem, si vel mihi consulens tacerem tutus sub silentii tegumento, cum perversis et aversis doctrina mea non esset adjumento. Cum autem hoc decreverim: intellexi, et perspexi quia sic justitiæ regula non haberet, ut qui loqui jussus est, desperans vel timidus, vel fractus tædio conticeret, cum salutis verbum sicut volentibus opportune, sic nonnunquam ingerendum sit ipsis quoque nolentibus importune. Quod attendens et pervidens mœrore spiritus contabescit, et dolore renovato, cor meum interius concalescit, et tanquam in camino cum cinis pene mortuus vehementius reignescit, sic loquendi aviditas velut ignis flammigerans exardescit. Quodpropter: « Locutus sum, ait, in lingua mea (*Psal.* xxxiii). » Mihi quidem, etsi falso videbatur silentium temporivum, cum attenderem auditori sermonem meum esse non tam utilem quam nocivum, sed clarius intuens jubentis voluntatem perfusus velut jubare matutino, silendi propositum deprehendi, quodam casu vel occasu deprimi vespertino. Itaque saniori utens consilio non sum propositum exsecutus, sed quæ male bona tacueram, sum locutus, et quo ad tacendum languidiore negligentia propter molestias adversum me consistentium eram pressus, eo ferventiore diligentia loqui propter jubentis imperium sum aggressus.

Sic et Jeremias cum videret aliquando verbum ex ore suo non juxta libitum prosperari, sed auditores suos proficientes in pejus obdurari, illorumque duritia et procaci malitia plurimum se gravari, decrevit, a bonis, ponens ori suo custodiam, feriari. « Factus est, inquit, mihi sermo Domini in opprobrium et in derisum tota die, et dixi: Non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius (*Jer.* xx). » Cum deberent, inquit, auditores attentos. et benevolos se præbere, nostroque auditui aurem humiliter credulam exhibere, obstinati malitia præsumunt potius deridere, oblatumque beneficium in contrarium detorquere. Quod cum sit, et ita esse veraciter deprehendam, proposui et statui, ut silentium apprehendam, ut cum loquens intolerabili læsus injuria contabescam, aliquanto remissius sub umbra silentii delitescam. Denique apud quosdam non est sermo Domini pretiosus, si doctore benevolo fuerit copiosus, et qui sui merito debet omnibus effici gratiosus, abundantia largiore illis efficitur odiosus. Attendens igitur et verbum vilescere, et derisores non proficere sed perverti, juxta propositum profugus ad silentium me converti, sed qui me et docere, et sufferre auditorem voluit oppressivum, sub quiete noxia latere noluit fugitivum. « Et factus est, inquit, in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, et defeci, ferre non sustinens (*ibid.*). » Volentem in angulo quietius et securius latitare, judex interior non distulit ad publicum revocare, dum in corde meo sensi velut ignem illius sermonem æstuare, clausumque in ossibus vix moras et obstaculum tolerare. « Defeci, ferre non sustinens (*ibid.*), » quia sic mens interior de profectu efficitur curiosa, ut deficere videatur si lingua fuerit otiosa, et quod torpore languida proposuerat negligenter, jam fervore vivida ferre non sustinet patienter. Seponens igitur et timorem, et torporem quorum prelo detentus silere proposuit, a bonis quæ noverat ultra non siluit, ne et ipse silentii nocentis argui mereretur, et populus insipiens damnum silentio pateretur.

CAPUT LXXIX.

Alias quoque attendens justitia, vel potius justa Dei misericordia esse congruum Ninivitis, ut eis peccantibus prædicaretur verbum bonum necessarium, vel invitis, præcepit Jonæ ut ad eos prædicandi gratia properaret, eisque sua et merita, et meritorum præmia nuntiaret. « Surge, inquit, et vade in Ninivem civitatem grandem, et prædica in ea, quia ascendit clamor malitiæ ejus coram me (*Jon.* i). » Volo, ait, te grandem illam civitatem Ninivem convenire, ejusque subversionem admonitione congrua prævenire, ut cum forte pœnas dederit quas meretur, prædicto merito inferentis justitiam non causetur. Illam quippe magnam sive grandem efficit, non tam murorum vel turrium multiplex amplitudo, non tam domorum eminentia, vel habitantium multitudo, quam ipsa ejus malitia, quæ in deterius processu temporis invalescit, et in conspectu meo clamore intolerabili jam sordescit. Magnam vero sive gradem, sicut in laudem, sic et vituperium sæpe dici, non est a quo, vel quomodo recte valeat contradici, si tamen diligens auditor tam nostras consideret, quam litteras ethnicorum, in quibus magnitudo plerumque magnitudinem innuit vitiorum. Apud Zachariam: « Quid tu, ait, mons magne coram Zorobabel? » (*Zach.* iv.) Denique in Evangelio: « Si habueritis, inquit, fidem et dixeritis monti huic: Tolle te, et jacta in mare, fiet (*Matth.* xxi). » Quid sibi vult, quod iste et mons esse et eidem inesse dicitur magnitudo, nisi quia innuitur ejus tumor, et non solida plenitudo, dum scilicet multa vitiorum congerie granditer intumescit, et a turmore noxio, correctione, vel pœnitentia non decrescit? Denique et magnus latro, et magna digni meretrix invenitur, et quanto quis maximo et præcipue contendit vitiis implicari, tanto potest grandior et primus, vel præcipuus nominari. Unde et Apostolus cum diceret quia « Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, » adjunxit: « Quorum primus ego sum (*I Tim.* i). » In quo intelligi voluit se maximum et præcipuum peccatorem, qui, ut sibi videbatur, offenderat cæteris amplius salvatorem, dum minarum, et cædis spirans, illius ecclesiam graviter fuerat persecutus, quamvis non tam malitiæ, quam adhuc ignorantiæ tenebris obvolutus. Qui contra, cum ostenderet divina se gratia visitatum, et ab illa tumente sævitia usque ad humilitatem fidei et patientiæ minoratum, Paulum se et minimum voluit appellare, qui

omnibus aliis plus inventus est in Ecclesia laborare. « Paulus, inquit, servus Christi Jesu (*Rom.* I). » Et ad Ephesios : « Mihi, ait, omnium sanctorum minimo data est gratia (*Ephes.* III). » Apud Ezechielem quoque peccatrix anima, grandis reprehensibiliter nominatur quæ corruisse in immunditiam fornicandi non parem sed majorem cæteris accusatur : Sordida, inquit, nobilis, grandis interitu (*Ezech.* XXII). » Hæc granditas sive nobilitas satis conspicua non habetur, cui velut imperans sordidatio, prævia deputatur, imo sicut arguenda est, quam nisi reprehensibiles non sequuntur, sic et argui debent, quæ præviæ hujus imperiis obsequuntur. Hæc autem grandis, pro eo granditer vel magnifice sordidatur, quia cum Ægyptiis eadem tumidis magnitudine fornicatur, et cum fornicans fornicariis pari nequitia copulatur, nimirum magnitudo, non mole, sed congerie quadam reprehensibili cumulatur. De quibus supra in eodem propheta dicitur : « Fornicata 636 es cum filiis Ægypti vicinis tuis magnarum carnium (*Ezech.* XVI). » Quæ est ista tam signanter expressa carnium magnitudo, nisi magna et effluens, imo perefluens voluptatum carnalium turpitudo, in quam Ægyptii relegata longe continentia dissolvuntur, et velut jumenta in profundam et latam luxuriandi voraginem devolvuntur? De quibus longe infra : « Quorum carnes, inquit, sunt ut carnes asinorum, et sicut carnes equorum fluxus eorum (*Ezech.* XXIII). » Hæc est Ægyptiorum granditas, qui obliti quod homines esse debuerant habentes rationem, et mente attrita et humili Creatoris appetere visionem, tanto fervore et pruritu fornicario sunt subacti, ut in animantia muta, et prona et ex toto, corpori dedita sint redacti. Qui enim ad ea quæ sunt spiritus, nulla mentis alacritate satagit expergisci, sed quæ sola sunt corporis, enervi mollitie, et stupida quadam segnitie desiderat adipisci, non jam homo rationis privilegio judicatur, sed juxta quemdam philosophum, instar suis vel asini vivere comprobatur.

Neque enim expers erat nostrarum Boetius litterarum, neque studium dederat in sciendo solum fabulas poetarum, sed legens attentius tam novæ legis scripta quam et vetera prophetarum, largiente gratia veritatem intellexerat Scripturarum. Sciebat igitur quia homo subjectus corpori, datus luxuriæ, virtutum negligens, vitiorum gaudens illuvie in eisdem scripturis plerumque diversis belluarum nominibus nuncupatur, quia fuscata Creatoris imagine belluino more vivere gratulatur. Hujusmodi autem nostrarum litterarum diligens idem philosophus documenta, salubri consilio percepit tandem nostræ fidei sacramenta, proficiensque meritis, in ipsam Trinitatem oculum sustulit aquilinum, et quod illic perspexit, nobis scribere non neglexit, nostrum imitans Augustinum. Qui attendens quam perniciose in jumentum convertitur vel grandescit quisquis juxta Prophetam in suo stercore computrescit malult sub alis fidei, sanctitatis opera humiliter actitare, quam per philosophiam, et inanem fallaciam sese granditusculum jactitare. Vitiosa quippe granditate supradicta civitas Ninive tumescebat, clamor cujus malitiæ coram Deo intolerabiliter sordescebat, cum idem Deus Jonam, sicut prædictum est, commoneret, ut illam male grandem prædicatione congrua deterreret.

CAPUT LXXX.

« At ille surrexit ut fugeret, inquit, in Tharsis a facie Domini (*Jon.* I). » Timuit propheta columbinus ne prædicaret dura, ne, ad verbum ejus grave, esset civitas juxta meritum peritura, nondum sciens quo consilio, vel quo fine illam vellet divina bonitas deterreri, quæ volebat et sciebat illam ad fidem, et pœnitentiam edoceri. Vel forte propheta simplex ea propter noluit illuc ire, populisque nationum verbum bonum, verbum commonitorium impertire, ne si audito verbo festinarent de lapidibus in filios Abrahæ suscitari, Judæos, gentem suam videret perfidiæ merito reprobari. Noverat enim dicente Isaia : Quia cor hujus populi Dominus excæcaret (*Isa.* VI), et immisso æstu perfidiæ olivæ pinguedinem exsiccaret, et tunc deficeret hujus pristina sanctitudo, cum ad fidem introiret conversa gentium multitudo. Nolebat autem sic ad finem exteros introire, ut videret et doleret ab eadem suos nequiter resilire, et ne se præsente prædicta obcæcatio apprehenderet Israelitas, ab ingressu fidei, vel auferre vel differre volebat Ninivitas. Ergo timori suo propheta minus prudens quærens effugium, nusquam fugere melius se putavit, quam ad silentium, ut in eo a conturbatione hominum absconditus latitaret, et quiete, et otio contemplandi gaudium exploraret. Tharsis quippe *exploratio gaudii* interpretatur. Senserat propheta quantum in silentio gaudium invenitur, cum mens quietis appetens a turbore forensium expeditur, cum divina bonitas meditatione devota convenitur, convenienti cella vinaria, et sublime illud sanctuario prophetiæ nonnunquam spiritus impertitur, cum oblita præsentium, totam se mens in cœlestibus ferri sentit, et velut corpore jam relicto, corporis voluntatibus non consentit, et inserta choris angelicis ab illorum puro desiderio non dissentit. Quo, quia homo corporeus, etsi aliquando meruit debriari, non tamen continue vel assidue conceditur, satiari, sed raptim et velut ad momentum sentit se ad illud beneficium promoveri, et ad sua, velit nolit, cito cogitur retorqueri. Propheta hujus donum gratiæ æstimans non amissum, ferventi desiderio repetit intermissum. Verum quoniam contemplandi suavitas contra Dei placitum non gustatur, et ad illam non pervenit quisquis inobedientiæ maculis angustatur, propheta dum jubenti bona refugit obedire, juste satis non meretur exploratum gaudium invenire. Quandiu enim non Dei, sed propriis voluntatibus obeditur, contemplationis appetitæ suave gaudium non sentitur, et ad perscrutandum spiritualia oculus cæcatur penitus vel caligat, si non ea pure et simpliciter obediens investigat.

Denique alius Propheta : « A mandatis tuis, inquit, intellexi (*Psal.* CXVIII). » Cum tua, inquit, mandata diligentius custodivi, cum non meis, sed potius tuis perfecte voluntatibus obedivi, sensi **637** quidem majorem intelligentiam mihi dari, et ad videndum interna, interiorem oculum tersa pulvere declarari. E regione quia Jonas inobediens invenitur, ne juxta propositum Tharsis veniat, præpeditur, et dum putat fugæ præsidio contemplandi gaudium invenire, justo judicio ad gravem tristitiam cogitur devenire. Orta enim tempestate in mari propter inobedientiam fugientis, fugitivum nautæ projiciunt in profundum pelagi sævientis, quem projectum cœtus magnus ad imperium Domini deglutivit, et in suo utero illæsum hominem immanis bellua custodivit. Mira res! homo ratione præditus mandatis cœlestibus non timet contraire, et marina bellua diligit obedire, et cum Propheta fallitur tutum esse æstimans remedium fugiendi, piscis ultro se offerens aures accipit audiendi.

Inobedientem itaque prophetam obediens piscis detinuit, eumque pœnitentem ad præceptum Domini rursus evomuit, quia sic jubentis justitia voluit hunc punire, ut tamen nollet eum ejusdem misericordia deperire. Punitum vero, et pœnitentiæ cauterio castigatum, ire Tharsis Dominus non permisit, sed cum rursus ad prædicandum Ninivitis remisit, sciens esse perutile, ut et propheta mandatum suæ præponeret voluntati, et sermo salutaris terrorem incuteret civitati.

CAPUT LXXXI.

Et factum est, inquit, verbum Domini ad Jonam secundo dicens : « Surge et vade ad Ninivem civitatem magnam, et prædica prædicationem, qua ego loquar ad te (*Jon.* III). » Cum non tua sed mea verba proferre jubearis, non est quare hujusmodi prædicationem aggredi verearis, quia, et si vel Judæis parcens, vel invidens gentibus, eligas iterum conticere, meam tamen dispositionem cassam certum est non manere. Nam cum Ninive magnitudine scelerum intumescat, et velut pasta vento, inanitate morbida nesciens contabescat, volo ut prædicationis tonitruo sua ei ægritudo plenius innotescat, et non tui, sed mei puncta et compuncta verbi aculeo detumescat. Quod autem volo, quis es tu, ut valeas infirmare, eoque infirmato tuum propositum confirmare, cum factori suo lutum molle et invalidum non resistat, et si forte nititur a suo tamen opere fictor potens et benevolus non desistat? « Vade ergo, inquit, et prædica prædicationem quam ego loquor ad te (*ibid.*). » Ad hoc verbum propheta iterum non contendit, castigatus verbere jam non fugæ præsidium apprehendit, sed eligit bona potius duce obedientia prædicare, quam læsa obedientia nocenti silentio gaudium explorare : « Surrexit ergo, inquit, et abiit in Ninivem juxta verbum Domini, et clamavit et dixit : Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur (*ibid.*). » Hujusmodi tonitruo Ninivitæ vehementius tremefacti, ad tantam humilitatem tumore deposito sunt redacti, ut ducti pœnitentia saccis sese vilibus operirent, et indicto jejunio, in sacco et cinere tam jumenta quam homines esurirent. Audierant quippe homines quia summus judex sicut peccatis ad iracundiam commovetur, sic afflictis pœnitentia, pius et misericors exhibetur et ideo sperant quia si doloris ariete grandis eorum iniquitas fortiter evertatur, et ipse forte ab eo quod minatus fuerat, misericorditer convertatur. « Quis scit, ait rex, si convertatur, et ignoscat Deus, et revertatur a furore iræ suæ, et non peribimus? » (*Jon.* III.) Videtis regem paulo ante nequiter infrunitum, inspirante gratia jam salubriter eruditum, et non solum situ corporis a throno regio resilire, sed et mente inclinata præsumptuosum quidpiam non sentire. Surrexit, inquit, rex de solio suo, et abjecit vestimentum suum, et indutus est sacco et sedit in cinere et clamavit et dixit : « Homines et jumenta non gustent quidquam, et operiantur saccis, et clament ad Dominum in fortitudine, et convertatur vir a via sua mala (*ibid.*). » Et adjunxit quod præmissum est : « Quis scit si convertatur, et ignoscat Deus? etc. (*ibid.*). » Et si novit rex Deum ab iracundia nonnullorum pœnitentia revocari, ignorat utrum et sua mereatur humilitas acceptari, quia licet se afflictum quisque pœnitens luctu sentiat et dolore, carne tamen obsitus nescit, utrum odio dignus sit vel amore. Attendens itaque hinc miserantem Dei clementiam, spem assumit, inde cæcam hominum ignorantiam, procaci fiducia non præsumit, ne si forte compunctionis irriguo utile quidpiam adinerescat, in ipso exortu, flatu præsumptionis citius inanescat. Cujus cum et abjectam foris pœnitentiam, et intus spem discretam divina bonitas intellexit, regem et populum sentientes paria non despexit, sed qui pœnitendi et orandi gratiam illis Deus pariter impertivit, affectu benevolo eorumdem etiam gemitus et preces exaudivit. Bonus rex qui prophetæ minanti minas vice pari seu verbera non inflixit, non divino sermoni fastu regio contradixit, sed abjectam purpuram saccum tennem est indutus, immemor throni sui, humi humiliter provolutus, posito diademate caput cinere sordidavit, quidquid altum tumebat, devote et humiliter inclinavit.

Bonus rex qui audita prædicatione primus omnium se afflixit, jejunans et abstinens cibum jumentis et hominibus interdixit, et qui eos paulo ante fastu, et gaudio, luctu et pœnitentia nunc præcessit, et sequaces suos **638** ponere spem in homine non concessit. « Jumenta, inquit, et homines clament ad Deum in fortitudine (*ibid.*). » Non ad se rex, sed ad Deum clamorem publicum præcipit allegari, et eumdem clamorem contritione intima roborari, ut cum ejus qui postulatur magna sit altitudo, ad eam clamoris pervenire valeat indeficiens fortitudo. Scit enim quia magnitudine scelerum magnam Deus in iracundiam concitatur, et magna ejus ira nisi contritione valida non placatur, et quoniam digna præteritorum cognitio conscientiam jam remordet, vult

ut a cognitione satisfactio non discordet. Sicut ergo princeps, et præcipuus ad culpam exstitit contrahendam, ita priorem se, et conspicuum ad eamdem esse voluit abolendam, ne plus excellentia ejus ad justitiæ valuerit detrimentum, quam ad justitiæ honestius et utilius incrementum. Cujus tam exemplum quam mandatum plebs inferior exsecuta, exsecrans et abhorrens vitæ prioris opera dissoluta, et ab eorum nexibus contritione spiritus, jejunio, lacrymis absoluta placato judice est etiam justitiæ meritum assecuta. « Vidit, inquit, Deus quia conversi sunt de via sua mala, et misertus et super malitia qua locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit (*Jon.* III). » Cum regem et populum cernit Deus non ab invicem dissidere, sed præceptori suo auditores attentissimos assidere, interiore affectu præteritorum veraciter pœnitere, exteriore affectu, afflictos se, et abjectissimos exhibere, talium votis et precibus non potest immensa ejus misericordia non moveri, non eis pœnitentibus pietate inolita misereri. Quod propter eam quam exigente justitia fuerat prælocutus, jam misericordia prævalente non est malitiam exsecutus, sed ab intuenda illorum enormitate peccaminum oppanso remissionis velamine se avertit, et fulgurantia minarum tornitrua in clementiæ rorem vertit. Quorum enim voces, imo devotum desiderium exaudivit, eorum iniquitates, ut locutus fuerat, non punivit, non quod Deus verax credendus sit mendacium protulisse, etsi certum est eum non illis die quadragesimo subversionem prædictam intulisse. Nam quod dictum est « Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur (*ibid.*), » intelligi debet : eo die subverti promeretur, et cui ex merito nequitiæ ultra eum diem subversio non differtur, interventu pœnitentiæ velut nox orto solis jubare jam aufertur. Quod ergo sermo veridicus civitati quasi definitum subversionis terminum assignavit, non interitum veraciter, sed meritum subtiliter designavit, quia scilicet tanto reatu scelerum teneretur, ut ejus merito ultra dilatio non daretur. Verum quod illi, vel cuilibet nonnunquam peccatori infertur ex merito, cedente paulisper justitia donatur gratuito, et mens interior pœnitendi amaritudine convenitur, et sic remissione gratuita ultio pridem merita prævenitur.

CAPUT LXXXII.

Vel forte misericors Deus, cui est de peccatoribus magna cura, præsentialiter intuens quæ nobis sunt vel præterita vel futura, cum electum sed neglectum populum tandem miseratus respexit, proferri voluit per prophetam quod nec ipse proferens intellexit. Subversionem quippe quam in melius fieri Deus miserans ordinabat, in deterius fieri propheta lippiens æstimabat, et audito verbo, non satis perspicaciter advertebat quia sicut in malum justus, sic in bonum misericors subvertebat. Unde ille sapiens : « Verte, inquit, impios, et non erunt (*Prov.* XII). » Nam cum Deus oblitus iræ ad misericordiam se convertit, nostram malitiam a fundo submovet, et subvertit, et ædificium quod adversus justitiam nequiter fuerat elevatum, subversione utili reddit penitus annullatum. Hujusmodi subversionem apud Ninivitas Deus fieri disponebat, sed eadem adhuc Jonas annuntians non videbat, et incertus quis prædicationis injunctæ finis, vel utilitas haberetur, malebat ut sub quiete, et otio, silentii gaudio teneretur. Verum quia Deus qui bona vult necessaria non taceri, intendens vel eorum ad quos fit sermo, vel eorum qui sermonem faciunt misereri, prophetam in proposito suo persistere non permisit, sed digne coercitum ad docendum Ninivitas remisit. In quo non solum prophetæ culpam voluit aboleri, qui mandati negligens, nocivo silentio elegerat detineri, sed bono ejus verbo prædictam Ninivem deterreri, et concussam terrore valido ad bona citius promoveri. « Tu doles, inquit, super hedera in quam non laborasti, et ego non parcam Ninivæ civitati magnæ in qua sunt plus quam centum viginti millia hominum, et jumenta (*Jon.* IV). » Dignum quidem visum est ei, quæ est incomprehensibilis, bonitati, ut amplis sceleribus obvolutæ parcat amplius civitati, et cum ejus meritis non nisi subversionis debeat detrimenta, dono tamen gratiæ in ea salvet homines et jumenta.

Bona jumenta, quæ, cum salutis dona divinitus impenduntur, in hujus forte gratiæ electis hominibus adjunguntur, dum spreta libertate cujus præcipitio fuerant peritura, assumunt Christi jugum nec recalcitrant in junctura. De qualibus David : « Homines, inquit, et jumenta salvabis, Domine (*Psal.* XXXV). » Non solum enim eos qui ratione et scientia præeminentes sola cœlestia jam sequuntur, sed eos quoque salvat qui eisdem præcedentibus obsequuntur, qui autem inclinantes ad percipiendum salutis 639 documenta præceptori, ut sessori exhibent se jumenta. Quorum: « Unus ut jumentum, inquit, factus sum apud te (*Psal.* LXXII). » Ille quippe se jumentum vir devotus et humilis exhibebat, cujus patenter, vel forte diligenter imperium sufferebat, cujus jugum, vel sarcinam libertati noxiæ præferebat, quem sessorem, et rectorem grato datus obsequio deferebat. Denique et Dominus vadens Jerusalem sedisse dicitur in jumento, non quod pedes invalidus, illius indigerit adjumento, sed ut jumentum quod infreni ægrotaverat læsione, medicinalis eques sua sanum redderet sessione. Hujusmodi jumentorum et apud Ninivem miseretur, cum Jonas ire Tharsis, ut proposuerat prohibetur, cum Ninive die quadragesimo subversio non habetur. Ad hoc enim illam sermone prophetico voluit deterreri, ut pœnitens festinaret a præsumpta peccandi licentia cohiberi, et cum illa terrore salutifero in melius mutaretur, minarum quoque asperitas in dulcorem veniæ verteretur.

Sic terrere censura districti judicis regem voluit Ezechiam, cum ad eum ægritudine laborantem destinat Isaiam, ut sermone concussus prophetali rex devotione redderetur, et devotionis merito mors prædicta gratius differretur. » Ægrotavit,

inquit, Ezechias usque ad mortem, et introivit ad eum Isaias, et dixit ei : Hæc dicit Dominus : Dispone domui tuæ quia morieris tu, et non vives (*Isa.* XXXVIII). » Bonus sermo, qui regem ægrotantem non deliniens spe vivendi, sed magis concutiens terrore moriendi, insinuat quid possit, imo quam nihil sit regia celsitudo, cum severa et austera mortis supervenerit fortitudo. Quæ nimirum regis insignia, thronum, purpuram non veretur, porta, sera, vecte ferreo non tenetur, non denique murorum ambitu, non turrium altitudine prohibetur, sed juxta quemdam ethnicum (HORAT. *Carm. l.* I, *od.* 4), regum turres humilesque tabernas æquo pede pulsare perhibetur.

Ad cujus pulsum quisque sapiens intremiscit, præteritorum memor, futurorum providus ingemiscit, et ut bonus paterfamilias suæ domui jam disponit, dum nociva resecanda superaddere non apponit. Pes autem, sive manus qua regum turres et tabernas humilium mors propulsat, efficacem cujus violentiam illorum valentia non repulsat, illa passio est, illa nostri corporis ægritudo, qua durius irruente marcet vigor, sanitas, pulchritudo. Mors nimirum quæ cunctis mortalibus videtur invidere, eos quibus invidet recte intelligitur non videre, dum obstinata duritia sæviens omnes spernit, et quem spernat minus, quem amplius, non discernit. De qua et quidam ethnicus :

Omnibus, inquit, *obscuras injicit illa manus.*

Videtis quia mors omnibus manus injicere non veretur, sed easdem manus obscuras habere perhibetur, quia et eis quibus diutius parcendum fuerat, nullo respectu gratiæ miseretur, et quos opprimere cito debuerat, negligenter differens, videre non videtur. Inde est quod plures vernantibus adolescentiæ flosculis redimitos, plures gratæ juventutis fido robore præmunitos, plures divitiis, et honoribus sublimiter insignitos, plures proficiente scientia gnaviter eruditos, vita quorum non solum nec sibi, nec cæteris onerosa, sed sicut in præsenti, sic foret multo post tempore fructuosa, inde est, inquam, quod mors cui horum, vel similium nulla cura, cæca fronte irruens eos occupat immatura. Econtra quos molestat onus gravidum egestatis, quos reddit inglorios ærumnosæ confusio vilitatis, quos hebetes, et stolidos imperitiæ torpor languidus inhonorat, quos perversos, et immites morum pravitas decolorat, quos incurvos, et tam sibi quam cæteris importunos reddit infirmitas querulæ senectutis, in quibus nulla virtus, nullum specimen virtutis, hos, inquam aliquando mors nescit invenire, sed vivunt, si vita est vivendi commoda non sentire. Quodpropter multorum judicium de morte conqueri plurimum invenitur, quod infelix et impia, rerum jura vel pondera non metitur, dum et eos qui recte mori debuerant, cæca non invenit, et eis, quorum vita gratior, eventu inopino molesta supervenit.

CAPUT LXXXIII.

Felix autem, juxta quemdam philosophum (Boetius, *De cons. phil.* lib. I, metr. I), mors hominum haberetur, si tersa lippitudine paulo discretior haberetur, videlicet, ut et annis sese dulcibus non inferret, et mœstis vocata sæpius venire non differret. Unde sicut felicium voluntatibus non applaudit, sic infelicium vota querula non exaudit, sed tam illis quam istis invenitur gravius importuna, dum indiscreto judicio negat omnibus importuna. Nam sicut cæca, sic et surda est. Quæ enim in tabernaculis felicium odiosa frequentius conversatur, fastu quodam, vel negligentia miserorum præsentiam aversatur, et eorum clamor vix hujus auribus innotescit, sed ad eum audiendum durius et severius obsurdescit. De qua et prædictus philosophus conqueritur :

Eheu! (inquiens) *quam surda miseros avertitur aure,*
Et flentes oculos claudere sæva nega!

(Ibid.)

Mira quidem aversio! Quæ, ut prædictum est, felicium risibus non alludit, sed eis inopina vitæ spiritum justo citius interciudit, non minoris molestiæ calicem miseris jam propinat, cum aversione ingrata flentes eorum oculos claudere non festinat. Utrobique igitur importunior illa sævit, nulli vere misereri, nulli digne deferre 640 consuevit, et in hoc mirabilior multoque severior comperitur, quod afflictus quisquis non pro voto eam citius experitur : et cum ille hujus mora vel absentia contabescit, ista illi misero non præsens, non exaudiens acquiescit. Cujus cum sit officii cum vitæ moribus paria non sentire, sed ex opposito diversis modis et casibus terminum viventium impertire, si hujus in cursu contra suum arbitrium cogitur quivis mori, si vita gratior compellitur cedere fortiori, non est cur digne de mortis justitia moriens conqueratur, quandoquidem illa quod suum mortis est veraciter operatur. Cum vero nonnulli multis et variis molestiis quatiuntur, et inter multa gravia nihil vita gravius patiuntur, mirandum est quare ipsa horum desiderio non accedat, cum sic eis consentiens, ab eo quod est proprium non recedat. Sed forte quæ in cursu tristi vitam eripit lætiorem, ob hoc adventu grato non cito tristiorem, quoniam apud se pœnale istud prodigium hoc decrevit, et, si diligentius perpendatis, hoc decretum tenere consuevit, ut non compatienti affectu quorumque voluntatibus se addicat, sed ut aversione cæca et surda eis libentius et frequentius contradicat. Et in hoc mors, quod suum est, agere se perpendit, dum scilicet explere voluntatem quorumlibet non intendit, eorumque votis et precibus propitia non assistit, sed victrici sævitia gaudens obviat et resistit.

Sicut enim velle vivere, et non posse, mors est, sic velle mori, et non posse, nihilominus quædam mors est, qua non jam corpus ab anima separatur, sed utroque vel altero patiente voluntas cruciatur. De cujusmodi morte Paulus, ut æstimo, lo-

quebatur, cum ejus corpus labore vario, vel spiritus languore nimio torquebatur, et neuter ab altero laxatis vinculis invisibilibus solvebatur, sed in quodam lacu tristitiæ uterque sive alter misere volvebatur. « Quotidie, inquit, morior, fratres (*I Cor.* xv). » Et David : « Propter te, ait, mortificamur tota die (*Psal.* xliii). » Nunquid tota die, vel quotidie Propheta sive Apostolus a corporeis nexibus absoluti, et non potius gravium passionum erant maculis obvoluti, ut eorum mors dicatur non solutio invidens animæ, et corporis unitati, sed tribulatio inferens perperam voluntati? Quia enim videbant multa molestiarum instantia se gravari, ab ea summopere optabant solutionis beneficio liberari, ferentes ægre, non tam quod mundus in maligno positus inferebat, quam quod resolutio optatum remedium differebat. Unde idem Apostolus : « Cupio, inquit, dissolvi (*Phil.* i). » Et David : « Heu mihi, ait, quia incolatus meus prolongatus est (*Psal.* cxix). » Hujus morbi, quo Propheta et Apostolus ægrotabant, cum scilicet ingratum præsentis vitæ dispendium tolerabant, nullum convenientius remedium, quam mortem corporis æstimabant, cujus absentiam genus mortis non immerito reputabant. Etsi enim eos nondum mors adveniens absolvebat, sed tenaci connexione corpus adhuc animam obvolvebat, genus tamen esse mortis ipsa absolutionis dilatatio videbatur, cum plerumque nihil gravius quam vivere contra libitum habeatur. Unde et quidam ethnicus :

Vivo, ait, *si vita est mortis habere genus.*

(Ovid.)

CAPUT LXXXIV.

Quia iste majorum odia, suorum absentiam, amissionem patriæ, ingratum exsilium sufferebat, futurorum inexpertus, præsentium impatiens existebat, æstimans quia forte felicior, vel saltem miser parcius haberetur, si grata manu mortis ei vivendi janua clauderetur. Inest quidem ea quasi naturalis mutabilitas patienti, ut gravius exhorrescat ea quæ dure patitur in præsenti, illudque æstimet aliquanto suavius inveniri, quod nondum patiendo contigit experiri. Quod si fama vel forte experientia illud gravius novit esse, ea tamen fugit libentius, quæ sentit noxia præsto esse, et ad illud transire appetens quod adeptum procul dubio scit obesse, in ipso saltem transitu nonnullum remedium putat esse. Cujusmodi remedium quia iste ethnicus nondum juxta libitum poterat obtinere, sed cum vita præsens videbatur invitum retinere, non jam vitam, sed genus mortis perhibet se habere, quia mors est, cum optanti mors præsentem se non vult exhibere. Mors est, inquam, cum id quod mens ardenter appetit, non confertur, et quod odit manet tenaciter, vel infertur, nihilque gravius, licet pium forte vel utile debeat judicari, quam id cui voluntas invenitur, ardentius adversari. Quod innuens Boetius :

« *Protrahit*, inquit, *ingratas impia vita moras.*

A Turbatus mœrore Boetius impiam vitam dicit, quia ejus voluntati illa durius contradicit, quæ licet odiosa, tamen diutius vult morari, cum econtra illam iste velit citius terminari. Præsentiam cujus quanto reddit ipsa importunior onerosam, tanto suam mors adveniens redderet gratiosam, eamque sibi felicem et prosperam idem Boetius æstimaret, si, ut supra dictum est, optata, et vocata venire non tardaret. Sed nonnullos quibus vita præsens videtur non solum inutilis sed nociva, dum eorum voluntates gravedine contrait oppressiva, quo magis misera, eo magis mors eos præterit fugitiva, eorumque et voces et affectus surditate respuit negativa. De qualibus Joannes in Apocalypsi : « Quærent, inquit, homines mortem, et non invenient, B eam, et 641 desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis (*Apoc.* ix). » Quintus Angelus tuba canens tantam eos tribulationem asserit experiri, in quorum frontibus signum Dei non poterit inveniri, ut præsentia vitæ sit eis vehementius onerosa, et absentia mortis nihilominus odiosa. Neque enim datum est locustis aut scorpionibus, ut eos citius cogant mori, sed ut viventes durius supplicio afficiant longiori, ne parvum et parvipendendum idem supplicium videatur, sed pro voto patientis citius finiatur. Quærunt igitur mortem, sed fugientem nullatenus eam consequuntur, mori desiderant, sed inviti vivere C compelluntur, et eo gravius multoque miserius videntur sibi mori, quo juxta libitum non conceditur eis mori.

Cujusmodi mortem qua viventes gravius moriuntur, qui vitæ hujus intolerabiles molestias patiuntur, et cum de vitæ præsentia graviter, tum de mortis absentia inconsolabiliter conqueruntur, ipse quoque propheta prophetarum in suo est Evangelio prælocutus, in agone passionis pro salute nostra omnium constitutus. « Filiæ, inquit, Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros. Quoniam ecce venient dies in quibus incipient dicere montibus : Cadite super nos ; et collibus : Operite nos (*Luc.* xxiii). » Videtis quanta filiabus Jerusalem sit miseria patiendi, et patientibus quam inexpleta cupiditas moriendi, quæ abhorrentes quod inpræsentiarum coguntur experiri, desiderio mortis incognitæ optant montibus sive collibus D operiri. Adeo quidem apud se furor persequentium inflammatur, et in illas tam astuta malitia debacchatur, ut malint eas diuturno supplicio deperire quam morte celeri optatum remedium invenire. Quod etiam persecutores Christi nequiter attenderunt, quibusdam postulantibus, non quidem ei contum vel gladium ad cito moriendum infigi, sed ad diutius patiendum, cum potius et multo convenientius crucifigi. Quod innuens Christus filiabus Jerusalem, subjungit : « Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet (*ibid.*). » Lignum viride est cujus radix vivit, truncus viget, ut possit tempore congruo germinare, ramos, frondes, flores, fructus proferens dilatare, quod et si brumæ frigoribus, velut mortuum

delitescit, vernali tamen temperie vigore quodam insito viridescit. Aridum vero est quod negata germinandi potentia languidius emarcescit, tam vere quam hieme vernantibus gemmulis non turgescit, non ridet floribus, non ubertate fructuum incurvescit, et quamvis lignum videatur specie non mendaci, caret tamen interius potentia juxta libitum efficaci. Lignum ergo viride Christus non incongrue perhibetur, interna cujus potentia quovis obstaculo non tenetur, cui volenti vivere mortis violentia non infertur, volenti eam assumere, astuto cujusvis consilio non differtur. Ad hoc quippe, ut dictum est, voluerunt ei crucis patibulum præparare, ut viventem durius possent diutius cruciare, et pœnarum illius immensa et extensa gravedine satiati, tam grato spectaculo suæ satisfacerent pravitati. At ille in cujus erat et mori et non mori positum potestate, qui neutrum pro voto persequentium, sed sua egit potius voluntate, se potentem, se lignum viride manifestius designavit, cum illis nondum volentibus ipse volens in patris manus spiritum resignavit. Nam sicut eum ad mortem celeriorem malignorum violentia non impegit, sic ad vitam longiorem illorum astutia non coegit, sed remota necessitate, qua tenetur nostræ omnium infirmitas pravitatis, et vivere et mori noscitur singulari privilegio voluntariæ potestatis. Si ergo illi, qui voluntate nequam bonorum justitiam persequuntur, sic in ligno viridi suam exercere malitiam moliuntur, ut et pœnis torqueri gravibus et a morte velint diutius prohiberi, quæ tamen constat eorum legibus aut voluntatibus non teneri, quomodo in nobis est illorum malignitas sævitura ad quantam, vos vivendi miseriam perducitura, quæ culpis exigentibus aridum lignum estis, et virtute ingenita resistere illorum malitiæ non potestis? Non enim suum est hominis, ut virtute propria, vel non mori, vel e regione juxta libitum possit mori, sed plerumque mori cogitur et invitus, et plerumque vivere ingratis maculis compellitus.

CAPUT LXXXV.

Jonas supradictus vivendi prorsus tædio tolli de medio deprecatur, et deprecanti sua petitio non donatur, sed frustrata prece compellitur vitam ducere longiorem, cum tamen ipsa vita mortem sibi fore judicet meliorem. « Domine, ait, quæso, tolle animam meam a me, quia melior est mihi mors quam vita (*Jon.* IV). » Et Elias : « Sufficit, ait, mihi, Domine, tolle animam meam, neque enim melior sum quam patres mei (*III Reg.* XIX). » Videtis Jonam et Eliam vitæ hujus tædia refutare, experta inexpertis, futuris velle præsentia commutare, quia cum læsa præsentibus ab eis gravius mens dissentit, sensorum odio leve putat quidquid experientia nondum sentit. Sed mors illis optantibus vitæ januam nondum claudit, quia cæca et surda nullius videt gemitus vel exaudit, sed quæ horum expers sensuum hebes et stolida judicatur, tactu solo in eos quos invenit, efficaciter operatur. Errans enim manu, vel pede quæque obvia tangere perhibetur, et in tangendo, misericordi benevolentia non tenetur, 642 sed tam parvi quam magni turbat tactu vel levissimo sanitatem, et si durius presserit, moriendi ingerit gravitatem. Nam cum invento cuilibet gravius incubat et persistit, gravi ejus tactui illius astutia vel potentia non resistit, sed juxta philosophum (Boetius) : « Humile caput et celsum pariter involvuntur, et de alto vitæ gradu ad finem ultimum provolvuntur. »

Quæ dum Christum hominem nescit esse cujusdam excellentissimæ potestatis, ut mori vel non mori suum esset in ejus arbitrio voluntatis, ipsum quoque solita confidentia durius appetivit, eumque non solum viventem, sed et vitam suis nexibus irretivit. Cæterum eadem mors triumphalem in illo victoriam non accepit, quia Christus non coactus, sed spontaneus hanc suscepit, et cum eam, licet homo, virtute posset ingenita non sentire, ea tamen bonitate, quæ sua est, nostris voluit legibus consentire. Quam vero in seipso voluit tempore congruo non differri, Ezechiæ regi perterrito voluit non inferri, sed cum illum manu vel pede fortiter mors pulsavit, eam iste qui solus poterat ab illo fortius repulsavit. « Dispone, inquit, domui tuæ, quia morieris tu, et non vives (*Isa.* XXXVIII). » Ezechiam quem imperii insignem fecerat celsitudo, cum premeret, velut quædam manus mortis præsens corporis ægritudo, concussit et terruit divinæ comminationis horrida superveniens magnitudo, ut nulla ei esset vivendi reliqua certitudo. Noverat enim quia mors nulli hominum deferebat, et sicut non minimum maximo, sic nec maximum minimo præferebat, sed quicunque manum vel pedem pertinacius imprimebat, ejus non solum sanitatem, sed et vitam penitus opprimebat. Pressus ergo ægritudine, mori in præsentia pertimescit, et timoris aculeo perurgente, dolor ejus plurimum ingravescit, non quia naturæ solvit debitum, quod patres suos noverat persolvisse, et ab eo nullum retro hominum sese penitus absolvisse, sed quia præsenti morte sua considerat spem cassari, quam potius crediderat effectu prospero consummari. Recolebat patribus suis Abrahæ et David Deum antiquitus promisisse, et hoc promisso confortatos in pacis refrigerio dimisisse quod ex ipsorum stirpe ille processu temporis nasceretur, in quo et per quem benedictio gentibus conferretur. In qua vero idem rex Abraham et David generationis linea sequebatur, quæ ab illis adusque ipsum recta serie tendebatur, ex eadem et Christum eotenus speraverat processurum, et hujus quoque sobolis auctorem crederet se futurum. Sed quoniam ipse adhuc sine liberis habebatur, eique et ægritudo mortem et sermo propheticus minabatur, ingratæ mortis instantia spes consolatoria frangebatur, et ea fracta dolore inconsolabili torquebatur. « In dimidio, ait, dierum meorum vadam ad portas inferi (*ibid.*). » Nondum, ait, vivendi spatium, quod speraveram, adimpletur, et decurrens dierum series velut in medio prohibetur, et jam portas inferi compellor

citius invenire, ad quas non nisi relicto fructu æstimaveram me venire. « Præcisa est velut a texente vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me (*Isa.* XXXVIII). » Adhuc, inquit, ætate immaturus, infecundus operum ordiebar, posteriora recolens ad anteriora sollicitus extendebar, ingressus nundinas mercator avidus, finem optimum præstolabar, in circo positus pervenire ad propositum arbitrabar, et ecce telam inchoatam textor præproperus jam succidit, et immatura falce fructuosum terminum intercidit. Ergo vim patiens, ad quem ibo, fracta spei anchora, quo transibo, cujus auditorium, ut preces offeram introibo, quis cui fructus erit cum stipes aridus interibo? « Domine, vim patior, responde pro me (*ibid.*). » Recte vim patiens sua resistere potentia non disponit, sed in manu valida suam invalidus causam ponit, et plane sciens adversus mortem, non regnum non divitias prævalere, pro se invalido Deum fortem postulat respondere. Ille est qui gravem mortis manum seu pedem virtute propria sublevare, qui ægrotum desperantem manu potest medica relevare, ad cujus imperium fugit infirmitas, mors tremiscit, convalescit moriens, mortuus reviviscit. Qui cum hujus ægrotantis devotionem, lacrymam, preces vidit, summe bonus, livore carens, ejus profectui non invidit, sed habens gratum quod penitus a tumente confidentia rex defecit, potenti misericordia mortem proximam longe fecit. « Audivi, ait, orationem tuam et vidi lacrymam tuam, ecce adjiciam super dies tuos, quindecim annos (*ibid.*). » Regem quem manu valida mors premebat, cui presso timorem quoque sermo propheticus ingerebat, ob hoc divina bonitas lacrymantem voluit exaudire eique exaudito prædictum vivendi spatium impertire, ut infra dies additos eidem regi Manasses nasceretur, per quem successione reparata generationis series texeretur. Hujusmodi vero et spatium et filium oratio et lacrymatio regis promernit, cum ad verbum prophetæ ægritudine laborans ingemuit, cum ille ex præcepto Domini est huic mortem proximam comminatus, et iste non ad iram, non ad minas, sed ad preces et lacrymas excitatus. Jussus ergo propheta ut ad regem ægrotum loqueretur, et ad disponendum domui suæ verbis eum comminatoriis horteretur, non debuit jubenti protervus et contumax contraire, non silentio superducto bona, quæ dicenda fuerant, operire **643** Hoc enim sermone et propheta sibi obedientiæ meritum acquisivit, et rex perterritus Deum sollicitus exquisivit, exquirentem sollicite Deus propitius exaudivit, exaudito spatium, et in spatio filium quem optaverat impertivit. Quod et si forte prophetam comminantem rex tumenti supercilio non audiret, et si eum obduratum Deus, non ut prædictum est exaudiret, nec si tamen prophetæ consilium fuerat ut taceret, cum jussus loqui, et non loquens, reum se et culpabilem exhiberet. Nam sive audiat, sive non audiat qui præcipitur, admoneri, tamen qui admonere jussus est, non debet sub silentio contineri, sed sicut doctrinam debet prompto necessariam auditori, sic auditore obdurato debet tamen obedientiam præceptori.

CAPUT LXXXVI.

Unde ad Ezechielem : « Si me, inquit, dicente ad impium : Morte morieris, non fueris locutus (*Ezech.* III), » ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si jussus loqui propheta negligentia premente non loquitur, et eo non loquente peccator incursu mortis opprimitur, iste quidem suo perit merito delinquentis, et ejusdem periculum de manu requiritur non loquentis. Si vero propheta locutus fuerit quod jubetur, et auditor audita respuens timore debito non tenetur, ille quidem moritur qui prophetæ monita non audivit, et monitor liberatur qui loquendo divinis jussibus obedivit. Quod ad Ezechielem subjungitur : « Si autem, inquit, annuntiante te ad impium ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua, ipse in iniquitate sua morietur, porro tu animam tuam liberasti (*Ezech.* III). » Qui ergo bona malis præcipitur renuntiare, non est cur præceptum debeat recusare, cum et si profectus malo non conceditur auditori, bono tamen non negatur condigna utilitas monitori.

Hinc est quod ad commonendum Pharaonem Moyses destinatur, et tamen adversus ejus monita monitus obduratur, et cum monitor, ne loquatur, sese nititur excusare, non tamen permittitur jubentis imperium recusare. « Veni, ait, mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum de Ægypto (*Exod.* III). » Et infra : « Ego, inquit, indurabo cor ejus, et non dimittet populum (*Exod.* IV). » Audiens Moyses quod esset apud Ægyptios transiturus, regique Pharaoni, et si bona, tamen non placita locuturus, ad injunctum ministerium rudis obediens contremiscit, et corde pavidus latere magis sub silentio concupiscit. Et quoniam majoris imperium non digne refutatur, si non causa conveniens imo sufficiens prætendatur, sese mandato huic imparem non confunditur accusare, ut possit quod mandatur excusabilius recusare. « Obsecro, inquit, Domine, non sum eloquens ab heri et nudiustertius, et ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguæ sum (*ibid.*). » Obsecro, ait, ut loquendi mihi officium non imponas, et quem premit infirmitas, tuo mandato adhuc premere non apponas, quia non mediocre vel suum ipsius, vel alterius detrimentum incurrit, cum loqui aggreditur cui eloquentia non succurrit. « Non sum, ait, eloquens ab heri et nudiustertius. » Prius, ait, quam tua mihi majestas loqueretur, et a me parvulo sermonis tui sublimitas incomparabilis audiretur, ipse me sciolum, et ad loquendum promptulum arbitrabar, et forte a nonnullis satis eloquens æstimabar. Verum postquam meis auribus tuba tui sermonis insonuit, et tua mihi sapientia largiori munere gratiæ recentis innotuit, et linguis mihi, et tantis obstaculis videor impeditus, ut ad digne referendum quæ dignius in-

tulisti, nullo modo inveniar expeditus. Sicut enim stellas minores pleno cornu luna videtur abscondere, et lucernam tenuem solis meridiani splendor retundere, sic nimirum cum tua loquitur et loquentis attenditur incomparabilis celsitudo, mea velut obducitur, et pro nihilo ducitur infantilis et inefficax hebetudo. Et ille : « Quis fecit, inquit, os hominis, aut quis fabricatus est mutum et surdum, videntem et cæcum? Nonne ego? » (*Ibid.*) Os hominis Deum omnium conditorem certum est condidisse, eique posse loqui, et non loqui, naturaliter indidisse, ut alternis vicibus, et ad tacendum velut quodam signaculo modestius operiri, et ad loquendum quæ bona sunt, velit et valeat aperiri. Quod autem factum est, factorem debet procul dubio revereri, et illo imperante istud quovis obstaculo non teneri, ut suo renuntians, majoris potius arbitrio se addicat, et in nullo opus opifici, figmentum figulo contradicat. Quem ergo summus opifex jusserit non mutire, potest excusabiliter, imo commendabiliter obmutire, et eum jam non sua ipsius contradictio mutum facit, sed is cujus imperio per injunctum silentium satis facit. Quis enim alius recte hominem facit mutum, nisi qui fictor prudens in manu valida tenet lutum, ut in deterius nativa illud mollitie non excedat, sed exinde fictoris gratia commendabile vas procedat? Moyses vero æstimabat commendabilem, vel saltem excusabilem se haberi, si, quia tardus ad loquendum, sub optato posset silentio contineri, non satis pervidens, quis, cujusmodi perperam patefieret, si tacendo bona, voluntati propriæ blandiretur.

Sed mutum commendabilem non nisi **644** Deus bonorum conditor fabricatur, qui se fecisse os hominis, ut præmissum est, protestatur, ut tunc solummodo commendabiliter sileat vel loquatur, cum suo non hominis, sed Dei placito famulatur. « Quis fabricatus est, inquit, mutum ? » Tu ipsum mutum facere te disponis, et ad vestiganda quæ justa sunt curam debitam non apponis, tuæque voluntati dum conditoris placitum non præponis, tibi satis invalido gravem culpæ sarcinam superponis. Sed quis es tu qui voluntatis propriæ tibi privilegium sic assumis, et quod meum solius est, inconsulte, imo temere jam præsumis, ut scilicet ore tuo ad majoris imperium non utaris, sed tuo vivens jure acceptis muneribus abutaris? Meum est conditoris tibi facto juxta libitum imperare, tuum vero, qui factus es, aurem imperio sedulam præparare, ut sicut non hominem, sic nec mutum hominem facere te contendas, et privilegio potestatis æquari plasma figulo non intendas. « Ego enim sum qui facio mutum et surdum, videntem et cæcum. » Ezechielem prophetam Dominus aliquando mutum exhibuit cum peccatis populi exigentibus eidem loqui prohibuit, ne correctionis verbum ad ingratos et immeritos deferretur, cum exinde illis nulla utilitas conferretur. « Linguam tuam, inquit, adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est (*Ezech.* III). » Iste sicut jussus loqui jubentis imperium non abjecit, sic e regione non se contumaciter mutum fecit, sed potius ab illo factus est ipse mutus, cujus est imperio ver silentium obsecutus.

Sic etiam Jeremiam inter malos et incorrigibiles constitutum ipse Dominus velut fieri jussit mutum, præcipiens ut curam, et orationem pro eisdem reprobis non assumat, et apud eum pro indignis intercedere non præsumat. « Noli, ait, orare pro populo isto in bonum (*Jer.* XIV). » Quia videt Dominus orationum beneficia populo non prodesse, conversantem inter eos prophetam præcipit mutum esse ; ducens incongruum ut pro eis temere sit verbosus quibus obviante gratia non potest effici fructuosus.

CAPUT LXXXVII.

Facit etiam Deus surdum, cum sua gratia cujuslibet aurem claudit, et aure clausa, vel exactoris ille zabuli vocem pessimam non exaudit, vel linguas maledicas tanquam non audiens dente ultorio non remordet, ut a suo Redemptore quem patientem recolit, non discordet. Unde quidam sapiens cum in eum hostes sui vana et noxia loquerentur, et dolos tota die meditari et proficere niterentur, aures suas multis et variis opprobriis saturatas, signanter innotuit divini gratia muneris obturatas. « Ego autem, inquit, tanquam surdus non audiebam (*Psal.* XXXVII) ; » et iterum : « Factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones (*ibid.*). » Felix iste qui clamosam invidorum malitiam non audire, non linguas detrahentes dente pari diligit referire, cui divina gratia dat hujusmodi tenere in moribus disciplinam, ut verborum nequam strepitui aurem offeram columbinam. At contra qui ad verbum bonum, verbum commonitorium aurem claudit, qui vocem sapienter incantantum non exaudit, qui terrenis et posterioribus inhærens instar aspidis obsurdescit, et in ea quæ ante sunt nulla extensione spiritus incalescit, iste miser laborat miserabiliter et ægrescit, eo quidem miserior, quo in proposito nequius obdurescit. Cujusmodi surdum quia nescit divina bonitas fabricari, fabricator ejus dignus est accusari, nec habet gloriam, sed ignominiam hujus obstinatio surditatis, cujus auctor habetur, non Dei gratia, sed malitia propriæ voluntatis.

CAPUT LXXXVIII.

Facit etiam Deus videntem, cum largo medicamine gratiæ miserentis tumorem mitigat pituitæ graviter deprimentis, et molli manu tergens suffusionis lippitudinem vitiosæ, permundat oculum infusionis beneficio luminosæ. Qui mundatus percipit quæ prius fuerant inexperta, pulso ignorantiæ velamento gaudet sibi fieri deoperta, et quod in sanctuario Dei latet utile vel honestum, ingressu patefacto sentit sibi fieri manifestum. Cujus merito visionis qua secreta et abscondita contemplatur, ut ex re nomen habeat, *Videns* etiam appellatur. Et hoc

quasi nomine ad cumulandam gloriam insignitur, cui divina bonitas videndi gratiam impertitur. Denique Samuel, cui datum est divina contemplari, Scriptura demonstrante *videns* meruit appellari, et qui docti abscondita, prophetæ nunc vocantur, usu quoque vulgari videntes antea vocabantur. « Ubi est, inquiunt, domus videntis? Et Samuel : Ego sum, inquit, videns (*I Reg.* IX). » Jacob etiam quia cum angelo fortiter est luctatus, et Deum, sicut dicit, facie ad faciem contemplatus, deposito nomine quod laborem innuit passionis, aliud est sortitus quod sonat divinæ gratiam visionis : « Non vocaberis, inquit, Jacob, sed Israel erit nomen tuum (*Gen.* XXXII). » Jacob interpretatur *luctator;* Israel vero *vir videns Deum.* Et recte qui luctari voluit et valuit, imo et prævaluit, Israel appellatur, quia mollis et feminei non sic ad purum oculus declaratur, ut ad videndum invisibilia velit et valeat aspirare, et in ejus internam faciem hujus spiraculi Deus **645** gratiam inspirare. Unde apud Ezechielem nonnulli reprehensibiles ostenduntur, qui sibi usurpare prophetandi officium moliuntur, et cum nisi falsa et inania non valeant contemplari, falso tamen appetunt videntium nomine gloriari. « Væ prophetis, inquit, insipientibus qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident; vident vana, et divinant mendacium, dicentes : Ait Dominus, cum Dominus non miserit eos (*Ezech.* XIII). » Qui seducti, et aliorum seductores, ne verum esse quod viderint, diutius asseverent, et in auribus simplicium confirmare sermonem propositum perseverent, non solum eos divinus sermo minaciter reprehendit, sed et suam illis objicit falsitatem, quam veraciter deprehendit. « Nunquid, ait, non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis? » (*Ibid.*) Quod nimirum ne impunitum fieri mendaciter arbitrentur, et tam de sua videntium fallacia, quam ultoris negligentia glorientur, consequenter prophetarum judex eos apertius comminatur, cujus minarum veritas effectu indeclinabili confirmatur, nisi forte converso peccatore, et ipse misericorditer convertatur. « Quia, inquit, locuti estis vana, et vidistis mendacium, ecce manus mea super prophetas, eo quod deceperint populum meum, dicentes : Pax, et non est pax (*ibid.*). » Isti sunt prophetæ qui cum suo vel maligno spiritu seducuntur, et lucis angelo seducente in errores profundissimos inducuntur, auditores miseros festinant eisdem maculis irretire, auresque prurientes, et si falsis tamen gratis sermonibus delinire. Ab his quippe quorum vita vitiis depravatur, et ad docendum cæteros quædam eis velut auctoritas delegatur, quorum cum oculum interiorem suffusio teneat corruptiva, tamen videntes asserit æstimatio præsumptiva : ab his, inquam, malum grande in populum, et contagio derivatur, qui seductus seductores prædicatæ visionis merito veneratur. De quibus per Jeremiam Dominus : « A prophetis, inquit, Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram (*Jer.* XXIII). » Cum deberent pollutos verbis sanctioribus emundare, ignorantia steriles doctrinæ salutaris irrigo fecundare, cæcos et hebetes per viam ducere veritatis, perversæ viventibus tam verbo quam exemplo incentivum præbere sanctitatis; econtra eos qui sunt in sordibus, faciunt plus sordere, inscitia caligantes superducta falsitatis nebula penitus non videre, interno visu perdito per errorum devia præcipites evagari, malis implicitos pejoribus implicari. Qui cum se dicant esse prophetas Jerusalem, propter excellentiam visionis, pacemque prædicent non freti patrocinio divinæ missionis, revera pseudoprophetæ inveniuntur esse potius, Babylonis, quos malignus instigat spiritus blandimento seductoriæ jussionis. In quorum cordibus cum jubentis venena mollius infunduntur, eorum mentes et linguæ vera pace perdita confunduntur, et quæ nequiter sunt infusa pleno vase in quæque proxima refunduntur, et super omnes qui solam terram sapiunt, perniciosius effunduntur. A quorum auditu suos Deus miserans diligentius revocare, et ne temere seducantur intendit prudentius informare, ostendens hujusmodi prophetas debere penitus non audiri, quos constat suo magis quam Dei spiritu ad loquendum procaciter erudiri. « Nolite, inquit, audire verba prophetarum qui decipiunt vos. Visionem cordis sui loquuntur, et non de ore Domini. Non mittebam prophetas, et ipsi currebant; non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant (*ibid.*). » Videtis istos ad prædicandum currere, sed non mitti, intelligere, ut aiunt, sed intra Dei sanctuarium non admitti, ore Domini non consulto cordis sui proferre visionem, suum sequi spiritum, non mittentis debitam jussionem. Quo contra Paulus : « Quomodo, inquit, prædicabunt, nisi mittantur? » (*Rom.* X.) Istos ergo qui prædicant, cum tamen non mittantur, qui de corde falsa suo, et fallacia verbosantur, non prophetas fecit verax inspiratio, non videntes, sed falsa æstimatio, et fallax elatio præsumentes. Cæterum illos quorum vita opere voluntario jam non sordet, quorum linguam et sermonem interna conscientia non remordet, a quorum tam affectu quam effectu superveniens spiritus quæque offendicula gratis eliminat, hoc nimirum ad prophetandum aburdantiore gratia nonnunquam illuminat.

Quos etiam aliquando cæcos facere idem spiritus invenitur, cum prudenti consilio nondum eis occultorum notitiam impertitur, ut subtracta videndi gratia ferventioris instantiæ sollicitudine requiratur, et cum forte inventa fuerit, humilioris diligentiæ sinu avidissimo teneatur. « Quod innuens Eliseus dicit ad Giezi : Dimitte illam, anima enim ejus in amaritudine est, et Dominus celavit, et non indicavit mihi (*IV Reg.* IV). » Eliseus, etsi multa jam pridem viderat oculis interioribus Spiritu sancto eruditis, nescit tamen inpræsentiarum quid sibi postulet Sunamitis, et forte ad sciendum non sua ipsius culpa, vel merito caligabat, sed divina gratia suam in hoc solius gloriam demonstrabat. Denique

in Evangelio : « Neque hic peccavit, ait, neque parentes ejus, ut cæcus nasceretur, sed ut manifestetur gloria Dei in illo (*Joan.* VI). » Istum non sua cæcum, non parentum fecit iniquitas, et a nullo hominum recte argui debet hæc cæcitas, quam ad hoc solum divina bonitas voluit apparere, ut in ea posset ejus gloria excellentius eminere.

Qui vero internæ lucis refuga, corruptæ **648** vitio voluntatis incurrere non formidat præcipitium noxiæ cæcitatis ; iste non solum nullo supremi testimonio judicis excusatur, sed ut sui auctor dispendii, juste veraciter accusatur. De qualibus in Evangelio : « Si cæcus, ait, cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt (*Luc.* VI). » Quia ergo qui se ipsum mutum, vel surdum, videntem, vel cæcum fecerit, argui promeretur, quem vero Deus fecerit, commendabilis, vel saltem excusabilis perhibetur, recte admonetur Moyses, ut errorem voluntatis propriæ non sequatur, sed in loquendo vel tacendo, majoris imperio prudenter obsequatur. « Quis fabricatus est mutum, et surdum, videntem et cæcum, Nonne ego? » (*Exod.* IV.) Ego, ait, et solus debui, et recte potui esse talium fabricator, qui omnium, quæ justa sunt, sum justissimus operator, quorum si quis alius mihi quidem contrarius esse præsumpserit attentator, dum esse vult sui juris, aliorum invenitur reprehensibilis usurpator. Perge igitur, et ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris. Perge, ait, et renuntians decreto propriæ voluntatis, fiducialiter obsecunda præcelsæ imperio majestatis, et ego potens, imo omnipotens oris tui inseram quid loquaris, ut mea tam potentia quam benevolentia doctus et eloquens habearis. At ille nondum satis hisce monitis confortatus, sed tenax propositi, et infirmitatis propriæ amplius debito recordatus : « Obsecro, inquit, Domine, mitte quem missurus es (*ibid.*). » Non video, ait, qualiter sufficere valeam huic indicto, quomodo Pharaonem conveniens, possim educere filios Israel de Egypto ; sed mitte celerius quem prævideo quandoque te missurum, quem scio quidquid jusseris potentialiter expleturum. « Et iratus est, inquit, Dominus in Moysen (*ibid.*). » Quia Moyses præceptori aurem promptam vel animam non inclinat, se ab eo quod jubetur, adhuc pertinaciter resilit et declinat, eumdem præceptorem Scriptura perhibet succensere, et ipsi Moysi fratrem suum propter majoris eloquentiæ gratiam adhibere. « Aaron, inquit, frater tuus, scio quod eloquens sit, ipse loquetur pro te ad populum, et erit os tuum (*ibid.*). » Hoc audito, Moyses tandem cedit, et mandato præbens aurem ab eo ulterius non recedit, sciens plane et sentiens eum inculpabilem non haberi, qui jussus loqui bona, contenderit sub silentio contineri. Quod propter et Jeremias non potuit excusari cum ad tale vocatus negotium elegit potius feriari, attendens et suam puerilitatem, et puerilitæ non esse peritiam ad loquendum, eidemque imperitiæ nondum esse tempus conveniens ad docendum. « Ecce, ait, nescio loqui, quia puer ego sum. Et Dominus : Noli, ait, dicere : Puer ego sum, quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis, et quæ mandavero tibi, loqueris (*Jer.* I). » Etsi, ait, ætate immatura tibi adhuc videris prægravatus, ut explere nondum sufficias injuncti negotium famulatus, in eo tamen in conspectu digne satis non eris excusatus, si audito mandato, fueris pertinaciter refragatus. Abiit ergo Jeremias, et ætatis oblitus junioris, obedire non distulit digno auditui præceptoris, ne si ab eo per culpabile silentium diutius pertinax resiliret, justo exigente judicio, ad pœnale silentium deveniret.

CAPUT LXXXIX.

De pœnali silentio.

Nam et pœnali silentio teneri plurimos invenimus, quos iram incurrisse culparum merito comperimus ; qui cum vel tacendo, vel loquendo negligenter corruerint in delicta, consequenter eis inflictum est silentium ex vindicta. Luca referente cum adversus Christum scribæ et sacerdotum principes convenirent, ut in sermone ejus reprehensibile quidpiam invenirent, quæsierunt sollicite utrum dari Cæsari census debeat, vel tributum, an hoc potius videatur contra justitiæ regulam constitutum. Cujusmodi proposita diligentius quæstione, videns Christus dolum et fraudulentiam in sermone, jubet sibi numisma, vel denarius afferatur, quærens cujus in eo superscriptio formæ vel imaginis habeatur. At illi : Cæsaris, inquiunt, et ille : Ergo, ait, si justitiæ vultis merito commendari, quæ unicuique id quod suum est jubet dari, quæ sunt Cæsaris, integra Cæsari resignate, et quæ Dei sunt, Deo similiter non negate (*Matth.* XXII). Ille quidem vultus sui lumen super nos signavit, eoque signaculo nos sibi proprios assignavit, ut cum reddimus Cæsari quod esse jus regium jam tenemus, lege pari Deo quod suum est, juste et fideliter resignemus. « Et non potuerunt, inquit evangelista, verbum ejus reprehendere coram plebe, et mirati in responsione ejus tacuerunt (*Luc.* XX). » Respondente Christo, verbum ejus dolosi non arguunt auditores, ne plebs eos reliqua falsitatis judicet amatores, et ad responsa ejus digna laudibus obstupescunt, stupentes et attoniti urgente justitia conticescunt. Quia enim in responsis ejus reprehensibile quidpiam non videbant, et eorum laudibus malitiæ facibus invidebant, digna sententia ultricis justitiæ percelluntur, dum qui veritati non adgaudent, jacere compelluntur. Vellent quippe illum reprehensibiliter potius respondisse, et eis evidenter accusandi aditum præbuisse, vel saltem responsioni ejus præsentem populum non fuisse, ut absente illo possent eum liberius vel mendaciter arguisse. Cujusmodi **647** occasio quia eis penitus non est data, sed omnis accusandi opportunitas est ablata, ne se forte esse gaudeant impunitos, pœna gravissima feriuntur, dum non electione propria sed ultione coactiva silentio reprimuntur. Nihil enim malitiosi quilibet sibi gravius æstimant imminere, quam si vetiti fuerint concupitam malitiam exercere, ei tanto

denique obstaculo velit eos potens ultio coercere, ut adversus veritatem, vel non valeant, vel non audeant respondere.

CAPUT XC.

Quod Matthæus innuit cum ducit ad medium Sadducæos, et eis confutatis consequenter etiam Pharisæos, quorum illi fide clauda negant esse resurrectionem, isti vere hebetes objectam Christi non valent solvere quæstionem. Sadducæi de uxore septivira diligentius scisciantur, quam septem fratres habuisse viros post invicem protestantur, juxta quod Moyses filiis Israel voluit imperare, ut defuncti fratris superstes frater uxorem sibi debeat copulare. « In resurrectione, inquiunt, cujus erit de septem uxor? Omnes enim habuerunt eam (*Luc.* xx). » Et Dominus : « Erratis, inquit, nescientes Scripturas neque virtutem Dei : in resurrectione enim neque nubent neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo (*Matth.* xxii). » Error, ait, vos nimius occupavit, vestra vos malitia nequiter excæcavit, nescientes in Scripturis cujusmodi veritas prædicetur, Dei virtus in defunctis quam efficaciter operetur. « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, non est Deus mortuorum, sed viventium (*ibid.*). » Abraham, Isaac et Jacob viam carnis universæ procul dubio sunt ingressi, et de terra existentes ad terram lege communi omnium sunt regressi, quorum tamen se Deum æterna veritas protestatur, ut eos jam non mortuos, sed in æternum vivere cognoscatur. Non enim illorum veraciter Deus esset, si non eos vivere certum esset, quia is quem verum Deum sine dubio constat esse, eorum qui non sunt, non potest veraciter Deus esse. Vivunt ergo spiritu, et si eos carne mortuos constat esse, quorum se Deum, vivens, verax, interminabilis dicit esse, quem non mortuorum, sed vivorum potius Deum credit, quisquis veraces terminos sanæ fidei non excedit. Huic dicto Sadducæi nihil referre valuerunt potuerunt, et hostes veritatis confusione confusi tacuerunt, ægre satis ferentes quod nec illius potuerunt sententiam infirmare, nec errorem suum veris responsionibus confirmare. « Audientes, inquit evangelista, Pharisæi quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum, et interrogavit eum unus ex eis doctor, tentans eum : Magister, quod est mandatum magnum in lege? » (*ibid.*) Videntes Pharisæi quod Sadducæi nihil penitus responderent, et disputanti Christo in nullo resistere prævalerent, arbitrati sunt sese melius quæsituros et quæsito conanti solvere longe argutius responsuros Solebant autem Pharisæi et Sadducæi ab invicem dissentire, et sensu dissono veritati plurimum contraire, et cum alii alios in aliquo poterant prævenire, videbantur sibi non parvum laudis meritum invenire. Hoc propter Pharisæi ad inquirendum subtilius accinguntur, et inquisito verborum retia tendere moliuntur, ut, cum manifestum fuerit sese et sciscitari melius, et respondenti argutius obviare, videantur eos, quibus invident, superare. Sed Christus ad istorum quoque prudentius respondens inquisita, nequam propositum solutione reprimit expedita, et sic studet eorum tendiculas sive laqueos expedire, ut eos ulterius, vel non valeant, vel non audeant resarcire. Quærente quippe Pharisæo : « Quod est mandatum magnum in lege? Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, » etc. (*Ibid.*) Et ne parum solutione tam explicita retundantur, sed amplius quæstione superaddita confundantur : congregatis eisdem Pharisæis, interrogavit eos dicens : « Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est? Dicunt ei : David. Ait illis : Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus Domino meo, etc. Si ergo David, ait, vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? » (*ibid.*) Pharisæi qui sicut Sadducæis, ita et Christo præsumunt invidere, cæcati malitia quæstionem propositam non valent pervidere, et cum ad eam nihil sciant congruum respondere, confusi inscitia compelluntur pœnaliter conticere. Nam quia non habent in quo illius responsa convenientius reprehendant, et intellectus deficit quo requisita subtilius apprehendant, præsumptivam spem inanis victoriæ jam seponunt, et in ejus præsentia ulterius loqui similia non apponunt. De quibus Matthæus subjungit : « Et nemo poterat respondere ei verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare (*ibid.*). » Sic etiam apud Matthæum, et Lucam timore dæmones coercentur, ne assumpta licentia juxta libitum verbosentur, et non propter blasphemiam, quæ sua est dæmonum, inflicto silentio percelluntur, sed etiam ab inchoatis Christi laudibus repelluntur. « Dæmonium, inquit, exclamavit dicens : Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? Venisti perdere nos. Scio qui sis sanctus Dei. Et comminatus est ei Jesus dicens : Obmutesce (*Luc.* iv). » Quoniam « non est laus pretiosa in ore peccatoris (*Eccli.* xv), » dum inspector intimus non labium exterius, sed internam attendit conscientiam laudatoris, laudes 648 suas Christus non acceptat, quas audit ore dæmonum ventilari, sed reprobos laudatores jubet silentio cruciari. Cum aliquem non bene meritum vexat potens indignatio punientis, habet remedium qualecunque ipsius miseria patientis, scilicet dolores intimos vocibus querulis effutire, si concedatur judicem precibus, sive laudibus convenire. Si autem miser sub manu judicis compellitur et sufferre, et sufferens inflicto silentio verbum remedii non proferre, dolor intimus clauso spiraculo gravius augmentatur, et, ut clibanus æstuans, miser misere cruciatur. Cum itaque Jesus gravius dæmones vult punire, eosdem severo judicio præcipit obmutire, ut qui nolunt culpam digna pœnitentia consopire, non possint vel loquendo pœnæ remedium invenire.

CAPUT XCI.

Ea forma Paulus, cum audiret suas laudes a spiritu Pythonico prædicari, et illius præconio justitiam suam nescientibus indicari, nequam attendens

meritum, præconium non curavit, et eidem spiritui pœnale silentium imperavit. « Clamavit, inquit, spiritus dicens : Isti homines, servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, et conversus, spiritui dixit : Præcipio tibi in nomine Jesu Christi, exi ab ea (*Act.* XVI). » Sciens Paulus quod Dei beneplacito non concordet, ut is laudes proferat cujus linguam perdita mens remordet, mavult ut Pythonicus spiritus conticescat, quam illius laudibus sua justitia populis innotescat. Et quid mirum si exigente culpa immundus invenitur spiritus obmutire, cum etiam vir justus Zacharias mereatur idem supplicium invenire, ut scilicet cum verbo Dei per angelum incredulus habeatur, in ultionem delicti festino silentio puniatur? « Ait ad illum angelus : Ne timeas, Zacharia, quoniam uxor tua Elizabeth pariet tibi filium. Et dixit Zacharias : Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis. Cui angelus : Ecce, inquit, eris tacens et non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis (*Luc.* I). » Nuntiante angelo uxorem veterem novo munere parituram, et bonæ sobolem indolis de veteranis parentibus nasciturum, humana hebetudo cœlesti non satis consonat armoriæ, et fides claudicans linguam obligat Zachariæ. Et recte qui loquenti Angelo non vult paria respondere, qui cœlesti præconio non aurem credulam adhibere, huic supplicio invenitur judicialiter subjacere, ut, cum loqui velit, cogatur ex opposito conticere.

Denique ob hoc illa virgo virginum commendatur, et Elizabeth nuntiante (*ibid.*), beata merito fidei prædicatur, quod cum angelus intenderet ei facere deoperta, quæ cunctis retro sæculis fuerant inexperta, cum ei nuntiaret effectum proximum genituræ, quæ miro et ineffabili modo excederet vim naturæ, illa etsi, ut juvencula, videtur loquentem angelum muliebriter expavisse, tamen invenitur miræ constantiam fidei tenuisse, et loquenti magna, satis convenientia respondisse. Admirans quippe virgo tenera de profectu, promissionis gratuitæ non dubitat de effectu, et habens fidem certam super rem non mediocriter gratiosa, super solo rei modo efficitur commendabiliter curiosa. « Quomodo fiet istud? » Non dubito, ait, quin fiat veraciter quod dixisti, sed quoniam quomodo id fieri debeat, non dixisti, sicut certam me fateor de jam dicto, sic nimirum sollicitam de non dicto. Dic igitur quomodo fiet istud? Nam quia nondum viri complexibus acquievi, et, quod amplius est, in futuro acquiescere non decrevi, quæro sollicite qualiter impleatur, quod nisi viro cognito nullis retro sæculis impletum declaratur. « Et ille : Spiritus, inquit, sanctus superveniet in te (*ibid.*), etc. » Quia virgo angelico auditui non resistit, super modo requisito suspensa diutius non existit, et auditis omnibus quæ angelus magna et mirifica nuntiavit, illa humilitatis verbo fidem suam in clausula commendavit. « Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*ibid.*). » Ista responsio, ista fides, ista humilitas, non iram, non judicium experitur, ad hanc succensere non angelus, non judex superior invenitur, hanc probrosa correctio, hanc pœna durior non affligit, huic manus ultoria pœnale silentium non infligit. Nam et angelus humile verbum virginis acceptavit, quæ super hac novitate diffidens, non recalcitrans disceptavit, et superveniens spiritus eam non solum prole nova sine gravamine reddidit onerosam, sed etiam sopito muliebri silentio, sermone laudabili copiosam.

Inde est quod Joanne jam concepto de parentibus veteranis, virgo matrem illius salutare et visere voluit in montanis, ut concepto fetu supra spei terminos vel naturæ, acciperent sermone vicario solatium ab invicem parituræ. Sciens autem et sentiens Elizabeth venientem virginem in utero de spiritu jam habere, tam miræ novitati voluit, prout decuit, adgaudere, et fidem virginis tenere quæ angelo, imo Domino firmiter crediderat, prædicavit, et complenda quæ prædicta fuerant, prophetavit. Repleta est, inquit, Spiritu sancto Elizabeth, et exclamavit voce magna dicens : Benedicta tu inter mulieres, » etc. (*Ibid.*) Et infra : « Benedicta quæ credidisti, **649** quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino (*ibid.*). » Ad hanc vocem prophetissæ Maria silentio non tenetur, sed plena Spiritu sancto ad depromendum canticum promovetur, eligens de accepti novitate muneris sic lætari, ut etiam postfuturos inveniatur grato sermones beneficio consolari. « Magnificat, inquit, anima mea Dominum, » etc. (*Ibid.*) Videtis feminas uno in cubiculo residentes non levitate feminea, sed prophetico Spiritu colloquentes, laudes concinere, texere prophetias, a quibus se interdum feriari gravatur incredulus Zacharias. Trium quippe mensium spatio eodem conclavi virgo et mulier detinentur, in quo non solum affectu, sed etiam sermone mutuo confoventur, amantes simul esse, non ut textrino operi manus sedulas instantius applicarent, sed ut divinas laudes jucundo colloquio gratius explicarent. Dum autem istæ religioso studio, vel studiosis laudibus occupantur, dum de illo indefesso cujus erant plenæ Spiritu verbosantur, legalis ille presbyter quia digna fide loquenti Angelo non respondit, confusione confusus sub pœnali silentio se abscondit. Sic nimirum quibusdam, a quibus aure credula non auditur, Dominus per Isaiam comminari terribiliter invenitur, ut sicut in Evangelio, sic prophetarum oraculo planius cognoscatur, quod auditum obduratum pœnalis confusio prosequatur. « Pro eo, ait, quod vocavi, et non respondistis; locutus sum, et non audistis : ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini (*Isa.* LXV). » Cum servi exsultant qui loquentem Dominum audierunt, qui vocanti misericorditer aure prona fideliter responderunt, illi profecto confusione merita confunduntur.

qui eum non audisse vel audito non respondisse manifestius cognoscuntur. Quod vero de obduratis auditoribus prædicit Isaias, hoc etiam protestatur loquens eodem spiritu Jeremias, quia et si loco et tempore prophetæ ab invicem sunt disjuncti, eodem tamen sensu ejus, qui semper idem est, operante spiritu sunt conjuncti. « Nunquid, ait, me ad iracundiam provocant, dicit Dominus? » (*Jerem.* VII.) Nunquid in semetipsos in confusionem vultus sui, cum mali Domini præsumunt ad iracundiam provocare, non possunt tamen illi quidquam noxium irrogare, quia, et si novimus nostra illi, cum mala sunt opera, non mediocriter displicere, certum est tamen ei quidquid egerimus non nocere. Cum igitur quod agimus vero justitiæ damnatur judicio, nobis pœna, nobis debetur confusio, in Creatorem nostrum, culpam sive pœnam justitia non refundit, sed auctores mali læsa conscientia, vel pœnæ experientia nos confundit. In quo autem illi et prius offenderint, et confusi fuerint, consequenter paulo superius per eumdem prophetam insinuat Dominus evidenter, dicens illos et sua monentis verba humilitate debita non audisse, et ob hoc iram ejus et irascentis judicium incurrisse. « Quia locutus sum ad vos, inquit, et non audistis, vocavi vos, et non respondistis : faciam domui huic in qua vos habetis fiduciam, sicut feci Silo, et projiciam vos a facie mea (*ibid.*). » Domus ista cui Dominus terribiliter comminatur, quam se destructurum exigente peccato populi minaciter protestatur, Jerusalem est, in qua sibi templum præceperat fabricari, et in eo nomen suum a devotis et humilibus invocari. Olim quidem in Silo tabernaculum et arca fœderis habebatur, cum Heli veteranus, et post Heli, Samuel sacerdotio fungebatur, illucque ex præcepto Domini cunctus Israel confluebat, et ei coram arca laudes, preces, hostias offerebat. Cum vero Deum idem populus ad iracundiam implacabiliter provocaret, et peccata vetera novis supervenientibus cumularet, locum illum Deus severo judicio reprobavit, et arca sublata religionem pristinam annullavit. Unde postea David : « Repulit, inquit, tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus (*Psal.* XLVII). » Repulso quippe tabernaculo in quo Deus primitus habitavit, non illuc ultra populus orandi gratia properavit, quo Deus primitus habitavit, non sua illic munera devoti et alacres obtulerunt, non vota precantium, non laudes, non cantica sonuerunt. Sic nimirum locus ille religioni antea dedicatus, sacerdotum præsentia, concursu laudantium frequentatus, ira tandem prævalente in nihilum reputatur, et honore sopito celebri, pœnali silentio deputatur. Cujus honorem Deus ad montem Sion voluit pertransire, et exstinctos religionis cineres suo illic flante Spiritu reignire, imo majoris sanctitatis privilegio locum illum voluit consecrari, multo majore gloria, divitiis majoribus honorari. De quo et David : « Elegit, inquit, montem Sion quem dilexit (*ibid.*). » Descriptione quippe David, succedentis vero ministerio Salomonis, templum sibi fieri voluit Deus in monte visionis, in quo pridem Abraham filium suum Isaac non renuit immolare, et revocante angelo nihil mali puero pater obediens irrogare. In quo templo suum nomen, suam quasi præsentiam Deus voluit sic adesse, suis digna petentibus suam sic benevolentiam præsto esse, ut cunctis ire volentibus certum esset, quod in illo et templo et loco veraciter Deus esset. De quo Dominus ad Salomonem : « Sanctificavi, ait, domum hanc quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, et erunt oculi mei, et cor meum ibi cunctis diebus (*II Paral.* VII). » Hæc autem domus sive templum ab ortu solis usque ad occasum famæ beneficio divulgatur **650**, ejusque formam mire conspicabilem omnis audiens admiratur, et erga illud multo magis affectu devotissimo devincitur quisquis ejus sanctitatem præsentialiter experitur. Denique et regina Saba venit a finibus terræ audire Salomonem (*III Reg.* X), optans summopere auditi operis assequi visionem, qua percepta, nullius momenti visa est rumoris fuisse magnitudo, dum eam supergressa est præsens rerum mirabilium certitudo; nam cum plerumque fama soleat veritatem rei excedere, et juxta quemdam ethnicum, « eundo sibi vires acquirere, » in prædicando tamen quæ qualiter Salomon operatur, hujus vaga loquacitas rerum magnitudine superatur. Hæc autem domus Domini quam Salomon expensis multis, multo fecerat cum labore, ejusdem tempore Salomonis et multorum post invicem regum digno perstitit in honore, donec ultimus regum Juda regnum tenuit Sedecias, cujus pater exstitit justissimus rex Josias. Ea tempestate malitia regis et populi sic exercevit, sic omnem fere justitiam superexcedens iniquitas abolevit, ut Deus ultra non sufferens, decerneret subvertere opus illud magnum et mirificum Salomonis, imo totam Jerusalem igne vel exercitu Babylonis. Apprehensum quippe Sedeciam crudelis Nabuchodonosor excæcavit, et avaris opibus tam domum Domini, quam domum regiam spoliavit, incensaque civitate, cives, quos divina superincumbens ultio perurgebat, in Babylonem transtulit, cui regali potentia præsidebat. In qua per annos septuaginta duro sub imperio deprimuntur, et erratus veteres præsenti exsilio solvere compelluntur, quia et culpam diutinam non nisi amarior disciplina, et morbum induratum non nisi districtior curare prævalet medicina. Per id temporis quo tribus Juda et Benjamin Babylonem duram incoluit, templi religio quam jubente Domino Salomon devotus instituit, more debito, honore solito prorsus non viguit, sed tanto silentio templum, civitas, totius Judæ regio condemnatur, ut non illic festiva solemnitas, non solemne gaudium, non vox laudantium audiatur. Quod antequam fieret, sermone Deus prophetico voluit prædicari, et per Jeremiam longo ante tempore nuntiari, ut vel auditum posset a pœnitentibus evitari, vel non pœnitentes inexcusabilius condem-

nari. Hoc est quod dictum est : « Faciam domui huic, sicut feci Silo (*Jer.* VII). » Sicut locum illum non jam commendat pristina sanctitudo, non eum sacerdotes, non frequentat populi multitudo, sed culpis exigentibus probrosa detinet solitudo, pœnale silentium, situs et negligentiæ turpitudo, sic istam domum meo æque nomini dedicatam, justo judicio incumbente, silentio faciam desolatam.

Nec solum domui quam specialiter Salomon divino cultui dedicavit, quam auro divitem, specie mystica decoravit, verum etiam toti civitati gravem inferam læsionem, gravique læsione totius Judææ destruam regionem. « Dabo, inquit, Jerusalem in acervos arenæ, et civitates Juda in desolationem, eo quod non sit habitator (*Jer.* IX.) » Et per Michæam prophetam similia comminatur : « Sion, ait, quasi ager arabitur, et Jerusalem in acervum lapidum erit, et mons domus in excelsa silvarum (*Mich.*, III). » Quod dicit Sion quasi agrum arari, et Jerusalem in acervos lapidum commutari, aperte innuit eversionem perditæ civitatis, quæ perversis moribus incurrens dispendium pristinæ sanctitatis, enormitate scelerum, scelerata magnitudine pravitatis everti promeretur, et velut ager vacuus complanari, et prærupta ejus ædificia in viles acervos lapidum revocari. Ili nimirum qui captas civitates potenti odio subvertebant, quas non facile restaurari, nec reduci in pristinum cupiebant, plerumque velut agrum aratro ad usque solum dirutas exæquabant, et domos necessarias in lapidum cassam congeriem revocabant.

Quo facto, non civis illic, non jam incola remanebat, qui ubi vel quomodo remaneret, perditis omnibus non habebat, locumque perditum non possessor pristinus incolebat, quem redactum in solitudinem hostilis immanitas obtinebat. Expulso autem possessore, et a suis finibus elongato, eversis ædificiis et loco penitus desolato, jam illic quidquam boni, quidquam gaudii juxta solitum non auditur, et eo non audito, quid nisi silentium invenitur ? Quod per prædictum Jeremiam Judæis Dominus comminatur. « Quiescere faciam, inquit, de urbibus Juda, et de plateis Jerusalem vocem gaudii et vocem lætitiæ, vocem sponsi et vocem sponsæ, in desolationem enim erit terra (*Jer.* VII); » quia, ut superius dictum est, « Locutus sum ad vos, et non audistis; vocavi vos, et non respondistis (*ibid.*) : » non accipiet vestra prosperitas incrementum, sed terra vestra desolationis incurret detrimentum, et ea desolata, solemnitatis vestræ loquacitas conticescet, et de vestris urbibus vox gaudii et vox lætitiæ conquiescet. Nullus vobis optatum gaudium nuntiabit, nullus vos ad spiritalem lætitiam excitabit, nullus vobis Pauli commonitorium personabit, nullus carmen Davidicum grato ministerio propinabit. « Gaudete, inquit Paulus, in Domino, iterum dico, gaudete (*Phil.* IV). » Et David : « Lætamini, ait, in Domino et exsultate, justi (*Psal.* XXXI). » Sponsus quoque, id est Christus, vos odio habitos non monebit, non ei Sponsa, id est fides ecclesiastica respondebit, non denique doctor vigilans de profectu auditorum gloriam assequetur, non vir obediens **651** insignes victorias eloquetur. Hujus gaudii, hujus lætitiæ, hujus sponsi, hujus sponsæ de Juda et Jerusalem vox quiescet, cum sublato habitatore terra penitus obmutescet, cum quod sermone prophetico illis peccantibus est prædictum, pœnitentia non tergente, supervenerit maledictum. De quo per eumdem Jeremiam longe infra dicitur : Si non audieritis me, dabo domum istam sicut « Silo, et urbem hanc dabo in maledictionem (*Jer.* XXVI). » Videtis eos qui offenderint Creatorem, qui obdurato corde audire contempserint monitorem, cum a sua malitia nullo revocari valeant interdicto, ad ultimum desolationis gravi subjici maledicto. Maledictum autem magis grave, magis intolerabile non videtur, quam si forte Silo, Judæa et Jerusalem coæquetur, si quemadmodum illic non incola, non qui divinas laudes concinat, jam valet inveniri compellatur Jerusalem pœnam similem experiri.

CAPUT XCII.

Ad cumulum vero pœnalis supplicii quod infertur accedit quod ejusdem maledictionis præsentia non differtur, et non dentes filiorum parentibus unam acerbam comedentibus obstupescunt, sed ipsi comedentes inflicto stupore merito contabescunt. Multo ante tempore cum super nuntiis regis Babylonis aliquantum excederet Ezechias, ad arguendum eum ex præcepto Domini missus est Isaias, et quam Jeremias desolationem proximam prædicavit, longe post futuram Isaias divino spiritu prophetavit. « Ecce, inquit, dies venient et auferentur omnia quæ in domo tua sunt, et quæ thesaurizaverunt patres tui usque ad diem hanc, in Babylonem, et de filiis qui exibunt de te quos genueris, tollent et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. Et dixit Ezechias: Bonus sermo Domini quem locutus est, fiat tantum pax et veritas in diebus meis (*IV Reg.* XX). » Cum propheta regi ventura quædam incommoda protestatur, eumdem regem non mediocriter consolatur, quod ea quæ veraciter noxia prædicuntur, non suo sed suorum filiorum tempore complebuntur. « Tollent, inquit propheta, de filiis tuis, et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. Et ille : Fiat tantum pax in diebus meis. » Et si gravor, ait, quod mala meis posteris infligentur, et ex illis nonnulli abscisione inter Babylonios affligentur, in hoc tamen sentio Deum mihi propitium subvenire, quod hæc mala non compellor præsentialiter invenire, quod juxta votum meum meis temporibus pax habetur, et effectum prophetiæ ventura posteritas patietur. Cujusmodi solatium quod de dilatione accipit Ezechias, in prophetando non contulit suis auditoribus Jeremias, quia calamitatis gravem instantiam quam prædixit, non filiis, non filiorum filiis sic addixit, ut innueret parentes eam, qui præsentes aderant, non visuros, imo eos qui meruerant, asserit præsentialiter perpessuros. Quia enim obduruerant ut divina monita

non audirent, ut auditui prophetico nullatenus credentes obedirent, desolationem, quam per eum Dominus illorum auribus nuntiavit, eorumdem oculis vindex severior realiter demonstravit. « Ecce, inquit, ego auferam de loco isto, in oculis vestris, et in diebus vestris vocem gaudii et vocem lætitiæ, vocem sponsi et vocem sponsæ (*Jer.* VII). » Signum est ut qui effrenata licentia nequiter operantur, eisdem mala pro meritis infligantur, et qui nolunt a vitiis, cum læta suppetunt, abstinere, compellantur lætis deficientibus tristia sustinere.

Et notandum quod his quos his quos exigentibus culpis tristia vult sufferre, iratus judex minatur silentium se inferre, quia sicut tristitia est pœna malitiæ, ita silentium opus tristitiæ. Sicut enim gaudium et lætitiam quædam loquacitas comitatur, dum a loquendo quæ sentit, vix quisque hilaris temperatur, quia mens ipsa tunc suo magis gaudio delinitur, cum interna jucunditas verbis forensibus effutitur; sic nimirum cum quemvis miserum tristitiæ nox obducit, eidem consequenter grave silentium superducit, ut miser eo inveniatur miserius cruciari, quo vel non licet suavia, vel non libet sensa noxia verbosari.

Quod autem suavia quisque libentius verbosetur, et cum læta suppetunt, grave silentium relegetur, per eumdem prophetam innuit Dominus cum post mala, post tristia quæ præmittit, meliora, lætiora civitati miserans repromittit. « Ecce, inquit, ego convertam conversionem tabernaculorum Jacob, et tectis ejus miserebor, et ædificabitur civitas in excelso, et templum juxta ordinem suum fundabitur, et egredietur de eis laus voxque ludentium vel laudantium (*Jer.* XXX). » Videtis quia cum tristibus redditur optata prosperitas, cum mœroris terso gelu verna montes diffundit hilaritas, ipsa diffusio gravi silentii repagulo non tenetur, sed ex eis laus, voxque laudantium vel ludentium egredi perhibetur. Denique cum post longam hiemem ejus incommoda jam pelluntur, cum verna temperie nix et glacies resolvuntur, cum reddito cursu aquis, libertate solita jam feruntur, cum laxata superficie terræ nova gramina producuntur, cum herbæ pullulant, prata ridentia viridescunt, cortex arborum reviviscit, gemmæ turgent, ramuli jam frondescunt, cum sol lucidior, aer purior invenitur, cum grata novitate inferior hæc universitas insignitur; tunc nimirum aviculæ inventum gaudium **652** non ferentes, secretum interius quali possunt eloquio proferentes, miro cantu vel garritu gaudent perstrepere, et per silvas, hortos, arbores loquaci volatu discurrere. Quia enim sentiunt terram nova temperie laxiorem, silvas amœniores, aerem leniorem, in quibus inveniunt, pastum solito largiorem, incongruum ducunt ea silentio premere longiori, et non potius reddere laudes garrulas largitori. Ad cujusmodi laudes illos etiam Dominus exhortatur, quos post dictam miseriam promissione gratuita consolatur, volens ut eorum prosperitas non velut sub modio delitescat, sed remoto silentio, clamosis laudibus innotescat. « Exsultate, inquit, in lætitia Jacob, et hinnite contra caput gentium, personate, canite, et dicite: Salva, Domine, populum tuum et reliquias Israel (*Jerem.* XXXI). » Cum Dominus afflictum Jacob dignabitur visitare, et post longam tristitiam, ad gaudium et lætitiam revocare, ille contra caput gentium a quo pressus fuerat, canet, hinniet, personabit, et ei tandem victo liber redditus insultabit, liberatorem suum devote et plausibiliter invocabit. « Salva, inquit, Domine, populum tuum et reliquias Israel. » Iste cum post longam tristitiam optato gaudio refovetur, ad rumpendum silentium causa duplici perurgetur, quia et adjutori suo dignis laudibus exsultare, et oppressori suo gaudet plurimum insultare. Suo quippe adjutori quodammodo videtur invidere, qui accepto beneficio non vult gratias exhibere, qui detrectat cum laudabiliter confiteri, cujus dono sentit gravi sese calamitatis compede non teneri. Cujusmodi vitium non incurrunt de Babylonia liberati, sed verbosas laudes divinæ referunt largitati, et reversi ad locum quem desertum reddiderat desolatio gemebunda, liberatorem suum voce prædicant lætabunda. Quod infra per eumdem Jeremiam prædicitur. « Adhuc, inquit, audietur in loco isto vox gaudii et vox lætitiæ, vox sponsi, et vox sponsæ, vox dicentium: Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus (*Jer.* XXXIII). » Educti de Babylonia cum sedes pristinas obtinebunt, internam lætitiam torpenti silentio non fovebunt, quia minus habet gratiæ quidquid prosperum mens interior experitur, si non foris consonare lingua loquacior comperitur. Rumpentes igitur claustra silentii, vocali gaudio personabunt, liberatoris sui potentiam, imo potentem benevolentiam prædicabunt, ne vel ejus munificentiæ (si non laudes referant) sint ingrati, vel suo gaudio detrahant, ignavo silentio mancipati. Ad cujus cumulum gaudii suo etiam oppressori diligunt insultare, cujus eos militia justo Dei judicio potuit captivare, unde tandem eruti cum non possint ei vicem reddere similiter opprimendo, amant saltem rependere vel loquendo. Quibus et per Isaiam Dominus loquens: « Sumes, inquit, parabolam istam contra regem Babylonis, et dices: Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram (*Isa.* XIV). » Cum rex Babylonius filios Israel juxta libitum captivaret, et eos invalidos manu sibi valida subjugaret, velut cœli præsidens gaudebat perfundi lumine matutino, non timens ortum suum occasu deprimi vespertino. Cum vero manus fortior illius potentiam infirmavit, et adversus eum illos qui oppressi fuerant grata fortitudine confirmavit, ille projectus de altitudine solii præsumptiva, ad profundam et tenebrosam terram infirmitate corruit abjectiva. Quo viso, illi non solum super beneficio quo de manu pessima liberantur, sed etiam super casu pessimi nihilominus gratulantur, illiusque ruinam, suam velut gloriam reputantes, non possunt non garrire, celeuma calcantium decan-

tantes. De quo per Jeremiam dicitur : « Celeuma quasi calcantium concinetur adversus omnes habitatores terræ (*Jer.* xxv). »

Si botrus in vinea favente autumno plurimus invenitur, tamen dum spem solam suggerit et nondum ad vindemiam pervenitur, gaudet quidem agricola, et accepta spei nobile blandimentum, sed nondum cantat tanquam jam non timeat detrimentum. Adhuc enim sollicitus ne aliqua huic intemperies sit nociva, ne pereat importuno imbre, grandine, vel pruina, ne lædatur vel calore nimio vel ore glaciali, spe contentus promissiva a cantico continet triumphali. Cum vero maturitate completa gravis uva cultello succiditur, et in angustum dolium, gratia calcandi congeritur, spe jam in rem mutata calcator fiducialiter gratulatur, et optato diuque exspectato successu velut compos victoriæ gloriatur. Quod quia tandem juxta votum meruit obtinere, jam non valet suum sub silentio gaudium continere, sed affectus intimos festinat grati sono celeumatis effutire, et assumptum calcandi laborem vocali cantico delinire. Eo modo, illi qui aliquando fuerunt captivati, et sub hostium valida manu afflictione et miseria conquassati, si forte contrito laqueo sese viderint liberatos, et hostes e regione, et si non malitia, tamen potentia minoratos, gaudent et suum gaudium nolunt sub modo latitare, sed celeumate calcantium, id est triumphali cantu lætantium amant hostibus insultare.

Est enim lætitia loquax et garrula, sub lingua nesciens contineri, refuga solitudinis, per vicos et plateas celeberrima vult haberi; abhorrens silentium, vago multiloquio vult proferri, quietis impatiens, ad multorum notitiam vult deferri. Quod ille in Evangelio invenitur signanter intimare, qui curatus et **653** jussus ne præsumeret culpiam revelare, grave dicens jugum silentii per totam regionem abiens nuntiavit, et acceptans beneficium largitorem beneficii dignis laudibus commendavit. A cujusmodi laudibus vel insultationibus, quibus lætitia loquacius inselescit, et converso, ut supra dictum est, gravis tristitia conquiescit, et ubi absente gaudio mœror afficiens invenitur, vox laudis, cantio triumphalis, celeuma calcantium non auditur.

CAPUT XCIII.

Quod etiam per Isaiam Dominus manifestat, cum post culpam, culpabiles premit graviter et molestat, cum sublato beneficio quo solebat illos misericorditer refovere, minatur peccantibus tristitiam, silentium tristibus adhibere. « Auferetur, inquit, lætitia et exsultatio de Carmelo, et in vineis non exsultabit neque jubilabit; vinum in torculari non calcabit qui calcare consueverat : vocem calcantium abstuli (*Isa.* xvi). » Cum in torculari vinum exuberans non calcatur, cum deficiente vino, qui lætari consueverat, contristatur, ad puniendum quod conditori digna reverentia non defertur, gravi tristitiæ pœna silentii subinfertur. Non enim in vineis dulce jubilant vinitores, non in dolio celeuma concinunt calcatores, sed vino perdito, quod lætos et garrulos reddere consuevit cultores, ad confirmandum silentium locum ipsum deserunt possessores. Quod longe infra Isaias idem asserit contigisse, dicens gaudium, citharam, canticum defecisse, quæ nimirum frequenti strepitu personabant, cum ipsum locum læti plenius incolæ frequentabant. « Cessavit, inquit, gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ cum cantico, non bibent vinum (*Isa.* xxiv). » Et subjungit : « Clausa est omnis domus nullo introeunte, relicta est in urbe solitudo et calamitas opprimit portas (*ibid.*). » Cum in urbe prosperitas optata vigeret, cum eam successuum grata suavitas demulceret, cum vicos et plateas obtineret solemnis gaudii plenitudo, instar apum confluebat frequens inhabitantium multitudo, lætamque multitudinem jugum silentii non premebat, sed tympanis et citharis et diversis canticis perstrepebat. Cum vero incubuit eidem civitati molesta calamitas, cum eam pressit et oppressit gravis adversitas, cessarunt tympana, citharæ dulcedo conticuit, siluerunt cantica, lætantium sonus obmutuit, et ut magis silentium firmaretur, ipsam urbem inhabitantium turba deseruit, domos clausas ingrediens nullus aperuit, plateas et compita enormis tenuit solitudo, sublato cive vacuata murorum patuit amplitudo. Quæ autem miseria hujusmodi solitudinem vel silentium operetur, adhuc in eodem Isaiæ capitulo non tacetur. « Deserta est, inquit, omnis lætitia, translatum est gaudium terræ. » Desertam lætitiam, translatum gaudium sequitur mœstitudo, ad quam æquanimiter tolerandam nulla civium suppetit fortitudo, sed ipsum locum velut testem tristitiæ abhorrens illorum impatiens ægritudo, volens nolens deserit, et eis deserentibus civitatem obtinet solitudo. Si quis autem vel sponte propria, vel prædonis cogente violentia in eadem residuus fuerit civitate, si locum incolucrit enormem inhabitantium raritate, non tamen laudes garrulas, non triumphale præconium decantabit, non celeuma calcantium, non dulces modulos personabit; sed instantem miseriam, quam desolata civitas patietur, civis compatiens luctu et silentio prosequetur. Os enim quod ad ista solvente lætitia diffusius aperitur, tristitia coarctante superdicti mole quasi lapidis operitur, et vox cæco reclusa tumulo sepelitur, et in sepulcro, silentii quadam velut somni gravedine consopitur. Nam sicut lætitia reddit vigiles ad loquendum, sic nimirum tristitia somno prægravat ad tacendum : et hæc dormitio non ægros reficit ad profectum, sed eos afficit, affectos projicit in defectum. Cujusmodi dormitione apostoli aliquantulum gravabantur, cum in Christi passione timore et tristitia solvebantur, qui cum ad evitandum malum imminens, non possent effugium invenire, defectu languido gravi silentio coacti sunt obdormire. Sic Matthæus habet : « Venit ad discipulos et invenit eos dormientes. Et dicit Petro : Sic non potuistis una hora vigilare mecum. Vigilate et orate (*Matth.* xxvi). » Et infra : « Venit,

inquit, iterum, et invenit eos dormientes, erant enim oculi eorum gravati (*Matth.* XVI). » Videtis quia importuna discipuli gravedine deprimuntur, qui alacres vigilare debuerant in somnum desidem resolvuntur, qui clamosum orationis præsidium debuerant fortiter obtinere, damnoso silentio inveniuntur pœnaliter subjacere. Unde autem processerit hujusmodi silentium, sive dormitio, Lucas evidentiori declarat indicio, brevique versiculo et pœnæ subsequentis certam originem, et præcedentis culpæ damnosam monstrat propaginem. « Invenit eos, inquit, dormientes præ tristitia (*Luc.* XXII). » Tanta illos tenebat tristitia, cum vitæ præsentis immineret amissio, et æternæ vitæ nondum perfectius eos foveret promissio, ut gravatis interioribus oculis in torporem somni noxium declinarent, et fide læsa, spe quassata, gravi silentio laborarent. A quo somno vel silentio prudens eos et benevolus magister nititur removere, verbo bono, verbo eos consolatorio refovere, ut ad statum salutis medicinali remedio reducantur, ne irremediabili 654 pertinacia in tentationem proximam inducantur. « Vigilate, inquit, et orate ne intretis in tentationem (*ibid.*). » Ne inchoata, inquit, dormitio, ne grave silentium vos seducat, ne in tentationis profundum irremeabile vos inducat, vigilate instantius, qui stertere necessarium non habetis, orate vigilantius qui pœnaliter conticetis, pulsa procul somnolentia surgite qui jacetis. « Surgite, inquit, et orate. » Qui enim apud Matthæum et Marcum dicit : « Vigilate et orate (*Matth.* XXII ; *Marc.* XIV), » apud Lucam dicit : « Surgite et orate (*Luc.* XXII), » plane innuens quia qui sic dormit, jacens gravi lectulo detinetur, qui autem surgit somno degeneri, pœnali silentio non urgetur : « Surgite, inquit, et orate ne intretis in tentationem. »

CAPUT XCIV.

Qui sollicitus in tentationem non refugit introire, ad illam confusionem pede lapso miser cogitur devenire, in quam quisque perditus invenitur perenniter obdormire, dormiens, eo, de quo sermo est silentio deperire. De qua per Isaiam : « Ecce, inquit, servi mei lætabuntur et vos confundemini (*Isa.* LXV). » « Et ipsi pessimi, per Jeremiam, dormiemus, inquiunt, in confusione nostra, quoniam Domino Deo nostro peccavimus (*Jer.* III). » Quoniam in peccando perversi quique malitia vigili diffunduntur, in sustinendo pœnas districto judicio confunduntur, et in ipsa confusione somno gravi perenniter obdormiscunt, dum nec a pœnis feriantur nec a malitia resipiscunt. Tanto quippe veneno malitiæ sunt imbuti, tam suavi et tam grato peccandi lenocinio delibuti, ut sensu quasi perdito in ebrietatis cujusdam voraginem demergantur, demersi et subversi in ejusdem subversionis pertinacia sopiantur. Cum enim devoluti in profundum peccatorum impii non resurgunt, cum depressi pœnarum gravedine ad sperandum quidquam melius non assurgunt, cum in lacum lapsi miseriæ, non appetunt divinæ misericordiæ remisi, quid nisi dormientes volunt ve. nequeunt expergisci? De qualibus per eumdem Jeremiam Dominus : « Inebriabo, inquit, eos ut sopiantur et dormiant somnum sempiternum et non consurgant (*Jer.* LXI). » Et paulo infra : « Inebriabo principes ejus, et dormient somnum sempiternum, et non expergiscentur (*ibid.*). » Videtis quid iratus Babylonis judex severior comminetur, et quo fine indurato illorum malitia consummetur, videlicet ut inebriati somnum dormiant sempiternum, hoc est, sub pœnali silentio sepeliantur perenniter in infernum. Denique civitas Babylon, cujus principibus hujusmodi pœnam judex asserit imminere, in Scripturis divinis typum inferni dicitur obtinere, et huic typo invenitur ipsa illius interpretatio nominis convenire, quia Babylon *confusio* dicitur, quam in inferno est præcipuam invenire. Cum enim inter cætera quæ suo omnia debent obsequium conditori, angelus et homo semper et ubique laudes præcipuas debeant Creatori, intra claustri inferni violato jure, ordine perdito, in tantum omnia sunt confusa, ut a divinis laudibus inveniatur vox simul omnium interclusa, et silentio tam gravi deprimitur illa tot millium multitudo, tanquam illius atria regionis vasta teneat solitudo. Nam quia inter illos nulli cura penitus et virtutis, nulli viventium aliqua spes salutis, quem non sentiunt virtutis et justitiæ largitorem, non attollunt grato præconio Salvatorem. De qualibus Amos propheta : « Multi, ait, morientur, in omni loco projicietur silentium (*Amos.* VIII). » Quo contra de justis David : « Vox, inquit, exsultationis et salutis in tabernaculis justorum (*Psal.* CXVII). » Scientes et sentientes justi quam magna sit divinæ dulcedinis multitudo, quam multa quam suavis ejus benevolentiæ magnitudo, exsultant ei qui eos de virtute provehit in virtutem, qui provectis et subvectis ad virtutum fastigia dat salutem. Qui recepti intra illius arcana salutiferæ mansionis, in qua gaudent de adepta divinæ gloria visionis, quæ vident, quæ audiunt silentio degeneri nolunt vel nequeunt obscurare, sed triumphali cantico affectuosis laudibus diligunt illustrare. De qualibus Isaias : « Venient, inquit, in Sion cum laude et lætitia sempiterna super capita eorum (*Isa.* XXXV). » Sion illius est excellens eminentia civitatis, in qua justi speculantur æternæ magnificentiam deitatis, in qua juxta David Deum deorum videre conceduntur, quorum videndi præmia meritis congruentibus præceduntur ; videntium autem capitibus, hoc est, eorum diffusis mentibus lætitia superfunditur sempiterna, et indefessis eorum vocibus gratanter effunditur laus æterna ; dum ejusdem Sion muros vident salutis munimento plenius occupari, portarum introitus seris et vectibus laudabiliter confortari. Quod eidem Sion Isaias prævidens, ait : « Occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio (*Isa.* LX). » Attendentes cives Sion muros ejus nullis molestiis infirmari, sed eorum diffusa spatia invicto salutis præsidio confirmari, eminentes ejus portas gaudent laudum titulis insignire, a quibus sicut

nullus semel intromissus compellitur jam exire. sic A easdem nullus conceditur adversarius introire. Ipsum vero auctorem et præsidem munitæ civitatis, in medio, residentem in throno regiæ majestatis, qui amator civium suæ eos beat participio deitatis, fulgentes velut solem, longe ipse supra solem gloria sanctitatis; ipsum, inquam, pariter **655** laudant, glorificant, reverentur, ipsum amant, ipsi clamant, ipsi indefessis vocibus confitentur. Denique prophetarum ille nobilissimus Isaias, in anno quo mortuus fuerat rex Ozias, Dominum in excelso vidit solio residentem, eique residenti cœlestium turbam spirituum confitentem. « Sanctus, inquiunt, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus (*Isa.* VI). » Unde et nos cum altari assistentes pro nostro laudes B modulo decantamus, nostras cum illis voces admitti postulamus, et idem : Sanctus, sanctus, sanctus diligimus iterare, et vel in hoc nos infimos illis superioribus conformare. Ille quippe Creatorem, et Dominum suum quasi medium circumstantes, et de ejus visione ineffabiliter exsultantes, iidem sua ipsorum salute et gloria sunt securi, non casum, non timorem, non aliquas ultra molestias perpessuri. Laudant igitur cum cujus tantum meruerunt beneficium obtinere, cujus frui præsenti gloria, sequentem iram, vel judicium non timere, quem in sui medio sic vident, sic desiderant et videre, ut ab eo nolint ad alia non oculum non desiderium detorquere. Ad quos nimirum circumstantes ille medius sic habetur, C sic excellens illius visio cunctis undique plenariter indulgetur, ut pariter æternitas conferatur, quamvis alter ab altero stellarum more in gloria distinguatur. Quos alloquens Isaias adeptos lætam et glorificam visionem, ejus videlicet qui in ipsis gratam sibi dignatur facere mansionem : « Exsulta, inquit, et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus (*Isa.* XII). »

Sion propheta cœlestem illam curiam voluit nominare, in qua suus rex et auctor gaudet præsentialiter habitare, quæ semper illum videns, semper etiam videre concupiscit, nec desiderio satietas nec satietate desiderium defetiscit. Ob hoc autem illum in ejusdem Sion non parte, non angulo, sed in ejus medio dicit esse, quoniam ad omnes ibi positos pro- D pheta sic intelligit præsto esse, ut non quasi deserens alterum alteri se inclinet, et propinquans alteri, ab altero non declinet. Cunctis quippe astantibus Deum æque, et Dominum se ostendit, ad protegendum cunctos misericordi potentia vel potenti misericordia se extendit, nullis procul, cunctis prope vitam eis largitur omnibus non diurnam, sed plena manu, æqua lance, sine termino diuturnam. A cujus æqualitate beneficii si quamlibet in patrem vel ad modicum declinaret, profecto ad ruinam partem alteram inclinaret, et sicut appropinquans aliis, eos quasi familiarius conservaret, sic elongans ab aliis, eos districtius condemnaret.

CAPUT XCV.

Quod nimirum in primordio rerum videtur mi et mirando judicio contigisse, cum alios ab aliis invenitur Deus angelos discrevisse, et declinans ad istos intra suam eos gratiam solidius admisisse, longe factus ab illis suo tantum eos arbitrio dimisisse. Qui dimissi, dimittenti cum nec possent nec vellent adhærere, inventi sunt casum irreparabilem sustinere, et subducta interiore columna, cui tenacius inniti debuerunt, instar lapidum dissoluti in profunda noctis extrariæ corruerunt. Illi vero qui per gratiam intra secretarium conditionis primariæ remanserunt, conditorem suum sic in medio sui extunc et deinceps recepérunt, ut eis ille fieret velut columnæ prorsus indeclinabilis fortitudo, et ei cohærerent velut coronæ indissolubilis pulchritudo. Quicunque autem justi de vitæ hujus ergastulis auferuntur, evecti ad cœlestia eidem coronæ tanquam vivi lapides inseruntur, et adjuncti angelis Deum in sui medio revelata facie contemplantur, pulsaque omni molestia consummato desiderio securi gloriantur. Quos intuens prophetico plenus Spiritu Sophonias, ad lætandum et laudandum monet eos quemadmodum Isaias, ut scilicet cum Deum medium teneant, tantum gaudeant et videre, huic tanto gaudio laudes curent debitas adhibere. « Lauda, inquit, filia Sion, lætare et exsulta, filia Jerusalem : Dominus in medio tui, non timebis malum ultra (*Soph.* III); » et infra : « Dominus, inquit, Deus tuus in medio tui, fortis ipse, salvabit (*ibid.*). » Et si pridem plerique angeli de cœlesti solio ceciderunt, unde et reliqui timere casum similem potuerunt, jam tamen eisdem residentibus abundantiore gratia confirmatis, nullum malum, nullus superest timor, vel angustia gravitatis. Scio et homines qui fidei amore, quam dum hic viverent, sunt professi, tam in carne quam in spiritu multa, et gravia sunt perpessi, cum soluti a vinculis in illa cœlestis curiæ atria rapiuntur, ubi velut campo liberiore, voluntatis latitudine perfruuntur : nimirum nullo jam malo, nullius mali timore quatiuntur, illius beati visione quem medium affectuosis nexibus amplectuntur. Illi ergo tam angeli quam homines, læti consortio unius mansionis, beati, ut prædictum est, adepto beneficio divinæ visionis, illa cœlestium civium consona multitudo, illa regiæ civitatis munita celsitudo, recte ad laudes et cantica prophetarum monitis invitatur, quia regem sæculorum in decore suo videre gratulatur, quia ille medius sic unire et munire suam diligit civitatem, ut omnium convenarum nulla turbet adversitas unitatem, ut ope **656** conditoris, et libera semper a peccati contagio vel læsura, et ab omni perturbatione in perpetuum sit secura.

CAPUT XCVI.

Nec solum angelis et hominibus in cœlesti jam curia congregatis, sed etiam præsenti Ecclesiæ sic præsentat suæ benevolentiam deitatis, ut inter illos quorum disponit tenerius misereri, ad tuendum et consolandum eos inveniatur medium se fateri. Per

Zachariam prophetam : « Reversus sum, inquit, ad Sion, et habitabo in medio Jerusalem, et vocabitur Jerusalem civitas veritatis (*Zach.* VIII). » Sicut beatorum multitudo quæ in cœlis Deum videre gratulatur, Sion vel Jerusalem propter ipsam videndi gloriam appellatur : sic nimirum et præsentium justorum collectio, quæ in terra pressurarum adhuc molestiis fatigatur, in Scripturis sanctis appellatione simili nuncupatur ; quia una est civitas, cujus nonnullos cives constat in cœlestibus jam regnare, nonnullos vero adhuc in terra pressuris et tunsionibus laborare. Istos autem de fornace Ægypti ferrea, de vitiorum tenebris, et gravi servitio, de medio perditæ Babylonis, ubi multa vivendi confusio, divina bonitas educit, et inducit intra suæ sanctuarium veritatis, ut relicto errore devio teneantur amore salutiferæ sanctitatis, et quæ prius dum vitiis deserviret Ægyptus vel Babylon merito dicebatur, fit Sion vel Jerusalem; dum jam Deum spe et desiderio speculatur. Quibus etiam Deus propitius gaudet se medium exhibere, dum illos sibi facit affectu indeclinabili cohærere, dum sic eos in virtutem provehit de virtute, ut eorum tam opus quam intentio nusquam deviet a salute. « Qui enim in uno offendit, reus est omnium (*Jac.* II). » Qui diversis et adversis ad invicem operibus exercetur, et in altero, quasi Deo placens, in altero eumdem offendere non veretur, hic profecto Deum habere medium non habetur, qui abhorrens quod malum est, bonis propior adhibetur. De qualibus per Jeremiam : « Prope est, inquit, ori eorum, et longe a renibus eorum (*Jer.* XII). » Ori eorum Deus quasi miserans dicitur propinquare, quos ad loquendum justa diligit informare, ut et divinis laudibus inveniantur studiosius inservire, et verbo veritatis fide sana proximos erudire. Cæterum a renibus eorumdem longiuscule removetur, cum soluto castitatis cinctorio, luxuriæ lenociniis instructum et bene compositum os honorat, ori non conveniens, renum inconvenientia decolorat. In medio igitur horum Dei præsentia non habetur, quos omni ex parte æquali custodia non tuetur, in ore quorum ponit verbum fidei vel doctrinam, sed lumbi eorum non satis redolent disciplinam. Magnum itaque beneficium illis Dei dignatio repromittit, quos intra suæ dilectionis sanctuarium sic admittit, ut in eis ea bonitate, quæ sua est, dicat se medium habitare, ne scilicet hac vel illac inveniantur reprehensibiliter declinare. « Habitabo, inquit, in medio Jerusalem, et erit Jerusalem civitas veritatis. » Sicut ea in qua Deus habitare districto judicio dedignatur, confusæ falsitatis recte civitas appellatur, sic nimirum ea dici veritatis civitas promeretur, in qua, imo in cujus medio habitare ipse qui est veritas perhibetur (*Joan.* XIV). Deus quippe veritas est suo ipsius testimonio veritatis, qui ejus quam inhabitat conversam multitudinem civitatis invitat sollicite, ut exsultans ei laudum personet melodiam, sicut longe superius apud eumdem legitur Zachariam? « Lauda, inquit, et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio et habitabo in medio tui (*Zach.* II). » Videtis quoniam ad lætandum et laudandum Scripturæ testimoniis invitantur, tam qui in terra vident per speculum, quam qui in cœlo revelata facie contemplantur; quia ab omnibus Sion vel Jerusalem civibus vult laudari, qui eorum medius sua eos præsentia pariter vult salvari.

A quibus laudibus cives Babylonii prohibentur, et velut intercluso vitali spiritu sub silentio cohibentur, ut cum boni esse desierint perversæ vitio voluntatis, a bonis quoque sileant divinæ legibus æquitatis. Unde in psalmo districte Deus arguit peccatorem, et a præsumpto justorum officio justitiæ retrahit contemptorem, ne scilicet lingua procaci laudes personet vel doctrinam, cum vita et moribus salutarem negligat disciplinam. « Quare, inquit, tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? tu vero odisti disciplinam (*Psal.* XLIX). » Non vult Deus suas justitias laudabiliter enarrari, a quo sentit eas commendabiliter non amari, nec linguæ illius verbosum remedium vult conferri, cui vitæ merito pœnas debitas vult inferri. Quo contra paulo supra in eodem psalmo populum suum Israel dignatur consolari, et eum a silentio revocans, ad laudis præconium diligentius exhortari, ut quem Israel terso mentis oculo conceditur dante gratia contemplari : « Audi, inquit, populus meus, et loquar Israel : non accipiam de domo tua vitulos, sed immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua (*ibid.*). » Quem sua visione dignatur Deus misericorditer munerari, ut contemplandi merito dignus sit Israel appellari, cum non vult sub otioso silentio turpiter feriari, sed acceptorum memorem, gratis laudibus occupari. Cives autem Babylonios, quorum oculi et inpræsentiarum fumo putei tenebrantur, et postmodum in ipso puteo tenebris inevitabilibus excæcantur, qui et hic conversantes non cœlestia diligunt, non invisibilia digne sperant, et in sua illic malitia desperatione ultima perseverant; hos, inquam, divina æquitas ad immolandum sibi laudis sacrificium non hortatur, non eorum os aperit, non apertum implere gratulatur, sed quorum opera, eorum et præconia pariter exsecratur, et quorum vita mala et pertinax depravat intentio, os eorum, ne bona proferat, claudit silentio. Cujusmodi silentium, quo, ut diximus, silere compelluntur qui a bonis proferendis mali districtius repelluntur, hic plerumque habet initium, illic procul dubio consummatur, et sepultis in inferno portis, seris, vectibus confirmatur. Etsi enim dum hic vivitur plures mali bona dicere permittuntur, et dæmones in Evangelio bona verbo, mala moribus eloquuntur, tamen tam isti quam illi cum in lacum infernalis miseriæ devolvuntur, tantis angustiis, doloribus, tenebris obvolvuntur, ut velut pressi mola

irremediabiliter atterantur, et attriti graviter æterno silentio teneantur. Ipse quoque Deus apud tales silere perhibetur, ne merito laborantes suo saltem alloquio consoletur, quia quos pœnali silentio sine remedio vult torqueri, non vult eos quovis alloquio refoveri. Quod intuens Propheta : « Ne sileas, inquit, a me, ne quando taceas a me et assimilabor descendentibus in lacum (*Psal.* XXVII). » Cum eo, quod ipse novit, consilio Deus delinquere nos permittit, cum in nostra nequitia induratos diutius nos dimittit, cum nos ad pœnitentiam non retrahit, non revocat, non hortatur, nón denique beneficio visitantis gratiæ consolatur; profecto a nobis silere vel tacere culpis exigentibus invenitur, dum nostra miseria nullum ejus beneficium experitur. Quo tacente, descendentibus in lacum miseri similamur, ibique laborantibus damnata similitudine comparamur, et, si Deo indurato ejus deinceps visitantem gratiam non sentimus, ad illorum tandem consortium in ejusdem locum miseriæ devenimus. In quo lacu turba misera dolore misero cruciatur, et sicut non auditæ, sic nec prolatæ vocis remedio levigatur, quia nimirum miser qualicunque fruitur lenimento, si vel vocem habere conceditur in tormento. Unde quidam ethnicus : « Heu, inquit, dolor quam miser est qui in tormento vocem non habet! » Et per Ezechielem Dominus : « Non planges, inquit, neque plorabis et non fluent lacrymæ tuæ, ingemisce tacens (*Ezech.* XXIV); » et infra : « Non plangetis neque flebitis, sed tabescetis in iniquitatibus vestris (*ibid.*). » Videtis istos interius dolores miseros sustinere, et tamen in doloribus conticere, intus ingemiscere, tabescere nequius et torqueri, et tamen a planctu et lacrymis prohiberi, ne si vocem in tormento, si planctum in dolore proferre concedantur, continua digni miseria, vel tali solatio potiantur. Cum enim infirmus quilibet dure premitur a potente, nullo ejus merito, nulla potentia resistente, profecto qualecunque conferri sibi remedium arbitratur, si punitori suo vel laudes placitas, vel preces querulas offerre concedatur. Si vero potens et torquere male meritum non omittat, et tamen eum loqui penitus non permittat, gravis dolor sævius et intolerabilius ingravescit, velut cum negato omni spiraculo accensus clibanus exardescit. Unde Propheta : « Pones eos, inquit, ut clibanum ignis in tempore vultus tui (*Psal.* XX). » Recte Propheta illos ut clibanum dicit uri, qui clauduntur in inferno nullum remedium inventuri, quorum passio tantis est angustiis circumclusa, ut non solum a remedio, sed etiam a spe remedii sit exclusa. Et quia nullo se remedio, nulla spe remedii sentiunt levigari, ejus, qui liberare poterat, jam nec desiderant recordari, et cujus grata memoria non tenentur, velut nescientes eum, ei nullatenus confitentur. Quod innuens prædictus David : « Non est, inquis, in morte qui memor sit tui (*Psal.* VI). » Et adjunxit : « In inferno autem quis confitebitur tibi? » (*Ibid.*) Ac si dicat : Quia in morte sua memor tui mortuus non habetur, in regione mortis quis tibi mortuus confitetur, cum tibi nisi vivens non possit confiteri, nec digneris nisi confitentium misereri? « Non mortui, ait, laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum (*Psal.* CXIII). » Et illud : « Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam? » (*Psal.* XXIX.) Quos instar pulveris dissolutos a facie solidioris terræ projicit furens ventus, et morte morientes in profundum inferni judex præcipitat violentus, eos idem judex severior non sinit vel mutire, sed tanto premit silentio, ut in tormentis suis dicantur obdormire. Sicut enim supra, per Jeremiam dictum est, quos ira divina inferiorem projicit in infernum, jam non evigilaturi somnum dormiunt sempiternum, et in eodem somno tot pressuris et doloribus angustantur, ut nihil ultra boni sperent, vel diligant, vel loquantur. De quibus Anna : « Impii, ait, in tenebris conticescent (*I Reg.* II). » Quia vero illic apud eos silentium a bonis consummari penitus invenitur (sicut longe expressius novit quisquis illud præsentialiter experitur) cum loquendo, illuc ventum sit, nobis tandem de eodem silentio est silendum, et silendo, quod suum est, illis præsentibus relinquendum

658 CAPUT XCVII.

De silentio a malis noxiis.

De quarto autem silentio, quod esse a malis in capite responsionis hujus asserui, et eorum velut texens catalogum, in ordine postremum constitui, jam a tribus explicitus de quibus utcunque disserui, locus tandem vel tempus exigit ut disseram sicut proposui. Sicut enim a bonis, sic et a malis silentium est. Mala autem sunt, quæ vel noxia vel tristia sunt. Noxia quidem nostræ bellum inferunt sanctitati, tristia vero sunt obviantia voluntati. Primum igitur de noxiis videamus a quibus quomodo silere debeamus, ut cum hoc instructi fuerimus documento, silere valeamus divini muneris adjumento.

Divina lex in lucta obedientiæ volens hominem exerceri, exercitii merito de bono in melius promoveri, sicut præcepit ut explere studeret indicta, sic præcepit ut penitus respueret interdicta. Quæ autem jussa sunt fieri, bona voluit appellare, quia vidit ea suo jubentis placito concordare, quæ vero jussit non fieri, mala econtrario nominatur, quia eidem imperanti non satis placita judicantur. Illis ergo voluit eum quem fecerat Deus insistere, ab istis vero prorsus desistere; ad illa complenda eum esse vigilem, loquacem, actuosum, ad ista vero, quiescentem, tacentem, otiosum. Unde cum Abel innocuo Cain perfidus invidisset, et accepto illius, suo autem non accepto munere ejus facies concidisset, ait ei juxta translationem aliam Dominus : « Peccasti, quiesce (*Gen.* IV); » ac si dicat : Si mente scelus tractans, quod nondum in verbum et operam perduxisti, jam tumultum intolerabilem serenis meis auribus intulisti, vel modo reus cogitati facinoris erubesce, et confusione confusus modesto sub silentio jam quiesce. Denique longe post per Jeremiam

quidam argui meruerunt, qui non confusi confusione, erubescere nescierunt. Sicut enim frons impudens vel cor irreverens præceps decurrit in vitium, sic nimirum modesta confusio parit silentium, dum pœnitens tumultuantem cordis malitiam jam deponit, et confusus quidquam simile prorsus agere non apponit. Recte ergo peccatorem invitat Dominus ut quiescat, ut post cogitatum facinus pœnitens erubescat, ne iterata culpa velut in fasciculum congeratur, et intolerandus clamor divinis auribus ingeratur. Cujusmodi consilium perditionis filius non audire obduratus malitia revocant, non curavit humiliter obedire, sed desperatione desperans et quasi abrenuntians monitori, vinctas manus offerens, totum se exposuit deceptori. Quod verbo insinuans, ait : « Major est iniquitas mea quam ut veniam merear (*ibid.*). » Suam iste iniquitatem, quam Dei bonitatem, majorem asseverat, et indutus sensu devio a salute et venia jam desperat : et ob hoc quietem congruam utile silentium assumere non proponit, sed magis inquietum, vagum et profugum se exponit. « Ero, inquit, vagus et profugus super terram (*ibid.*). » Vagus et profugus miser miserrime tunc habetur, cum undique desertus a gratia, solo vitio non tenetur, sed habenis solutis per multa et varia circumfertur, nulli valens resistere, cunctis persequentibus antefertur. Induratus nequitia ad omne revocantis consilium obstinatus, non recordans veniæ, morti perditæ destinatus, ad omnem flatum vel impulsum cujusque pravitatis fertur ut stipula, raptatur ut palea, suæ vitio levitatis. Quod velut confirmans subjungit : « Omnis qui invenerit me, occidet me (*ibid.*). » Omnis qui hujusmodi peccatorem invenit, perhibetur eum occidere, dum invenientis violentia compellitur miser concidere, dum quæcunque illum passio impetit oppressiva, ille nescius evadendi mente perditus deceptiva, colla præbet gladio, terga vulneri fugitiva. In qua victoria, qua non solum victor, sed et victus voti se compotem arbitratur, et de sua perditione correptus interna phrenesi gratulatur, non quies a malis, non commendabile silentium celebratur, sed languore insanabili læsa conscientia debacchatur. Et cum vocem nefariam producit malignitas exactoris, et eidem voci responsio consonat auditoris, hujusmodi consensio, imo collisio strepitus gravioris clamorem durum ingerit serenis auribus Creatoris.

Exactor quidem ille est, qui nobis suggestionem pestiferam insusurrat, et si huic susurrio nostra vigilantia, imo divina cito gratia non occurrat, quibusdam lenociniis suasor veneficus illud satagit irrigare, et diligenter focum facit, velut surculum, germinare. Quod de malo proficiens in pejus paulatim coalescit, perversæ coalescens instar arboris invalescit, invalescens festinat adeo rambos patulos dilatare, ut in eis inveniantur cœli volucres, id est maligni spiritus habitare. Exigit autem ille qui suggestionem nobis ingerit tam fecundam, ut qui primam ejus vocem audierit, audiat et secundam, et sic deinceps ejus locutio usque in clausulam audiatur, donec ad perfectum damnationis ruina irrevocabili veniatur. Si enim perpendit quod motu primo animus seducatur, statim ab eo exigit ut in opus suggestio producatur, consequenter ut operi consuetudinem, velut **659** cumulum superponat, ui sic roboratum ædificium levis, imo quævis ultra impulsio non deponat. Quod enim viderit primæ suggestioni enervem animum adhibere, in hoc videtur sibi jus quoddam proprium obtinere, et prædictum suum ordinem suis legibus institutum, ab eo qui esse cœpit suus, gradatim exigit in tributum. Miser uterque. Sicut exactor, sic auditor obediens accusatur, a quo nihil venenosum, nihil noxium recusatur, sed cum primæ voci aurem pronam dederit negligenter, hostis jam prævalens ab eo consequentia exigit violenter.

CAPUT XCVIII.

Qualis invenitur prima illa mulier exstitisse, quam voce subdola serpens legitur seduxisse, et illa virum uxorium ad culpæ consortium induxisse, et sic ambo perversum consilium ad finem nefarium perduxisse. Qui quoniam ad primam vocem exactoris a justitia defecerunt, nos longe post futuros, æque miseros effecerunt, et maledictio quæ illis voluntarie promerentibus est infusa, in nos etiam nolentes lege mirabili, vel magis miserabili, pœnaliter est infusa. Quæ sic nostram invenitur naturam miseram præpedire, ut jam illum exactorem, aut non, aut vix possimus non audire, et cum ab ejus laqueis facile possent primi homines resilire, nos ab eis jam non possumus, nisi cum gravi lucta, gressus labiles expedire. Cum autem absente gratia non possumus, vel nolumus, luctando proficere, exactor invalescens nos invalidos cogit deficere, et pro suo loquens arbitrio, studet mala, eo apertius, quo fiducialius suadere, et nos captivati non solum non renuimus, sed et diligimus consensu damnabili respondere. Quæ responsio nonnunquam adeo perstrepit, adeo debacchatur, et juxta libitum corruptæ voluntatis profectu misero cumulatur, ut ex proximis grave exempli contagium ingeratur, et usque ad Dei aures clamor intolerabilis perferatur.

Cujusmodi clamor eo tempore graviter est auditus, quo populus Sodomorum inconcessa fervens libidine, ad explendum eam nequiter expeditus, ad fores justi Lot festinavit uno velut exercitu congregari, transgressis verecundiæ finibus, volens abusive novis hospitibus copulari.

Quem cum intus attentaret malitia revocare, et ei tumultuanti duas, quas habebat, filias præsentaret, nullo modo ille perditus acquievit consilio saniori, sed augens violentiam, et clamorem multiplicans, instanter institit proposito nequiori. Mira perversitas! Perversi illi honestius justi consilium audire noluerunt, nec unius noctis hospitibus parcere voluerunt, tanto furore appetentes prorsus illicita, ut ea respuerent, quæ, etsi non divina lex, tamen naturalis ordo reddebat licita. Sed enim angeli quibus munditia cordi erat, tantam impudentiam non

ferentes, bestiales viros violentiam justi foribus inferentes, gravi cæcitate, ne inveniri posset aditus, percusserunt, et inde recedentes velut de pedibus pulverem excusserunt. Neque hoc satis divinæ visum est æquitati, quæ miserans et parcens humanæ diutius pravitati, ad reddendum par pari tandem accingitur vel invita, cum ad calcem illa pervenerit, non minis, non precibus, emollita. « Clamor, inquit, Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est : descendam et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non (*Gen.* XVIII). » Vult æquus judex sceleratorum vitia sic punire, ut adversus eum nullus justa possit querimonia vel mutire, ut, antequam inveniatur illorum perditio definiri, eorum possit malitiam quasi præsentialiter experiri. Descendens igitur in duobus angelis civitatem nefandam ingreditur, et ad domum justi Loth invitatus, ut hospes digreditur, ad quam, ut prædictum est, a puero usque ad senem cives Sodomæ confluxerunt, et ea, quam audistis, cæcitate percuti meruerunt. Verum quia vitio abominabili toto erat corrupta civitas, ad puniendum tantam abominationem non sufficit illata cæcitas, et ultor severus falcem apposuit sic ad purum omnia noxia resecantem, ut non morbum solummodo, sed et de medio tolleret ægrotantem. « Igitur pluit Dominus super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de cœlo, et subvertit civitates has et universos habitatores urbium (*Gen.* XIX). » Merito, qui talis culpæ, tam inconcessi sceleris arguuntur, tali pœna irremediabiliter feriuntur, et iratus judex nihil sibi visus est invenire, quod abolendis tam nequam operibus posset aptius convenire. Nam quia ignis ardet, fetet sulphur, utrumque pariter copulatur, et imbrem inauditum super civitates miseras ultio jaculatur, quas et verecundia procul pulsa libido irreverens accendebat, et transitis naturæ legibus, fetor luxuriæ polluebat. Quia fetori et ardori libido impudens est amica, suis quasi affinibus digne plectitur impudica, et quorum lenociniis solebat antea gratanter obedire, eorum aculeis tandem cogitur deperire. Sic nimirum censura districtior, sicut contrariis nonnunquam contraria, sic etiam similibus aliquando punit similia, et cum non vult diutius incompositos peccantium clamores sustinere, novit clamosos majestate gravis manus sub ingrato silentio cohibere. Illud tamen divina bonitas curare magis dignoscitur, ad hoc, sustinendo, **660** commonendo a vindicta volens reprimitur, ut dilata ultione peccator pœnitens erubescat, et a nequam vitiorum strepitu non tam coactus, quam spontaneus conquiescat. Propter quod per Isaiam admonens, ait : « Quiescite agere perverse, discite benefacere (*Isa.* I). » Nihil quippe gravius invenitur Dei auribus insonare, nihil eum amplius ad iracundiam provocare, quam mores perversorum felle nequitiæ depravati, vita irreverens clamosæ dedita pravitati.

Quandiu enim perversitas mentem gaudet principaliter possidere, occupare januas, throno ejus potentialiter insidere, tantus illic furor, tanto ibi lætitia celebratur, ut nihil salutiferum admittatur. « Qui lætantur, inquit Salomon, cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis. (*Prov.* II). » Hujusmodi lætitia vel exsultatio mentem cæcat, hæc vitalem spiritum prorsus necat, et cum mortuus non opere nisi mortuo delectatur, quæ sunt vitalia, quæ salubria, non sectatur. Ideo dicturus per Isaiam Dominus : « Discite benefacere, » præmisit. « quiescite agere perverse : » innuens quia si prius in animo ignis malitiæ non tepescit, si loquax lætitia, si clamosa exsultatio aliquantulum non quiescit, ad audiendum bonum, auris dura spinis obsita non patescit, ad discendum quod justum est, intelligentia negligentius obdurescit. Mens nimirum pravis desideriis inflammata et ad perditionem sui perversis operibus occupata, quandiu a proposito nulla pœnitentia resipiscit, magistris utilioribus non intenta, benefacere non addiscit. Denique cum quis alterum aggreditur ad docendum, primo eum invitat diligentius ad tacendum, quia sermo superfluus est docentis, cui non præstat silentium attentio diligens audientis. « Tacete paulisper, ait Job, ut loquar (*Job* XIII). » Et paulo supra : « Fabricatores, inquit, mendacii, utinam taceretis ! » (*ibid.*) Eos qui tam corde quam lingua fabricant falsitatem, zelo fervens justitiæ Job docere satagit veritatem, et præceptor bonus ad silentium provocat auditorem, ut silendo ille fructuosius audiat præceptorem. Quia enim mendacio nihil amplius obstrepit veritati, et clamosa iniquitas repugnat vel obmurmurat æquitati, bona docens, auditores a malis noxiis vult silere, sciens illa cum istis locum vel concordiam non habere. Et ne forte hoc dicens, et huic dicto moribus contradicens, dignus sit accusari, et consequenter inveniatur ejus doctrina dignius recusari, quales illos ad audiendum utilia vult habere, tales seipsum ad discendum similia diligit exhibere. Unde ait : « Non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit (*Job* VI). » Et longe infra : « Non loquentur, inquit, labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium (*Job* XXVII). » Sciebat justus vir quod cum iniquitas, stultitia, mendacium, silentio non premuntur, cum personant, cum perstrepunt, cum libertate noxia resolvuntur, auris obstrusa talibus verbum salutiferum non admittit, non doctrinam utilem ad sedem cordis intimam intromittit. Ob hoc sano fretus consilio sic illa noxia studet silentio cohibere, sic ab animo, a faucibus, a labiis longius removere, ut quieti optatæ non attentent vel non prævaleant obluctari, ut nullum obstaculum doctrinæ præbeant salutari. Spiritus quippe Dei quo sanctus iste interius eruditur, cujus dono et gratia e tumultu laqueorum forensium expeditur, eos non erudit qui nequiter, stulte, mendaciter diligunt verbosari, qui nolunt a laqueo venantium et a verbo aspero liberari (*Psal.* XC). Ab his enim doctor spi-

ritus non auditur, a quibus remotior culpis exigentibus invenitur, qui ab ipso, iniquitate media dividuntur, et respectu gratiæ tanquam ejus facie non fruuntur. Qualibus Isaias : « Iniquitates, inquit, vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis (*Isa.* LIX). » Quæ sit autem iniquitatum, quæ peccatorum moles, quæ inter illos et Deum schisma noxium operatur, ut nulla conventio, nullus ad invicem consensus habeatur, propheta insinuans subjungit : « Labia vestra locuta sunt mendacium, et lingua vestra iniquitatem fatur (*ibid.*). Cum lingua, cum labia inveniuntur silentium fastidire, cum fastidito silentio iniquitati et mendacio deservire, nimirum ad ea tumultuantia æquitas et veritas non curant devenire, et si forte venerint, a tumultu invento festinant citius resilire. Sicut juxta Evangelium : « Nemo potest duobus dominis deservire (*Matth.* VI), » sic ista diversa et adversa non possunt pariter convenire, et quandiu mendacium et iniquitas cordis obtinent principatum, æquitas non ingreditur ad idem cor, tam contrariis occupatum. Quod infra per eumdem Isaiam nonnulli inveniuntur asserere, qui post culpas, cum pœnas culpatum coguntur incurrere, agnoscunt et quo merito ad mala sequentia devoluti, et quæ mala præcedente merito fuerint assecuti. « Locuti sumus, inquiunt, de corde verba mendacii, et justitia longe stetit, corruit veritas, et æquitas non potuit ingredi (*Isa.* LIX). » Quia isti, ut aiunt, de corde mendacium sunt locuti, et abhorrentes silentium, malitiosis tumultibus obvoluti, ad eos inquietos appropinquare justitia non curavit, ad mendaces veritas, ad iniquos æquitas non intravit. Est enim inimica virtuti affectuum carnalium multitudo, mens tumultui dedita, læsæ conscientiæ turpitudo, quæ velut in platea occursantibus quibusque vitiis se exponit, et male obdurata, a forensi **661** strepitu quiescere non proponit. Quæ dum grata inquietudine ad obsequendum talibus elaborat, dum post gregum abit vestigia et pascens hædos misera se ignorat, sibi perditæ quidquam salutiferum quidquam utile jam non dicit, labori suo quietem vel silentium non indicit. Quam arguens Isaias : « In multitudine, inquit, viæ tuæ laborasti, non dixisti : Quiescam (*Isa.* LVII). » Via ejus qui perverse graditur, peccatum est, per quod quisque perditus ambulare et in ambulando non renuit laborare, et quo magis peccatum peccato superaddito cumulatur, eo magis viæ multiplicis labore gratulatur. Cujus viæ gratiosa, licet satis onerosa multitudo, quam sibi ille perditus coacervat, ipsum coacervantem gravi quadam mollitie, vel molli gravedine sic enervat, ut tanquam vitula grato labori deditus et trituræ, reddere captam mentem jam nec velit nec valeat quieti profuturæ.

De qualibus paulo infra idem Propheta : Impii, ait, quasi mare fervens quod quiescere non potest. Mare quod natura propria motum habet fluxum et labilem, quod nullo vel modo, vel tempore obtinere valet statum immobilem, cum tamen ejus superficies strata planitie decoratur, non fervere, sed quodammodo jam quiescere indicatur. Aliquando quippe ipsa ejus diffusio crispanti dorso placide coæquatur, a cujusmodi æqualitate, et æquor proprie nominatur, cum scilicet instar campi plana ejus superficies serenatur, et sereno æquore nauta grato navigio gratulatur. Cum vero eidem mari importuna supervenit ventorum incursio, cum undam prævia dure urget sequentis impulsio, cum turbata ejus planities in cumulos graves erigitur, et nunc velut in abyssum demersa, nunc emergens in altum porrigitur, tunc profecto ipsum mare tanquam ira dicitur commoveri, et sic fremens fremere, ut silentio non possit cohiberi.

A quo fremitu non jam æquor, sed fretum potius appellatur, quia æqualitate perdita, fervore tumido debacchatur, et ejus ira ventis urgentibus ingravescit, et facies turbulenta undis frementibus intumescit. Sic impii, cum accensi fervore fuerint vitiorum, et de malo in pejus gradatim corruentes in profundum venerint peccatorum, pressi et oppressi tumultuantibus lenociniis jam nec valent nec volunt quiescere, sed in suo fervore et fremitu, et coguntur et amant persistere. Qui enim deserenti gratiam voluntatis arbitrio depravantur, et non solum peccare, sed peccato peccatum addere gratulantur, cum multiplicatam culpam adversus Deum nequius indurescunt, nimirum a proposito facile non quiescunt. Unde et Dominus ad Job : « Nunquid, ait, qui contendit cum Deo tam facile conquiescit (*Job* XXXIX). » Homo qui cum Deo audet contendere, dum cervice tumida iterato eum præsumit offendere offensionum strepitu obduratus nescit quietis aditum invenire, gaudens foro et platea non potest pacis sanctuarium introire. Quod asserens præ lictus Job : « Quis restitit, inquit, ei, et pacem habuit? » (*Job* IX.) Si creatura Creatori peccando gaudet resistere et ad cumulum mali in sua duritia non timet persistere, ejus, in qua obduruit, nequitiæ non potest oblivisci, nec eam quam non diligit pacem, vel silentium adipisci. Quandiu enim quis peccare nequiter non veretur, et amore peccandi nec Deum timet, nec hominem reveretur, profecto quietem invenire, pacem assequi non meretur, carens ejus gratia, sine qua pax innocua non habetur.

CAPUT XCIX.

Quodpropter Eliphaz Themanites cum ad ipsum Job percussum et afflictum molestiis loqueretur, æstimans quod ille exigentibus culpis suis mala instantia pateretur, et inter patiendum procax et impatiens haberetur, honestum ei et salubre consilium visus est impertire, quo audito idem Job pacem posset et silentium invenire. Attendens quippe illum duris percussionibus cruciari, et multo magis arbitrans culpis eum interioribus prægravari, easdem illi culpas audet procaciter exprobrare, et se ipsum non satis inspiciens, virum innocuum graviter accusare. « Nudos, inquit, exspoliasti vestibus,

aquam lasso non dedisti, et esurienti subtraxisti panem, viduas dimisisti vacuas, et lacertos pupillorum comminuisti (*Job* XXII). » Quid autem horum malorum merito fuerit assecutus, et de malo in malum corruens, ad quantam inquietudinem devolutus idem Eliphaz insinuans subjungit : « Propterea, inquit, circumdatus es laqueis et conturbat te formido subita (*ibid.*). » Quia, inquit, Deum multipliciter offendisti, dum nil boni conferens, malum insuper egentibus intulisti : propterea obstinatione reprehensibili tanquam laqueis vel compedibus obligaris, ne ad pœnitendum, vel cognoscendum iniquitates proprias convertaris. Et qui antea stulte securus prosperitate transitoria lætabaris, nunc eadem perdita eventu subito conturbaris, et formidas adversitatem quam tibi sentis durius accidisse, qui futuram quam præsentem debueras prudentius timuisse.

Sic Eliphaz Themanites, sic justum Job turbatum æstimabat, sic ipse judicandus occultam ejus conscientiam judicabat, arbitrans illum culpas graves negligentius incidisse, et pace cordis penitus dissipata, Deo turbulentius restitisse.

Qui cum plane denotasset morbum durius **662** ingruentem, eidem morbo medicinam satis protulit congruentem, dans consilium quo dura illius perversitas evertatur, et tumultu sopito, ad pacem perditam revertatur. « Igitur, inquit, acquiesce ei et habeto pacem (*ibid.*). » Bene sensit Eliphaz quod internum recte silentium teneatur, quo vel modo vel ordine ad ejusdem pacem silentii veniatur, et super eo satis congruum mandatum, vel consilium protulisset, si cui proferendum fuerat, diligentius attendisset. Cæterum justus Job hujus consilio non egebat, quia mala super quibus injuste arguitur, non agebat, et silentium vel pacem intimam quam creditur non habere, constat eum tam gratia quam meritis congruentibus obtinere. Cujus conscientiam quia Eliphaz non subtilius introspexit, et cæcatus superbia non ejus innocentiam intellexit, consulto consulere, docere voluit doctiorem, et non satis sanus ipse doctrinam tamen protulit saniorem. « Acquiesce, inquit, ei, et habeto pacem. » Nimirum in pacis sane felici gremio non quiescit qui auctori Deo non diligentius acquiescit, nec digne a malorum tumultu noxio feriatur, qui ad audiendum verba illius non humiliter inclinatur. Quod propter subjungit : « Suscipe ex ore illius legem et pone sermones illius in corde tuo (*ibid.*). » Quoniam monuerat ut Job acquiesceret Deo, quomodo adquiescendum sit ei, adjungit, quia tunc et prudens doctor, et doctrina efficacior judicatur, cum non solum quid fieri, sed et quomodo debeat fieri, demonstratur. Ille autem ex ore Dei legem suscipere et in corde suo sermones illius ponere comprobatur, qui divina mandata et audit et audita tenerius amplexatur, qui ad cognoscendum ea auditu sollicito strenuus incalescit, et ad faciendum eadem interiore diligentia non tepescit. Quia vero non sola pax, sed diversa et multiplex invenitur, multam cujus diversitatem diversitas appetentium experitur, cujusmodi pax illa sit ad quam eo quod dictum est, itinere pervenitur, sermone sequenti evidenter satis et utiliter definitur.

« Si reversus fueris, inquit, ad Omnipotentem, longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo, eritque Omnipotens contra hostes tuos (*ibid.*). » Cum quis ad Deum devoto affectu revertitur, cum legem illius suscipit et in corde sermones amplectitur, a vitiis pacem, silentium a malis noxiis promeretur, a tabernaculo suo procul iniquitas amovetur. Tabernaculum nostrum, vel corporis vel mentis habitaculum perhibetur, quia et in corde vel corpore anima, et in mente intentio continetur, a quibus nimirum iniquitatem procul eliminat qui et mentem intentione prava, et opere carnali corpus non inquinat. Et tunc Omnipotens invenitur illius hostibus obviare, cum ab eo curat malignos spiritus repulsare, cum recessus mentis infusa gratia mundos efficit et serenat, et ab eis manu forti quidquid nequiter obstrepit, alienat. In hac pace vel silentio quietus delitescit qui Deo Creatori juxta verbum Eliphaz acquiescit, cujus mentem serpentina suggestio non seducit, fortem cujus spiritum ad explendum opus nefarium feminea mollities non inducit.

Nam cum fraudulenter cordi suggestio nequam illabitur, cum suggestioni multo nequior voluntatis consensus adjungitur, cum voluntas corrupta male proficiens datur effectui, cum ad profectum nequitiæ salutem suam peccator habet contemptui, profecto pax interna, mentis silentium perturbatur, et quasi mare fervens quod quiescere non potest, conscientia culpis tanquam undis excrescentibus debacchatur. Quod si forte aliquando hujusmodi peccator aliquantulum resipiscit, sit [et] timore concussus et [a] fervore noxio quiescere concupiscit, non tamen statim quietum potest silentium obtinere, non a collo vinculum, non a pede compedem removere. Cui totum enervi mollitiei se subjecit, cujus virus noxium tam primo quam secundo, tam tertio quam quarto non abjecit, hujus gravi jugo cervicem facile non subducit, quia, et si expellat illud, loro tamen consuetudinis readducit. In hujus peccatoris persona dolens Job loquitur, et de tanta miseria dure conqueritur, conquerendo insinuans quo lapsu, vel ordine nequitia consummetur, qua consummata silentium a malis facile non tenetur. « Quare, inquit, non in vulva mortuus sum? Egressus ex utero non statim perii? Cur exceptus genibus? Cur lactatus uberibus? » (*Job* III.) Primus peccati motus suggestio est, cum scilicet nostræ mentis puritatem diabolus tentans confundere, ei suum virus latenter præsumit infundere, ut infuso eo, mentis affectio seducatur, et affectus in effectum profectu noxio perducatur. Tunc autem velut in vulva semen concipitur, cum in corde suggestio maligna congeritur, et in vulva conceptionis peccator emoritur, cum suggestio proficere nullo prorsus assensu permittitur.

« Quare non in vulva mortuus sum? » Quare, inquit, suggestioni primæ obvius non processi? Quare semen injectum pede valido non oppressi? quare muscas occurrentes manu provida non abegi? et antequam peccato viverem, eidem mori potius non elegi? In secreto vulvæ mortuus peccator existeret, si male vivendi attendens initium, ei consilio prudenti resisteret, si contra motus primos tanta sese justitia cohiberet, ut peccato alludenti nullum prorsus colludium tanquam mortuus exhiberet. Si vero ad tergendum virus **663** injectum manum promptam non exerit, si primum semen nequitiæ quasi caput serpentis non conterit, nimirum suggestio in delectationem transire conceditur, et instar Evæ, sensus noster carnalis seducitur. In cujus seductione velut ex utero peccator egredi perhibetur, dum quod male conceptum fuerat, in pejus promovetur; dum semen nequam non solum læsione debita non marcescit, sed adjuncto delectationis irriguo nequius invalescit. Quem profectum in pejus vir prædictus recolens incidisse, dolens conqueritur in eo etiam non periisse attendens quia, et si mori noluit, cum in vulva secreto latuisset, vel perire debuit, cum jam ex utero processisset.

« Quare, inquit, egressus ex utero non statim perii? » Cum non in vulva, inquit, morte prospera sim oppressus, quare saltem non perii statim ut ex utero sum egressus, ut attendens periculum, et intelligens me periisse, id quod eram, perimerem, cui erat melius non fuisse? Unde in Evangelio : « Melius illi erat ut natus non fuisset homo ille (*Marc.* xiv). » Melius quidem erat semen nequam in vulva deficere, quam ex ea nascendo proficere, et tam natum quam conceptum verti melius, et non esse, quam malum cæteris, pessimum sibi esse. « Verte impios, ait Salomon, et non erunt (*Prov.* xii). » Felix cujus impietatem divina gratia sic evertit, cujus dorsum ab imminenti onere sic divertit, ut vel in vulva, cum recens est morbus, intereat, vel saltem egressus ex utero statim depereat.

« Cur exceptus genibus? » Cum fetus iste ex utero recens egreditur, et de primo ad secundum proficiendi gradum progreditur, si proprium actorem vel tunc invenerit inimicum, in ipso statim ortu velut manu perimitur obstetricum. Si vero auctor mali nondum ortum illius perhorrescit, sed ad provectum ejus pertinaciter inardescit, ad palpandum illud manus infelices, et tractantes mollius excipiunt suis genibus obstetrices. Post nefandum illud susurrium quod calliditas insibilat serpentina, post auditum nefarium, quo seducitur mollities feminina, uxorius ille Adam culpam mulieris non solum nulla castigatione persequitur, sed eidem blandienti enerviter victus obsequitur. Quod enim serpens nequam venenosa fraude proposuit, quod propositum mulieri seductæ complacuit, huic iste inductus mollem satis consensum attribuit, et ad explendum illud, sensus operarios tanquam in genibus fovendo supposuit. Sic etiam cum menti nostræ illabitur suggestio primitiva, cum ea delectatur nativa quadam mollitie sensualitas deceptiva, hujus non nunquam blanditiis ipsa quoque ratio, ipse spiritus infirmatur, et infirmati conniventia inchoatum præludium opere confirmatur. Devicto quippe spiritu, ad explendum opus nefarium universitas sensuum applicatur, ut per eos et in eis tanquam in genibus foveatur, ad expletionem cujus efficacem diligentiam non apponit, qui ad consentiendum illi concordiam sensuum tanquam genua non supponit. Sed utinam vel tunc laxas peccandi habenas coerceat, et extensum ad ulteriora appetitum nequam retineat, ut, si fetui noxio suppositis genibus consentiendi præbuit blandimentum, saltem non adjungat lactis infundere nutrimentum! « Cur, inquit, lactatus uberibus? » Ipse peccator sibi lactis alimoniam dicitur impertire, cum non solum ad explendam in corde nequitiam delectationi, diligit consentire, sed eidem consensui spem falsam, vel defensionis audaciam superponit, et in his pessime roboratus, peccandi propositum non deponit. Sic et Adam cum Evæ carnaliter sapienti, amore sociali obstrictus est, sensum attribuit et ad verbum illius, ori suo interdictum fructum apposuit, opere perpetrato non statim compunctus pœnituit, sed Deum credens non facile homini succensere, imo vero novæ causa conjugis delinquenti remissius indulgere, parvipendens quod egerat, cor suum negligentius induravit, et spe falsa delinitus in eo quod deliquerat, justo diutius perduravit. Simili forma longe post cum Sichem filius Emor Dinæ foras vaganti violentiam intulisset, et ei non satis forsitan reluctanti pudoris virginei flosculos abstulisset, ne corrupta pœnitens festinaret ab experto negotio resilire, ille prudens in talibus curavit tristem blanditiis delinire. Hujusmodi blanditiis delinitus Adam non solum nulla statim se pœnitentia reprehendit, sed a Domino requisitus, tumens audacia se defendit; tentans ei, quæ sibi data fuerat, mulieri culpæ jaculum intorquere, vel potius ex obliquo in eum qui dederat retorquere. « Mulier, ait, quam dedisti mihi, dedit mihi, et comedi. (*Gen.* iii). » Videtur Adæ quia, si mulier, vel si talis ei mulier non daretur, hujus transgressionis reus nullatenus haberetur, et ob hoc, justum æstimat ut non sibi reatus graviter imputetur, cum ab ipso datore causa quodammodo derivetur. Sic nimirum tam falsæ spei, quam defensionis tumidæ uberibus se lactavit, et sugens lac noxium in suo se proposito roboravit, et quod serpente suggerente mulier seductibilis non rejecit, huic ipse consentiens, robur consuetudinis superjecit. His quatuor modis vel gradibus intus in corde a justitia declinamus, et ad peccandum nequiter mentem miseram inclinamus, ut et si foris manus rea operis non videtur, tamen in cogitatione gradatim malitia consummetur. Quod attendens Dominus : « Auferte, **664** inquit, malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. « Non vult divina bonitas cogitatus pessimos intueri, qui nequam a progressu nullo freno sustinentes cohiberi,

qui de profectu festinantes irrevocabiliter ad profectum, in pejus proficere non desistunt donec veniant ad profectum.

CAPUT C.

Eisdem vero modis quibus in animo cogitationum malitia consummatur, peccatum quoque foris actualiter augmentatur, et peccator infusa tandem sibi gratia pœnitendi, conqueritur et deplorat gradus singulos delinquendi.

« Quare, inquit, non in vulva mortuus sum? *Job* III.) » In vulva quidem peccator vivere perhibetur, cum in absconso perpetrare opus illicitum non veretur, cum ejus, qui solus novit omnia, notitiam vilipendit, sed adhuc solos aspectus hominum non offendit. Quia enim vel pœnas pro peccato subire pertimescit, vel, etsi velit esse, videri tamen peccator erubescit; ob hoc vel furtum curat agere fraudulenter, vel mulieris non suæ copulam appetit, sed latenter, vel ad quodvis aliud perpetrandum nequiter inardescit, sed adhuc gaudens tenebris velut intra parietes delitescit. De quo in Evangelio: « Qui male agit, odit lucem (*Joan.* III). » Nonnunquam qui nullo vult obstaculo ab explenda nequitia cohiberi, curat sollicite ut possit ab hominibus non videri, et ut peccet magis secure, magis etiam confidenter, illorum testimonium refugit diligenter. « Quis me videt? ait quidam, tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me; quem vereor? » (*Eccli.* XXIII.) Intra hos parietes, intra vulvam, intra hoc latibulum peccator moreretur, si se mortuum humili pœnitentia fateretur, si divina gratia visitans misericorditer confessum peccatorem, et excitans velut a mortuis redderet justiorem.

« Quare non in vulva mortuus sum, vel saltem egressus ex utero non statim perii? » Si intra vulvam peccator vel peccatum latens non moritur, male proficiens velut ex utero vivens egreditur, dum quod ante in latibulo fiebat aliquantulum reverenter, jam in propatulo agitur impudenter. Nam qui, dum culpa latet, eam opprimere non festinat, qui ad recidendum eam, dum velut serpit humi, non manum exerit, non gladium evaginat, ad hoc, processu temporis, invalescit, ut fracto pudoris repagulo non timeat prosilire, et fronte inverecunda ad multorum notitiam devenire. De qualibus Jeremias : « Confusione, ait, non sunt confusi, et erubescere nescierunt (*Jer.* VI). »

Et iterum : « Frons mulieris meretricis facta est tibi : noluisti erubescere (*Jer.* III). » Nonnunquam mulier quæ ad peccandum prius gaudebat latibulo, et amatorem suum admittebat clauso cubiculo, ad hoc proficit ut terso rubore foras diligat evagari, et conclavi neglecto, aperto gaudeat lupanari. Postquam enim quis pudoris metas, verecundiæ terminos præsumit transilire, non curat ad quæ vitia inveniatur manus noxias expedire, et quis, quid, de eo dicat, magnopere non attendit, culpam levem judicans cujus famam vel infamiam parvipendit. Huic non sufficit suam solius vitam meritis reprehensibilibus inquinare, sed et cæteros invenitur, quantum in se est, plurimum perturbare; dum eos non solum ad vivendum iste non incitat, sed ad perpetrandum similia perverse coram eis vivendo sollicitat. Sicut enim sepulto cadavere intra cæcas angustias monumenti, si post dies aliquot soluta fuerit compositio tegumenti, horrore oculi, fetore nares circumstantium offenduntur, et ab offensione vix aliqui, nisi forte remoti longius, defenduntur : sic nimirum cum quis ad peccandum impudentius exardescit, et nec Deum timet, nec ad notitiam hominum erubescit, eos gravat plurimum quibus ejus perversitas innotescit, et cum uvam acerbam comedat, dens etiam alterius obstupescit. Quales illi per prophetam fuisse arguuntur, qui peccatum suum prædicasse ut Sodoma referuntur, qui opera tenebrarum non solum abscondere noluerunt, sed peccantes publice, adjungere sibi cæteros voluerunt. In quo statu peccator prospere deperiret, si digna cognitione suum periculum inveniret, si, postquam ad notitiam hominum tanquam egressus ex utero deveniret, tertium male vivendi gradum cita pœnitentia præveniret.

CAPUT CI.

« Cur exceptus genibus? » (*Job* III.) Si peccator egressus ex utero statim non deperit, si frontem ejus impudicam occurrens funda cito non conterit, molli eum gremio consuetudo gaudet suscipere, et suppositis genibus, ut in eis gratanter moretur, excipere. Exceptum vero callida tantis lenociniis delinire, tantis curat nexibus, tam blandis complexibus irretire, ut irretitus non solum nolit pravum a se propositum removere, sed ut vix aut non possit, etiamsi voluntas videatur aliquoties adjacere. Quem enim sibi consuetudo allicit peccatorem, quem malum excipiens, reddere satagit nequiorem, tam subtilis, tam inextricabilis obvolvit eum blandimento nexuræ, ut ille deceptus, quasi teneri se æstimet vi naturæ. Unde satis illud proverbium **665** ventilatur, quo hujus consuetudinis nexura robustior indicatur, quæ facile proficiens et a profectu non facile desitura, affinitatem non parvam, non parvum habet consortium cum natura : « Consuetudo, inquit, altera natura. » Recte consuetudinem, naturam voluit nominare, quia, sicut naturam quis non prævalet exstirpare, sic nimirum quod vitio consuetudinis permiserit inolere, et si forte voluerit, non statim poterit abolere. Cujus difficultatem nonnunquam aggrediens intueri, et perpendens attentius quam difficile valeat aboleri; si monetur forte ab aliquo ut sibi melius consulens respuat nocitura, ad excusandum se, miser conqueritur de natura. Quod enim consuetudo sanior consilio contradicit, ille illectus et deceptus naturæ vitium esse dicit; et illius vel negligens vel non intelligens subtilem, et vix extricabilem ligaturam, huic imponit, quod inferat sibi veraciter hanc jacturam. « Mones, inquit, ut his et hujusmodi ultra

noxiis non intendam, ut salutis meæ benevolum amatorem pravis operibus non offendam, sed illorum oblitus, ad ea quæ potiora sunt, consulto proposito me extendam, et vitæ melioris angustiores semitas apprehendam. Fateor quidem, istud mihi veraciter expediret, inde et conscientia sanaretur, et honesta utilitas proveniret, sed naturam meam teneritudine propria video sic urgeri, ut nullo possim modo ad hæc vel hæc ardua promoveri. Non possum a teneris et suavibus abstinere, non instar plurimorum dura et aspera sustinere, adeo me invenitur nativa quædam mollities perurgere, ut gravibus inexpertis non possim studium adhibere. » Sic iste desipiens, mores perditos, vitiosam consuetudinem excusando, et naturæ imbecillam teneritudinem accusando, ad meliora quoque manum strenuam non apponit, sed malis consuetis inhærens, magnis maxima superponit. Cujus sententiæ non consentire quidam ethnicus (Sallustius) invenitur, quam a vero deviam, quantum arbitror, experitur, et eam redarguens ad sentiendum melius nos invitat, ne languore vel ignorantia honestius quodquam aggredi quis omittat. « Falso, ait, queritur de natura sua genus humanum quod imbecille sit : invenies magis naturæ industriam hominum, quam vim deesse. » Non videtur ethnico quod natura nostra imbecillitatis debeat accusari, et per eam nostra perversitas excusari, sed magis argui quid honestum, quid et utile non proponunt, et ad complendum illud naturæ operanti mentis industriam non opponunt. Neque enim naturæ congruum æstimat vim deesse, sed ei cooperatricem mentis industriam vult adesse, quæ si forte remissior enerviter intorpescit, illa tardat, quoniam ad cogendum quemlibet sola nullatenus invalescit. Illa vero tardante consuetudo callida se supponit et gradatim subintrans, naturæ se impudens anteponit, et quo diuturnior, eo robustior invenitur, et assumpto robore, naturam denique se mentitur. Hujus quippe nomine illa subdola vult censeri, ejus assumpta specie natura vult videri, ut seductus quilibet ad eam se profusius inclinare, et caput suum languidum in illius genibus diligat reclinare. Sed utinam vel hoc sufficeret peccatori, nec inferre apponeret majorem contumeliam Creatori, exceptusque genibus, sic in eis mollius reclinaret, ut defectum potius, quam fomentum majus et robustius affectaret.« Cur lactatus uberibus? » Cui excepto molli accubitu, genua supponuntur, ei consequenter ubera suavius infunduntur, ut lacte potus digne proficiat, et proficientem fomentum congruum grandem efficiat. Cum peccator loro molli duræ consuetudinis obligatur, nec ab eo cum, vel nolit, vel non possit, deficiente gratia liberatur, quod prius forte arguendum satis et damnabile videbatur, jam obcæcata ejus conscientia levigatur. In quamdam enim seipsum reprehensibiliter spem inducit, misera cujus suavitate miserum se seducit, dum sperat Deum sibi facilius indulgere, cum tamen ipse nolit ad promerendum indulgentiam pœnitere. Audit quippe Deum multorum culpis æque magnis, imo et majoribus indulsisse, multis male meritis suum beneficium contulisse, et proponens sibi eos quibus novi largam illius munificentiam exhiberi, eum quoque æstimat erga se avaritia non teneri. Sic istum perditum spes seductoria demulcere, sic ei studet velut uber geminum immulgere, ut sinistro ubere, sua illi vitia justo amplius levigari, dextro vero ubere Dei misericordiam majorem debito faciat æstimari. Cum enim ille ad intuendum culpas suas oculum non intendit, vel eas, quæ occurrunt, tanquam levissimas parvipendit, putans eas vel reas injustitiæ non teneri, vel indignas gravi pœna, quia non magni ponderis, haberi, tunc nimirum sinistro spei ubere nequiter enutritur, hujusque nutrimenti damnoso lenocinio delinitur. Si vero tantam Dei esse misericordiam arbitratur, ut pertinaciter delinquenti non nisi misericors habeatur, ut cum ipse peccando nequiter indurescat, ille miserando enerviter emolescat, cum ipse injustitiam eligens, respuat sanctitatem; ille non justitiam diligat, non vultus ejus videat æquitatem; cum ipse a nequam proposito cor non revocet infrunitum, ille degeneri negligentia deserat impunitum : si Deum, inquam, talem sibi sentit, fingit, æstimat adfuturum et quamlibet diu peccanti sola justitiæ præmia redditurum, nimirum dextro spei lactatus ubere, **666** male crescit, male crescens lactanti satis pueriliter adhærescit.

CAPUT CII.

Quem divina Scriptura prudenter alloquitur, etsi ejus loquelam induratus ille non sequitur, habens dulcius in peccato suo deceptoria spe lactari, quam Scripturæ verbis austerioribus ablactari. « Ne adjicias, inquit, peccatum super peccatum, et ne dicas : « Miseratio Dei magna est; multitudini peccatorum meorum miserebitur (*Eccli.* v). » Scriptura sancta, quæ Dei miserationem commendat frequentius et extollit et ad sperandum in ea monitis commendabilibus nos attollit, non vult tamen ut ejus magnitudinem temeraria fiducia prædicemus, quandiu scilicet damnabilibus vitiis voluntarie subjacemus. Sicut enim opus nullum apud nos salutiferum invenitur, si non spe congrua, spe necessaria prævenitur, sic etiam spes ejus satis congrue, satis commendabiliter non splendescit, cujus voluntas perversa et pertinax, damnabile vitio tenebrescit. Propter quod David : « Spera in Domino et fac bonitatem (*Psal.* xxxvi). » Volo, inquit, et admoneo ut in Domino Deo speres et miserationis ejus multam magnitudinem vel magnam esse multitudinem asseveres, sed scias sperando sic te solummodo non fraudari, si voluntate castigata, id quod bonum est, dilexeris operari. Alioquin spes non tam utilis quam seductibilis comprobatur, ejusque blanditiis seductus quisque perdite delectatur, a dextro sumens ubere ut Deum in puniendis pertinacibus justissimum non attendat, a sinistro autem ut sua vitia statera justa, æquo pondere non appendat. Cujus quia malitia prædictis gradibus augmentatur, Job diligenter eos considerans lamentatur, et assumpta persona vel quasi specie pœnitentis, deflet ortum et profectum

miserabilem delinquentis. « Cur lactatus, inquit, uberibus? » Sicut autem hujusmodi lactatio non immerito deploratur, sic e regione lactentis ablactatio commendatur, cum scilicet repulso et siccato lactis fluxu carneo deceptoris, panem de cœlo esurit, sitit aquas de fontibus Salvatoris. Recte igitur Abraham filium suum Isaac legitur ablactasse, et in die ablactationis ejus lætus convivium celebrasse, quia tam angeli quam homines qui nostræ solliciti sunt salutis, diligenter nos retrahunt a jugo deceptoriæ servitutis; et cum nos viderint pulsis carnalibus desideriis pœnitere, nostris luctibus, nostro profectui diligunt adgaudere. « Gaudium, inquit, est angelis super uno peccatore pœnitentiam agente (*Luc.* xv). » Et Paulus ad Corinthios : « Quis est, ait, qui me lætificet nisi qui contristatur ex me? » (*II Cor.* xlvii.) Et longe infra : « Gaudeo, inquit, quia contristati estis ad pœnitentiam (*ibid.*). » Cum pro risu deceptorio devotis lacrymis irrigamur, pro oleo lætitiæ, fletu et cinere deturbamur, pro tenero lacte, vesci pane aspero non gravamur, cum pro malis præteritis digna pœnitentia contristamur, nimirum Paulus noster, qui ante doluerat peccati lenocinio nos lactari, jam gaudet, jam exsultat, velut Abraham dilectum filium ablactari. Sic alius quidam studiose filium ablactabat, quem cura vigili, monitis salutaribus informabat, volens eum seductorum blanditiis non lactari, non fracto genuino, lacte mortifero delectari. « Fili, ait, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas (*Prov.* i). » Si auditus, inquit, fuerit linguæ sibilus deceptricis, cum laudatur quisque miser in desideriis animæ peccatricis, vide, fili, ne tua fortitudo pueriliter emollescat, ne fracto vel excusso dente voluptatibus lacteis acquiescat.

Cujus dulcorem lactis qui elegerit vel penitus non sentire, vel saltem cum senserit, ab eo viriliter resilire, nimirum felici somno merebitur obdormire, et pulso noxiorum malorum strepitu, silentium dormiens invenire. De quo et Job subjungit : « Nunc enim dormiens silerem et somno meo requiescerem (*Job* iii). » Recte, ait, conqueror peccati maculas incurrisse, et per gradus perditos ad mortis meritum me venisse, quia si ab eis pedes meos districtius prohiberem, et requiescerem somno meo, et dormiens nunc silerem.

Sicut somnus vel dormitio aliquando in Scripturis argui promeretur, sic nonnunquam in eisdem commendabilis perhibetur, quia et in stratu vitiorum securitate noxia peccator velut dormiens intorpescit, et in molli virtutum accubitu justus nihilominus velut dormiens requiescit. De peccatoribus Isaias : « Dormientes, inquit, et amantes somnia (*Isa.* lvi). » In Evangelio Lazarus qui peccantium moritur in figura, qui per dies quatuor teneri legitur sepultura, non solum mori, sed et dormire testimonio Domini perhibetur, ut nomine dormitionis quies peccati noxia figuretur. « Lazarus, inquit, amicus noster dormit (*Joan.* xi). » Conqueritur Dominus quod in suis peccator vitiis velut dormiens intorpescat, quod in torpore suo male pertinax indurescat, qui per gradus quatuor perditionis incurrens detrimentum, instar quatriduani replet gravi fetore monumentum. « Domine, inquit Martha, quatriduanus enim est (*ibid.*). » Quatuor dies quibus in sepulcro Lazarus continetur, quatuor æstimo gradus esse, per quos miser quisque ad summum nequitiæ venire perhibetur ad quod cum venerit, duro pressus lapide gravius obdormiscit, dum male obstinatus vix a proposito resipiscit. Eum tamen qui de malo corruens in pejus sic delinquit, **667** aliquando non penitus larga Dei benevolentia derelinquit, sed a gravi somno illum voce magna intonans excitare, et a morte quatriduana dignatur misericorditer suscitare. « Vado, inquit, ut a somno excitem eum (*ibid.*). » Volo, ait, quatriduanum languidum, sic diutius non dormire; volo eum ab obstinationis suæ duris nexibus expedire, volo eum morte nefaria non teneri, sed cujusdam alterius dormitionis grato beneficio refoveri. Cui rei convenit quod discipuli respondent : « Domine, inquiunt, si dormit, salvus erit (*ibid.*). » Quantum ad litteram Dominus de morte corporis dixerat, illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret, juxta mysticum vero intellectum illa dormitione quies peccati mortifera designatur, hæc autem serenioris quietem gratiæ in salutem stabilem operatur. « Si dormit, aiunt, salvus erit. » Vere cui divina concesserit gratia sic dormire, ut inquietos vitiorum ejus strepitus faciat obmutire, pacata conscientia mandatis eum cœlestibus obedire, a peccato liberum soli justitiæ deservire, præsentia fugere, intendere desiderium ad futura, spretis transitoriis ad ea suspirare quæ [sunt sine] termino permansura, is procul dubio juxta verbum evangelicum salute perfruetur, pacem super pacem, gratiam pro gratia consequetur. Hæc enim dormitio illius est quasi prælibatio vel figura quæ dono gratiæ justorum est meritis adfutura, cum post pacem qua student a vitiorum strepitu feriari, ad illam pervenerint quæ nulla potest inquietudine perturbari. Ob hoc ista non immerito commendatur, et ad eam digne quisque sapiens invitatur, felix quidem si hanc meruerit gratiam invenire, ut in laborioso vitæ hujus stadio possit aliquantulum obdormire. Ad quod et discipulos bonus ille magister diligentius hortabatur, qui proximus passioni, tanquam sui negligens, illorum curam gerere videbatur, monens ut in tempore turbulento in quodam spei lectulo delitescant, et timore mitigato sub alis firmæ fidei requiescant. « Dormite, ait, jam, et requiescite (*Matth.* xxvi). » Paulo ante veniens ad eos et inveniens dormientes, arguerat eos dicens : « Non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate et orate (*ibid.*). » Quia suum et magistrum et Dominum quem immortalem audierant prædicari, nunc videntes morti proximæ nullatenus reluctari, amore jam tepido, fide sunt plurimum infirmati, ad moriendum cum eo vel pro eo penitus imparati, recte cujusdam languoris et desidiæ somno teneri perhibentur, a quo ejusdem magistri increpatione benigna prohi-

bentur. Unde et apud Lucam : « Quid dormitis? Surgite et orate (*Luc.* XXII). » Quare, inquit, a fide, quam vobis diligenter prædicaveram, excidistis, et timore mortis degenerem tristitiæ somnolentiam incidistis, cum mors et passio quæ lege humanæ carnis mihi est adfutura, vestræ omnium sit saluti, si tamen crediderit is, profutura? « Surgite ergo et orate (*ibid.*). » Si enim ad verbum meum fidei constantiam erigatis, si ad Deum verum, orationis instantiam dirigatis, profecto ipse misericors in tentationem vos mortiferam non inducet, sed in viam rectam bonus ejus spiritus vos deducet. Quia vero discipuli ad vigilandum et orandum idonei non erant assurgere, non de fundo et profundo somnolenti langnoris emergere, si non ipse qui monebat juvare misericorditer dignaretur, et vel daret vel impetraret, ut hoc efficaciter impleretur, abiit prius et oravit, Matthæo referente quoties eos respexit dormientes; prius, inquit, abiit, et oravit, signans quia moriens non esset eos in infirmitate sua tanquam orphanos relicturus, sed expleto munere passionis majoris dona gratiæ collaturus.

Primo quidem orat, et veniens ad eos invenit dormientes; secundo orat et veniens ad eos, invenit dormientes; orat tertio, et veniens ad eos dicit: « Dormite jam et requiescite. » Quia in morte ejus illorum dure concussa fides elanguit, fide languescente consequenter ipsa operatio tanquam sub modio pressa delituit, tactus misericordiæ pro eis claudicantibus Christus orat, et ne prorsus deficiant, vigil ipse pro dormientibus elaborat. Quod alibi dicit Petro : « Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua (*ibid.*). » Orat primo ut læsæ fidei turpitudo reproba detergatur, secundo, ut sopiti operis torpens negligentia deleatur, tertio autem ut purgatis vitiis quies grata conscientiæ præbeatur.

CAPUT CIII.

Quod autem pro abolendis malis bis orare dicitur, pro acquirendis bonis semel, innuit quia difficile quis ab illorum potest nexibus expediri, expedito autem possunt facilius hæc acquiri. Si enim quis spinas, tribulos, rubos, frutices a radice satagat amputare, si spuria vitulamina, myricas, filices, exarare, si ligna silvestria, si altas eorum radices penitus exturbare; si graves ruderum moles, si scopulosos tumores collium complanare, si agrum his et horum similibus novellare, profecto is necesse habet et sudore nimio et non parvi mora temporis laborare, ut purgatum possit locum necessario semini præparare. Eo autem præparato labor superveniens, levior et tolerabilior judicatur, dum bonum jam in eo semen facile seminatur, seminatum grata humoris et caloris temperie coalescit, viret coalitum, virore deposito maturescit, maturato cultoris grata securitas hilarescit. **668** Ideo Dominus cum ad Jeremiam de hujusmodi cultura figuraliter loqueretur, et cum ad suscipiendum cultoris officium diligentius hortaretur, satis innuit quia et non nisi multo labore mala radicitus auferuntur, et cura gratiore bona postmodum inferuntur. « Ecce, ait, constitui te ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes (*Jer.* XI). » Quatuor præmisit per quæ malitia vitiorum tenax ejicitur, duo subjunxit per quæ fructuosa virtus inseritur, quia et juxta quemdam ethnicum, vix ista filix quovis aratro mansuescit, et ea tandem pulsa, bonus ager bono facilius semine jam ditescit.

Ob hoc Christus pro eis quos dormientes bis reperit, bis etiam orare memoratur, semel autem, cum eis, ut jam dormiant, vel optat vel præcipit vel hortatur, quorum quisquam nec carere vitiis nec virtutibus prævalet abundare, si non precum hostias curet patri filius immolare. Cujus preces ante passionem quidem devotione humili diriguntur, post resurrectionem vero impleri manifestius cognoscuntur, cum novæ dono gratiæ vetus illorum infirmitas est ablata, et ampliori munere serenæ menti securitas est collata. Resurgens enim Christus ex mortuis, et in multis argumentis apparens per dies quadraginta, fidem illorum, quæ claudicaverat, reformavit, imo eos ad fidem ampliorem multo robustius informavit, fide firmos ad operandum pariter excitavit, ut non solum in corde virtus fidei teneretur, sed et verbo et opere commendabilis haberetur. « Fides enim sine operibus otiosa est (*Jac.* II). » Igitur cum eos Judæi sæviente durius invidia persequuntur, et in eis exstinguere vel fidem vel opus saltem fidei moliuntur, illi tamen constantes non prece, non pretio, non minis, non verberibus inflectuntur, sed pro Christi nomine læti contumelias patiuntur. Sicut scriptum est : « Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* V). » Videtis eos non solum multa pro Christo gravia sustinere, sed in sustinendo, infirmitate vel angustia spiritus non dolere, imo largiori beneficio interna quadam lætitia dilatari, et securitate mentis tanquam convivio delectari. « Secura enim mens, ut scriptum est, juge convivium (*Prov.* XV). »

Hæc autem securitas, quædam quasi dormitio non incongrue judicatur, cum scilicet mens interna quieto silentio soporatur, ut in foro hujus vitæ secretum aliquantulum usurpatur, ut remotis tumultibus domesticis in conclavi fortitudinis quiescatur. Cui et si doloso lenocinio caro insolens adversatur, vel si gravi murmurio invidorum quævis adversitas obluctatur, nitens et enitens, ut mens justi modo quolibet seducatur, et quasi de cubiculo ad fori strepitum educatur, illa tamen obclusa fore præsentiam obstrepentium non admittit, sed velut in claustrali dormitorio, somno silentii se committit. Nam, cum blanditiis carnalibus nulla mollitie spiritus acquiescit, cum nec minis persequentium, nec verberibus expavescit, cum omnibus saluti adversantibus opposito vecte constantiæ forem claudit, cum vocem exactoris interposita forti maceria non exaudit, quid nisi in quodam secessu quietis secura dicitur obdormire, ad cujus interius cubiculum violentus

prædo vel subdolus non potest aditum invenire? Ideo recte cum post resurrectionem in uno cubiculo referuntur discipuli congregari, et propter metum Judæorum fores diligentius obserari, exclusis hostibus Jesus præsentem se voluit exhibere, et dono gratiæ pacis obsessorum sollicitudinem refovere. « Cum essent, inquit, fores clausæ ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, stetit Jesus in medio, et dicit eis : Pax vobis. Gavisi sunt discipuli, viso Domino. Dicit eis iterum : Pax vobis (*Joan.* xx). » Paulo infra : « Post dies, inquit, octo iterum erant discipuli ejus intus, et venit Jesus januis clausis et dixit : Pax vobis (*ibid.*). » Vult Dominus ut affectus carnales tanquam Judæi a nostris mentibus excludantur, et soli spiritales intra cubiculum includantur, quibus inclusis pacem quietæ fortitudinis diligit impertire, ut exclusis vitiis possint in silentio securius obdormire. Exclusis, ait, persequentibus, pacem volo salutiferam vos habere, et illorum metu postposito, turrim fortitudinis obtinere, ut majestate manus de excelso illorum impetus abigatis, et cogitatus vestros in securo tanquam lectulo colligatis, et pace composita sub optato silentio dormiatis. Hanc pacem, hoc silentium, hanc quietem dormientium Christus passionis suæ tempore designavit, cum eos, quos dormientes prius arguerat, ad dormiendum postmodum invitavit : non quod inpræsentiarum hujusmodi beneficium eis daret, sed quod eos tenere diligeret, promissione gratuita confortaret. « Dormite, ait, jam et requiescite (*Matth.* xxvi). » Post resurrectionem vero quod ante promiserat, voluit adimplere, et pacem eis prædicans, quietos eos voluit exhibere, dato eis Spiritu ut possent adversantibus efficaciter reluctari, et intra conscientiam, quodam somno vel silentio delectari. Qui enim dono Spiritus malorum funiculo pedes non implicat, qui non sibi fasciculum de restibus peccando multiplicat, pulso morbo, tersa conscientia serenatur, et sopito vitiorum tumultu, sub silentio dormire judicatur. De quo Jeremias : « Bonum est, inquit, præstolari cum silentio salutare Domini (*Thren.* iii). » Unumquemque nostrum quandoque **669** Dominus visitabit, cum a carne scilicet innexam animam separabit, eum nobis operantibus opus et operandi spatium terminabit, et ad reddendum operi dignum jam pro merito præmium non tardabit.

Adventum cujus quidam inveniuntur nequaquam exspectare, qui de illo vel nolunt obdurati, vel cæcati nesciunt cogitare, qui affectu depravato sic inhærent præsentibus transituris, ut instar bestiarum nullam curam habeant de futuris. Quidam vero venturum judicem non negantes, et adventus ejus cognitione certissima præstolantes, in præstolando tamen videntur non sereni, non a tumultu et clamore perversorum operum alieni. Extimantes autem eum vel mitem justo amplius adventare, vel adventum suum mora diutina prolongare, eo fiducialius malis noxiis implicantur, quo vel mitius judicari, vel amplius differri judicium arbitrantur. Quod innuens Dominus apud Lucam : « Si dixerit, inquit, servus ille in corde suo : Moram facit Dominus meus venire, et cœperit percutere pueros et ancillas, et edere et bibere, et inebriari (*Luc.* xii). » Videtis quia servus iste Dominum quidem venire nequaquam diffitetur, sed eum in veniendo moram facere profitetur, et sibi stulte blandiens dum optatum sibi spatium pollicetur, tumultum quieti præferens, intra claustra silentii non tenetur. Pueros quippe et ancillas, vel, secundum alium evangelistam, conservos percutiens durius desævire, edens et bibens, ebrietatis vitio diligit inservire, et his male deditus profecto Jeremiæ consilium non acceptat, venturumque Dominum digno cum silentio non exspectat. Quod quidem ipsi Domino displicere non mediocriter invenitur, servoque tumultuanti juxta votum ejus perditum non blanditur, sed ei cito superveniens, cum nescitur, dure percutienti percussione durissima remetitur. Quod in Evangelio consequenter adjungitur : « Veniet, inquit, Dominus servi illius in die qua non sperat, et hora quam nescit et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet (*ibid.*). » Velit, nolit servus, venire Dominus non tardabit, servumque dissolutum districto judicio coarctabit, quem divisum ab his, velut hædum ab agnis qui cum silentio Dominum exspectarunt, cum illis constituet qui adventum ejus penitus ignorarunt. « Partem, inquit, ejus cum infidelibus ponet. » Bonus servus illud Jeremiæ dicens : « Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea exspectabo eum (*Thren.* iii), » et illud David : « Portio mea in terra viventium (*Psal.* cxli), » agit sollicitius quod ei æstimat gratum esse, quem suam præ cæteris et eligit et diligit partem esse, et pars sua ei ponitur cum his qui dantes operam sanctitati, venientem Dominum digno cum silentio sunt fideliter præstolati. Nequam vero servus qui habens formam fidei, non rei veritatem, qui novit et non fecit venturi Domini voluntatem, dividitur ab his qui spe et dilectione fructuosam efficiunt fidem suam, et divisus ab eis, cum infidelibus accipit partem suam. Quia enim elegit in præstolando Dominum silentium non tenere, conservos persequi, suis potius, quam Dei voluntatibus indulgere, partem suam, et præmium cum illis accipere promeretur, quibus non opus fidei, sed nec fides etiam indulgetur. Nam, sicut infideli nisi damnatio non debetur, sic et fidelis nequam, aliud præmium non meretur, et utrique partem suam simul accipere memorantur, dum longe facti a salute, digno pariter supplicio deputantur. Bonum ergo est juxta verbum Jeremiæ salutare Domini cum silentio præstolari; bonum in præstolando a vitiorum tumultu noxio feriari; bonum ab adolescentia jugum suavius et onus ejus levissimum sustinere; bonum in sustinendo a malis noxiis continere. De quo subjungit : « Sedebit solitarius et tacebit (*Thren.* iii). » Qui jugum Domini suave, qui onus ejus studiosius obsequi non gravatur, eum ipse

Deo sedebit solitarius et quiescet, non turbis negotiorum, non desideriorum tumultibus acquiescet. « Nemo, inquit Apostolus, militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus (*II Tim.* II). » Sedebit, inquam, cum Deo solitarius, et tacebit, quia spe fortissima illi singulariter adhærebit, nihil in hac vita diligenter appetens præter ipsum, eum solum, solam ejus pacem sperans et desiderans in idipsum. De qua in Psalmo : « Tu, Domine, inquit, singulariter in spe constituisti me (*Psal.* IV). » Et iterum : « Factus sum, ait, sicut passer solitarius (*Psal.* CI). » Solitarius autem, dum fora, dum compita, dum plateas fugiens velut in angulo delitescit, dum negotia, dum desideria, dum quæque noxia respuens, Deo singulariter adhærescit ; tacet quidem, quia obstrepentibus vitiorum blanditiis non colludit, non se illis applicat, sibi ipsi enervi colludio non illudit. Non denique, sicut Adam se excusat, quia nec indiget excusari, cavens nimirum agere, unde recte debeat accusari. Quod peccator ille satis diligentius non præcavit, qui postmodum in psalmo suam incauti negligentiam memoravit, ostendens et cujus culpæ maculis fuerit obvolutus et quam pœnam culpæ merito consecutus. « Inveteraverunt, inquit, ossa mea dum clamarem tota die (*ibid.*). » Quia ejus qui dixit : « Peccasti, quiesce, » salubre consilium non audivi, non mandato ejus aure prona humiliter obedivi, arguenti et monenti ad pœnitentiam, non satis mihi consulens acquievi, non cum eo juxta Jeremiam sedi solitarius et quievi, sed multis et variis culpis implicitus insuper et clamavi, dum easdem culpas defensione **670** proterva pertinaciter excusavi; quia, inquam, tam peccando quam excusando clamorem noxium exaltavi, ossa mea, id est virtutum inveteravit necessaria fortitudo, et situ vetustatis deturpata est interior animæ pulchritudo.

CAPUT CIV.

Hæc vetustas illum primum parentem nostri generis occupavit, cum assumpto fructu prohibito culpam contumaciter excusavit, cum ad vocem deambulantis Dei timore concussus ad latebras quidem fugit, sed in eis requisitus clamare nequiter non refugit. Deprehensus enim ab eo cujus mandatum acceperat ne peccaret, ne attingens lignum scientiæ, fructum inobedientiæ manducaret, cum deberet tanquam reus culpam lacrymis abolere, præsumpsit Creatorem clamore noxio ad iracundiam commovere. Postposito quippe serenæ devotionis medicamine salutari, turbatus spiritu non timuit excusari, et non solum culpæ sordes renovantis pœnitentiæ lavacro non detersit, sed eas defensione cumulans vetustatis cujusdam voragini se immersit. « Mulier, ait, quam dedisti mihi, dedit mihi, et comedi (*Gen.* III). » Hoc verbo datam mulierem, imo eum forte qui dedit mulierem accusavit, et se ipsum tanquam innocuum, vel pœnæ gravis immeritum excusavit, excusando superduxit ossibus suis, id est virtutibus rugosæ turpitudinem vetustatis, qua fuscavit et velut exaravit injunctæ pulchritudinem sanctitatis. Et quoniam ruga peccati offuscata est hujus interior pulchritudo, et velut decusso flore juvenili vetusta invaluit turpitudo, vetus Adam ille nostri auctor generis appellatur, cujusmodi vetustate tota ejus posteritas offuscatur. Quia enim carne peccati genitos peccato simili nos infecit, ipse vetus veteres transfusione hæreditaria non effecit, et exutus stolam primam vernantem decoro venustæ novitatis, tam se ipsum quam posteros tunica induit oppressoriæ vetustatis. Quos oppressos non penitus miseratio divina destituit, sed ad relevandum eos remedium dignum instituit, monens ut ad tergendum morbum pravitatis hæreditariæ quo tenetur, mordaci cauterio pœnitentiæ medentis urerentur. Quibus per beatum Job dicit : « Audite, quæso, sermones meos, et agite pœnitentiam (*Job* XXI). » Quo audito, quisque pœnitens : « Laboravi, ait, in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo (*Psal.* VI). » Et in alio psalmo : « Afflictus sum, inquit, et humiliatus sum nimis (*Psal.* XXXVII). » Paulus hoc audierat qui alios quoque ad audiendum admonens, ait : « Exuite vos veterem hominem, et induite novum (*Ephes.* IV). » Veterem hominem, peccatorem hominem vult intelligi, cujus intentio quodam velut defectu virium ad terrena pronius incurvescit, cujus interna facies senili turpitudine tenebrescit; qui primi hominis imitator, culpam culpæ superaddere non recusat, dum malitia induratus, defensione tumida se excusat. Hunc hominem, sive, hujus hominis vetustatem juxta Pauli mandatum exuimus, cum affectum peccandi pœnitentia ducti deponimus, cum non vestimenta, sed corda nostra scindentes, prophetæ monitis obedimus, cum venturum judicem confessione purgatoria prævenimus, cum ea quæ primus Adam intulit carnis lenocinia, forti cinctorio cohibemus, cum paterna vitia obtinere in nobis jus hæreditarium prohibemus. Novum autem hominem induimus, cum eam quam Christus attulit et contulit suscipimus justitiæ novitatem, cum juxta Pauli monita deponentes mendacium, loquimur veritatem, cum depulso languore pristino dignam proficimus in virtutem, cum fracto velut ad petram senio ad honestam revertimur instar aquilæ juventutem, dum denique sopito clamore vitiorum qui Dei auribus obstrepere graviter invenitur, mens nostra invento puritatis novæ silentio, ossa nostra quæ inveteraverant, juvenescunt, et animæ interiora, terso gelu, vernali temperie revirescunt; imo totus homo noster novo quodam genere reflorescit, dum et castitati, et veritati spiritus diligentius adhærescit. Eapropter Job recte conqueritur quod per gradus perditos ad mortis meritum devolutus, recedente gratia hujusmodi silentium non fuerit assecutus, in quo sana conscientia molli tanquam somno, vel accubitu quievisset, et sopitis vitiorum clamoribus optatam solitudinem invenisset. « Nunc, inquit, dormiens silerem et somno meo requiescerem cum

regibus, et consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines (*Job* III). »

CAPUT CV.

Eos quibus id muneris dignatur larga Dei bonitas impertire, ut prædictum mereantur somnum, vel silentium invenire, non aliorum quam regum et consulum nominibus appellavit, nec eos aliorum censendos esse nominibus judicavit. Reges puto intelligi, non qui multis oppidis, viculis, civitatibus principantur, non qui longe lateque diversis populis, et nationibus dominantur, qui non tam prodesse, quam præesse plurimis gratulantur, qui subditorum obsequio, impensa sibi reverentia gloriantur, qui cum a multis, tam subditis quam finitimis timeantur, **671** uni tamen et forte plerisque vitiis humilitate degeneri famulantur. Isti enim servi potius quam reges possunt merito nominari, qui hominibus principantes, dignantur vitiis subjugari, qui servitutem quam potestate regia laborant et exsultant ab inferioribus populis extorquere, inertia muliebri non renuunt indignis passionibus exhibere. Verum ille qui ad peccandum manus, linguam, membra cætera non effrenat, qui affectus illicitos ab effectu longius alienat, qui carnem contumacem adversus spiritum non extollit, qui carnis lenocinio eumdem spiritum non emollit, cujus unus cum Deo spiritus, Deo diligit adhærere, et in sensibus corporis regnum et imperium exercere; ille, inquam, recte regii titulo nominis insignitur, in quo judicii rectitudo, fortitudo vivendi, morum gravitas invenitur. Nam cum in eminentia cordis sui sedere, et præsidere diligit rationem, eique præsidenti concedit liberam optionem, ut scilicet affectus animales jure debito illa subjiciat propriæ ditioni, et ordine rerum bene composito, illi hujus obtemperent jussioni, profecto rex est, et esse merito prædicatur, dum se ipsum regem, quæ sua sunt, recte disponere comprobatur.

Cujusmodi reges non incongrue Job etiam consules dicit esse, quia non solum sibi, sed et cæteris eos utiles novit esse, dum sicut moribus suis eo, quem dixi, modo vel ordine principantur, sic honesto consilio ad principandum alios exhortantur. Nam cum odientes peccare intuitu vel amore virtutis, fraterna charitate quibusque auditoribus consilium dant salutis, profecto a consulendo recte consules perhibentur, qui verbo et doctrina suis utiles auditoribus exhibentur. Et pulchre Scriptura prius reges, postmodum consules nominavit, in quo regendi et consulendi tempus vel ordinem commendavit, quoniam ad consulendum cæteris satis idonei non habentur, quorum mores non prius districto imperio coercentur. Ille quidem ad dandum consilium digne commendabilis invenitur, cujus lingua et doctrina castigatis moribus prævenitur, qui verbum consilii, quod proximo diligentius impertitur, in seipso prius et habere et diligere comperitur. Qui enim verbo docto indoctum quemlibet reprehendit, et in suis actibus se ipsum æque reprehensibilem præostendit, qui prudenti consilio erudire appetit quemvis stultum, et dissipatus opere, se demonstrat nihilominus inconsultum, hujus verbum, hujus consilium digne reverentia non auditur, quod vivendi gratia, sale morum prævio non conditur. Auditor quippe vix aut nunquam suum consulem magni pendit, quem suos mores, actus suos digne regere non perpendit, et quem regno perdito inconsulte vivere deprehendit, ad ejus consilium aurem vel animum non intendit. Cujus vero mores et opera digno videt imperio coerceri, et de bono in melius profectu congruo promoveri, cujus mentem vel animum in suis perpendit affectionibus sic regnare, ut opus bonum verbo, verbum constet operi concordare, hunc profecto consulem, hunc doctorem suscipere non gravatur, hujus digne consilium auditoris humilitas veneratur. De cujusmodi regibus et consulibus recte dicit: Qui ædificant sibi solitudines. Qui mundum et ea quæ mundi sunt diligit amplexari, honore transitorio dignitatis culmine sublimari, ditari pecunia, in suis voluntatibus dilatari, æquales prævenire, quibusque majoribus coæquari, iste quasdam velut nundinas videtur frequentare et turbarum prementium multa frequentia laborare. Nam, cum solis intenta visibilibus mens perversa, occurrentibus nequam desideriis præceps rapitur per diversa, cum eam nunc ira, nunc avaritia, nunc libido, nunc spes ambitiosa dissipat, nunc formido, illinc eam torquet invidia, hinc extollit superbia, illinc angit gravis tristitia, hinc resolvit inanis lætitia; cum his, inquam, et aliis incursibus premitur vitiorum, quid nisi versatur velut in medio tumultuantium populorum, ut cum undique innumerabiles assistere, vel magis obsistere sibi cernat, a quo illorum tangatur specialius, vix discernat? « Turbæ, inquiunt, te premunt et tu dicis: Quis me tetigit? (*Marc.* v.) » Mirantur illi quod magister eorum tangi se ab aliquo fateatur, cum non tam ab uno quam a turbis undique deprimatur, et de omnium oppressione dignius, ut æstimant, conqueratur, quam de unius tactu percunctator sollicitus habeatur. Verum illi visibilibus adhærentes de oppressione respondent corporali, ille vero longe secus intelligens, de tactu loquitur spiritali, quem nullus extrapositus poterat pervidere, sed ipse tantum senserat qui devotum a tangendo noluit cohibere. « Tetigit, inquit, me aliquis, ego enim sensi virtutem de me exiisse (*ibid.*). » Hanc aliquem discreto tactu senserat tetigisse quem tangendi virtutem ejus gratia noverat accepisse, turbas vero cæteras aiunt discipuli compressisse, quarum instantiam non satis constat Domino placuisse. Ille autem miser, qui supradictis vitiis impugnatur, qui eorum imperio flexa mentis rectitudine subjugatur, quandiu eam potens illorum obsidet multitudo, nescit quid utile, quid honestum habeat solitudo. Si vero visitante gratia turbam gravem cœperit abhorrere, si tantam ejus frequentiam abhorruerit sustinere, si graves ejus impetus non sustinuerit prævalere, si affectus carnales rationis imperio dilexerit cohibere, **672** si

eos ab affectu manu provida studiosius prohibere, nimirum jam non in foro, non in platea, non in strepitu habitat malitiæ popularis, sed tanquam onager in deserto, vel passer in ædificio singularis. Nam cum iram temperat, domat avaritiam, superbiam inclinat, exstinguit invidiam, castigat libidinem, ambitionem frenat, cum his et horum similibus pristinum apud se locum negat, et regio quodam imperio a suis arcet finibus, et relegat, in secessu mentis suæ quoddam sibi secretum ædificat, et pulsis exteriorum molestiis jam in eo quietus nidificat. Ibi quidem gaudet solitarius residere, ibi Deo singulariter adhærere, ibi mundos cogitatus charitatis fervente spiritu confovere, ibi pulso procul tumultu populari, in pacis otio conticere. De quo Jeremias, ut supra dictum est : « Sedebit, inquit, solitarius et tacebit (*Thren.* III). » Et idem alibi : « A facie, inquit, manus tuæ solus sedebam, quoniam comminatione replesti me (*Jer.* XV). » Manus Dei, percussio ejus intelligenda est, quia eos qui multitudini vitiorum non timent inservire, ipse justus severo tandem judicio vult ferire, qui, antequam feriat, terribiliter comminatur, ut peccator citius resipiscens salutarem indulgentiam mereatur. Itaque Jeremias terrore minarum concussus intra prædictam multitudinem refugit inveniri, manum Dei viventis duram experiri, sciens quia percussionem ejus ultoriam cogitur sustinere quisquis non refugit ad hujusmodi consortium pertinere. Denique in Evangelio torqueri dæmones conqueruntur, et dolore irremediabili manum Christi durissimam patiuntur, quia judex eorum nequam multitudinem exsecratur, quæ refuga solitudinis perdito multorum consortio gratulatur. « Clamaverunt, inquit, dicentes : Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos (*Luc.* VIII). » Et apud Marcum : « Quid mihi et tibi Jesu Fili Dei summi? Adjuro te per Deum ne me torqueas, et interrogabat eum : Quod tibi nomen est? Et dixit : Legio mihi nomen est, quia multi sumus (*Marc.* V). » Sciens ergo Jeremias non commendari multitudinem vitiosam, et eidem imminere manum judicis onerosam, prudenti consilio cedit a facie ferientis, solusque sedet longe factus a turbæ consortio delinquentis. Hoc indutus spiritu David etiam se dicit elongasse, et turbas fugiens, in loco solitudinis habitasse, exspectans eum qui benevolus solita largitate a spiritu pusillanimo, et a noxia liberat tempestate. « Elongavi, ait, fugiens, et mansi in solitudine. »

CAPUT CVI.

Illa quoque mulier, quæ in Apocalypsi perhibetur masculum peperisse, cui parienti draco invidus legitur astitisse, fugit in solitudinem, ut ibi secura delitescat et procul a serpente sub umbra silentii requiescat. « Fugit, inquit, mulier in solitudinem, ubi habet locum paratum a Deo, ut ibi pascat illam (*Apoc.* XII). » Mulieris nomine recte quævis anima designatur, quæ subjecta Creatori, ejus spiritu gravidatur, et proficiente gratia parit prolem non nisi masculinam, id est fortia et invicta profert opera mollitiem ignorantia femininam. Cui parienti dolosus ille serpens latenter assistere, post partum vero evidentius laborat insistere, ut vel operi proposito proficiendi subripiat facultatem, vel eidem jam peracto manifestam inferat violentiæ gravitatem. At illa dolos hujus et violentiam pertimescens, et a bonorum tam affectu quam effectu operum non tepescens, fuga non degeneri festinat solitudinem obtinere, id est in secreto suæ mentis Deo singulariter adhærere. In qua solitudine Deus locum præparat fugienti, dum manu supposita mollem præbet accubitum quiescenti, et grata largitate ministrat pascuam salutarem, dum ejus desiderio infundit uberius gratiam spiritalem. Unde et David : « In loco pascuæ ibi me collocavit (*Psal.* XXII). » Et alibi, quod paulo ante dictum est : « Elongavi, ait, fugiens et mansi in solitudine (*Psal.* LIV). » Ad quem locum pascuæ vel solitudinis recte David vel mulier fugere perhibetur, ut remota degeneri tarditate, devotæ mentis agilitas commendetur, quæ ad appetendum cœlestia non passu tardo, non dormitantibus palpebris elanguescit, sed alacri desiderio moræ impatiens inardescit. Unde tam David quam mulier pennas sive alas habere referuntur, quarum veloci remigio ad optatam solitudinem perferuntur, quam nimirum non hebes tarditas, non tarda consequitur hebetudo, nec tardam hebetudinem admittit hujuscemodi solitudo. « Quis dabit mihi pennas, ait David, et volabo? » (*ibid.*) Et ne videatur quæsisse et non acquisisse, subjunxit : « Elongavi fugiens et mansi in solitudine (*ibid.*). » Et in Apocalypsi : « Datæ sunt, inquit, mulieri duæ alæ ut volaret in desertum a facie serpentis (*Apoc.* XII). » Quæ alæ dilectio duplex accipitur, qua Deus et proximus juxta regulam præscriptam diligitur, cum scilicet anima Deo soli ardet specialius adhærere, et eamdem gratiam suam desiderat proximum obtinere. Hoc ardore duplici a terrenorum desiderio sublevatur, et volatu præpeti ad locum solitudinis deportatur, ut serpentis invidi sibilantem malitiam supergressa, et mentis solitariæ quietum cubiculum introgressa, clauso velut ostio iniquos strepitus gaudeat removere, et Patrem intus orans, cum sibi per Isaiam audiat respondere. « Non audietur, inquit, ultra iniquitas in terra tua (*Isa.* XXXII). » Felix terra in qua iniquitas non auditur, **673** infra cujus terminos non nisi æquitas invenitur, ad quam inhabitandam claudo pede, affectu languido non venitur, sed volatu rapido, fervente spiritu pervenitur. Felix terra ad quam inhabitandam non popularis confluit multitudo, sed ea procul facta, fines illius obtinet solitudo, cujusmodi solitudinem scopulosa nescit ariditas, asperitas inculta, horrida turpitudo, sed odorum suavitas, amœna viriditas, florida pulchritudo. Ad quam æstuans Jeremias : « Quis dabit me, ait, in solitudine, et derelinquam populum meum, et recedam ab eis! quia omnes adulteri sunt, et cœtus prævaricatorum (*Jer.* IX). » Attendens Jeremias populum

suum graviter delinquentem, pollutum adulteriis, prævaricationis reum, ne forte aliquando cum fure currat, suam ponat cum adulteris portionem, optat procul ab eis facere mansionem, si tamen quis ei dare velit et valeat optionem, et eligit ad locum solitudinis devenire, ut in ea optatæ securitatis mereatur gratiam invenire. In hac enim spiritus conscendit liberius celsitudinem rationis, in hac gaudet securius declaratæ beneficio visionis, in hac terso pulvere, remota diligentius nebula falsitatis, celebrat acutius exquisitæ judicium veritatis. Quod innuens Isaias : « Habitabit, inquit, in solitudine judicium (*Isa.* XXXII). »

In foro quidem vel platea in qua populus contendit suæ satisfacere voluntati, et pro suo quisque voto liberius obstrepit veritati, aut vix, aut non habitat subtilis judicii rectitudo, quia paucis melioribus indiscreta prævalet multitudo. Recte ergo in solitudine habitare judicium perhibetur, in qua concursus populi, convenarum turbatio non habetur, in qua pulvis platearum judicantis oculum non obscurat, et munus avaritiæ aurem intelligentiæ non obturat. In hac quippe animus liberius et lucidius videt rectum, in hac visum spiritalem tendit efficacius in directum ; cum scilicet dono gratiæ a malis noxiis, id est vitiorum maculis expeditur, etsi nondum liber a malis tristibus invenitur.

CAPUT CVII.

De silentio a malis tristibus.

Non enim ut mala noxia conceditur a suis longe finibus relegare, statim et tristia potest penitus serenare, sed cum ab illis optatum silentium jam tenetur, adhuc tamen plerumque in his dure animus exercetur. Quod autem sicut noxia, sic et tristia nonnunquam mala nominentur, plurima in Scripturis testimonia perhibentur, in quibus illa hoc uno vocabulo censeri pariter invenimus, quamvis in re longe ab invicem differentia comperimus. Noxia dicimus ea, quæ justitiæ obvia, contraria sunt virtuti, quæ sui merito nulli prosunt, quodvis obstaculum dant saluti, quibus angelus et homo lege gravi miserabiliter obligatur, cætera vero omnia, tam Creator, quam creatura lege simili non ligantur. Tristia autem sunt quæ inviti quique graviter patiuntur, quæ patienti amara et aspera in aliquo sentiuntur, quæ etsi forte utilia, tamen ex toto suavia non habentur, et ob hoc mala non incongrue perhibentur. Inde quidem mala febris, paralysis, fames, pauperies, et hujus multa generis appellantur, non quia peccata sint, sed quia voluntati patientium adversantur ; et quidquid nos affligere, gravare, lædere comperitur, mali nomine censeri Scripturarum testimoniis invenitur. « Domine, inquit, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur (*Matth.* VIII). » Et Paulo infra : « Vidit, ait, socrum Petri jacentem et febricitantem et tetigit manum ejus et dimisit eam febris et omnes male habentes curavit (*ibid.*). » Videtis quia isti qui vel febri, vel paralysi, vel hujusmodi passionibus affliguntur, male habere, male torqueri evangelico testimonio referuntur ; et sicut ad tergendum peccati malum pœnitentiæ disciplina, sic ad malum infirmitatis curandum conveniens requiritur medicina.

De qua idem Matthæus alibi dicit : « Non est opus valentibus medicus sed male habentibus (*Matth.* IX). » Male habentes dicit eos qui infirmitatis molestia perurgentur, qui molesto quovis gravamine detinentur, quorum infirmitati necessario medicus adhibetur ut mali pulsa intemperie, optata sanitas reformetur.

Cum terram Chanaan et cæteras circumquaque provincias famæs gravior angustaret et Ægyptus sola, frumento et panibus abundaret : « Omnes, inquit, provinciæ veniebant in Ægyptum ut emerent escas et malum inopiæ temperarent (*Gen.* XLI). » Hic famis inopiam Scriptura Genesis malum dicit, non quia illud justitia vel justæ legis auctoritas interdicit, sed quia gravis ejus præsentia tristitiæ nos addicit, et ejus oppressio voluntati patientium contradicit. Sic etiam Jacob multa sibi incommoda considerans imminere, egentem se panibus, integrum sobolis suæ numerum non habere, æquo non satis animo tot et tam gravia sustinere, tristis non prævalet, a luctu se et querimonia continere. « Joseph inquit, non est super, Simeon tenetur in vinculis, Benjamin auferetis, hæc mala omnia in me reciderunt (*Gen.* XLII). » Perditio Joseph, Simeonis detentio, ablatio Benjamin, paterna viscera dure concutiunt, interneque affectui gravem nimis 674 dolorem incutiunt, et hæc mala non animam patientis malam efficiunt, sed piam ejus teneritudinem, usque fere ad extrema mortis afficiunt. Unde et ait : « Canos meos cum dolore deducetis ad inferos (*ibid.*). » Tanta patrem filiorum tenet dilectio, et erga eos emissos vel amissos tanta illum urget affectio, ut super hac eorum absentia nullum sibi solatium conferri videatur, sed afflicta ejus canities cum dolore ad inferos deducatur. Perditio quidem Joseph, si adversi quidquam Benjamin patiatur, non vult pater vivere, ne vivendo gravius torqueatur ; cum ex quo ipsum Joseph devorasse fera pessima nuntiatur, pater sibi non vivere, sed mori potius videatur. Etsi enim carnem ejus non læsit morsus bestiæ sævioris, pium tamen ejus spiritum dure tetigit mors doloris ; et multo mitius in filium furore brevi bestia dura sævit, quam in patrem doloris angustia quem torquere jam diutius consuevit. Quamvis eidem filio nihil mali, nihil discriminis accidisset, sed pater solus graves angustias incidisset, qui quoniam mendaciis credens, Joseph morte perditum æstimabat, multo dierum spatio, doloris magnitudine moriens laborabat. Quo contra cum Joseph vivere fratres ejus eidem patri querulo retulissent, et ei seriatim illius verba, mandata, munera protulissent, et ille tandem compelleretur fidem narrantibus adhibere, non valens intra claustra silentii magnitudinem gaudii continere, revixit, ait Scriptura, spiritus ejus, et ait : « Sufficit mihi si adhuc Joseph filius meus vivit (*Gen.* XLV). »

Cum dicit Scriptura illius spiritum revixisse, profecto innuit eum quodammodo mortuum exstitisse, cui sicut amaritudo tristitiæ mortis molestias intulit, sic vitam gratiorem lætitiæ adventus reattulit. Nihilominus arbor mala et fructus ejus dici malus aliquoties invenitur, eo quod amarus esse, vel inutilis comperitur; et cum illa bono auctore bene condita in suo statu persistere cognoscantur, mala tamen dici possunt, cum solius amaritudinis accusantur. « Omnis, inquit, arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit (*Matth.* XLVII). » Sicut bonam arborem et fructus ejus bonos Matthæus prædicavit, sic et malam arborem et fructus ejus malos nihilominus affirmavit, ut sciamus malitiam non eam esse quæ contraria justitiæ legibus invenitur, sed tristem amaritudinem quam incongruam discretio cujusvis experitur.

CAPUT CVIII.

Cujusmodi malitiam discrevit prudentia Jeremiæ, cum duos ei calathos ostendit Spiritus prophetiæ, quorum unus læta et prospera mysteriaiter continere, alter vero inventus est ad tristia et incommoda pertinere. « Ostendit, inquit, mihi Dominus, et ecce duo calathi pleni ficis. Et dixit Dominus ad me : Quid tu vides, Jeremia? Et dixi : Ficus bonas, bonas valde; et malas, malas valde, quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ (*Jer.* XXIV). » Nullam in his ficubus majorem possumus malitiam invenire, quam quia non videntur esui convenire, ut scilicet a longe earum amaritudinem quilibet abhorrescant, vel forte propius attrectantium dentes gravius obstupescant. Quid autem in hac ficuum malitia voluerit Dominus designare, voluit verbis sequentibus demonstrare, et cum ipse bonus bonorum testetur se omnium largitorem, hujus tamen malitiæ ostendit nihilominus se auctorem. « Sicut ficus pessimæ, ait, quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ, sic dabo Sedeciam regem Juda et principes ejus, et dabo eos in vexationem, afflictionemque omnibus regnis terræ, in opprobrium et in proverbium et in maledictionem, et mittam in eos gladium et famem et pestem, donec consumantur (*ibid.*). » Hæc est malitia vel maledictio, hæc sunt mala quæ Deus potentialiter operatur, qui tamen summe bonus Scripturarum testimoniis comprobatur, quia et hoc a bonitate sua non asseritur vel conceditur abhorrere, si ejus nos justitia compellit mala et tristia quæ meruimus sustinere. Quod per Isaiam insinuans, ait : « Ego Dominus, et non est alter, formans lucem et creans tenebras : faciens pacem et creans malum; ego Dominus faciens omnia hæc (*Isa.* XLV). » Quoniam ad lucem oculus invigilat, animus hilarescit, ad agendum quævis negotia quisque agilior invalescit, mundus ipse nova quadam specie gratanter informatur, dum in rebus variis sua cuique facies reformatur, recte per lucem læta et prospera voluit designari, quæ Deus bonitate ingenita diligit operari.

Quia vero præsentibus tenebris caligat oculus, manus contractior intorpescit, ligatur pes, animus contabescit : ipsum mundum quodammodo confundit obscuritas introducta, coloribus variis quod suum est aufert confusio superducta; recte per tenebras, tristis adversitas figuratur, quæ a justo judice nostris nonunquam meritis irrogatur. Unde et Job : « Rursum ait : post tenebras spero lucem (*Job* XVII). » Considerans vir justus illius se judicio tribulari, qui fideles suos non perire desiderat, sed purgari, iram ejus sentiens de misericordia non desperat, sed illo feriente, in sua ipse innocentia perseverat, et post tristia et aspera quæ velut tenebras cogitur sustinere, læta credit et prospera tanquam lucem plenius obtinere. Sperat quippe non semper ipsum judicem sæviturum, sed post iram et verbera **675** misericorditer gratiam largiturum, quia idem qui creare tenebras Isaiæ vaticinio prædicatur, lucem quoque formare nihilominus affirmatur. « Formans, inquit, lucem et creans tenebras. » Quod aliis verbis inculcans subjungit : « Faciens pacem et creans malum. » Malum dicit, gladium, famem, pestem et cætera hujusmodi quæ durius nos molestant, quæ pacis et otii amatores molesto gravamine nos infestant, quibus Deus vel injustos juste judicans vult torqueri, vel ad majus meritum justorum patientiam exerceri. Unde apud Jeremiam : « Ecce, inquit, ego inducam super eos mala (*Jer.* XI). » Quæ autem sint hæc mala, paulo infra exponens, ait : « Juvenes morientur in gladio, filii eorum et filiæ eorum morientur fame, et non erunt reliquiæ eis : inducam enim malum super virum Anathot (*ibid.*). » Et longe infra : « Ecce, inquit, ego vigilabo super eos in malum et non in bonum, et consumentur omnes gladio et fame (*Jer.* XLIV). » Videtis quia gladium et famem et quidquid nos hujusmodi videtur affligere Deus malum nominat, quod iratus nobis curat infligere, nec quidquam tale patimur nisi eo justius inferente, imo nullum tale malum fit nisi eo procul dubio faciente. Quod, etsi bono Deo nihil mali creditur adhærere, non tamen hæc assertio a vero credenda est abhorrere, quin scilicet bonus Deus faciat tale malum, imo nisi eo faciente, nullum prorsus hujusmodi fiat malum. A qua prædictorum sententia Amos quoque Thecuites non dissentit, quia in diversis hominibus prophetalis spiritus idem sentit, et cum vel loco vel tempore prophetæ ab invicem sint disjuncti, eodem tamen sensu, eodem spiritu sunt conjuncti. « Si erit malum, ait Amos, in civitate quod Dominus non fecit (*Amos.* III). » Non æstimat propheta ut adversi quidquam civitas patiatur, ut peste, gladio vel ariete quatiatur, nisi eo faciente qui eam rebellem sanctitati, virtutibus immunitam, ream pertinaciæ, esse non sustinet impunitam. Qui plerumque facturus malum, malum dignatur prædicere, et antequam feriat, minas et errores inculcare, ut timore peccator concussus, a proposito festinet desistere, et ultor jam placatus in

vaginam mucronem convertere. Nam cum judex iratus mala dicit et gravia se facturum, et pœnas peccatori dignas pro meritis illaturum, si minis ille perterritus festinaverit pœnitere, gaudet judex malum quod locutus fuerat non explere. Quod asserens Jonas : « Vidit, inquit Deus, quia conversi sunt de via sua mala, et misertus est super malitia quam locutus fuerat ut faceret eis et non fecit (*Joan.* III). » Malitiam, appellat subversionem, quam Deus minando fuerat prælocutus sed non eam, quasi mutato consilio prosecutus, quia prænuntiato subversionis malo, Ninive ad pœnitentiam se convertit, et ille pœnitentem, ductus misericordia non subvertit. Attendens quippe devotionem lugentium, pœnitentium disciplinam, conversa manu remisit gladium in vaginam, ut in ea sopito iræ incendio refrigescat, et contentus loco suo idem gladius sub silentio delitescat. Emissus enim magnum iste gladius dat clamorem, cum oblitus patientiæ, pronus rapitur in furorem, cum laxato quasi loro in quousque miseros durius debacchatur, et ad luctum et clamorem illorum miseria graviter excitatur.

CAPUT CIX.

Cum Jeremias Palæstinorum faceret mentionem et ad debellandum eos venire diceret Pharaonem, signanter ostendit furorem et impetum et malitiam inferentis, et econtra ululatum et clamorem et miseriam sufferentis. « Ecce, inquit, aquæ descendunt ab aquilone, et erunt quasi torrens inundans, et operient terram et plenitudinem ejus (*Jer.* XLVII). » Aquas dicit Pharaonem et suos qui ad debellandum Palæstinos potentialiter efferuntur, et instar aquarum super terræ faciem diffunduntur, et quasi torrens inundans impetu gravi ad bella prosiliunt, parcunt nulli, cuncta diripiunt. Et recte aquis vel torrenti amatores prælii comparantur, quia sopito silentio gravi cum strepitu debacchantur, et sicut dure sonat, fremit, intonat aquæ impetus rugientis, sic præceps militia vel magis malitia populi sævientis. Unde supra de populo bellatore idem propheta dicit : « Crudelis est et non miserebitur, vox ejus quasi mare sonat (*Jer.* VI). » Cum ad bellandum populus flante nequam spiritu promovetur, et furore gravi tumens, nulli hostium miseretur, vox ejus quasi mare non immerito sonare perhibetur, quia ei multa inest confusio, nullus ordo, modus malitiæ non habetur. Cum autem clamore tanto debacchatur gladius impugnantis, et quasi mare sonat tumultuosa garrulitas expugnantis, profecto expugnati quoque sub silentio non premuntur, sed urgentibus malis longe clamare aliter compelluntur. Expugnantes enim furore et lætitia plausibiliter efferuntur, expugnati vero luctu et tristitia miserabiliter conqueruntur et longe lateque illorum dissona vox auditur, prorsusque a neutris teneri silentium invenitur. Ideo Jeremias cum prædictum Pharaonem venire diceret ad debellandum Palæstinos, de eisdem Palæstinis subjunxit : « Clamabunt homines et ululabunt omnes habitatores terræ a strepitu pompæ armorum et bellatorum ejus ; a commotione quadrigarum ejus et multitudine rotarum illius (*Jer.* XLVII). » Videtis armorum pompam, strepitum bellatorum, commotionem **676** quadrigarum, rotarum multitudinem, cum scilicet Pharao ad bellum velut torrens influit repentinus, ad cujus præsentiam clamat, gemit, frendet, ululat Palæstinus. Ne autem hæc afflictio quæ in Palæstinos durius exercetur, militiæ Pharaonis et suorum viribus assignetur, ostendit propheta, cui verius et convenientius ascribatur, ut hujus mali vel malitiæ auctor certius cognoscatur : « Depopulatus est, inquit, Dominus Palæstinos (*ibid.*). » Et si nequitia Pharaonis ad explendum belium manus apposuit, summa tamen Dei justitia sic fieri bellum disposuit, et cum Palæstinis juste sua disponeret merita remetiri, per immissum Pharaonem eos voluit sic puniri. De qualibus David : « Immissiones, ait, per angelos malos (*Psal.* LXXVII). » Angeli quidem mali nonnunquam ad puniendum quoslibet immittuntur, et suam in eis explere voluntatem justo Dei judicio permittuntur, et cum eisdem vel immissis vel permissis nequitia vel odium ascribatur, nimirum imminenti summa ipsa operis assignatur. Ideo recte non dixit propheta : Depopulatus est Pharao Palæstinos, sed : « Depopulatus est, inquit, Dominus Palæstinos, » quia, etsi in conterendis illis gaudet Pharao ministrum se fuisse, novit tamen propheta præceptorem Dominum exstitisse. Quodpropter attendens quantus in hac contritione tumultus habeatur, dum in populum suum indignantis gladius Domini debacchatur, quasi compatiens et dolens eumdem populum deperire, aggreditur propheta tumultuantem gladium convenire : « Usquequo, ait, concideris, o mucro Domini! usquequo non quiescis? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, et sile (*Jer.* XLVII). » Videt propheta quod a luctu et ululatu miser populus non quiescit, sed divina indignatio, si furor iracundiæ non frigescit, si gladius quem ad feriendum extenta manu vindicis evaginat, mutato proposito in vaginam regredi non festinat. (*Sic.*) Quandiu enim ab ira et furore non silet gladius ferientis, a luctu et clamore non silet miseria patientis ; et ideo recte ad silendum in vaginæ refrigerio gladius invitatur, ut eo recondito, miser quoque silere concedatur. Verum idem gladius non potest a proposito cohiberi, et revertens in sua optato silentio non teneri, si divina manus quæ illum suo laxat arbitrio vel educit, in locum proprium præcepto gratiæ non reducit. Quod propheta subjungens : « Quomodo, ait, quiescet cum Dominus præceperit ei atque condixerit illi? » (*Ibid.*) Et si rogo, ait, ut in locum suum gladius revertatur, et in refrigerium ira, tumultus ejus in silentium convertatur, novi tamen quia in sæviendo majoris obsequitur potestati, nec quiescet, nisi prius divinæ placeat voluntati. Nam sicut a malis noxiis divina potentia dat silere, cum ea diutius non vult ejus patientia sustinere, sic nisi eo dante a malis tristibus non siletur, cum scilicet patienti ejus benevolentia misereatur.

Cum autem malis noxiis dispositio divina silentium vult imponi, et ea vel non affectari corde, vel affectata manifestius non exponi, suam nobis vel infundit gratiam, ut eadem noxia non velimus, vel nociva aufert licentiam, ut explere juxta libitum non possimus. Ejus gratiam infundi sibi David post peccatum Uriæ devotius exoptabat, et ut malis noxiis finem daret, secretum cordis purgari postulabat, ut sicut læsus fuerat non solum affectu sed effectu quoque nefariæ pravitatis, sic mundus redderetur non solum ab opere, sed et a vitio noxiæ voluntatis. « Amplius, inquit, lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me (*Psal.* L). » Amplius lavatur, cum jam peccatum non solum manus operatoria non attrectat, sed internæ voluntatis quassa mollities non affectat, cum jam valet non solum gressus suos ab illius maculis expedire, sed occurrentem illius memoriam horrore libero fastidire. Amplius lavatur, cum et sensus corporeos peccati retrahit ab effectu, et ampliore gratia internam conscientiam purificat ab affectu, cum suggestiones noxias quodam virtutis repulsorio longefacit, vel proterve irruentibus nullo cordis assensu vel ad modicum satisfacit. Unde infra subjungit : « Cor mundum crea in me, Deus (*ibid.*). » Cum Propheta in se cor mundum sollicite vult creari, profecto a malis noxiis expressius vult mundari, ut non solum ab opere immunditiæ pravitas diluatur, sed in cordis abscondito nulla sorde voluntas polluatur. Cujusmodi beneficium nonnullis divina bonitas impertitur, et hanc ejus largitatem eorum felicitas experitur, qui depulsa frigescente malitia, afflatu sancti Spiritus inardescunt, et soluta glaciali duritia, ad diligendum Deum tenerius emollescunt.

De quibus per Ezechielem Dominus : « Spiritum, inquit, novum tribuam in visceribus eorum, et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum (*Ezech.* XI). » Cor lapideum dicit, quod tanta obstinatione et duritia congelatur, ut non divini vel amoris vel timoris malleo quatiatur, ut, etiamsi Moyses vel Aaron plagarum imminere discrimina repromittat, illud tamen induratum salubre consilium non admittat. Obstinatam cujus duritiam Deus aliquando miserans intuetur, et pereuntis animæ sua ipsius gratia miseretur, et cum ejus conversionem jam non diutius vult differre, curat potenti manu ab ea lapideum cor auferre. Sublato autem lapide, quo illa misera premebatur, et ne ad vitam surgeret **677** duro velut tumulo tenebatur, carneum illi cor larga Dei dat miseratio, mollemque et tenerum reddit nova ejus dilectio. Carneum quippe cor divina gratia dicitur illi dare, cui diligendi affectum dignatur mollem et tenerum inspirare, ut qui odio vel contemptu rigidus fuerat ad amandi propositum inflectatur, et quod amare decreverit, molli quadam teneritudine complectatur. Nam si amoris facula paulo vehementius cor ignitur, profecto posita duritia tenerius emollitur, et quod illo absente durum nimis et asperum invenitur, eodem præsente asperitatem mutare, tenera mollitie comperitur. Unde quidam ethnicus qui amore erga suos affectuosius tenebatur, et posita virili auctoritate velut in femineam mollitiem solvebatur :

Sive pium vis hoc, ait, *sive hoc muliebre vocari,*
Confiteor misero molle cor esse mihi.
OVID.

Poeta qui obtinendæ inanis gloriæ facibus inardescit, qui fastu scientiæ tanquam uter vento expositus intumescit, quia tamen sentit erga suos amore tenero se teneri, molle sibi cor esse non dedignatur evidentius confiteri.

CAPUT CX.

Jacob etiam filium suum Benjamin tenere diligebat, qui reliquos in Ægyptum mittens, illum procul a se abire non sinebat ; quem tandem mittere coactus angustia gravi premitur et timore, ne si adversi quidpiam patiatur junior, deducatur senior ad inferos cum dolore. De quo et Judas : « Pater, inquit, tenere diligit eum. » Et pater : « Si tuleritis, ait, et istum, et aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum mœrore ad inferos (*Gen.* XLIV). »

Videtis patrem erga filium molle et tenerum cor habere, et sicut Judas ait, hujus animam ex illius anima dependere, quem sublata virili austeritate et affectus lapide durioris, totum quasi carneum reddiderat vis amoris. Hujusmodi carneum cor Deus nobis dicitur impertire, cum sui nos amoris incendio dignatur emollire, cum sic nos afficit ut quidquid ejus sanctæ voluntati contrarium comperimus, ejus beneplacito conniti pari sententia non velimus. Sic a nobis mala noxia ejus bonitas alienat, cum non solum nefario manus ab opere jam refrenat, sed et nostræ medetur infusa gratia voluntati, ut vel in cordis abscondito nulli consentiat pravitati. Cum autem voluntas nostra divino beneficio non sanatur, et pravitatem quamlibet in interioris officinæ secretario machinatur, plerumque summus judex nequam affectui efficaciam non concedit, et concepta nequitia foras in opus nefarium non procedit. Et cum eo, quod ipse novit, consilio peccandi non auferat voluntatem, æquo tamen judicio explendi subtrahit facultatem, et intra conscientiam velut ignis in fornace nequiter inardescit, sed obstruso spiraculo erumpendi aditus non patescit. Unde per Isaiam : « Quiescere faciam, inquit, superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo (*Isa.* XIII). » Et per Ezechielem : « Quiescere faciam, ait, superbiam potentium (*Ezech.* VII). » Infidelium superbia vel arrogantia fortium quodammodo conquiescit, cum pressa et oppressa velut sub modio delitescit, cum radice virulenta in profundum quidem tendit, sed desuper velut astricta gelu terra sese in ramos operum non extendit. Quod etiam per Osee innuens : « Ecce, inquit, ego sepiam viam

tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet (*Ose.* II). » Nimirum via nostra spinis vel maceria tunc sepitur, nec procedendi semita manifestior invenitur, cum illicita passione tanquam intra cubiculum cor ignitur, sed internæ clamor malitiæ clauso velut ostio forinsecus non auditur. Interno quippe affectui nonnunquam ostium Deus claudit, frementemque interius et gestientem erumpere non exaudit, et cum undis exuberantibus ille foras tanquam de fontis gurgustio vult exire, objectis difficultatis obicibus iste non vult alveum aperire. Cum itaque affectiones carnales instar aquarum fluxæ et labiles habeantur, et semper ad effectus completivos, velut ad profunda pervenire vallium enitantur, eas tamen quas impellit natura proclivior ad fluendum, occurrens et resistens censura districtior reddit velut stabiles ad sistendum. De quibus in Psalmo : « Et statuit aquas quasi in utre (*Psal.* LXXVII). » Quia uter de pelle factus est, recte per eum caro nostra signatur, infra cujus ambitum fluxa concupiscentia tanquam loro stabili colligatur, cum in recessu cordis turbulentos quidem congerit affectus, sed eos obvia difficultate non derivat per sensus corporis in effectus. Non vult enim summa Dei justitia ut cum sentinæ cordis torrens affectuum carnalium infundatur, optata libertate per rivos operum diffundatur, sed perversarum collectam amaritudinem voluntatum, districta manu intra utrem cohibet oppilatum. Unde in alio psalmo : « Congregans sicut in utre aquas maris (*Psal.* XXXII). » Mare naturali quodam fervore aliquoties perturbatur, aliquoties autem impulsu ventorum supervenientium agitatur, et undarum exuberantia remotius diffusa spatia frequenter occuparet, si non ejus tumultui altitudo sese littoris objectaret. Intra hujus itaque angustias mare sæviens coarctatur, et in se ipso relidens fluctus suos non juxta libitum evagatur, gravi quidem ira implacabiliter commovetur, sed tanquam utre clausum intra fines positos coercetur. Sic nimirum **678** nonnullorum malitia plerumque in secreto cordium inardescit, sed exeundi ad opus optata janua non patescit, intus peccator æstuans frendet velut dentibus et tabescit, malus in abscondito foris a malis noxiis conticescit.

CAPUT CXI.

Sicut autem ab hujusmodi malis facit Dei vel gratia vel potentia nos silere, cum scilicet aut peccandi voluntatem, aut explendi facultatem dignatur removere ; sic a malis tristibus facit nos ejusdem benevolentia feriari, cum labores tandem nostros vult quietis optatæ beneficio levigari. Nam quoscunque disponit futuræ quietis gratia refoveri, eos prius sustinet quibusdam tristioribus exerceri, et eo illis reddit dona seqnentis gratiæ gratiora, quo pocula prævіæ amaritudinis præsenserint et prægustaverint tristiora. Quare autem illos velit dura et tristia præsentire, quos benigne præordinat ad optatum quietis refrigerium pervenire, causæ quidem evidentes in Scripturis videntur inveniri, ut diligens lector possit ab ignorantiæ maculis expediri. Aliquando quippe ad hoc electi dura et tristia patiuntur, et in hac vita misera miseriis et molestiis quatiuntur, ut velut in camino vitiorum suorum decocta pravitas cinerescat, et in modum argenti sive auri, acquisita virtutum puritas enitescat. Unde in Psalmo : « Visitabo, ait, in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non auferam ab eo (*Psal.* LXXXVIII). » Et per Amos prophetam : « Tantummodo, ait, vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ, ideireo visitabo super vos omnes iniquitates vestras (*Amos.* III). » Et in libro Machabæorum : « Multo, ait, tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium (*II Mach.* VI). » Et paulo infra : « Corripiens, ait, in adversis, populum suum non derelinquit (*ibid.*). » Videtis quia electorum suorum Deus non sinit ad summum vitia cumulari, sed afflictione ultoria vult ea citius resecari, ut quo inpræsentiarum patiendo pro Christo inveniuntur miseriores, eo reddantur ejusdem misericordia digniores ; et quo magis affligente pœnali jugo cervice subdita coercentur, eo amplius, cum tempus gloriæ venerit, exaltentur. Quos alloquens Jacobus apostolus : « Miseri, ait, estote et lugete ; humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos (*Jac.* IV). »

Aliquando autem electis suis ad hoc Deus dura et tristia vult infligi, et licet immeritos, sufferre tamen molestias et affligi, ut cum in eis non sit culpa quæ mordaci digne cauterio durius aduratur, virtutis et patientiæ meritum augeatur, ut non tam de peccato soluta pœna, felicem veniam consequantur, quam de patientia victricis gloriæ præmia mereantur. Quod in Job elucet, de quo scriptum est : « In omnibus his non peccavit Job labiis suis (*Job* I, II). » Et infra : « Commovisti me, ait, adversus eum, ut affligerem illum frustra (*Job* II). » Frustra quidem justus quilibet affligi perhibetur, cum ei non peccanti pœna peccantium adhibetur, cum in eo non plumbum, non stannum, non aliud quo purgari debeat, invenitur, et tamen velut aurum in fornace ignem purgatorium experitur (*Prov.* XXVII). Sic Tobiam distillante nido hirundinis excæcatum, et cæcitatis suæ eventu subito non turbatum, tantam adversitatem, tam sereno prorsus animo Scriptura memorat pertulisse, ut cum beato Job non dubitaverit contulisse. « Hanc, ait, tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daret exemplum patientiæ ejus, sicut et sancti Job (*Tob.* II). » Videtis quia hæc tentatio, hæc cæcitatis pœna, non tam peccatum præteritum expiavit, quam occultam viri patientiam illustravit, fecit ut virtutis ejus meritum augeretur, dum formam vel exemplum, instar Job, tam futuris quam præsentibus largiretur. Aliquando vero quilibet ad hoc malis tristibus coerce-

tur, et cum nihil meruerit, pœna immerita perurgetur, ut in eo Dei virtus et potentia declaretur, declarata dignis intuentium laudibus honoretur. Quod in illo, qui passus est ingenitæ ab utero molestias cæcitatis, impletum esse indicat auctor evangelicæ veritatis. Discipulis forte æstimantibus quod non nisi peccato exigente nascantur pueri non videntes, et quærentibus curiose, utrum ille peccaverit, an parentes : « Rabbi, inquiunt, quis peccavit? hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? » (*Joan.* IX.) Bene discipuli sentiunt parentum peccata verti plerumque in perniciem filiorum, et illis delinquentibus istos pœnas solvere delictorum, severo quidem, sed vero judicio summæ et incomprehensibilis æquitatis, quæ sicut a peccantibus, sic a non peccantibus pœnas exigit de peccatis. Nam cum parentes Deum offendere non verentur, et contracta offensione pœnas luere promerentur, eos quos carne sua genitos affectu optant tenero prosperari, suo Deus consilio permittit corporaliter cruciari, ut mala quibus in corpore filii non suo merito cruciantur, ad male meritos parentum animos transferantur, et in eis vel ex eis parentes sibi pœnas sentiant provenire, in quibus vel de quibus optabant et sperabant gratum consolationis beneficium invenire. In hoc autem discipuli falluntur, quod quempiam non putant corporaliter cruciari, nisi eum suo vel suorum delicto contigerit aggravari, et volentes experiri utrum Christus sit **679** occultæ *. At ille : « Neque hic peccavit, ait, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo (*ibid.*). » Quod hominem formans in utero velut imperfectum natura dereliquit, parentes quidem ejus vel idem ipse filius non deliquit, sed ille summus auctor qui Deus et Dominus est naturæ, quantum voluit vel negavit, vel contulit genituræ. Negavit autem lumen, non ut parentibus aut filio pœnam redderet pro peccatis, sed ut cunctis ostenderet suæ magnificentiam potestatis, ut videntes Judæi hominem multis annis ab utero deformatum, et potenti manu Christi infuso lumine subito reformatum, eumdem Christum, Deum et Dei esse Filium nullatenus dubitarent, et fide stabiles, voce prompti, divina ejus opera collaudarent.

Eorum autem quibus Deus his causis, quas diximus, tristia vult inferri, et illatis malis bona sequentia vult conferri, aliquos in hac præsenti vita vult quietis qualicunque refrigerio consolari, aliquos non nisi post hanc vitam a quibusdam tristibus liberari. In Evangelio : « Quia hæc locutus sum vobis, ait, tristitia implevit cor vestrum (*Joan.* XVI). » Et infra : « Nunc igitur, ait, tristitiam habetis. Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum (*ibid.*). » Vult discipulos suos Christus audito verbo diutius non torqueri, nec eos in modicis tristitiæ fluctibus absorberi, sed tanquam mulier cum parit, tristitiam habere perhibetur, cum autem pepererit, oblita pressuræ, gaudio refovetur : sic audito vel exhibito passionis ejus mysterio molestiarum tumultibus aggravantur, et manifestata resurrectionis gloria augmento fidei, spei certitudine, dilectionis gratia, visitante Spiritu consolantur. Sic etiam cum de quo supra diximus Job cum damna innumera, cum adversarii verbera durius affixissent, et ad cumulum miseriæ amici ejus percussum invisere condixissent, divina ejus miseratio non sustinuit perdurare tot et tantis adversitatibus inquietum, sed duplicata facultate, sobole restituta sanum reddidit et quietum. Similiter cum Tobiæ satis innocuo hospes nequam hirundo nidificans invidisset, et per dies plurimos lumen cœli, terræ faciem non vidisset, reverso tandem filio cum uxore filia Raguelis, recepit visum perditum grato medicamine Raphaelis. Sic divina miseratio illius tristitiæ nebulas abolevit, et ille confortatus velut sub silentio requievit, dum pulsis longe malis quibus tristis graviter angebatur, tam de reverso filio, quam de recepto lumine gratulatur. Nec solum qui tristia sufferunt, silere ab eis vel quiescere perhibentur, cum eis longe factis consolationis beneficio refoventur, sed et illi qui inferunt, quiescere nihilominus dicuntur et silere, cum mutato proposito cessant mala sufferentibus intorquere. Nec facile quiescunt vel gaudent silentio sufferentes, si non aut inviti, aut voluntarii quiescunt inferentes, et recto quidem ordine in illis quies qualiscunque vel silentium inchoatur, quod ad istos deveniens grata eorum experientia consummatur. Ut igitur et illi sileant qui cæteris inferre tristia moliuntur et consolentur isti, quibus invitis eadem inferuntur, sermo divinus invenitur illos aliquoties commonere, qui, quantum in se est, mala vult ab hominibus omnia removere. « Quiescite, ait, ab homine cujus spiritus in naribus ejus est, quia excelsus reputatus est ipse (*Isa.* II). » Et ad Ezechielem : « Verba, inquit, mea loqueris ad eos, si forte audiant et quiescant, quia domus exasperans est (*Ezech.* II). » Videt Isaias, videt Ezechiel, imo videt spiritus prophetalis quod adversus Christum Dei conveniret fremitus popularis, et ad hoc deveniret tumultus populi sævientis, ut exclamare cogeretur afflicta miseria sufferentis. « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI). » Quia iste sic infirmus, ut et fortis; sic humilis ut excelsus; sic homo est, ut et Deus; recte ab eo quiescere sermone prophetico Judæi commonentur, ne scilicet exasperent quem verum hominem intuentur, quia, qui infirmum, qui humilem, qui hominem contristabit, eum, ille apparens excelsior, potentialiter judicabit. Sic etiam cum principis Holofernis potentia diversis longe populis innotescit, et ad rumorem ejus eorum infirmitas expavescit, occurrunt nonnulli et orant obnixius, ut quiescat, et erga sibi subjectos ejus indignatio mansuescat, ne scilicet in eos apponat durius desævire, qui tam ejus quam regis imperio parati sunt fideliter deservire. « Desinat, inquiunt, indignatio tua circa nos, melius est enim ut viventes serviamus regi Nabuchodonosor, et subditi simus tibi (*Judith* III). » Et infra : « Veni nobis pacificus Do-

* Phrasis manca.

minus, et utere servitio nostro sicut placuerit tibi (*ibid.*). » At ille non prece, non pretio, non devoto illorum obsequio mitigatur, sed in eos despumat velut aper, ut leo indomitus efferatur; et quo magis hujus furore illorum miseria contabescit, eo magis hujus furens animus hilarescit. Et unde afflictorum tristis et arida mens ægrescit, inde insolens affligentis animus impinguescit, et mente perditus in hoc se putat fieri gloriosum, si potenti malitia cunctis se reddiderit odiosum. Cum autem divina miseratio visitare voluit tristia sufferentes, eo modo quo voluit, de medio sustulit inferentes; et viduam Judith elegantem vultu, præditam castitate, disertam eloquio, commendabilem sanctitate, misit ad principem Baccho et Venere seducendum, et pugione proprio per manum mulieris occidendum. Et quia illo vigente et inferente, mala tristia viguerunt, eodem quiescente, et **680** illa pariter quieverunt; et cujus non est voluntas nequam in melius commutata, ei justo judicio possibilitas est ablata. Ipse quoque Deus, qui non nisi juste inferre tristia perhibetur, ab eisdem nonnunquam silere, vel quiescere commonetur; quia si non ab inferendo ejus ira vel animadversio conticescit, a sufferendo nostra indignorum miseria non quiescit. Cum Aaron pontificem ad fabricandum novos deos populus induxisset, et ille male timidus, auro igni tradito conflatilem vitulum produxisset, Dominus qui in monte grato colloquio Moysen instruebat, et mandata vitæ ad planiora populo dirigebat : « Dimitte me, ait, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos (*Exod.* XXXII). »

Exasperanti populo vult Deus paria respondere, et lætantium idololatriam tristi pœna subito coercere, ut qui salutis contemptores vitæ respuunt disciplinam, irati Conditoris tristem manum sentiant ad ruinam. Cui Moyses : « Quiescat, inquit, ira tua et esto placabilis super nequitia populi tui. » Quamvis domus exasperans rea idololatriæ teneatur, quæso tamen ne ex toto juxta meritum deleatur, ne usque ad internecionem inveniatur ira tua tristibus desævire, ne videaris Ægyptiis ridendi materiam impertire. Oderant enim Ægyptii filios Israel, et illorum prosperitate graviter angebantur, et si Deo irato illi pro meritis ad interitum devenirent, isti ad insultandum et detrahendum velut de insidiis prosilirent, garrientes quod illi de Ægypto eventu non prospero sint educti, et defectu promissoris ad terram optatam nullatenus introducti. « Ne dicant, inquit, Ægyptii : Callide eduxit eos ut occideret in montibus et deleret e terra (*ibid.*). » Vult Moyses iratum judicem tristia populo juxta propositum non inferre, vult peccantem populum digna pro meritis non sufferre, ne ad ruinam ejus inveniatur hostis invidus exsultare, et auctori tanquam seductori, plausu risorio nequiter insultare. Vult, inquam, eos qui peccaverant penitus non deleri, quamvis eorum culpas castigatione congrua diligat aboleri; sciens quia et Dei justitia culpas intra suum sanctuarium non admittit, et tamen plerumque perire culpabiles ejusdem misericordia non permittit. Novit quippe quia quos peccantes gravius divina gratia vult salvari, non sinit incorrectos morte subita contristari; sed prius curat eos per tristem pœnitentiam castigari, castigatos certa spe veniæ consolari.

CAPUT CXII.

Quos autem justo suo judicio salvare non disponit, eis malagma salutaris pœnitentiæ non apponit, sed eos vel cita morte ferit, ne diutius insolescant, vel permittit vivere, ut sordidi plus sordescant; viventes vero plerumque datis verberibus non contristat, ut eorum perversitati quævis adversitas non resistat; et sic eos uti sinit latitudine propriæ voluntatis, ut de malo proficientes in pejus libere corruant in peccatis. Silet igitur apud istos judex severior et quiescit, nec in eos ad præsens ira ejus puniens inardescit, dum per mala noxia habenis feruntur laxioribus et discurrunt, eorumque discursui quævis tristia non occurrunt. Quod per Ezechielem insinuans animæ peccatrici ait : « Auferetur zelus meus a te, et quiescam, nec irascar amplius (*Ezech.* XVI). » Quoniam, inquit, te salvari culpis tuis exigentibus jam non curo, adversus te induratam et ipse cor meum similiter jam induro; et vulneri tuo non appono ferrum præsens, malagma, oleum, ligaturam, sed relinquo te tibi tuo tandem arbitrio perituram. Si enim te salvare tam mea gratia quam tuo merito decrevissem, profecto vulnus tuum ferro tristitiæ secuissem, nec in tuo proposito permitterem te juxta libitum prosperari, sed mala noxia vellem cito malis tristibus emundari. Quiescam igitur, nec irascar, nec ad præsens inferam quod mereris, et agens quævis noxia, nulla tamen tristia patieris, sed voluntatis propriæ tam diffusa latitudine potieris, ut sub ejus tanquam umbraculo, quiete et silentio delecteris. Econtra quibus disponit divina benevolentia misereri, eos nimirum vult plerumque pœnis præsentibus exerceri, et tanquam irascens fremit, tonat, percutit et medetur; et non parcens vulneri, vulnerato benigne miseretur. Unde in Psalmo : « Iratus es, inquit, et misertus es nobis (*Psal.* LIX). » Et Habacuc : « Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis (*Habac.* III). » Ira quippe medici qua in vulnus creditur desævire, cum putridas carnes secans, ad summum curat putredinis devenire, misericordia dici potest, qua ægrotum penitus non perire, sed curatum ferro tristi ad salutis beneficium vult redire. Dignum est autem ut qui ad contrahendam ægritudinem sibi diligentius non præcavit, dum instar Adæ, prudens et intelligens a justitia declinavit, aut forte, ut bene ageret intelligere non curavit, medicinalem panem nonnisi comedat in sudore, et quod stulte contraxit, sanari sentiat cum mœrore. Hoc propter justus Judex salutarem deserentibus disciplinam, mordacem vel invitis curat apponere medicinam, volens ut quisquis infirmus lenocinio carnis aut

spiritus deviat a virtute, nonnisi per tristitiæ amaritudinem rursus gaudeat de salute.

Hinc est quod filii Israel, cum peccare in libro Judicum referuntur, consequenter in **681** manus tradi diripientium asseruntur, et eorum noxia, gravi tristitia puniuntur, expletaque vindicta, tandem ad quietem et silentium revertuntur. « Fecerunt, inquit, filii Israel malum in conspectu Domini, et obliti sunt Dei sui, servientes Baalim et Astaroth. Iratusque Dominus contra Israel, tradidit eos in manus Chusan Rasathaim, servieruntque ei octo annis (*Judic.* III). » Videtis peccantem populum diutius in proposito non gaudere, sed vindicta celeri, hostili Domino subjacere, et qui ex decreto corruptæ voluntatis diis alienis immerito servierunt, contra suam postmodum voluntatem, colla dominis opprimentibus subdiderunt. Et pulchre iniquorum pœnas dispensator providus ordinavit, et condigna præmia illorum meritis assignavit, cum eos, qui Deo vero cultura debita noluerant obedire, lance justa, talibus fecit oppressoribus deservire. « Tradidit, inquit, eos in manus Chusan Rasathaim (*ibid.*). » Iste dominus cui filios Israel animadversio divina subjecit, juri suo mancipatos duro imperio sic affecit, ut per octo annos sibi subditos graviter contristaret, contristatis nullum suspirandi aditum relaxaret. Denique ipsum nomen, vel nomina quibus oppressorem Scriptura voluit insignire, videtur, ut video, ejus officio convenire, et velut in fronte vel limine intuenti facile demonstratur, quæ mansio, quæ utilitas mansionis in interioribus habeatur. Chusan quippe interpretatur *Ethiopia eorum*, Rasathaim vero *impietas eorum*. Quia Ethiopia, quæ *tenebræ* vel *caligo* interpretatur, nigros et deformes populos habet, recte per eam interna quædam obscuratio designatur, cui cum impietas comes indivisa copulatur, oblitam Dei sui mentem miseram sic obscurant, obscuratam deprimunt, depressam caligine sic obdurant, ut nescia veræ lucis, igne sancti Spiritus non calescat, non lætitiæ spiritalis oleo salubriter hilarescat, sed nocturno pressa gelu, impietatis nubilo tenebrescat, tetrosque et deformes pariens cogitatus, tristi amaritudine contabescat. Itaque filii Israel Chusan Rasathaim regi Mesopotamiæ supponuntur, cum obscuritate graviter deprimuntur, cum depressi et defessi sub fasce gemunt velut regiæ potestatis, et libero privati arbitrio respirare non prævalent in auras libertatis. Tanto quidem pondere ad ima sunt et impia devoluti, et inclusi carcere, tantis obscuritatibus obvoluti, ut colla non a vinculis, non pedes valeant a compedibus expedire, et palpantes in tenebris diem lætum ad superos nesciant invenire. Unde et idem rex qui eos tristi jugo premere memoratur, in alia translatione Chusarsathon appellatur, eo quod illos veri pridem et summi luminis contemptores, velint nolint, detinens in profundo, tenebras eis ingerit tristiores. Chusarsathon quippe interpretatur *humiliatio eorum*. Eis quidem ui Deo vero non A digne reverentiam detulerunt, qui se adversus eum cervice dura, incircumciso corde contumaciter extulerunt, qui creaturæ potius quam Creatori servire voluerunt, dum contempto eo, Baalim et Astaroth coluerunt; eis, inquam, rex Chusarsathon gravi imperio dominatur, eos affligere, contristare, premere gratulatur : et quo suam in eos exercet efficacius potestatem, eo durius eorum quassat, premit, inclinat et humiliat voluntatem. Nam cum in sua vellent idololatria prosperari, agere dies festos, cultu reprobo gratulari, quiete et otio, festivoque silentio gloriari, ille eos tanta potentia, tam potenti gaudet malitia perurgere, ut eis non suæ erroneæ voluntati, non errori voluntario liceat adgaudere. Fremit itaque rex et tumultuatur, tristia B filiis Israel inferendo, frendent illi et tabescunt eadem sufferendo, et sic utrobique pax deficit, perit quies, silentium relegatur, bellum sonat, viget discordia, contentio principatur; si tamen contentio vel rixa proprie nominatur, ubi juxta quemdam ethnicum (Horat.) alter pulsat, alter vapulare solummodo demonstratur. Cum autem pulset gravis malignitas inferentis, vapulet vero tantum tristis miseria sufferentis, discunt quia longe melius erat eis Deo adhærere fideliter et supponi, quam peccantes in animas tribulantium sic exponi; cum in Dei cultu possit lætum et quietum silentium inveniri, arbitrantes vero compelluntur manum tristem punientem experiri. Quod propter suspirant de profundis, et de ventre inferi clamant ad Dominum, C quem, etsi jam noverunt punire semper juste contumelias delictorum, sciunt tamen plerumque non deesse votis et gemitibus afflictorum. Qui aure prona eorum audit gemitum et clamorem, et misertus clamantium, eis suscitat salvatorem, cujus prudentia et fortitudine voluit regem Chusarsathon superari, et eo superato, plebis suæ quietem et silentium reparari. Erat autem nomen illius Othoniel quod interpretatur *responsio Dei*, vel *tempus mihi Dei*. Responsio Dei recte dicitur, qui Deo respondet, vel cui Deus respondet. Deo respondet, qui aurem voluntariam illius erigit ad mandatum, qui vocanti vel jubenti exhibet se paratum, qui quod sibi subdito gratia præceptoris infundit audit, et aliud suis auditoribus non refundit. « Audivi, ait Isaias, vocem D Domini dicentis : Quem mittam et quis ibit nobis? Et dixi : Ecce ego sum, mitte me (*Isa.* VI). » Iste non solum ire quo mittitur non recusat, non solum grave mandantis imperium non accusat, sed etiam ultroneum et paratum offert se divinæ voluntati, respondet obsequium, defert reverentiam majestati. **682** « Paratus sum, ait David, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua (*Psal.* CXVIII). » Hujusmodi vir, responsio Dei est. Mittens Ezechielem Dominus, ait ei : « Loqueris verba mea ad eos (*Ezech.* III). » Et infra : « Audies, inquit, verba ex ore meo et annuntiabis eis ex me (*ibid.*). » Et Jeremiæ : « Ecce, inquit, dedi verba mea in ore tuo (*Jer.* I). » Et uterque missus a Domino ait :

Hæc dicit Dominus. Iste quoque, responsio Dei satis congrue nominatur, qui missus ad populum non de suo excogitat, non mendacia verbosatur, sed prius humiliter aurem pronam applicans præceptori, quod ab illo hauserit, suo postmodum refundit auditori. Qui etiam ob hoc responsio Dei potest dici, quia et Deus ei respondet. Ei autem Deus respondet, cum ejus non imperio, sed desiderio videtur obedire, cum devote præoptanti suam invenitur gratiam impertire, cum digna postulanti humilem reverentiam deferendo, aurem præbet patulam largius conferendo. Cum dicenti : « Da mihi intellectum ut discam mandata tua (*Psal.* CXVIII), » respondet : « Intellectum tibi dabo et instruam te (*Psal.* XXXI). » Cum dicenti : « Doce me facere voluntatem tuam (*Psal.* CXLII), » respondet : « Indicabit tibi, homo, quid sit bonum (*Mich.* VI). » Respondit etiam Salomoni cum ille sollicitus dari sibi sapientiam postularet, ut prælatus commissum recte populum gubernaret, ut eo imperante marcesceret ignorantia, injustitia consequens elangueret, vigeret discretio, justum judicium refloreret, cessaret contentio, bellum forti repagulo premeretur, præcurrens justitia occurrenti paci osculum largiretur. « Dabis, inquit, servo tuo cor docile ut judicare possit populum tuum, et discernere inter bonum et malum (*III Reg.* III). » Et Deus ad illum : « Quia postulasti sapientiam ad discernendum judicium, ecce dedi tibi cor sapiens et intelligens (*ibid.*). » Et in Paralipomenon : « Da mihi, ait, sapientiam et intelligentiam (*II Par.* I). » Et Deus ad illum : « Quia petiisti sapientiam, et scientiam, ut judicare possis populum meum, sapientia et scientia data sunt tibi (*ibid.*). »

Cui dignatur Deus sese tam benevolum exhibere, cujus votis et precibus tam largo beneficio respondere, cui dies prosperos, tempus salutiferum impertire, cujus desiderium de sanctuario suo clementer exaudire : nimirum responsio Dei vocari promeretur, quo nomine in libro Judicum primus judex censeri perhibetur. Vel dictus est ille : « Tempus mihi Dei. » Quod ab eodem sensu non dissonat. Qui enim intelligit, ut dictum est, Deum sibi familiariter respondere, fatetur consequenter tempus sibi prosperum arridere, et ne forte videatur tam benigno ingratus responsori, non alteri tempus gratum quam suo attribuit creditori. « Tempus, inquit, mihi Dei. » Adest, inquit, mihi tempus acceptabile, dies salutis (*II Cor.* VI), tempus in quo cervicem flexam hostibus non suppono, commissis mihi populis graviora gravibus non appono, sed quo inter oppressores et oppressos me fortem medium interpono, et sic interpositus malis finem, silentium tristibus jam impono. Tempus, inquit, adest mihi, quod non volubilitas firmamenti, non cursus vagi siderum attulerunt, sed quod Dei gratia, Dei sapientia miro dispositionis ordine contulerunt, ut populus qui sedebat in tenebris et tumultu tristitiæ bellicoso, respiret confortatus adventu pacis et silentii luminoso. Hoc itaque tempus Dei esse non immerito judex dicit, quod præstat sibi gratiam, potentiam hostibus interdicit, præliis ponit calcem, silentium tristibus indicit, favet sibi, prospere hostili malitiæ contradicit. Etsi enim illud gaudet Othoniel sibi dari, scit tamen quia debet actori, quidquid suum est, resignari, et ideo sic illud sibi asserit præsto esse, ut non casus, non meriti, sed Dei potius dicat esse. « Tempus, inquit, mihi Dei. » De cujusmodi tempore et in libro Machabæorum : « Vidit, inquit, Jonathas quia tempus eum juvat, et misit Romam statuere et renovare cum eis amicitiam (*I Mach.* XII). » Et Apostolus : « Dum tempus, ait, habemus, operemur bonum (*Gal.* VI). » Recte ille quia tempus eum juvat, festinat Romanorum erga se amicitiam renovari, sperans suum propositum beneficio temporis prosperari : et iste operator ad operandum pariter nos hortatur, ne, si tempus defecerit, exire ad opus suum frustra quilibet enitatur. Denique petenti quinque panes qui ostium clausisse tempore legitur importuno, alias sperantibus escam dare tempore dicitur opportuno, ut ex eo largitoris gratia, convenientia temporis commendetur, sine quoad pacis remedium, ad quietum silentium, iter prosperum non habetur. Propter quod et Dominus dicit : « Tempus meum nondum advenit (*Joan.* VII). » Quod verba mea, inquit, vestra auditorum incredulitas non exaudit, quod voluntati meæ præsens prosperitas non applaudit, quod tristitia mea non conceditur silentium invenire, quod ad diem festum hunc nolo me transitoriis laudibus insignire, quod vestræ intentioni mea non potest humilitas convenire, causa est, quia scio nondum tempus meum, mihi favens, mihi congruum advenire. Verum cum temporis mei grata venerit plenitudo, cum vernalis temperies, cum æstiva spiraverit pulchritudo, cum in cellam vinariam introducta fuerit maturitas autumnalis, profecto longe cadet ventorum tristis rabies, asperitas hiemalis, minarum tumens incursio, undarum instabilitas noxialis, et in portu silentii thronum suum ponet lætitia triumphalis. In cujus typo temporis, prædictus judex Othoniel nominatur, qui filiis Israel favore miserentis gratiæ principatur, **683** ut eorum gravi tristitiæ velut obumbrantis velamen solatii superducat, imo longe pulsa mœroris angustia, eos in lætum silentii sanctuarium introducat. Assumpto itaque principatu judex hostibus se opponit, et amore victoriæ præliandi propositum non deponit, donec victo rege Mesopotamiæ, sub quo tristis populus graviter premebatur, pacem reddat, reformet silentium quod multo jam tempore perditum longo suspirio quærebatur. Quo invento, per annos quadraginta terra legitur quievisse, et sopita bellorum tristitia, pax et silentium viguisse, et quos rex importunus annis octo a quiete et otio removisse, eos judex optimus ampliori spatio temporis ad quietum silentium promovisse. « Oppressit, inquit, regem Mesopotamiæ, quievitque terra quadraginta annis, et mortuus est

Othoniel (*Judic.* III). » Et cum in eadem Scriptura ordo judicum post invicem describatur, unde et idem liber proprie Judicum appellatur, ad hoc omnes inveniuntur diligentiam adhibere, ut turbatum tristi bello populum, quieto possint silentio refovere.

CAPUT CXIII.

Est enim non modica belli turbatio, et tristitia non ferenda, cum eo incumbente sua cuilibet prosperitas videtur conterenda, vel cum ea contrita sub hostili manu ingemit, et gravatur, et ab ipso gravamine non suo, non aliorum juvamine relaxatur. Ob hoc quippe et bella inveniuntur tristia nominari, quia optato silentio constat ea penitus adversari, dum scilicet nullus bellatorum sub ejusdem umbra silentii delitescit, quandiu bellum et discrimen bellicum ingravescit. De quo Jonathan : « Turbavit, inquit, pater meus terram (*I Reg.* XIV). » Et Elias ad Achab : « Non turbavi, ait, Israel ego, sed tu et domus patris tui (*III Reg.* XVIII). » Cum sit boni principis terram sibi creditam serenare, et represso bellorum strepitu, sub pacato silentio conservare, recte Saul et Achab, quos malitiæ reos, auctores tristitiæ deprehendit, voce vera et libera meliorum intelligentia reprehendit. Cum enim clangit buccina, tuba sonat, belli dissona vox auditur, cum utrinque efferatis animis ad examen dubium convenitur, cum regnat discordia, viget æmulatio, laus ambitur, cum timore fiducia, labore victoria prævenitur, nimirum turbatur terra, interna cordium conteruntur, et tristitia prævalente pax et silentium nesciuntur. Quod ostendens per Jeremiam Dominus : « Vox, inquit, belli in terra, et contritio magna (*Jer.* L) ; » et infra : « Vox clamoris, ait, de Babylonia et contritio magna de terra Chaldæorum, quoniam vastavit Dominus Babylonem, et sonabunt fluctus eorum quasi aquæ multæ : dedit sonitum vox eorum, quia super eam prædo (*ibid.*). » Videtis quia belli vox magis quam silentium prædicatur, et bello pressa Babylon clamare memoratur, quia dum in sua contritione tristem quisque miseriam experitur, revera non pace, non quiete, non sereno silentio delinitur. Dat quippe sonitum tristitiæ vox eorum, quibus prædo supervenit, quos tuba terrore concutit, perfodit gladius, urget contritio, et cum strepitus graves reddat junctura et confusio bellatorum, clamor tristis, planctus miseriæ de domibus resonat contritorum. Quod longe supra de filiis Israel idem propheta insinuans, ait : « Juvenes eorum confodiantur gladio in prælio, audiatur clamor de domibus eorum (*Jer.* XVIII). » Cum hostilis gladius sævit, in prælio sanguine debriatur, cum hinc inde prosternens miseros gravi tristitiæ principatur, cum virorum prudentia, juvenum corruit fortitudo, cum spes in nihilum redigitur, in contrarium certitudo, cum risus in lacrymas, gaudium vertitur in mœrorem, cum tuba tristem sonitum, buccina miserum dat clangorem, profecto in domibus eorumdem, dolor quoque non mediocris invenitur, et in eis vel ex eis nisi clamor tristitiæ nisi planctus miseriæ, nisi vox furoris et iracundiæ non auditur. Sic ira summi judicis invenitur in quosque miseros desævire, cum eorum nequitias gravi tristitia vult punire, cum vel dure castigatos ad salutarem pœnitentiam vult redire, vel forte induratos sine misericordia penitus interire. Qui enim adversus Deum nequiter extolluntur, qui elati garriunt nec timore debito reprimuntur, qui clamori noxio salubre silentium non imponunt, qui lætitiæ putrescenti malagma medentis pœnitentiæ non supponunt, eos ille, apud quem nihil penitus est inultum, quandoque fremitu concutit, dissipat in tumultum. Quod per eumdem prophetam asserens, ait : « Auditum faciam super Rabath filiorum Amon fremitum prælii, et erit in tumultum dissipata (*Jer.* XLIX). » Quia Rabath civitas Ammonitarum clamoso vitiorum strepitu me offendit, et offensis gravibus velamen pœnitentiæ non obtendit, ira mea tandem a proferendo paria non silebit, dum eadem civitas belli fremitum, tumultum tristitiæ sustinebit. Cum autem populo suo divina gratia disponit misereri, volens ab eis tristia, tristemque belli fremitum removeri, eis, ut prædictum est, dignatur judicem suscitare, qui velit et valeat tumultum in silentium, in gaudium tristia commutare. Ipse est Othoniel, in quo, ut scriptum est, fuit Spiritus Domini cujus virtute supradictum regem Mesopotamiæ superavit, quo devicto diu pressus fasce gravis tristitiæ populus respiravit.

Et recte in eo Scriptura perhibet Domini **684** spiritum habitare, qui a jugo servitutis vult et valet populum liberare, quia et non nisi divino Spiritu datur efficacia voluntati, et non nisi spiritus reddit tristes et miseros libertati. « Ubi enim Spiritus Domini, ait Apostolus, ibi libertas (*II Cor.* III). » In qua libertate qui sub rege Chusarsathon prius gemere consuevit, postmodum per annos quadraginta populus requievit, et sub prædicto judice pax quieta, gratum silentium inolevit, dum scilicet ille manu valida tristitiæ tumultus oppressorios abolevit.

Quo defuncto, populus orbatus felici præsentia defensoris, addens malum facere rursum in manus recidit oppressoris, et sub Eglon rege Moab gravi tristitiæ est addictus, et per annos decem et octo intolerabiliter est afflictus. Qui de imo clamans ad Dominum, meruit visitari, et visitante Domino, a labore tristi et miseria liberari, juxta quod Isaias divino plenus Spiritu pollicetur, cum hinc inde tam populi miseriam quam Dei misericordiam intuetur. « Miserebitur, inquit, Jacob et eliget adhuc de Israel, et requiescere eos faciet super humum suam (*Isa.* XIV). » Qui Deo irato diutina belli sarcina premitur et labore, qui grave servitutis jugum sustinet in mœrore, qui sub manu hostium lugere cogitur et tabescit, qui afflicto spiritu, interna caligine tenebrescit, cum eidem miserente Deo velut desuper illucescit, cum arridet gratia, cum justitia mansuescit, ille tersa mœroris nebula novi

luce muneris hilarescit, et super humum suam tristitiæ sopito strepitu requiescit. Quod prædictis filiis Israel superna miseratio dignanter exhibuit, cum eos addictos servituti Dei sub manu Eglon potenter eripuit, cum eis iterum salvatorem Aoth nomine suscitavit, qui utraque manu utens pro dextera, Eglon pinguissimum gladio trucidavit. Qui judex bonus forti acumine suæ tam prudentiæ quam virtutis, jugum fregit, rupit compedem duræ et diutinæ servitutis, et eo rupto cessit et recessit illa tristitia quæ per annos decem et octo filios Israel dure oppresserat, eisque luctus et gemitus et tumultus graves ingesserat.

CAPUT CXIV.

Denique Eglon interpretatur *vitulus mœroris*, vel *festivitas eorum*. Vitulus est animal lascivum, inconstans, vagum, impatiens stabuli, libertate gaudens, cui si forte voluntas sua libera concedatur, concedentibus quædam velut festivitas æstimatur, dum ille discursu et agilitate sua lætificat intuentes, indiscrete præsentia, futura negligentius attendentes. Cæterum cum processu temporis ætate et viribus invalescit, cum producto cornu et ungula ejus veloritas ingravescit, quanto eatenus habenas licentiæ obtinuit laxiores, tanto jam quibusque occurrentibus infert minas et impetus tristiores, ut nulli pareat, nulli deferat, nulli jam præstet occursum benevolentiæ gratioris, sed tam foris quam intus, sit non gaudii vitulus, sed mœroris. De ejusmodi vitulo per Moysen dictum est : « Si bos cornupeta fuerit ab heri, et nudiustertius, et contestati sunt dominum ejus, nec reclusit eum, occideritque virum aut mulierem, et bos lapidibus obruatur, et dominum illius occident (*Exod.* xxi). » Per hujusmodi vitulum recte vaga mentis inconstantia designatur, quæ legis refuga, nescia disciplinæ, latitudine patula gratulatur, quæ acta vel impacta velut ventilabro nativæ levitatis, stare nesciens, gaudens motu, nihil habens maturæ gravitatis, per amœna quæque et noxia raptatur lascivæ impetu voluntatis, et non contenta uno, de multis ad plurima transcurrit amore novitatis. Quæ dum suo sic arbitrio conceditur jactitari, videtur quidem ludus festivumque ludibrium actitari, quia constans quisque nil jucundius, nil festivius diligit intueri, quam suos multos et varios appetitus quovis repagulo non teneri. In quo dum instar suis liberiore licentia volutatur, et ab eo nil sordidum, nihil voluntarium refutatur, ejusmodi lenociniis, velut popinis et frituculis incrassatur, ut non tam carnalis quam totus caro vitiose magis quam materialiter habeatur. « Erat enim, inquit, Eglon crassus nimis (*Judic.* III). » Tunc vero populus Israel huic traditur oppressori, cum nostri sensus qui obedire suo debuerant Creatori, offenso eo, in legem aliam captivi deducuntur, et libero arbitrio jam privati, morbo quam Deo, carni quam spiritui servire compelluntur. Tunc quippe regi Eglon plebs Israelitica subjugatur, cum in throno mentis nostræ levis inconstantia principatur, nostrosque tam interiores quam exteriores sensus per devexa et devia multifariæ pravitatis, nullo sibi resistente agit imperio potestatis. Cui dum consentiunt, dum gaudent quique miseri deservire, dum proni obediunt, dum ex toto diligunt obedire, ipsa inconstans levitas, ipse de magnis frequens transitus ad majora, ipsa diversarum experientia voluptatum, gravibus superadjiciens graviora, quædam exsultatio, quædam eis festivitas est jucunda, in qua perditus erat sensus, mens diffunditur errabunda. Si autem aliquando vel imminentium pœnarum timor occurrerit, vel debitas forte erroris pœnas miser incurrerit, si timore et angustia seductio tandem nociva patuerit, si pœnarum excussa malleo veri scintilla cadens illuxerit, jam regis Eglon imperium incipit solito tristius arridere, et paulatim nostri petulantia **685** vituli displicere, et jugum illius, quod ante gratum reddiderat venenosæ ludibrium voluptatis, jam ingratum efficit timor vel experientia gravitatis. Attendens enim gravatus quisque quo periculo Eglon imperiis obsequatur, præsentemque voluptatem quis finis, quæ tandem retributio prosequatur, jam dolet, jam tristatur se in illius laqueos incidisse, et jugo ejus non suavi, sed jam gravi cervicem voluntariam subdidisse. Urgente igitur tristitia optat jam et appetit hinc exire, et relicto regis dominio ad libertatem pristinam vult redire, erga vitiorum latitudinem affectu solito non tenetur, vult cito liber egredi, sed tali ungula non tenetur. Nam qua facilitate de sublimi ad infima se divertit, ad recuperandum quod reliquit fastigium sese iterum non convertit, quia lata et spatiosa via patuit declinanti, sed clausa et serata invenitur janua respiranti. Etsi enim vitiorum multa est et fere interminabilis latitudo, et patulo velut sinu quemvis miserum ejus excipit amplitudo, tamen susceptum sic novit arctis nexibus devincire, sic in lato et spatioso discursu arte subdola præpedire, ut etiamsi velit, non statim sese valeat expedire, nec expedito reditu ad id unde venerat retransire. Dolet itaque, gemit, suspirat et torquetur, dum dimitti liber appetit et tenetur, dum sicut in vitia decidit arbitrio liberæ voluntatis, sic non potest resurgere pari privilegio libertatis. Et quid durius vel gravius, quid tristius vel amarius quispiam potest nosse, quam voluntate prona velle aliquid et non posse, cum præcipue, nisi fallor, illa tristitia constet esse, quæ voluntas libertatem diligens sibi obviantia videt esse? Dolet, inquam, et angitur, cum suo sentit arbitrio se privari, se invitum molesto imperantis obsequio mancipari, cum de ampla et diffusa vitiorum latitudine vult exire, sed qua exeat non potest invenire. Cogitanti enim et proponenti sordes abjicere pravitatis, mutare mores, exuere tunicam vetustatis, renuntiare noxiis, deinceps aggredi meliora, pristina longe facere, appetere saluti propiora; cogitanti, inquam, tanta sese objicit difficultas, ut explendi quod appetit nulla penitus sit facultas. Eglon ille pinguissi-

nus in cujus ditionem voluntatis vitio declinavit, ad cujus injustitias faciendas cor seductum voluntarie inclinavit, cujus dominio per aliquantum jam temporis deservivit, et prono satis animo mandatis et legibus obedivit : Eglon ille, quod suum est, nolens in alterius jus transire, studet illud vallo, muro, seris, vectibus obsepire. Qui perpendens velle quemvis miserum egredi suæ terminos potestatis, turbat ejus exitum objectu pristinæ voluptatis, et frequenter illum sollicitans aliquando ad vitia reddit solito proniorem, et exeundi semitam esse perhibet arctiorem, congestisque undique vitiis curat eum reddere sic onustum, ut proprio ille judicio transire nequeat per angustum. Quem itaque ad horam devota cogitatio, mens compuncta, peccati exsecratio foras ducit, ille doli artifex, loro consuetudinis citius reB adducit ; et ne vacet otio, luto eum et latere instar occupat Pharaonis, et ne ad Jerusalem revertatur, vinctum intra septa retinet Babylonis. Cum autem huic velle bonum aliquoties sic occurrat, et male occupato, captivato pessime possibilitas non succurrat, et caro insolens adversus spiritum concupiscat, et (quod longe est gravius) nonnunquam velut in carnem ipse spiritus defetiscat ; nescit miser, videns se lege tam misera captivari, quo vel nisu vel arte valeat de tam duro carcere liberari. De quo ad horam sano mentis proposito vult elabi, sed in eum invenit tentationis tempore se relabi, et sic volens ab eisdem nexibus expediri, voluntatis rudimenta dolet nævo consuetudinis irretiri. Dolet, inquam, volvens et revolvens, et nesciens quo divertat, ad implorandum cujus auxilium fide vel credula se convertat, cum et suo merito sentiat præsenti miseria se teneri, et detentum misere juvantis cujuslibet misericordiam non mereri. Pressus ergo et oppressus tandem nititur exclamare, intendens exclamando auditorem propitium excitare, ut cum ejus clamore querulo pulsatus fuerit animus audientis, consequenter obtineat quantulamcunque gratiam miserentis. « Infelix, inquit, ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? (*Rom.* VII). » Revera infelix et recte infelicissimus potest dici, qui subditus regi Eglon, tantæ sentit miseriæ se addici, ut cum velit de regno ejus egredi et aggredi potiora, recidat vel invitus lege consuetudinis D in pejora. Et quis me, inquit, in hoc difficultatis carcere visitabit, exeundi efficaciam ministrabit, quis de mortis hujus corpore liberabit, tristem lætitiæ, infelicem gratiæ resignabit ? Et recte quærit : Quis? nullus est enim qui liberet vel admodum rarus, et adeo rarus ut non nisi unus, « non est enim qui faciat hujusmodi bonum, non est usque ad unum (*Psal.* XIII). » Unus autem ille Deus est, qui solus quem vult, hostium subtrahit potestati et sua solius gratia reddit salutiferæ libertati. Quod intelligens, ait : « Gratia Dei per Jesum Christum (*Rom.* VII). » Ad ipsum itaque Deum, cujus sola gratia esse præpotens comperitur, recte clamat qui vitiorum maculis præpeditur, qui lenocinio duræ consuetudinis ulterius non seduci, et de gravi dominio regis A Eglon efficaci potentia vult educi.

686 CAPUT CXV.

« Clamaverunt, inquit, filii Israel ad Dominum, qui suscitavit eis salvatorem Aoth (*Judic.* III). » Felix ille populus qui post longa salutis dispendia conceditur vel clamare, post longam tristitiam Deum clamoribus excitare, præsens diu et graviter tandem aliquantulum respirare, ad vitam pridem perditam spei nisibus aspirare. Multo magis bonus Deus qui aurem benevolam a clamore populi non avertit, qui ad vota humilium, ad preces tristium se convertit, qui dignatur eis dono suæ gratiæ misereri, quos tristes et invitos hostili videt imperio perurgeri. Misertus autem eis Deus, suscitat salvatorem qui, fracto carcere, captivis januam aperit largiorem, et in eum qui auctor mali, princeps tristitiæ videbatur, extendit manum, gladium exerit, forti brachio prœliatur. Cui nomen erat Aoth. Aoth interpretatur *laus* vel *gloriosus*.

Recte ad liberandum populum talis judex a Domino suscitatur, qui vitæ et conversationis merito laudabilis prædicatur, et ut amplius dicam, ipse dici etiam laus meretur, ut magis hoc nomine ejus excellentia commendetur. Laus enim ille potest non incongrue nominari, qui non tam se quam per se Deum Patrem luminum vult laudari, qui ad hoc fortia facta sua coram hominibus vult lucere, ut possit videntibus non sua operantis sed largitoris excellentia complacere. Nam cum sibi non attribuit C si quid arduum operatur, sed resignat largitori quidquid in se illius munere commendatur, laus est ipse, non sua, sed potius Creatoris, cui soli confert et conferri diligit laudis titulum et honoris. Quo autem magis erga solius Dei laudes efficitur studiosus, ad dilatandum nomen illius honeste curiosus, sibi nihil attribuens, illi solummodo fructuosus, eo magis invenitur digne et merito gloriosus. Qui cum intra se amorem laudis proprie non retentat, interno scrutatori sine scrupulo se præsentat, quanto ab appetitu gloriæ reddit conscientiam mundiorem, tanto in ejusdem recessu conscientiæ invenit gloriam ampliorem. De qua Paulus ad Corinthios : « Gloria, inquit, nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ (*II Cor.* I). » Sicut læsa conscientia reprobos continens cogitatus malis et perversis quibuslibet pœnales ingerit cruciatus, sic interna munditia et mundæ conscientia sanctitatis justis affert gloriam lætumque testimonium veritatis. Quæ nimirum gloria non falsa et inanis, sed vera et solida tunc habetur, cum superbiam nesciens, intra fines positos continetur, cum scilicet de eo et in eo solum ipsa conscientia gloriatur, quem sibi et inesse et præesse familiari gratia gratulatur. Quod si Deum in recessu intimo vere præsidem conscientia non haberet, et cuivis alteri vel inducta vel seducta negligentius adgauderet, recte diceretur, egressa fines debitos, evagari, et non intra se, sed extra se, jam inaniter gloriari. A quo errore Galatas revocans Apostolus : « Opus

suum, inquit, probet unusquisque, et sic in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero (*Gal.* VI). » Opus suum unusquisque tunc probat, id est probabile, cum in secreto mentis Deum solummodo vult habere, eum sibi Dominum et non alterum præsidere, seipsum cum illo velut intra cubiculum cohibere, extrarium si quid occurrerit, manu valida prohibere. Quod cum fecerit, cum fieri digne persenserit, jam extra se in altero gloriam non habebit, sed intra semetipsum de eo vel in eo, cui singulariter adhærebit. Qui sic ergo, ut dictum est, gloriosus effici perhibetur, digne constitui judex populi promeretur, ut per eum tristia, quibus angitur populus, valeant mitigari, turbatum silentium, quies perdita reparari. Ad quam reparandam prudenti fretus consilio, bis acutum Aoth gladium fabricavit, quem appensum in dextro femore subter sagum quo indutus fuerat, occultavit; et aggressus regem Eglon in æstivo cœnaculo, ut ei tanquam secretus loqueretur, in ventrem ejus infixit tam valide, ut ferrum in vulnere capulus sequeretur. « Nec eduxit gladium, inquit, sed ita ut percusserat, reliquit in corpore. Statimque per secreta naturæ alvi stercora proruperunt. Quo mortuo, quievit, inquit, terra octoginta annis (*Jud.* III). »

Recte illum Deus reparandæ pacis fieri vult ministrum, in cujus invenitur opere nil sinistrum, in cujus dextro femore anceps gladius deportatur, quo exerto viriliter hostilis malitia trucidatur. Gladii nomine acutum disciplinæ rigorem æstimo designari, quem quisquis appetit gloriosus esse potius quam vocari, veluti subter sagum prudenter creditur deportare, cum seipsum districtius studet intra conscientiam castigare. Et in dextro femore idem gladius collocatur, cum censura disciplinæ prava ejus delectatio resecatur, ut in carne nil carneum, nil sinistrum, nil peremptorium relinquatur, sed totum, quasi dextrum et saluti congruum habeatur. Postmodum vero congrue ad opprimendum hostem exeritur gladius de vagina, cum fortiter exercetur in quosque proximos disciplina, cum eorum inconstantia, dissolutio, lascivia, correctionis acumine reciduntur, et prosequente zelo justitiæ, in ipso cordis abscondito perimuntur. Perimuntur, inquam, cum ad ipsum mentis gurgustium vel sentinam transire fecit judex mordacis cauterii disciplinam, et quidquid illuc confluit, velut in ventrem stercoris **687** vel arvinæ, totum foras egerit penetrantis efficacia medicinæ. Sicut venter in corpore majorem sibi coacervat pinguedinem et intra suos parietes continet ciborum putredinem, sic mens misera quo adversus Deum pingui cervice amplius intumescit, eo intrinsecus collecta vitiorum immunditia plus sordescit. Ut ergo pingui Eglon prudens Aoth majora ingerit detrimenta, ubi apud illum abundantius confluunt purgamenta, ita recte illic inseritur acutior omni gladio disciplina, ubi volut stercus et arvinam mentis continent intestina. Cum autem semel inseritur insertum suscipitur cauterium salutare, non debet quisque prudens opus cœptum a proposito revocare, sed tam in se quam in proximo rigorem medicum perseverantia confirmare, non sicut homo evangelicus, qui cœpit et non potuit consummare (*Luc.* XIV). Hoc est forte quod Aoth in ventrem crassum ensem legitur infixisse, et infixum non educens, ita ut percusserat reliquisse, quia scilicet intellexit et perspexit juxta votum eumdem gladium profecisse, hostem percussum fortiter, percussi malitiam defecisse. In quo autem hoc ipsum perspexerit sermo divinus innuens : « Statim, inquit, alvi stercora proruperunt (*Judic.* III). » Sic nimirum quisque prudens cum vel sibi vel proximo disciplinam ingerit salutarem, persuadens peccati odium, affectum justitiæ spiritalem, in hoc sentit assumptum propositum efficaciter operari, et in conclavi mentis auctorem malitiæ trucidari, si jam nulla illius occurrens placeat pulchritudo, sed ejus naribus et oculis ingeratur illius fetida turpitudo. Quod utique fit, cum inspirante fortiter gratia, vitiorum immunditiam exsecramur, cum rigore continuo ad nulla ejus lenocinia relaxamur, cum aspersum mirrha et aloe cubile deceptricis, cum favus distillans deceptoriæ labium meretricis, occurrens nostræ memoriæ jam ut antea non dulcescit, sed occursum talium, liberalis et liber animus abhorrescit, et attendens quia finis eorum juxta Paulum non nisi mors veraciter exspectatur, quidquid tale occurrit, tanquam stercus fetidum reputatur. Hoc signo, quod scilicet justi conscientia, occurrente peccati memoria sic feritur, doctor prudens suum profecisse gladium experitur, nec eum reducit a profectu, ne si paululum defetiscat, sublato rigore justitiæ, culpa vel ad modicum reviviscat.

CAPUT CXVI.

Qua mortua, imo sic mortua quiescit terra octoginta annis. Terra ista mens nostra est, quæ dum terrenis desideriis occupatur, dum variis vitiorum impulsibus agitatur, dum cui semel voluntaria se subdidit, vel invita postmodum subjugatur, dum non est compos sui, sed arbitrio perdito captivatur, revera magno strepitu angoris, timoris, tristitiæ, miseriæ quatitur et lascescit, et concussa base sua, velut in quodam motu pendula non quiescit. Verum cum ei placet qui nos a matris utero voluit segregare, et triumphatis hostibus dignatur nos ab eorum dominio liberare, cum mens nostra vere sentit efficaci gratia se muniri, et jam peccati non occursu, non dura consuetudine præpediri, profecto cedit mœror, angor tristitiæ relegatur, et velut Eglon mortuo, terra nostra quiete gratulatur. Sentiens quippe jam se ut antea non moveri, non concuti levitate, servitutis angaria non teneri, tributum non exigi, exactorem illius defecisse, spem suam non fraudari, in effectum affectum pervenisse; sentiens, inquam, hoc terra nostra silet a tristibus et quiescit, et auctore victo tristitiæ, adepti gratia muneris hilarescit. In ejusdem typo rei longe post exigente peccato populus Israel in Babyloniam intro-

ductus, soluto pœnarum debito, inde post annos plurimos est reductus, et cum divina gratia illius tristitiæ graves nebulas abolevit, terra (ut legitur) exsultans in silentio requievit. Quod antequam fieret, et prævidit et prædicere voluit Isaias, et post eum nihilominus eodem spiritu Jeremias, qui populum inventi sunt sermone prophetico prædocere, minari quidem tristia, promissoque silentio refovere. « Erit, inquit Isaias, cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo et a concussione tua et a servitute dura qua ante servisti, sumes parabolam contra regem Babylonis et dices : Quomodo cessavit exactor, quievit tributum, conquievit et siluit omnis terra, gavisa est et exaltavit! (*Isa.* XIV.) » Videt Isaias quia victo rege Babylonis, qui captivi fuerant exsultabunt, et eidem triumphato, versa vice victores insultabunt, terso gelu tristitiæ, novo terra gaudio reflorescet, et sopito strepitu, optato silentio requiescet. Super quo et Jeremias : « Revertetur, inquit, Jacob et quiescet et non erit quem formidet (*Jer.* XXX). » Exigentibus culpis Jacob in animas tribulantium abducetur, sub manu hostium miser tristia patietur, sed miserente Deo inde ad propria revertetur, et tristium timore sublato, quiete et silentio perfruetur. Felix ille, quem verba refovent promissiva, felicior vero quem reddunt voti compotem completiva, cum scilicet imperante Aoth, non spe, sed re populus hilarescit, et mortuo Eglon terra nostra gavisa requiescit. Ad quod obtinendum in supradicto Judicum libro dixi judices ordinari, ut videlicet turbato populo possit quies ejus, illorum tam ministerio, quam magisterio reformari, quas præsenti opusculo non omnes inserere valeo nominatim, **688** non quid mysterii eorum tam nomina quam facta contineant vel intelligere vel exponere seriatim.

Verum cum in eodem libro (nisi fallor) tredecim inveniantur judices præfuisse, tamen non nisi sub quatuor eorum terra legitur quievisse, et cum omnes forte laboraverint ad profectum, non plures quietis et silentii Scriptura venisse memorat ad profectum. Quod autem tredecim Scriptura illa invenitur judices continere, videtur in hoc mihi Apostolorum figura prælucere, qui etsi in catalogo Evangelii duodenario numero commendantur, tamen veraciter fuisse tredecim non negantur. Nam cum in episcopatum Judæ Iscariotis alter, David prophetante, Luca vero narrante, Mathias successerit, et ad sortem apostolicam novissimus omnium suo ipsius testimonio Paulus accesserit, salvo mysterio quod in duodecim commendabile prædicatur, habemus tredecimum, ne, qui plus cæteris laboravit, tanquam superfluus excludatur. Qui etiam numerus quem tam apostolis Paulo addito, quam judicibus Scriptura voluit assignare, intuenti attentius invenitur a mysterio non vacare, et ejusdem numeri commendabile sacramentum, ipsis numeratis præbet utile monimentum. Tredecim quippe ex senario et septenario complentur. Senarius autem quia ex suis partibus constat, perfectus appellatur, et ei primo hujusmodi perfectionis dignitas assignatur, quia nullus ante illum meruit obtinere ut suæ partes ejus summam valeant adimplere. Dividitur enim in sex æqualiter unitates, in tres binarios, in duos ternarios, quorum unitas et binarius, et ternarius qui sunt æquales partes senarii, si pariter conjungantur, eumdem complent senarium nec excedunt. Quod quia numerus iste primus obtinuit, perfectus (ut dictum est) dici promeruit, unde et in eo sua Deus opera mundum fabricans voluit consummari, volens illorum perfectionem, perfecto dierum numero commendari. Denique die sexto primum fecisse hominem perhibetur, cui præ cæteris mundi operibus, largior et benignior exhibetur, dum ad suam imaginem illum solum fieri protestatur, et non ipsum propter cætera, sed propter ipsum cætera fecisse demonstratur. Quem ob hoc die sexto plasmare voluit, ut evidentius admoneret quod perfectum illum esse vita et moribus oporteret, et attendens ille quoto die primordium conditionis haberet, perfecto dilectionis vinculo Conditori conditus adhæreret. Ipsi quoque et homini et mundo sex ætates Deus attribuit, per quas illorum vitam seu cursum compleri disposuit, et quem die sexto fecit, quem perfecit sex ætatum gradibus, ad occasum voluit devenire, et mystico senario illorum finem principio, occasum ortui convenire. In cujus mundi ætate sexta Deus voluit humanari, humanitate assumpta salutem hominis operari, et inter operandum mortem quoque sexta feria sustinere, et effusi virtute sanguinis, inveteratas peccati maculas abolere. Dignum enim visum est ut eum quem die sexta fecerat, cum turpitudo inobedientiæ deformaret, eadem ipse feria pro illo moriens reformaret, et sicut formatio, sic reformatio dignitate senarii sacraretur, sacratoque mysterio creatura commendabilis haberetur.

Septenarius vero qui senarium sequitur pro eo debet commendabilis prædicari, quia septiformem Dei Spiritum esse legimus et vocari, qui etsi unus creditur indivisæ essentia Deitatis, tamen multiplex apppellatur septiformi gratia largitatis. Sicut enim apud quemdam sapientem unicus sic invenitur et multiplex appellari, in quo essentiæ videtur singularitas et donorum pluralitas commendari, ut nec multiplicitati unitas, nec multiplicitas deroget unitati, cum sine damno alterutrius id tantæ conveniat majestati : « Spiritus, inquit, sanctus unicus, multiplex, subtilis, » etc. (*Sap.* VII.) Præmittens « unicus, » subjunxit, « multiplex, » intelligens naturam vel substantiam spiritus uniformem, ejus tamen gratiam larga plenitudine multiformem, cujus unitas fide imbuens nos emundat, multiplicitas septiformi gratiarum munere nos fecundat. De quo Isaias : « Spiritus, inquit, sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et spiritus timoris Domini (*Isa* XI). »

Multos (ut videtur Isaias) spiritus nominavit, in quo tamen unitatem indivisi spiritus non negavit,

quia sicut non multos facit deos trina distinctio personarum, sic nec multos naturaliter spiritus, septiformis divisio gratiarum. Quod innuens Apostolus : « Divisiones, ait, gratiarum sunt, idem autem spiritus (*I Cor.* XII) ; » et infra : « Hæc autem omnia, inquit, operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult (*ibid.*). » Cum unum et eumdem esse spiritum apostolica veritas fateatur qui multa et varia prout vult singulis dividens operatur, cum tamen supradictus sapiens multiplicem fiducialiter appellavit, et Isaias propheta septiformem munere demonstravit. Sunt enim septem dona velut principalia quæ spiritus invenitur spiritalibus impertire, nec tamen omnibus omnia, sed prout vult singulis dispertire; quæ dona donantis nonnunquam vocabulo nominantur, et in Scriptura sacra septem spiritus appellantur. Unde in Apocalypsi : « Hæc dicit qui habet septem spiritus Dei (*Apoc.* III) ; » et infra : « Septem, inquit, lampades ardentes ante thronum qui sunt septem spiritus Dei (*Apoc.* IV). » Et iterum : « Vidi, ait, Agnum stantem 689 tanquam occisum habentem cornua septem, et oculos septem qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram (*Apoc.* V). »

Septem oculos vel septem spiritus Joannes septem dona principalia nominavit, quibus Deus Pater agnum innocuum, id est Christum hominem oculavit, qui ad tollenda mundi peccata missus, universo gratiarum lumine radiavit, dum in eo juxta Paulum totius divinitatis plenitudo corporaliter habitavit (*Colos.* II). De quo et Zacharias ait : « Super lapidem unum septem oculi (*Zach.* III). » Et infra : « Septem isti oculi qui discurrunt in universa terra (*Zach.* IV). » Lapis iste Christus est, qui juxta psalmum « factus in caput anguli (*Psal.* CXVII) » duos parietes copulavit, quem Daniel abscissum de monte sine manibus prædicavit (*Dan.* II), qui velut oculorum septimo lumine radiavit, dum septiformi gratiarum spiritu cunctis plenius et perfectius abundavit. Cujus septem oculos in omnem terram mitti vel discurrere Scriptura protestatur, quia ubique terrarum septiformis ad operandum spiritus destinatur, qui ubi vult, et quantum vult spirans, illas Apocalypsis ecclesias creditur operari, quæ simili mysterio inveniuntur septenario numero commendari. Etsi enim Ecclesia Scripturæ testimonio una esse veraciter prædicatur, quæ uni Domino, una fide, uno baptismate consecratur, in cujus typo unam columbam, unam formosam in Cantico canticorum Salomon commendavit (*Cant.* II), et Paulus apostolus uni viro castam virginem desponsavit (*II Cor.* XI), tamen quia ubique locorum diffusa septiformis dono Spiritus insignitur, septenario et ipsa numero commendari similiter invenitur. Unde et Joannes septem ecclesiis quæ sunt in Asia scribere se testatur, per quas ecclesiarum universitas designatur, quæ ab ortu ad occasum, ab aquilone ad austrum, loco et merito dispertitæ, tamen ejusdem fidei tenaci glutino sunt unitæ. Denique Deus factis operibus sex dierum legitur die septimo quievisse, non quòd in faciendo illa credendus sit quidquam laboris vel tædii pertulisse, sed ostendit quia faciens ea quæ subjecta sunt naturaliter vanitati, ipse tamen in se ipso est quietæ semper deditus veritati. Ipse quippe dies est de quo Psalmista : « Dies, inquit, diei eructat verbum (*Psal.* XVIII); » et evangelista : « Si quis, ait, ambulaverit in die, non offendit (*Joan.* XI). » Qui dies non incongrue septimus appellatur, pro eo quod septiformi radio luminis declaratur ; vel quia sicut septimus in ordine creationis ultimus est dierum, sic ille recte creditur non solum primus sed et novissimus omnium esse rerum. Dicens itaque Scriptura quia Deus die septimo requiescit (*Gen.* II), nimirum in se ipso quietum, illum esse et pacificum innotescit, qui æternus oriens nunquam in vesperam tenebrescit, sed occasum nesciens universo bonorum lumine relucescit. Multa quidem et alia potest lector diligens invenire, quæ videntur sacramento hujus numeri convenire, quæ ad meam notitiam non omnia sentio pervenire, et, quæ forte veniunt, non est hujus loci vel temporis expedire. Septenarius autem iste, cum senario copulatur, illum, qui ante dictus est, explere numerum comprobatur, cui divina prudentia illos antiquos judices assignavit, quos ad regendum filios Israel post mortem Josue designavit. Quo numero tam illos quam posteros voluit edocere quantus in eo perfectionis titulus debeat elucere, qui cæteris invenitur dignitatis excellentia præsidere, et morum formam, exemplum vivendi jubetur subditis exhibere. Quæ enim minoribus generaliter est injuncta perfectio sanctitatis, etsi forte proficiens non tamen sufficiens est prælatis, sed cum illis quædam velut simpla digne salutifera videatur, istis dupla, vel magis, amplior necessaria judicatur.

CAPUT CXVII.

Quod autem sub quatuor tantum judicibus perhibetur terra quiescere, attentius intuenti videtur innuere quoniam ad conferendum hujus quietis beneficium ille tantum judex idoneum se ostendit, qui quadrata fretus justitia mores solidos apprehendit, qui cum vivos lapides adducere debeat ad structuram, ipse studio diligenti suam præfert in ædificio quadraturam. Denique et de quatuor elementis mundus fieri prædicatur, inferior quorum terra quatuor paradisi fluminibus irrigatur, et in domo Job fulta quatuor angulis ejus soboles convivatur, quæ nec potest opprimi nisi primum eadem quaternitas quatiatur, et arca Testamenti, et mensa propositionis distinctæ quatuor angulis memorantur, quæ insertis vectibus quatuor annulis portabantur, et quatuor evangeliis fides ecclesiastica roboratur, et quatuor sunt virtutes quibus vitæ perfectio consummatur. Qua perfectione cum munda conscientia secretius hilarescit, velut terra vel civitas a tumultu libera conquiescit, sicut Joas imperante figuraliter demonstratur, cum exsultante populo quiescere civitas memoratur. « Lætatus est, inquit omnis po-

pulus terræ et civitas conquievit (*II Par.* XXIII). » Regnante justo rege multitudo subdita gratulatur, gratulante populo non turbari, sed quiescere civitas demonstratur, quia sicut tristitia luctum parit, planctum, fremitum et clamorem, sic pax silentium, quies populum excipit lætiorem. Clamorem quippe quem cogit tristitia superveniens excitari, facit suavior adventus lætitiæ mitigari, et quas ira, quas tristis 690 miseria voces format querulas et producit, serenat consolatio, procul pellit gratia quæ silentium introducit. De clamore Jeremias : « Ulula, inquit, Hesebon, clamate filiæ Rabath, accingite vos ciliciis, clangite et circuite per sepes (*Jer.* XLIX). »

Et paulo infra : « A voce, inquit, ruinæ eorum commota est terra, clamor auditus est vocis ejus (*ibid.*). » Et Amos propheta : « In omnibus, inquit, plateis planctus et in cunctis quæ foris sunt dicetur væ ! væ ! et vocabunt agricolam ad luctum et ad planctum eos qui sciunt plangere (*Amos* V). » Et iterum Jeremias : « Vox in excelso audita est lamentationis et fletus et luctus Rachelis plorantis filios suos (*Jer.* XXXI). » Hæ sunt voces, iste clamor quo fremit et ejulat tristis miseria, cum incumbit et sævit durius potens molestia, cum se dolet tanto gravamine mens urgeri, ut ejus nimietas non possit silentio cohiberi. Nam cum in quosque miseros ira superior exardescit, cum elongat defensio, cum oppressio molestius ingravescit, qualecunque æstimant sibi remedium invenire, si quod intus senserint gemebundis clamoribus liceat effutire. Clamant ergo miseri cum adversis casibus deprimuntur, ululant civitates cum duro belli discrimine feriuntur, planctu plateæ roboant stratæ cadaveribus occisorum, væ ! væ ! dicunt agricolæ damno læsi fructuum perditorum. Expanso Rachel sinu vocem tollens in aera lamentatur, et in morte filiorum non aliud præsens solatium sibi necessarium arbitratur, sperans majus et melius opportuno se tempore percepturam, si tamen in præsenti patienter tulerit hanc jacturam. Eis autem quos interna constat tristitia sic urgeri, et a vocibus ruinæ eorum terram, ut præmissum est, commoveri, superveniens consilio efficaciter invenitur mederi, cum summus consolator disponit postulantibus misereri. Ille fideles suos quos ab initio ad salutem voluit ordinare, nonnunquam dure sinit adversis casibus laborare, ut cœlum voce pulsent, terram planctu moveant lacrymoso, et implorent auxilium, silentium impetrent clamore fructuoso. Cujusmodi silentium Dei statim gratia non impertit, et tamen suam faciem ab illis tristibus non avertit, sed differt, dissimulat, et aliquandiu illorum vocibus aurem claudit, qui tamen ad salutem miseratur, miseros et exaudit. Differt autem, ut vel diutius puniens purget perfectius peccatores, vel ut dilatione ad petendum et instandum faciat acriores, et cum tandem collatum fuerit, gratius habeatur, diuque exspectatum et vix tandem impetratum dulcius teneatur. Eis vero quibus hujus silentii dat profectum, in hac nimirum vita donat omnibus imperfectum, nec quisquam illud ad unguem concediA tur obtinere, dum in corpore mortis hujus cogitur permanere. Nam, ut cætera taceam, hoc ipsum quod in corpore conversatur, in quo familiari discordia caro spiritui, et carni spiritus adversatur, a qua dissolvi et cum Christo esse (quod est optimum) concupiscit, et quia nondum prævalet, gravatus idem spiritus ingemiscit ; hoc ipsum, inquam, turbat quietem, feriari prorsus a tristibus non permittit, et intra cordis recessus, optatum silentium perfecte non admittit. Quod bene Joannes in Apocalypsi ostendens : « Factum est, inquit, silentium in cœlo quasi media hora (*Apoc.* VIII). » Cœlum præsens ecclesia vel justa quævis anima non incongrue nominatur, quæ voto et proposito in cœlestibus converB satur, in qua Dei gratia lætum quoddam silentium operatur, dum illa et odit malitiam, et justitiam diligit, et spe firma cœlestem gloriam amplexatur.

Sed quia per fidem adhuc ambulat, nondum per speciem, et quod ex parte est, imperfectum est, non integra, sed bona, quasi media silere perhibetur, dum in loco tristitiæ plenum habere gaudium prohibetur. Cum igitur evacuatum fuerit quod ex parte est, et venerit quod perfectum est, tunc et tristitia plenius emarcebit, imo nullum prorsus locum in cœlo vel in cœlestibus obtinebit, et cum non sit unde possit vel debeat quis dolere, gaudebit et silebit silentio diligens adgaudere. Quod si inpræsentiarum divina gratia conferre cuipiam non videtur, fidelibus tamen suis dignatione benevola pollicetur, et quisquis vera tantæ beatitudinis spe tenetur, et si nondum consummati, jam tamen inchoati expers silentii non habetur.

Magna enim in parte justi cujuslibet tristitia mitigatur, cum legit et diligit quod Scriptura veridica protestatur, quod prophetiæ, quod evangelia concordi spiritu pollicentur, quia scilicet fletus et gemitus electorum in gaudium et silentium convertentur. Isaias : « Auferet, inquit, Dominus lacrymam ab omni facie (*Isa.* XXV). »

Et Joannes in Apocalypsi : « Absterget, inquit, Dominus omnem lacrymam ab oculis sanctorum (*Apoc.* VII et XXI). » Quia sancti præsentis vitæ molestias inviti patiuntur, et ab eo quod appetunt, regno gloriæ differuntur, dolent quidem et eorum facies lacrymis perfunduntur, et clamore lugubri turbare silentium compelluntur.

Cum vero juxta Isaiam a facie malitiæ colliguntur, manu grata colligentis lacrymæ ab eorum oculis absterguntur, et pax superveniens facit ut plenius hilarescant, dicente Spiritu, ut a suis laboribus amodo requiescant. Cum enim dixisset Isaias : « A facie malitiæ collectus est justus, » adjunxit : « Veniat pax, requiescat in cubili suo (*Isa.* LVII). » Et Joannes : « Amodo, inquit, 691 jam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis (*Apoc.* XIV). » Cum justus colligitur, pax veniens in suo cubiculo requiescere memoratur, quia in corde justi, quietis gratiam operatur, arcum et gladium et quidquid dure obstrepit, longius fa-

ciens resilire, et pulso procul strepitu, collectum fiducialiter obdormire. Quod per Osee insinuans Dominus : « Arcum, inquit, et gladium et bellum conteram de terra, et dormire eos faciam fiducialiter (*Osee* II). » Beata terra, quam justus cum tandem possidere abundantiore gratia concedetur, omnis adversa et tristis impugnatio conteretur; et illius habitator supra morem pristinum tanta gloria perfruetur, ut illa novo quodam genere terra viventium appelletur. De qua et Evangelium : « Beati, ait, mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* V). » Terra quæ mortis vel morientium anima dicebatur, pro eo quod in ea vel ex ea mors jure tanquam hæreditario dominatur, cum resurrectionis et incorruptionis gloriam obtinebit, incorruptam eam et sibi a Patre luminum promissam, immortalitate donatus homo, secure possidebit (126).

(126) Hic codex manuscriptus laceratus erat, quapropter nonnulla adhuc desiderantur, quæ libenter addidissemus, si aliunde recuperare potuissemus.

VITA BEATI AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI.

PROLOGUS.

Inspirante et adjuvante sancti Spiritus gratia, qui ubi vult, et quantum vult spirans potest impossibilia, de vita et actibus beati Augustini Hipponensium episcopi ausus sum scribere, quod tamen vos qui lecturi estis, non meæ præsumptioni, sed fraternæ dilectioni velitis ascribere. Quia enim fratres cum quibus conversabar devotione accensi, actus ejus et mores memoria volebant claudere, et libellum, qui de vita ejusdem scriptus est, propter prolixitatem sui aliquantulum legere gravabantur, qui tamen libellus nonnulla digna relatu prætermittere videtur, petierunt ut de eodem beato confessore aliquid compendiosius conarer scribere, quo et diligentibus plenius veritas innotesceret, et fastidium legentibus prolixitas non inferret, cui operi me imparem esse considerans, proposui, fateor, latitare in portu silentii, ne aggredienti, et non prævalenti colaphum mihi incuteret illud Evangelii : « Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare (*Luc.* XIV). » Sed recolens quia et fraterna charitas gratiam impetrare, et divina largitas poterat ministrare, tandem acquievi obedire petentibus, ne omnino tacendo putarer philosophus. Scire igitur vos volo qui lecturi estis, si qui tamen lecturi estis, quia in hoc opusculo nihil falso excogitatum, nihil invenietis adulatione fucatum, quia idem sanctus perfecte amicus veritatis honorari non ambit laudibus falsitatis. Ea ergo quæ vel ipse de se ipso humiliter dixit, vel alius de ipso veraciter scripsit, præsenti opusculo inserui, prout ipso juvante, et gratiam impetrante legendo colligere potui. Quæ enim hic de eo dicta sunt, alibi, et si non eisdem verbis, eodem tamen sensu scripta sunt. et ibi forte melius, sed brevius hic, ut qui illic non vacat legendo colligere, hic si placet possit collecta legere. Hic terminum accipiat Prologus, dehinc actuum sequatur Catalogus.

CAPUT PRIMUM.

Augustinus Thagastensi natus in oppido, honesta prosapia de curialium numero, patrem habuit cui Patricio nomen fuit, mater autem dicta est Monica, quorum ille exstitit ethnicus, ista vero Catholica. Qui divino (nescientes) ducti consilio, hunc instruendum litterali dederunt studio. Quem præscia futuri divina clementia, tanta intelligendi, disserendi, donavit gratia, ut agilitate discendi non solum coævorum, verum etiam grandævorum prævolaret studia. Parvo igitur in tempore in eo quo natus est oppido, et in Madauris civitate scilicet vicina, quo a parentibus missus fuit, doctus est grammatica, unde reversus, cum sextum decimum ætatis suæ ageret annum, disposuit longius proficisci docere rhetoricam. Parentes enim ejus tanto profectui congaudentes, quæ illi erant necessaria cum magna parabant diligentia : mirantibus 692 multis eorum vicinis cum attenderent quantum illi filio impenderent curam, non considerantes quid expenderet, dum pro voto proficeret. Verumtamen tunc temporis quibusdam irruentibus causis cum parentibus aliquantulum demoratus, et a schola interim feriatus, cum ageret annos ferventis adolescentiæ, per devexa vagabundus ruebat lasciviæ; patre quidem recens catechumeno non multum curante, matre vero prout poterat, revocante. Ducens enim hæc in partem filium obsecrando, increpando, dedit consilium, ne impulsu ætatis lubricæ præcipitium fornicandi incurrat vel adulterium. At ille, ut in tali plerumque fit ætate, hujusmodi monita anicularia reputans et computans pro nihilo, coævos et consimiles malebat audire quam matri obedire. Unde Scriptura divina : « Cogitatio, inquit, humani cordis in malum prona est ab adolescentia sua (*Gen.* VIII). » Et poeta sæcularis :

Imberbis, ait, *juvenis tandem custode remoto*
Cereus in vitium flecti.

CAPUT II.

Tandem Augustinus vale facto parentibus, Deo quidem disponente, sed eo nesciente, discendi gratia Carthaginem profectus est, ubique in schola cujusdam rhetoris incredibili celeritate doctus est. Tullianis enim floribus et Quintiliani incumbens coloribus, tam cito omnibus condiscipulis major apparuit, ut mirum omnibus videretur et ab omnibus laudaretur. Ubi unde vicesimo ætatis suæ anno cum inter condiscipulos similis adolescentiæ libros eloquentiæ addisceret, in qua florere cupiebat populari delectatus aura tanquam animal quod vento vivit et aura, discendi ordine pervenit in quemdam librum Tullii cujus nomen Hortensii. Ille siquidem liber ad philosophiam hortatur (philosophia vero *amor sapientiæ* interpretatur) quod nomen a Pythagora Samio exortum esse perhibetur. Antea enim sapientes appellabantur, qui vita et scientia cæteris præstare videbantur. Interrogatus autem Pythagoras quid profiteretur; philosophum, id est, amatorem sapientiæ se esse respondit, ne sapientem se si diceret, arrogans videretur. Quod responsum cum ab omnibus approbaretur, mos apud ethnicos inolevit ut sapiens inter ipsos philosophus appellaretur. Cum igitur liber ille hortatur ad philosophiam, nullam sectam commendans aliam, vehementer accendit Augustinum ad diligendum, quærendum, tenendum sapientiam: ob hoc solummodo displicens aliquantulum quod non haberet Christum, Dei virtutem et Dei sapientiam. Hoc enim nomen teneris ab annis a matre sua prædicari et commendari audierat, et ideo quidquid sine illo esset, quamvis expolite et veraciter dictum, non perfecte approbabat. Proposuit igitur insistere divinarum lectionibus scripturarum, ut videret continentiam earum. Sed enim faciem illarum invenit velatam et nubilo mysteriorum signatam, et qui gentilium litteras solebat currendo perambulare, in istarum nec januam potuit intrare. Est enim, o leo de tribu Juda, tuum solius aperire librum et solvere signacula ejus. Divinæ itaque valefaciens Scripturæ, in Manichæorum incidit sectam, nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti palliatam. Cum enim omnia illorum plena essent multiplici falsitate, copiose tamen sono tenus de simplici disputabant veritate. Illorum igitur verbis tanto ardentius Augustinus inhiabat, quanto amplius Deo, de quo loquebatur, de die in diem suspirabat. In quo errore per novem annos perniciose detentus est, sed matre sua incessanter orante et Deo misericorditer liberante, tandem ereptus est.

CAPUT III.

Ipsi vero matri, præ dolore perditionis illius pene deficienti, quanta divinitus data sit consolatio, non est prætereundum silentio. Cum enim illa inconsolabiliter ob spiritualem filii mortem doleret, et illum temere ridentem incessanter defleret, jamque eum in mensa participem habere recusaret, non odio habens filium, sed vitium morbum detestans potius quam ægrotum, Deo lacrymas ejus miserante, vidit somnium in quo mediocre incœpit solatium. Erat enim quasi stans in quadam regula lignea, et ecce juvenis quidam adveniens cultu splendido, vultu hilari, arrisit illi flenti. « Quæ, inquiens, tibi causa est luctus et doloris continui? » Et illa: « Perditio filii mei. » Cui juvenis: « Esto, inquit, secura, et vide, ubi tu es, ibi est et ille. » Et mulier statim ab illo avertens oculum, vidit juxta se in eadem regula stantem Augustinum. Quod cum evigilans memoriter recoleret ut prudens et magnæ fidei mulier interpretata est veraciter, plane cognoscens et asserens apud se, quia quandoque in eadem regula veritatis et catholicæ fidei videret Augustinum, in qua videbat et se. Non enim reputabat hoc tanquam somnium, sed tanquam divinum responsum, dicens: « Mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. » Quocirca cum idem visum ex ordine filio recenseret, et ille perverse interpretari conaretur dicens: « Ubi ego sum, mater, ibi et tu eris, » illa continuo non seductibilis muliercula, sed virilis animi femina: « Non, inquit, non enim dictum est mihi, ubi ille, ibi et tu, sed: ubi tu, ibi et ille. » Sic itaque ratione convictus cessit, et in eadem **693** tamen secta novem annis postea permansit.

CAPUT IV.

Accepit illa ad consolationem sui et aliud divinitus responsum per quemdam episcopum, virum catholicum, et sacris litteris eruditum. Ad quem cum supplex veniret, plorans, et devote postulans, ut Augustinum conveniret, eumque ab errore suo revocans ad fidem catholicam invitaret, ille respondit: « Filius profecto tuus adhuc est indocilis, superbe tumens novitate illius hæresis, paratior quæstiunculas texere, quam docenti acquiescere. Sustine igitur paulisper, et incessanter ora, legendo enim reperiet quam sit secta illa, quam diligit, exsecranda. Nam et ego ipse cum essem adolescentulus, in eodem errore desipui, et legendo et intelligendo quam fugiendus esset, cognovi, et fugi. » Quæ responsio cum illi non sufficeret, sed importunitate feminea cum nimia lacrymarum effusione instaret, ut cum filio suo loqui dignaretur, et eum ad meliora hortaretur, ille quasi tædio percussus: « Vade, inquit, mulier, ita vive, non enim potest istarum filius lacrymarum perire. » Quod responsum in tantum placuit mulieri, ac si de cœlo prophetia sonuisset ei.

CAPUT V.

Deinde cum vicesimum ætatis suæ Augustinus ageret annum, et magister Carthaginensis decem Categorias Aristotelis discipulis lectitaret, illisque obstupentibus (quia vix intelligentibus) concrepuret, iste magnum aliquid æstimans libellum accepit, et solus domi legens, quidquid in eo latebat, per se intellexit. Et quod scholares optimi peritis magistris, non solum loquentibus, verum etiam in purpure depingentibus vix intelligentes judicabant difficile, iste cum eis conferens, et nihil aliud quam per se intellexerat ab eis referens, asserebat perfacile.

Quidquid etiam de proprietatibus substantiarum, et accidentibus earum audiebat ab illis argumentando disputarj, solo auditu capiens, tanquam leve aliquid reputabat ventilari. Omnes libros artium, quas liberales vocant, quoscunque invenit, legit; quoscunque legere potuit, per se ipsum intellexit. Denique ne in longum vos ducam, omnes perplexitates dialecticæ, dimensiones geometriæ, consonantias musicæ, difficultates arithmeticæ nullo hominum tradente, solo Deo ministrante, sine magno labore ad liquidum cognovit. Nec sentiebat hæc omnia ab aliis studiosis et ingeniosis difficile capi, nisi cum eadem illis volebat exponere, et videbat vix ab eis posse intelligi. Mira res! Tanta intelligendi celeritas, retinendi capacitas, disserendi volubilitas, disputandi sagacitas in eo fuit, ut prorsus incredibile videretur, nisi hoc ipse humiliter confiteretur. Nil indignum judicemus Deo, si tantam liberalitatis suæ munificentiam effundit super injustos; de quo scriptum est, quia « solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super justos, et injustos (*Matth.* v). » Hunc itaque militem suum, quamvis necdum suum, divina largitas perfundebat abundantia scientiæ sæcularis, quem postea perfudit pluvia voluntaria sapientiæ salutaris. Ille vero nondum accepto Spiritu Dei nullas gratias referebat ei, sed de his omnibus tanquam de suis gloriabatur, nondum lecto : « Qui gloriatur, in Domino glorietur (*I Cor.* i). » Cum enim cognovisset Deum, non glorificabat sicut Deum, sed evanescebat in cogitationibus suis, putans esse sapiens, cum esset insipiens (*Rom.* i). Repellebat itaque a se spiritum Dei, non glorificans confitendo humilem Filium Dei, sicut scriptum est : « Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus (*Joan.* vii). »

CAPUT VI.

Deinde cum duodetricesimum ageret annum, relinquens Carthaginem in qua scholas regens docebat rethoricam, qui prius in civitate sua Tagastensi docuerat grammaticam, quibusdam amicis persuadentibus Romam venit, multisque in auditorium suum convolantibus discipulis, illis et per illos toti civitati cito innotuit. Cumque inibi laude rethoricæ, quam legebat, magnus haberetur in ore omnium, missum est a Mediolano Romam ad præfectum Symmachum, ut ipsi Mediolano provideret et mitteret magistrum rethoricum. Agit ergo divina dispositio ut præ cunctis Augustinus eligeretur, et a præfecto Mediolanum ad legendum rethoricam mitteretur. Erat autem tunc temporis beatus Ambrosius aurigans currum Mediolanensis Ecclesiæ, ad quem Augustinum ducebat divinæ consilium misericordiæ, dicens ei quamvis adhuc surdo : « Hic tibi dicet quid te oporteat facere (*Act.* xi). » Ille vero homo Dei hunc advenientem benigne suscepit, et iste illius primo quidem non sanctitatem, sed benignitatem erga se dilexit. Quo loquente in populo verbum Dei Augustinus frequenter aderat, non ut veritatem audiret, sed explorans utrum famæ illius facundia A conveniret. Audierat enim illius facundiam commendari, cui attente inhiabat delectatus sermonis suavitate, potius quam rei veritate. Deinde cum frequenter interesset prædicationi, cœpit paulatim animum rebus magis, quam verbis intendere, et non 694 quemadmodum diceretur, et quid diceretur attendere. Tandem illucescente paulisper veritate, sectam Manichæorum quam diu tenuerat, relinquendam esse decrevit, et tandiu in catholica Ecclesia catechumenus esse constituit, donec plenius eluceret veritas quam teneret.

CAPUT VII.

Interea cum Alipio et Nebridio qui ei adhæserant jure amicitiæ, sollicitus erat inquisitor veritatis et sapientiæ, pariter suspirans, pariter fluctuans, cum B videret quid esset dimittendum, nec adhuc perspicue appareret quid esset tenendum. Mirabatur jam apud se diutinas mentis suæ fluctuationes, recolens undevicesimum ætatis suæ annum, cum lecto Hortensio proposuit cupiditatum suarum relinquere vanitates et insanias mendaces, et soli deinceps incumbere sapientiæ, quam videbatur Hortensius commendare. Et ecce jam tricenarius erat et tamen vere sapiens nondum erat, cum frequenter per id temporis visus esset ad illud conscendere, et tamen consuetudinis pondere coactus in ima recidere. Verumtamen divinarum verba Scripturarum quæ hactenus præterierat aure surda, jam non videbantur absurda, nec adversabatur eis qui in lege et C prophetis asserebant aliud legi, aliud intelligi, præsertim cum frequenter audiret Ambrosium prædicantem in populo. « Littera occidit, spiritus autem vivificat (*II Cor.* iii). » Cum autem mentis aciem ad id niteretur erigere, ut lecta vel audita litteraliter, intelligeret et ipse spiritualiter, non poterat quidem quod volebat, et cum adesset flagrantia, non suppetebat gratia. Reverberatus enim infirmitate propria, in Solis æterni radium defigere non prævalebat oculum, et cum eniteretur, recedebat horrore. Sic igitur suspirans Deo, invenit se esse longe ab eo, non terrarum intercapedine, sed dissimilitudine, tanquam audiret vocem illius dicentis. « Cibus sum grandium, tu autem parvulus es, cresce, et manducabis me. » Quod ne vellet carnaliter accipere, qui D nondum noverat spiritum sapere, nec tu, inquit, me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me : « Ego enim sum qui sum (*Exod.* iii). » Hoc percepto non extraria auditione, sed interna inspiratione, sensit et expertus est non esse mirum quod palato non sano pœna est panis, qui sano est suavis, et lux odiosa est lippientibus oculis quæ sanis est amabilis. Cum agitur evectus supra se, cibum hunc esse grandium nosset, relapsus apud se nil secum ferebat, nisi memoriam amantem, et quasi olefacta desiderantem, quæ comedere nondum posse

CAPUT VIII.

Tunc vero invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, amplius intellecta conspexit, et quamvis aciem

figere non valeret, ex creatura tamen Creatorem intellexit. Quærebat autem sollicite, quomodo ad fruendum Deo idoneus efficeretur, nec inveniebat, donec mediatorem Dei et hominum, Jesum Christum fide amplecteretur. Quem cum audiret justum, sanctum, excellentis sapientiæ virum, et (quod mirabilius est) natum ex virgine prædicari, talem illum existimabat, cui nullus hominum posset æquari, sed quid sacramenti haberet : « Verbum caro factum est (*Joan.* I), » nec etiam poterat suspicari. « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*ibid.*), » utcunque videbat, « Verbum caro factum est et habitavit in nobis (*ibid.*), » non intelligebat. Illud quippe in quibusdam Platonicis libris prædicari, non eisdem verbis, sed eodem sensu intellexerat, istud vero ibidem non invenerat. Nil igitur perfectionis poterat adipisci, donec perveniret ad Christum, sicut scriptum est : « Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (*Psal.* XIII). » Nec mirum. Non enim poterit Israeliticam consequi securitatem, qui prius Judaicam non tenuerit veritatem, sicut propheta pie intelligentibus insinuat evidenter : « In diebus, inquiens, illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter (*Jer.* III). » Quem enim meritum salvat veræ confessionis, cum profecto solummodo recipit secura habitatio divinæ visitationis. Itaque avidissime divinorum cœpit legere Scripturas librorum, et præ cæteris Paulum, et tandem intellexit non sibi adversari sermonis ejus textum, sed congruere testimoniis legis et prophetarum. Jamque remoto involucro mysteriorum apparuit ei una facies eloquiorum castorum, et exsultans cum tremore didicit quæ Deus a sapientibus et prudentibus abscondit, et parvulis revelavit (*Matth.* X). Dirupta igitur nectura cæcitatis, ardebat desiderio sanctitatis, et cum jam videret quo esset eundum, adhuc tamen hærebat qua esset eundum. Videbat enim Ecclesiam plenam fidelibus, quorum alius sic, et alius sic ibat, et cum omnes boni bene irent, alius tamen alium præibat.

CAPUT IX.

Cum autem erroris aliquatenus jam liber esset a vinculo, displicebat ei quidquid agebat in sæculo, et delectatus dulcedine spirituali, admodum gravabatur conversatione sæculari. Eapropter visum est ei bonum Simplicianum, virum justum et sanctum **695** consulere, quem a juventute sua audierat devotissime Deo vivere. Jam vero senex et plenus dierum in studio sanctitatis ætatem ipse consumpserat, multa quidem edoctus, multa, ut videbatur, expertus, et vere sic erat. Cui æstus cordis sui et erroris circuitus manifestans, devote postulavit ut vir sanctus proferret ei, quis esset aptus modus sic affecto ut ipse erat ad ambulandum in via Dei. Multi enim in ea ibant, et, sicut prædiximus, alii et alii, aliter et aliter ibant. Ille vero humilitatem Christi oppido commendans, ad illam præcipue Augustinum invitavit, et inter invitandum, Victorini Romani quondam rhetoris conversionem ad medium revocavit. Romæ quidem multis annis Victorinus ille magister fuerat, et ob insigne præclari magisterii, statuam in Romano foro habere meruerat. Cum autem Deus qui fecit de tenebris lucem splendescere, illuxit in corde suo (*II Cor.* IV), quæ prius visa sunt lucra, reputans detrimenta, devote ad Deum conversus est, et loquacem scholam suam deserens, in schola Christi humilis discipulus effectus est. Omnem quippe fastum antiquæ dignitatis repulit, et nihil sibi de se relinquens, totum se Deo contulit. Hunc eumdem beatus Hieronymus præceptorem habuit in rethorica, qui prius Donatum habuerat in grammatica.

CAPUT X.

Hoc exemplo commonitus ad imitandum Augustinus incanduit, et omnibus quæ mundi sunt postpositis, soli Deo vacare proposuit. Sed cum adjaceret velle, non inveniebat posse, cum enim æstuaret suspirans ad insolita, remordebat inolita, et volens in eis requiescere, ista sentiebat obstrepere. Experiebatur quidem in se illud apostolicum. « Caro concupiscit adversus spiritum (*Galat.* V), » quia novus homo veterem propellens, jam quasi in foribus aderat, resistente vetere novo quantum poterat. Audiebat sibi dici : « Surge qui dormis et exsurge a mortuis et illuminaberis (*Ephes.* V), » adhuc tamen somnolentus differebat surgere. Qui cum vigilare quam dormire sciret esse præstantius, adhuc tamen sopore gravi carpebatur libentius. In se unum, nec jam unum duorum affectuum discordiam mirabatur, quorum alter somnum ingerebat, alter ad vigilantiam hortabatur. Iste quæ Dei sunt jam sitiens, dormitantis vellicabat latera, ille quæ mundi sunt sapiens, surgentis deprimebat tempora. Ille metum judicii incutiendo torporis frangebat repagulum, iste blandiendo et fallendo retardabat paululum. Stupebat nimirum ipse Augustinus ad tale spectaculum, cum videret se velle, et non velle contemnere sæculum.

CAPUT XI.

Cum autem tali rixa intrinsecus discerperetur, et tam vultu quam mente turbaretur, hortulum hospitio suo condignum ingressus est, quem Alipius familiaris suus pedetentim secutus est. Nactus vero locum dolori congruum (dolori enim solitudo amica est), cœpit sibi vehementius indignari, et trepidationem suam indignando detestari. Ingerebant se illi solitæ cogitationum vanitates, non jam a facie occurrentes, nec a via divertentes, quin recte procederet, sed a tergo mussitantes et quasi vellicantes ut saltem respiceret. Tandem everso fundo cordis sui et congesta ante mentis oculos universa massa miseriarum suarum, oborta est tempestas tumultuosa plena lacrymarum. Ad quam effundendam liberius, relicto Alipio in eo in quo consederant loco, paulo secessit remotius. Jamque doloris incontinens, sub quadam ficu stravit se, forte ut diceret ei Dominus : « Cum esses sub arbore fici, vidi te (*Joan.* I). » Et

volutans se in toro gramineo, amoto repagulo lacrymarum, totas eis habenas effudit, et defluente flumine oculorum per devexa facilia stratum suum ubertim rigavit. Nec defuerunt gemitus et voces plenæ doloris, cum Deum conveniret lacrymabiliter, qui lacrymas illius intuebatur delectabiliter, non crudelitate sed pietate. Et : « Tu, inquit, Domine, usquequo (*Psal.* VI). » Usquequo oblitus misericordiarum tuarum, memoreris iniquitatum mearum, quandiu in crastinum et crastinum conversio mea differetur ? quare non hodie, quare non hac hora, turpitudo mea finitur? Cum hæc et his similia lacrymabiliter loqueretur, et amara cordis contritione afficeretur, ecce de domo vicina audivit tanquam pueri vel puellæ vocem modulantem cum repetitione, repetentem cum modulatione : « Tolle, lege, tolle, lege. » Quo audito, obstupuit, et tacitus cœpit apud se cogitare, utrum pueri in aliquo ludo solerent tale aliquid cantitare. Qui non occurrit. Intellexit igitur divinitus se moneri ut accepto codice, legeret, et quod ab illo doceretur, ageret. Audierat enim Antonium Ægyptium monachum tale quid egisse. Cum enim ille Antonius converti disponeret, Evangelio, quod legebatur, forte supervenit dicenti : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me (*Matth.* XIX). » Et tanquam sibi dictum quod audivit, tali mandato obedivit. Hoc recolens Augustinus, repressis lacrymis, ad locum ubi sedebat Alipius, rediit, et codicem apostolicum quem juxta illum dimiserat, cum inde surgeret, arripuit. Et aperto illo festinus injicit oculum, et quod primum occurrit, silenter **696** legit capitulum : « Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et elatione, sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis (*Rom.* XIII). » Quo lecto, desivit legere, hoc sibi judicans sufficere. Statim ut hæc admonitio, depulso omni involucro languidæ dubietatis, infusa est cordi suo quædam lux securitatis. Et clauso codice, interposito signo, quid legisset gaudens indicavit Alipio. At ille petiit videre, et accepto codice vidit. Et prospiciens quid ultra quam iste legerat haberetur, ignorante Augustino quid sequeretur, invenit ille et legit. « Infirmum autem in fide recipite (*Rom.* XIV). » Quod ad se ipsum referens, Augustino hilariter intonuit. Qui mox tali admonitione ipse quoque firmatus est, et in eodem bene vivendi proposito, omni posthabita cunctatione Augustino conjunctus est.

CAPUT XII.

Inde ad matrem Augustinus ingreditur, manifestans ex ordine orientis ex alto visitationem, ut quæ pro eo dolebat, acciperet jam consolationem. Jam quippe illa relicta patria, transito mari, multo terrarum spatio peragrato ad eum venerat, defuncto quidem viro suo, quem in extremo temporalis vitæ suæ Deo lucrata fuerat. Audiens hæc Augustinum ad serviendum Deo confirmatum pro quo tanto tempore fleverat, exsultans gratias egit Deo, qui ei plus quam petiisset, concesserat. Videbat enim illum non solum ad amorem fidei, verum etiam ad contemptum sæculi omnino accensum. Unde luctus ejus in gaudium, planctus in tripudium versus est, stante filio in ea regula fidei in qua ante tot annos revelatus est. Pulsis vero anxietatibus curarum, et suavitatibus nugarum quibus hactenus impeditus erat Augustinus a salutis itinere, quæ prius formidabat amittere, jam gaudebat dimittere. Renuntians igitur scholasticis suis ut sibi alium venditorem verborum providerent, professionem abjecit rethoricam, æstuans desiderio vacandi, orandi, amplectandi religionem catholicam. Ut autem locus proposito conveniret, tumultum civitatis deserens rus ivit, in quo cum amicis eodem desiderio flagrantibus, divinis lectionibus operam dedit. Quas cum legeret, dulcedine afficiebatur earum, et inter legendum alta trahens suspiria, faciem rigabat impetu lacrymarum. Exsecrabatur suam adversus Deum contumaciam, mirabatur Dei erga se patientiam, cum Psalmos Davidicos legeret, et eos Spiritu sancto afflatus intelligeret.

CAPUT XIII.

Quartum profecto assumens psalmum, et ejus singulos versus attente legens, et attentius relegens, a gemitu cordis sui rugiebat, et cum flere non sufficeret, voces dolori congruas proferebat. Audiebat quippe in eo, errores argui hominum, vanitates et insanias mendaces sectantium, colaphizante illo versiculo : « Filii hominum usquequo gravi corde, utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? (*Psal.* IV). » Talem procul dubio se fuisse sciebat, quales esse versiculus arguebat. Legebat : « Scitote quia mirificavit Dominus sanctum suum, Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum (*ibid.*) ; » sciens profecto quia qui sanctum Domini mirificatum, Christum passum, mortuum, suscitatum non cognoverit, non exaudietur cum clamaverit. Audiebat Prophetam signaculo vultus Dei illuminatum, a fructu, frumenti, vini, et olei salutaris multiplicatum, in spe æternæ refectionis gloriantem et humili præsumptione clamantem : « In pace in idipsum dormiam et requiescam (*ibid.*). » Legebat et relegebat, et præ gaudio exclamabat : O in pace ! o in idipsum! o civitas cujus participatio in idipsum, o beatus qui fluxu mutabilitatis ablegato, dormit, et requiescit in idipsum. Inter hæc et alia multa divinæ beneficia consolationis, non defuerunt Augustino acerbæ pocula tentationis, forte ut castigaretur et eruditetur, juxta quod scriptum est : « Quem diligit Dominus, castigat (*Hebr.* XII), » et alibi : « Qui non est tentatus, quid scit ? (*Eccli.* XXXIV). » Cum enim in villa cum amicis moraretur, et vel in legendo, vel in scribendo, vel in disputando assiduus haberetur, contigit ut gravi dentium infirmitate vexaretur, ita ut ei præ nimio dolore loquendi facultas intercluderetur. Recolens itaque fi-

deliter illum versiculum : « Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum (*Psal.* I), » cogitavit apud se admonere eos qui secum aderant ut orarent pro se. Qui cum non posset loqui, scripsit in cera, et dedit eis legere. Ut autem suppliciter cum illis ad orandum genua fixit, dolor ille tam velociter fugit, ut ipse admirans expaverit laudans Deum, cui, sicut scriptum est, « subest posse, cum voluerit (*Sap.* XII). »

CAPUT XIV.

Deinde insinuavit viro S. Ambrosio mediante scripto pristinos errores suos, et præsens votum suum, ut moneret vir sanctus, quid illi potius de libris sanctis legendum esset, quo percipiendæ Christianæ gratiæ aptior fieret. At ille Isaiam prophetam legi mandavit, forte quod apertius cæteris vocationem
697 gentium prænuntiavit. Denique scriptum est : « Sapientiam antiquorum exquiret sapiens ; et in prophetis vacabit (*Eccli.* XXXIX). » Sed enim prima hujus lectione non intellecta, cum totum talem esse arbitraretur, interim distulit, proponens repetendum, cum in Dominico eloquio exercitatior haberetur. Verumtamen nondum de præteritis malis securus erat, quia nondum lavacro salutari regeneratus erat. Nondum tunica vetustatis penitus erat exuta, quia Christum per baptismum nondum erat indutus. « Quicunque, ait Apostolus, in Christo baptizati estis, Christum induistis (*Galat.* III). » Relicto igitur rure, Mediolanum remeans, a beato Ambrosio baptizatus est, cum quo etiam puer Adeodatus de ipso carnaliter natus, spiritualiter renatus est. Quindecim annorum erat puer ille, cum in gratia baptismi beato Augustino factus est coævus, tam velocis et ipse ingenii, ut multos grandevæ ætatis et magnæ eruditionis agilitate intelligendi præveniret viros. Mirabatur profecto Augustinus et horrebat ad tale ingenium, cum audiret illum annorum sedecim subtiliter interrogantem, interrogando argumentantem, ita ut illius magis interrogationi, quam suæ intentus esset responsioni. Erat enim puer ille ardentissimus veritatis amator, et occultorum diligens investigator, juxta quod scriptum est : « Beatus vir qui excogitat vias Domini, et in absconsis illius intelligit (*Eccli.* XIV). » Est liber qui inscribitur : De magistro, est alius De quantitate animæ, sunt et alii quidam qui de eorum ad invicem collocutionibus conscripti sunt, quos qui legerit, inveniet quanta ibi subtiliter inquisita et diligenter discussa sunt. Verum adolescens ille cum flagraret tam desiderio bene vivendi, quam studio, cito de medio sublatus est ; et ad terminum qui præteriri non potest deveniens, ad patres suos assumptus est (*Job* XIV). Quem divinæ beneficio gratiæ et suæ merito sanctitatis et innocentiæ apprehendisse credo illud quod tantopere desideravit, in æternum viventem, regnantem in Christo, cum Christo in æternum.

CAPUT XV.

Beatus vero Augustinus baptismi salutaris accepto munere cum fugisset ab eo sollicitudo vitæ præteritæ, non satiabatur dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilii divini super salutem generis humani. Frequentans itaque limina ecclesiæ, et attentus modulationi hymnorum, et melodiæ psalmorum, afficiebatur delectabiliter, hilariter tali pastu reficiens non ventrem, sed mentem, juxta quod scriptum est : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte (*Psal.* XLI). » Et iterum : « Cibabis nos pane lacrymarum (*Psal.* XLIX). » Hoc quippe genus consolationis recens cogitare inchoaverat Ecclesia Mediolanensis quadam temporis angustia cogente, imo divina sapientia suaviter disponente. Anno quidem recens præterito Justina imperatrix Valentiniani regis mater, Arianorum errore seducta, cum beatum atrociter Ambrosium persequeretur, fideles qui Mediolani habitabant, parati cum episcopo suo mori, in ecclesia excubabant. Erat enim regalis illa bellua Christianæ fidei vehementer inimica. Unde Ecclesiasticus : « Non est, inquit, caput nequius super caput colubri, et non est ira super iram mulieris (*Eccli.* XXV). » Et quidam satyricus :

Intolerabilius, ait, *nihil est, quam femina dives.*

Et Plautus in Asinaria duabus malis mulieribus loquens : « Mare, inquit, non est mare, sed vos mare accerrimum. » Tunc vero idem antistes aliorum magis quam suæ afflictioni compatiens, instituit ut secundum morem orientalium partium, hymni et psalmi in ecclesia canerentur, ut canticis spiritualibus fideles intenti, mœroris et tædii præsentis obliviscerentur.

CAPUT XVI.

Eo tempestate sanctorum martyrum Gervasii et Protasii corpora, quæ diu in secreto terræ latuerant, eidem episcopi per visum revelata sunt, quæ effossa magno cum honore ad Ambrosianam basilicam translata sunt. In quorum translatione cum multa fierent miracula, quidam præcipue, civis notissimus civitati multis retro annis cæcus, cum fide prævia tangeret feretrum, illuminatus est. Unde cum fama discurreret, et divinas laudes civitas personaret, illius reginæ animus mitigatus est, etsi non ut Christiana efficeretur, tamen ut Christianos non persequeretur. Cessante autem persecutione, consuetudo tamen psallendi in Ecclesia retenta est, et usque in hodiernum per totum orbem diffusa est. His itaque hymnorum et psalmorum cantibus beatus Augustinus vehementer affectus, illis hymnidicis angelorum choris interesse sitienter ardebat, et cum voti compos nondum effici posset, et solatium præsentis miseriæ flebat. Inde assumpto secum Evodio qui de eodem quo et ipse erat municipio et aliis amicis suis, perrexit reverti in Africam, et cum essent apud ostia Tyberina, sancta illa vidua mater sua, devotam Deo reddidit animam. Nulla quippe ex causa jam illa temporalem hanc vitam diligebat, nulla ex causa mortem differri cupiebat, cum videret beatum Augustinum contempta felicitate terrena Deo inhianter servire, perfectis Evangelii man-

datis devote obedire. Arrepta igitur febre, cum mortis vicina periculo, circumstantibus **698** Augustino et suis decumberet in lectulo, hoc solum illos obnixe exoravit, ut ad altare Christi memoriam agerent sui, et sic in pace obdormiens intravit in gaudium Domini sui.

CAPUT XVII.

Cujus exsequiis de more celebratis, Augustinus in Africam reversus est, veniensque Carthaginem a quodam religioso viro, Innocentio nomine, hospitio receptus est. Cui gravi infirmitate in his quæ posterius sunt partibus laboranti fistulas (quas innumeras et perplexas habebat) medici secuerant, sectas sanaverant, sed per incuriam quemdam sinum secandum reliquerant, pollicentes se quod reliquum erat curare leviore medicamento, sine alicujus sectionis detrimento. Verum cum medicaminibus nihil proficerent, sed tempus et impensas in vanum consumerent, consultis aliis valentioribus medicis, comperit se non posse ad unguem sanari, nisi quod secandum remanserat, pateretur secari. Expavit, expalluit, exanimis factus est præ timore, quia in prima sectione fere mortuus fuerat diuturno et acerbo dolore. Enimvero quia dicitur ille velle perire qui non vult obedire, consilio medicorum tandem invitus accessit, et in die sequenti illam fieri sectionem concessit. Adest dies nominata, conveniunt amici, quos ille desperans de salute sua pridie monuerat, ut mane dignarentur esse præsentes suo potius funeri quam dolori. Familia doloris impatiens, elata voce plangit illum tanquam morituum, quem inter manus medicorum credebat moriturum. Ingrediuntur medici, proferuntur ferramenta, stant omnes attoniti et suspensi, ii autem, quorum erat major auctoritas, ægrotum consolantur, et inconsolabili timore pereuntem, in spem erigere conantur. Augustinus hospitis sui miseram sortem miseratus, cum videret illum et multos suorum de medicorum auxilio desperare, fixis genibus ad orationis confugit remedium, orans cum « qui facit mirabilia magna solus (*Psal.* CXXXV), » ut viro tam liberali, tam hospitali, tam religioso, in tanto periculo misericorditer subveniret, et (si dici fas est) imo quia est, votis ut hominum Deus obediret. Josue quippe prælianti et oranti Deus legitur obedisse, cum ad ejusdem Josue imperium, oblitus itineris sui sol super Gabaon, et luna super vallem Aiilon immobilis staret, donec ille quinque Regum tyrannidem expugnaret. Eadem fide armatus Tyro devotus Augustinus oravit, et ab eodem Deo sub cujus signis et ipse militabat præcipuus, effectum impetravit. Interea Innocentius in lectulo cernuus prosternitur, solvuntur ligamina, locus nudatur, armatus ferro medicus propius accedit, secandum illum sinum quærit oculis, quærit digitis, et, quod dictu mirabile est, invenit sanum non humano, sed divino medicamine sanatum. Fit gaudium, fit clamor præ gaudio, fit tanta hominum exsultatio, quanta, etsi utcunque potest cogitari, verbis tamen non potest explicari. Verso luctu in citharam laudatur, glorificatur, benedicitur Deus ore cunctorum, « qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum (*Psal.* CXLVI). »

CAPUT XVIII.

His peractis, Augustinus Carthagine relicta, ad agros proprios profectus est, ibique cum suis, jejuniis et orationibus vacans, per triennium in ordine laicali conversatus est. Per idem vero tempus lectioni et scriptioni intentus, scribebat libros et docebat indoctos, legens et non negligens, quia hæc est pietas quæ super omnia utilis est ad omnia. Labor enim juxta Apostolum, « et si utilis est, ad modicum utilis est, pietas vero ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et ejus quæ futura est (*I Tim.* IV). » Quæ nimirum pietas nulla convenientius intelligitur sicut a sanctis doctoribus exponitur, quam exercitatio in Scripturis divinis, cum devote leguntur, implentur, docentur juxta Prophetam dicentem : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ! Levavi manus meas ad mandata tua (*Psal.* CXVIII), » — « narrabo omnia mirabilia tua (*Psal.* IX). » His igitur sollicite impendens studium, Marthæ et Mariæ implevit officium, cum Martha docendo proximos, pascens Dominum, cum Maria, legendo, meditando, audiens Dominum. Eo tempore cum lumen tantæ sanctitatis non posset diutius latere, sed opportunum esset illud omnibus qui in domo sunt, apparere, fama ejus quidam Hipponensium civis audivit; cogitans et recogitans apud se, quia si illum videre et colloqui mereretur, juxta consilium ejus, relicto sæculo, ad Dominum converteretur. Quod cum B. Augustino mediante legato innotesceret, volens vir sanctus Deo lucrari animam, Hipponem profectus est; virumque prædictum ad contemptum mundi et amorem Dei quantum potuit, exhortatus est, cujus ille præsentia gaudens, exhortationem ejus satis gratanter accepit, sed tamen quod promiserat, occulto Dei, consilio ad præsens implere distulit. Cum vero divina sapientia quæ « suaviter disponit omnia (*Sap.* XIII), » adventum viri sancti, qui sibi jam videbatur inutilis esse, multis ferit prodesse, et cum ille doceret se non proficere uni, cui voluit, coactus est multis prodesse, unde et amplius doluit. Contigit enim ut B. Valerius, qui tunc temporis Hipponensem episcopatum **699** regebat, cum verbum Dei loqueretur in populo, inter loquendum consilium ejusdem populi et assensum quæreret de eligendo in Ecclesia presbytero, astante B. Augustino in turba, et audiente verbum Dei cum turba. Cujus, quia famam B. Valerius compererat, cumque virum eruditum, facundum, religiosum audierat, divino Spiritu innuente ipsum ordinandum elegit; tam clero quam populo unanimiter consonante, et, ut id sine dilatione fieret, postulante. Quo comperto, vir sanctus graviter ingemuit, lecto et intellecto quantum imminebat periculis his qui constituuntur judices populi. Flebat igitur vehementer et incertus fluctuabat, cum terreret eum illud propheticum : « Væ qui pascunt se ipsos et non

oves meas (*Ezech.* XXXIV), » compelleret vero illud evangelicum : « Si diligis me, pasce oves meas (*Joan.* XXI). » Tandem flentem et frustra renitentem B. Valerius de turba segregavit, et, licet invitum presbyterum ordinavit. Sciens vero desiderium ejus et propositum, quod scilicet cum clericis nihil habentibus, nihil habens optabat vivere, dedit hortum in quo mox ædificato monasterio cœpit ejusdem propositi fratres colligere, et cum eis secundum modum et regulam sanctorum vivere apostolorum, ut omnia scilicet essent eis communia et nullus diceret sibi aliquid proprium, et distribueretur unicuique quod esset necessarium (*Act.* IV). Quod quidem ipse prior jam fecerat, quando de transmarinis ad sua redierat.

CAPUT XIX.

Sanctus vero Valerius qui eum ordinaverat, exsultans uberius gratias Deo agebat, quod talem virum juxta desiderium suum sibi contulerat, qui verbo et doctrina salubri Ecclesiam ædificare poterat. Cui rei non satis se idoneum prævidebat, qui natura Græcus, lingua Latina et litteris minus instructus erat. Quocirca eidem Augustino potestatem contulit, ut etiam in præsentia sui, verbum Dei in populo loqueretur, quamvis hoc in Ecclesiis Africanis hactenus insitatum haberetur. Unde nonnulli episcopi murmurantes detrahebant, et sic contra morem non debere fieri asserebant. Sed vir sanctus Valerius sciens hoc in Ecclesiis Orientalibus actitari, linguas detrahentium non curabat, et non suam, sed Dei gloriam quærens, malebat populum Dei per alium fieri doctum, quam per se remanere indoctum. Unde postea hujusmodi fama discurrente, et bono exemplo procedente, nonnulli presbyteri, quibus competens et erudita inerat facundia, accepta potestate cœperunt loqui verbum Dei in populo, etiam in episcoporum suorum præsentia. Et digne quidem, cum hoc Apostolus non esse inconveniens doceat : « Si alii, inquiens, sedenti revelatum fuerit, prior taceat (*I Cor.* IV). »

CAPUT XX.

Eodem tempore in illa Hipponensi urbe Manichæorum pestilentia multos tam cives quam peregrinos infecerat, quos præcipue quidam illius hæresis presbyter nomine Fortunatus loquaci versutia deceperat. Qui in eadem urbe conversans et ad seducendum mulierculas, domos circuiens, magnus apud multos habebatur, loquens multa de Scripturis sanctis, quas ad suam et illorum perditionem male interpretabatur. Interea multi Hipponensium tam Christiani catholici quam Donatistæ hæretici B. Augustinum adeunt, summopere postulantes ut prædictum Fortunatum, quem doctum æstimabant, conveniret ; et cum eo de lege Dei et Scripturis sanctis disputaret. Ille vero paratus omni poscenti se reddere rationem de fide et spe quæ in ipso erat, potensque exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere, quod petebatur non renuit ; sed utrum et hoc ille vellet fieri, inquisivit. At illi statim eumdem Fortunatum adierunt, et ut hoc minime recusaret, instanter petierunt. Ille vero quoniam apud Carthaginem sanctum noverat Augustinum, cum adhuc secum illo errore detineretur, congressum vitare visus est, sed cogente verecundia et illorum instantia, tandem se in colloquium esse venturum, et certamen disputandi subiturum pollicitus est. Condicto igitur die et loco convenerunt, et ad audiendum eos multi studio cognoscendæ veritatis, multi impulsu curiositatis confluxerunt. Apertisque tabulis notariorum ad excipienda verba singulorum, primo die disputatio eorum est inchoata, secundo vero terminata. In qua doctor ille Manichæus nec catholicam beati Augustini assertionem infirmare, nec Manichæorum sectam adminiculo veritatis potuit confirmare ; sed deficiens responsione, et digna affectus confusione, veritati volens nolens cessit, et paulo post, de civitate nunquam rediturus recessit. Sic profecto per virum Dei Augustinum de cordibus tam præsentium quam absentium, ad quos illa pervenit disputatio, eradicata est prædicti erroris deceptio, et intimata et confirmata catholicæ veritatis religio.

CAPUT XXI.

Prædicabat autem passim et publice, loquens verbum Dei cum omni fiducia, omnem hæreticum destruens, catholicos instruens, infundente ei Spiritu sancto ineffabilem gratiam, mirantibus cunctis discretam 709 ejus facundiam. Cujus famam nominis non solum Africana, verum etiam transmarina jam noverat Ecclesia, ineffabiliter gaudens quod talem ei Deus Incernam contulerat, cujus verbo et exemplo illuminari meruerat. Cum vero præ cæteris senex ille exsultaret Valerius, cœpit, ut se habet humana infirmitas, formidare ne suus ille presbyter ab alio quæreretur, et sibi ablatus in episcopum eligeretur. Quod utique aliquando provenisset, nisi hoc præcognito idem episcopus illum fecisset occultari, ne quæsitus posset inveniri. Unde ampliori timore concussus, præsertim cum et corpore esset infirmus et ætate defessus, primati episcoporum Carthaginensi secretas litteras allegavit, et orans, obtestans ut Ecclesiæ Hipponensi Augustinus episcopus ordinaretur, qui cathedræ suæ non tam succederet, quam consacerdos accederet. Cujus ille tam corporis quam ætatis attendens infirmitatem, piis ejus precibus clementer accessit, et quod petebat fieri, rescripto concessit. Deinde veniente ad Ecclesiam Hipponensem tunc primate Numidiæ Megalio, et præsente Valerio, et universo tam clero quam populo, omnibusque concordantibus et electioni acclamantibus, in episcopum Augustinus electus est, quod (veniente episcopo suo) recusare vehementer nisus est. Verum cum ab omnibus cogeretur, et tam Africanæ quam transmarinæ Ecclesiæ exemplis id fieri solere probaretur, tandem coactus succubuit, et episcopalem tam locum quam ordinem cum B. Valerio obtinuit. Quod quidem non debere fieri, postea et dixit et

scripsit, cum universalis concilii cognovisset decreta, quæ tunc temporis erant ei incognita.

CAPUT XXII.

Factus vero episcopus, quo majori dignitate refulsit, eo majori instantia et auctoritate verbum Dei prædicavit, non in sua tantum civitate, sed ubicunque eum ecclesiastica necessitas invitavit, vel ad instruendum catholicos, vel ad destruendum hæreticos, ipse enim Felicem hæreticum, Maximininum, Pascentium, Felicianum multosque alios quos enumerare et longum et superfluum est, digna percussos confusione, publica vicit disputatione. Qui profecto per universam Africam corda infirmorum versuta dicacitate et perversa auctoritate seducebant, et ad interitum cæci cæcum ducebant. Quorum multi qui diu errore in eis prævalente fuerant perversi et aversi, divina inspiratione et Augustini disputatione ad fidem catholicam sunt et conversi et reversi. Videns autem quia necesse erat episcopum assiduam hospitalitatis humanitatem quibusque venientibus, sive transeuntibus exhibere, alioquin, si hoc non fecisset, inhumanitatis argueretur, et si hæc in monasteriis consuetudo omissa esset, irreligiosum esset; videns, inquam, hoc, voluit in ipsa episcopali domo monasterium habere clericorum, ut qui presbyter in horto regulariter vixerat, in episcopatu nihilominus pauper cum pauperibus Deo sub regula deserviret. Proficiente ergo sana et sancta ejus doctrina, multi clerici divino afflati spiritu valefacientes sæculo, ad monasterium ejus confluxerunt, ibique relicta sæculari proprietate et propria voluntate, sub tanto et cum tanto doctore, Deo devote servierunt. Quorum sancta continentia, paupertas voluntaria, humilis obedientia, longe lateque bonæ famæ odorem effudit, et per totam Africam hactenus emortuam apostolicæ religionis insignia redivivo virore diffudit. Unde nonnulli episcopi tantæ sanctitatis æmulatores effecti, multos de eodem monasterio fratres sibi donari petierunt, sub quorum cura et custodia multas Ecclesias ad serviendum Deo commiserunt. Illi vero propositi sui non immemores, et doctrinam salutarem quam a sancto voto acceperant, redolentes, monasteria etiam collectis clericis instituerunt, e quibus postmodum multos, proficiente eorum religione et fidelium devotione, ad instruenda alia monasteria emancipaverunt. Sic non solum in Africa, verum etiam in transmarinis partibus hujus propositum religionis et canonica norma professionis multos Dei famulos congregavit, multas Ecclesias ordinavit.

CAPUT XXIII.

Hujusmodi sanctitatem hæretici videntes proficere, se autem magis ac magis deficere, cum non esset facultas resistendi, esset vero libertas invidendi, irascebantur, frendebant et tabescebant, sed desideria eorum peribant. Beato enim Augustino quem decus et columen hujus religionis, suæ autem quasi caput et principem videbant esse destructionis, nil vel vi vel dolo nocere potuerunt, quod quidem multoties facere voluerunt. Unde aliquando cum armati in insidiis latitarent, et illum de more ad visitandas et instruendas catholicas plebes euntem occidere disponerent, contigit ut divina dispositione certo itinere amisso et dimisso, per aliam viam vir sanctus, quo tendebat, deveniret, et præsidio erroris manus illorum evaderet. Quo postea cognito, ei gratias egit qui quo modo vult, liberat quos salvare disponit. Veruntamen a prædicatione verbi Dei, timore concussus non desistit. Sed semper 701 et ubique, cum tempus et locus exigeret, illorum errorem et pressit et oppressit, et pro eis nonnunquam damnatis et mortis supplicio adjudicatis, apud principes sæculi frequenter intercessit. Noverat enim Scripturam quæ sic instruit nos : « Benefacite iis qui oderunt vos (*Luc.* VI). » Concilia episcoporum et synodos sacerdotum, colloquia principum ab eis invitatus frequentavit, et in eis non quæ sua, sed quæ Jesu Christi sunt, quæsivit et amavit, ut scilicet quod justum erat, digne confirmaretur; quod injustum, discrete corrigeretur.

CAPUT XXIV

Denique in vultu et habitu, in sermone et moribus talem se exhibuit omnibus, ut ad utilitatem omnium omnia fieret omnibus. Religiosis quippe honeste maturus, sæcularibus vero mature jucundus aderat, ut illos in sanctitate cœpta exemplo sui confirmaret, istos ad sanctitatem hilaritate congrua invitaret. Sciebat enim vir sanctus quibus esset utilis condigna maturitas, quibus vero perutilis discreta jucunditas. Indumenta ejus et calceamenta modum religioni congruum tenebant, non ventosa elatione, non elata abjectione sordedant. Plerumque enim sicut nimia vestium pulchritudo, sic arguitur superbiæ earumdem nimia turpitudo. Volebat autem se ipsum aliis formam dare vivendi, non materiam detrahendi. Sermo ejus in gratia sale conditus erat, plenus honestatis et veritatis, plenus consilii et fortitudinis, liberam tenens humilitatem, et humilem ubertatem, tam sapientibus quam insipientibus debitum ministrans spiritualis alimoniæ, potens exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere. Denique tanta vigilantia circumspectus, tanto erat munimine septus, ut non solum mendacium et perjurium, verum etiam omne vitaret juramentum, et moneret vitandum, non quia peccet veritas jurantis, si exigat diffidentia non credentis, sed quoniam qui frequenter jurat, aliquando perjurat. Asserebat autem summopere tenendum esse illud evangelicum : « Sit sermo vester : Est, est : Non, non (*Jac.* V) ; » Ne consuetudine jurandi quis laqueum incidat perjurandi. Est enim non solum ab illicitis, verum etiam abstinendum a licitis, ne dum quis passim discurrit per licita, incurrat illicita. Omnia igitur juramenta, etiam quæ a nonnullis religiosis frequentantur, aliquando et a quibusdam simplicioribus juramenta non putantur, videlicet : « Deus testis est, Deus scit, » et cætera hujusmodi, summa cura, summa diligentia tanquam pestem exhorruit, cum perfecte illi conjungi voluit

de quo Apostolus : « Non fuit inquit in illo Est et Non, sed Est in illo fuit (*ibid.*). » Mores ejus, juxta eumdem apostolum, sine avaritia erant contenti præsentibus. Paupertatem enim tanquam thesaurum inventum diligebat, hanc amplectebatur, huic inhærebat, sciens quia virtus voluntariæ paupertatis custodia est sanctitatis

CAPUT XXV.

Vasa domus ejus vel marmorea, vel lignea, vel testea erant, non inopia necessitatis, sed proposito voluntatis. Vino quidem, sed modico utebatur, et inter olera et legumina propter hospites vel infirmos quosque, etiam carnibus vescebatur. Pauper enim sibi factus, aliis dives et largus habebatur, sibi jejunans, aliis epulabatur. Ostium ejus viatori patebat, mensa ejus hospitibus serviebat, in qua non tam ventris quam mentis ministrabatur refectio, quia ablegatis nugis et fabulis præcipuum fercnlum disputatio erat et lectio. Quia vero inter epulas necessariæ refectionis plerumque ingerunt se superflua, imo mortifera venena fraternæ detractionis ; ad deprimendum hujusmodi pestem in mensa sua duos versiculos scribi fecerat, ut eo tacente, illi loquerentur, et sic admoniti a detractione convivæ compescerentur. *Quisquis amat dictis absentum rodere vitam, hanc mensam vetitam noverit esse sibi.* Si quis vero de familiaribus vel episcopis suis, qui frequenter mensæ ejus socii aderant, scripturæ hujus immemor, vel otiosa loqui, vel absentibus detrahere præsumeret, tam aspere aliquando commovebatur, ut diceret, quia vel ipse relicta mensa hinc abiret, vel ille versiculis obediret. Quod profecto aliquando contigit, ut surgens cubiculum suum ingrederetur, cum aliquis in mensa plus justo loqueretur. Sic non solum a detractoriis, verum etiam a superfluis verbis convivas reprimebat, eosque vel lectioni vel disputationi intendere compellebat. Tanto quippe studio et ipse his intentus erat, ut non solum quæ noxia erant a se penitus ablegaret, verum etiam quæ necessaria videbantur, tanquam noxia recusaret. Eapropter nec domos, nec agros, nec villas unquam emere voluit, quas tamen oblatas ecclesiæ, recipi non ex toto prohibuit. Aliquando nimirum hæreditates oblatas voluntarie reddidit, justum judicans ut potius a filiis vel hæredibus possiderentur, quibus patres eorum noluerunt dimittere cum morerentur. Quia vero ab occupatione temporalium animum semper liberum habere voluit, in construendis novis ædificiis nunquam studium habuit, quæ tamen ab aliis fieri nequaquam prohibuit, nisi forte aliquem plus justo his esse intentum cognovit. Commendata **702** quoque nunquam recipere voluit, ne qui in suis rogandis potius quam retinendis erat intentus, in alienis conservandis esset attentus. In his etiam quæ Ecclesia possidebat, nec tenebatur amore, nec afficiebatur timore, sed in superioribus et spiritualibus suspensus, ad disponenda temporalia aliquando descendebat, non propria ductus voluntate, sed fratrum coactus necessitate. His vero pro tempore dispositis, a spinis et tribulis evocans animum, ad illa superiora et interiora mentis revocabat intuitum, ut vel de inveniendis divinis rebus cogitaret, vel de inventis aliquid dictaret, vel de jam dictatis atque transcriptis aliquid emendaret. Cui operi die non sufficiente vir sanctus lucubrabat in nocte, ut impleretur : « Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte (*Psal.* I). »

CAPUT XXVI.

Ut vero tam a se quam a suis omnis mala tolleretur suspicio, et quærentibus occasionem nulla daretur occasio, nullam unquam feminarum intra domum suam passus est conversari, nec germanam quidem sororem, quam viduam et vere viduam certum erat devote Deo famulari. Licet enim has personas, videlicet matrem, sororem, et hujusmodi episcoporum concilia a removendis exceperint, tamen quia illæ personæ sine aliis mulieribus esse non possunt, et viri sancti sine aliis vel clericis, vel laicis secum manentibus non sunt, dicebat vir sanctus ex tali convictu posse offendiculum apud infirmos generari, et vel aliquos eorum humanis tentationibus inquietari, vel malis hominum suspicionibus diffamari. Et ob hoc asserebat inconveniens esse ut aliqua feminarum cum servis Dei, licet castissimis, una domo conversaretur, ne, ut dixi, ex tali convictu, vel tentatio vel mala suspicio nasceretur. Quapropter si forte aliqua earum, ut ei loqui dignaretur, petebat, nunquam sine clericis testibus eam ad se accedere permittebat, nunquam solus cum sola loquebatur, nec si secretum esset quod ab ea dicebatur. Pupillos tantum et viduas in tribulatione constitutos, et ægrotantes postulatus visitabat, eisque supplicantibus manus imponens facta oratione infirmitates eorum fugabat. Acceperat enim donum fugationum ab eo qui dixit : « Super ægros manus imponent, et bene habebunt (*Marc.* xvi). » Feminarum vero monasteria non invisebat, nisi cum gravis necessitas exigebat. Asserebat enim religioso non convenire viro, ut cuiquam sæculari uxorem posceret, ne dum conjugati inter se rixarentur, et per quem conjuncti essent aliquis eorum malediceret; et utique satis videtur incongruum, ut vir sanctus professus continentiam, alios carnalem invitet ad copulam. Hæc et multa alia quæ commemorare longum est, religiosis viris districte esse tenenda asserebat, et cum apud eos qui intus, tum apud eos qui foris sunt, eorum et vitam et famam integram debere custodiri censebat. Sunt enim plerique, qui, cum religiosi videantur, sæcularibus tamen actibus non renuunt implicari, et vel ultro se ingerunt, vel quibuslibet invitantibus timent contradicendo adversari. Sed nolebat vir sanctus, ut quis religionem professus, vel propria levitate ductus, vel alterius importunitate inductus, cujusquam obediret petitioni, si quod petitur, vel vitæ maculam, vel notam inferat religioni. Quod

nimirum et Plautus in Amphitrione videtur protestari : « Injusta, inquiens, a justis non decet impetrari. »

CAPUT XXVII.

Denique servos Dei, quos ad regulariter vivendum collegerat, tantis moribus instruebat, ut eorum continentia, paupertas, obedientia, multos longe lateque accenderet ad deserendum propria, et convolandum in unum, ubi omnia omnibus essent communia. Ut autem hæc religio non solum apud præsentes, verum etiam longe postfuturos sine defectu posset persistere, sanctæ institutionis regulam eis studuit scribere, in qua eleganter expressit quid facere debeat subditus, quid vero præpositus, quid omnibus conveniat generaliter, quid singulis specialiter. Ne quid vero horum possit aliqua oblivione negligi, semel eamdem in hebdomada regulam mandavit legi, ut haberent tam prælati quam subditi fidele commonitorium, et nullus eorum aliquid prætenderet excusatorium. Eis etiam quos docebat, totius religionis formam se ipsum exhibebat ; erat, ut scriptum est, in illis sicut unus ex illis, cultu et habitu similis, sola differens episcopali dignitate, non fraterna et interna humilitate. Unde et ipse quodam loco ait : « Nolo talia offerat sanctitas vestra, quibus ego quasi decentius utar. » Offerat mihi, verbi gratia, birrum pretiosum, forte decet episcopum, sed non decet Augustinum, hominem pauperem, de pauperibus natum. Si delectat ut ego habeam, talem det vestem de qua non erubescam. Fateor enim vobis, de pretiosa veste erubesco, quia non decet hanc professionem, non decet hanc admonitionem. » Tali quippe veste Augustinus volebat indui, quæ conveniret cæteris fratribus, salvo tenore propositi. Audierat enim, et vere audierat illud cujusdam sapientis : « In vestitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris (*Eccli.* XI). » Ad utilitatem vero tam præsentium quam futurorum tantam **703** scripsit copiam librorum, ut vix possit aliquis sufficere ad legendum, cum ille sufficerit ad scribendum. Post apostolos enim quorum doctrinis fulget Ecclesia dispensandi verbi Dei primus refulsit gratia, vere imitator apostolicus, doctus scriba, doctor catholicus. Multos libros cum adhuc esset laicus, multos presbyter factus, plurimos vero episcopus dictavit, quos incorrectos ante obitus sui diem diligenter retractavit : et quidquid in eis præter ecclesiasticam regulam cum adhuc rudis esset, et divinarum Scripturarum usum non haberet, se posuisse intellexit, ad unguem correxit. Unde et duo volumina scripsit, quibus De retractatione librorum vocabulum indidit. Quædam etiam scripta inchoavit, quæ morte præventus non consummavit. In hoc enim studio totius ætatis suæ tempore se ipsum infatigabiliter exercitavit, in hac palestra sudavit et alsit, in hoc gymnasio decertavit, in hoc (pace sanctorum qui tunc et deinceps fuerunt, dixerim) plus omnibus laboravit.

—

CAPUT XXVIII.

Denique cum decurso multo ætatis suæ tempore jam se grandævum aspiceret, et eum qui ordine naturæ præteriri non potest terminum non longe abesse attenderet, timens ne post discessum suum aliquis quærens quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi (*Philip.* II), vel violentia vel pecunia, vel sæculari gratia episcopalem cathedram ambitiosus invaderet, et aliis id volentibus et nolentibus schisma in Ecclesia fieret, omnibus humiliter consuluit, consulendo admonuit, ut eo vivente unanimiter religiosum eligerent episcopum, qui eo decedente, omni remota dissensione, susciperet episcopatum. Cui consilio omnes pariter acquieverunt, et hujus electionis curam eidem Augustino imposuerunt, ut qui religiosos viros melius noverat, unum eorum eligeret qui sine dilatione et dissensione ei decedenti succederet. Quemdam igitur religiosum boni testimonii virum, Oracleum nomine, quem ipse Augustinus in schola Christi erudierat, et tam sanctitate quam scientia apprime informaverat ad succedendum sibi elegit, electum in publico nominavit, et electioni ejus tam clerus quam populus unanimi consensu acclamavit. Deinde dixit ad populum : « Nostis quod ante aliquot annos cum in duobus conciliis, Numidiæ scilicet et Carthaginis a sanctis fratribus et Patribus coepiscopis meis cura mihi Scripturarum imponeretur, petii a vobis ut per quinque dies in hebdomada liceret mihi assidue vacare otio, imo litterali inservire negotio, et in reliquos dies exteriorum occupationum tumultus differre, quia non poteram et negotia vestra assidue sufferre, et sanctis episcopis quod petebant conferre. Quod quidem vos tunc concessistis, sed cogente frequenti necessitate violenter irrupistis. Quoniam igitur non potui tunc obtinere quod volui, nunc iterum peto ut in istum Oracleum quem elegi, occupationum mearum sarcina refundatur, et quod ad me ferebatur, ad istum perferatur. Ipsum adite, ipsum audite, ipse vobis respondeat, ipse, juxta quod Deus dictaverit, negotia vestra disponat. Cum autem opportunum meum fuerit consilium, non negabo auxilium, me consulet, me audiet, quod a me hauserit, vobis refundet, et denique labor meus qui litterali officio, imo negotio vacabit, tam vestro quam meo profectui militabit. Super hoc igitur vestram exspecto responsionem, quæro assensum, postulo acclamationem. Hoc audito, omnes unanimiter responderunt, et cognito nunc posse fieri quod ante non potuit, honestæ petitioni assensum præbuerunt.

CAPUT XXIX.

Aliquanto post tempore, divina disponente justitia de transmarinis partibus egressa est Vandalorum gens atrox et impia, quæ adjuncta sibi Alanorum et Gothorum innumera multitudine, Africanæ regioni armata manu hostiliter influxit, multasque in ea civitates, oppida, villas funditus destruxit. Tanta quippe crudelitate gens illa desæviit, ut nulli parceret ætati, non sexui, non conditioni, non ecclesiis, non ecclesiarum ornamentis, non sacerdotibus non

ministris: ædificia concremaret, homines trucidaret. vel, quod nullis gravius videbatur, miseræ servituti manciparet. Cum autem tanta immanitas toti cladem inferret provinciæ, vix ex omnibus tres superstites remanserant ecclesiæ, videlicet Carthaginensis, Hipponensis, Certensis, quarum civitates Dei et hominum fultæ præsidio nondum sucenbuerant hostili excidio. Verumtamen tota fere regione vastata ad Hipponensem civitatem hostilis ille impetus devenit, quasi nihil æstimans se profecisse, cum aliquam civitatem videret superstitem remansisse. Congregatoque innumerabili exercitu, eamdem civitatem obsedit, et per quatuordecim fere menses circumquaque immobiliter sedit, eosque qui in ea tenebantur, diutina et continua obsidione pressit, et justo, quamvis Dei occulto judicio tandem oppressit. Ea tempestate videns Augustinus patriam, civitatem tot tantisque malis vexari, fideles quosque periclitari, ecclesias funditus everti, et ecclesiasticum ordinem cogente persecutione a cultu Dei averti, **704** flebat cum flentibus, compatiendo patientibus, et eos qui secum aderant consolabatur, asserens hanc esse [2] voluntatem Dei, qui de malis hominum bene operatur. Multi quippe de vicinis civitatibus tam presbyteri quam episcopi Hipponem confugerant, ut et præsidio civitatis munirentur et Augustini colloquiis reficerentur. Hos alloquens vir sanctus Scripturas eis divinas recensebat, multosque retroactis temporibus passos fuisse referebat, ut, qui errant, corrigerentur, qui minus, meliores efficerentur. Tale quidem et fuisse et esse divinum consilium attendebat, aliosque attendere diligenter admonebat, ne pusillanimitate feminea virilem perderent sufferentiam, juxta illam memorabilem cujusdam sapientis sententiam : « Non est magnus magnum putans quod cadunt ligna et lapides, et moriuntur mortales. »

CAPUT XXX.

Interea die quodam cum prædicti episcopi ad mensam illius pariter constituti de præsenti calamitate loquerentur, Deumque consolatorem sibi adfore humiliter precarentur, ait illis B. Augustinus : « Orabo Deum in præsenti ut vel ab hac civitate hostilem repellat infamiam, vel servis suis placitam sibi largiatur patientiam, vel potius eos de sæculo ærumnoso eductos ad æternam dignetur transferre pacem et gloriam. » Placuit episcopis hæc promissio, et tam ipsi quam qui cum eis erant, hoc ipsum a Deo petierunt, et totius populum civitatis, ut hoc idem peteret, devote admonuerunt. Et ecce tertio obsidionis mente correptus febribus Augustinus decubuit, et fructuoso precum suarum effectu, quas cum lacrymis Deo fuderat, non caruit. Scriptum quippe est in libro Psalmorum : « Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum (*Psal.* XXXIII). » Cum autem extrema ægritudine laboraret et de die in diem finem proximum exspectaret, quidam paterfamilias habens ægrotum gravi additum infirmitati, audivit in somnis : « Vade ad Augustinum, et imposita manu restituet eum sanitati. » Multos quidem ille ægrotos antea sanaverat, multos energumenos, facta oratione, a dæmonibus liberaverat. Quamdam quippe virginem Hipponensem audiens a dæmonio vexari, pro illa devote oravit, et oleo quod tenebat, lacrymas suas, orando, instillavit. Quo transmisso, prædicta virgo peruncta est et sanata. Pro quodam etiam adolescente quem non viderat oravit, et cum, oratione, a dæmone liberavit. Quæ duo miracula ipse quidem invenitur retulisse. Assumpto itaque paterfamilias ægroto suo Augustinum adiit, orans ut illi manum imponeret, et salutem redderet. Cui Augustinus, ut erat paratus magis ad eleganter respondendum, quam ad præsumendum, si quid, ait, in his potuissem, mihi primitus præstitissem. Cum autem paterfamilias importunius precaretur, seque in somnis fuisse admonitum protestaretur, intuens Augustinus fidem precantis, manum ægroto imposuit, et facta oratione infirmus infirmo sanitatem restituit.

CAPUT XXXI.

Quia vero frequenter prædicaverat non debere presbyterum egredi de hujus vitæ miseria sine luctu et pœnitentia, septem pœnitentiales psalmos, quos in ægritudine sua scribi fecerat, in lectulo suo contra parietem habebat, eosque legebat et relegebat, et inter legendum ubertim flebat. Ante decimum quippe diem quando defungeretur, eos qui secum aderant humiliter rogaverat ut nullus ad eum ingrederetur, nisi vel cum cibus vel quodlibet aliud necessarium inferretur. Et per illud tempus assiduus incubuit orationi, devotioni, ploration. Annis quippe sexaginta sex vixit, triginta et tribus fere ante baptismum, tribus autem laicus post baptismum, quadraginta vero professus clericatum. Et usque ad extremam ægritudinem suam imprætermisse et alacriter, sana mente sanoque consilio verbum Dei in ecclesia prædicavit, integro aspectu atque auditu membris omnibus sui corporis incolumis. Ultimo vero ægritudinis suæ die, id est quinto Kalendas Septembris, fratrum conventu astante et exitum ejus orationibus commendante, senex et plenus dierum obdormivit in pace, tandem evacuato quod ex parte gemuerat, et plenius invento quod din desideraverat. Testamentum nullum fecit, quia unde faceret, pauper Christi non habuit. Monasteria tam virorum quam feminarum plena continentibus reliquit, instructa moribus, ornata libris quos ipse dictavit; in quibus nobis adhuc vivit, quamvis carne obierit : Vivit quippe Deo, vivit et nobis, quia et perfecte inhæret Deo, et per scripta sua loquitur nobis. Quod etiam sæcularis quidam poeta eleganter signavit, qui suis, quos moriens relinquebat, in tumulo suo defuncti hos versiculos scribere imperavit :

Vivere post obitum vatem vis nosse viator?
Quod legis, ecce loquor, vox tua, nempe mea est.

Talem igitur et tantum virum, doctorem tam catholicum omnes venerentur catholici, et præcipue clerici, cum et illius doctrina omnium sit instru-

etio catholicorum, et illius vita, forma sit clericorum. Si enim Priscianus grammaticus Theostum præceptorem suum grata memoria recolens, omnis eum eloquentiæ decus **705** non dedignatur appellare, et quidquid sibi inest doctrinæ, illi post Deum venerabiliter imputare, ut mihi videtur, non mediocriter arguendus est culpæ qui se clericum profitetur, nisi Augustinum præceptorem suum tenere diligat, devote recolat, sedulo veneretur. Ipse quippe est decus et forma hujus nostræ professionis, ipse speculum et regula nostræ religionis.

CAPUT XXXII.

Eligant alii quod sua cuique suggerit ambitio, sed si Philippo daretur optio, mallet sanctam paupertatem qua Deus pontificem ditavit Augustinum, quam regnum et divitias quibus regem extulit Alexandrum. Mallet sapientem Augustini scientiam et acumen ingenii, quam miracula facere quibus magi tumuerunt Egyptii. Mallet virtutibus insigniri quæ in Augustino floruerunt, quam mortuos suscitare, quod Saul et Pithonissa potuerunt. Hujus tanti viri virtutes et merita et præmia meritorum enarrare non sufficio, pauper vita, verbis, ingenio. Quod autem aggressus sum aliqua dicere, hanc a fratribus audaciam sumpsi, non a me ipso præsumpsi. Si quid igitur veraciter, si quid digne dixi de eo, orate, qui legitis ut placeat Deo, qui quæ digna et vera sunt approbat et agnoscit, si minus, frequenter ignoscit. Eo quidem jubente supernæ illius præcones civitatis : « Pax, inquiunt, hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II). » Ipse etiam B. Augustinus precator accedat, ut nobis pariter consuetæ misericordiæ Deus affectum concedat, apud quem nullus nobis adversarius obsistit, si tantus nobis adjutor assistit. Credo enim et veraciter credo, quia ipse receptus consortio angelorum, videt in Sion Deum deorum (*Psal.* LXXXIII), videt principium in splendore sanctorum, non tamen immemor fratrum suorum, sed quantum spero et præsumo de eo, nos sibi subditos reconciliat Deo. Cui fructuosæ præsumptioni eleganter applaudit venerabilis illa visio, digna memoriæ, quæ in textu cujusdam invenitur historiæ.

CAPUT XXXIII.

Quidam paterfamilias religiosa accensus devotione, quorumdam sanctorum memoriam quotidiana celebrabat veneratione, e quibus Augustinum teneriore quodam affectu amabat, et licet cum cæteris, tamen præ cæteris, singulis diebus eum devotius invocabat. Sperabat enim vir religiosus ab omni se necessitate liberari, si in die necessitatis a tali mereretur patrono juvari. Qui lege sortis humanæ ad extrema deveniens, cum eos quos dilexerat sanctos sibi adfore precaretur, contigit ut excessum mentis patiens, ad videnda invisibilia raperetur, sicut plerumque solet contingere morituris, qui in agone ultimo constituti certam quodammodo notitiam capiunt de futuris. Hic itaque corporeis sensibus interdum sopitis, factus in Spiritu, sanctos quos familiariter dilexerat, quos memoriter invocaverat, vidit sibi præsentes adesse, ut se mortis constitutum in periculo consolarentur, et ejus exitum tuerentur. Quos cum gratanter aspiceret, et quis esset unusquisque, indubitanter agnosceret, solum intellexit Augustinum deesse, quem quia præ cæteris dilexerat, præ cæteris sibi maluisset adesse. Quo comperto, graviter ingemuit, et quantum de illorum gavisus præsentia, tantum de istius turbatus est absentia. Cui Angelus, forte cui ad custodiam morituro astabat (immittit enim Angelus Domini Christus angelum vel angelos in circuitu timentium eum, ut eripiat eos), cui inquam Angelus : « Quid, ait, tristaris? ne timeas, salvus eris. » At ille, « Merito, inquit, doleo, qui eum quem præ cæteris dilexeram, cum cæteris mihi adesse non video. Augustinum præcipue dilexi, quem mihi præsentibus aliis, solum deesse intellexi. » Cui Angelus : « Noli, inquit, dolere de ejus absentia, quoniam nequaquam in ipso est tui contemptus, vel negligentia. » Augustinus dum in hoc mundo viveret, summa cura, summa diligentia incubuit verbo Dei, et non illicita, verum etiam licita perfecte postposuit ei. Hoc nimirum ardore irremisso amplexatus, in hoc die ac nocte meditatus, in ejus radiis aquilinum intuitum fixit, et quamvis in terris corpore versaretur, tamen spiritu in cœlestibus vixit. Ob hoc igitur etiam nunc eidem verbo Dei plenius incumbit, et æterni fontis fluenta sitienter hauriens, quasi super pectus Christi familiariter recumbit. Et indesinenter inhæret ei, quem perfecte dilexit, a cujus amore mentis aciem ad temporalia non reflexit. Ad te igitur visitandum, ab illo non potest separari, nec ejus intentio ab eo, cui inhiat, vult ad modicum relaxari. Sed, quamvis inebrietur divina ubertate ingressus in gaudium Domini sui, paterna tamen sollicitudine memor est tui, et eum, quem ardenter amplectitur, inspicit et adorat, pro te, quem sibi subditum novit, incessanter orat. Non igitur putes eum tibi deesse qui assidue orando magis quam perfunctorie apparendo tibi curat prodesse. Hæc ut angelus verbis eisdem vel æquipollentibus dixit, spiritus illius qui præ dolore marcuerat, confortatus revixit, et quasi de somno evigilans, his qui lectulo suo assistebant retulit omnia quæ audivit, et paulo post debitum solvens naturæ, tali fretus solatio in pace obdormivit.

706 Nunc videtur congruum (si tamen charitas vestra non gravatur) ut quia de beati Augustini ortu, et præcursu et debito fine pro posse dictum est, de ejus etiam translatione utcunque disseratur.

Defunctus itaque beatus Augustinus in civitate sua Hipponensi, tertio mense obsidionis ejusdem, quinto Kalendas Septembris a sanctis coepiscopis qui præsentes aderant et fratribus suis ibidem cum luctu et mœrore sepultus est, sed inde postea divino disponente consilio Sardiniam translatus est. Quando vero, vel quomodo, vel a quibus illuc trans-

latus sit, scripto commendare nolui nec debui, quia scriptum invenire non potui. Illic vero fere usque ad ducentesimum octogesimum obitus sui annum honorifice jacuit, donec occulto, sed non injusto Dei judicio eadem quoque civitas perditioni succubuit. Irruentes quippe Sarraceni, percussserunt eam in ore gladii, et ignorantes Deum, omnia quæ Dei erant, subverterunt, et, quod detestabilius est, ipsa etiam sacra loca omni veneratione ablegata indigne fœdaverunt. Verumtamen cum eadem civitas hostili succumberet excidio, non sustinuit divina providentia ut viri sancti fama oblitereretur silentio. Pro tempore religiosus rex Leuthbrandus, Deo disponente, gerebat Italiam, qui diligens quæ Dei sunt, sanctam summopere venerabatur ecclesiam. Scriptum quippe est : « Beata terra cujus rex nobilis est (*Eccle.* x). » Nobilis, ut arbitror, non tam generis dignitate, quam insita probitate. Ut enim ait quidam ethnicus : « Non de magnis esse, sed magnum esse magnum est. » Quam nobilitatem et Salomon commendare videtur : « Nobilis, inquiens, in portis vir ejus (*Prov.* xxxi), » cum de forti muliere loqueretur. Is nimirum Leuthbrandus devotione pulsatus non modica, in honore B. Petri apostoli trans muros civitatis Papiæ, basilicam ædificavit, quam insignem ornatu regio, Cellam auream nominavit. Cui dum sollicite impenderet studium, audivit quod hostilis Sarracenorum impietas Sardiniam depopularetur, et locus ille venerabilis, in quo beatus Augustinus diu honorifice requieverat, contemptui haberetur. Assumens itaque legatos quos strenuos et fideles judicavit, cum multo auri et argenti pondere eos illo destinavit, orans et orando impetrans, ut vel prece vel pretio, vel quolibet ingenio sanctum illud corpus de Sardinia tollere, et sibi niterentur afferre. Dicebat enim princeps devotus ecclesiam suam digno fulgore clarescere, si tanto mereretur thesauro ditescere. Illi vero injunctum sibi fideliter exsequentes officium, Sardiniam profecti sunt, et assumpto corpore, dato multo pretio, cum gaudio reversi sunt. Qui muniti tanto præside, et securi tanto munimine commiserunt se mari, et implente zephyro carbasa, sibilante favonio, et crispante maris planitie sulcaverunt æquor remige veloci, et cursu prospero Memiensis civitatis portum intraverunt, ibique jactis anchoris aliquantisper quieverunt. Rex autem Leuthbrandus cognito quod voti compotes redirent nuntii, multo stipatus milite illuc eis lætabundus occurrit, et sanctum illud corpus flexo genu ruens in faciem humiliter adoravit. In cujus præsentia per beatum Augustinum multa illic Deus miracula operatus est, ut cujus vita exstitit mirabilis, post mortem nihilominus appareret laudabilis. Ipse est enim de quo scriptum est : « Quis est hic? et laudabimus eum. Fecit enim mirabilia in vita sua (*Eccli.* xxxi). » Deinde soluta statione navali, sublato corpore rex et sui inde profecti sunt, et venientes in episcopium Terdunense quemdam vicum regium, qui vulgo mons Samarius dicitur, ingressi sunt. Quia vero perfecto labore diurno, sol jam parabat occubitum, et instante vespera dies vergebat ad exitum, deposito corpore ibidem quieverunt, cereisque et lampadibus, hymnis et laudibus totam mortem festivam reddiderunt. Mane autem cum stellas recedentes lucifer jam exortus propelleret, et rarescentibus tenebris novo lumine vicinum horizontem rubens aurora perfunderet, rex moræ impatiens, ipso diluculo jussit corpus tolli, sperans juxta solitum sine aliqua difficultate proficisci. Jussu regis audito arripiunt feretrum bajuli, invenientes rem plenam miraculi.

Corpus enim illud tantæ inventum est gravedinis, tanti inventum est ponderis, ut non solum levari ab illis prioribus, verum etiam removeri non posset ab omnibus. Expavescunt et admirantur, nocte recens transita quid culpæ contraxerunt, si tantam psallendo et laudando offensam incurrerunt. Tandem rex divino instinctu commonitus, recolens quod scriptum est : « Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis (*Luc.* II), » ad placandum virum sanctum munus obtulit, dicens : « Si te, Pater Augustine, ad locum quæ elegi, deferri permiseris, hanc villam in qua sumus et omnia quæ ejus sunt, in perpetuum dabo tibi ad usus ministrantium tibi. » Mira res! « Beatus ille sanctus qui juxta Scripturam, manus suas excussit ab omni munere (*Isa.* xxxiii), » hujusmodi placatur munere, corpusque suum quod paulo ante prorsus erat immobile, audita oblatione reddidit portabile. Enimvero, quantum sentio, quantum affirmare præsumo, non eum muneris temporalis illexit cupiditas, sed devoti regis spiritualis utilitas, sciens quia hæc est vera et fructuosa devotio, quam firmat operatio. Tunc enim forte sufficere potest devotionis affectus, cum facultas non suppetit **707** ut sequatur effectus. Verum si facultas conceditur operandi, voluntas non est fructuosa, si remanet otiosa. Eapropter (prudens lector) si Scripturas sanctas tam novas quam veteres recensere volueris, multa illic invenies postulata, multa diligenter oblata, in quibus non tam cupiditas vel necessitas exigentis, quam utilitas apparet offerentis. Sic profecto unicum Abrahæ filium Deus sibi petiit immolari, non parricidalem ambiens hostiam, sed patris obedientiam præstolari. Sic ejusdem Abrahæ puer inventa Rebecca ad puteum, ab eadem aquas petiit, quas cum multo labore hauriebat, in quo non tam pueri quam puellæ parabatur profectus, sicut legenti textum historiæ sequens manifestat effectus. Sic Elias, qui corvo ministrante, pane et carnibus abundabat, in Sareptam Sidoniorum, esurientem mittitur ad viduam, ut pascatur ab ea, quæ consumpto lecthyo olei, et hydra farinæ, fame statim, ut ait, erat cum filio moritura. « Vade, inquit, et de ipsa farinula fac mihi primum subcinericium panem et affer ad me, tibi autem et filio tuo facies postea (*III Reg.* xvii). » In quo forte rudis auditor prophetam arguendum judicabit in-

continentiæ, et importunitatis, tanquam nescium fraternæ charitatis, qui in tanta penuria sibi nondum esurienti, priusquam viduæ jam pene deficienti panem fieri postulavit, imo tumultuose exclamavit. Verum si consideres quo fine id agebatur, intelliges quia viduæ potius quam prophetæ consulebatur : et stragulata illa vestis diversis virtutibus variata terebatur, quam in textrino Justitiæ fortis mulier operabatur. De qua Salomon ait : « Manum suam misit ad collum, digiti ejus apprehenderunt fusum (*Prov.* XXXI). » Quæ autem pensa eadem mulier neverit, vel quo pectine incorruptibilem vestem texuerit, insinuat cum subjungit : « Manus suas aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperem (*ibid.*). » Hæc nimirum prophetia adimplebatur, cum propheta a vidua pascebatur. Sic et a muliere Samaritana ipse Christus petiit bibere (*Joan.* IV), non (ut mihi videtur) aquam putei, sed fluenta sitiens fidei. Sic et apostolus Paulus cum Philippensium honestam laudaret liberalitatem, qui paulo ante pristinam eorumdem latenter arguerat tenacitem : « Non quia, inquit, quæro datum, sed requiro fructum (*Philip.* IV). » Multa hujusmodi in Scripturis sacris invenies, quæ mihi inpræsentiarum non occurrunt, nec tamen hic ponenda sunt omnia quæ occurrunt, ne longo excessu fastidium legentibus inferatur, dum ad propositum tardius remeatur.

Dato quidem et confirmato quod rex Leuthbrandus devote promiserat, sanctum illud corpus, omni A difficultate remota bajuli sustulerunt, et aggredientes iter optatum, Papiam cum gaudio pariter devenerunt. Præcurrentibus autem nuntiis, lætitia ineffabili tota civitas commota est, et utriusque sexus innumera multitudo cum hymnis et laudibus in obviam egressa est. Qui laudantes Dominum, cujus incomprehensibili gratia tantas reliquias suscipere meruerunt, ad basilicam regiam revertentes, eas ibidem quinto Idus Octobris honorifice reposuerunt. Felicem illam ecclesiam dixerim, quæ tali thesauro locupletatur, qui omni pretiosior auro, gemmis præclarior merito judicatur. Felicem, inquam, quæ tantas reliquias inpræsentiarum meruit continere, quas universus orbis terrarum non meretur in perpetuum retinere. Si debent credi quæ forte videntur incredi- B bilia, credite qui legitis, credite qui auditis : mallem ecclesiam nostram ditari et ornari ossibus Augustini quæ in ecclesia Papiensi continentur, quam sericis vestibus, quæ multæ (ut audivi) in foro Papiensi venales inveniuntur. Mallem in ecclesia nostra conservari pretiosas Augustini reliquias, quam pomposas Cresi divitias. Jure itaque hujus reliquiis apostolica Petri gaudet ecclesia, de cujus consortio ipse Petrus cœlesti lætatur in curia. In qua cum tam ipse quam cæteri apostoli omnium gaudeant felicitate justorum, maxime tamen Augustini, qui perfectus fuit imitator eorum, cum quibus in Deo, de Deo vivit et vivet in sæcula sæculorum.

VITA SANCTI AMANDI

TRAJECTENSIS EPISCOPI

(Ex editione Godefridi Henschenii, *Acta sanctorum Bolland.*, Februarii tom. I, die 6, pag. 815.)

Vitam S. Amandi eleganti stylo descripsit Philippus Harvengius, vulgo ab Eleemosyna dictus, monasterii Bonæ-Spei apud Binchium in Hannonia ordin. Præmonstratensis secundus abbas, S. Bernardi æqualis et familiaris. In elogiis abbat. Elnonensium hæc de eo traduntur :

Non mihi facundi laus est reticenda Philippi,
Eloquii cujus undique serpit odor,
Hugonisque ætate fragrat : quo principe gestis
Admovit calamum, præsul Amande, tuis.

Huic Hugoni scripsit Philippus priorem epistol. Vitæ S. Amandi instar Prologi præpositam ; eoque anno Chr. 1169 mortuo, scripsit alteram epist. abbati Joanni, ejus successori : sub quo Vitam S. Amandi in lucem edidit circa an. 1170. Obiit tandem an. 1183, cum aliquot mensibus ante regendi monasterii onere se abdicasset. Illius hoc legitur epitaphium :

Marcescit florum flos Philippus, via morum :
Sub me sanctorum sit consors, Christe, tuorum,
Christe Jesu non da Philippo morte secunda
Lædi, sed tribue vivere perpetuo.

De Philippo hoc tribus locis agit Vossius in libris De historicis Latinis, ac lib. II, cap. 49, vocat Philippum ab Eleemosyna abbatem Bonæ-Spei : dein lib. III, par. II, litt. PP. refert Philippum abbatem Bonæ-Spei, quasi a superiore diversum; ac mox Philippum abbatem Elnonensis cœnobii profert scriptorem Vitæ S. Amandi, a Mejero citat. ad an. 661 in Annalib. Flandriæ. Possevin. quoque Elnonensem velut ab abbate Bonæ-Spei diversum tradit. Josias Simlerus unicum habet, et Elnonensem abbatem facit, nisus et ipse auctoritate Mejeri : ejus hæc verba sunt : « Philippus abbas de situ ejus (Elnonensis) cœnobii : *Locus est, inquit, inter Menapiorum fines Propontiis Nerviisque finitimus.* » Quæ verba habet Philippus infra, n. 64. Hanc Vitam ex mss. monasterii Blandiniensis, et Nicolai Belfortii descripsimus, contulimusque cum editione Duacena operum Philippi abbatis, et alio vetusto cod. ms. cœnobii Elnonensis : exstat etiam

ms. in bibliotheca Vedastina. Meminerunt Vitæ hujus a Philippo scriptæ Miræus in Fast. Belgic. et De scriptorib. ecclesiastic. Valer. Andreas in Biblioth. Belg., sed qui in prima hujus editione S. Amandum scribit *episcopum Ultrajectensem*, in secunda *Leodiensem* : quo satis innuit eam sibi Vitam non fuisse cognitam. Philippi chronologiam, non satis accuratam, emendamus.

—

EPISTOLA DEDICATORIA.

AD ABBATEM HUGONEM.

1. Reverendo in Christo Patri Hugoni (123), Dei gratia venerando monasterii Elnonensis abbati, et congregatis ibidem in Domino fratribus, frater Philippus de Eleemosyna, in semine computari, cui benedixit Dominus.

Sanctorum meritis flores adhibere sermonum, et officio scriptionis electi generis ornare præconia, difficile probatur et arduum : 708 maxime ubi nec vita convenit, nec scientia suffragatur. Qui enim Beatorum prædicare mores, explicare vitam, retexere gesta disponit, sic expedit vivat ut loquitur, et factis ornet, quod oratione commendat, ne vocis propriæ testimonio redargutus, imitatione non approbet, quod assertione prosequitur. Ab universitatis vestræ desiderabili sanctoque collegio, ad corrigendum mihi Amandi beatissimi Vita porrigitur, ut exercitio vigili recipiant obscura lucem, modum superflua, hiantia juncturam, minus habentia supplementum. Sed quis ego, aut quid ego, cui nec meritum vitæ, nec sapientiæ condimentum, nec eruditionis cultus, ususve scribendi, tam clari spondet operis puritatem? Laudo quidem scriptoris primi diligentiam, veneror antiquitatem : placet industria : si stylus jacet, ordinem non refello. Sed facile nova cudentibus accedit invidia, nec æstuans livor detractionum caret aculeis : maxime cum in sugillatione veterum novitas induci serio videatur. Sicque antiquorum deploratur injuria, tanquam pereat illis, quidquid novis accesserit. Sed exspectatur securius judicium veritatis, quam murmur timeatur invidiæ, quæ locum non habet in atrio charitatis. Hæc est, quæ nostræ præstat imperitiæ fulcimentum, vires suggerit, ministrat audaciam; et in procellosum pelagus naviculam timidæ sedulitatis impellit. Cui tamen si nauta detur humilitas, clavus obedientia, veritas malus, antenna discretio, remex sedulitas, auctoritas velum, quod gratiæ cœlestis favorabilis aura sustollat, facile turbidi sali undosa cacumina, et tristes commotionis invidæ sinus secundo cursu poterit enatare. Quia igitur sinceritati vestræ charitatis teneor devinctus affectu, negare nequeo, si quid injungitis, maxime cum debeat honestis imperiis exsecutio comes semper assistere, et jucunditatis afferre fructum sancta mandantibus. Nec enim debet esse, quod honestas imperat, importunum; quod dictat amor, difficile; quod persuadet utilitas, onerosum.

2. Quid autem judicari potest utilius, quam spiritualibus exercitiis exempla formare, serere moribus disciplinam, sanctorum celebrare virtutes, et tradere posteris, quæ sequantur in sanctitate et justitia coram Deo? Sane quid est aliud Deo digni vita Pontificis, quam bene vivendi lumen eximium, speculum sanctitatis, justitiæ titulus, magisterium pietatis, forma doctrinæ, disciplinæ sanctio (124), religionis exemplum? Habet omnis in eo sexus, ætas, conditio, gradus, ordo, statusve, quid eligat : et in omnes abundanter emanat luminis hujus sancta serenitas. Invenit in eo puericia quid miretur, quid imitetur adolescentia, robur virile quid appetat, quid sequatur vigilantia senectutis. Instruitur in eo nobilitas, plus animæ quam carnis affectare delicias, et ornare natalium dignitatem decore virtutum. Humiliari et obedire status ordinis edocetur, nec perversi turbinis aura supra se raptus inaniter animus, elatione gestiens intumescat, et ad ejus sortem pertinere videatur, qui est rex super omnes filios superbiæ. Potestas eruditur non alium sapere, sed timere : et terrenæ sublimitatis eminentia, cœlestibus imperiis humiliter subjici, nec divinam refellere voluntatem. Informatur Pontificalis auctoritas in delinquentes sic zelo rectitudinis erigi, ne mansuetudinis deserat lenitatem, sicque judiciorum studeat æquitati, ne dissolutionem redoleat indulgentia, vel vindicta sævitiam. Convenitur prædicatorum vita, non in doctis humanæ sapientiæ verbis Evangelium ponere, sed in ostensione spiritus et virtute, ne gloriam quærens ab hominibus, gloriam, quæ a solo Deo est, non obtineat; et foris effusa, mercedis internæ munere vacuetur. Componitur populorum status, non recedere a fidei fundamento, persistere in lege testamenti, principalibus edictis esse subjectus, nec publicis exsecutionibus adversari. Sic fructificatur omnibus unius exemplo, et in omni ejus opere, pietatis cultus et semita veritatis elucet.

3. Laudemus Dominum, qui fecit illum, qui sicut in sanctis suis semper est et ubique mirabilis, sic est in Amandi beatissimi virtute miranda laudabilis. Ipse in illo nomini suo dat gloriam, qui magnificavit eum in laude, qui fecit eum excelsum in verbo gloriæ, et in verbis ejus monstra placavit. Orationum

(126*) Fuit hic Hugo, ut patet ex monumentis Elnonensibus, gente Burgundus, eloquentia, consilio, morumque suavitate perspicuus, ante prior monasterii Laudunensis S. Joannis, deinde abbas Humolariensis, postea Gualtero II, ob inertiam amoto, factus abbas Amandinus 42, et sui nominis 2, an. 1150. Turrim incendio collapsam a superioribus fenestris in sublime eduxit : duas piscinas effodit : claustrum reparavit : triclinium exstruxit : possessiones ampliavit : e vita abiit anno 1169. Ejus laudes celebrat Philippus in sequente Epistola.

(127) Mss. *satio*.

itaque vestrarum patrocinante suffragio, de imperitia quidem timidus, sed de charitate præsumens, obedientia duce, quod mandatis aggredior, satisfaciens pro viribus imperio charitatis. Ad corrigenda tamen quæ primo sunt posita non ascendo, ne antiquitatis reverentiam videar minus reverenter infringere, neu styli varietas opus proferat inconcinnum, quæ sensuum pondus, et materiæ gloriam, in capacis junctura non conferat unitatem. Thematis igitur tenore servato, dispositisque certa sub assignatione (125) capitulis, sub divinæ pietatis et vestræ devotionis adjutorio, cum gratia sancti Spiritus opus ordior imperatum.

EPISTOLA EJUSDEM.

AD JOANNEM ABBATEM.

Dilecto in Christo Patri et amico Joanni (126), Dei gratia monasterii Elnonensis abbati, et sancto ejusdem loci conventui, frater Philippus de Elecmosyna servare unitatem **709** spiritus in vinculo pacis. Ritu perpetuo jubetur ignis ardere jugiter in altari, cui per singulos dies sacerdos ligna subjiciens, alimenta suggerit consummationibus hostiarum. Excubat ante fores tabernaculi litteræ legalis auctoritas, hoc interius significante Spiritu sancto, quod igne charitatis debet semper ara cordis ignescere, cui velut quotidianum fomitem, continua debet pietatis opera suppeditare fidelis et sedulus operator. Quia non est holocausti forma laudabilis, si non in conspectu Domini mutuæ dilectionis incensum in odorem suavitatis ascendat. Hæc mihi consideratio in amore vestri non permittit vitabilem fruticare (127) defectum, sed piæ devotionis affectibus circa obsequium vestrum mens studiosa motu sinceræ charitatis invigilat, ut coram Deo rationabile sit obsequium nostrum, et utrinque proficiat oblationis hujus hostia salutaris. Sed et ad vestræ sanctitatis occursum nuper ascendere proponenti factus est mihi leo in via, cerastes in semita : duræ subitationis accessus. « Audivi et conturbatus est venter meus, a voce contremuerunt labia mea (*Habac.* I), » confusi sunt sensus, et status mentis emarcuit, quia tam repente sublata est de medio columna sublimis, summi artificis manu potenter expressa signo sanctitatis, gloriæ et honoris. Recessit pastor bonus, decus ordinis, pietatis exemplum, disciplinæ sator, religionis ornatus, domicilium virtutum, consilium pacis, rectitudinis via, metator utilitatis publicæ : pauperum solutor (128), et arbiter æquitatis. Cujus uberem sapientiam, cujus industriam celebrem, monasterii status in cultu justitiæ coram Deo, et in conspectu hominum plenius ædificia præclare testantur. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut plangam non cæsos gladio filios populi mei, sed Patris communis excessum, dissidium triste prædulcis amici, lamentabilem publicæ desolationis ærumnam ? Articulus nobis hujus necessitatis impingitur, ut lacrymas funebribus dependamus obsequiis : lacrymabile nihil est illi, qui palea carnis exutus, feliciter in horreum cœleste demigrat. Cujus etsi careamus jucunda præsentia, recondere tamen debeamus in thesauro memoriæ de illo quid miremur (129), quid dulce sit imitari, quid aliis proponere gratiosum.

5. Benedicta gloria Domini de loco suo, quæ in tanti luminis occasu, locum vestrum vindicavit a tenebris, divisionum turbines in tanta turbatione compescuit : et consolationis piæ gratiam retulit post dolorem. Gaude, pastor, in electi gregis unitate laudabili, fideli constantia, gratia singulari. Gaude in provectibus ordinis et exercitio disciplinæ, gaude in cultu justitiæ et operibus sanctitatis. Gaude sacer conventus de novi subrogatione pastoris, qui non per cancellos Simonis, vel cuniculos falsitatum, tam quam mercenarius introivit ; sed, vestra famulante concordia, vocatus a Domino tanquam Aaron, Petri minister et Amandi successor effectus est. Quem firmum cum Petro, et amabilem cum Amando desidero feliciter inveniri. Cujus ætatem si quis minus sincere judicat vel oneri dispar rem, vel honori ; audiat Apostolum Timotheo dicentem : « Adolescentiam tuam nemo contemnat (*I Tim.* IV). » Legat et intelligat quia Jeremias ad prædicandum puer vocatus est (*Jerem.* I), Daniel puer contra senes impudicos, in spiritu judicii et spiritu ardoris districte et humiliter erectus est (*Dan.* XIII). Circa id ætatis David a Domino electus est et unctus in regem (*I Reg.* XVI). Joan. evangelista in apostolatus ordinem sublimatus. Utilior est multoque probabilior adolescentia cum moribus senectutis, quam senectus annosa juventutis implicita lusibus et obnoxia levitati : « Cani enim sunt sensu hominis, et senectus utilis vita immaculata (*Sap.* IV). » Gratulamur in Domino, fratres, quod sic uniti estis fœdere spirituali, ut et charitatis vestræ zelus in alterutrum ferveat, honestatis lumen præferens et pietatis exemplum.

6. Ei ecce ad manum est quod quæsistis ; quod jussistis, impletum est, quod mandastis, exhibitum. Non quidem, ut decuit exaratum est, nec ut patroni tanti reverentia vel materiæ dignitas exigebat ; sed ut pauperis ingenii tenuitas, et occupatio multiplex indulserunt. Et nunc os meum patet ad vos, cor meum dilatatur ad vos ; sed præsentiam meam vobis invidet necessitatum mearum fecunda progenies, quæ sic me trahit et distrahit, ut non quod volo hoc faciam, sed plerumque, quod odi, cogar exsolvere.

(127*) Hanc ab auctore distinctionem capitum factam margini apponimus.

(128) Joannes II, abbas 43, antea superior ejusdem monasterii, post an. 14, coactus Atrebati præsente Guillielmo archiep. Remensi sese abdicare : successorem habuit Eustachium Blandiniensis ecclesiæ thesaurarium, virum egregium.

(128*) Ita ms. codex. Alter *fructicare*. Excusa, *fructicarum*.

(129) Ms. *solator*.

(129*) Ita ms. Ast. excusa, *meremur*.

Communis filius noster frater Albertus, vice nostra, quod charitati vestræ dirigimus, exhibebit. Bene valete semper in Domino et orate pro nobis (130).

CAPUT PRIMUM.

S. Amandi ortus, puericia, vita monastica.

710 Gloriosus igitur Christi confessor Amandus, fide claris et sanguine parentibus ortus, natalium dignitatem vitæ meritis illustravit. Pater ejus Serenus, mater Amantia, nuncupatione tam celebri sobolis sanctæ nomine et gloriam felici denuntiavere præsagio. Herbatilicus loco nomen est : qui titulo nativitatis insignis, sicut ab Oceano non plurimum distat, sic Aquitanicæ collimitat regioni. Agente itaque circa susceptum filium paternæ circumspectionis industria, præceptoris diligentiæ sacris traditur litteris imbuendus, ut ætatis primævæ rudimenta prima liberalium studiorum cultus insignis erigeret, et doctrinam gratia condiente, ab uberibus sapientiæ, divinæ legis sugeret intellectum. Jam in id temporis rutilabant in puero futuræ sanctitatis insignia : et secuturi fructus ubertatem lucidi floris circumferebat aspectus. Etenim manus Domini erat cum illo; cujus operante potentia tanquam vitulus novellus promovendus ad aratrum, cornua producebat, et ungulas : quibus antiqui hostis calcaret immunditiam, malitiam ventilaret. Vigebat eo cœlestis exercitium disciplinæ, et in castris mens devota certatura regalibus, ignem et gladium ad victimam deferebat. **711** Erat sermo fidelis, fides affectuosa, affectio sincera, sinceritas firma, firmitas constans, constantia perseverans, perseverantia non aberrans. Agebat sane quemdam senectutis ornatæ moribus castigati operis cælibatum; et in fragili corpore virilis animus et consilia matura convenerant. Et, quia semper vanitatem reprimit æstimatio veritatis : et, « ubi spiritus Domini, ibi libertas (*II Cor.* III); » in libertatem gloriæ filiorum Dei reformari pius animus affectabat. Jamque salutis partus, quem a timore Domini mens sancta conceperat, in lucem gestiebat erumpere, et ad fugam sæculi fidelis præsuspirabat affectus.

8. [Cap. II.] Sacro igitur animum stimulante desiderio, relictis parentibus et domo paterna, in Ogiam insulam, quæ ab Oceani littore quadranginta ferme millibus distat, secunda navigatione devehitur. Ibi Deo servientium fratrum jucunda devotione susceptus; conceptæ propositionis arcanum celebri concludit effectu : et mundi gloriam cœlestis philosophiæ conterit argumento. Abdicat generis claritatem, ut abjectus vivat in domo Dei, carnis fugit illecebras, abjicit præstigia vanitatis : renuntiat infulis dignitatum, ponit modum cupiditatibus, curiositati metas affigit : indicit vitiis bellum, famulatum virtuti prærogat, et corde non ficto viam veritatis insumit. Pauperem Christum pauper factus insequitur, et regularis disciplinæ cultum tota sedulitate novus cœnobita complectitur. Pascitur jejuniis, vigiliis recreatur : laboribus hilarescit, oratione respirat, lectionum ferculis saginatur. Vincit occupationibus tædia, fastidium varietate detergit, ornat meditatione

(130) Hic indiculus capitulorum adjunctus erat in mss. et excusis. Ea inter uncos indicamus. Vitam autem more nostro in capita longiuscula distinximus. Ipsorum tamen capitulorum hic breviaria adnotamus.

1 *De nativitate et institutione beati Amandi.*
2 *De conversione ejus.*
3 *De dracone.*
4 *Qualiter voluit eum pater revocare a conversione.*
5 *De peregrinatione viri Dei.*
6 *De reclusione ejus apud Bituricas.*
7 *De itinere Romano.*
8 *De injuria viro Dei ab ædituo illata.*
9 *De apparitione et solatio beati Petri apostoli.*
10 *De ordinatione viri Dei in opus prædicationis.*
11 *De consolidata mensa altaris, quæ per incuriam fracta erat.*
12 *De instantia prædicationis.*
13 *De secunda peregrinatione ad Urbem.*
14 *De puero liberato a dæmone.*
15 *De pisce et tempestate.*
16 *De secunda apparitione beati Petri apostoli et sedata tempestate.*
17 *De profectione viri Dei ad Gandavos.*
18 *De duritia Gandavorum et constantia viri Dei.*
19 *De effectu prædicationis.*
20 *De resuscitatione mortui apud Tornacum.*
21 *De fructu gratiæ sequente miraculum.*
22 *De colloquio beati Gisleni et conversione Vincentii.*
23 *De beata Aldegunde.*
24 *De beata Rictrude et filio ejus Mauronto.*
25 *De prædicatione Sclavis facta.*
26 *De excessu Dagoberti regis, et exilio viri sancti propter correptionem ejus.*
27 *De revocatione viri sancti.*
28 *De infante cujus linguam Dominus aperuit in verbo præsignationis.*
29 *De electione beati viri in Trajectensi Ecclesia.*
30 *De mala conversatione clericorum.*
31 *De morte regis Dagoberti, et de missa legatione ad Urbem ad beatum Martinum papam.*
32 *Epistola Martini papæ ad beatum Amandum.*
33 *De recessu beati Amandi a Trajecto.*
34 *De conversione beatæ Ittæ.*
35 *De filia ejus sancta Gertrude.*
36 *De adventu sancti Amandi ad monasterium beati Gisleni, de miraculo piscis.*
37 *De contemptoribus prædicationis viri Dei, qui pestilentia gravi mulctati sunt.*
38 *De blasphemo correpto a dæmone.*
39 *De cæco illuminato.*
40 *Quomodo vir sanctus orta tempestate manus evasit apparitorum.*
41 *Quomodo rex Hildericus dedit viro Dei Barisiacum.*
42 *De muliere cæca illuminata.*
43 *De tertia peregrinatione ad Urbem.*
44 *De ædificatione Elnonensis monasterii.*
45 *Qualiter sanctus Humbertus ab Urbe rediens venit Elnonem ad sanctum Amandum.*
46 *De præposito Elnonensis monasterii propter inobedientiam percusso et sanato.*
47 *Qualiter Blandinienses monachi elegerunt sanctum Amandum post mortem beati Floreberti.*
48 *Qualiter Elnonensi monasterio beatus Amandus præfecit sanctum Andream discipulum suum abbatem Barisinci.*
49 *De testamento quod fecit ante transitum.*
50 *Petitio seu adjuratio sancti Amandi de corpore suo.*
51 *De transitu ejus et sepultura.*
52 *Visio beatæ Aldegundis virginis de transitu sancti Amandi.*

tione silentium, motus stabilitate componit, fratrum studiis delectatur, imitatione proficit, ignescit exemplis, adhortationibus informatur. Justitiæ viam charitatis illustrat obsequiis, et operis gratiam salubris obedientiæ decorat ornamento. Stupet fratrum fidelis universitas, in ætate tam fragili tantæ perfectionis ornatum, et tanquam novi sideris miratur exortum : ac de tanti commilitio bellatoris apud eos in conspectu Domini gratiarum resonat actio, et vox laudis.

9. [Cap. III.] Solet profectibus alienis tabescere mordax invidia, et iniquitatis est proprium, non sereno vultu processus innocentiæ contemplari. Videt peccator et irascitur, fremit dentibus et tabescit (*Psal.* cxi), et ad gloriam sanctitatis turbida indignatione confunditur. Reparat antiquæ fraudis insidias, et per familiare sibi organum, radiantem novi luminis flammam, vel exstinguere nititur, vel turbatur. Agebat absque arbitris iter solitarium puer sanctus aliquando per insulam, præsidentium citatus edicto : nec detrectabat obsequium, quo gratiam mereretur. Ibat igitur sibi totus incumbens, et cœlestia mente contrectans, ante altare aureum, quod est in conspectu Dei, piæ devotionis adolebat incensum. Constituebat diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris : de mensa propositionis epulabatur exsultans, et delectabatur in lætitia. Fit plerumque jucunda quies, origo discriminis ; et exorta est de messe gaudiorum, planta tristitiæ. Livoris exagitatus aculeis, humani generis adfuit inimicus : eamdem formam referens, eamdemque naturam, qua protoplastis intulit plagam mortis ; et sponsionis fraudulentæ fractos illecebra, jugo miseræ captivitatis addixit. Subito namque serpens immanis corpore, forma terribilis, horrendus aspectu, sese sacris injecit obtutibus : et mentis Sabbatum transtulit in stuporem. Facile rudes animos improvisa concutiunt, et animi statum leviter repentina subvertit accessio. Ad occursum monstri puer Domini timore corripitur, sollicitatur angustia, trepidatione confunditur, fugam meditatur anxius, sed draconis horret instantiam ; nec apud eum constat, fugitare sit, an restare securius.

10. Respectus Domini semper est in electos, nec derelinquit sanctos suos in die malorum, et in tempore superborum sine adjutorio. Reparat subito divina miseratio fluctuantem, trepidum reficit : et æstuantis animi motus confidentiæ sublevat in profectum. Conversus igitur ad cor, in fervorem pristinum recalescit. Spei lætioris armamenta recolligit : et felicis insigne victoriæ de promptuario divinæ pietatis exspectat. Itaque solo prostratus, de priori quidem turbatione compungitur, de visitatione gratias agit : pro subventione brevis et efficax ad thronum gratiæ derivatur oratio. Auditur in excelso clamor ejus : et de cœlesti propitiatorio munus exauditionis in auxilium reportatur. Illico surgit intrepidus, et in hostem fidei signo crucis edito, potenti verborum virtute imperat ut 712 a finibus insulæ malitia draconis emigret, nec se deinceps damnis afferat incolarum. Velut baleari (131) percussa tormento, potentis imperii virtute virtus serpentis eliditur : submisso capite confusus abscedit ; nec edicto recalcitrat imperantis. Vincitur in serpente diabolus, et induitur tanquam diploide confusione sua : pro ingesto timore recipit doloris anxietatisque manipulos, et, quo videtur ætas victoris infirmior, eo graviori pulsatur insania : turbatur vehementius, et amplius erubescit.

11. [Cap. IV.] Non capit infrunitus animus de præteritis conjecturam, jugiterque tabernacula calumniæ procax irreverentia confrequentat. Quem frangere terrore non potuit tentat adversarius enervare blanditiis : et a sancto nititur revocare proposito (132) copiosæ satellitio pietatis. Ad visitandum eum cor patris everberat : jam tepentes in eo recidivat affectus. Novis suggestionibus antiqua suscitat desideria : novumque (133) generat in animo genitoris ardorem. His aspersa tenebris mens Sereni patris deficit a sereno : tam dulci piguore carere non sustinet : et quasi post cineres sepulcri, vivente se filio credit orbatum. Proinde respectu divini timoris abjecto, disponit a monasterio divellere quem paternæ auctoritatis votiva non assignarat oblatio : et in jus hæreditatis contemptæ revocare deliberat profugum successorem. Enavigato igitur mari descendit in insulam, veniens in monasterium gratanter excipitur : consalutatisque fratribus, a priore loci colloquium fili postulat et meretur. Quo in partem secretius evocato, post dulcia oscula, sermonesque promiscuos de abjiciendo sacræ religionis accinctu, de reditu in patriam, de repetenda hæreditate, consilia matura procedunt, et persuasio seria subinfertur. Proponitur paternæ titulus orbitatis, teneritudinis maternæ continuus et anxius dolor, nobilitatis injuria, contribulum querimonia frequens, generalis commanentium de reversione voluntas.

12. Velut auræ tenuis sibilus a puero Domini reputantur hæc omnia, rejiciuntur paternæ preces, respuuntur blanditiæ, consilia prædamnantur. Indignationis nubem Serenus induit non serenam : contumescit animo, et in iram totus attollitur, minas congerit ad terrorem, nec contemptum suum valet æquanimiter sustinere. Tactus itaque dolore cordis intrinsecus, abdicat filium successionis jura convellit : et exhæredationis indicit elogium (134). Ille in alta mentis specula constitutus, mundo altior, quasi nihilum et inane hæc omnia : vultuque ac mente immobilis, blandientem pariter ac minantem despicit patrem : sic tamen ut non reverentiæ jura confundat, nec pietatis infringat officium. Moderationis nempe retinens internæ temperiem, « disponit

(131) Ita mss. excusa *graviori*.
(132) Mss. *cautiosa*.
(133) Excusa, *nonnunquam*.
(134) In altero mss. *eloquium*.

sermones suos in judicio (*Psal.* CXI). » — « Tibi sit, inquiens, pater, hæreditas tua : *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, ipse est qui restituet hæreditatem meam mihi* (*Psal.* XV). Dignior est cœlestis generatio quam terrena. Mortali patri, patrem præferre rondecet immortalem. » Spe frustratus pater, ad hanc vocem turbatus egreditur, profligata opera vacuus cedit et refertur ad propria. Hoc jam secundo « mirificavit Dominus sanctum suum (*Psal.* IV), » timentem se glorificans : et in conspectu ejus ad nihilum deducta est impostoris antiqui maligna perversitas.

13. [CAP. V.] Non est turpe cum re mutare consilia, nec improbabile causis urgentibus adhibere consensum. Motus, ut creditur, hoc impulsu servus Domini, peregrinari disposuit, ut, et laboris instantia castigatio carnis assumpta præstanter augesceret, et similes in reliquum vitaret incursus. Sicut enim fugienda sunt cum suis vitia causis, sic declinanda est ingestæ tentationis occasio. Ad malum namque facilius necessitudinum carnalium motus, quam gladiorum terror aut sævitia potestatis inclinat, et humana natura sequi, quam trahi solet semper esse paratior. Igitur ad urbem Turonicam votivæ peregrinationis primi derivantur incessus, ut beati Martini patrociniis sic destinata dirigatur intentio, et sanctorum suffragiis opus promoveatur incœptum. Ad sepulcrum sane gloriosi confessoris in spiritu humilitatis accedens, inter devotos sacræ confessionis ascensus, hoc specialiter sibi Patris sancti meritis apud Deum postulat obtineri, ut omnis sibi in reliquum redeundi in patriam præcludatur accessus, occasio præcidatur. Quia, sicut non est tutum vicino serpente dormire; sic inter notos et affines sæcularibus deditos, non est secura conversatio profitentibus pietatem. Aliquantisper in loco eodem demoratus, primitias capitis obtulit Deo, regalis sacerdotii suscipiens signum, et ecclesiastica tonsura initiatus in clerum.

14. Petita postmodum a fratribus **713** loci benedictione progreditur, et iter repetit intercisum. Inde Bituricas, Domino ducente, pervenit : et ad urbis antistitem hospitandi gratia declinavit. Eo tempore præsidebat ecclesiæ vir vitæ venerabilis beatus Pater Austrigisilus, cujus ornabat celebri sanctitate collegium Sulpitius archidiaconi confessor insignis, vitæ merito, et morum gratia post sanctum virum pontifex mox futurus. Hi venientem se servum Dei debito susceperunt humanitatis officio : et ex benevolentia charitatis, congrua necessitati subsidia ministrarunt.

15. [CAP. VI.] Agebat pubertatis annos beatus Amandus, in adolescentiæ flore primævo, fervorem spiritus ab ætatis fervore non dividens, ut caperet virtus animi cum corpore pariter incrementum : et in azymis sinceritatis et veritatis devotam consecraret Domino juventutem. Intellexit hic vir Deo plenus, sibi secretius aliquid exsequendum : quo arctiori custodia, promptiori studio, vigilantia puriori, rudes ætatis lubricæ motus, et genuinos carnis impetus subnervaret. Ad æterna namque tendentibus circa motus domesticos severæ castigationis est adhibenda censura, ne misere serviat animus, qui nobiliter debuit imperare. Desiderio desiderabat hoc pascha cum perfectis edere vir electus, et de hoste victoriam, conflictu quærere singulari, juxta verbum Sapientis quo dicitur : « Beatus homo cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua, sedebit solitarius et tacebit, et levabit se super se (*Thren.* III). » Successus congruos sancta facile sortitur intentio : et vix affectum possibilitas deserit quem pietatis studia suscitarunt. Ad petitionem ejus, a viris misericordiæ, sancto pontifice et fideli archidiacono, supra murum civitatis instantia celeri cella construitur, ubi felici peregrinationis genere, peregrinus a mundo, peregrinus a carne, peregrinus a sensibus, et contubernio vanitatum, soli Deo liberius adhæreret, vacaret ardentius, fidelius obsequeretur, fructuosius militaret. In hoc voluntariæ necessitatis ergastulum, vir Dei charitatis compede vinctus ingreditur, contra vitia carnis ac spiritus, cont a mundi gloriam, contra spiritales nequitias circumspectione modesta et humili pugnaturus.

16. Fit pugnanti cilicium vestis, hordeaceus panis cibulum, potus unda communis : reclinatorium terra vilibus constrata segmentis. Fit abstinentia jugis, vigiliæ frequentes, indefessa oratio, fidele silentium, meditatio sacræ legis assidua, efficax divinæ studium lectionis. Sicque libratur occupatio multiplex, ut non inveniret otiositas inimica progressum, et hosti callido deesset accessus, et clauso aforis ostio, divina custodia contra turbines externos intra arcam sapientiæ, justum servaret absconditum. Sic annis fere quindecim viro Dei vivitur, et in talibus vita spiritus ejus virtutum ducens ab æterna vite propagines, et de stillicidiis gratiæ germinans sanctitatem, post affectati carceris labores egregios, post conflictationis eximiæ fideles excubias, post assiduos macerati corporis cruciatus, ætatis incessibus potenter edomitis, tractu temporis, quem diximus, evoluto, votivæ peregrinationis recrudescit affectus, et ad iter primo dispositum, propositi prioris memoria non segnis erigitur.

CAPUT II.

S. *Amandi primum iter Romanum. Verbum Dei prædicatum.*

17. [CAP. VII.] Deseritur solitaria mansio, secreti dulcis negotiosa otia laxantur in publicum : conversationis occultæ latebra, sub aspectum solis educitur. Non hic tamen usum levitate credimus servum Dei, vel absque familiari processisse mandato, quod paginæ cordis calamus scribæ velociter scribentis impresserat. Spiritualis quidem omnia judicat, et ipse a nemine judicatur, et cum sanctorum semper imitanda sit virtus, non tamen semper imitabilis actus : et eorum pleraque opera non vivendi formam, sed privilegium divini muneris eloquuntur, in quo sunt admirationi tradita, non exemplo. Mirari liceat super hoc Dei servum, non libeat imitari, quia non

in generale transit edictum privata concessio : nec in omnes diffunditur gratia specialis. Spiritus enim sanctus non ubique, sed ubi vult, spirat, et vocem virtutis prærogat voci suæ, ut, qui docetur interius, audiat, quid loquatur: et a mandatis intelligat, sémitas eligens veritatis. Taliter, ut dignum est credi, vir sanctus, uno tantum comite contentus, egreditur : et aggreditur viam, quam, Spiritu sancto dictante, conceperat, spiritalis emolumento gratiæ munerandus. Emensoque itinere, post Alpium horridam et arduam viam, post anfractuosos et lubricos vertices Apennini, post naufragosos et difficiles fluminum commeatus, apostolici culminis Urbem jucunda perventione lætus ingreditur. **714** Ibi ad B. Petri confessionem, cum lacrymis et oratione reverenter affusus, obsecrationibus sacris mente devotus indulget, ad reliquum vitæ tempus et ordinem postulat profutura, pietati divinæ totus innititur, et in jubilo cordis de subventione gratuita gratiarum replicat actionem. Inde ad memorias martyrum sanctorum titulos (135) aviditate sedula circumfertur, et eorum suffragiis operi suo fructum a Patre luminum flagitat assignari.

18. [Cap. VIII.] Sicut studet exsequi justitia quod suum est, sic a ferali proposito livor improbus non recedit. Justorum namque semitas obsidet Satanæ malitia pervicax, et insidiando circumvolat, ut convertat studia pietatis in scandalum. Reversus erat in una dierum B. Amandus, sicut consueverat a visitationis sacræ votivo circuitu, ut in B. Petri basilica consummaretur dies, et continuaretur oratio. Cumque post vespertinam synaxim, recedentibus aliis, vellet ibi solus hujus rei gratia demorari; adfuit ex ædituis unus, loca sancta perscrutans in ordine vicis suæ, ne quid accideret, quod servitutis suæ turbaret obsequium. Hic cum non agnitum sibi Dei servum in loco abdito reperisset; repentino turbatus impulsu, minus civiliter attrectatum, non sine verbis contumeliæ, violenter a templi ambitu et irreverenter extrusit. Ille intra patientiæ claustra se continens, in spiritu mansuetudinis portat injuriam, calumnias despicit, molestiæ reluctatur. Non recedit ab opere sanctitatis excitatus opprobriis; sed in hymnis, et psalmis, et canticis spiritualibus, cordis et vocis ministerio consonante, servitutis suæ pensum Domino cum omni humilitate dependit. Retunditur et hic antiquus illusor, et illuditur ei judicio veritatis, quia reportat humilitas allisa solatium, et in desiderio cordis sui fraudulenta non requiescit impietas.

19. [Cap. IX.] Cum ergo sic exclusus, in gradibus ascensionis pro foribus ecclesiæ resideret; post orationis cursum, post pietatis lacrymas, et amoris intimi sancta suspiria, subito raptus, in excessu mentis B. Petrum videt propter assistere, aspectu læto, serena facie, claritatis habitu renitentem. Hic post visitationis piæ munus exhibitum, post communionem suavis alloquii, post familiaritatis sanctæ lene solatium, reflectendum denuntiat iter in Gallias; ut in agro Domini laboret attentius, et super messem, quæ multa succreverat, promptus minister invigilet. Ille cœlesti certificatus oraculo, et apostolicæ vocis roboratus hortatu, viam convertit in Gallias : et quod a mandatis intelligat, opere protestatur.

20. [Cap. X.] Regnabat in Galliis ea tempestate Lotharius (136), vir strenuus in rebus bellicis, non minor virtute quam gloria, et Christianæ fidei propugnator insignis. Hic quartus a Clodoveo (quem B. Remigii (137) constat ministerio baptizatum) præferebat in potestate clementiam, morum titulos in eminentia dignitatis, in abundanti rerum prosperitate gratiam mansuetudinis exigebat. Colebat in reverentia pastores Ecclesiæ, donariis frequentibus et prædiis ornabat ecclesias : et regni gloriam continuis propagabat augmentis. Ad cum cum beati viri celebris emanasset opinio, gloriosis viris Audoeno (138) et Eligio non seguiter adnitentibus, qui inter aulicos principes adhuc in sæculari habitu non mediocriter eminebant, evocatur ad regem : et pontificali auctoritate præmissa, voluntate principis, et magnatorum probante consensu, in officium prædicationis ordinatur episcopus, sicut mos illius temporis exigebat, et ad disseminandas in gentibus evangelicas sanctiones, ad propalandum Christi nomen incredulis, ad ponenda fidei fundamenta, cum omnium favore et gratia destinatur.

21. Vir sanctus impositum suscipiens reverenter officium, studet opus evangelistæ diligenter implere: studet omnibus verbo prolicere, pariter et exemplo: studet ad lucra spiritualia talentum sibi creditum fideliter erogare: studet annonam fidei, fidem nescientibus dispensare cum gratia, et ab idolorum cultibus ad veritatis viam revocare satagit aberrantes. Et, quia redemptionis æternæ gratiam prædicat, captivorum redemptioni miseranter insistit, ut in eis mundanæ pariter et diabolicæ jugum servitutis absolvat, et prædicationi sanctæ pondus et gratiam conferat æstimatio **715** pietatis. Si quos autem infra pueritiæ terminos redemptioni casus assignat, purificatos unda baptismatis, studiis applicat litterarum, ne confundat indisciplinatio renascentes, vel obruat ignorantia promovendos. Ex his postea nonnulli, beati Patris adnitente subsidio, facti sunt veritatis assertores egregii, sacerdotes electi, doctores Ecclesiarum, et prælati monasteriis sancti vitæ monasticæ professores.

(135) Edita, *tumulos*.

(136) Hic est Chlotharius II, cui anno 628 mortuo successit filius Dagobertus, ac sub hoc sequentia potius peracta.

(137) Quartus a Chlodoveo I, non ordine regendi, sed nascendi, habuit enim eum proavum, Chlotharium I avum, et Chilpericum patrem

(138) Colitur 1 Octobris. De ejus ætate et baptismo Chlodovei egimus hoc die ad Vitam S. Vedasti; uti et de baptismo regis 5 Febr. in Vita S. Aviti epise. Viennensis.

22. [Cap. XI.] Dum commerciis talibus vir beatus ordinationis suæ coronat initia, ab illustri viro, quem supra memoravimus, Audoeno, ad consecrationem monasterii, quod jussu prædicti regis (139) instruxerat, invitatur. Vocatur B. Faro (140) Meldensis episcopus, et ad opus destinatum cum B. Agilo (141) fideli opera consummandum diligentius elaborat. Cumque omnibus rite peractis ad altaris consecrationem sancti pontifices accessissent, inæquali positione locatum superpositum marmor apparuit: differunt ad horam sancta mysteria, correctionem parant inæqualitatis inventæ; et ad reformandum mensæ declivis statum vigilanter intendunt. Quam loco motam sancti viri dum sustentarent manibus, et inconsideratius attrectarent, defluxit in terram subito marmor elapsum, et allisum vehementius in duas partes subita divisione dissiliit. Turbati et conterriti venerabiles viri, non mediocriter contristantur, et casus urgentis incommodum verbis cæremoniæ prosequuntur. Tunc B. Amandus cum beatis Farone et Agilo, spe de Domini pietate præsumpta, cum lacrymis in orationem procumbunt: et affectu penetrante cœlestia, solatium tristis incommodi, de Patris æterni clementia præstolantur. Surgentesque ab oratione, signo super lapide vivificæ crucis emisso, reconsolidatum (142) marmor, in integritatem pristini tenoris aspiciunt; sed ad signum virtutis, signique memoriam, virgula subtilis in medio loco scissuræ, tanquam lineare discrimen apparuit. Fit de divino munere solemnis gratulatio, consecrationis opus in gaudio consummatur, et aguntur uberes gratiæ tam celebris misericordiæ præstitori. Audoenus igitur vir illustris, ne tam dignum opus, vel vetustas absumeret, vel occultaret oblivio, prædictum marmor litteris jussit eminentibus insigniri, certo sensu continentibus, altare præsens B. Amandi fuisse ministerio consecratum. Locum præterea, Jerusalem (143) præcipiunt sancti Patres ab incolis appellari, propter crebras revelationum spiritualium visiones, et assiduas miraculorum beneficia quæ dignabatur in servis suis divina pietas ibidem multipliciter operari.

23. [Cap. XII.] Inde, ne quid a titulo gloriæ, ne quid a cumulo mercedis excideret; ad loca remotiora, et irretitas idolorum cultibus gentes, dilectus Deo et hominibus B. Amandus egreditur, ad dandam scientiam salutis plebi Domini in remissionem peccatorum eorum, ut lumen Christi splenderet in tenebris, et notum fieret salutare Domini, et revelaretur infidelibus justitiæ cultus, et gratia veritatis. Hic labor, hoc studium viri Dei, huic operi diebus insistit et noctibus, et lucris spiritualibus ampliatur, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.

CAPUT III.

S. Amandi secundum iter Romanum. Gandenses aliique instructi.

24. [Cap. XIII.] Nunquam de se vera præsumit humilitas, et quo altius in arcem virtutis evehitur, eo arctius sua in se excrementa recolligit, et his existimat se minorem, quorum dicitur æstimatione sublimior. Poterat sufficere viro Dei cœlestis auctoritas, et apostoli Petri fidelis indictio, quo mandante, prædicationis onus opusque susceperat. Sed ne præsumptionis notam livoris ei genius infligeret, si absque vicario Christi, Christum evangelizaret in gentibus, iterato Romam tendit itinere: et apud summum pontificem, laboris et intentionis suæ summam, cum subjectionis humilitate depromit, cordis affectum verbo scintillante prosequitur, et sancti desiderii flammam, summi Patris ingerit sanctitati. Dominicæ messis opulentiam docet operariis indigere, et subventione paterna suam postulat indigentiam sublevari. Deo dignus antistes, viri Dei miratur zelum, probat industriam, doctrinam commendat, propositum veneratur, laudat instantiam, labores extollit, compatitur periculis, profectibus delectatur. Ad supplementum igitur consortii vel laboris, probabiles et industrios viros, Landoaldum (144) archipresbyterum, et Amantium levitam, segregatos in opus ministerii sancti, cum aliis quorum nomina non tenemus, **716** auctoritate apostolica cum B. Amando delegat in Gallias. Ille voti compos, cum benedictione Patris ab Urbe digrediens, Centumcellis subvectione nautica deportatur, spe magna concipit, et fidelis collegii plenitudine gloriatur.

25. [Cap. XIV.] Lætis semper imminet transgressor antiquus; et aspergine fæculenta maculare nititur gaudia beatorum. Orationi circa vesperam more solito vir Domini secretius incumbebat; cum subito malignus spiritus, unum de pueris arreptum, concussione validat, trahebat in pelagus suffocandum. Ille timore noctis et hostis horrore circumdatus, stridore terribili, quoad poterat, Christi nomen frequentius inclamabat, Christi flebiliter implorabat auxilium, Christo se fideliter commendabat. Insultatorie pervasor (145) iniquus clamanti respondit: « Quis esset hic Christus, cui se tam sedulo commendaret? » Quo tacente, ad hanc vocem vir beatus infremuit, et clamore valido puero subintulit dicens: « Responde, fili: Christus qui natus est de Virgine,

(139) Imo a Dagoberto rege post obitum Chlotharii, petivit S. Audoenus et impetravit locum, exstruxitque monasterium, ut constat ex Vita S. Agili primi Resbacensis abbatis, 30 Augusti, cap. 11 et 12.

(140) Colitur S. Faro 28 Octob.

(141) In altero ms. *Agasilo*, minus recte.

(142) Idem miraculum in Actis S. Agili c. 15, et S. Faronis narratur, et in utrisque S. Amandus adfuisse dicitur.

(143) Aimoinus, l. IV Hist. Franc., c. 41 scribit « B. Audoenum fabricasse monasterium intra Brigensem saltum, quod Hierusalem quidem est nominatum, sed a fluvio, super quem est situm, Resbacense dici cœnobium. »

(144) S. Landoaldum sociosque a S. Martino papa adjutores datos S. Amando in tertio ejus itinere Romano ostendimus § 12.

(145) In altero ms. *perversor*.

qui pro nobis passus est, et resurrexit a mortuis. » Ad vocem confessionis dæmon confusus evanuit, et merito sanctitatis puer ab imminenti naufragio liberatur.

26. [Cap. XV.] Ascensa dehinc nave, Thyrreni legit æquoris plagas, et sinuosos littorum prætercurrit anfractus. Cumque secum in navi residentibus, ut moris habebat, tanquam pincerna cœlestis, divini verbi nectar infunderet, improviso piscis magnus occursu navigantium se conspectibus intulit, et vicinis incursibus navi cœpit insistere. Quem gnara piscandi turba diligentius intuens, venationis æquoreæ circumvolvit et extulit armamentis. Læta igitur divino muneri gratias agit : et in commune de tam solemni præda, refectionis subsidia præparantur. Epulantur et gaudent, et ducunt in lætitia diem festum, jucundi successus grata stipendia celebrantes. Incerta sui est semper mortalis infirmitas, et sicut causas, sic rerum minime comprehendit eventus. Inter epulas et verba lætitiæ, subito facies maris inhorruit, cœlum triste sole subducto migravit in tenebras : et vehementius incumbens spiritus procellarum, violentia turbinis, et undarum crebris incursibus, lætantium mentes et statum securitatis absorbuit. Devolvitur in pelagus quidquid ad victualia servabatur, jactantur sarcinæ, vasa cum utensilibus exponuntur, vacuatur navis omnibus, ut undosa cacumina saltu leviore supernatet, et rebus perditis sola saltem possit vita servari. Ubique metus, ubique mortis imago plurima, nec nisi suprema cogitat miseriarum comes desperatio. Supplicant igitur viro Dei, ut partes suas apud misericordiam judicis interponat : et pro communi periculo, precum victimas offerat Redemptori. Consolatur attonitos vir beatus, et toto corde converti monet ad Dominum et salutis eventum de Omnipotentis sperare clementia. Inde ad orationem convertitur, familiare in omni tribulatione refugium, et pro sua suorumque salute, preces summæ porrigit majestati. Cœlum pulsat affectibus, devotione transcendit excelsa : et valido mentis incessu, Patrem misericordiarum, et totius consolationis Deum, ad remedia solitæ pietatis invitat.

27. [Cap. XVI.] Inter orandum vir Domini subitum rapitur in soporem, et in labore spiritus vehementi, carnis subsidit infirmitas. Adest cœlestis claviger quiescenti, et in secretarium misericordiæ, per ostium blandæ consolationis inducit, dicens ei : « Surge, Amande, ne timeas, non peribis : et evadent periculum, quos tibi necessitatis hujus societas aggregavit. » Hoc dicto, somnus pariter et procella dispergitur, et tranquillitatis optatæ refulget læta serenitas. Mane itaque facto, nave dimissa, refunduntur omnes in aridam, et de liberatione sua gratias exhibentes, ad propria diriguntur. Gloriosus Deus in sanctis suis, qui clamantem ad se servum suum tam misericorditer audivit, adjuvit potenter, efficaciter liberavit. Dignus et ipse præconio, cujus insigne meritum, vita laudabilis, opus egregium, tantum de Domini sui gratia meruit obtinere; ut non sibi tantum, sed et aliis proficeret ad salutem et exsurgens in exitium commune triste periculum, orationis sanctæ beneficio propulsaret.

28. **717** [Cap. XVII.] Interea viam universæ carnis ingrediente Lothario (146) rege, successor ei constituitur Dagobertus sicut regiminis, sic virtutis et pietatis paternæ strenuus imitator. Quo regnante, B. Amandus ab urbe regrediens, ministerium verbi, sicut assueverat, cœpit diligentius exercere, et animarum lucra profectus divini muneris operari. Hujus rei gratia, Gandavum progreditur, et sterilitatem gentis incredulæ, fecunditate divini germinis satagit adimplere. Hic, ut liberius securiusque possit in evangelicæ sationis opus assurgere, interveniente sanctæ recordationis Aichario Noviomensi pontifice, a præfato rege suscepit epistolas, ut nullus verbum vitæ, jugum fidei, sacramenta gratiæ detrectaret : sicque Regi cœlesti, rege militante terreno, velociter curreret sermo sanctus, et in exitium mortis, jugulumque diaboli, duo gladii convenirent, quia felix est et jucunda communio, cum ad classicum militiæ spiritualis erigitur terrenæ satellitium dignitatis.

29. [Cap. XVIII.] Populus autem ille, sicut ubere glebæ, sic ubertate gratiæ sterilis et jejunus, fanatici erroris cultibus et idolorum sacrificiis insistebat. Sicque instigante salutis adversario, dura fronte, et indomabili corde, pacis æternæ consilium C respuebat, et salutaribus monitis, cervicoso reluctabatur annisu. Satagebat nihilominus vir Domini, studio pertinaci et jugi opera, ut in diversoria mortis inductos, in regnum vitæ per gratiam sanctificationis educeret. Renitebatur impietas pietatis obsequiis, et ministrum vitæ frequentibus ad mortem trahere moliebatur insidiis. Ille spreta sui corporis morte, sæpenumero cæsus, affectus contumeliis, pulsatus injuriis, opprobriis lacessitus, frequenter præcipitatus in flumen, ab ipsis etiam mulierculis, persecutionis injuriam sustinebat. Quarum quanto est fragilior sexus, tanto est nequior sensus, tanto affectus improbior et procacior solet esse malitia. Fratres itaque qui eum, nimia ejus devincti charitate, secuti fuerant, et in opere Dei præstabant D familiare contubernium, timore mortis, et inediæ squalore compulsi, fracti animo recesserunt, relicto eo ad propria remeantes. Ille, ne quem gravaret, et sine sumptu poneret Evangelium, propriis manibus laborabat, unde viveret, et ut pro facultate ministraret necessitatem patientibus.

30. [Cap. XIX.] Nihil est tam arduum, tamque difficile, quod non expugnet opera pertinax, et frequens lima complanet; maxime cum diligentiæ comes gratia suffragatur. Aperitur tandem laboribus sanctis ostium grande, et magnatis ad fidem cum populo confluentibus, vir sanctus in virtute Dei conquæ sub filio Dagoberto et nepotibus Chlodoveo II et S. Sigeberto contigerunt.

(146) Philippus tradit S. Amandum obiisse anno 661, hinc anticipat, quasi sub Chlothario II facta,

fringit idola, templa destruit, altaria demolitur, cultum miseræ superstitionis excludit, et abdicat deceptæ gentilitatis errores. Ad laudem igitur et gloriam nominis Dei vivificæ crucis erigitur triumphale vexillum: mutato ritu, pro fidelibus offeruntur hostiæ salutares; et carnificini libaminis cruore sublato, religionis catholicæ cultus eucharis instauratur. Ædificatur in eodem loco fidelium sumptibus fabrica celebris, quæ in fidei domicilium solemnibus edita sacramentis, sub apostolorum Principis honore et nomine, B. Amandi ministerio consecratur. Construitur item altera cultibus divinis ecclesia, in loco quem Blandinium vocare consueverat voluptatum sectatrix prisca gentilitas: eo quod blanditiis lenis, et amœnitate præcipuus videretur. Ubi Deo servientium probata constituens officia clericorum, curæ pastoralis officium, discipulo suo viro venerabili tradidit Floreberto. Sub illius felici magisterio, S. Bavo secretum votivæ reclusionis intravit, postquam a vanitate sæculi B. Amandi prædicatione conversus est, et ecclesiastico ritu, benedictionis gratia tonsuratus. In qua, vigiliis, jejuniis, orationibus convenienter intentus, se ipsum Deo Patri hostiam vivam, sanctam, beneplacentem, juxta institutionem viri Dei satagebat fideliter exhibere.

31. [Cap. XX.] Gloriosa semper et efficax circa suos divina dignatio bonis meliora supponit **718** (147), et optima perfectionis coronat accessu. Magna et admirabilis Amandi gloria in salutari sancto: gloriam et decorem magnum posuerat Dominus C super eum; sed quanta fuerit virtutis ejus, sanctitatisque perfectio, sequentis attestatione miraculi declaratur. Ad urbem Menapiorum (148), quæ Tornacus vulgato nomine dicitur, vir beatus ascenderat, patriam gloria sanctitatis illustrans, et gratiam suavitatis infundens populo jam credenti. Residebat ibi comes Dotto judex a rege delegatus in provinciam, ut publicis actionibus ordinem, finem controversiis, judiciis formam, culpis supplicia, justa mœrentibus exhiberet. Sedente eo pro tribunali, vir a lictoribus exhibetur, corruptus infamia, correptus in culpa, miserabilis pœna, cui mortis sententiam populus terribiliter inclamabat. Judex, sicut paulo truculentior et indulgens iræ justo amplius erat, ad clamorem D plebis, in miserum, suspensionis ferale jaculatur edictum. Sed vir beatus, qui totus semper in Domino misericordiæ visceribus affluebat, miseratus addictum, partes suas apud judicem suppliciter interponit, preces pro absolutione porrigit perituri, et dari sibi postulat animam, quam sententia supremæ damnationis involverat. Obstinationem plerumque parit elatio, et immitis nascitur de obstinatione contemptes. Immobilis manet animositas judicis, nec meritum sanctitatis advertit; sed precum supplicatione rejecta irrevocabiliter manere decernit, quæ semel fuerat indicta damnatio. Igitur ad patibulum A miser trahitur, miserabilior cruciatu, quam diffinitione crudeli; sicque jam totus fere plagis absumptus, ut non homo, sed cadaver ereptum bestiæ videretur.

32. Mens humilis non confunditur ad repulsam; sed in illius miseratione respirat, qui non derelinquit in finem, nec precem pauperis aversatur. Mox a facie judicis vir sanctus egreditur, et ad locum supplicii cum festinatione procedit; sed misericordiæ gressus, manus apparitorum violenta præcesserat, et extorta laqueo vita, carnis ac spiritus objecerat triste dissidium. Deponit itaque de ligno corpus exanime, et ad cellam, in qua orare consueverat, jubet assistentium manibus deportari. Hinc amotis omnibus, orationi totus incumbit, prodit ab intimo pectore sancta suspiria; rigat faciem piarum profluvio lacrymarum, et totis animæ viribus, in occursum divinæ miserationis exsurgit, ut ad vitam redeat sic exstinctus, et ad salutis remedia denuo reparetur. Non præciditur a fonte rivus, nec vena beneficio propriæ fraudatur originis. Pius affectus in amplexum pietatis, obvia benignitate colligitur, et petitionem filii non avertit paterna dignatio. Redit transfuga spiritus in jus possessionis ereptæ, et redivivis donata sensibus, caro mortua suscitatur, exclusis tenebris lumina revolvuntur in lucem, et corporis ingesti rigore laxato, in pristini sermonis lingua, renovatur officium. Mane itaque facto, convocatis fratribus, aquam vir sanctus jussit afferri, ut vulnerum sordes, ut fluxi cruoris asperginem, minister devotus ablueret, ne quid pietatis deesset officio. Credunt ad obsequium funeris, ablutionis exigi famulatum, et donandum corpus existimant beneficio sepulturæ. Sed ingressi cellam, colloquentem pariter, et assidentem viro Dei, quem defunctum reliquerant, non sine stupore, et admiratione conspiciunt, magnificantes in opere tam solemni misericordiam Redemptoris. Quos vir sanctus humiliter obsecrat et obtestatur in Domino, ne publicent hoc secretum; sed silentio supprimant cautiori, quod non de merito fragilitatis humanæ, sed de indulgentia fuerat divinitatis exceptum. Mens etenim sancta, nunquam ab humilitatis tenore dissiliens, nihil aliud in operibus suis, nisi divini nominis claritatem, nisi cœlestis regni gloriam requirebat; humani favoris illecebras et hominum laudes, tanquam virus exsecrabatur horrendum. Loto igitur corpore, sic carnis scissuras, et hiantia vulnera solidavit, ut nullum superesset de pristina corruptione vestigium. Muneratum taliter remittens ad propria, sanum parentibus et incolumem resignavit.

33. [Cap. XXI.] Frustra quæritur latebra, cum fama loquatur in publicum, nec caret ornamento gloriæ, quem glorificare majestas æterna disposuit. Crescit in dies, lateque diffunditur amabilis Amandi nomen et gloria, et tanquam de promptuario luminis, gloriosus emicat de tanti admiratione miraculi

(147) Ita mss., ast edita *superponit*

(148) Hanc Menapiorum sedem vindicavimus § 3.

magnificentiæ clarioris sincera serenitas. De tantæ virtutis eminentia gratiam recipit ampliorem: rigore deposito Gentilium, colla pridem dura mollescunt, odiorum sepultis aculeis, persecutionis invidia defluit in amorem : et malitiæ vepres dulcorem referunt charitatis. Cervices spontaneas subjiciunt fidei sacramentis, et profligatis sedibus idolorum, sicut erroris terminum, sic exterminium deferunt feritati. Erigunt præclara Dominicæ passionis insignia, et in honorem Salvatoris ecclesias, et altaria sancta constituunt, ac fideli obedientia sancti Patris monita prosequuntur.

CAPUT IV.

Conversio variorum ad vitam monasticam. Exsilium et reditus S. Amandi. Baptismus S. Sigeberti.

34. **719** [Cap. XXII.] Erat ex multo tempore desiderans videre eum B. Gislenus (149), qui tanquam sidus eximium, cujus rutilans splendor ab oriente paret in occidentem, cœlesti ductus oraculo, a Græciæ finibus migrarat in Gallias (150). Hic cum viri Dei visione pariter et alloquio (151) fuisset instructus, et in opus sanctum continua fructificatione proficeret; occasione sumpta pro dedicatione monasterii sui, quod de novo construxerat, servum Dei diligentius studuit evocare, ut cum B. Autberto (152) Cameracensi episcopo, novi operis fabricam, in gratiæ cœlestis habitaculum consecraret. Hic dum sacris mysticis ambo pariter insudarent, et formæ visibilis exemplar fidelium mentibus satagerent convenienter imprimere, pio conventus auditu Madelgarius comes, qui et Vincentius (153), a sæculi vanitatibus ad divinæ convertitur obsequia pietatis. Hic, cum inter palatinos principes clarus et nobilis, regique gratissimus haberetur; mundo renuntians, vivificæ prædicationis instinctu, juxta beati Pontificis salutarem doctrinam, didicit a voluntatibus suis cor avertere, resistere carnis affectibus (154), proprium nil habere ; factusque est voluntariæ municeps paupertatis, et sanctitatis laudabile propositum gloriosæ consummationis exitu coronavit.

35. [Cap. XXIII.] Laudatur arbor a fructibus, et ex odore suo balsama comprobantur. Pretium mercibus species et usus ascribunt, venustas operis commendat artificem; servo Dei celebrem compingit ornatum, quam in Christo per Evangelium genuit susceptæ sobolis generosa fecunditas. Inclyta virgo Aldegundis (155), quam formæ dotibus et dignitate natalium, morum gratia fecerat et fidelis institutio digniorem, pudicitiæ procos et copulæ nuptialis illecebra fugiens, in incorruptionis æternæ thalamum pervenire cum titulo virginitatis ardentius affectabat. Hæc clandestinæ fugæ, silvestrisque latibuli beneficio de manibus elapsa quærentium, ubi ad Altimontis (156) monasterium præfatos comperit adventasse pontifices, desiderium mora corporis non tardante, festinanter ad eos tanquam ad urbem refugii convolavit. Ad sanctorum itaque procumbens vestigia, quid timeret, edocuit, aperuit quid optaret, quid expediret, petiit erudiri. Cujus animum fluctuantem B. Amandus diserto sermone reficiens, in arcem propositi celsioris evexit, et imposito sacri velaminis usu, sponso virgini sponsam virginem (157) consecravit. Quæ voti compos roborata felicius (158), Malbodium rediit, ubi primum latuerat. Ibi sancto annitente pontifice, et Dagoberti (159) regis munificentia suffragante, monasterium construxit Deo servientium feminarum.

36. [Cap. XXIV.] Simili B. Rictrudis (160) cum filia S. Eusebia exemplo, gloriosi pontificis monitis animata, munita consiliis, adjuta precibus, evecta suffragiis, Martianis (161) monasterio, quod sanctus Pater ante fundaverat (162), sub ejusdem discipulo Jonatho (163) abbate, vovit et exsolvit Domino salutaris continentiæ cælibatum.

37. Filius ejus Maurontus (164), sancto Patre divina celebrante mysteria, cum sacris astaret reverenter altaribus, vidit idem sanctus pontifex apis volatu caput gyrante circumdari. Concipit hic altius aliquid perspicax animus viri Dei, et quia ministra dulcoris est, et castitatis mater apicula, fideli conjectat auspicio, perpetuæ suavitatis in eo gratiam castimoniæ merito propagari. Dehinc adolescentem secretius evocans, quid viderit, indicat; quid visio portendat, edisserit ; et ad formam propositi sanctioris (165) invitat. Ille licet amicis suadentibus, et matris connivente consilio et hæreditatis orbatæ provocante defectu, propensius ad conjugii copulam traheretur; ruptis necessitatum vinculis, salutari-

(149) Colitur S. Gislenus 9 Octobris.

(150) Belgicam scilicet, ubi ad Hainam fluvium, a quo Hannoniæ comitatus appellatur, monasterium condidit, cui oppidum ab eo Gislenopolis dictum, accrevit.

(151) Hunc invisit, relicto episcopatu Trajectensi, anno 630.

(152) Fulbertus in Vita S. Autberti 13 Decemb. refert etiam hanc consecrationem a SS. Autberto et Amando factam. Contigit circa an. 653.

(153) Colitur 14 Jul. in cujus Vita et S. Autberti eadem referuntur.

(154) Alterum ms. *voluptatibus*.

(155) Triplicem S. Aldegundis Vitam dedimus 30 Januar.

(156) De Altimontensi monasterio egimus 16 Januar. ad Vitam S. Marcelli papæ, cujus reliquiæ illuc sunt translatæ.

(157) Hæc supra retulimus, facta circa an. 661.

(158) De oppido Hannoniæ Malbodio, a quo leuca distat monasterium Altimontense, egimus ad ejus Vitam.

(159) Imo S. *Sigeberti*, quem tum Austrasiæ regem fuisse, et quamplurima monasteria condidisse, diximus 1 Februarii.

(160) De iis egimus ad Vitam S. Adalbaldi mariti S. Rictrudis 2 Februarii.

(161) De Marchianensi, seu Martianensi, monasterio egimus ibidem et supra § 4. Eleganter id describit Buzelinus lib. 1 Gallo-Flandriæ cap. 41.

(162) Anno 645.

(163) S. Jonatus colitur 1 Aug.

(164) Hanc eadem historiam refert Huchaldus in Vita S. Rictrudis. Id. § 14 in senectute S. Amandi contigisse diximus.

(165) Alter codex, *arctioris*.

bus monitis animum pariter et caput inclinat ; et præstito solemniter continentiæ voto, juxta morem ecclesiasticum, beati pontificis ministerio tonsuratur, et divinis efficaciter totus mancipatur obsequiis.

38. [Cap. XXV.] Nihil relinquit intentatum sancta sedulitas, nec difficultatis objectus affectum veræ pietatis elidit, vel amori sancto **720** generat diffidentiam res timoris. Vir itaque, ne quid sibi apud Dominum meriti defluat aut favoris, non sibi parcere proponit, ut saluti consulat aliorum, et ut congreget pereuntes, offerre proprii sanguinis hostiam non recusat. Igitur ad Sclavos iter (166) dirigit, quibus necdum fuerat annuntiatum de Christo, ut in castra fidei colligat alienos, et ad gloriam Regis æterni sub signis doceat militare cœlestibus et tyrannicis Satanæ legibus reluctari. Sed non est omnium fides, nec obediunt omnes Evangelio, quia non capiunt tenebræ luminis sacramentum ; nec sementi congruit terra, quæ non humoris proprii fecundatur impendiis. Paucis tamen ad fidem conversis, verbi divini curam delegat, et ministeria sacra disponit, ne quid posset deesse salvandis. Ipse vero ad proprias oves revertitur, cum pertinaciter et promiscue cætera turba in errorum suorum jaceret involucris, nec sibi videretur idoneum, si margaritas Domini mitteret ante porcos, et sanctum canibus erogari. Excuso itaque in eos juxta Domini præceptum pulvere pedum, commeatu felici evocatur in Gallias, et prædicationis opus repetit intercisum.

39. [Cap. XXVI.] Interea Dagobertus ingentibus victoriis, et rebus supra fidem prosperis factus elatior, a via justitiæ cor deflectit in facinus, et flagitiis inquinat regiam dignitatem. Conjugii violat sacramentum, et rejecta uxore legitima (167), in assumptæ pellicis demigrat amplexus. Quod ubi ad sancti pontificis processit auditum, mœrore conficitur, innocentiæ statum, ruinam virtutis, regiæ majestatis injuriam, notam feralis exempli, mentis anxietate prosequitur. Et quia justus, ut leo confidit, et probata virtus corripit insipientes, ingreditur audacter ad regem, sicque hominem corripit, ut gradui deferat, et sic verbum reprehensionis exponit, ut nec offensæ locum perquirat aut gratiæ. Leonis feritas non verbere, sed blanditiis regitur ; regia dignitas non reprehensione corrigitur, sed prosilit in furorem. Ad monita viri Dei, regis animus contumescit in iram ; divinitatis honore calcato, pietatis eliminato respectu, jubet a regni sui finibus ministrum veritatis excedere ; confusionis suæ reputans invenire solatium, si viri Dei removeat crudelis vindicta præsentiam. Ille vocis divinæ non immemor : « Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam (*Matth.* x), » dat iræ locum, et ad interminationem regis egreditur, remotiora (168) petit loca, reclinatorium pacis exsilio quæritans et labori.

40. Nunquam tamen animus exsulat a divinis ; sed verbum præstat Dominus evangelizanti virtute multa, et in die nubis et caliginis servum solatur insontem. Nocenti pœnas ingerit, et fructu ventris privat adulteram, quia juxta verbum Sapientis : « Spuria vitulamina non dabunt radices altas, et semen ab iniquo toro exterminabitur (*Sap.* iv). » Rex igitur de successione diffidens, repudium mandat adulteræ, et totus in alios transit affectus : hoc specialiter affectans et sedulis expetens votis, ne careant sceptra regentibus, nec regia dignitas liberorum posteritate fraudetur. Tertius aptatur thalamus, et secundum regis voluntatem virgo nobilis inducitur et fecunda, quæ maritum sobole, regnatore subditos, regnum muneret successore. Inter hæc Dagobertus non immemor prævaricationis admissæ, ad Dominum convertitur ab ærumna delicti, dum cordi ejus infigitur terribilis spina judicii. Eleemosynis peccata redimit, obsecrationibus cœlum, donariis, altaria confrequentat. Respicit Dominus humilitatem servi sui, et datur ei divino munere filius, parentum gloriatio, reparatio generis, spei bonæ titulus, gaudium subditorum. Deliberat ergo lætus et anxius pater, cui potissimum committere parvulum debeat, ad suscipienda regenerationis sanctæ salutaria sacramenta, quem tanti muneris velit esse custodem, quem tutorem spei suæ, quem regiæ successionis ministrum præparet et altorem.

41. [Cap. XXVII.] Subit animum multa cogitantis Sancti memoria, solusque apud eum non dubiæ æstimationis judicio dignus quam maxime reperitur, cui jure debeat tantæ reverentiæ tam dulcis fasciculus assignari. Protinus ex ore regis emissis circumquaque cursoribus, quæritur servus Dei, multoque repertus labore, cum gaudio et exsultatione reducitur. Regredienti Dagobertus hilaris et jucundus occurrit, et injuriæ memor et regiæ dignitatis oblitus, ingredientis vestigia pronus amplectitur, delicti veniam postulat et errorem suum confessione humili detestatur. Pretiosus Domini confessor, sicut mitis semper erat et humilis corde, plusque veniam paratus exerere (169), quam vindictam, prævenit humilitatis obsequio sic prostratum, jacentem **721** sublevat et gratiam compensat injuriæ. Factus ille de viri Dei benignitate securior, quid postulet, aperit, et, ut indultum sibi cœlitus parvulum cœlestibus innovet sacramentis, multa supplicatione deposcit. Vir Domini, qui nihil in mundo nisi Domini voluntatem, nil nisi cœleste requirebat imperium, ne terreni regis familiaritatem tali videretur usurpare voluisse commercio, primo quidem renuit ; sed agente supplici regis instantia, et idipsum supersuadentibus gloriosis viris, Audoeno

(166) Circa annum 633, ut dictum § 10.
(167) Gomadrude, quod sterilis esset.
(168) Regnum Chariberti fratris Dagoberti adiit exsul anno 634.
(169) In altero ms. *exercere*.

et Eligio (quos adhuc regia familiaritas inter palatinos principes, dilectionis et fidei speciali celebrabat exemplo) reverenter annuit postulatis, et pium regiæ voluntati spopondit obsequium.

42. [Cap. XXVIII.] Convenientibus (170) itaque Aurelianis in unum magnatis et primoribus regni, juxta regis edictum, deportatur ad baptisterium parvulus sancti pontificis ministerio sacris mysteriis innovandus. Cumque præsignatione solemni, juxta morem ecclesiasticum, catechumenum eum faceret, quantæ apud Deum virtutis esset et gratiæ, divina pietas in conspectu hominum mirabili declarat judicio. Puer namque quadraginta ferme ab ortu habens dies, cum, oratione finita, non esset in multitudine tam frequenti, qui locum suppleret idiotæ, clara voce respondit, Amen, et omnium qui audierunt in se oculos et corda convertit. Mirantur et stupent tam insolitum, tamque solemne miraculum, beatum prædicant regem de tam felici susceptæ prolis auspicio, puero futuræ probitatis vaticinantur insignia, commendant in rei novitate bonitatem Dei, meritum viri sancti, gratiam sacramenti. Renovatur itaque parvulus salutaribus sacramentis, et in novam transfertur divino munere creaturam. Fit omnibus communis exsultatio, referuntur ab omnibus gratiæ tanti muneris Largitori, et cum lætitiæ manipulis singuli revertuntur ad propria. Sic servi Dei favor et gratia gloriosus augmentatur, et quo diffusius circumfertur, dulcius enitescit.

CAPUT V.

Episcopatus S. Amandi Trajectensis. Epistola S. Martini papæ.

43. [Cap. XXIX.] Sane post decessum beati Joannis (171) Trajectensis episcopi, fervente circa virum Dei Dagoberti (172) regis affectu, electione cleri, petitione populi, honoratorum assensu, comprovincialium voto, servus Domini reverenter et instanter expetitur, renitens et invitus trahitur ad cathedram, et pastorali cura dignus, omnium voce et desiderio conclamatur. Ille se honore indignum constanter edicit, oneri se fatetur imparem, non satis utilem curæ, minus idoneum dignitati. Sed pietatis subnixa zelo multorum studia convalescunt, et in cathedra pontificali, generali omnium assensu favorabiliter collocatur. Indignum siquidem judicatur ab omnibus, si tam clara sedes, tanti Patris solatio non ornetur, si tantus Pater tanto tempore, sine titulo debeat militare, si tam fideli dulcique consilio domus regia defraudetur. Tam sinceræ devotionis instantiæ vir beatus, querulus, tristis et anxius acquiescit, et quo indigniorem se clamitat, dignior ab omnibus æstimatur, dignoque universitatis præconio, sanctæ humilitatis exhibitio commendatur. Peractis igitur, quæ in ordinatione pontificis solent et debent solemniter exhiberi, vir sanctus omni sagacitate et studio satagit honorare ministerium suum, prava corrigens, debilia sustentans, consolidans fracta, sana conservans, dispersa recolligens. Non exerit typum dominantis in clero; sed forma factus gregis, omnibus se præbet humilitatis exemplum, justitiæ viam, innocentiæ speculum, castimoniæ decus, titulum sanctitatis. Æquabilem se præstat humilibus, in elatos rectitudinis erigitur zelo; corrigit in mansuetudine delinquentes; rebelles piæ severitatis animadversione concludit. Colit diligentia subditos; pares obsequiis, reverentia summos, recreator pauperum, mœrentium consolator, plebis deliciæ, gloriæ magnatorum, salutis in omnes et gratiæ propagator.

44. [Cap. XXX.] Sed quemadmodum scriptum est : « Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem (*Job* IV); » reperta est in ministris altaris et ærumnosa calamitas, et inventa est eorum misera conversatio ad pondus sanctuarii minus habens. Sacerdotes namque et levitæ, qui cœlestibus cæremoniis arctius deberent et sincerius obligari, respectu divini timoris abjecto, comessationibus et ebrietatibus, cubilibus et impudicitiis deserviebant, curam carnis agentes in desideriis, **722** desideria patris sui diaboli, voluptatis obscenitatibus adimplentes. Angariatur animo vir beatus, et in fortitudinis zelum justa severitate se subrigens, constanter resistit errantibus, arguit, increpat, obsecrat opportune et importune, prædicat innocentiæ viam, et correctionis sarculo de vinea Domini densitatem veprium conatur avellere. Non facile medicamini desperata cedit infirmitas, nec libenter verbum veritatis recipit indurata malitia. Flammis edacibus salamandra convivit, et, quæ in exitium dantur homini, vitam præstant venena serpenti. Sic in fœcibus suis malesana requiescit impietas, et prævaricationum frutices radicis malæ germinat infausta fecunditas. Deprehensus in sphæram se convolvit ericius, et attrectantis manum spinarum cruentat aculeis. Sic malignantium rebellis et fraudulenta congeries, non solum monitis salutaribus non obaudit; sed machinationibus noxiis appetit innocentem; et pro subventionis sanctæ beneficio, persecutiones excitat et offensas.

45. [Cap. XXXI.] Rex interea Dagobertus diem (173) claudit extremum, regnantibus pro eo filiis suis Clodoveo in Francia (174), et in Austria Sigeberto, quem B. Amandus de sacro fonte susceperat. Considerans idem vir Domini, suam nihil industriam proficere, nil conferre sollicitudinem, benevolentiam nil mereri, nisi contradictionum stimulos, et cuniculos odiorum, latere disposuit, et exire de medio nationis pravæ et perversæ, ne vel illis de rebellione delicti pondus accresceret, vel eorum culpis exigentibus, labor suus infructuosior appareret.

(170) Anno 635.
(171) Anno 646, 25 Julii.
(172) Imo S. Sigeberto, triennio post mortem Dagoberti.
(173) Anno 644, 19 Januar.
(174) In Neustria seu Francia Occidentali, ut antiquiores loquebantur.

Sed quia sapientis est examinare consilia, et non cito ad nova facili volubilitate prolabi, sicut per Salomonem dicitur : « Omnia fac cum consilio, et post factum non pœnitebis (*Eccli.* XXXII), » directa ad Urbem legatione, laboris suscepti molestias, et desiderium cordis sui B. Martino (175), tunc Romano pontifici, signatis direxit apicibus, ejus volens uti consilio, cujus suberat potestati. Quos plenis veneratione oculis vir Apostolicus, pio perlegens intellectu, plenam consolationis et reverentiæ rescripsit epistolam, cohortans eum ad perseverantiæ virtutem, qua fidelium omnium merita coronantur. Jam enim famæ discurrente præconio, vitæ sanctitas, prædicationis instantia, gratia virtutum beato papæ innotuerant, et quem Deus perfuderat gratia, sincerius ab eo et ardentius amabatur. Destinavit præter hoc ei sanctorum pignora, quæ postulaverat, et synodalium decretorum volumen egregium, quod quinque (176) partitum tomis ipse descripserat (177), et mandata regi Sigeberto perferenda transmisit. Unde datur intelligi B. Amandum magni meriti, et nominis exstitisse, quem tantus confessor, fidei columna, et universalis Ecclesiæ Pater, tantæ dignationis muneravit insignibus, cujus absentem præsentiam familiari recolligebat intuitu, quem dignius ea sui parte recolebat et dulcius, quia fidelius atque jucundius amicitiæ ratio possidetur. Ut vero prædictæ locutionis nostræ assertio, deterso dubietatis nubilo, confirmetur, præfatam epistolam ejusdem papæ ad B. Amandum directam, huic nostro sermoni subjungere placuit, cujus iste modus est :

46. [CAP. XXXII.] Dilectissimo fratri Amando, Martinus (178).

Fraternitatis tuæ, studio pietatis congestam epistolam (179) suscipiente animus noster relevari cognoscitur : quippe quoniam hujus sæculi fluctivagas, atque transitorias despiciens oblectationes, illa quæ perpetua et sublimia dona pro Domini Dei nostri obsequiis tribuuntur, appetere certum est. Ex relatione igitur, juxta tenorem tuæ fraternitatis epistolæ, latoris præsentium, laborum tuorum certamen cognovimus, ex quibus cœlestis patriæ ascensum humilitatis mentibus, atque contritis corporibus, vobis futurorum gaudiorum largienda sunt munera. Nam, cum sit nulli omnino comparationi coæquandum, quod a Creatore nostro pro bonis servitiis compensatur, dum brevi atque parvo temporis spatio finiuntur labores, quos pro dilectione ipsius sustinemus; consideratione refrigerii non oportet libenti animo tolerare præsentis vitæ angustias. Sed, quantum nobis laborum vestrorum operatio magnam A gaudii ubertatem inducit, tantum pro duritia sacerdotum gentis illius conterimur, quod postpositis salutis suæ suffragiis, atque Redemptoris nostri contemnentes servitia, vitiorum fœderibus ingravantur. Quibus ad præparandam salutem, quandoquidem tanto nos necesse est importunis prædicationibus imminere, quantum perfectæ negotiationis, creditorum nobis talentorum duplicat assignatio, atque **723** Dominicæ vocis ad suscipiendam ejus requiem persuadet assertio. Suggestum est namque nobis eo quod presbyteri, seu diaconi, aliique sacerdotalis officii post suas ordinationes, in lapsum inquinantur, et propterea nimio mœrore fraternitatem tuam astringi, velleque pastorale obsequium pro eorum inobedientia deponere, et vacationem ab episcopatus B laboribus eligere, et silentio atque otio vitam degere, quam in his, quæ tibi commissa sunt, permanere ; dicente Domino : « Beatus qui perseveraverit usque in finem (*Matth.* x). » Unde namque beata perseverantia, nisi de virtute patientiæ? Quia secundum apostolicam prædicationem « omnes qui voluerint in Christo pie vivere, persecutiones patiuntur (*II Tim.* III). » Ideoque, frater charissime, non vos afflictionum amaritudo a pio mentis vestræ proposito coarctet recedere, considerans quanta pro absolutione nostri, et liberatione, Creator Dominusque noster pertulerit, quibusque contumeliis afficiendum tradiderit, ut nos a vinculis potestatis diabolicæ liberaret.

47. Propterea nullatenus in hujusmodi peccato C delinquentibus, ad destructionem (180) canonum, compassionem exhibeas. Nam qui semel post suam ordinationem in lapsum ceciderit ; deinceps jam depositus erit, nullumque gradum sacerdotii poterit adipisci ; sed sufficiat ei lamentationibus, fletibusque assiduis quoad vixerit, in eadem pœnitentia perdurare, ut commissum delictum divina gratia exstinguere valeat. Si (181) enim tales quærimus ad sacros ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullumque vitæ contagium præpediat : quanto magis, si post ordinationem suam quispiam in lapsum ceciderit, et prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnimodo prohibendus est, cum manibus lutulentis atque pollutis, mysterium nostræ salutis D tractare? Sicque hujusmodi semper juxta sacrorum canonum statuta in hac vita depositus, ut ab illo, qui mentis interiora scrutatur, nullumque de ovibus errare congaudet, dum aspexerit sinceram pœnitentiam ejus, in terribili judicio habeat reconciliatum. Ideoque iterum hortamur charitatem tuam, exemplo ejus qui pro nobis pati et mori voluit, prom-

(175) S. Martinus creatus anno 647, in exsilium deportatus anno 653, colitur 12 Novemb.

(176) Acta Synodi Romæ sub S. Martino papa habitæ anno Constantis VIII, 3 Nonas Octob. Ind. VIII tum cœpta, Christi 649 distinctæ habentur quinque secretariis, actionibus, vel sessionibus.

(177) In Actis S. Martini dicitur, « faciens exemplaria ; » quæ « describi curaverat : » infra enim ait : « Prævidimus vobis diligere volumina. »

(178) Exstat ea Epistola in fine dictæ Synodi, et tomo I Conciliorum Galliæ a Sirmondo editorum. Eamdem contulimus cum mss. Elnonensi, Blandiniensi, et quatuor aliis.

(179) Alii *suscipiens*, et *suscipientes*.

(180) Hæc pontificis verba retulit Gratianus in Decretum dist. 50, cap. 2, *Qui semel post*.

(181) Hæc quoque recitat Gratianus dist. 50, cap. 12.

ptos vos in cunctis ejus servitiis permanere. Neque nos pigeat temporales cruciatus pro Christi nomine sustinere; sed emolumenta futuræ remunerationis hujus sæculi vexationes tolerare persuadeant. Scriptum namque est: « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo (*Psal.* cxv). » Tantum enim a nobis exigitur, quantum possumus famulatus nostri obsequia commodare. Cumque cuncta quæ nobis, ad confortandos fraternitatis vestræ animos, poterant ministrare, largiente supernæ majestatis clementia, vobis sint procul dubio manifesta, restat ut de aliis quæ nos per sua scripta consuluit, fraternitati vestræ significemus.

48. Credimus etenim ad vos pervenisse, quomodo in conturbatione rectæ fidei, et catholicæ Ecclesiæ conculcatione, ante hos plus minus (182) quindecim annos, a Sergio (183) falso episcopo Constantinopolitano, in auxilio habente (184) tunc imperantem Heraclium, exsecranda et abominanda hæresis pullulavit Apollinaristarum (185), et Severianorum (186), Eutychianistarum (187), atque Manichæorum (188) errorem renovantem. Quam successor ejus Pyrrhus (189), idemque episcopus, qui ambitionis fastu Constantinopolitanam sedem arripuit, in deterius auxit. Pro qua re sæpius apostolica sedes (190) persuasionibus, contestationibus atque increpationibus plurimis, admonuit eos; quatenus ab hujusmodi errore recederent, et ad lumen pietatis, ex quo lapsi sunt, remearent. Et non solum hoc facere nullatenus voluerunt, sed et nunc successor ejus Paulus (191), temerator fidei, episcopus Constantinopolitanus aliud nequius excogitavit in præjudicio catholicæ fidei conamen, quasi quæ a decessoribus suis hæretice exposita fuerant destruens, et imperialem typum (192), sacrilego ausu, totius plenum perfidiæ, a clementissimo principe nostro (193) fieri persuasit, in quo promulgatum est ut omnes populi Christiani credere debuissent. Ideoque necesse habuimus, ne pro quadam negligentia et animarum detrimento, quæ nobis commissæ sunt, culpa reatitudinis astringamur: cœtum generalem fratrum, et coepiscoporum nostrorum, in hac Romana civitate congregare. Quorum præsentia memoratorum hæreticorum scelerosa conscripta examinata, atque denudata sunt, et apostolico mucrone, Patrumque diffinitionibus, uno ore, unoque spiritu condemnavimus; ut cognoscentes universi errorem, qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur. Unde prævidimus volumina gestorum synodalium in præsenti vobis (194) dirigere, una cum Encyclica nostra, ex quorum serie omnia subtiliter potestis addiscere, et tenebras illorum nobiscum, ut filii lucis, exstinguere.

49. Idcirco studeat fraternitas tua omnibus eadem innotescere, ut tam abominandam hæresim nobiscum exsecrentur, quamque suæ salutis sacramenta indiscere valeant, atque sydonali conventione, omnium fratrum et coepiscoporum nostrorum partium illarum effecta, secundum tenorem Encyclicæ a nobis directæ, scripta, una cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda concelebrent: confirmantes atque consentientes eis, quæ pro orthodoxa fide et destructione hæreticorum vesaniæ nuper exortæ a nobis statuta **724** sunt. Et Sigebertum præcellentissimum filium nostrum regem Francorum, pro suæ Christianitatis remedio, consultissime admone atque precare, dirigere nobis ex corpore fratrum nostrorum, dilectissimos episcopos, qui sedis apostolicæ legatione, divina concedente propitiatione fungi debeant, et quæ in nostro concilio peracta sunt, cum his synodalibus apicibus(195) nostris, ad clementissimum principem nostrum sine dubio asportari (196) faciemus, ut nostrorum laborum particeps effectus, mercedis cumulum adipisci valeat, et sui regni protectorem invenire eum, cujus causa flagitari dignoscitur. Hoc namque et in ejus epistola exhortari eum cognoscimus.

(182) Ergo circa annum Chr. 634, Heraclii imp. 24, quo patriarcha creatus fuit Hierosolymitanus Sophronius orthodoxus, sub quo hæresis Monothelitarum, quæ anno Heraclii 20 Christi 630 cœperat, fuit damnata.

(183) Creatus est Sergius, anno Phocæ imperatoris 7 et anno uno ante imperium Heraclii, ergo Chr. 609, mortuus vero indict. VIII apud Nicephorum in Breviario, anno 636.

(184) Dein mortuum anno imperii 31 Christi 641, octo annis antequam hæc epistola scriberetur.

(185) Ita in dicta synod. Secretario S. Martinus papa tradit « Sergium unam, secundum impium Apollinarem, in Christo voluntatem et operationem instituere. » Cœpit ea hæresis sub imperatoribus Valente et Valentiniano, damnata a S. Damaso papa Romæ in Synodo anno 373 agit de ea Sozomenus lib. VI, cap. 25.

(186) Severus sub Zenone imperator vixit. S. Martinus papa loco citato ait: « Cyrum Alexandrinum ad similitudinem Acephalorum hæreticorum unam operationem in Christo prædicasse. »

(187) Eutyches naturarum in Christo omne discrimen sustulit, damnatur in Chalcedonensi synodo œcumenica.

(188) Manichæi plurimas de Christo fabulas commenti erant quas refert Timotheus presbyter apud Combefis in Historia Monothelitarum pag. 451.

(189) Successor Sergii ejectus est sub Constante anno 642.

(190) Potissimum S. Martini decessores Joannes IV et Theodorus.

(191) Sedit Paulus ab anno 1 Constantii imperatoris ad annum 11 ab anno Christi 641 ad 652.

(192) « Typum » auctor Vitæ S. Martini appellat « morbum inventæ hæreseos, quo catholicum dogma destruitur, et omnes omnino voces sanctorum Patrum enervantur; et nec unam nec duas voluntates aut operationes in Christo Domino licet confiteri. »

(193) Indictione 6 anno Christi 648.

(194) « S. Martinus, » ut in ejus Actis legitur, « exemplaria per omnes ecclesias Orientis et Occidentis direxit, et per manus orthodoxorum fidelium direxit. »

(195) Sirmondus in Conciliis Galliæ, *vestris*.

(196) Ita mss.; at Sirmondus omittit *faciemus*.

50. Reliquias vero sanctorum, de quibus præsentium lator nos admonuit, dari præcepimus. Nam codices jam exinaniti sunt a nostra bibliotheca, et unde dare ei nullatenus habuimus; transcribere autem non potuit, quoniam festinanter de hac civitate regredi properavit. His igitur ita prælibatis, quæ a nobis per epistolam vobis scripta sunt, effectui mancipari fraternitatem vestram hortamur. Deus te incolumem custodiat, dilectissime frater.

CAPUT VI.

Variorum institutio. Miracula a S. Amando patrata. Monasteria exstructa.

51. Susceptis tanti Patris admonitionibus, perstitit in ministerio suscepti regiminis vir beatus, de subditorum transgressione graves sustinens doloris aculeos, et ad salutis remedia sagaci revocans instantia detrectantes. Sed sicut per Prophetam dicitur: « Curavimus Babylonem et non est sanata (*Rom.* x), » sanctæ medicationis antidotum refugit indurata perversitas, ut merito posset dicere vir beatus: « Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi ((*Jer.* li), » qui ambulant vias non bonas, sed post peccata sua. [Cap. XXXIII.] Triennio (197) igitur ab introitus sui tempore, taliter evoluto, cum suam prorsus circa eos videret operam profligari: recessit ab eis, privatus eligens habitare in domo Dei, quam inter transgressores titulo dignitatis excellere. Tutior est enim innocentia paupertatis et privati secessus abjectio; quam peccatricis opulentiæ luxus, et tumentis extollentia potestatis. Ibat igitur amarus animo, in indignatione spiritus sui, malitiam miserans improborum, perditioni timens et exhibens tristi periculo sanctæ compassionis affectum. Verumtamen manus Domini erat cum illo, confortans eum, quæ pro sterilitate derelicta, fructus pretiosi rependeret ubertatem.

52. [Cap. XXXIV.] Erat in eadem regione matrona nobilis, Itta 198) nomine, natalium gloriam conversationis et morem titulis antecedens. Hæc gloriosi ducis Pipini (199) recens defuncti viduata consortio, felicis copulæ tristo divortium, mente lugubri sustinebat. Fit plerumque molestia temporalis propositi sanctioris læta progressio, et aliquando in usum virtutis transformatur dura necessitas. Ad arcæ sinum revolat columba, cum diluvio regnante non invenit, ubi pedes porrigat in quietem. Cogitabat et hæc sancta mulier inter angores suos, maritali destituta solatio, quomodo Christo soli placere posset, et votivum castimoniæ decus thesauri cœlestis inferre sacrario, quia secunda post naufragium tabula est in virginitatis amissæ solatium vidualis continentiæ merito reparari. Divertit ad eam consolationis gratia vir beatus, initæ dudum familiaritatis sanctæ suadente commercio. Exhibetur ingredienti comis hilaritas, depromuntur obsequia congrua sanctitati, conseritur modesti sermonis invicem grata communio. Vir Domini ubi ad intimæ voluntatis est admissus arcanum, et deprehendere potuit ad quid sanctæ viduæ pia suspiraret intentio, congratulatione fovet, erigit admonitionibus, confirmat exemplis desiderii sancti fidele propositum. Illa sancti pontificis hortatu facta robustior, voto se castitatis astringit et bene vivendi arctioribus obligat institutis. Et quia non potest esse amor otiosus, sed quantus sit opere protestatur, beata Itta facultates et prædia cœlesti sponso consecrat quem elegit, et domum suam cœlesti purificatam sacramento, rogat in Ecclesiam consecrari. Ibique inter sacra missarum solemnia, de manu sancti pontificis, humilitatis et castimoniæ signum, sacrum velamen accepit. Aggregato deinceps ibidem cœtu Deo servientium mulierum locum (200) ipsum possessionibus ampliavit, et multiplici diversi generis decoravit ornatu, studens omnibus fieri obedientiæ et humilitatis exemplum.

53. **725** [Cap. XXXV.] Erat ei unica filia, Gertrudis nomine, quæ generis et formæ dotibus clara, competitores sibi plurimos excitabat, quam pia mater de corruptionis voragine cœnulenta cupiens liberare, crinibus attonsis, et habitu demutato, sacris applicavit altaribus, et obtulit sancto pontifici consecrandam. Affectabat enim quam maxime, ut, quod emarcuerat in radice, germinis integritas exhiberet; et, quod in se non poterat, virginitatis in filia titulum possidere. Sacris igitur initiata mysteriis, et mystico redimita velamine, cœpit inter cæteras virgines excellere plurimum conversatione, gratia, fide, moribus, disciplina. Nec multo post, divina operante clementia, Niviallensi monasterio præficitur, et electionis canonicæ trahente concordia, virginum Mater, dispositione sancti pontificis ordinatur. Ubi postmodum plena bonis operibus, et merito virtutum celeberrima, beato (201) fine quievit in Christo.

54. [Cap. XXXVI.] Inde digressus vir Domini, ad monasterium B. Gisleni, de quo actum est, læta profectione dirigitur, susceptusque gratanter a fratribus, salutis annonam poscentibus, hilari dispositione communicat. Hiatus sæpe graves patitur angusta paupertas, et quæ sibi non sufficit, altari sufficientiam præstare non potest. Non habentibus illis, quod dignum mensa tanti hospitis judicarent, sanctus pontifex impransus egreditur, non sine multiplici fratrum querimonia, cum penuriam sustineret dives affectus; nec inveniret manus, quod animus gestiebat. Deducitur ergo ad navem Hainæ (202) fluvium transiturus, sicut necessitas postulabat itineris. Jamque sibi invicem, valedicentibus viris

(197) Auctor intra triennium episcopatus Trajectensis concludit regnum Dagoberti, et pontificatum S. Martini; quæ supra refutata sunt.

(198) De B. Itta, sive Iduberga, agemus 8 Maii.

(199) Anno 646, 21 Febr.

(200) Monasterium Nivellense.

(201) Anno 664, 17 Mart.

(202) Juxta Hainam jacet monasterium S. Gisleni, ab eo Hannonia Hainau, et Henegau dicta.

sanctis. Amando atque Gisleno (203), subito piscis magnus, quem lucium vocant, de flumine ultro prosilivit in terram, qui sui magnitudine multos posset reficere convivantes. Ad spectaculum novæ rei omnes cum exsultatione conveniunt, et auctorem muneris Deum gratiarum actione, et laudum præconio prosequuntur. Relevatur hoc beneficio pristinæ confusionis angustia, pia compassio sancti pontificis hilaratur, tollitur de medio jejunii dura necessitas, convivium præparatur, et ad monasterium vir Domini cum lætitia revocatur. Facta est ibi inter sanctos Patres humilis et pia contentio, dum Gisleni meritis munus hoc sanctus pontifex imputaret, et ascriberet idem sancto pontifici B. Gisleni simplex et devota sententia. Fit altercatio sine rancore, dissensio sine molestia, sine transgressione certatio, et variatur utrinque judicium sine præjudicio veritatis, quia ab animorum pace semper est aliena dissensio, nec ab idem sapientibus voluntatis unitas violatur. Postquam igitur divini muneris est peracta relectio, cum gaudio revertuntur ad fluvium, et se invicem salutantes in osculo sancto, famulante navigio, per decursum fluminis ab aspectu mutuo separantur. Subvectus (204) igitur in insulam, quæ vulgo Canelaus (205) nuncupatur, Scaldo proxima, nec multum differens a Gandavo, laboris sui reclinatorium breve, cum timentibus Deum viris ibidem habitantibus habere disposuit.

55. [Cap. XXXVII.] Post aliquanti temporis moram, postquam nomen ejus processit in publicum, veritatis viam cœpit annuntiare finitimis, et doctrinæ salutaris beneficio, ab errore viarum suarum satagebat avertere delinquentes. Sed perit officiositas medici, cum sanari detrectat ægrotus, et mente captis ad correctionem verba sapientiæ non proceduut. Appetitum negant incolæ vitalibus alimentis, et velut tristem vomicam passi, potum salutis stomacho languente rejiciunt. Contemnitur Dei servus ab impiis, imo in servo suo Christus abjicitur, qui in illo venerat quærere et salvare quod perierat. Mandat eis libellum repudii Dominus pro repulsa, et in limo profundi deserit contempta clementia desertores, et quia sicut humilitas veniam, sic pœnam contumacia promeretur, tanquam in reos majestatis, cœlestis vindicta progreditur, continuoque fere biennio depopulatrix in eos pestilentiæ plaga desæviit donec absumerentur omnes, qui superbe viri Dei felicibus restiterant documentis.

56. **726** [Cap. XXXVIII.] Nec multo post, cum fratres suos, quos ob animarum salutem per diversa reliquerat loca, vir Domini circumspectione sedula visitaret, Vasconum fines ingressus est, quos idolorum cultibus, et auguriis audierat et variis erroribus occupari. Cum igitur in conventu publico, verbum veritatis, et salutis ordinem perfidæ multitudini prædicaret, extollens vocem suam quidam de turba, A levis ac lubricus, de perversi cordis abundantia, cœpit turpes effutire blasphemias, et in servum Dei fideique doctrinam, non sine cachinno, plena convitiis verba nimis absona jaculari. Qui statim correptus a dæmone, se ipsum propriis morsibus cœpit incessere, et lanio factus corporis sui, oris hiatum, quem in sanctum pontificem irreverenter extulerat, in sui perniciem cœpit horribilius aperire. Confitebatur nihilominus inter ipsa sui tormenta, se ob injuriam servi Dei talia sustinere, sicque ad extrema deductus, procacem spiritum pœnis urgentibus exhalavit.

57. [Cap. XXXIX.] Inde cum in unam civitatum causa prædicationis intrasset, ab episcopo loci illius hospitio reverenter exceptus est. Cujus manibus cum B devotæ hospitalitatis obsequio aquam prædictus ministrasset episcopus, jussit quod susceptum fuerat, in sacrario reservari. Sedebat ad portam ecclesiæ vir multo tempore cæcus et mendicans, ad quem pontifex fidelis accedens, ait: « Fili, si credere potes, confide in Domino, et ablue oculos tuos aqua, unde vir Dei Amandus abluit manus suas, et visum recipies, liber ab incommodo cæcitatis. » Ille verbo pontificis animatus in fide, spem concipit ampliorem, et oppressos nube caliginis oculos ablutionis unda perfundens de tenebris revocatur in lucem, et solis ministerio fungitur, quod primitus ignorabat. Sic humiles spiritu salvat Dominus, et in virga furoris malitiam comprimit improborum. Justoque Dei judicio, nec a vindicta maledicum liberat con- C fessio veritatis, et fidelis a vinculo cæcitatis absolvitur. Sic servi sui Dominus clarificat vitam, clarificat opus, meritumque commendat, et se in Amando vivere, certis demonstrat indiciis.

58. [Cap. XL.] Relictis interim vir Domini Vasconum finibus, remeavit in Franciam, veniensque ad Hildericum regem Francorum, locum postulavit, ubi convenienter posset ædificare cœnobium. Qui secundum regiam magnificentiam, prædium contulit ei nomine Nanto (206). Ibi vir sanctus alacritate prompta, studio pertinaci, diligenti opera, novæ plantationis cœpit ponere fundamentum, et congregatis in ea filiis gratiæ apta ædificia præparare. Mummulus autem quidam Osindensis (207) episcopus, moleste D ferens liberalitatem regis, et sancti viri propositum, veneno pestiferi livoris infectus, filios Belial delegavit segregatos in opus malum, qui demolirentur opera sanctitatis, et a prædicto loco servum Dei crudeliter exturbarent. Venientes igitur ad eum loquuntur verbis pacificis in dolo, et locum in quo aptius ædificaret, se demonstraturos in proximo repromittunt. Sequitur ministros nequitiæ sancta simplicitas, et licet revelante spiritu, molitionis impiæ machinam non ignoret, corde tamen et animo ad martyrium devotus aspirat, et affectat effu-

(203) Idem refertur in Vita S. Gisleni 9 Octob.
(204) Philippus in Vita S. Gisleni ait inde Elnonem profectum, quod supra § 12 probavimus.
(205) Calleo intelligitur.
(206) Apud Ruthenos in Aquitania I.
(207) Imo Uceticensis.

sione sanguinis diu protensi laboris exitum coronare. Noluit tamen hoc indicare discipulis, ne vel impedimentum facerent ad extrema tendenti, vel de instanti periculo gravius turbarentur.

59. Cum igitur ad montis supercilium pervenissent, ubi disposuerant carnifices trucidare servum Dei, in judicium conversa justitia de cœlo prospexit, flagellans impios et justum protegens piæ defensionis auxilio. Exoritur repentina tempestas, cœli facies densatur in tenebras, aer caliginis horrore perfunditur, et solis splendorem turbo procellosus involvit. Absconditur rerum facies et uniformi confusione convolvitur, apparitoribus eripitur lumen, et subita cæcitate percussi, mortis proximæ discrimen horrescunt, crudelitas vertitur in timorem, transit in supplicationem ferocia, in abjectionem cervicositas inclinatur, et quem trucidare venerant, humili poscunt instantia, ut abire liberi permittantur. Movetur ad indulgentiam pietas viri Dei, et multo lacrymarum fluore perfusus, orationi fidenter incumbit, et absolutionem culpæ postulat miserorum. Aperitur pulsanti janua misericordiæ, redit erepta serenitas, sublatis turbinibus status aeris reparatur, et resolutis ad lucem luminibus, in usum diurni splendoris, cæcitate semota miseri reformantur. **727** Igitur pœnitentia ducti de liberatione sua gratias agunt, servum Dei digna admiratione venerantur, et in pace revertens, ad propria, magnalia Dei quæ viderant, plenius eloquuntur. Sic Dominus a seductoribus tutavit illum, et velut aqua decurrens, ad nihilum coram eo deducta malitia, nec flagellum dignæ severitatis evasit, nec a misericordiæ beneficiis exstitit aliena.

60. [Cap. XLI.] Anno itaque circiter (208) quinto, jam prædicti regis Hilderici, dum Lauduni (209) moraretur, venit ad eum beatissimus Pater Amandus, et agente Deo, gratiam invenit in oculis ejus. Ad dilatandum itaque divini cultus obsequium, et propagandum regularis ordinem disciplinæ, nobile prædium Barisiacum nomine, cum omnibus ejus pertinentiis, regia liberalitate, et debita libertate beato viro contradidit, quod benigne cum gratiarum actione suscipiens, pro loci et temporis opportunitate, monasterium inibi dispositione congrua collocavit, congregatisque in eo Deum timentibus viris, et Christi professis militiam, venerabilem et Deo dignum Andream (210) discipulum suum provida dispensatione præfecit, successorem sibi in Elnonensi monasterio mox futurum.

61. [Cap. XLII.] Cumque, ut moris habebat, evangelizandi gratia loca finitima circuiret, Ressumthum venit, quod in pago Belvacensi, super Aronam fluvium situm esse dignoscitur. Erat ibi mulier infidelis, quæ perfidiæ pœnas, cæcitatis sustinebat incommodum: et propter opera tenebrarum, tenebris addicta, plenam mortis imagine vitam ducebat inutilem. Ingressus ad eam vir Domini, causas infortunii sciscitatur, quod sibi juste accidisse pro dæmonum cultu, et auguriorum observatione mulier anxia confitetur. Dehinc signo quo prævalet, ostendit arborem, sub qua profanis ritibus imbuta, dæmoni consueverat immolare. Cui vir sanctus: « Si vis, inquit, pristinam recipere sospitatem, prima in contemptum superstitionis, ad excidendam arborem mitte securim, et a cæcitatis horrore sanaberis. » Credula mulier viro Dei, puellæ suæ deducta ministerio, prompta ferrum librat in arborem; et quod propria virtute non expedit, astantium manibus monet et gratulatur impleri. Stans igitur super eam vir Domini, invocato Dei nomine, crucis signo, luminis tetigit officinas, et ad lucis officium divina gratia reformavit. Dehinc qualiter amodo vivere deberet instructam, docuit in timore Dei, omni custodia servare cor suum, et actus vitæ suæ diligentius custodire, ut sicut exterius lumen in capite, sic interior splendor veritatis radiaret in mente. Mulier igitur ad monita sancti pontificis edocta fideliter, et in omnibus facta correctior, in sanctitate et justitia vivebat coram Deo omnibus diebus vitæ suæ.

CAPUT VII.

Tertium iter Romanum S. Amandi. Laus Elnonensis monasterii.

62. [Cap. XLIII.] Circa idem tempus (211), disponebat vir sanctus, Romam jam tertio proficisci, ut labore peregrinationis, et orationum fructu, sicut initia sua dedicaverat, sic extrema vitæ tempora promoveret. Aggressus iter, ad domum (212) B. Humberti hospitandi gratia declinavit. Susceptus ab eo est cum omni reverentia charitatis, et omnis humanitas in procuratione diligenter exhibita. Requirit inter convivandum vir sanctus ab hospite, si cum eo velit suscepti laboris pondus insumere, si laboris velit communicare mercedi, et apostolicis se præsentare liminibus. Annuit B. Humbertus, et sequitur sancti pontificis cum omni hilaritate consortium.

63. Quadam vero die, sicut mos est itinerantium, dum prandendi causa juxta silvam viæ proximam consedissent, egrediens ursus, animal illud decerpsit, quo sarcinas deportare consueverant. Quem virtute divini nominis alligatum deducunt ad sarcinas, et loco jumenti utuntur, in suppellectilis domesticæ subvectione, et vectorem faciunt de raptore. Sic accedentibus ad Urbem viris Dei, familiari colloquio Romanus pontifex, edoctus ab angelo ministerio cursoris occulte denuntiat, ut absolvant ab hoc ministerio feram, ne pompatice magis quam religiose videantur ingredi civitatem, quæ religionis et ho-

(208) In diplomate regis supra relato exprimitur annus 2 Christi 666.

(209) Laudunum, seu Lugdunum Clavatum, urbs Galliæ ad Picardiæ Campaniæque confinia.

(210) De B. Andrea infra hoc die agemus.

(211) Imo relicto Trajecto anno 630, ut dictum § 12, ergo annis 26 ante conditum Barisiacum monasterium.

(212) Maricolense monasterium.

nestatis caput esse debet in gentibus ; neve spectaculi novitate concursus moveant populorum, et omnium in se voces et ora convertant. Apostolicæ jussioni sancti Patres obediunt, et absolutam ab injuncta obedientia feram, ad saltuum latebras **728** redire permittunt, subinde respectantem et obsequium suum signis, quibus poterat, exhibentem. Inde civitatem ingressi, digne ac reverenter excipiuntur a summo pontifice, peractisque omnibus ad quæ venerant, et perquisitis sanctorum suffragiis, ad propria cum gaudio revertuntur.

64. [Cap. XLIV.] Divertente B. Humberto Maricholas, vir Domini Amandus secessit Elnonem, quem sibi locum Dagoberti regis munifica manus (213) dudum concesserat; et ad amplificandum divinitatis cultum, donatione solemni liberaliter assignarat. Locus ipse intra Menapiorum positus fines, Propontiis, Nerviisque conterminus, sicut regni Germanici et Romani finis est imperii, sic Belgicæ Rhemensis portio, sic limes dignoscitur esse Francorum. Hic duobus in unum convenientibus fluviis, Elnone et Scarpo, spatiosus in medio distenditur angulus, circa quem fluentis irrigua prata, pascualis ubertas, et piscatio fecunda porrigitur, dehinc apta venatibus silva, recessus productioris offertur. Gleba nec apprime fertilis, nec jejuna; lactis et mellis copiam prærogat usibus incolarum. Huc Dei servus adveniens, præsago mentis intuitu, reclinatorium laboris, pacis domicilium, quietis habitaculum, titulum consummationis habere disposuit. Sed quia religioni C congrua nondum illic ædificia collocarat, sollicite considerare cœpit, ubi ædificationis novæ fundamenta disponeret. Ingressus itaque prædictæ intercapedinis angulum, cœpit dumeta præcidere, convellere frutices, eradicare carecta, et fluvialium demetens arborum stipites, et arundineta demoliens, nativo terram vellere spolians, pristinæ densitatis horrorem complanavit in aream, et regularibus officinis locum præparavit aptissimum. Jactis itaque fundamentis, in honore apostolorum principis Petri fundavit ecclesiam, quem præcipuum suæ prædicationis auctorem, laboris ducem, molestiæ consolatorem, frequenter habuerat. Exstruxit hic ardenti studio convenientes monasterio ordinis officinas, quæ nec susperfluæ curiositatis ambitum, nec attritæ D paupertatis angustiam redolerent. Inde retia laxat A piscator sedulus in capturam, et strenuos undique colligit cœpti operis adjutores, et institutionum regularium provisores fidissimos. Conveniunt ad eum viri spiritu ferventes, zelantes legem Dei, mandata vitæ propensius amplectentes, et erectam divini servitii scholam celebri prosequentes instantia. Gaudet pastor fidelis de boni gregis augmento, et invicem grex devotus sub tanti Patris regimine, de bonorum communium profectibus hilarescit. Inde novam a fundamentis in honore B. Andreæ apostoli fabricari jussit ecclesiam, quam dignis Deo famulantium decoravit obsequiis. Ipse tanquam dispensator egregius, nunc exteriorum suscipit turbines actionum, nunc ad interiora velaminis non sine orationis incenso, et sancti fervoris igni progreditur, ut audiat quid in suo loquatur Dominus Deus, et in servos ejus pacem postulet et profectum. B

65. [Cap. XLV.] Non multo post hæc elapso tempore, secundo rediens ab Urbe S. Humbertus, ad visitandum virum Dei descendebat Elnonem. Cumque jam loco propinquaret, accessit (214) angelus Domini ad B. Amandum, monetque, ut egrediatur obviam servo Dei, et quanti sit apud Deum meriti, signo, quod vertice prætendit, agnoscat. Egreditur vir beatus, et de tanti hospitis gratulatur adventu, et dato pacis osculo, caput ejus retegens radiare conspicit in vertice signum crucis, quod non tamen dabatur omnibus intueri, nisi quorum divina virtus oculos illustraret. Fit communis inter eos, ingensque lætitia, quæ non adulationis fucum, sed sinceritatis sanctæ spiraret indaginem ; nilque referret insolitum, quod non utriusque proposito, quod non sanctitati, non ordini conveniret, nec posset hospitalitatis sanctæ legibus reluctari. Perendinato apud eum quanto libuit spatio, post exhortationis mutuæ collationes sacras, post dulcia pietatis sanctæ colloquia, data invicem benedictione, B. Humbertus cum gaudio refertur ad propria.

66. [Cap. XLVI.] Erat in cœnobio Elnonensi **729** præpositus quidam, Chrodobaldus nomine, fratrum deputatus (215) obsequiis, et exteriori curæ sancti Patris assignatus imperio. A quo mandatum suscipiens, ut potum fratribus tempore congruo juxta solutum ministraret, justa mandantis contempsit edictum. Sed vindictam justi judicis non evasit. Ad excusandas excusationes in

(213) Anno Dagoberti 2, Chr. 638.

(214) Hæc ex Vita S. Humberti 25 Martii excerpta sunt.

(215) Imo Marchianensi, de quo tradit Gualbertus Marchianensis monachus apud Buzelinum lib. 1 Gallo-Flandriæ c. 41 : « Quinto loco beato abbati Jonato vicinum et juxta positum sanctum Chrodobaldum celebri memoria atque dignum, meritis gloriosum, sanctissimi confessoris atque pontificis Amandi monachum et præpositum, percussum tamen a Deo ob contumaciam, jactantiam atque pervicaciam, sed humiliatum scilicet ab eodem pontifice conjuncta compage membrorum, paralysis morbo dissoluta propter inobedientiæ vitium, erga beatum virum commissum, præcipiente magistro et non obaudiente discipulo charitatis obsequium ; per virtutem Domini sanatum atque correptum. Pro cujus merito posteris demonstrando de eo tale miraculum innotuit in Marceniensi cœnobio. Quando enim prisco tempore combustum est ejusdem cœnobii templum, tapete ejus sarcophago suppositum, prunis ardentibus undique coopertum, flamma undique fervente per totum monasterium, sicut ab antiquis Patribus relatum est, omnino permansit illæsum. Ad cujus miraculi insigne oculis tam futurorum quam præsentium quotidie innovandum, tapetum adhuc reservatur reconditum vel potius in revestiario, ubi superponuntur albæ, cappæ, et cætera ornamenta, exstat appositum. » Ejusdem miraculi meminit Raissius in Hierogazophylacio, et Beatum appellat.

peccatis, ad virum Dei parabat ascendere, ut obductionis velo consuetudinem sui reatus obnuberet, cum subito paralysis horrore convolvitur, profligantur sensus, hebescit memoria, visus caligat, hebetatur auditus, omnibusque in illo præmortuis membra, vitalis adhuc spiritus in solo pectore palpitabat. Voce tamen et nisu, quo poterat, confitebatur instanter, quod inobedientiæ culpa tantis illum malis ingesserat. Impositus igitur navi ministerio fratrum, cursus fluminis deportatur Elnonem (216). Nuntiantur hæc viro Dei, qui subridens dixisse fertur : « Adhuc sustinebit majora ; quia jactantiam sequitur, et obedientiæ gratiam non attendit. » Dehinc per fidelem presbyterum fragmen panis et modicum vini data benedictione dirigit, et ut his reficiatur edicens, mandat ut obviam sequenti die, se visitaturo sine cunctatione procedat. Gustata præpositus benedictione Patris, pristinæ redditur sanitati, et reparat obedientia vires, quas inobedientiæ reatus abstulerat. Sequenti die, venienti ad se servo Dei, læto se repræsentavit occursu, postulans veniam pro delicto, et beneficio gratias referens. Miratur universitas fratrum, quod sanum vident, et vegeto corpore, quem quasi exanimem alienis manibus illatum viderant misere decumbentem. Agitur in commune laus Deo, et sancti Patris virtus ac meritum gloriosius prædicatur. Ipse autem correptum blande ac leniter fratrem Martianas remittit, et hortatur, ut in reliquum sibi caveat, et actus suos satagat utilius reformare.

67. [Cap. XLVII.] Interea B. Florebertus, quem Blandiniensi monasterio jam dudum ipse præfecerat, appositus est ad patres suos (217), ingressus in gaudium Domini sui, immortalitatis regnum sortitus et gloriam. Fratres autem loci pari voto, et unanimi voluntate legatione transmissa, supplicatione qua prævalent et obsecratione non ficta, pulsant paternæ pietatis affectum, ut ad eos declinet vir sanctus, provideat monasterio quod fundavit, enutriat filios, quos de spiritali generatione suscepit, riget uberius arbusta quæ posuit, nec gregem devotum patiatur in dispersionis abire jacturam. Beatus Amandus filiorum petitione concussus, timoris pariter et amoris subito transfixus accessu, nec Elnonem relinquere, nec sine consilio remittere volebat filios supplicantes. Sic ex studio pietatis divisus in partes, post multos sanctæ deliberationis motus, et exquisita consilia petentibus blanda humilitate respondit : « Nolite, fili, nolite Patris vestri sollicitare quietem, nolite de porta revocare in pelagus, sufficit mihi paupertas mea, ut divitiæ computentur, hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. Vobis non deerit, propitiante Deo, virtus cœlestis auxilii, vel nostræ sollicitudinis adjumentum. Hac voce, fratres, a cursu propositæ intentionis exclusi, ne vacui revertantur implorant, et sancti Patris consulunt cum omni devotione solertiam, quid de Blandiniensis monasterii ordinatione sentiat, quid censeat adimpleri. » Sanctus Pater Amandus, qui nec suos Elnonenses deserere, nec gregi deesse poterat desolato, probatæ conversationis virum, moribus insignem, moderatione præcipuum, Joannem (218), discipulum suum tradidit eis, cui fratrum curam data benedictione commisit, et remisit cum exsultatione Blandinium.

68. [Cap. XLVIII.] Sentiebat jam extunc B. Pater Amandus corporis sui defectus, laboribus confectus et senio, nec abesse longius exitus sui diem secreta inspiratione præsenserat. Evocatum igitur ad se venerabilem Andream, quem Barisiaco prius abbatem præfecerat, constituit (219) super familiam suam, quam Domino juvante collegerat, ut in manu ejus virtus ordinis et severitas disciplinæ, provida moderatione floreret, et ipsi vacandi Deo secretior ac liberior pateret introitus. Revocari tamen decrevit in jus Elnonensis monasterii possessionem perpetuam, quidquid Barisiaci ante possederat, de munificentia regis Hilderici, quod usque in hodiernum diem secundum viri Dei dispensationem irrefragabiliter conservatur.

CAPUT VIII.

S. Amandi testamentum, obitus, sepultura.

69. **730** [Cap. XLIX.] Solet circa posterius genitam sobolem paterna pietas esse propensior, et genuinæ charitatis ardorem semper extremis reservat affectibus. Sic Magister pietatis, cum dilexit eos, et infirmis adhuc rudibusque discipulis vitalem suæ mortis exhibuit medicinam. Hujus imitator B. Pater Amandus, cum sciret articulum sui transitus imminere, convocatis ad se fratribus, post exhortationis verba, post piæ consolationis blanda colloquia, post inculcata salutis æternæ mandata, vocationis suæ tempus indicat propinquare ; et, quantum eos vivens dilexerit, manifestis declarat indiciis, cum nec in morte sustineat ab eorum dulci collegio separari. Facto igitur eis testamento, sicut in archivis hujus monasterii continetur, stabile de corpore suo confirmat edictum, idemque constanter adjurat, precatur, monet, hortatur et imperat, ut inviolabiliter observetur. Convenerant ad eum fama sanctitatis, opinione virtutum, meritorum fructibus, et operum signis illecti, reverendæ auctoritatis et insignis excellentiæ Patres, Reolus (220) metropolita Remensis, Mummolenus Noviomensis episcopus, Cameracensium Pater Vindicianus, Bertinus et Aldebertus abbates, Joannes Blandiniensis cœnobii pastor (221) egregius, cum aliis Deum timentibus viris, quorum auctoritate et consilio dispositionis

(216) Scarpi, cui adjacent Marchionense et Elnonense monasteria.

(217) Anno 664, 2 Novemb. quo Vitam ejus damus. De ejus obitu actum supra § 15.

(218) Præfuisse Joannem usque ad annum 685, diximus ibidem.

(219) Anno 683, ut dictum § 15.

(220) Colunlur Reolus 25 Novemb. Mommolenus 16 Oct. Vindicianus 11 Martii, Bertinus 5 Sept.

(221) Hunc Molanus 1 Novemb. in S. Florberto

suæ roboravit effectum. Disposuit igitur sub horribilis interminatione sententiæ, ne cuiquam liceret ecclesiasticæ sæcularive personæ, corpus suum ab Elnonensi removere cœnobio, vel transferre cujuslibet occasionis obtentu; sed cum fratribus, qui ejus inductu mundum vicerant, depositionis suæ locum præsentia sui corporis immobiliter possideret; et resurrectionis ultimæ diem cum eis fideliter exspectaret, quos nec vivens deserere sustinebat, nec admittebat moriens aliquatenus dimoveri. Ut ergo omnem ambiguitatem hujus rei scire volentibus auferamus, testamentum pii Patris nobis placet, ut huic operi inseramus.

70. [Cap. L.] (222) In nomine Domini nostri Jesu Christi, ego Amandus miserrimus, et peccator. Credimus ubique divinam nos pietatem regere, et clementer salvare velle, quia et ingressum nostrum in mundum, et exitum de mundo, ante sæcula ipse prænoscit. Proinde omnibus non habetur incognitum, qualiter nos longe lateque per universas provincias seu gentes, propter amorem Christi seu verbum Dei annuntiare, vel baptismum tradere, discursum habuimus; et nos de multis periculis pietas Dei eripuit, et usque tempore isto perducere dignatus est. Sed, dum jam corpore fesso et multis laboribus fatigato, jam in summa senectute pene corpore præmortuo, exitum de hoc mundo in proximo habere speramus, et quia nos Deus in istum locellum (223), qui vocatur Elnonis, perducere dignatus est, quem super largitate regia, proprio labore visi fuimus construxisse; si nos ibi Deus de hoc mundo decreverit emigrare, peto et coram Christo Jesu Filio Dei conjurare præsumo, ut nulli episcoporum, vel abbatum, seu sæcularium virorum, aut quibuslibet potestatibus hoc contrarium sit, ut corpusculum meum in ipso monasterio, quod superius diximus, Elnone, inter illos fratres requiescat, ubi jam nos ad ipsos fratres et corpore et anima commendavimus.

71. Et si in itinere (224), aut ubi finis noster provenerit, ad ipsum locum, quem superius memoravimus, corpusculum nostrum licentiam habeant fratres vel abbas de ipso monasterio Elnone ibidem revocare. Si quis vero contradicere, aut de ipso monasterio corpus meum per fortia abstrahere, aut temerario spiritu contradicere voluerit, imprimitus S. Trinitatis incurrat offensam, et ab omnibus Ecclesiis catholicis excommunicatus appareat, et a societate sanctorum extraneus efficiatur; et damnationem, quam Dathan et Abiron sustinuerunt, quos infernus vivos absorbuit, ipse sustineat, et sit anathema maranatha, quod est perditio, in adventu Domini nostri Jesu Christi. Et nec sic nostram voluntatem mutare valeat; sed hæc deliberatio nostra in perpetuo firma et inviolata permaneat. Et ut certius credatis, manu propria subscripsi: et omnibus hominibus Deum timentibus ut subscribant supplicamus et rogamus. Quam epistolam fratri nostro Baudemundo presbytero fieri rogavimus. Facta epistola in monasterio Elnone anno secundo regni domini nostri Theodorici gloriosi regis sub die decima quinta Kalend. Maii. Ego Amandus peccator hanc epistolam a me factam consensi et subscripsi: Ego in Christi nomine Reolus ac si peccator subscripsi. Ego in Christi nomine Mummolenus episcopus subscripsi. Ego in Christi nomine Vinditianus ac si peccator episcopus hanc epistolam, rogante domno Amando, consensi et subscripsi. Ego Bertinus **731** abbas subscripsi. Ego Aldebertus abbas subscripsi. Ego Joannes rogatus a domno Amando, consentiens hanc epistolam subscripsi. Ego Baudemundus peccator, jubente domno meo Amando, hanc epistolam deliberationis suæ scripsi et subscripsi.

72. [Cap. LI.] Laudabilis zelus, invictus amor, delectabilis gratia, jucunda suavitas, mirabilis unio charitatis, quæ sic animam viri sancti vinculo pietatis indisolubili colligarat, ut in propriæ dissolutionis excessu, dissociari a fratribus jacturam sancti fœderis æstimaret. Igitur gloriosi pontificis imminente reverendi transitus die, cum esset in oratorio B. Andreæ, post orationum munus post suscepta cœlestis sacramenta mysterii, inter discipulorum manus, finito vitæ cursu migravit ad Dominum, et appositus est ad patres suos cum gloria. Felix operum merito, felix gratia sanctitatis, felix consummatione laudabili, cui divinitus concessum est, ut ante altare B. Virginis ultimum redderet spiritum, cujus se meritis adjuvari devotissime postulabat, cujus sacra vestigia toto mentis adnisu studuerat imitari. Nullius enim apud Deum familiarior interventus, nullius efficacior potest esse gratia, quam illius quæ mater esse meruit, cujus pater est Deus. In qua sancti Spiritus operatione mirabili deitatis, virginitatisque complexus naturarum proprietate servata, æterni Verbi communicat genituram.

73. In quartum sane diem differtur exsequiarum sancta solemnitas, ut religiosis undique convenientibus viris, justa solvantur sancto funeri et pretiosi thesauri depositio favorabilius celebretur. Excitati fama finitimi, concursu frequenti pariter, ex oppidis vicisque conveniunt, ut tanti Patris venerentur exsequias, et, quem viventem dilexerant, exanimem pietatis officio prosequentur. Adest de diversis evocata partibus discipulorum ejus sancta frequentia. Adsunt pietatis filii clerus et populus adjacentes; et elatam de loco transitus sanctissimi corporis glebam, usque ad locum sepulcri, psalmis, hymnis et canticis canora cœlestibus fidelis turba prosequitur. Quæ licet de tanti Patris felici victoria sentiat esse audendum, lacrymas tamen doloris, pietatis extor-

« omnium morum probitate comptum » vocat: eumdem recenset Sanderus in Hagiologio Flandriæ.

(222) Contulimus testamentum hoc cum mss. Elnonensi, Blandiniensi et aliis tribus. Edidit illud Miræus in Fastis Belgicis.

(223) Ms. Elnonense, *in isto locello*.

(224) Idem, *ab ipso loco*.

quet affectus, et de uno eodemque fonte pari tenore scaturiens, disparibus excitata causis, mœroris et gaudii vena progreditur; dum triumphanti pietas debet, ut gaudeat, et funebribus obsequiis exhibere decet, ut doleat. Sepultus est igitur in oratorio B. Petri, quod ipse fundaverat, ut, qui prædicationis auctor, adjutor in opportunitatibus, in tribulationibus consolator exstiterat, in extremis promptus assisteret, portas justitiæ reseraret intranti, et foveret in terræ gremio quiescentem. Præstantur ad sepulcrum ejus beneficia præclara poscentibus, quæ Patris sancti meritum plenius attestantur, et confessorem suum coruscа miraculis visitatio divina commendat, et in servo suo Christus se vivere gloriosis demonstrat ostentis. Qui cum Deo Patre, et sancto Spiritu vivit et regnat Deus, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

74. [Cap. LII.] Pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus, quæ licet minus capacibus exterminii videatur, magnificat tamen eos cœlestis auctoritas, et resurrectionis æternæ gloriam prædicat in defunctis. Deposito carnis onere B. Amandus, dum nocte Dominica migraret ad Dominum (225), inclyta virgo Aldegundis, in monasterio Malbodiensi, ante venerandum altare sanctæ et perpetuæ Virginis; vigiliis et orationibus ardentius insistebat. Cum subito rapta in excessu mentis (226), videt reverenda canitie virum, clarum sacerdotalibus indumentis, virga pastorali subnixum, cum ingenti gloria coruscæ lucis ad superna conscendere. Præcedebat, et subsequebatur eumtem cuneus innumerabilis albatorum, quos e vestigio sequi, quorum dulci sociari collegio, quorum felicibus interesse gaudiis affectabat, et nisu quo poterat vestigia sequebatur. Interrogatur ab angelo itineris duce, sciretne, quis esset ille tantæ reverentiæ et gloriæ senex, quem stiparet tam solemnis candidatæ multitudinis comitatus. Quod cum se nescire virgo Domini fateretur: « Ilic est, inquit, servus Domini Amandus, qui cursu vitæ præsentis laudabiliter et innocenter expleto, in gaudium Domini sui, cum lætitiæ manipulis intrare festinat, ut sic ei jucunda quietis mansio post labores, et de spe translatus ad speciem manifeste contemplationis gloria satietur. » Spectabilis autem illa dealbatæ multitudinis turba, quæ pone sequitur aut præcedit, ii sunt qui sacris ejus institutionibus eruditi, divina sententia præordinantur ad vitam: signum apostolatus ipsius in Domino, pro imitatione **732** sancta gloriæ comites et mercedis.

75. Virgo Domini tegens silentio visionem nulli suorum voluit indicare, sed destinato ad sororem suam B. Waldetrudem nuntio ad colloquendum sibi cum ea, virum Dei S. Gislenum pariter evocavit. Quibus ad locum qui Mervius (227) vocatur, occurrens, familiari colloquio mysterium sacræ visionis edisserit. Quod vir sanctus prudenter advertens: « Gratias, inquit, age Deo, virgo fidelis, cui dignatio et servi sui meritum, et exitus tui proximum diem voluit indicare. Proinde quod cœpisti, convenienter et solerter exsequere, ut cujus exhortationis es amplexata consilium ejus, in æternitatis gloria, collegio socieris. » Illis dictis, ab invicem recesserunt, et fidem verbis fidelis exitiis applicavit.

76. Transit autem B. Amandus nocte Dominica octavo Idus Februarii, anno ab Incarnatione Domini (228) sexcentesimo sexagesimo primo, præsulatus Vitaliani papæ (229) tertio, imperii Constantini (230) vicesimo tertio, qui ab Eraeleo tertius rempublicam gubernavit. Regnante in Francia Theoderico (231). Anno vitæ beati pontificis nonagesimo. Præstante Domino Jesu Christo, cui cum Patre et Spiritu sancto est honor et gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

(223) Obiisse S. Amandum Sabbato ante Dominicam Septuagesimæ dictum est § 15.

(226) Imo vivente S. Amando hanc potius visionem contigisse diximus supra.

(227) Rainerus Meurisuum vocat.

(228) Anno 684.

(229) S. Vitalianus, de quo egimus 27 Januarii, pontificatum iniit anno 656, ergo tertius illius annus fuit Chr. 659, et quintus 661.

(230) Imo Constantis, qui nepos Heraclii, et filius Constantini, cœpit regnare an. 641, cujus an. 20 convenit in an. Chr. 661. fuit Constans pater Constantini Pogonati, sub quo e vita decessit S. Amandus. De errorum causa actum § 16.

(231) Theodericus cœpit regnare an. 680; ejus solius meminit testamentum S. Amandi.

PROLOGUS MIRACULORUM S. AMANDI (232).

Licet interdum humana mens phantasticis visionibus fallatur, sed non miraculorum signis falli potest, quæ virtutum operator Dominus in fidelibus suis operari dignatur. Ab Ægyptiis namque magis illusione phantastica rex captus est Memphitičus cum universa Ægypto, falsa et imaginabilia habens pro vero : sed postquam divinitus ostensa sunt portenta virtutum, magi etiam ipsi cum cæteris, quanquam primum increduli, postmodum tamen professi sunt hoc esse digitum Dei. Cœli nempe, hoc est quique fideles, gloriam Dei loquuntur et in omnem terram virtutum ipsius sonus progreditur. Unde pro modulo nostræ possibilitatis, impolito quidem sermone, sed non ignobili materie quædam insignia ad notitiam conabor mittere posteriorum, qualiter in terris A nostra ætate, rex patefecerit immortalis militem suum, beatum videlicet Amandum, gloriosæ in cœlestibus dono immortalitatis a se muneratum. Si quis autem obstinata mente nostrum in hoc stylum studuerit redarguere, arbitrans nos non nisi vulgares rumores sequi velle : huic jaculum opponimus, quod quondam refutantibus veritatem objecit pastor et primipilaris ecclesiæ. « Non possumus, inquit, quæ audivimus et videmus, non loqui. » Nil namque hic calamus aperit currentibus articulis, nisi quæ evidenter obtutus probavere scriptoris ; testimonium ei reddentibus ejusdem temporis monachis, clericis atque etiam venerandæ memoriæ, et insignis famæ laicis.

INCIPIUNT CAPITULA.

I. *De campanis ardendo sonantibus nemine pulsante.*
II. *De insensato cameraci sensui reddito.*
III. *De muliere languida sanitati restituta.*
IV. *Muti os et lingua reserantur.*
V. *De puero debili sanato.*
VI. *De insensato Landunii sensui reddito.*
VII. *De contracta muliere sub feretro sancti Amandi erecta.*
VIII. *De cæca visui restituta.*
IX. *De muta a nativitate ibidem loquente.*
X. *De puero apertis oculis non vidente, per sanctum Amandum illuminato.*
XI. *De cæca Noviomi illuminata.*
XII. *De contracto sanato.*
XIII. *De muliere Duaci repente contracta, et coram feretro sancti Amandi erecta.*
XIV. *De carcerato Coceii per invocationem sancti Amandi liberato.*

INCIPIUNT MIRACULA S. AMANDI

QUÆ FACTA SUNT PER GALLIAS.

CAPUT PRIMUM.

Igitur anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo sexto, a transitu vero Amandi quadragintesimo sexto, sub tertio Iduum februariarum Elnonæ accensæ sunt domus in foro hora fere tertia, unde et in ipsam prædicti pontificis ecclesiam plumbeis tabulis tectam, per tegulas sub ipsis tabulaticis flamma prorupit, antiqui hostis, ut credimus, invidia. Quæ ipsa cum omnibus claustris suis statim est incendio devastata, necnon et apostolorum principis, sed et alia ipsius ecclesia. Campanæ fundendo in pulvere sunt redactæ, diruta etiam quæque ornamenta ecclesiæ : columnas dico de pario lapide, cum 733 analogio honestæ fabricæ. Ubi quiddam et audientes, in stuporem vertit non minimum : ita C lecturis, ut reor, erit veluti monstrum. Nam mox ut ipsæ campanæ a flamma sunt correptæ cœperunt insimul, nullius, nisi solius Dei impulsu resonare, ac si divinitus monerentur plangere ruinam sui et ecclesiæ, donec, ut prælibatum est, in pulverem sunt redactæ. Cujus habitationis restituendæ gratia, fratres cum abbate ipsius loci ex consulto Marchionis terræ, atque episcoporum petitione etiam Francorum obnixa, feretrum quo corpusculum venerandi Patris recubabat per Galliam detulerunt, quos cum multo thesauro Galli ubilibet locorum honorifice et summa cum devotione susceperunt. Excessimus sane monasterio septimo Idus Junii, repedavimus in idem sub die quarto Nonas Julii. Quid autem hac intercapedine quatuor hebdomadum meritis sæpe dicti

(232) Ex editione Duacena.

pontificis coram immensitate vulgi in ipsa regione sit gestum, non ducit mater ecclesia reticendum, quæ filios suos orthodoxos, filiationemque suam in bona perseverantia quaquaversum conservantes lætatur functos honore polorum. Sed hæc omittentes, jam ad ea quæ decrevimus notanda, ac memoriæ commendanda stylum, quanquam stolidum, vertamus.

CAPUT II.

Quædam itaque peragrantes loca, Cameracum tandem devenimus fulgentem pontificali cathedra.

In qua juxta valvas quidam insensatus constrictis arctissime in nervo pedibus residebat, qui, ut ab incolis palam factum est nobis ob nimiam insani capitis amentiam, quamdam propinquarum suarum sauciaverat. Ubi cum honorifice ab antistite Herbertho cunctoque ipsius loci clero recepti, hospitandi gratia commaneremus, illum miserant, donari sancto Amando interpellavimus, quatenus solutum vinculis corporalibus, sanctus, cui donaretur apud divinam clementiam obtineret dæmoniacis absolvi nexibus. Quod et ita factum est. Nam et pontifex nostris assensum præbuit petitionibus, et ille pontifex noster, cujus corpus deportabatur liberam mentem eatenus captivato a summo pontifice Christo impetravit, ita ut inde nobiscum progrediens, nullum male sani capitis indicium ultra prætenderet.

CAPUT III.

Ab ipsa quoque urbe vestigia detorquentes cum immenso comitatu civium, tendebamus versus oppidum cui vocabulum est Cocenim, ubi multæ aversiones ab oppidano, seu judice ejusdem loci, familiæ inferebantur sancti Amandi, quæ circa ipsum degebat oppidum. Sed ubi loco quo dispositum erat tendere propiavimus, ecce quemdam presbyterum ecclesiæ in honore sancti Remigii exstructæ Milonem nomine, cum plebe promiscui sexus non modica, obvium habuimus : humiliter obsecrante ut thecam tanti pontificis in ipsam Sancti Remigii ecclesiam deferri, ibique paululum requiescere permitteremus. Est autem ab hoc loco, non multum distans quidam viculus quem dicunt Vernulium. In hoc jacebat mulier, stratu recubans ob immensum languorem membrorum, quæ a lecto nequiverat egredi per curricula bis quinque annorum. Hæc ubi aure percepit sonos et cantus plebis eo divertentis, causam percunctatur. Cumque didicisset corpus sancti Amandi a fidelibus turmis illo transferri, continuo in hæc verba prorupit : « O si daretur me saltem manibus reptantem, quasi quadrupedem ei obviam fieri, implorarem sanctum quatenus interventione sacra meæ suffragaretur imbecillitati ! » Sed cum inhianter arderet quæ optaverat completum iri : interventu tanti Patris ejus vota clemens prævenit divinitas, cui, quæ mortales nec optare audent, promptum est præstare. Confestim denique sanguis discurrens circa nervos membra languidæ firmavit, languore exhausit, robore consolidavit. Sicque lecto cui clinica diuturno languore incubuerat, leniter exsiliens, exorsa est pedetentim progredi usque ad limen domus, inde non contenta incedere ut est mos mulieribus : rapto cursu accurrens arripit feretrum, narrans cum idoneis testibus, quæ circa se, et quanta suo egerit patrocinio ille miraculorum operator egregius. Tum corrigiam cervici suæ, quasi servile jugum imposuit, seque, ut erat libera, dominio sancti mancipavit. Nec immerito, quippe qui eam quæ, quasi quadrupes vitio naturæ decreverat exire, sibi bipedem naturali usu fecerat ovanter occurrere.

CAPUT IV.

Hujus etiam consobrinus quidam juvenis, liber et ipse, sex lustra et eo amplius habens, mutus a nativitate, auditum tamen et intelligentiam plene capiens addicitur, qui ob linguæ officium sibi divinitus concedendum multas sanctorum ecclesias inviserat ; sed, ut dictum sit pace eorum, tanti Patris meritis istud servabatur donum. Antiqua in hoc renovantur miracula, et alterius Zachariæ imaginaria agnoscimus surrexisse tempora. Ille innuebant cognati, quod nomen vellet filio imponi ; huic itidem innuebant propinqui qua lege vellet se subjugare 734 servitio sancti. Ille nutu postulavit pugillarem sibi præberi, ut quod lingua nequiverat, notarent articuli ; isto nutu æque indicabat se bis binos argenteos pro capitis censu eidem sancto soluturum singulis annis. Ille quod paginæ indere voluit, restituto mox linguæ officio, aperto sermone pronuntiavit : videamus et in hoc quam iste jucundo miraculo imitatus sit eum, ubi coram feretro assistens corrigiam cervici suæ circumposuit. Continuo denique accedens Milo presbyter, cujus supra meminimus, in cujus et hic diœcesi natus perhibebatur et adultus, compendiose eum est allocutus. « Quid, inquit, præstolatis, frater? Si nequis sermone, saltem digitorum indicio sub testimonio præsentium exprime quod tenes in mente. »

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.

VIRG.

Tunc ille ut bis binis conatus est digitis, totidem argenteos notificare, clara ac prima voce protestatus est quod articulis moliebatur expromere. O quem et quantum, si adesses, cerneres plausum turmarum catervatim undique confluentium, Deum hymnisonis vocibus nobiscum collaudantium præ ingenti lætitia malas effusione lacrymarum humectantium. Quid proferam de hac ipsa ætate sub qua informatus est sermone? Christus mortuum in peccatis hominem atque in Dei laudibus mutum, passione sua hoc eodem ævo vitæ restituit, in laudes divinas os ejus aperuit; et beatus Amandus interventione sacra hunc famulum suum qui quoquo pacto æquiparandus erat mortuo, quasi locutione vivificavit, eumque laudes Dei extollere fecit, atque in gratiarum actiones Deo solvendas verba formare apud divinam clementiam obtinuit.

CAPUT V.

Nec minus et illud censeo prædicandum, quod in

ipso limine portarum castri prælibati vidimus mirabiliter gestum. Simul namque ut ipsa sancti cadaveris lectica oblique tenebatur transposita, quatenus plebs cervices suas ei submitteret devotione humillima; mulier quædam approperans debilem filium ulnis ferebat, qui infra unius anni pene orbitam, terram calcare nequiverat. Hic itaque ubi eum genitrix feretro supposuit, clamitare cunctis audientibus cœpit. Depone me, mater, quantocius ab his quibus vehor vehiculis, quia videor mihi jam posse tibi pedissequus fieri. « Ne velis, obsecro, meæ obviare saluti, tuæ quoque lætitiæ adversari. Tum illa credens eum verbis hæc proferre puerilibus, aut etiam erroneis : Noli, inquit, fili mi, noli, ne ab imminenti turba comprimaris, dum non possis ad exitum rei perducere quod effaris. »

Et puer : « Possum, ait, mater, possum. » Post hæc non præstolans responsum genitricis, ab ipsius continuo se extorsit lacertis, paulatimque tentata via, in cursum se hilariter proripuit. His et hujusmodi clemens pontifex perpetratis circa ipsum castrum miraculorum signis, maluit, credo, oppidanos a vexatione suæ familiæ blanditiis compescere, quam minis terrere. Sed quia hæc pro capacitate ingenioli nostri taxavimus, jam ad ea quæ restant luce clarius nitentia, calamum transferamus; ejus, ad hæc explenda, invocantes patrociniam, cujus credimus meritis reputari tanta insignia gestorum.

CAPUT VI.

Postera denique aurora finem dante, montem Laudunii accessimus, ipsumque statim conscendimus, atque ibi ab episcopo Elenando, universoque ejusdem loci clero, cum ingenti veneratione recepti eo die quievimus. Interea sol vergebat ad occasum, et ecce quemdam insani capitis adducunt, manicis pedicisque ligatum. Nox ruit Oceano, cum interim pretiosissimi illius thesauri thecam circumvallantes pueri, innuptæque puellæ, juvenes cum senioribus, incipiunt devote excubias, cum facibus et lychnis ardentibus. Tum vero jam nox medium orbem tenebat suadebantque cadentia sidera somnos, cum ille de repente jacens sub feretro in hæc verba prorupit : « Cur meos lacertos hæc astringant ligamina, aut ubinam dejectus jaceam : posco pandatis qui circumastatis. » Tunc illi stupore attoniti, rati eum erratica, ut antea verba proferre, tamen quæ sciscitabatur edocentes : « Ob nimiam, inquiunt, tui capitis amentiam, ligaminum nodis obstrictus ad patrocinium sancti Amandi adductus es, cujus corpus in præsenti sanctæ Mariæ ecclesia noveris recubare. » — « Deo, inquit, gratias mecum habetote, vis immanis abscessit dementiæ, ascedant jam nunc ora catenæ. » Qui simul ac ab omni nexu immunis factus est, consignans se signaculo sanctæ crucis, si quod diabolo instigante, verbum adversus fidei puritatem, in ipso errore fuderat, pectus contundens, reum se professus est. Inde servum se sancto Amando tradidit, cujus precibus suæ mentis columen indesinenter reputabat. Et merito ejus se subdidit servitio, cujus suffragio se catenus mentis impotem a sævi tortoris noverat eliminatum ergastulo.

CAPUT VII.

Illa quoque non sunt silentio prætereunda, quæ die Dominica inde nobis remeantibus, habentur supra ipsum montem **735** cunctis cernentibus gesta. Dum itaque portas urbis in supercilio montis positas, cum ingenti cohorte promiscui sexus, ipso fervore meridiei posthaberemus, ecce mulier perplexis tibiis, serpens manibus, vultu terræ infixo accessit, cunctisque viam pandentibus feretro propinquavit. Res mira, et admodum stupenda! Ubi se bajulis immiscuit, resolutis nervis, se erigens ipsum gestatorium, mirabile dictu! constanter arripuit. O quis fremitus ab ore vulgi resonabat, quantusque fragor monachorum, clericorum atque laicorum in Dei laudes resultabat! Tunc erat cernere turbas undique ad hoc insigne confluentes, in tantum ipsos bajulos gratia videndæ mulieris opprimentes, ut vix quispiam eorum posset movere pedes. Eninvero sapienti usi consilio, fecimus sanctum corpus per spatium circiter trium horarum, super quamdam rupem in eodem requiescere loco, ut vel sic aliquantulum respirantes dein ab ipso descenderemus supercilio.

CAPUT VIII.

Rem stupidus refero, miraque, fidelem quærens auditorem, enarro, sed non nisi quæ probante visu hæc titulantis acta sunt, fere sub unius horæ spatio. Continuo namque quædam secundi sexus persona accessit, quæ septem annorum rotam evolverat in mœrore cæcitatis, hæc simul ut oculis loculum tetigit, detersa caligine amissi luminis dispendia reparavit. Quæ luci pristinæ restituta, inde nobiscum progrediens cœpit erga se gesta Christi propalare magnalia.

CAPUT IX.

Quædam quoque puella ab utroque adducitur parente, quam uti materna fuderat alvus, perhibebant linguæ officio ad ipsam usque diem caruisse. Hæc pariter ubi venerandi corporis receptaculum deosculatur, plectro linguæ resoluto, vocis organa in laudem Dei sustolluntur. Ilis et hujusmodi quampluribus plebs Laudunensis exhilarans corda miraculis, quæ obtutibus nostris cernenda abstulit inexplicabilis concio promiscui sexus et ætatis, quæ etiam postmodum nobis relata sunt a fidelibus veris : grates solvebat majestati Celsitonantis. Non solum hujus, sed et cæterarum urbium indigenæ ad hæc confluentes spectacula, Deo solvebant ora vocibus hymnidicis, divino numini laudem dicentes, quod causa sanctum illac deportandi acciderit, credentes quoniam nunquam a tanto patrono talia suis emanarent oculis, nisi ecclesiam ipsius incendium devastaverit. Quippe quia nec ipsum suis allatum gauderent confiniis.

CAPUT X.

Inde utique cum immensa vulgi alacris pressura detorquentes vestigia, processimus tendentes versus

Noviom mœnia. Jam cursum immergere sol Oceano parabat aureus, cum castellulum, quod vocant Calneium advenimus, ibique hilariter hospitio recepti, noctu quievimus. Ubi de mane post vigilias nocturnas quamdam vidimus matronam, quæ in gremio confovebat puerum, gestantem absque lumine lampadem, ocellos dico in capite nullam in se habentes lucernam. Hæc itaque accedens incipit effari, mediaque in voce resistit : singultu quatiente dolorem, exprimens quo afficiebatur super glaucomate filii a nativitate cæcutientis. « Cum hoc, inquit, puero noctem hanc pervigilem duxi, excubans sub feretro S. Amandi. Hunc sane enixa sum mundo absque lumine naturali, et ad hoc eum huc detuli, ut radiis meritorum istius illuminaretur sancti. »

Sed quia nondum voti compos effecta sum, aliquibus hujus sancti reliquiis tangite, obsecro, loca lucernarum, si quo modo divina pietas mihi condescendat supplici, ad hunc sua gratia illustrandum. Tunc dentem sæpedicti patris fabrili opere, auro decenter politum, baculum quoque sumentes, quo prædicationis suæ rexerat præsulatum, posuimus, ut poposcerat genitrix, super loca luminum. Parvoque expleto intervallo, mox pueri ocelluli suo utuntur officio : nulla penitus obstante caligine clarescentes numine divino. Tunc vero quique astantes, genitor in primis cum genitrice, volentes hoc ad certam fidem experimento deducere, offerebant ei monilia, atque candelulas, cæteraque quibus, puerilis animus solet arridere : et ipse prout clare dijudicans cuncta celeriter arripiebat, mox quoque ludendo porrigentibus sibi vicissim rejiciebat. Digitis etiam innuebant, et ipse contra similiter faciebat. Nec mora canonici prosiliunt ad campanas ; nos autem cum populo in laudes prorupimus divinas.

CAPUT XI.

Dehinc Noviomum, quo ire pergebamus, pervenimus, ibique sancti Eligii quondam sancto Amando, dum uterque adviveret, familiarissimi loculos geminos alterum cum monachis ; alterum vero cum clericis obviam habuimus. Ubi ex diversis quibusque ordinibus suburbani, oppidani, clerici cum monachis adfuere, qui nostri patroni thecam cum immensa suscipientes veneratione ac summa devotione in ipsam pontificalis cathedræ ecclesiam detulere. Tenso itaque in platea urbis nostro papilione, iidem haud sine ipsius loci antistite Baldeuvino reverenter recipientes, eo asportavere, tanto gaudentes hospite. **736** Ubi nocturnis de more expletis vigiliis, matutinorum quoque nostratim peractis solemniis, en mulier adfuit oppressa enormi dolore vertiginis, in tantum ut sursum aut dextrorsum, sive sinistrorsum non valens caput deflectere, foret gaudio cassa luminis. Quæ secus feretrum astans, ad ipsam usque mediantem lucem diei, ita reddita est incolumis, ut his quibus præ dolore capitis privata erat remediis lætificaretur coram cunctis. Nam et visu pristino statim redimita suspexit cœlos, ad gratiarum Deo solvendas actiones, et circumferens oculos respiciebat hinc inde ad circumstantes, Domini circa se mirabiliter enucleatas narrans virtutes.

CAPUT XII.

Quo facto, statim per ora vulgi disperso, quidam cedens pede distorto adducitur, qui propria non credens humo vestigia, juvamine fulciebatur alieno. Unde factum est, ut sanctissimi confessoris requirens auxilium, ipsius exploraret gratiam meritorum. Nam diutius coram ejus manens tremebundus præsentia, tanti antistitis invocabat precamina apud divinam clementiam sibi profutura. Tandem igitur quod quærebat, reperit, et qui alienis venerat, suis vestigiis rediit : patrociniumque sancti sibi non defore persensit. Hæc et hujusmodi quamplurima non modo his, verum et aliis urbibus in Gallia, per nostrum hunc patronum, ut prælibavimus, ostensa sunt virtutum insignia, quæ aciei nostræ non valuerunt pertingere notitiam, præ immensitatis popularis pressura ; sed quia noluimus excedere promissa, ad præsens ea scribimus duntaxat quorum nostros oculos non latuerunt insignia.

CAPUT XIII.

Sed et illud reticere non ducimus commodum, quod Duaci perspeximus insigniter perpetratum.

Quædam namque inter alias incolumis processit nobis femina, sed nescio cui reatui obnoxia, non est inventa sancto occurrere digna ; fortassis in eum alicujus blasphemiæ rea, quam necdum digna punierat pœnitentia. Judicia enim Domini abyssus multa.

Unde factum est ut statim ubi domum rediit, pedes ejus natibus, manus quoque pectori quasi clavis infixæ hærerent, ac sic semimortua jaceret. Hanc utique vidimus ipsi ad perfugium nostri patroni, quasi mortuam, atque nullum penitus in se vitæ spiraculum prætendentem, quodam deferri vehiculo, sed non multo post, vidimus eam pedibus resolutis, ac manibus versa vice coram ipso erectam astare feretro. Hæc sunt quibus per Gallicam provinciam beatissimi Amandi merita, et tempestate declarare dignatus est Dominus. Cum quibus et alia, quæ ab ipsis infirmis sanitate redintegratis, sub testimonio fidelium nobis sunt relata. Qualia tamen ista, quanta et illa : in omnibus operibus suis sit nomen Domini benedictum in sæcula. Amen.

De juvene suspenso in pago Noviomensi per beatum Amandum suscitato

Præcipuum quoddam miraculum in pago Noviomensi a beato Amando factum, sicut quorumdam relatione didicimus, legere volentibus, qualicunque scripto notificare curabimus. Beato igitur Amando cum duodenis fratribus in pago Laudunensi, loco qui dicitur Baresetum commorante, contigit ut rex Francorum Dagobertus die quadam Compendium deveniret. Cujus adventu comperto, beatus illuc Amandus pergere disposuit. Qui cum ad villam Melincotum appellatam pervenisset, in domo cujus-

dam viduæ, quæ unicum habebat filium, hospitandi gratia divertit. Interea quidam raptores ex Belvacensi regione venientes, quamdam inde prædam furto abductam ante se deducebant. Qui cum ab incolis ejusdem regionis, se insequi perniciter cominus aspexissent : opaciore silva sese cum præda sua prointus immerserunt. Nec tamen de vita securi, adversarios se insequentes pernici gressu fugiebant. Fortuito jam casu, filius mulieris viduæ, in cujus hospitium beatus diverterat Amandus, per eumdem saltum solus deambulabat. Cui causam penitus ignoranti, prædam suam latrones quasi custodiendam reliquerunt : et ipsi semet tantum salvare volentes, expeditius jam fugere cœperunt. Porro viri qui prædam de manu latronum festinabant eripere : juvenem solum cum præda a latronibus dimissa in saltu repererunt. Quem quia unum ex latronibus fuisse existimaverunt, comprehensum illico A suspenderunt. Nec mora, rumor excitatur, clamor attollitur : filius mulieris viduæ suspensus atque jam mortuus esse nuntiatur. Ab omnibus pene incolis circumquaque manentibus curritur ad videndum, mater etiam suspensi, miserandis clamoribus ejulans, cum beato, quem hospitio susceperat, accurrit, Amando. Quid plura? In tantum vir beatus, super compassione mulieris indoluit, ut humi prostratus tandiu orationi, plenus lacrymis incumberet : donec juvenem vivum et incolumem propriæ matri gaudenti et exsultanti, Deo propitiante, restitueret. Ob hoc ergo paradoxi dignam et venerabilem memoriam, quædam capellula exiguo sumptu, in eodem loco constructa est, **737** in honore beati pontificis Amandi, ad laudem Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, B sanctum suum in cœlo et in terra, mirifice glorificantis. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PROLOGUS MIRACULORUM S. AMANDI.

Multis et frequentibus modis, si curamus advertere, gratia divina visitare nos, et ignaviæ torpore depressos excitare dignatur; et modo terroribus minatur, modo paternis blandimentis infirmitatem humanam consolatur. Terroribus, ut resipiscant peccantes increpat : blandimentis bene agentes exhortatur ut in melius proficiant. Aliquando interna inspiratione nobiscum agit; aliquando sensibus exterioribus insolita ministrando desidiam excutit. Videns enim querelas aliquorum, quod sicut antiquitus faciebat, prodigia nulla nostris ostendat temporibus murmurantium, renovat aliquando miracula, per corpora vel cineres etiam defunctorum Patrum, quæ viventibus ipsis concessit operari signa foris apparentia interiorum virtutum. Quid enim aliud prætendunt sensibus nostris opera divina, quæ per sanctos suos operatur omnium creatrix sapientia, nisi quod in eis habitantem intelligamus, tanquam in templo suo, cunctorum opificem et loquentem, et facientem? Quanquam etiam ut suam demonstret omnipotentiam, per iniquos operetur ad utilitatem suorum, et D ad confutandam infidelium improbitatem multa miracula, quas virtutes figurate solet appellare Scriptura, ut ipsa Veritas attestatur in Evangelio : « Multi dicent mihi : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? (*Matth.* VII). » Cum autem ad corpora sanctorum divinitus miracula fiunt, quid aliud inde nobis cœlitus innuitur, quam ut ad imitationem saltem illorum, ad bene operandum accingamur quorum meritis talia fieri non dubitamus? C Evigilent itaque mentes hominum mortifero torpore dormientium, et admota sensibus suis opera divinitatis intelligant, ut sanitates corporum, causæ fiant salutis animarum. Ad hoc enim frequenter in corporibus morituris sanitates reparantur, ut vel occasione tali, videntium animæ nunquam morituræ ab interno languore suscitentur. Benignitas etenim Creatoris omnibus consulit, pro capacitate singulorum, beneficia singulis congruentia moderanter impertit. Sic prudentes et fide robustos, ad contemplanda cœlestia erigit, ut simplices tamen et infirmos non deserat : et sensibus carnis deditos visibilia quædam, et carnalia eis admovendo, ad majora et invisibilia et spiritualia nutriendo sustollat. Jam veniamus ad rem propter quam ista prælocuti sumus ne forte longiori præfatione legentibus onerosi videamur.

INCIPIUNT CAPITULA.

I. *Principium narrationis rei gestæ et de muliere sanata.*
II. *Item de alia muliere a contractione manus sanata.*
III. *Item de tertia muliere a totius corporis debilitate sanata.*
IV. *De circulo supra sancti corpus in aere viso.*
V. *De puella a natiritate cæca meritis sancti illuminata.*
VI. *De puero contracto et erecto.*

VII. *De puella alia cæca a nativitate et surda, et meritis sancti sanata.*
VIII. *De surdo in occursu sancti auditum recuperante.*
IX. *De muliere apud Tornacum sanata.*
X. *De brachio mulieris contracto et sanato, et quod non omnia miracula quæ in sancti deportatione gesta sunt, in hoc opuscula sint digesta, et quod animarum remedia per ea divinitus procurata, magis quam corporum sint amplectenda.*

INCIPIUNT MIRACULA S. AMANDI

QUÆ FACTA SUNT PER BRABANTUM.

CAPUT PRIMUM.

Sicut inspiratione divina, compuncti multi fideles, pro remissione peccatorum suorum, de suis rebus et prædiis, ecclesias aut monasteria solent ædificare, sic homines nequissimi, diabolo suadente, res ecclesiis et monasteriis a fidelibus traditas invadere, diripere quotidie moliuntur et auferre. Hujusmodi causa necessitatis urgente, scilicet ea quæ dudum a regibus et religiosis principibus, ob salutem animarum suarum, Deo et sancto Amando collata fuerant in pago Brabanti malignis hominibus auferre cupientibus, et jam **738** violenter ablata retinentibus : anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo septimo, cœnobio Elnonensi præsidente domno abbate Hugone, vicesimo secundo anno ordinationis ejus, feria secunda Pentecostes deportatum est corpus sancti in Brabantum. Ventum est ad prædium sancti, quod dicitur Anduennium, et ad aliud quod dicitur Ad Sanctum Salvatorem. Populus unde multus accurrit. Ibi quædam mulier ægra per decem et octo annos, in lecto decumbens, corporis infima parte, id est cruribus et tibiis debilitata, audivit sanctum transire, facit illuc se deportari : ponitur sub feretrum sancti. Ubi per aliquot horas, præ nimio dolore voluta, populis aspicientibus repente subrigitur : astat sana, clamor popularis exoritur, laudes Creatori communiter referuntur.

CAPUT II.

Cum de Anduennio ad Geraldi montem deportatum corpus sancti de Geraldi monte ad Herlengonam defertur, sui juris villam : transeuntibus nobis rivulum nomine Lotam, accessit universo mista populo mulier quædam, manum dexteram nervorum contractione sic habens debilitatam, ut nullum opus inde posset agere; accessit, inquam, ad feretrum sancti, manum debilem fideliter applicuit, rediit : in redeundo sanitatem manus integram recepit.

CAPUT III.

Perventum est ad prædictam villam. Sequenti die lucescente, corpus sancti, propter confluentem populi multitudinem, ab ecclesia, quia minus erat capax, elatum est : ac sub aere nudo, lignea structura, cortinis circumpendentibus decenter aptata super, collocatum. Ibi rursus alia mulier toto corpore debilis et cruribus misere contractis, allata subter feretrum sancti deponitur, et prius æstuans, et deficiente spiritu pene bis exanimata præ doloris angustia tandem extenditur, atque domum proprio jam gressu sana rediit, quæ delata fuerat alieno.

CAPUT IV.

Cumque circa tertiam horam, ante sacratissimum corpus inciperent missam celebrare, mirabile dictu, ut cunctis evidenter appareret cujus meritis hæc signa fiebant, sereno puroque sine crassitudine nubium aere, visus est in cœlo circulus candidi coloris, supra corpus sancti resplendere, tamque diu permansit, donec sacerdos missam explevit. Aderat non modica populorum frequentia, res insolita mirantium oculos perstringebat, in superioribus aeris partibus cunctis apparens occultari minime poterat. Prudens lector apud se intueatur, quid per illud signum in cordibus intuentium divina bonitas operabatur, suspiria certe lacrimæque cum gaudio mistæ, devotionem populorum illud cum stupore cernentium testabantur. Inde perlatum est idem pretiosum corpus super terram, unde sibi violenter a quibusdam malignis hominibus injuria fiebat, per silvas et terras quas illi per injustitiam invaserant, hos quoque sanctus æquissime nullo resistente subjiciens mancipavit. Atque in præsentia sancti corporis, cui viventi sanctus Petrus apostolus, potestatem ligandi dedit atque solvendi, omnes qui deinceps de terris illis ac silvis, aliquam sancto præsumerent injuriam inferre, fratrum qui sanctum comitabantur, et circumstantis populi consensu, voluntate, oris et vocis proclamatione sunt excommunicati.

CAPUT V.

Eodem die vesperascente sancti corpore jam in ecclesiam reportato, quibusdam e fratribus sanctum comitatis jam quiescentibus, quibusdam adhuc vigilantibus, puellula quinquennis a nativitate cæca deducitur a matre sua, juxta feretrum statuitur, meritis Amandi Patris oculorum depulsa caligine subito divinitus illuminatur. Quæ cum se videre matri proclamasset, et infantiæ simplicis hilaritate nimis exsultaret, talis etenim ætas aut simulare quod non esset, nesciebat, aut dissimulare quod esset, nequibat, rerumque circumpositarum formas, quas antea nunquam viderat admirans, valde stupere; mater ejus prima sentiens quæ filiæ contigisset exclamat, populus dicto citius quid factum esset au-

diens rei novitate perstrepit, curritur ad ecclesiam, campanæ resonant, fratres ocius accurrunt : puellam ultra quam dici possit gaudentem mirantur. Experientiæ causa panem, aliasque res oculis ejus admovent, illa manus extendere, quacumque res obiatæ sibi circumferebantur, vultu, brachiisque sequi. Quid ad hæc aliud dignius agerent, quam ut inde brgitorem omnium bonorum te Deum laudarent?

CAPUT VI.

In crastino parentibus Gandam adire, puer ferme quindecim annorum, de villa quæ Ninive dicitur, filius cujusdam divitis, utrâque tibia contractus, ut suræ retro cruribus adhærerent, in tantum ut una cutis utrorumque facta esset membrorum : delatus et loculo sancti subterpositus, repente suris ac cruribus disjunctis horrendum exclamavit, **739** sanguis a loco disruptionis, ac si ferro membris sectis, ubertim diutius emanavit. Ipse gressibus erectis, super pedes sanus consistens ambulare cœpit.

CAPUT VII.

Sequente feria, secunda post octavas Pentecostes, dum corpus sancti deportatum fuisset super quamdam terram, de qua miles quidam Razo de Monte, sancto faciebat injuriam, quædam puella de Ganda circiter duodennis a nativitate cæca et surda, deducitur a parentibus, coram feretro sancti statuitur : miseratione divina tanti Patris exigentibus meritis, auditu et visu donatur. Quod miles cernens, divino timore corripitur, culpam de injuria fatetur, emendat sancto quod deliquerat, postulat indulgentiam, veniam promeretur.

CAPUT VIII.

Jam revertentibus et cum immensa jucunditate tanti pretii thesaurum domum revehentibus, transire per Tornacum habebamus. Inter innumerabile vulgus quod de villis circumjacentibus occurrebat undique sancto, quidam de rure Rungiaco, privatus utriusque auris auditu, cum suis vicinis Tornacum advenit, adventum sancti cum illis præstolari cœpit. A Cum autem aliqua mora fieret, divertens cum sociis, prandere cœpit : cum subito signa ecclesiæ, in adventum sancti personuere, audientibus aliis in primis se clamavit audire, suffragantibus ipsius patris vere dignumque Amandi meritis confessus est auditum se recepisse. Vota postmodum, ceræ scilicet ligaturam circa suum caput deferens, ad monasterium nobis videntibus devote persolvit.

CAPUT IX.

Cumque per civitatem transeuntes jam portas egressi fuissemus, repente sequentis populi clamor post tergum nostrum extollitur, mulier debilis quam post sancti feretrum deportabant, erecta conclamatur : corpus sancti violentia populi retro portatum ad locum, ubi sanata mulier stabat, subsistere compellitur : in laudem Creatoris omnium ora convertuntur. B

CAPUT X.

In hac sancti Patris per viam seu per rura deportatione, facta sunt et alia quædam nobis quidem absentibus, sed fidelium relatu postea nobis comperta, quæ partim tacemus unum autem notamus, scilicet de quadam muliere, quæ apud Anduennium manebat, cujus brachium per debilitatem, ad scapulas ita retortum adhærebat, ut nullatenus illud movere, vel ad os applicare valeret. Allata est ei aqua, quam ad remedium infirmorum ad sancti loculum admovebant. Brachium inde lavit, extendit : colum et fusum opus femineum ut operaretur, quod antea nequibat, efficaciter apprehendit. Mirentur alii sensibus carnis admota signata talia virtutum, sanitates videlicet corporum, nos magis amplectamur curationes inde factas animarum. Quis enim sapiens non magis gaudeat animos dissidentium in pacem reconciliatos, odia mortifera sedata, videlicet animas a morte resuscitatas, quam parvo tempore duraturam sanitatem carnis reparatum? In omnibus autem, corporis animæque Creatorem ac Reparatorem laudemus, glorificemus, benedicamus. Amen. C

—

Incipit miraculum in ecclesia Sancti Amandi infra urbem Rothomagensem ejus intercessionibus factum, de muliere quæ se laqueo interemit, et Christi subveniente gratia iterum vitam recepit.

Desideratissimo et in Christi membris valde venerando Bovoni, Elnonensis cœnobii abbati, totique beato a Deo sibi credito conventui : Marsilia abbatissa ancillarum Christi ultima, et universa sororum congregatio in urbe Rothomagensi Deo et sancto præsuli Amando serviens, ita de virtute in virtutem provehi, ut Deum deorum in Sion merito valeat contemplari. Virtutibus et miraculorum insignibus, a Deo vobis cum per sanctum et communem Patrem nostrum perpetraris, quoddam præclarum in ecclesia nostra, et nobis præsentibus, ejusdem sanctissimi Patris nostri meritis, divinitus D gestum inserendum est miraculum, quod breviter stylo exaratum vestræ sanctitati dignum duximus insinuare. Congruum est enim, ut sicut in castris regis æterni, etsi sexu dissimiles, proposito tamen æquales, sub uno eodemque patrono militamus, ita de virtutum ejus triumphali præconio ad honorem Dei unanimiter congaudeamus.

Anno igitur Dominicæ incarnationis millesimo centesimo septimo, in pago Lysiacensi quædam illustris femina, non tam suis exigentibus peccatis, quam ut gloria Dei in **740** sancto suo præsule latius clarescerat, tantam antiqui hostis incurrit

sævitiam, ut primo malignis et variis cogitationum phantasmatibus delusa agitaretur : postremo naturali sensu perdito, hoc solummodo agendum deliberaret, qualiter absentibus cunctis, manus sibi injiceret, vel laquei suspensione, aut fluminis submersione, quoquomodo vitam abrumperet. Quod et fecisset, nisi sæpius mariti sui repentinus occursus obstitisset. Seducta enim fuerat a quadam muliercula quæ, inquieta et garrula, per domos, per agros, per plateas eam deceptoriis colloquiis adiit, asserens quod vir ejus odio eam haberet : et alteram magis diligens, sibi in carnali copula præferret. Mox illa credula mentienti, quemadmodum olim Eva serpenti, in tristitiam quæ mortem operatur, incidit : et immemor Dei et Christianæ fidei hoc semper machinabatur, ad hoc laborabat modis omnibus, ut qualicunque arte diabolica miseram vitam finiret. Sed divina miseratio, quæ neminem vult perire, ad multiplicandam sancti confessoris sui Amandi laudem et gloriam, ne hoc fieret, prohibuit. Cumque maritus suus tantam insaniam intelligens, crebro eam blandis deliniret verbis et consolationibus, ut ab hoc diabolico intellectu resipisceret, et se suamque familiam tali incommodo tristem exhilararet : illa ad verba exhortationis tale responsum dabat miseræ desperationis. « Hoc inquit, nullatenus fieri potest, sed sinite me ire in infernum cum diabolo, cui prædestinata et data sum. » Hoc nequam verbum nullis blandimentis, nullis promissionibus vel minis, ab ejus ore potuit avelli. Tunc inito salubri consilio malesanam mulierem ad ecclesiam beati Amandi adducunt, cui hoc specialiter genus virtutum a Salvatore collatum creditur, ut ei nulla vis dæmoniaca valeat resistere. Quapropter meritum illius inter cœlestium potestatum numerum sortiri nullo modo ambigimus, quarum ditioni virtutes adversæ subjiciuntur. Cum autem mulier a nonnullis sanæ fidei, et utriusque sexus, qui ad eam gratia visitationis et exhortationis confluebant, obnixe rogaretur, ut se salutiferæ crucis signo muniret, minime acquiescebat; sed illud superius dictum infelicitatis elogium repetens, conquerebatur attentius, cur tantas moras ageret eundi ad interitum perditionis.

Inter quos cum quidam religiosi viri, et sagacioris ingenii propius accessissent, et eam secretius alloquerentur, composito satis sermone respondebat infernalibus flammis et sulphureis pœnis se omnino esse traditam, quarum etiam portionem in hoc mundo detenta senserat, et quod est residuum, exspectabat, non multo post sibi adesse futurum. Tunc ab his qui integræ fidei, et intellectu perspicaciores erant, decretum est ut aqua dolio infusa benediceretur, et in crastino per manus sacerdotum, cum invocatione nominis Christi et ejus virtutis ac potestatis, ibidem deponeretur. Quibus illa sagaciter auditis et intellectis : vehementer obstupuit et acrius urgeri ac crebra trahere suspiria cœpit.

Dehinc circumspectis omnibus, calliditate diabolica exterius modestiam simulabat, cum interius inimici fureret insania. Vespere itaque facto extra chorum educitur, et coram altari in quo sanctus Amandus missas celebrare consueverat, statuitur. Deinde ingruentibus noctis tenebris, custodibus ad eam servandam deputatis : recesserunt qui eam adduxerant. O versutia diaboli ! o dolositas serpentis antiqui in perniciem generis humani ! extemplo enim infelix mulier, ubi opportunum neci tempus reperit, fraudulenter vigiles admonet, ut post excubias et labores, quos in eam impenderant, amodo quiescant; et tanta incommoditate fessi jam somno indulgeant. Fingit etiam se cum illis nimium fatigatam velle quiescere. Siquidem jam septem dies totidemque noctes fluxerant, ex quo illuc adducta fuerat. Cumque stratui parato et satis honeste composito, paululum se velut ad dormiendum dedisset, et per gyrum circumspiciens, neminem adfore sensisset : camisia tantum induta, parietem, qui eminentior videbatur, furtim ascendit, et partem pepli quo caput tegebat, in summitate columnæ ejusdem parietis connexuit : de reliqua vero parte laqueum cursorium miro modo paravit, in quem collum injiciens et cum impetu prosiliens : cum tanta vi collum flexit, ut radius sanguinis de gutture exiens, parietis obstantis partem maculasset. Jam medium noctis transierat, et quidam de custodibus expergefactus surrexit, qui eam in lectulo non inveniens, lustrata omni ecclesia, tandem ubi pendebat locum reperit : et ingenti percussus horrore, corpus rigidum et penitus exanimatum intellexit.

Qui illico clamore magno perstrepens, quid contigisset, vociferando indicavit. Quibus auditis fit undique sanctimonialium concursus, clamor circumquaque exoritur, misera defuncta misere plangitur, sanctus Amandus multis gemitibus et lacrymis invocatur ne loci sui dignitatem deperire patiatur : sed ad se currentibus clementer subvenire dignetur. Tunc accenso lumine, pendentis collum a laqueo avellitur, et cadaver exanime super templi pavimentum dejicitur. Deinde tres ex sororibus quæ audaciores vel prudentiores esse videbantur, quia nox erat, archidiaconum expetunt, et quid facto opus sit flentes inquirunt. Quibus ille tale responsum atque
741 consilium dedit, ut antequam illucesceret, cadaver de ecclesia abstraheretur et quamlibet in foveam projiceretur. Quas redeuntes et ipse archidiaconus subsecutus est, et cum clamantibus et circumstantibus tantam diabolicæ fraudis admirans versutiam astitit. Interea dum quædam sanctimonialium propius accessissent, una earum, palpitantem redivivum in pectore spiritum sensit : et interdum paulatim rubere faciem, interdum vero paulatim oculos aperire, et ima suspiria interdum trahere intellexit. Circumstantes autem hoc diligentius explorantes, ingenti clamore sancti patroni sui Amandi auxilium invocant : et pectora sua percutientes, orationum vota multiplicant. Dum hæc agerentur, cognoverunt subito Dei omnipotentis virtute et sui

gloriosi et admirandi antistitis Amandi intervention, animam ad corpus rediisse. Illa tamen die ac subsequenti nocte, postquam resuscitata fuit, sine vocis officio mansit. Tantum enim sibi inerat robur fortitudinis, ut vix a quatuor hominibus teneri posset. In crastino vero, aurora illucescente, prima vox ejus fuit : « Sancta domina, pia Dei genitrix Maria, adjuva me ; » ac deinde ad laudem nostri Salvatoris et ejus dilecti confessoris os aperuit, et multimoda congratulatione, omnipotenti Deo gratiarum vota persolvit. His ita gestis, accersito quodam sacerdote confessionem de præteritis peccatis suis plenariam fecit, et absolutionem humiliter assecuta est.

Ac deinde subjungit : « Gratias ago tibi, Domine Jesu, qui me tua gratia, sancti Amandi domini mei meritis resuscitasti, et de manibus perniciosissimi hostis et inferni voragine liberasti. Te cum Patre et Spiritu sancto fideliter credo, te adoro, et omnibus Satanæ pompis et insidiis abrenuntio. » Hoc ubi mirificum longe lateque personuit miraculum, gloriosus et mirabilis Deus in sancto præsule suo magnificatur, per quem tot signa mirabiliter operatur. Sicut enim quondam in mundo positus, latronem affixum patibulo et exstinctum, oratione resuscitavit; sic et nunc in cœlo vivens cum Christo, miseram mulierem, quæ suspendio interiit, suis pretiosis meritis ad vitam revocavit, ad laudem Domini nostri Jesu Christi, qui solus et ubique cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita sæcula sæculorum.

SERMO

DE ELEVATIONE CORPORIS SANCTI AMANDI.

CAPUT PRIMUM.

Quia opera omnipotentis Dei enarrare, fore honorificum per Raphaelem archangelum, cœlestis medicinæ docemur bajulum, dignum arbitramur, imo necessarium ; elevationem corporis sacratissimi pontificis Amandi memorabilem non tacere. Est quippe in ea, et divini miraculi portio non minima, et ejusdem beati viri laudis ac sanctitatis materies infinita.

Igitur anno Verbi incarnati, scilicet filii Dei pro salute ac redemptione humani generis octingentesimo nono, qui erat annus a transitu viri Dei Amandi centesimus quinquagesimus, plurima ultra solitum, aquarum inundatio facta, multis in locis metas suas excesserat, atque circumjacentes fluminibus agros, damnosa segetum vacuatione nudaverat. Quod periculi malum adeo usque excreverat, ut etiam incolæ fluminibus proximi habitacula avita cogerentur deserere, et in sublimibus colliculis donec decrescerent, mutatis tabernaculis habitare.

CAPUT II.

Hæc vero excrescentium aquarum copia de die in diem, augmento imbrium intumescens, etiam oras fluvii vocabulo Scarpi nimietate sua impleverat, qui beatissimi patroni nostri Amandi tumulo pene contiguus, non amplius ab eo quam viginti passibus distabat. Qui quotidiano crementō superefluens, in tantum excrevit, ut ad sacrosanctam sacratissimi corporis sepulturam accederet, atque omne illud ædiculæ ipsius spatium, quod circa pedes adjacet, superfusis aquis impleret, siccumque pergentibus ibi gradiendi iter negaret.

Hujus itaque incommoditatis tristis eventus, monachorum animis mœrorem non modicum intulit, præcipue vero venerabilem Lotharium, sacri templi illo in tempore ædituum, non mediocriter perculit. Cujus sagacis animi industriam, operumque efficaciam, et corpora librorum nostro archivo indita, ac totius cœnobii in melius augmentata, etiamsi humana lingua taceat : fabricæ structura clamat.

Hic igitur, insoliti permotus novitate diluvii, secum cœpit pertractare mente sagaci, quibus modis imminenti succurreret periculo, aut tali ac tantæ perniciei quali obsisteret suffragio. Sollicitus enim erat, ne usque ad pretiosissimi thesauri depositum, sacri videlicet patris corpusculum, altius telluri, ut in altero sermone diximus, a beatæ memoriæ antistite Eligio defossum, eadem, aquarum affluentia penetraret, atque ipsum circumflua humectatione, et improbo ausu contingendo violaret. Tandem ergo ancipiti dubietate submota ad hoc se salubre consilium sustulit, divino, ut credi decet, instinctu animatus 742 quatenus ipsam sacri corpusculi urnam de inferioribus ad altiora subrigeret, eamdemque deinceps ab omni hac alluvione tutissimam, limosaque palude secretissimam, sua provisione redderet.

CAPUT III.

Die igitur constituta clericorum caterva ad tantum opus congregata, fossores necessarios adhibuit, atque sareophago elevando, plurimam diligentiam impendit. Quod summa cautela, ut dignum erat, levatum, in sinistra parte deponi fecit, ac festiva celebritate, per ampla ædis spatia, lychnis relucentibus, missarum solemnia, pro tanti præsulis honore devotissime exorsus, super eumdem tumulum implevit. Et quamvis in circuitu ipsius sepulcri, aquatilis humor extrinsecus fuerit, non tamen intrinsecus lutulentis sordibus, seu aquæ guttulis introitus patuit. Nec immerito credibile est Deum, qui om-

rium creaturarum naturas, pro suo arbitrio in quascunque vult rerum species transformat, ac tumescentia maria proprio nutu, arenis, quasi habenis fortissimis frenat, etiam dilecti sui cadaveri, tanti honoris beneficium præstare potuisse, ut intra ipsius urnæ vasculum, quo pretiosum tenebatur depositum, nihil intraret sordium, ut cunctis fieret ejusdem venerandi pontificis meritum manifestum.

Expletis igitur missarum solemniis, paucis secum quos voluit, ex monachis retentis, cæteros abscedere fecit, ac non tam temerario ausu, quam fidelis animi devotione fervens, explorare diligentius amica curiositate duxit congruum, quid sub oculis positum intra uterum suum teneret vasis receptaculum, simulque æstimans necessarium, ut ad devotionem honorandam quærentium, de pulvere carnis, sive de ossibus illius tolleret aliquantam portiunculam reliquiarum.

CAPUT IV.

Interea, omni dubietate submota, idem archicustos ad tumulum jam in superficie pavimenti positum humiliter accessit, atque operculo lapidis quo legebatur remoto diligentius introspexit. Et ecce obtulit se obtutibus illius vir cano capite reverendus, abstinentiæ ac jejuniorum macore, quibus comitibus vixerat pallidus, sanctitate morum, meritorumque præcipuus; incorruptione quoque membrorum suaviter fragrantium quasi aromaticus, ac toto corpore incontaminatus : hoc solo quod in sepulcro erat dormienti simillimus, vestimentis pontificalibus honesta pulchritudine adornatus.

Res raritate sui valde mirabilis, atque pro sui magnitudine humano sermone vix explicabilis. Qui enim putaverat se putrefactæ carnis, uti in mortuis fieri assolet, reliquias inventurum, reperit ultra æstimationem, inviolati corporis memorabile prodigium. Quali hæc visio digna miraculo, quamque immenso stupori proxima fuerit, eloquentia humani ingenii effari nequit, quin minus ariditas nostri sermonis, hæc explicare, ut decet, tenuissimis valeat verbis.

Stupefactus igitur ut par erat, tam inopinati visione portenti, Deo debitis laudibus benedixit, tantorumque donorum largitori gratias egit. Congaudens etiam tanti inventione thesauri, non modico iterum cœpit sollicitudinis angore cruciari : multa animo volvens, quid ex ipso ad commemorationem sequentium pro munere deberet auferri.

CAPUT V.

Ubi vero fluctuantem animum anchora consilii stabilivit, casulam qua erat indutus, a sacratissimo ejus collo abstulit : eumdemque in latus utrumque versans, cannas arundinum fluviales, quæ sub ipso olim positæ fuerant, propter humorem aquatilem subduxit. Idque suis desideriis minus esse perpendens, nisi etiam ex corpore aliquam tolleret inviolatorum portionem membrorum, vertit audaces, ut ita dicam, ad cadaver venerabile manus, unguesque spiritualis vituli cornua producentis et ungulas secuit. Quæ post obitum illius, contra naturam ita excreverant, ut etiam manicas manuum ejus cremento suo penetrarent. Necnon et barbam pontificis nostri, scilicet Aaronis, post sepulturam ipsius recrescentem totundit.

Hæc vero omnia sibi summo devotionis obsequio recondens, nec sibi tamen, suisque desideriis sufficere credens, ad os sacratissimum, per quod divinæ pietati, crebræ orationum preces fuerant fusæ, ac variis populis frequentes prædicationes directæ, ausus est manum mittere, atque si aliquem de dentibus illius posset eximere, studuit pertentare. Sed et cum hoc, pro eorumdem firmitate nequiret perficere; fabrili instrumento, tenaci videlicet forcipe usus, de gencivis pulcherrimi oris duos dentes eduxit : rubicundo ebore, ut credi decet, ac antiquo sapphiro pretiosiores. Mirum dictu! fidelem quærens auditorem, quod contra naturam est, mortui cadaveris de dentibus eductis stillæ fluxerunt cruoris, hujusque monumenti usque in diem hodiernum, testimonium acerra præbet eborea, adhuc eodem quo infusa fuerat sanguine, **743** cum ibi servandi mitterentur, mirabile dictu, cruentata.

CAPUT VI.

Renovatum sane in hoc facto, imo iteratum divinæ majestatis opus veneramur, quod in primo mundanæ conditionis exordio editum legendo recordamur, quando de primi parentis latere in paradiso dormientis costam eductam legimus, eamdemque in muliebrem formam effigiatam audimus (*Gen.* II). Necnon et illud quod eodem actu figurabatur mysterium, de latere videlicet Christi in cruce dormientis cum aqua sanguinem eductum, quando patefacto vitæ fonte, mucrone militis, manavit pretium nostræ redemptionis, atque conscisso thesauri sacculo, sponsalis margariti egressa est plenitudo. Dotalis etiam pacti supra crucem scripti stipulatio, in pulcherrimo, Hebraicis, Græcis, Latinisque expressa litteris apparuit albo. De quibus ecclesia ad sui Conditoris ac Redemptoris similitudinem reformata, omnium credentium mater vitalis videlicet Eva est, remota priori calamitate, effecta.

Non penitus incomparabile per omnia, de quo antea diximus, nobis videtur miraculum, quando aperto ore nostri Patris, nos in Christo per Evangelium generantis, pretiosissimi stillæ fluxerunt cruoris, quo omnis ecclesiæ conventus amabilis, augmentum vere percipere meruit credulitatis, castoque conjugii fœdere digna effecta est et fidelis.

CAPUT VII.

Dormivit igitur vetustus ille in paradiso Adam : et ex osse proprio fabricatam suscepit in conjugale contubernium Evam. Quievit postea Adam novus illius antiqui protoplasti protoplastes, in crucis supplicio, et ex cruore sui lateris subarrhatam sibi aptavit ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, sed corpore et spiritu immaculatam. Repræsentavit vero quadam similitudine nobis illos utrosque nostræ plebis pater et parens, iste de proximo

post centum quinquaginta annos sui obitus dormiens in sepulcro; primi Adæ similitudinem referens in osse exemplo; secundi Adæ, id est Christi imaginem præbens in cruore effuso. Quibus utrisque gestis mirabilibus, præsentem sibi ecclesiam ad sua solemnia congregatam, quasi veram dilectionis ac fidei puritate conjugem, omnium nostrum matrem videtur acquisisse. Quæ illi propria alvo, fonte videlicet sacro filios generans, mirabile dictu! et mater perseverat et virgo. De quorum collegio etiam ego, qui ista nunc suppleo; quamvis degener ejus inenarrabili pietate existo.

Sane illa quæ verax priscorum Israeliticæ nationis judicium narrat historia, huic, de quo loquimur, non longe videbuntur dissimilia. Samsonem fortissimum omnium ducum quærentem conjugium, rugientem in semita obvium habuisse leunculum, atque de ejusdem violenter necati maxilla, cum regrederetur, mellis sumpsisse favum referunt, suisque convivis ænigma proposuisse obscurum. Istis hæc aliqua sui portiuncula conveniunt, porro ad credendum titubantium animos instruunt, in quibus adhuc fides frigescente charitate vel vivit, vel potius, ut ita dictum sit, mortua vivere se credit.

Non itaque insanientum more poetarum, inanes et a veritate vacuas fingimus fabulas, neque juxta Mantuani vatis figmentum, Æneio exemplo, de tumulo Polidori, auri sacra fame necati, hastilia cruenta extrahimus; sed ad laudem Domini meritum, et nomen amabile Amandi præsulis sancti adornare desideramus. Porro si illa meretricio sermone, et cultu compta persuaderi quasi vera potuerunt paganis, quæ redargutio digna inveniri poterit Christianis, si minori fide dubitent de certis, quam illi de mendacibus et incertis? Superest itaque ut aut omnipotentiam Dei negent, aut de sanctitate tanti viri dubitent: et hac insania, etiam paganis deteriores exstent. Sed de his jam satis dictum sit.

CAPUT VIII

Igitur ablatas de corpore viri Dei Amandi supramemoratas reliquias, congruo loco, debito honore deposuit, lapidum etiam cæsores, necnon et cœmentarios adhibuit, aliaque perplura quæ ad hoc opus apta videbantur, exquisivit. Corpus vero venerabile a die duodecimo Kalendarum Octobrium quibus elevatum est, usque ad decimum Kalendarum Novembrium, quibus restitutum est, per triginta duos dies supra terram manere permisit, ac die eodem, magno cleri, populique conventu congregato, in loco præparato recollocavit. Urnamque sepulcri, non ut antea fuerat, in profundioribus posuit, sed in superioribus, ita ut fundamentum illius videri, et lumen sub illo accendi posset, collocavit, atque in eo illum psalmi versiculum. Hæc requies mea in sæculum sæculi, suprascripsit. Utramque vero elevationem videlicet corporis, atque restitutionem, celebrem esse fecit, suis etiam successoribus honorabilem in perpetuo fore sanxit. Quod hactenus nos devotissime hodierna celebritate colimus, ac nostros, ut ea maneat cura, posteros monemus.

744 Hæc nos cum a patribus qui his interfuere, et numerosi supersunt, audissemus, frequenti sermone narrantibus, silentio nequaquam infructuoso regere permissi sumus, sed ad laudem Christi pontificisque ipsius, vili dictatu posteris transmisimus. Talibus et tantis usque in præsens virtutibus, ejus celebrabilis honoratur tumulus. De sanitatibus vero in basilica ejus, qua requiescit, ipsius intervenientibus meritis patratis, aliqua hic commemorare supersedimus, quoniam de his satis in libello vitæ illius expressa cognoscimus. Siquidem ad ejus memoriam cæcitas visum, surditas auditum, debilitas gressum; et taciturnitas linguæ recipit officium. Hæc nempe quasi communia sanctorum dona referre omittimus, quia ad ignem in ejus memoria divinitus accensum stylus festinat stolidus: cui hebes prona devotione concurrit animus.

CAPUT IX.

De igne cœlesti in memoriam Beati Amandi divina virtute mirabiliter accenso.

Denique ab incarnatione Domini octingentesimo quinquagesimo quinto, a transitu vero beatissimi Amandi centesimo nonagesimo quinto, atque ab elevatione corporis ipsius quadragesimo septimo, die vicesimo mensis Septembris, celebritas anniversaria sæpedictæ elevationis illius imminebat, quæ minus digno devotionis studio solemnis exstabat. Siquidem quotidianis diebus contempta, officio nullo feriali honorabilis erat obsequio. Quam negligentiam divino correctam prodigio sequenti manifestius liquebit eloquio. Non enim, ut aliquid etiam in transcursu dicamus, Dei omnipotentis miracula, sive per ministros suos acta, tantum ad strepitum et plausum, favoremque vulgi excitandum credimus patrata, sed ad fidem corroborandam credentium, correctionemque animarum errantium, cœlestia terrigenis monstrari opera tenemus certissimum, ut quia quotidianis præceptorum sacrorum admonitionibus non emendamur, portentis quibusdam quasi stimulorum aculeis corrigamur. Et quia more generorum Loth obdurati, ut perituræ Sodomæ terga fugiendo præbeamus, atque ad montem virtutum ascendamus, obedire nolumus, fit ut nobis sermonem divinum, qui per Loth figuratur, quasi per lusum loqui videamus: terribiliaque præcepta, mortem ac perditionem minantia, juxta prophetam, in canticum oris nostri vertamus.

CAPUT X.

Quid itaque isto de quo loqui incipimus signo, ignis videlicet divini accensione nos admonitos putare debemus, nisi ut flammam geminæ dilectionis, Dei videlicet et proximi, in nostris, cordibus accendamus, qua in conspectu summæ majestatis lucem valeamus, vitiorumque rubiginem de actibus nostris ardore illius ignis, quem Dominus noster in terram, hoc est, terrena corda misit, ad puram

expurgemus, ut depulsa plumbi, id est iniquitatis et peccati a nobis gravedine, ad cœleste diadema nostri regis, quasi aurum purissimum nos præparemus? Sed de his satis, quamvis præpostero ordine dicenda fuerint, præoccupando diximus : nunc ad ipsius signi magnitudinem, linguæ plectro et calamo scribæ accedamus.

CAPUT XI.

Die igitur qui jam dictam elevationem ordine temporis præcedebat, terminata synaxi vespertinæ celebritatis, non ita pleno, ut dignum erat, apparatu luminis neque etiam festivo conventu, ut decebat, turbæ popularis, nox propinquabat. Completoriisque peractis, tenebrarum horror jam lucernis egebat, ac quoniam quiescendi tempus jam venerat : monachorum singuli lecti sternia petierunt : custodibus in aula basilicæ relictis. A quibus more sibi solito, lucernis, nocturnis horis ardere suetis, accensis, atque universis per tota ædis spatia cereis exstinctis, dum unus eorum, post minimi intercapedinem temporis, diligentiam templi observans, redisset : cereum ad sancti vestigia ardere solitum, ac paulo ante exstinctum, fuso cœlitus ignis candore reperit radiantem. Quem dum ab aliis æstimat illuminatum : iterato credidit exstinguendum. Sic a singulis vicissim sibi succedentibus tertio exstinctus : tertio nihilominus apparuit cœlesti igne coruscus. Qua de re quod supererat in unum convenientes, ac singuli se eumdem exstinxisse memorantes, et quis ipsum reaccenderit conquirentes, ita eumdem denuo exstinguendum putaverunt, ut etiam carbonem, qui ex filo remanserat, emunctoriis digitis adimerent, probare volentes utrum rursus repetito luminis candore radiatilis appareret. Nec dum quippe rem tanti miraculi pleniter agnoscebant, quamdam tamen animo sollicitudinem de hoc facto, jam omni modo capiebant. Qua de re dum ipsum cereum 745 quarto reaccensum conspicerent, stupefacti, imo perterriti, quod quasi temerario, ut ita dixerim, ausu, eidem prodigio obviare exstinguendo tentavissent. ipsum toties evindicatum a lumine, ipsi concesserunt. Quid multis? Permissus est ejus esse juris, cujus virtutis majestate tantis vicibus apparuit invincibilis. Diu itaque super hac repentini novitate miraculi gaudio summo attoniti, tandemque dormitum euntes stupidos oculos soporiferæ tradidere quieti.

CAPUT XII.

Jamque nox ipsa tanto illustrata lumine prope transierat, et aurora rubescente matutinorum solemnitas propinquabat cum interea custodes grabatis, quibus quieverant, surrexerunt, ac de cereis septem maximis, qui ad caput viri Dei sub ipso mausoleo, intra cancellos sub conclavi positi stabant, duos gemino candore, flagrantes repererunt. Ex illo autem ad pedes posito quem paulo ante accendi viderant, unde isti ad caput statuti accensi fuerint, non dubitabant. Finitis vero matutinorum solemniis, ac die jam clarescente, vulgata facti fama, omne monachorum agmen in basilicam venit, atque summæ sanctæ et individuæ Trinitati, excelsis laudibus, vocibusque jubilantibus benedixit : missarum deinde solemnia pro ejusdem honore patris, ultra solitum devotissime implevit. Cujus inexplicabilis melodiæ cantilenam diutius protelatam, ego ipse qui hæc qualiacunque sunt, describo, coram positus, et audivi auribus, et ignem oculis vidi, atque hos etiam versiculos in ipsis concentibus pontifici dixi.

Lumen in æthereo quo clarus haberis olympo
Monstrasti monachis, præsul Amande tuis.
Da famulis ambire tuæ consortia vitæ,
Ut valeant donis participare tuis.

Hoc igitur, geminum divinorum beneficiorum munus, elevationem scilicet sacri corporis admirabilem, ac dationem ignis de cœlo missi memorabilem, summo devotionis tripudio, qui adfuere, celebrarunt, atque ut a posteris eorum honoretur, decreverunt credentes levamen adepturos æternum, qui ejus memoriam cum debita habuerint actione gratiarum.

EPISTOLA DOMNI PHILIPPI ABBATIS DE ELEEMOSYNA AD ABBATEM JOANNEM ECCLESIÆ S. AMANDI DE PASSIONE SANCTORUM CYRICI ET JULITÆ.

Reverendo in Christo Patri Joanni Dei gratia Elnonensis monasterii abbati, et venerando sanctoque conventui frater Philippus modicum id quod est. Sicut arentis ingenii vena deficiens, et impoliti sermonis egena complexio gestorum minuit dignitatem, sic antiquitatis situs : et exemplarium mendosa corruptio, devenustant honestæ compositionis ornatum. Quia quod antiquatur et senescit, prope interitum est, et rivus nisi de beneficio fontis vivat, arescit. Quod in beatorum Cyrici et Julitæ passionis historia credimus accidisse, quam et nebula vetustatis offuscat et incompositi schematis obumbrat abjectio. Quæ, etsi inter apocrypha computatur, non tamen victoriæ martyrum nubem falsitatis importat, quos pro veritate passos universalis ecclesia solemniter veneratur, et in regno gloriæ cum facie Christi Jesu, refovet æternæ felicitatis amplexus. Quos signis et mirabilibus divina clementia suos esse testatur, et inter electos sortem eorum esse declarat, sicut per Isaiam dicitur. Liga testimonium, et signa legem in discipulis meis. Ad discipulatum fidei, ligavit eos testimonium Jesu, et lex veritatis per Spiritum sanctum, signata in cordibus eorum. Cujus assertione fideliter probati, coronam vitæ possidere merentur et regnum. Apocryphum quidem, secreti clausuram, non vitium falsitatis edicit,

cum rei manifestæ scriptor ignotus est, et actionis claræ tractator occultus, quemadmodum liber beati Job, licet pro incerto auctore dicatur apocryphus, meriti tamen excellentia inter agyographa numeratur. Sic triumphus celebris martyrum beatorum, licet cum gloria frequentetur, quis eorum tamen acta conscripserit, latet incognitum. Ad ea corrigenda, vestra me cogit auctoritas, et affectus excitat charitatis, in qua vobis debeo quidquid possum, non verbo neque **746** lingua, sed opere et veritate. Omissis igitur quæ in ea loquacitas extulit, depressit inscitia, corrupit annositas, incuria profligavit, exemplarium transfusio negligenter egesta confudit, dejecit falsitatis coannexa suspicio, quod ab emendatioribus sumptum est scriptis, stylo veritatis expressi : non ordine verborum, sed gestorum majestate servata. Verum quia livoris est proprium semper aliena rodere, depravare sincera, splendida nube detractionis involvere : non ambigo nostris incœptis venena protervi murmuris sine pietatis occursura judicio. Unde sinceritatem vestræ dilectionis obtestor, ut aculei sævientis vulnus inflictum, sanctæ intercessionis cataplasmate foveatur : et gladius eorum intret in corda ipsorum, qui linguas suas ardenter exacuunt, ut opus fraternum nequitiæ susurriis valeant incestare.

—

PROLOGUS.

Sapientiæ divinæ mirabilis altitudo sicut eminentis est gloriæ, sic fidelibus suis abundantem prærogat materiam laudis, quibus secundum divitias bonitatis suæ, notam facere dignatus est excellentem potentiam suam, et gloriam magnificentiæ regni sui. Frenavit eos laude sua, ne intereant, et in confessionem sui nominis excitavit, ut quod animi virtute penetrare non prævalent; amoris instantia prosequantur. Laudent in operibus potentiam, sapientiam in dispositionibus, in beneficiis clementiam, majestatis unitatem in consideratione magnitudinis admirentur. Hæc operum suorum progressus multiplices, sic cuncta diffinitione complectitur, ut ab eorum comprehensione, nostra nos sejungat infirmitas : et intelligentiæ nostræ conatus virtutis obruat magnitudo. Viam tamen aperit misericordia miseriæ fluctuanti, quæ sermones suos coronat circumstantia veritatis, et in vacuum cedere non exspectat, quod in ædificationem roboris nostri, fideliter proferre dignata est. Aporiamus quidem sed non deficimus, quia « ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus (*I Cor.* XIII); » et Apostolum sequentes ad bravium perfectionis nos extendimus, quod in præsenti comprehendere nequaquam sufficimus. Cujus enim tam perspicax sensus, intelligentia subtilis, arguta ratio, vivax memoria, vel efficax esse valet ingenium, ut complexionis hujus audeat se conscium profiteri ? Quia juxta Apostolum : « Incomprehensibilia sunt opera sapientiæ Dei ; et investigabiles viæ ejus (*Rom.* XI), » in effectibus tamen semita quædam cognitionis elucet, ut saltem posteriora videamus, qui faciem non sufficimus contemplari, sed transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu, fidei passibus enitentes, in æternæ perventionis amplexum.

Sicut enim radium solis in nube suspicimus, quem in virtutis suæ lumine coruscantem aspicere in directum minime sustinemus, sic in agone martyrum, carnis infirmitatem considerantes, et horrendos pœnalis injuriæ cruciatus, divinæ virtutis prædicamus triumphum mirabilem, qui ferociam persequentium fregit, qui crudelia tormentorum machinamenta consumpsit in nihilum ; et contra legem carnis, patientiam gloria, tortorem confusione perfundit. Hæc in omni ætate et sexu, voluntatis suæ testimonia credibilia facta nimis commendat ad omnem conscientiam hominum, eorum qui non veritatem Dei in injustitia detinent ; sed exercitatis sensibus, mirabilem Deum in factis mirabilibus confitentur. Quod natura non habet, usus non recipit, non admittit ratio, non concipit intellectus ; et sensus humani circuitus multiplex non attingit, credulitatis gradibus assequi necesse est, et in operum magnificentia, virtutem majestatis condecet venerari. Cum enim beati Cyrici gesta releguntur, cum passionis ejus celebris recitatur historia : quis triennem puerum prudentem in responsis, in suppliciis fortem, in confessione disertum, in gratiarum actione fidelem, in martyrii agone mirabilem, non mente refugiat, et a naturæ legibus, judicet alienum ? Si ad virtutem formatur infirmitas, si fragilitas accingitur robore, si ad viriles animos exsurgit infantia, diserte loquitur lingua balbutiens, si non cedit imbecillitas passioni ; quis hic alium credat operari, nisi divinæ virtutis accessum ? Si fortitudine sexus muliebris accingitur, si ad parvuli sui tormenta, maternus animus non fatiscit, si affectuum transfiguratur effectuumque proprietas, si naturalis institutio a suo ordine demutatur : quis auctor est ? Ille profecto, cujus omnipotentia in omnibus et super omnia mirabiliter operatur, qui est benedictus in sæcula. In omnibus his, operationis ejus radius solemnis elucet : et opera fidelium, lumine suæ visitationis illustrat, sicut scriptum est : « Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine (*Psal.* LXVII). » Hujus incomprehensibilis virtus, singulare et prædicandum sæculis omnibus tropæum Cyrici martyris et Julitæ matris ejus erexit, dans fidei meritum, gloriam certamini, fragilitati constantiam, virtutem confessioni, labores ad requiem, tormenta referens ad coronam.

—

PASSIO

SS. MARTYRUM CYRICI ET JULITÆ MATRIS EJUS

CUM SOCIIS EORUM.

747 Beata Julita, Isauriæ provinciæ non ignobilis alumna, de civitatis Iconiorum primoribus, carnis ducebat originem : sed ornatu morum et fidei gratia, studioque virtutis, supra dignitatem generis eminebat. Hæc virili destituta solatio, triennem adhuc alebat parvulum, Cyricum nomine, quem cum lacte carnis, primordialibus fidei rudimentis erexerat, et in eum docuerat credere, cujus verbo cœli firmati sunt : cujus spiritu omnis eorum virtus durat et consistit ornatus. Hæc spiritualibus accensa desideriis, ornabat operibus fidem, divinæ legis meditatione justitiam, virtute castimoniæ sanctitatem et ad exemplar cœlestis imaginis, se circumspectione sedula componebat.

Agente igitur in fascibus Aurelio Alexandro, qui ab Augusto Cæsare, vicesimus Romanum regebat imperium; exorta est contra ecclesiam dura tempestas : et emissis in orbem decretalibus edictis, imperialis crudeliter detonabat indictio, ut sacræ fidei professores, aut idolis immolarent, aut suppliciis gravibus urgerentur. Tumebat in immensum spiritus procellæ, et exaltabantur ad subnersionem fidelium fluctus ejus; et filiis gratiæ furor ingrati turbinis vehementius imminebat. Trahebantur ad delubra Domini sacerdotes; ad nefanda libamina cum prælatis populus cogebatur : applicabantur pœnis quos in fidei confessione virtus inviolabilis uniebat, et quia impietatis sacrificia detrectabant, se ipsos Deo in odorem suavitatis offerebant hostiam salutarem. Ascendit fumus in ira gravis; et ignis a facie ejus exarsit, ascendens in partes finitimas proximi orientis, Isauriamque et Pamphyliam, ac loca contermina suo terrore concussit.

Impietatis cohæres et nominis, præeminebat regionibus illis præses impius Alexander, qui tanquam leo rugiens et paratus ad prædam (*Psal.* xvi), immanitatis spiritu in servos Domini procaciter ferebatur, de sanctorum sanguine, de cæde fidelium, de crudelitatis ministerio, imperatoris gratiam, senatus favorem, et nominis sui gloriam gestiens aucupare. Absorbebat plerosque, nonnullos terrebat : multis dictabat fugam vel cogebat ad latebras, turbinis hujus, et iniqui turbatoris insania, quem ad dispergendas et perdendas oves Christi, præceps armabat impietas, et animabat insolentia singularis. Matrona fidelis sibi consulens et parvulo suo, nec tam sibi quam parvulo timens, juxta persuasionis evangelicæ providentiam salutarem, de civitate sua fugit in aliam; et in Tharsum Ciliciæ latenti commeavit effugio.

Si furoris impetum sancta mulier declinavit, non turbatæ mentis aut fractæ virtutis est signum, sed providæ dispensationis et humilis animæ nota certissima. Nunquam enim de se præsumit cultor humilitatis animus, nec in magnis ambulat, nec in mirabilibus super se; sed prudenter explorat divinæ consilia voluntatis; et omnia superno committit examini. Finis acceptus coronat initia, et actioni nomen et meritum consignat affectus. Quo affectu virago nostra secesserit, sequentis paginæ declarat historia. Familiares proximorum subterfugit affectus, et blandimenta carnis et sanguinis, ne persecutionis ingruente malitia, sanctis aliquid auribus instillarent, quod molliret animum, quod constantiam virtutis everteret, quod mentem sanctam a via et veritatis testimonio revocaret.

Peragratis interea regionibus adjacentis provinciæ minister sceleris Alexander, ad locum ubi latitare disponebat beata Julita, spiritu proterviæ ducente pervenit. Ibique juxta consuetæ malitiæ morem, fidei sanctæ cultores missis apparitoribus perquiri diligentius jubet, et suis tribunalibus exhiberi. Atroci proposita jussione, ut aut diis libamina solverent, aut exactione pœnarum læsæ divinitatis injuriæ solverentur. Inquisitione facta matrona venerabilis a ministris nequitiæ reperitur, et præsidis oblata conspectibus, nomen, genus, patriam titulumque religionis interrogata, constanter edisserit, et se Christianam sermone publicat expedito. Cujus devotio prompta, fidens animus, vultus alacris, prudens eloquium, confessio celebris, fidelis constantia, sicut enarrant gloriam Dei, sic tyranno mihem confusionis important. Compressa tamen interius cordis exacerbati molestia, velut salutaribus monitis agressam comiter adhortatur, ne a religionis antiquæ cæremoniis, ne a generali deorum reverentia, ne ab imperatoriæ majestatis indictione recedat, sed ad promerendum potestatis utriusque favorem, salutem suam victimis redimat et incenso. Quia sicut paratur acquiescentibus gratia, sic contemptoribus finis inglorius et horror imminet tormentorum. Matronæ pectus in solido constitutum nec feralis admittit venena consilii, nec pœnæ metu solvitur ad delictum. Replicat monita præses, minasque congeminat, ut animum sanctum provocet ad ruinam. Sed intentio sacrilega, quasi unda scopulis illisa retunditur, et **748** velut columna immobilis in edificio veritatis, in neutram partem fidelis animus inclinatur.

Subit inter hæc animum sanctæ matris, relicti post se parvuli pia memoria, graviterque angitur animo, quod absque eo venerit in conflictum. Credibile est mulierem sanctam timuisse, ne sine materni moderatione solatii, deprehensa frangeretur infantia, vel agonis sui dulces percipere fructus, sine tam dulci pignore noluisse. Cum enim suæ consummationis instare videret articulum : non tutum satis arbitrabatur imbecillem post se puerum manere superstitem, ludibriis alienæ crudelitatis expositum et tantæ concertationis ignarum. Nec pium pia genitrix æstimabat, si filium deserens, æternam tenderet ad coronam, quem ad hoc devote sustulerat, ut sanctorum civis et hæres fieret paradisi. Maluit enim ad regnum morte transferri, quam vitæ infelicis commercio perpetuæ mortis initiare comitia.

Illius igitur indicio præeunte perquisitus Domini puer, et delatus in publicum; primo quidem a præside juxta humanitatis officium, ætatisque mensuram, blanditiis attentatur, et lactei sermonis illecebra, dehinc terroribus et minarum pulsatur aculeis.

Sed fidelis Deus, qui suos in tentatione non deserit, qui Joannem intra viscera materna conclusum, prophetali gaudio docuit exsultare, qui sine ministerio vocis humanæ simplicibus et indoctis, Scripturarum patefecit arcana, qui unius linguæ viros, in linguis igneis linguarum omnium sermonibus erudivit : triennî adhuc puero suo, exercitati sensus, et eruditæ linguæ ministravit ornatum.

Ad primum igitur interrogationis occursum Christianum se esse voce libera profitetur, nec a professionis hujus aliquatenus deflectere velle sententia.

Miratur præses, et requirit instanter, unde nominis hujus hauserit memoriam tam solemnem, unde religionis hujus susceperit instituta. « Miror, ait beatus Cyricus, insipientiam, » hoc a puero velle sciscitari, cui nec tempus ad studium, nec ad intelligentiam sensus, nec ætas suppetit ad doctrinam.

Excandescit in iram truculenti judicis atrox immanitas, et totum possessor iniquus excitat in furorem. Et quemadmodum propheta insipiens subjugalis ore correptus est et confusus, sic judicem iniquitatis induit de pueri sancti confessione confusio.

Scintillantes oculi, suffusa facies, minaces gestus, incompositus sermo, vocis acerbitas, totius corporis status instabilis, mentis insaniam signis evidentibus eloquuntur. Eructat flammam cordis iniquitas, et in iracundia terræ loquens, cædi jubet infantem Salvatoris præconia prælocutum. Confessio veritatis tormentis arguitur, et innocentiæ pœnis iram pascit impietas, non naturæ parcit, non miseretur ætati, sed immanem fractus in belluam, contra puerum Domini tonat minis, grassatur verberibus, et in cacumen furoris erigitur. Sed qui infirma mundi eligit, ut confundat fortia; et in contemptibilibus arguit contemptores : agonistæ suo præbet inter flagella constantiam, et ab uberius consolationis paternæ, dulcore piæ suavitatis inspirat.

Innocentes igitur manus et simplices oculos in cœlum reverenter extendens, gratias agit indicta gratiarum, et ministris insultans congeminat : « Christianus sum, Christianus sum. » Et quoties vocem sacræ confessionis emittit, toties in eo reparantur vires; et nova virtus cum sustinentia propagatur. Stupore perfunditur præses : et lictorum confusa ferocia plus animo fracta est, dum pœnas infligit, quam posset affligi, qui videbatur afflictionibus subjacere.

Reverberata igitur in se malitia subsidit ad modicum, et interjectione temporis demittit insaniam, ac pervicaces refrenat affectus.

Spatio tamen propositæ intercapedinis evoluto; venerabilem Julittam cum filio jubet præses suis tribunalibus exhiberi. Replicat monita, consilia suggerit, incitamenta cumulat, persuasionibus urget ut a pertinacia cedat, et deorum cultibus ac imperatoris obsecundet edictis. Perstat immobilis fidelis matrona, et aure surda præterit quidquid » præside peroratur. Ille, ubi nihil preces, nihil monita, nihil consilia proficere videt, diversa præcipit tormentorum genera præparari, et ad impugnationem virtutis instrumenta crudelitatis instaurat. Torquetur beata Julita, torquetur et Cyricus. sed fidei virtutem, veritatisque constantiam, impietatis machina non absumit. Stat virago venerabilis, fortitudinis exemplum, patientiæ titulus, pietatis oraculum, fidei satio, constantiæ firmamentum, testimonium sanctitatis, corona justitiæ : nec pœnarum succumbit horrori, nec fessa cruciatibus, animo minoratur.

Erubescit præses et gravius angitur, quod insuperabilis martyrum virtus, inviolabilis fides, læta constantia, secura confessio, quæstionibus non succumbant, quod inter cruciamenta magnanimi, inter injurias alacres, inter pressuras erecti solide perseverent, plusque patiendo fortes emineant, quam puniendo tortor insaniens. Cujus enim vel sexeum pectus, vel duriora metallis viscera, stupor et admiratio non percellant, cum pœnalis acerbitas, mulieris non frangat animum, parvulum non extinguat? Cum suppliciis forti resistunt animo vas fragile, femina, puerulus ævo tener, viribus impar, sensibus immaturus? **749** Genus grave confusionis est victo victoris indignitas, cum forti dejecto gloriatur inferior; et qui superior videbatur, recedit inglorius. Vicissitudinis hujus præsidem pulsat injuria, et toto rancescit affectu, quod inter tot afflictiones victrix exsultat infirmitas.

Subductos igitur pœnis inclytos bellatores, arctissimo recludi jubet ergastulo : atrociori sæviens astu, quam si eos sententia supremæ damnationis absumeret. Arbitratur enim quod squalore carceris afflicti, confecti tædio, inedia macerati, minus fortiter supplicia renovata sustineant, et a proposito fidei levius avertantur. Facultas hæc non virtutis humanæ, sed muneris est divini; nec martyrii triumphus est de merito, sed per gratiam dispensatur.

Per gratiam virtus in infirmitate perficitur, et in tribulatione justitia pulchrior enitescit. Coruscat in professoribus fidei cœlestis auctoritas, et de cœlo victoria præstatur humilibus. Traducit in contrarium machinas præsidis arbiter æquitatis, et quod ad exterminium parabatur, Dominus disponit ad gratiam, sanctisque suis gloriam propagat et meritum.

Erant in eadem custodia quadringenti circiter quadraginta quatuor viri, quos diversis ex causis una sententia carceralibus claustris ingesserat. Hos ignorantiæ tenebris, et culparum nexibus involutos, urgebat vitæ præsentis adversitas, et mortis æternæ dura manebat accessio. Horum miserata periculum, compassa miseriis, errori condolens beata Julita, damnationi convenienter occurrit. Aperit sacramenta fidei, redemptionis ordinem pandit, baptismi gratiam prædicat, promissa sanctis æterna gaudia repromittit, si religionis Christianæ pareant institutis. Non esse deos, qui publice colantur, prudenter ediserit. Idolum cum natura divina nihil habere commune, constanter enuntiat, sed esse opus hominis sensu vacuum, ratione carens, facultatis expers : ludibrium dæmonis, saluti contrarium.

Unam esse Patris et Filii et Spiritus sancti salvificam deitatem, nec aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat salvos fieri. Hujus majestatem nulla principii, vel finis circumscribit angustia, nulla temporis aut loci spatia metiuntur, sed æternaliter in se manens innovat omnia, et sicut misericorditer erigit confidentes, sic judicio veritatis obruit induratos.

Exhortatione tam sedula mulieris sanctæ, et singulari parvuli confessoris exemplo, tota illa supplicii ascripta multitudo convertitur, abdicat gentilitatis errorem, fidei documenta reverenter excipit, Christi nomine se postulat insigniri, et in libertatem gloriæ filiorum Dei fideli ministerio reparatur.

De nominatione sola dulce libertatis est nomen, sed experimento gratius, usuque lætissimum. Angebat eos primo metus mortis, conscientiæ reatus, exspectatio pœnæ, squalor carceris, famis injuria, desperationis incessus, crudelitas ministrorum. Nunc animati fide, regenerati in spem vivam, virtute divinæ charitatis erecti, liberis mentibus, voce publica Christi præconia personant, præsentia despiciunt, ad æterna suspirant, et de cœlestis beneficii munere gloriantur. Felicius judicant pro Christo vitam ponere, quam inter mundi delicias vivere purpuratos.

Nuntiatur Alexandro rebellasse filios carceris, et ad divinitatis injuriam, contra decreta principum, Christiani nominis factos esse collegas, et ore blasphemo culturam numinum detestari, crucifixi gloriam prædicare. Correptus insania præses, suis eos mandat conspectibus præsentari, ut quod suggeritur, præsenti probet indicio. Educti de custodia, fidei professores, nihil animo mutati, vel terrore nutantes, se Christianos esse voce consona profitentur. Præses indignatione concepta, velut clibanus, furoris sui jaculatur incendium, prolataque sententia gladiis in sanctos animadverti jubet : et concisa frustratim corpora, partimque dispersa per agros, insepulta manere decernit. Exsequitur lictorum manus ferale jubentis imperium, et effusa decollatorum viscera crudeli dissipatione dispergit, ut aliis fierent terroris exemplum, et fidelibus non crederentur post mortem beneficium posse præstare. Nil agis Alexander inique, nil proficis. Quos trucidas, angelis conserti regnis cœlestibus inferuntur. Perire non potest quod tam irreverenter exponis, resurrectionis gloria, quos perimis, in integrum reformabit, et præsentis corruptelæ jacturam felix incorruptio possidebit. Injurius est sibi, qui naturæ jura convellit, nec discrepat ab insano, qui sensu carentia tormentis interrogat, vel in examine cadaver exerit ultionem.

Vivunt cum Christo, regnantque feliciter, et beatis intersunt ordinibus, quos tanta crudelitate persequeris, nec sentit caro mortua quod intentas, nec felicem spiritum turbare potest carnalis injuria. Deus ultionum Dominus libere aget, qui et illis pro patientia gloriam, et tibi pro malitia perenne supplicium compensabit.

Sanctis igitur martyribus taliter consummatis, cum jam tempus instaret, ut beata Julita cum filio gloriosi certaminis expediret cursum laudabilem, et pretiosas merces, maris hujus ereptas naufragio, in portum pacati littoris explicaret, recrudescere **750** cœpit Alexandri ferox improbitas : et adversus sanctos Dei nova cœpit excogitare genera tormentorum, quibus aut eorum constantiam frangeret, aut furori suo remediabilis vindictæ pararet obsonium. Sensus enim malorum immutabilis est, et superbia eorum qui te oderunt, Domine, ascendit semper. Exagitabat eum gravius iracundiæ motus, et ardentius æstuabat; quod plus humilium patientia posset, quam principum terror et eminentia potestatis. Torquebat eum, quod mori gloriosius æstimabant, quam sublimibus obaudire, vel inter gloriosos terræ pacatum tenere consortium. Universa igitur suæ crudelitatis arma jubet attentius explicari, et per singula sanctorum membra specialia, singillatim jubet sui furoris argumenta distribui. Sed matrona laudabilis et puer virtutis egregiæ, forti animo, sereno vultu, alacri constantia, quidquid irrogatur, patienter excipiunt, et in laude Christi felici sustinentia perseverant.

Alexander adversus eos ubi videt suam nihil prævalere sævitiam, capitali jubet punire sententia, et quam votis omnibus affectabant, relinquit sanctis victoriam, passionum victus injuriis, quas jubebat victoribus irrogari. Quanto enim sanctorum corpora gravioribus sunt exarata suppliciis, tanto eos gloriosiori de tyranno triumphus erexerat; et pro confusione sua duplici et rubore, cum palma victoriæ, manipulos gaudii reportabant, in terra sua duplicia possessuri. Laudabunt recti partem eorum,

et in eis laudabitur qui fecit eos; qui labores ad requiem, ad refrigerium pœnas, certamen evexit ad palmam. Laudabilis plane, mirabilisque victoria, cum per passiones hujus temporis, æternum lumen revelatur in sanctis; et momentaneum hoc ac leve tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in eis, ad videndum in bonitate electorum Dei, ut laudetur ipse cum hæreditate sua, et incorruptionis thronus sicut sol in conspectu ejus, et luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis Christus Jesus, perfectæ similitudinis in eis exerat dignitatem. Hic beata mater et invicta martyr, sexus victrix et sæculi Julita gloriatur exsultat, non sibi timens aut soboli, sed cum ea cœlestis beneficii plenitudine gloriatur, et revelata facie contuens Redemptorem, dem sua et filii sui imarcescibili gloria, majestati divinæ gratiarum replicat actionem, cui est honor per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

Incipit translatio sancti Cyrici.

Laudemus viros gloriosos et patres nostros in generatione sua, quibus multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua. Olim in loco Elnonensis monasterii, ubi sanctus Amandus corpore quiescit, divitiæ salutis, hoc est sapientia et scientia affatim exuberaverunt, atque odorem suum quaquaversum diffuderunt, ita ut inde multi haurirent, unde suis potum porrigerent. Verum quia « scientia inflat, charitas vero ædificat (*I Cor.* VIII); » per inflationem scientiæ, visa est sapiens charitas; et chara sapientia eo loci rarescere, sicut in consequentibus erit videre. Denique inibi vigebat studio quisquam sapiens nomine Milo; qui sub alis scholarum nepotem suum fovebat Hucbaldum, liberalium artium emolumento. Assecla nempe, ut ingenii sui caperet experimentum, composuit de sancto Andrea modulamen antiphonarum; sed et quarumdam laudum habentium, quæ vere pia laus, initium. Quod ubi didascalus vix tandem agnovit, graviter tulit, atque ei scholarum aditum denegavit : conquerens eum velle super se, nomen usurpare philosophi. Et quia locus tunc temporis carebat abbate, accedens ad priorem, nimiæ discipulum infamat arrogantiæ, protestatusque est se et illum, nequaquam posse in eodem habitaculo degere. Ille accersens Hucbaldum, rogavit majori cedere, donec mitigata ejus animositate, quæ tunc recens fervebat, ad locum repedaret proprium cum pace. Cujus acquiescens consilio urbem expetiit Nivernensem, quam quidam fundaverat Nivo. Ubi cum moraretur cum episcopo, ita ejus hæsit contubernio, ut comes ipsius fieret in omni negotio. Nam idem pontifex eum sic accivit familiarem, ut suam ei crederet supellectilem. Et quia antistes educendo pubertatis incrementum acceperat Rhemis, jussit eum modulatorem fieri, super historia beatæ Ciliniæ sancti Remigii matris. Habebat autem sæpedictus pontifex secum inter sacrata ministeria, corpus sancti Cyrici, parvi infantis et magni martyris. Accidit vero ut fatigaretur præsul acri dolore corporis, ac mortis periculum sibi sentiret adesse. Tunc advocans Hucbaldum : hoc famine alloquitur amicum. Gravissimæ invaletudinis in tantum afficior tædio, ut intelligam me posse nullius medelæ juvari adminiculo, neque levari remedio. Quocirca frater amantissime, quia meis usibus hactenus te devote novi deseruisse : nolo nunc ingratum dimittere. Quia ergo mea omnia in tua sunt notitia, pande quid habeam, unde tibi fieri valeat recompensatio digna. Quod audiens Hucbaldus, respondit episcopo jam hilarior factus. « Unum est, Domine Pater, in tua, possessione, quod si mihi contingat habere, magnipendam devotionem servitutis meæ. Quantitatem auri vel argenti minime quæro, aut cæterorum hujusmodi; sed tantum corpus sancti Cyrici. » Hoc audito, episcopus vultu subtristi respondit Hucbaldo : « Excedit quidem modum tua petitio, tamen ne videar velle fraudare te 751 promisso, discede quantocius arrepto corpore sancto. » Tum ille asportans clam martyris ossa, in sistartiis suis reposuit, fideli furto sagacem adjungens industriam, scilicet ut tam mundus thesaurus, inter immunda minime quæreretur vasa. Interim clerici et famuli diversis negotiis occupati, postquam didicerunt Hucbaldum abscessisse, cœperunt mutuo loqui ne quod detrimentum reliquerit post se, quippe cui cura rei familiaris credita fuerat a pontifice. Tandem illo jam longius progrediente ab urbe, confabulantes ad locum pervenerunt, ubi martyris corpus conservari arbitrabantur. Quo non invento, animadverterunt se subdole præventos familiari damno. Quid multis morer? Illo fugam accelerante : isti fugientem prosequi maturavere. Respiciens autem Hucbaldus, ubi si circumventum ab hostibus vidit : silvam contra se positam penetrans, ab equo descendit : genua flexit, orationem fudit, votum etiam vovit, quod si se perferri sanctus martyr, Christo auxiliante permitteret ad cœnobium Elnonense : in medio templi atrio locatus singulariter veneraretur a plebe. Moxque consecendens equum, juxta velle suum, cito saltum transmeat ipsum. Illi vero ut nec vestigia ejus reperire potuerunt, per silvam errantes, redierunt, eum alio iter habere conjicientes. At ille gavisus se cum thesauro illo cœlesti evasisse, pergebat ad monasterium usque properans Elnonense. Igitur nocte quæ diem præcedebat, quando ingressurus esset sancti Amandi oratorium, apparuit ipse sanctus Amandus cuidam monacho clinico in domo infirmorum, cui paralysis dissolverat compages membrorum. Et digito tangens ejus vitalia pectoris : « Surge, ait, incolumis, atque hoc signo commone fratres, ut præparent se ad obviandum Hucbaldo cum crucibus et cereis, afferenti corpus sancti Cyrici martyris. » Qui parens jubentis mandato, interfuit processioni, haud sine stupore cernentium præmaximo. Tum vero Hucbaldus sui memor voti, accelerans artifices lignorum, fecit in media templi testudine congruum pro posse habitaculum construi, quo locarentur sancti ossa. Quod cum omni

factum est velocitate, ac eo sanctæ positæ sunt reliquiæ.

Quare ædificatum est ibi altare, coram quo incubans crebro Hucbaldus, devotis interpellabat martyrem precibus. Unde contigit ei quoddam præsagium, quod nequaquam silentio duximus comprimendum. Cujusdam denique noctis conticinio, quiescente ipso cum fratribus, adest in visu ei sanctus Cyricus, a quo tali alloquio perterrefactus. Noveris vitæ tuæ cursum in brevi terminandum; scilicet hoc anno, die quinto post passionis meæ triumphum. Quære ergo aliquem de cœlestis curiæ primatibus, qui tibi existat apud judicem districtum causidicus. Statim Hucbaldus somno excitus, minime adhibuit fidem visioni, nisi rem a Deo disquireret prostratus sancto martyri. Nam veniens ad ecclesiam ante altare ejus, solito stratus humi, devoto supplicavit affectu, quatenus utrum esset vera visio, an phantasmatis illusio certus redderetur, ipsius interventu. Cumque oraret attentius, subrepsit ei somnus, et ecce sanctum sibi astare intuetur oculis intellectualibus, atque iterare quæ dixerat verbis amicabilibus. « Ne ambigas, inquit, super iis quæ dixi; sed quia te hactenus in multorum memoria sanctorum exercuisti, jam antequam ista vita decedas, satage in ecclesia per te plus solito fieri commemorationem cœlestis clavigeri. » Ad hæc illæ expergefactus sustinuit donec fratrum fieret conventus; et tunc cum satisfactione, quæ viderat, quæque audierat notificavit omnibus. Licet vero quodam afficeretur tædio animi, quippe qui crederet sibi diem extremum imminere, conditione communi, de historia sancti Petri cœpit ut ægrotus ab infirmitate modulari, in plateis dicens ponebantur infirmi. Cui cum proximus foret dies quo didicerat hinc migraturum se, cœpit languentibus membris, viribus corporis deficere. Perveniens quoque, ut ita dixerim, usque ad portas mortis: accepit viaticum Dominici corporis et sacræ unctionis, atque nonaginta circiter annorum, anno Domini nongentesimo tricesimo, die Dominico, duodecimo Kalendas Julii diem obiit, quemadmodum audierat in somnis. Fratres autem cernentes visionem præfatam, nullatenus cassari, sed veluti auribus hauserant, consequenter ratam fieri, quicunque mente titubaverant antehac de præsentia sancti; ducti pœnitentia ipsi et omnes alii extulerunt se in laudes Dei. Verum quia deerat ipsis, unde decorarent mausoleum tanti martyris: tabescebant utique animis, processu vero temporis, successoribus eorum sic adminiculata est super hoc clementia Salvatoris. Matrona nobilis ac præpotens, Suzanna videlicet regina, locum adiens orandi gratia, cernens minus condignam habere thecam tanti martyris ossa, cœpit cogitationibus fluctuare intra suorum internorum secreta, quo pacto corrigere valeret, quæ circa ipsum erant eatenus neglecta. Tandem igitur animo roborata, non distulit admovere artificum, necnon et cæmentariorum molimina: dedit quoque monachis auri et argenti plurima, demandans fieri opere anaglypho, feretrum, tabulamque coram altari, ac desuper ipsius passionis gesta, sed et in circuitu decenter distingui pario lapide, ac nigro ædiculæ speciosæ amœna. **752** Quod affabre industria insistentes, sagaci mirifice manciparunt affectui. Hoc autem opus omni dignum admiratione, perseveravit usque ad concremationem ecclesiæ. Non ergo pigeat fratres frequentare memoriam ipsius, ad quos sponte sua tantus perlatus est thesaurus, quoniam ut ante nos dictum est, laus quæ de membris dicitur, ad caput referri non dubitatur. Ita demum præsenti illius suffragio liberabuntur veneratores ejus ab omni malo, largiente rege superno, qui vires ad toleranda tormentorum acerba suppleverat ipsi tenello, atque facundiam suggesserat infantulo, quo intercedente liberet nos, quæsumus, ab omni hoste, qui cum Spiritu sancto regnat Deus, in Patris majestate. Amen.

PASSIO S. SALVII MARTYRIS.

PROLOGUS.

Domno Hugoni Ecclesiæ S. Salvii venerando priori F. Philippus Ecclesiæ in Bona Spe humilis prior, salutem et orationes. Petit a me vestra dilectio quod me posse facere nec sensi nec sentio. Neque enim novi vitas et merita sanctorum scripto memori commendare, cum scribendi nec usum nec peritiam mihi possim vel debeam arrogare. Qui autem hoc agere sibi fidens aggreditur, si non sufficienter vel saltem convenienter exsequitur, videtur quidem et sanctorum de quibus loquitur meritis derogare, et sibi ipsi præsumptionis maculam irrogare. Miror itaque cur mihi hujusmodi operam injungatis, imo ab abbate meo injungi faciatis, quam me posse exsequi penitus ignoratis, dictum est quidem vobis ut audivi quod illius mei Augustini Hipponensem episcopi doctoris egregii vitam aliquam descripsi, ubi ea quæ de illo noveram, non ut voluntas, sed ut facultas data est, dixi. Ad quod aggrediendum me compulit quorumdam fratrum meorum crebra commonitio, et ejusdem confessoris tenera qua eum amplectebar, dilectio. Ut autem verum fatear, nihil tale vel ante vel postea feci, quia nec ingenio nec studio ad tale quid sufficienter agendum profeci. Unde rogatus a vobis, imo ab abbate meo, exigen-

tibus vobis, ut beati quaque Salvii patroni vestri vitam describam, non mediocriter angustor, cum et negare quod jubeor, contumacia sit temeritatis, et id explere quod jubeor, meæ non esse videam facultatis. Verumtamen quia et vestra charitas postulat, et abbatis mei reverentia imperat, dicam quod potero de martyre vestro, imo et meo, si tamen meum, id est mihi propitium vestro cum interventu potero invenire, ut mihi de se loquenti velit misericorditer subvenire.

INCIPIT PASSIO.

CAPUT PRIMUM.

Beatus itaque Salvius, sicut indicio veridicæ cognovi relationis, natus est Arvennæ quæ in partibus est Acquitanicæ regionis. Disponente autem divina sapientia quæ « suaviter disponit omnia (*Sap.* VIII), » studiis est litteralibus eruditus, graduque sacerdotali, et, quod amplius est, dignitate pontificali processu temporis insignitus. Erat enim tam sanctis moribus adornatus, ut dignus esset fastigio præsulatus. Quanto autem eum Deus amplius exaltabat, eo magis seipsum humiliabat, memoriter tenens quod scriptum est : « Melius est humiliari cum mitibus, quam dividere spolia cum superbis (*Prov.* XVI). » Indignus quippe est sacerdotii culmine sublimari, qui cum mitibus nescit humiliari, cum illud sacerdotii sapidum sit ornamentum, cui præbet vera humilitas condimentum. Hoc attendens vir sanctus non tam de sacerdotii dignitate quam de cordis gaudebat humilitate, cantans illud Davidicum corde magis quam ore : « Bonum mihi, Domine, quod humiliasti me (*Psal.* CXVIII). » Præterea idem sanctus multis ita virtutibus radiabat, ut monile gemmarum pretiosis lapidibus, ut hortus voluptatis verbis et floribus, ut cœlum æthereum diversis sideribus. Ad cumulum vero tanta ei data est gratia prædicandi, ut nulli sane sapienti dubium haberetur, quin ille spiritus in eo loqueretur, de quo Dominus loquens discipulis : « Non, inquit, vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (*Matth.* X). » Cum autem ei et bene vivendi tanta virtus inesset, et sicut dixi, prædicandi gratia non deesset, laudes Deo non mediocres conferebat, dum eum a multis longe lateque laudari faciebat. Noluit enim Dominus hanc lucernam tam ferventem, tam lucifluam sub modio latitare, sed consulens animabus quas per eam disponebat salvare, studuit eam sublimius in candelabro collocare. Ipso igitur disponente egressus est vir sanctus de terra sua et de cognatione sua (*Gen.* XII), propter illud : « Nullus propheta acceptus est in patria sua (*Luc.* IV). » Tantus quippe ardor eum accenderat divinæ charitatis, ut quasi infructuosa sibi videretur gratia propriæ sanctitatis, nisi et Deo alios lucraretur, per quos amplius eidem Deo placere mereretur. Quandiu enim in hac vita morari cogebatur, et a videndo Deo, cui suspirabat, invitus arcebatur, hoc sibi non mediocre solatium videbatur, quod non tam de sua solius quam de fratrum salute lætabatur. Egressus igitur, ut dixi, de terra sua, quodam discipulo suo comitatus, qui eumdem magistrum non tam pede quam moribus sequebatur, Galliarum partes perlustravit, in quibus verbum Dei ipso gratiam infundente ubertim prædicavit. Verum quia ibidem jam vigebat Christiana religio, et in acquirendis animabus summa ejus fervebat intentio, ad Haynonensium perversas nationes iter flexit, quas fama forsitan divulgante Deo adhuc rebelles intellexit. Erat quidem illic jam fides Catholica prædicata, erat jam fidelium ecclesia congregata, sed tanta remanserant vestigia perversæ vetustatis, ut non solum infidelibus, verum etiam fidelibus inesset belluinæ perversitas feritatis. Nec solum tunc temporis dura cervice et incircumciso corde fuisse gens illa cognoscitur, verum etiam usque in hodiernum exasperans invenitur. Attamen vir sanctus, quia prodigus hujus vitæ, nec faciens animam suam pretiosiorem quam se, illuc cum discipulo suo intrepidus profectus est primumque Haynonii oppidum nomine Valentianas ingressus est. Ubi verbum Dei populis publice prædicavit, eosque ad colendum et diligendum Deum melliflua prædicatione confortavit. Facto autem verbo ad populum, Valentianis egressus, haud procul vidit quamdam ecclesiam in honore beati Martini consecratam. Et comperto quod illa hujus confessoris esset ecclesia : « Eamus inquit illuc, et tanti viri suffragia requiramus, ejusque interventu, iter nostrum dirigi postulemus. Tanti enim, inquit, meriti beatus Martinus exstitit apud Deum, ut cæcis visum, surdis auditum, mutis sermonem, claudis ambulationem, ægris quibuslibet sanitatem restauraret, et quod amplius est, mortuos suscitaret. » Profectus est itaque vir sanctus ad prædictam ecclesiam missasque in ea celebravit, et egressus ut se paululum reficeret, ad eam iterum remeavit. Ingruente autem vespere, cum ad quietem labor diurnus compelleret, et ad somnum convenientia temporis invitaret, vir tamen sanctus de Ecclesia non recessit, sed in ea psalmis vacans et laudibus cum suo discipulo pernoctavit.

CAPUT II.

Mane facto, cum populus ex more ad ecclesiam satagit convenire, missarumque solemnia et quæ ibi divinitus celebrantur audire, fama circumquaque percrebuit quod illic beatus Salvius hospitaretur, cujus et vita probabilis, et prædicando persuasibilis haberetur. Eapropter abundantius solito popularis multitudo convenit, curiosa videre et audire virum

tantæ religionis, præsertim quia vacabant exigente die festiva Dominicæ resurrectionis. Congregata vero innumera multitudine, vir sanctus verbum vitæ omnibus propinavit, eisque primum fidem catholicam inculcatione congrua commendavit. Postmodum diligenter admonuit ut deponentes pannosam tunicam nativæ vetustatis, indui satagerent mansuetæ sindonem novitatis. Noverat quidem cervicem illorum duram et inflexibilem esse, eosque non tam proclives in melius, quam in deterius stabiles permanere. Completo sermone, ut missam celebraret sacris vestibus est indutus, quæ auro argentoque intextæ, gemmis pariter radiabant, ipsumque non solum ornando, verum et significando, pontificem demonstrabant. Sic enim debet pontifex adornari cum hostias immolando præsentatur altari, ut in ipso habitu figuraliter demonstretur, et cujus sit dignitatis et cujus esse debeat sanctitatis. Habebat itaque beatus Salvius ornatum prædivitem quo indutus sacris altaribus ministrabat, et calicem aureum in quo Domini corporis sacramentum honorifice pertractabat. Hæc autem omnia secum assidue deferebat, non pretii temporalis cupidine provocatus, sed divinum mysterium tali ministerio veneratus. Postquam vero missarum solemnia præsente populo festive celebravit, vir quidam ejusdem vici procurator, nomine Genardus, eum summopere postulavit, ut in nomine sanctæ charitatis, quam prædicare et commendare tantopere videbatur, domum suam ingredi refectionis gratia dignaretur. Beatus Salvius ut satisfaceret non tam suæ necessitati, quam illius devotæ voluntati, domum ejus ingressus discubuit, et gustato pane gratias agens (*Luc.* XVIII) parabat proficisci. Supervenit autem illuc quidam nomine Winegardus prædicti Genardi filius, qui levis et lubricus, superbus et invidus, nec Deum timebat nec hominem reverebatur. Hic attendens omnia quæ secum vir sanctus deferebat, videlicet calicem aureum et indumentum pretiosum quo indutus sacris altaribus assistebat, cœpit avaritiæ facibus æstuare, et quonam modo posset hæc adipisci, diligentius pertractare. Inquirebat igitur nequam ille, quo et qua vir sanctus disponeret ire, ut eum vel præveniendo vel sequendo indubitanter posset comprehendere.

CAPUT III.

Beatus vero Salvius data populo benedictione, domo Genardi cum discipulo suo egrediens, iter est agressus quod 754 Condatum tendebat, in quo videlicet Condato erat ecclesia in honore beatæ Dei Genitricis consecrata. Dum iter ageret, ad quemdam rivulum quem incolæ Bontionem vocant pervenit, quo transito, prædictus ille Winegardus cum quibusdam complicibus suis ei obviam venit. Cui interroganti quo iret, vir sanctus respondit: « Ad ecclesiam beatæ Mariæ haud procul positam ire contendo, si tamen Deus implere concesserit quod intendo. » Cui ille: « Habeo, inquit, ecclesiam in facultate mea quæ debet in proximo dedicari, quam vellem summopere, o vir sancte, tuis manibus consecrari. A Veni igitur mecum, ut tam sanctum opus a tam sancto pontifice compleatur, neque enim est conveniens ut ad hoc agendum indignus quilibet adducatur. » Intelligens vir sanctus verborum illius tendiculas, et quæ sibi imminebant divino spiritu revelante non ignorans: « Non decet, inquit, ita fieri ut non prius invisam loca sanctorum, sicut proposui, quam tuæ obediam voluntati. Quocirca ibo, si liceat, sanctorum prius memoriam venerari, quorum interventu Deo desidero commendari. » Hoc dicto, cœpit paulo celerius properare, quasi volens cœptum iter irrevocabiliter consummare. At ille conceptum semel furorem non reprimens, servulis suis latenter imperavit, ut viro sancto omnia quæ secum deferebat, auferrent, ipsumque et discipulum suum in custodiam B ductos vinculis manciparent. Ad cumulum vero perditionis suæ jussit idem exsecrabilis de calice illius aureo sellam sibi et frenum deaurari, ut non solum ipse, verum etiam equus suus gauderet se apparatu regio phalerari. Ductis autem illis in custodiam Winegardus ad patrem suum quasi magnum quid nuntians, venit, eique per ordinem quidquid in viros sanctos crudeliter egerat, diligenter explicavit. Cui pater: « Male, inquit, egisti qui virum tantæ famæ, tantæ sanctitatis in carcerem mittere præsumpsisti: hæc malitia forte non tuam solius sed nostram omnium perniciem operatur, nostrorumque iniquitas in nos per te rediviva successione derivatur. » Cui filius: « Quid igitur faciam, pater; corrigam quod factum est et cessabo, an id quod intenderam consummabo? » Et pater ad illum: « Non expedit, inquit, fili, ut quod male cœptum est, consummetur, ne sanguis justorum a nostra omnium generatione requiratur. » Cui vera prædicenti Winegardus, cujus cor avaritia tenax invaserat et inextinguibilis accenderat furor, non inclinavit aurem consilio patris, eos potius audiens quos noverat æqualis esse malitiæ vel ætatis. Revertens igitur ad domum suam, jussit fores suas diligentius obserari, ne vel a patre suo vel quolibet alio superveniente, concupitum facinus posset aliquatenus retardari. Tunc accito ad se quodam servulo suo cui Winegario nomen erat, quem custodem posuerat carceris, præcepit ei ut ad servos Dei celerius intraret, eosque occidere festi- D naret. Winegarius mandato accepto in carcerem descendens, beatum Salvium orantem invenit, et tam vultu quam animo constantem, nec de morte imminente aliquatenus pavitantem. Quo viso, tantus eumdem servulum timor invasit, ut nec posset nec vellet quod jussus erat perficere, sed eumdem virum cœpit humiliter admonere. « Jussus sum, inquit, vir sancte, ut te occidam, sed quantum mihi videtur, nec a domino meo debuit hoc juberi, nec a me servo suo expedit hoc impleri. Nefas enim duco ut tu immeritus occidaris, præsertim cum mihi diligentius intuenti, quasi angelus videaris. Audi igitur et fac quod dixero tibi, ut et te a morte corporali et mea morte eripias spirituali: Exi de carcere isto cum discipulo tuo, me vobis exitum concedente, manus-

que effugite domini mei, me ipso pariter fugiente. Neque enim existimo ut furor domini mei aliquatenus conquiescat, nisi vos occidamini antequam dilucescat. Eapropter noctis patrocinio confidentes, dum licet, pariter exeamus; ne et vos moriendo, et ego occidendo gravem illius sententiam incurramus. »

CAPUT IV.

Ad hæc beatus Salvius : « Frater, inquit, divina Scriptura sic loquitur, quia « ex abundantia cordis « os loquitur (*Matth.*, XII; *Luc* VI). » Hæc est quorumdam consuetudo servulorum, ut satis facile mentiantur, et cum ad perversum quid agendum inolita malitia perurgentur, dicunt se juberi et cogi, ut sic aliquatenus excusentur. Enimvero dominus tuus nihil tale cogitat, nihil tale fieri delectatur, nec jubet, quantum æstimo, ut vel nos, vel quilibet alius injuste occidatur. » Cui Winegarius : « Testor, inquit, Deum cui placere desideras, nihil me dixisse mendaciter, nihil fraudulenter promisisse, sed sicut dixi, præcepit dominus meus, et sicut promisi, paratus est animus meus. Exite igitur, quæso, et me vobiscum assumite, eroque, famulus vester amborum, paratus ex animo detrahere et mundare calceamenta pedum vestrorum. Denique tantus me timor et tremor invasit ad perficiendum quod jussus sum, ut hæc ipsa domus impulsu divino concuti videatur, intantum ut nec lignum super lignum, nec lapis super lapidem relinquatur (*Matth.* XXIV). Enimvero dominus meus tam immanis, tam crudelis existit, ut si ejus non obtemperavero qualibuscunque mandatis, pœnas de me accipiat intolerabilis gravitatis. Si autem vos occidero, in quibus nullam mortis invenio causam, iram procul dubio **755** divinæ pietatis incurram. Tam vobis igitur quam mihi salubriter consuletis, si (quemadmodum dixi) voluerilis effugere, ne domini male præcipientis affectum servus male obediens perducere cogatur ad effectum. » Ad hæc beatus Salvius : « Fili, ait, si voluntas Dei sic se habet ut nos patiamur, nec possumus nec debemus effugere, sed quidquid nobis acciderit, constanti animo sustinere. Tu vero nequaquam conturberis si tale quid juberis committere, quia servum domino suo expedit obedire; est enim, juxta apostolum, dominis obediendum non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis (*I Petr.* II). » Hæc illis alternatim loquentibus et pia disceptatione certantibus, ecce nuntius Winegardi jubens ut ad dominum suum servus remearet, eique, si factum esset quod jusserat, celerius nuntiaret. Quo veniente, Winegardus ait : « Cur tantum moratus es? complesti mandatum an non? » Cui ille : « Quæso, ait, domine mi, paululum me audi, et sopita ira, mihi servo tuo licentiam et spatium da loquendi. » Winegardus ait : « Loquere. » At ille : « Tu, domine, inquit, misisti me servum tuum ut facerem quod jussisti; sed, ut verum fatear majestati tuæ, cum ostium carceris ingressus sum, tantus me subito timor invasit, ut tam corpore quam animo defecerem, faciemque viri timore prævalente nullatenus sustinerem. Prostratus itaque ante pedes ejus, putabam quod terra tandem os suum aperiret, meque exigentibus meritis, irrevocabiliter deglutiret. Videbatur autem mihi quod facies viri tanquam angeli refulgeret, et conscientiæ meæ tenebras claritatis suæ radio condemnaret. Utinam, domine mi, et tuos divina gratia oculos revelaret, ut posses perpendere quantam illi viro Deus contulit claritatem, quantam erga Deum ille vir obtinet charitatem! » His dictis, Winegardus vehementi commotus est ira, et vix se continens ne in servum irrueret, vehementer illum arguit tantæ timiditatis, gravissimas interminans pœnas, nisi festinus obtemperaret mandatis. Vocansque unum ex circumstantibus dixit ei : « Vade cum illo ad carcerem ad quem eum primitus destinavi, ut tuo solatio confortatus, fiducialius impleat quod mandavi. Forte enim quia solus erat, tale quid aggredi pavitavit, seque, non tam servum quam nequam servum pavitando monstravit. » Ad hæc, illi ambo a facie jubentis egressi prædictum carcerem sunt ingressi, in quo beatum Salvium inveniunt orationi vacantem, coronamque martyrii intrepidum exspectantem. Quo viso, ambo pariter timuerunt, et mandato quod acceperant perurgente, et propria conscientia remordente, aliquandiu silentium tenuerunt. Tandem is qui ad hoc missus fuerat, ut servum præsentia sui confortaret, sic ait : « Quid stas, quid hæsitas, quid moraris? Cur non imples velociter quod mandaris? » Tunc ille, accepta securi, ut virum sanctum percuteret, cœpit amplius tremere, et suspenso ictu in aere, diu cervici illius timidus imminere. Quem cunctantem beatus Salvius allocutus est dicens : « Fili, viriliter age quod jubet dominus tuus, ut et ego patiar quod jubet Dominus meus. Te quidem jubenti domino tuo necesse est obedire, et me vocante Domino meo necesse est abire. » Sic nimirum, sic beato Salvio humiliter commonente, et nuntio Winegardi minaciter perurgente, tandem Winegarius consummavit, et occidens virum Dei, regnis eum cœlestibus allegavit. Dum enim ille truncatur in carcere, liberatur ab omni carcere, daturque ei campo liberiore frui, dum ingreditur in gaudium Domini sui. Discipulus vero ejus qui paululum ab eo in eodem carcere remotus erat, ut magistro reverentiam deferret, non ut fuga martyrium vel evaderet, vel differret, videns quia magister obiit, imo abiit, et recessit, voce lacrymabili exclamavit et ait : « Vide, Pater sancte; vide, inquam, ne offendas, ne temeres jura inviolabilis charitatis, si me tuum discipulum in hujus mortalis vitæ miseria derelinquis. Tu quidem cum mortaliter viveres, itineris et laboris me habere voluisti consortem, nunc cum vivas vitaliter, mercedis et gloriæ non recuses, vel differas habere participem. » Occiso itaque beato Salvio, discipulum quoque ejus pariter carnifices occiderunt, sicque ambo sexto Kalendas Julii in pace quieverunt. In pace, inquam; educti enim de carcere corporali et pœnali, et transvecti in consortium angelorum,

vivunt et regnant in Deo et cum eo in sæcula sæculorum.

CAPUT V.

Winegardus cognito quod viri sancti occisi essent, fecit eos de carcere latenter asportari, et in stabulo quo armenta sua conveniunt, fossa humo latenter tumulari. Nec mirum si in stabulo positus est Salvius cum moreretur, in quo Christus dignatus est poni cum nasceretur. Sic autem sepulti sunt, ut primum in tumulo beatus Salvius, deinde super pectus ejus ex transverso discipulus poneretur, ut figuram crucis corpora mortuorum exprimerent, cujus angariam æquanimiter sustinuerunt dum viverent. Hoc verbum ille perditus humanam penitus latere notitiam æstimavit, sed divina providentia melius ordinavit. Ad revelandum enim hujus secretum latibuli, accidit res digna miraculi. Erat in armento Winegardi taurus præmaximus, qui quasi dux et custos armenti videbatur, et pro sua ferocitate ab
756 omnibus timebatur; is, cum armentum reverteretur de pascuis, et ad præsepia solita conveniret, cœpit locum sepulturæ diligentius intueri, eumque honore debito revereri. Mira res. Sanctos quos habuit homo sceleratus contemptui, et belluina feritate immeritos addixit passioni, taurus insolens non aspernatur, sed nativa ferocitate posita, pavet, diligit, veneratur. Gyrans ergo sepulturam eorum nullum de animalibus permittit accedere, nihil super eos indecens agere, sed in stabulo ubi nihil munditiæ, nihil est honestatis, locum servat mundissimum ob reverentiam absconditæ sanctitatis. Si quid autem de his quæ illic ad usum animalium deferuntur, videlicet fenum, stipula, vel aliud hujusmodi intra gyrum decidit, vel negligentia pastorum, vel impulsu ventorum, taurus percipiens festinat propulsare et scopans sepulturæ superficiem ad purum emundare. Si vero de animalibus, vel bucula saliens vel juvencus lasciviens plus justo appropinquaverit, vel forte incautius ipsum gyrum intrare præsumpserit, taurus indignans horribilem dat mugitum, et vel cornu vel calcibus statim pœnas accipiens, non deserit tale facinus impunitum. Jam igitur cunctis animalibus innotescit quia locum illum taurus sibi proprium vult servari, nullaque eum inquietudine perturbari; et ob timorem religiosæ illius feritatis, ipsa quoque impendunt eidem loco debitæ reverentiam dignitatis.

CAPUT VI.

Transacto denique trium annorum curriculo quod jam mutis innotuerat animalibus, innotescere voluit Deus hominibus, ne vel homo diutius vinceretur a pecore, vel gemma incomparabilis diutius lateret in stercore. Erat itaque in eodem vico Brevitico vetula quædam nomine Rasuera quæ nocturnis temporibus plerumque domo sua, dormientibus aliis, egrediebatur, ut vel quæ sua sunt, diligentia vigili conservaret, vel, quod magis credibile est, ut orationi vacaret. Hæc cum nocte quadam solito more ostiolum suum esset egressa, domumque suam intuitu sollicito forinsecus perlustraret, suasque pariter oratiunculas ruminaret, casu respexit ad stabulum Winegardi, quod hortulo suo vicinum vel forte contiguum erat, et vidit quia intrinsecus splendore nimio refulgebat. Putansque mulier quod esset incendium, et timens tam sibi quam vicinis omnibus nociturum, festina cucurrit ut quidnam esset propius intueretur, ne clamore turbaret noctis silentium antequam certior redderetur. Accedens et per quasdam parietis aperturas introspiciens, vidit sepulturæ loculum tanto radiantem fulgore, ac si sol æstivus ibidem meridiano rutilaret splendore, et prædicti cornibus tauri duæ lampades inhærebant, quæ per totum stabuli ambitum incredibili lumine resplendebant. Hoc viso mulier indicibiliter admiratur, et ne injuriam inferat visioni, si non et ab aliis videatur, quosdam vicinos et domesticos suos excitare et convocare festinat, vel curiositate suggerente feminea, vel potius inspiratione divina. Volebat enim non solum mulieri, verum et per mulierem cæteris declarari, quantus in stabulo thesaurus latitaret, quantæ suavitatis odorem dives sterquilinium exhalaret. Sic nimirum resurrectionis suæ gloriam primo Christus in hortulo mulieri, deinde per mulierem cæteris nuntiavit, ne illa quæ ad inferendum gustum mortis exstiterat prior, ad annuntiandum gaudia vitæ esset posterior. Convocati autem vicini ad prædictum stabulum convenerunt, et quem mulier splendorem viderat, ipsi quoque mirantes viderunt. Et ne unius visio noctis insufficiens videatur, sequenti nocte conveniunt, et eadem iterum declaratur, ut grata repetitio hujus declarationis esset commendatio visionis. Dicunt ergo omnes, dicunt et singuli: « Vere mira et miranda est visio stabuli, quæ quid portendat, et si penitus ignoramus, divinam tamen et angelicam esse nequaquam dubitamus. » Eapropter communi consilio longe lateque clericos convocarunt, eosque ut super hoc Deum consulerent humiliter postularunt. « Vos, inquiunt, quibus datum est nosse mysterium regni Dei (*Matth.* III; *Marc.* I; *Luc.* VIII), » orate attentius ut nobis hoc mysterium reveletur, ut, cum revelatum fuerit, reverentia debita honoretur.

CAPUT VII.

Per id temporis Carolo regi Francorum aliud quoddam visum divina gratia revelavit, per quod eum ad inquirendum hujusmodi secretum diligentius excitavit. Quadam etenim nocte, cum idem rex, a diurnis occupationibus et curis aliquantulum remotus quieti se ac sopori dedisset, visus est ei quidam astare qui diceret: « Mitte rex, mitte Valentianas, et diligentius fac inquiri, quod de sancto Salvio martyre et episcopo Christi per te vult divina dispositio inveniri. » Expergefactus rex et tenens satis memoriter quod somniavit, quia tamen plerumque somniorum cassa est visio, hanc etiam inanem æstimavit. Sequenti nocte cum se iterum reddidisset sopori, visus est in hæc verba iterum commoneri.

Sed enim negligentia prævalente, vel sic Deo forsitan disponente, nondum obedivit mandato, volvens apud se quia temere credulus judicatur, qui antequam probaverit **757** omni spiritui credere non cunctatur. Tertia igitur nocte cum secunda vigilia jam transiret, et medium silentium omnia contineret, astitit ei angelus mira rutilans claritate, arguens et objurgans quod adhuc distulerit obedire. Qui percutiens latus regis : « Ecce inquit, semel et iterum jam præcepi ut diligentius investiges, ubi Salvius martyr Christi et episcopus requiescat, ut ejus meritum longe lateque per te populis innotescat. Præcepi, inquam, et neglexisti, et tanquam frivolum sit quod mandatur, perficere contempsisti. Nunquid quia tibi majori vides populum deservire, non est alius major cui debeas obedire ? Nunquid non est Rex regum qui universum continet orbem, *sub quo*, teste Scriptura, *curvantur qui portant orbem ?* (*Job* XIII.) Vade ergo, vade : et adjunctis tecum episcopis et principibus tuis ne differas investigare ubi beatos martyres Salvium et discipulum ejus Deus hactenus voluit latitare. » Dixit, et a rege tam angelus quam somnus recessit. Intelligens autem rex non esse hoc superfluæ phantasma visionis, sed divinæ seriem dispositionis, fecit ad se convocari quos sapientissimos judicavit, eisque per ordinem, quid, quando, quomodo sibi fuerit revelatum, indicavit. Acceptoque ab eis consilio apud Haynonium nuntios misit, qui eum paulo post secuturum præcederent, et quid de beato Salvio factum sit, investigare satagerent. Venientes illi Valentianas, convocaverunt principes et judices ejusdem provinciæ, instanter inquirentes si de his quidquam eorum pateret notitiæ. Audientes provinciales regis imperium et timentes ne illius incurrant judicium, alii sub juramento se scire penitus negaverunt, alii quod fama vulgante audierant, retulerunt. Oblatus est autem inter eos Genardus ab aliquibus forsitan accusatus, qui subtilius et arctius inquisitus, compulsus est confiteri quia viri illi vere domum suam ingressi fuerant, et hora refectionis secum comederant. Deinde interrogatus post refectionem quid egerint, vel quo perrexerint, se penitus nescire respondit, reique veritatem mentiendo fraudulenter abscondit. Irati qui missi fuerant dixerunt : « Per salutem regis pœnis innumerabilibus afficieris, nisi dixeris veritatem cujus te esse conscium mendaciter difficeris. » Tunc apprehendentes ipsum Genardum et filium ejus Winegardum servumque illius Winegarium, regi eos præsentaverunt dicentes : « Isti sunt duo, mi rex, qui, sicut nobis plurimi retulerunt, viros sanctos pro quibus nos huc misisti, occidere præsumpserunt. » Quos intuens rex, ait : « Quis furor, quæ tanta præsumptio vos subvertit, ut in regno cujus me sciebatis dominium obtinere, tam immanem auderetis tyrannidem exercere ? Quis hanc vobis contulit potestatem, ut non solum in illos viros, verum et in meam sæviretis majestatem ? Non solum enim illis, verum et mihi non mediocrem injuriam intulistis, qui me nec jubente nec loquente homines immeritos occidistis. Nescitis quia quidquid in regno superfluum et justitiæ contrarium insolenter abundat, in caput meum imperio præsidentis redundat, cujus sicut laus est et gloria si pax viriliter et justitia teneatur, sic e regione dedecus et ignominia, si pro cujusque arbitrio eadem enerviter corrumpatur ? Quia ergo quod factum est, non potest non fieri, saltem necesse est id inultum non relinqui, ne vestro excessui, qui tam exsecrabilis judicatur, ad cumulum dedecoris consentire mea negligentia videatur. Eapropter vos ipsi, vos, inquam, dicite quid in viros sanctos crudeliter perpetrastis, vel quo eos abscondere curastis, ut quod manus impia non timuit operari, lingua impudens non differat confiteri. » Ad hæc illi tanto sunt timore perculsi, ut quasi exanimes redderentur, et diutius hæsitantes, nec rei negarent veritatem, nec eam faterentur. Fixos quippe in terram oculos fere immobiles tenebant, iratique faciem regis intueri non audebant. Accusante enim conscientia, nec tantum facinus poterant abnegare, nec fatendo veniam præsumebant sperare. Tandem spe penitus relagata vivendi, et non tam mortem timentes, quam modum miserum moriendi, quidquid egerant, per ordinem incipiunt recensere, nihil aliud exspectantes quam vel mortem vel si quid morte est amplius, sustinere. Illis auditis, rex cogitavit apud se quia et illos pro meritis punire non differret, et tamen pœnitendi spatium non auferret, sed sic eos vivere pateretur, ut sua eis vita oneri potius quam honori haberetur. Neque enim congruum æstimavit ut pœna ipsorum morte celeri finiretur, ne et ipsorum ignominia et regalis in eos justitia oblivioni citius traderetur. Præcepit ergo lictoribus suis ut Genardo et Winegardo filio ejus amputarent virilia et oculos eruerent, ut et aliis timorem inculerent sic vivendo, et sibi ipsis consulerent pœnitendo. Denique sanctorum, qui occisi sunt, gloriæ non mediocriter militavit, quod pœnas carnificum mors celerior nequaquam terminavit, quia quo pluribus istorum miseria de die in diem declaratur, eo amplius illorum memoria venerabiliter celebratur. Deinde Winegarium servum Winegardi jussit rex tantummodo excæcari, non etiam virilia, sicut aliis, amputari, quia, etsi peccasse cognoscitur, cum viros immeritos interfecit, in hoc tamen non suæ voluntati, sed jubentis imperio satisfecit. « Est autem, inquit, servorum ut dominis humiliter obsequantur, ne, si contempserint, **758** contumacis insolentiæ arguantur. Pœnas ergo debet leviores subire, qui in morte sanctorum coactus est obedire.

CAPUT VIII.

His expletis, jussit rex episcopos, sacerdotes, clericos convocari, ut de loco quo inhoneste jacuerant sanctos illos sublevarent, eosque alibi digne et venerabiliter collocarent. Convenerunt itaque tam clerus quam populus, et idem festum solemniter

celebrarunt, sanctaque illa corpora cum hymnis et laudibus elevantes, pretiosis ex vestibus induerunt, et plaustro novo imponentes ad ecclesiam Beati Vedasti honoris gratia transferre voluerunt. Cæterum divina potentia idem plaustrum pondere prægravavit, ut cum illi trahendo humana diligentia juga boum adhiberet, illud tamen fixum et immobile permaneret. Mirantur omnes, et adjuncta hominum innumera multitudine ad basilicam beatæ Pharahildis plaustrum ducere voluerunt, sed divino obstante consilio, nequaquam potuerunt. Stant omnes attoniti, et quid sibi tanta velit immobilitas, non sufficiunt admirari, divinumque consilium dolent sibi tam incomprehensibiliter occultari. Quocirca student iisdem martyribus humiliter orando supplicare, ut populo licet immerito dignentur revelare utrum relinqui in stabulo, an velint alias transmigrare. Tandem, inspirante divina clementia, pontifices et sacerdotes dixerunt ad populum : « Non nobis videtur ut in locis quæ elegimus, isti sancti elegerint demorari, sed alias nescimus quo volunt forsitan transportari. Duos ergo tantum boves ad plaustrum jungite, eosque suæ dimittite libertati, ut remoto conductu hominum, locum eligant divinæ placitum voluntati. » Huic omnes consilio assensum præbuerunt, et jungentes duos boves suo eos arbitrio dimiserunt. At illi nullo præduce ecclesiam Beati Martini in qua sanctus Salvius novissime missas celebraverat petierunt, tam recto quidem itinere, ac si bubulco prævio ducerentur, tanta velocitate, ac si nullo pondere gravarentur. Venientes autem illuc, nullo movente hominum substiterunt, et quem locum sibi martyres elegissent, satis evidenter omnibus ostenderunt. Sic profecto sic cognita Dei voluntate, omnes eum laudibus extulerunt, sanctosque martyres cum hymnis et cantibus, cum cereis et lampadibus, cum incenso et aromatibus novo in tumulo posuerunt. Quorum ut gratiam mereretur rex Carolus obtinere, dedit eis partem fisci tertiam quam ibidem solebat possidere. Ipse etiam Genardus ut eos sibi placatos redderet, omnia dedit eis quæcunque possidebat.

CAPUT IX.

Ut autem hæc martyrum sepultura timori et honori omnibus haberetur, voluit et alio Deus eam miraculo commendare, ut qui diu in stabulo eo sic disponente latuerunt, nunc longe lateque possent digne pro meritis coruscare. Cum in eodem adhuc loco rex Carolus moraretur, et circa eum tam cleri quam populi multitudo innumera versaretur, adfuit inter reliquos quidam princeps, qui duas sorores suas exhæredabat, et nullam illis patrimonii partem relinquens, totum sibi illud injuste vindicabat. Venientes autem illæ sorores ante regem, clamorem fecerunt super eo, orantes et lacrymabiliter supplicantes, ut fratrem suum rex juberet vel potius precaretur, ut partem patrimonii, quæ eos contingebat, eis restituere dignaretur. Rex illarum commotus precibus, principem illum cœpit satis humiliter convenire, tum quia ille quantum ad sæculum momenti alicujus habebatur, tum maxime quia eum rex diligere videbatur. « Non expedit, inquit, frater, ut damnum hujusmodi tuis per te sororibus inferatur, ne tua nobilitas inhumanæ violentiæ arguatur. Cum enim justum sit ut eas fraterno amore amplectaris, et, si tui indiguerint, earum misericors patronus habearis, non mediocriter tuam dehonestabis probitatem, si tanquam fortior illarum oppresseris infirmitatem. Redde igitur eis paternæ copiam facultatis. » At ille consilio regis nullatenus acquiescens, nihil omnino sororibus suis reddere voluit, sed earum clamorem injustum esse asseruit. Respondit rex et ait : « Cum tu mihi injuste agere videaris, nolo tamen ut de mea potentia conqueraris. Rem igitur divino committam judicio, ut nec tibi per me violentia inferatur, nec tamen res indiscussa relinquatur. Habemus hic beatum Salvium cujus nobis gratia noviter revelatur, quem suæ merito sanctitatis universus hic populus veneratur. Vade et jura super sepulcrum ejus, ut si causa tua rea injustitiæ non habetur, ejus meritis nobis omnibus reveletur. » Hoc audito, miser ille protinus acquievit, et veniens ad sepulcrum, nullo timore revocatus, juravit dicens : « Juro per locum hunc, et per beatum Salvium qui in eo requiescit, quia sorores meæ adversum me injuste conqueruntur, cum nihil eis auferam violenter, nihil subripiam fraudulenter. » Vix ille miser juramentum peregerat, cum divina eum ultio perculit, et ruptis visceribus medius crepuit, et per aures et oculos et os sanguis profluxit, tantumque fetorem circumquaque diffudit, ut qui accedebant miraculum hoc videre, fetoris gravedinem non possent sustinere. Quidam autem domestici et amici ejus tollentes eum de circumstantia populi, in partem secesserunt; ibique inter manus eorum aliquantulo tempore palpitavit, et paulo post, cum morbus ingravesceret, exspiravit. Hoc viso vel audito, omnes beatum Salvium timuerunt, nec super eum deinceps falso jurare præsumpserunt. His et plurimis aliis Deus eum miraculis decoravit, et quanti esset meriti tam futuris quam præsentibus demonstravit. Oremus ergo eum, fratres, ut quod apud Deum nostra infirmitas non meretur, suo nobis merito impetrare dignetur, et quos sibi videt in terris utcunque famulari, secum faciat in cœlis gloriari. Certum est quippe quia si nos Deo tantus martyr voluerit commendare, et nostram qualemcunque diligentiam suis meritis cumulare, poterimus quidem hujus vitæ profunda pericula felici navigio transfretare, et in portu salutis nostram naviculam collocare. Quis enim humanus animus cogitare, vel quæ lingua volubilis sufficienter poterit enarrare quam gloriosam in cœlis vir iste sortitus est mansionem, qui tam vilem pro Christo pertulit passionem? Nunquid non credendus est sedem Joanni Baptistæ proximam accepisse, quem constat in carcere passionem similem pertulisse? Quantum æstimo, cum Joanne fruitur absoluta libertate gau-

759

dendi, qui cum eo tantas pertulit angustias moriendi. Profecto cujus corpus de carcere transivit in stabulum, ejus spiritus de corpore cum Christo ad cœli conscendit cœnaculum, et cum illud honorificaverit perfunctoriæ radius claritatis, istum glorificat æternæ visio Deitatis. Indubitanter igitur, sancti fratres, vos ejus meritis commendate, qui ejus devote memoriam celebratis, cumque vobis adfuturum sperate qui in ejus assidue servitio laboA ratis. Ideo quippe et ego pauperculus in ejus passione scribenda utcunque laboravi, ut si vestræ comparticeps fuero servitutis, comparticeps efficiar et salutis; et pariter mansiones accipiamus cum eo concordi claritate, quamvis differentis ab eo impari claritate. Quod conferre nec differre dignetur Deus ille deorum, cujus in Sion Salvius fruitur visione per infinita sæcula sæculorum.

VITA S. FOILLANI MARTYRIS.

PROLOGUS.

Rogatis, et instanter rogatis ut sancti martyris præsulisque Foillani vitam quam versifice descriptam habetis, alio scribendi genere percurram, et absolutam a metro deducam in planitiem prosaicæ libertatis, quasi religiosis auribus pluscule placituram maturæ gratia novitatis. Quia vero neque dictare, neque dictata scribere jam valeo diu, diu quoque hujuscemodi negotium recusavi, et quem deposueram, stylum resumere differens, meum sæpius otium excusavi. Cujusmodi excusationem cum vestræ dilectioni sentiam non satis complacere, dignum duxi a me ipso contra propositum extorquere, ut huic negotio aggrediar curam potius impartire quam offensis vobis prædicto martyri non C servire. Primum ergo vestris orationibus me committo, et in eis confidens, ad laborem iterum manum mitto, sperans quod si effectu completorio difficultas aliqua me tardabit, ad eum tamen abstinendum vestra devotio et martyris intercessio me juvabit.

CAPUT PRIMUM.

Ut vita martyris, de quo me loqui vultis, vobis gratius innotescat, dignum duxi ut a gemino quasi ovo ducta retro series diluescat, quia nonnunquam ex sua origine seu specie primitiva, laudem sibi contrahunt, vel forte vituperium secutiva.

In partibus Occidentis, in finibus terræ, Hyberniam provinciam mare circuiens in insulam redigit, quæ ab una parte Scotos, ab altera Britannos D appropinquans, ab alia, occurrente Oceano coarctatur, et quantum maris ambitus permittit, ab Austro in Boream dilatatur. In hac princeps nomine Funologa imperans, natum sibi filium diligentius enutrivit, adusque gladio et more nobilium militiæ titulis insignivit. Factus miles Philtanus adolescens, jam lare patrio non contentus, ad regem Scotorum se transtulit, ut **760** illic et conversionis honestæ sollicitior redderetur, et studio probitatis ejusdem fama clarior haberetur. Qui cum in domo regia novus tiro strenue se haberet, et tam regi Agiulpho quam Scotis omnibus strenuitatis merito complaceret, ejusdem regis filia Gergehes amplexata est eum amore speciali, volens sibi jungi cum, si tamen B Deus vellet, fœdere nuptiali. At ille virginem decoram facie, sermone verecundam, pudicam moribus, fastu præsumptorio non despexit, sed Deo gratum et amorem præsentem et futuras esse nuptias intellexit. Timentes vero regem, manifestum hujusmodi consilium non fecerunt, sed per quosdam sibi familiares totam rei seriem peregerunt, consensuque pari et lege debita nuptialiter convenerunt, Deo sic disponente, quem et patrem propitium invenerunt. Res peracta regem tandiu latuit, donec processu temporis novæ nuptæ venter intumuit, quo comperto supra modum ira sæva patris incanduit, et tanquam stupri ream, concremari natam disposuit. Strue lignorum composita ardet ignis suppositus, desævitque fama malorum prænuntia, festinat civitas convenire. Quisquis adest, plorat uberius, paternum facinus exhorrescit, solus pater iræ tenax ad aliorum lacrymas non mitescit. Nupta prægnans producitur jussa citius concremari, tanquam ovis innocua ducitur immolari. Ad homines jam non respiciens, Susannam eligit imitari, corde contrito gemere, Deum devotius deprecari. Et ecce vox de cœlo cunctis astantibus manifestat, quod rex injuste furit, jure filiam non molestat, prægnantem necat, non ream, reatum ascribit homicidæ: confutat, sed non mutat iram vel propositum parricidæ, auditam enim vocem putat dolo phantasmatis advenisse, et indignum ducens dolo posse decipi regiam majestatem, pietatis nescius, gravem in filiam exercet potestatem. Illa vero a precibus et lacrymis non desistens: « Deus, ait, qui tribus pueris flammas ignium mitigasti, qui Susannam de manibus falso accusantium liberasti, defende me miseram in tua solius misericordia confidentem, iram patris mitiga igne durius sævientem. Quod si forte a præsentibus flammis eripi non sum digna, mei saltem onus uteri tu manu forti protege, tu consigna: et quod tibi vovens vovi ab ipsa protinus genitura, salva tibi, ut non mecum morte pereat immatura. » Hujus preces lacrymosas divina bonitas exaudivit, et de terra fletibus irrigata statim uberrimus fons exivit, cujus affluentia minaces flammas potenter annulavit, et mirando miraculo ardorem in refrigerium commutavit. Et hoc viso, regem omnes pro-

ximi ejus arguunt confidenter, et de manibus ejus filiam quasi rapiunt violenter, conclamantes et laudantes Dei misericordiam et virtutem, qui lugentes consolatur, in se sperantibus dat salutem. Flexus pater, ab optato furore parricidii jam recedit, sed tamen adhuc ad diligendum filiam non accedit, imo illam a domo sua, et a tota Scotia jubet citius removeri, [semelque exosam ultra non sustinet intueri. Philtanus juvenis reddita gaudens conjuge, Scotiam est egressus, et tamen in Hyberniam, unde venerat, non regressus, putans quod patri suo Funologæ gravis vel ad modicum haberetur, eo etiam inconsulto, quasi furtivo matrimonio jungeretur. Terram ergo Herbreniorum paucis comitantibus introgressus, patruum suum Brendanum fiducialiter est agressus, qui tunc terræ illi episcopali cathedra præsidebat, et tam Deo quam populo vitæ merito complacebat. Cum autem ille præsul nepotem suum benigne collegisset et apud eum nepos tempus modicum explevisset, Gergehes uxor ejus pariendi terminum est adepta, nec unius tantum mater, sed trium pariter est effecta. Primum quidem Furseum, secundum Foillanum, tertium vero Ultanum voluit appellari, in quibus (ut videtur) natura mysterium voluit operari, dum et in personis totidem summa nobis Deitas innotescit, et juxta Salomonem, triplex funiculus rumpi nescit. Et aliquid prorsus habet quod Foillanus nasci medius invenitur, qui ab utroque latere virili fortitudine præmunitur, in quo nihil molle, nihil femineum conversatio decolor operatur, cujus vita sanctior, mors gloriosior prædicatur. Hinc inde fratres suos tenens, alligat sanctitati, nec discordant ab invicem clavo medio copulati; unus Dominus, una fides, unum baptisma eos copulat et conjungit, una quoque professio, sola denique mors disjungit. Eos vero natos et provectos, Brendanus episcopus litteris erudivit, processuque temporis divina eos gratia sanctis moribus insignivit, et juxta modum, imo supra modum ætatis, bonæ indolis exstiterunt, diligentique studio semper augendis virtutum meritis institerunt; neque enim regna terræ vel opes regias ambierunt, sed amore paupertatis, promissorum copiam contempserunt, et cum eis videretur paterna hæreditas arridere, elegerunt potius in ea jus hæreditarium non habere.

CAPUT II.

Agiulphus quippe rex Scotorum audiens et fecundam esse filiam, et tam præclarum esse specimen filiorum, ductus pœnitentia, flexus consilio plurimorum, assumptisque amicis, proximis, 761 navigio filiam visitavit: et tam ipsam, quam generum in Scotiam revocans, suum eis imperium assignavit. Parvo autem post tempore eidem [Philtano mors patris ejus Funologæ nuntiatur, quo defuncto tam Hyberniæ quam Scotiæ, sceptro regio sublimatur. Ad hæc læta et prospera filiorum humilitas non intendit, sed magis ad angusta et ardua religionis merita se extendit, sciens et recolens quia quid quid amatori suo transitorium mundus spondet, amatori cœlestium lance congrua non respondet. Quorum cum religio de die in diem dignis profectibus augeretur, et fama vel opinio longe lateque celebris et commendabilis haberetur, Foillanum, quem majoris prudentiæ et scientiæ gratia sublimavit, acclamante tam clero quam populo, episcopus in episcopum ordinavit. Ordinatus non tumuit, sed onus timuit et honorem, ne assumpta prælatio turbaret ejus desiderium et amorem, amans, imo desiderans magis in hac vita conversari humilis et privatus, quam a proposito declinare in assumpti officio præsulatus. Unde et cœpit Deum devotius et frequentius exorare, ut dignaretur ei suum placitum revelare, ut gressus ejus regeret et dirigeret in propositæ semitam paupertatis, ut in eo detineret et augeret solius desiderium sanctitatis. Nec defuit justis [precibus misericordissimus exauditor, qui sanctum virum docuit, et per angelum monuit, ut domo, patria, parentibus derelictis, exiret et transiret ad incognitas regiones, et tam forma quam doctrina fructum faceret inter alias nationes. Quod nimirum fratribus suis Furseo et Ultano Foillanus celeriter nuntiavit, assumptisque tam eis quam aliis, qui gratia religionis ei adhæserant, duce Deo, in Angliam navigavit. In qua Sigebertus rex eos devote suscipiens et ab eis audiens verbum vitæ, ad tantum mundi contemptum studuit promoveri, ut assumpto religionis habitu et tonsura, non differret monachum profiteri. Qui in terra sua monasterium construens, situ loci congruum, ædificiis opportunis, possessionum sufficientia, habitatoribus religiosis diligentius honestavit, et abjecta regia potestate, in eo se ipsum ordini mancipavit. Cujus monasterii cura et custodia Foillano præcipue delegatur, eo quod inter magnos majoris prudentiæ et scientiæ videbatur. Qui cum illic sanctæ et pie vivens cunctis se imitabilem præberet, et ejus opinio ad invitandum cæteros, suavius et fructuosius redoleret, locum illum tam Sigeberti regis conversio quam Foillani prælatio reddidit commendatum, multis confluentibus ad exhibendum illic Deo religionis devote famulatum.

Non multo post tempore Furseo divina revelatio notum fecit, quod locum illum, imo totam provinciam, hostilis incursio devastaret, ipse proinde Anglia derelicta, in Galliam conversandi gratia demigraret. Quod cum Foillano cæterisque fratribus nuntiaret, assumptis paucis vale facto Angliæ, in Galliæ partes venit, et apud regem Clodovæum ejusque principes gratiam non mediocrem adinvenit.

CAPUT III.

Foillanus vero religiosos viros quos in unoquoque monasterio collegerat, volens in tribulationibus consolari, elegit cum eis mala supervenientia præstolari, ne percusso pastore invenirentur oves justo citius perturbari, et non tam impugnantis præsentia quam consolantis absentia, licentius evagari. Tur-

batur igitur Anglia cum rex Peuda nomine, illius quartæ parti solitus præsidere, affectaret in tribus reliquis malam potentiam et potentem malitiam exercere, et eo sæviente, Sigebertus rex de claustro cogitur revocari, et cum revocantibus non manu et gladio, sed verbo consolatorio præliari.

Qui cum in prælio religiose et strenue se haberet, et invictus spiritu mortem pro patria sustineret, tot et tanti eodem excidio principes sunt prostrati, ut longum et superfluum ducam modum vel ordinem scribere seriatim, vel ipsos ad medium deducere nominatim. Defensoribus autem prostratis piratarum turba per provinciam libere debacchatur, et irruens cœnobium cui Foillanus præesse dicebatur, captos adducit fratres, et eorum pecuniam deprædatur, neque sancto viro parcit, sed tamen divino consilio reservatur. Qui attendens provinciam depopulatam, ejus principes cecidisse, monasterium spoliatum, religiosos viros in manus hostium devenisse, fratrem suum Ultanum alloquens, ostendit tanto se deditum dolori, ut pro vita cæterorum, si divino placeret consilio, vellet mori. Orant ergo simul ambo, instant precibus diligenter, divinum adjutorium optant sibi adfore confidenter, sperant sibi certius Dei beneplacitum revelari, justas justorum preces a justo desiderio non defraudari.

Nec distulit Foillanum misso Deus angelo visitare, et tristes ejus lacrymas novo solatio commutare: « Noli, inquiens, malis instantibus plus justo atteri, plus dolere, sed paratus esto magis quidquid tibi mundus intulerit, sustinere. Locum istum, eo quod ipse novit, consilio Deus ad præsens postposuit **762** et te alias proficisci et proficere multis disposuit, nec enim in præsenti finem debitum tibi præstat, sed tempus laborandi et labor non modicus tibi restat. » Hujusmodi alloquio vir Dei admonitus, eos qui secum erant reddit confortatos, et quos potest vel prece vel pretio fratres redimit captivatos, relictoque loco quem turbarat belli rabies importuna, et assumpta supellectili divinis ministeriis opportuna, tam se quam suos credit ventis prosperis et carinæ, felicique usum navigio partes eum excipiunt transmarinæ. Egressus de pelago consilium habuit Romam ire, ut Petri et Pauli mereatur gratiam invenire, quem is, qui tunc præerat, Martinus papa, devotius honoravit, et insignem religione, benedictionis suæ munere cumulavit. Et quia noverat illum pontificalem ordinem suscepisse, et locum ipsum tam humilitatis gratia, quam divino monitu reliquisse, injunxit ei ut, quamvis sedem pristinam non teneret, tamen officium præsulis exerceret, videlicet ordinando, confirmando, prædicando, in salutem suis auditoribus haberetur, et ut olim in proprio, ita nunc in exsilio, pontificali ministerio fungeretur. Postmodum vero in somnis cœlestis eum visio confortavit, quæ reverti illum in Galliam diligentius imperavit, prædicens illi et vitæ seriem, et mortis exitum postfuturæ, locum etiam martyrii, locum illi nominans sepulturæ. Eo doctus oraculo et memoriter retinens visionem, prophetiam veneratur et prægnitam jam desiderat passionem, et valefacto sanctis apostolis, quorum sibi adesse patrocinium fuerat deprecatus, in Galliam reversus est, Ultano fratre et quibusdam aliis comitatus. Qui cum ad monasterium quod frater ejus Furseus Petronæ construxerat, devenisset, et eum jam defunctum et sepulturæ ibi traditum comperisset, humanitatis affectu commotus, non potuit non dolere, suæque devotionis obsequium fusis coactus est lacrymis exhibere. Qui post luctum et obsequium ibidem diebus aliquot habitavit, et populis confluentibus spiritualem verbi alimoniam ministravit, sed cum illic nondum requiem posset ejus animus invenire, relicta Germanorum provincia, partes Haynonii voluit pertransire. Quem egressum de Haynonio Gertrudis virgo gratanter excipiens, et in eo doctrinæ verbum et vivendi formam inveniens, tanto illum desiderio visa est amplexari, ut suum quasi patrem amore faceret singulari.

CAPUT IV.

Illa quidem virgo nobilis genere, moribus insignis, dives patrimonio ferebatur, cujus et devota religio, et opinio prædicabilis habebatur, cujus a pueritia studium vitæ fuerat virginalis, non voluntas, non affectus, non propositum matrimonii conjugalis. Et quia regnum mundi et ornatum ejus omnem jam deposuerat, et ad hoc demonstrandum capiti suo velum superposuerat, solum Christum desiderans, ei totis viribus adhærebat, et in cœnobio Nivellensi cum pluribus ejusdem propositi serviebat, ardore sancto flagrans, quidquid mundus diligit, respuebat, nec solum ab illicitis omnibus, sed etiam a licitis pluribus abstinebat, carnem suam jejuniis, vigiliis, asperitate vestium atterebat, et supra morem ætatis vel generis, despecta et contemptibilis apparebat. Quam cum intelligeret Foillanus et diligeret tam devotam, spiritalibus inhærentem, a carnalibus tam remotam, dignum duxit apud eam aliquandiu remanere, ut per eam posset ad melius promoveri, et eam forsitan promovere. Admiratur quidem in virgine tam devotam annorum juventutem, admiratur in juvene gratiosam senectutem, admiratur in sexu fragili fortitudinem tam robustam, in despecta et neglecta, mentis pulchritudinem tam venustam. Erat nimirum facies virginis nativo beneficio luculenta, sed laboris et fletuum superfuso pulvere lutulenta, honestare nitebatur ordo eam generis, lex naturæ; sed repugnans prævalebat contemptus pulchritudinis perituræ. Quibus autem virginibus, viduis, continentibus præsidebat, non majorem, non se parem, sed quasi subditam exhibebat, dum quod aliis ad tenendum rigorem imperabat, ipsa prius, ipsa districtius, curæ memor, oblita generis, observabat. Hæc quæ tanta et tantis fulta meritis habebatur, virum sanctum, magnum pontificem non mediocriter admiratur, vultum ejus angelicum, os mellifluum in doctrina, mores digne compositos, mira præditos disciplina. Admiratur eum

virgo pontificalibus infulis non tumentem, nil de supremo Mæcenate, de regali prosapia referentem, relicta domo, patria, parentibus, exsulantem, fortem in proposito, omne solum pro patria reputantem. Audit eum, et approbat de Scripturis optime disserentem, loquentem profundissime, tanquam de cœlo tertio revertentem, de Deo tam non novo, nova rudibus et incognita proferentem, et in auribus auditorum multam super his gratiam obtinentem. Optat ergo virum sanctum virgo secum diutius demorari, et ne forte longius exsulet, modis quibuslibet alligari, consilioque inito, quo ab itinere firmius debeat revocari, quærit locum in quo possit ille Deo devotius et secretius famulari.

763 Novit enim episcopum concursus et tumultus populi non amare, non libenter et frequenter ad quietem et silentium recursare, et ideo quærit locum aptum et solitarium invenire; quærit, inquam, et inventum gaudet tali desiderio convenire.

CAPUT V.

Erat autem locus ille vallis eo tempore nemorosa circumsepta collibus, fontibus copiosa, frumento non abundans, sed ad alendum, pecoribus fructuosa, pratis adjacentibus præterfluente rivulo gratiosa. In qua valle, silva circumposita quemdam viculum abscondebat, quem a diebus pristinis habitator rarus et pauperrimus incolebat, quia locum sterilem vel incultum non satis amat populi multitudo, neque multos concives colligit locus horridus et vasta solitudo. Quem locum aut viculum, qui in eo primitus habitarunt, ex re nomen imponentes. Fossas proprie nominarunt, eo quod situs loci natura operante humilis et depressus tanquam vallo circumdante supereminentia collium est obsessus. Et quia sicut tumultus populosæ conceditur familiariter civitati, sic amica est solitudo religiosæ hominum paucitati, locum istum virgo sancta viro justo voluit præsentare, ut in eo se receptans, possit a tumultu forensium absentare, ut cum fessus tædio, cum afflictus fuerit labore prædicandi, hic respiret, hic spiritum refocillet, grata requie contemplandi. Præsentatum vero et oblatum locum Foillanus cum his qui secum erant, perrexit invisere, inventumque circumiens et diligenter aspiciens acceptavit, et tam suo quam suorum convenire proposito indicavit. Præterea considerans quod locum (ut dictum est) Fossas incolæ nominarent, visionem illam memoriter ad medium revocavit, quæ sibi Romæ posito martyrii locum et sepulturæ nihilominus nominavit. Cognito ergo jam sepulturæ loco, non differt gratias exhibere, ibique missas celebrans tam sibi quam loco illi Deum postulat præsidere, et admonens fratres suos illic tandem stabiles residere, eisdem residentibus et Deo vacantibus diligit assidere.

Convocati quippe quamplures multo silvam studio succidere festinarunt, securi frutices, ligone et fossorio salices exstirparunt, terramque rudem et incompositam ruderibus et arboribus nudarunt, et in brevi arabilem reddendisque aptam frugibus reddiderunt. Cujus loci opinio, et ipsius pontificis, qui locum religiosius incolebat, longe lateque redolens sibi plurimos attrahebat, quorum nonnulli ad usus illius larga beneficia conferebant, nonnulli vero se ipsos ad vivendum pariter transferebant. Sic processu temporis tam possessionum quam possessorum numerus augmentatur, et devotos convenas Foillanus devotior ulnis teneerioribus amplexatur, sic in illis quasi unus ex illis, non præesse, sed esse gratulatur, imo sic inter illos, ut longe infra illos abjectus et humilis habeatur. Quotquot intelligit Deo placere, diligit adgaudere, patientibus compati, mœstis et deficientibus condolere. Omnibus factus omnia (*I Cor.* IX), soli Deo vacare concupiscit, obliviscens quæ sunt retro, totus in atria Domini defatiscit, devotis instans precibus absconditur in abscondito divinæ faciei, fidem et spem supergressus, adhærescere videtur speciei.

CAPUT VI.

Videns autem virgo sancta Gertrudis Fossas non mediocriter profecisse, et de loco humili caput velut ad virtutum eminentiam sustulisse, gavisa est; et virum sanctum Foillanum sollicite studuit adhortari, ut ad ipsam revertens non differret sua eam præsentia consolari. Non enim æquo satis animo sufferebat ut ille assidue collectis fratribus interesset, sic illorum curam gerens, ut aliis quoque indigentibus non prodesset, sed optabat ut sic Fossis, illorum necessitatibus præsto esset, ut ipsi quoque virgini suisque virginibus tempore congruo non deesset. Sancto cujus desiderio Foillanus nec valuit nec voluit contraire, cum et ipsum Deum sciret nonnunquam virginis precibus obedire, et Ultanum fratrem suum non differens super hoc diligentius convenire, illi curam imposuit, et omnia disposuit, prout monasterio noverat expedire. Ille quidem Ultanus elegerat longius a conventu suum habitaculum removere, et in eo vacans Deo sedere solitarius et tacere, suspensus a terrenis, cum Paulo in cœlestibus conversari, continuis instare laudibus, angelico ministerio delectari. Cæterum a fratre commonitus, affectum non prosequitur sibi gratiorem, sed postponens quietem et otium, curam suscipit et laborem, timens ne inveniatur a semita rectitudinis plurimum deviare, si jubenti Foillano præsumpserit vel ad modicum obviare. Rebus ergo dispositis, et Ultano fratribus præsidente, præsul redit ad virginem, Deo suaviter omnia disponente, et cum ea vacat Deo, incumbit studio sanctitatis, assistentes sibi docet religiosæ regulam veritatis. Qui assistunt, qui audiunt, qui præsulem et virginem digne considerant, qui præceptis et exemplis eorum gratanter obtemperant, de illorum consortio, de illorum gaudent convictu sociali, de affectu mutuo, de amore lætantur spiritali. **764** Sic nimirum præsul et virgo simul viam mandatorum Dei currunt, sic contendunt pariter in agone, sic animabus curandis invigilant contempta corporum passione, ut se invicem æmulari videantur, et ad optatum jam diu bravium

certatim festinare, et quis cui præferri debeat spectatores faciant dubitare. De eorum igitur conversatione, de convictu, de moribus et doctrina, tantus fructus, tanta denique bene vivendi redolet disciplina, ut non solum qui sub eis militant, eos studiosius imitentur, sed et longe positi, eorum famam celebrem, præclarum testimonium venerentur.

CAPUT VII.

Cum sic vivunt, dum sic proficiunt, dum plurimis utiles sic habentur, disponit Foillanus fratres revisere, qui sub Ultani magisterio continentur; prius tamen Maldegarium, qui alio Vincentius nomine dicebatur, qui ei notus et familiaris et religionis charissimus habebatur. Quo audito, virgo Gertrudis etsi eum ægre sustinet vel ad modicum absentari, huic tamen proposito convenienter non potest reluctari, hoc solum ab illo diligenter exigit et precatur, ut expleto negotio, mora postposita citius revertatur. Valedicens igitur vir sanctus sancto conventui, ejus se humiliter orationibus commendavit, et hoc ipsum tanto fletu, toties et toties replicavit, ut ex hoc videretur quasi quodammodo præsagire quod non esset rediturus, quamvis crederet se redire.

Acceptis autem paucis, profectus est, et intendens ire Sonegias, Carbonariam silvam ingressus est, per quam præteriens, planitiem reperit spatiosam, clausam arboribus, herbida superficie speciosam, in qua erat tumulus aliquantulum eminens et sublimis, producensque rivulum grato murmure fons illimis, ad quem locum sæpissime pastores finitimi confluebant, et tam pascuis pecora, quam se ipsos colludiis et colloquiis refovebant, et de specula, quam in prædicta tumuli eminentia fixerant, loca circumjacentia prospectabant, et pecora sua pascendi gratia dispersa longius observabant. Illuc vir sanctus veniens, et grata loci facie provocatus, pausandi gratia restitit, ibidem aliquantulum demoratus, et intuens quosdam viam publicam pertransire, sic eosdem pacifico sermone voluit convenire: « Vos, ait, qui transitis per viam, dicite quo tendatis, quis ille vicus est ad quem ire, vel forsitan redire festinatis, et cum hujus in quo stamus loci facies alicujus esse momenti videatur, dicite si apud vos quovis nomine censeatur. » At illi: « Locum, aiunt, in quo statis, Ampolines vocat vicinia, villa vero ad quam tendimus vocatur Seneffia, et cum sol de occasu cogitet, et vespera festinet propinquare, bonum est vos nobiscum hospitandi gratia declinare. » Et recte locus ille Ampolines, hoc est *ambitus pollens*, nominatur, quia is quem silva circumposita naturaliter ambiebat, diffusa planitie, grata superficie præpollebat, et tam hominibus quam pecoribus jucunda ejus fecunditas arridebat, quem fecundum et jucundum, et pascuæ fructus exuberans, et fontis vena submurmurans exhibebat. Villa vero ad quam nequissimi homines pergunt ire, recte Seneffia dicta est, quia sine fide, sine fœdere, sine pace media, virum sanctum exorbitant et abducunt, et sub specie hospitalitatis, spondent beneficium et seducunt. Cum enim illum velut per quædam compendia ducere se promittunt, in quasdam pastorum viles caulas intromittunt, et dolosa malitia, violato jure, quo hospes hospitem colligit diligenter, de occidendo viro tractant et murmurant fraudulenter. Considerans autem vir sanctus nomen loci quod longe ante sollicitius memoriæ commendarat, ex quo scilicet divina visio locum et sepulturæ et locum martyrii nominarat, intellexit mortem veraciter sibi proximam imminere, quam, etsi promptus est spiritus, infirma tamen caro non potuit non timere. Quem timorem parcit manifestare sociis ne turbentur, sed jubet et admonet ut in Domino confortentur, ut recolant et teneant quia vitam immarcescibilem sortiantur, si mortem imminentem forti constantia patiantur. « Fratres, inquit, homines isti nequam, qui promiserant et nos debuerant hospitari, vice versa, consilium perditum videntur machinari, et quantum intelligo, ira imo furiis agitantur, et læsa fide, non beneficium, sed homicidium meditantur. State igitur et instate dum vobis spatium indulgetur, dum mali male murmurant, vestra devotio sollicitius operetur, ut cum eorum malignitas diffinitione exsecrabili fuerit confirmata, vestra ad sufferendum inveniatur firmitas præparata. » Hæc et hujusmodi Foillanus loquitur et sistit, et ipse in orando nihilominus vigilat et persistit, et tam prælatus quam subditus a sollicitudine vigili non desistit, donec malignus carnifex supervenit minaciter et assistit. Qui viros sanctos inveniens sollicitos et pervigiles in orando, nullius reos culpæ addicit sententiæ gladiali, et peremptis innocuis gaudet miser malitia triumphali. Vir autem sanctus Foillanus, sicut in devotione et precibus totus erat, sic occisus gladio in eodem proposito perseverat, et re digna miraculi, amputato capite velut mortem nescit, dum aliis tacentibus ipse a cœptis precibus non quiescit. Quo audito **765** carnifex ultra quam dici valeat, obstupescit, et rem supra inauditam mirabiliter exhorrescit, timensque ne a loquente mortuo, perpetratum homicidium reveletur, rursus in illum irruens vulneribus addere vulnera non veretur. Quem occisum denuo et membratim crudelius laceratum, abscondit in invio ramis et frontibus adumbratum, et cui non pepercit inhumanitas bestialis, reveretur et tuetur bestiarum et avium feritas naturalis, nec dubitandum reor quin vir sanctus morte vexatus, altera repetiti martyrii duplici passione, nunc gaudeat duplicato beneficio præmii vel coronæ, et quem sævus carnifex morte mortuum iterum fecit mori, ille summus artifex gloriosum glorificet munere clariori. Nam si stella differre in gloria veraciter prædicatur (*I Cor.* xv), constat quod et martyr a martyre nihilominus discernatur, et cui mors gemina velut præpotens temporaliter dominatur, eidem in præmio corona sine dubio geminatur.

CAPUT VIII.

Horum autem occisioni nullus qui renuntiaret interfuit, nullus planctum funebrem, exsequias de more nullus exhibuit, eorum cadavera nullus humana sollicitudine tumulavit, non quisquam ad tumulum preces, psalmos, non quævis funebria decantavit, non denique pro occisis salutarem hostiam immolavit. Diu ergo latuit homicidium perpetratum, donec dies redituro positus pertransiret, quo transito, cum præsul ad Gertrudem virginem non rediret, virgo pie sollicita Ultanum misso nuntio sciscitatur, quid ei super tanta mora præsulis videatur. At ille : « Cum missas, inquit, celebrans nuper altario præsto essem, et offerens sacrificium, ejusdem præsulis juxta solitum memor essem, visa est mihi columba ante faciem volitasse, corpus quidem niveum, sed alas sanguineas ostentasse, unde gemens conjicio et afficior hujuscemodi conjectura, quod ille fuso sanguine morte premitur immatura, et cum sublato fratre merito doleam de factura, ad cumulum dolendi, timeo ne forte careat sepultura. » Hoc audito, virgo sancta inconsolabiliter contristatur, et eum, qui secum est, tam clerum quam populum lacrymabiliter adhortatur, ut non differat Deum privatim et publice deprecari, quatenus verbum istud non permittat diutius occultari. Ad mandatum virginis festinat clerus et populus Deum exorare, instare vigiliis, devoto spiritu jejunare, et ab injuncta oratione et jejunio non quiescit, donec ipsi virgini rei veritas innotescit. Quodam quippe diluculo expleta synaxi matutina, oranti astat virgini luce fulgens angelus repentina, eique familiariter more loquitur consueto, et tristem ejus ignorantiam sermone refovet mansueto. « Virgo, ait, Pater ille tuus tibi dilectissimus, de quo quæris, de quo doles, de quo times, de quo sollicita sic haberis, cum his qui secum ierant, gladio malignantium interfectus, adepto quod optaverat, in cœlestibus est receptus. » Hujusmodi alloquio virgo sancta non mediocriter confortatur, gaudens quod optata veritas tandem certius declaratur, illic assumptis utriusque plurimis, pergit ire, festinans quem dilexerat, quamvis mortuum, invenire. Cum autem illo quo tendebant pariter pervenissent, et defunctorum corpora prævio lumine reperissent, religionem pietas, fidem humanitas antecessit, et dilatis psalmis, cantu seposito, clamor nimius intercessit, clamore mitigato, psalmi congrui, et funebria cantica subsequuntur, devoti clerici religionis debitum exsequuntur, commendant animas, angelos eis postulant subvenire, cum tamen non sit dubium laudes magis quam preces sanctis martyribus convenire. Virgo autem sanctorum corpora colligens, siccatis vulneribus, terso cruore, lota diligentius, sindone munda vestit, et exsequentibus cæteris solemne officium animarum, ipsa corpus præsulis rigat abundantia lacrymarum. Et mirandum quod eadem corpora, longa dierum serie sub ramis jacuerint, vel sub divo, et jam læsa fuerint situ, imbre, aere corruptivo, supra morem tamen corporum diu carentium sepulturis, nihil prorsus dure olent, sed longe et late redolent instar balsami sive thuris. Lota igitur, ut dictum est, et linteis involuta corpora feretris imponuntur, et magno tam cantantium quam plorantium concursu Nivellam deferuntur, dubitumque est, utrum magis doleant de injuste et nequiter interemptis, an dolore deterso tandem gaudeant de inventis. Ipsa quoque virgo ad portandum præsulis feretrum se supponit, susceptumque, nisi lasso corpore, non deponit, et infirmo corpori fortis amor dat profectum, lassatisque viribus amor tamen nescit lassitudinem vel defectum.

CAPUT IX.

Cum Nivellam veniunt, ponunt in ecclesia corpora defunctorum, et missas celebrant cum devotione plurima populorum, illisque dubitantibus utrum ibi an alibi debeant sepelire, abbas Ultanus adest, sic illos aggrediens convenire : « Ex divino, ait, consilio voluntas fuit præsulis, fixum propositum, multa cura, ut post ejus obitum Fossis eum colligat sepultura, quem si quis alibi intenderit et contenderit sepelire, tam Dei quam 766 præsulis voluntati videbitur contraire. » Consentit virgo, consentit et populi multitudo, consentit et Dido Pictaviensis episcopus, qui eo tempore orationis gratia illuc venerat, et divina visione commonitus, defuncto Foillano lætus occurrerat. « Surge, ait angelus, et occurre citius Eliæ venienti, » et hoc ipsum tertio inculcat audienti, et hæc illi admonitio subito somnum rupit, et ille evigilans in verba hujuscemodi mox erupit : « Quid sibi vult, ait, talis admonitio de Elia? estne frivolum, ut in somnis assolet, an forte prophetia? Unde habet Elias propheta antiquissimus huc venire, ut ei venienti obviam possim ire? » Dum hoc voluit et revolvit, nec sufficit Dido pontifex admirari, ecce adsunt qui nuntiant Foillanum mortuum apportari, et audiens planctus populi, clericorum lugubres melodias, occurrit et ait : « Iste, quantum arbitror, est Elias. Quantum, inquit, sentio, et hujus fama vel opinio protestatur, quantum ætas prædicat, quæ tota sine macula decursatur, quantum habet cordis munditia, morum series, ordo vitæ, quæ a puero, carni renuntians, mundum transiit expedite, sicut propter nonnullam convenientiam Elias dici meruit Joannes Zachariæ, sic revera non personam, sed similitudinem obtinet hic Eliæ. » Hoc attendens Dido præsul, Foillanum devote veneratur, et cum Gertrude conferens, gratanter accipit quod de illo tam solemniter prædicatur, de quo sepeliendo videns quanta Ultano sit devotio, quanta cura, ratum habet quidquid illi de istius complacet sepultura. Igitur virgo sancta et tam cleri quam populi numerus infinitus, non cura domestica, non negotiis præpeditus, impositum corpus vehiculo Fossas non dissimulant reportare, quorum præcurrunt plurimi adventum funeris nuntiare.

Qui cum ad Sambræ fluvium gradu concio pervenissent et hiemalibus tumentem pluviis excessisse longe alveum invenissent, vellent nollent, a cursu

proposito destiterunt, et tam illi quam cæteri, donec vehiculum adfuit, restiterunt. Venientes autem jugales vehiculi, non bubulco, non stimulo, juxta solitum commoventur, sed muniti quadam fiducia, tumescentes aquas ingredi non verentur, et ab ingressu vel progressu, nullo prorsus obstaculo sunt remoti, quia in eo quod portabant onere, manifestius sunt confisi. Statim enim ut aquas juvenculorum ungulæ tetigerunt, re miranda, undæ tumidæ subsiderunt, et visus est tam subite ille tumor pristinus annullari, ut jam possit vadum illud non solum equo, sed et pede facile transvadari. Unde et vadum illud, Gertrudis vadum extunc et deinceps appellatur, quod nimirum melius et tutius vadis cæteris prædicatur, eo quod et preces virginis et meritum martyris videntur obtinere, ut facilius transeatur, quod et ipsi passu facili transiere. Quo transito, Fossas, quo tendebant, citius pervenerunt, ibique plures tam religiosos quam populares sibi obvios invenerunt, quibus una concurrentibus dolor intolerabilis renovatur, et omnis turba præsulem tanquam recens mortuum lamentatur. Qui ejusdem exsequias planctu et cantu devote celebrantes, et in loco competenti cum honore maximo tumulantes, expletis missarum et psalmorum solemniis, Ultano valedicunt, et omnes una voce, implorata requie, benedicunt. Qui non solum sibi astantibus et ibidem ministrantibus videtur interesse, sed et cunctis eum digne requirentibus dignatur præsto esse, imo quisquis ejus memoriam ubicunque locorum diligit frequentare, eum sibi propitium, ejus sentit patrocinium salutare. Unde et ego qui in scribendo quæ prædicta sunt, utcunque laboravi, qui cum illa inciperem, eum mihi adfore postulavi, nunc etiam ejusdem precibus, ejusdem meritis me commendo, ut ejus interventu quandoque valeam adipisci quod intendo. Ipse quippe sic in cœlis, sic inter angelos, optata requie, divina facie gratulatur, ut suorum in terra laborantium memor, et misericorditer adjutor habeatur; sic ipse suorum, ea, quæ sua est, benevolentia miseretur, carens omni miseria, cum illo et in illo æternaliter glorietur, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

VITA B. GISLENI CONFESSORIS.

PROLOGUS.

Sancti qui de hujus carnis ergastulo, lege mortalium sunt educti, et ampliore gratia in illud præoptatum jam Domini sui gaudium introducti, erga nos qui vivimus, qui residui sumus, tam tenerum affectum perhibentur habere, ut cum certum sit humanis eos laudibus non egere, velint tamen et appetant apud nos laudabiles prædicari, ut tam præditatores quam auditores laudabilia eorum opera diligant imitari. Unde honesta satis et utilis inolevit consuetudo, ut eorum qui creduntur præcipui, commendetur nonnunquam litteris 767 sanctitudo, quibus recensetur quanta scilicet eorum in hac vita fuerit fortitudo, cujus digne meritis datur eis dierum indeficiens longitudo. Ego itaque, fratres, vestris parere precibus non recusans, et tamen in hoc officio longe imparem me accusans, aggredior utcunque laudes vestri scribere confessoris, quo labore, qua gratia obtinuisse credatur coronam gloriæ et honoris. Quæso autem ut eidem sancto cui devoto servitio vos commendabiles exhibetis, me vobis in hoc opere ministrantem vestris precibus commendetis, ut ille benevolus dignetur præsens opusculum acceptare, et eum cui adstat Deum mihi placabilem impetrare.

CAPUT PRIMUM.

Auctor rerum omnium Deus qui nihil in terra sine causa facere perhibetur, cujus voluntas non nisi justa est, quamvis a nobis nonnunquam ignoretur, voluit, volens disposuit ut beatus confessor Gislenus in Græcia nasceretur, longe autem a Græcia in pago Hainonii moraretur. Quem natum et adultum cum tenero Christiani parentes diligerent et affectu paterno solliciti bonæ illum indolis esse perpenderent, devoto religionis intuitu tradiderunt litteris imbuendum, et in scholæ gymnasio sub magistrali ferula nutriendum. Audierant enim quod beneficio litterarum error ignorantiæ propulsatur, tersa mentis caligine vivendi semita declaratur, morum elegantia, sermo compositus informatur, et, quod longe est amplius, occulta vel obscura cœlestium sapientia dilucescit, æternorum cognitio, cognitorum dilectio devotis mentibus inardescit, et quidquid vitæ tam futuræ quam præsenti recte necessarium judicatur, documento litterarum juvante gratia prælibatur. Hoc audito et cognito, parentes filium voluerunt litteris erudiri, optantes eruditum non vanis laudibus, sed meritorum fascibus insigniri, scilicet ad cognoscendum Deum proficeret studio et scientia litterali, quia carne genitum diligebant affectu spiritali. Quia vero in Græcia civitas illa nobilis Athenarum eo adhuc tempore florebat fama et scientia litterarum, ad hanc illum amplioris profectus gratia transmiserunt, eumque instruendum magistris multo redemptis pretio commiserunt. At ille ingenio quod ei larga manum infudit benevolentia Creatoris, adhibuit sollicite studii vigilantiam et laboris, et relegans ludos et ludicra quibus ætas puerorum solet aliquoties irretiri, festinavit non solum æqualibus, sed et plerisque grandioribus prudentior inveniri, legens

autem et proficiens augmento tam scientiæ quam ætatis, non curavit aucupari laudes transitoriæ vanitatis, sed unde nonnulli materiam sibi colligunt gloriæ vel tumoris, inde iste acquisivit gratiæ meritum amplioris; lectis enim libris quos gentiles poetæ vel philosophi conscripserunt, qui Deum nescientes, mundana et transitoria descripserunt, resignato illis errore quo sua eorum cæcitas caligavit, tenuit diligentius quod per eos veritas prædicavit. Spernens igitur quæ spernenda esse illorum litteræ docuerunt, esse autem peremptoria doctores ecclesiastici censuerunt, ad appetendum ea quæ mansoria et salutaria esse divinitus intellexit, annis adhuc teneris Gislenus puer animum sic exerit, ut cum agilis et strenuus laboraret cum cæteris studio litterali, præ cæteris æstuaret profectu et sapientia spiritali. Considerans vero quod ii qui cedente pueritia ingressi fines adolescentiæ pubescebant, et alii qui privilegio juventutis malas tenui lanugine vestiebant, quo amplius ætatis et scientiæ tendebant ad profectum, eo virtutis et salutis corruebant gravius in defectum, decrevit arctiori proposito festinare ardentius ad perfectum, ne rudem adhuc et tenuem malitia superveniens mutaret intellectum. Persuasu igitur matris quæ Philosophia merito vocabatur, quæ filium ad amorem sapientiæ quantis poterat monitis hortabatur, valefacto magistris scholaribus, ad claustrum se contulit regulare, in quo factus monachus, Deo cœpit regulariter militare.

CAPUT II.

Illic quippe sancti Basilii Regula tenebatur, juxta cujus decretum a sanctis qui convenerant, vivebatur, quorum majores tam formam quam doctrinam studebant minoribus impertire, minores majorum doctrinis 768 et jussionibus obedire, omnes invicem honore debito prævenire, et sic velut certatim supremi gratiam judicis invenire. Quorum conversatione beatus Gislenus quo diligentius introspexit, quo eam Deo placitam de die in diem amplius intellexit, eo cuncta quæ foris reliquerat, perfectius vilipendit, et ad imitandum eos vigilanti studio devotius se extendit. Quos cum imitari conversatione devota niteretur, et sentiens de se humilia inferior sibi cæteris videretur, illi eum præcipue laudibus attollebant, et apud se digno judicio illius merita præferebant. Est enim inter illos velut servus omnium humilis et abjectus, parcus verbo, amator silentii, mira vigilantia circumspectus, deditus lectioni, orationi vacans, devotione continua sic affectus, ut tam Deo quam proximo, virtutum merito sit acceptus. Qui processu temporis cum nulla jam dubia ejus sanctitas haberetur, gradatim ad ordines ecclesiasticos promovetur, et post ministerium acolythi et subdiaconi dignitate levitica venustatur, et ad cumulum dignitatis, honore tandem sacerdotii sublimatur. Promotus autem ad ordines, ad majora quoque ardet virtutum fastigia promoveri, et quidquid ei obstare creditur, a se penitus removeri, et ut sancto illi Abrahæ conformis habeatur, devoto desiderio ejus fidem, ejus obedientiam amplexatur. Illum quidem Abraham non terra sua, non cognatio, non domus patris potuit retinere, quin nota pro incognitis, pro habendis habita visus sit abhorrere, et ad vocem imperantis, cuncta quæ præsto erant, reputans detrimenta, festinavit obtinere promissorum munerum incrementa. Sic et noster iste tiro Gislenus non instar instabilium impetu animi repentino, non levitatis flatu, non suo ductus spiritu, sed divino, seponens claustrale, quo silentium gaudebat, soporatus velut quodam tempore feminino, affectat vigilare et labore alteri peregrino. Ille enim occulto eum imperio perurgebat, qui de ipso et per ipsum operari maxima disponebat, qui accensum religionis lumen jam volebat sub modio non celari, sed impositum candelabro longe lateque pluribus propalari. Petita igitur benedictione a patre qui monasterio præsidebat, et a conventu sancto qui Deo illic regulariter serviebat, illi quidem de futura tanti fratris absentia affectu tenero doluerunt, sed divinæ dispositioni humana pertinacia resistere noluerunt. Tandem in osculo sancto eodem abbate et fratribus salutatis, propositum Gislenus aggreditur, æstuans desiderio sanctitatis, et primo Romam devotione humili perexit ire, volens sanctis apostolis non tam muneribus quam precum obsequiis deservire. Quorum ecclesias vultu supplex, corde hilaris est ingressus, jam non memor itineris et laboris, molestia non defessus, et perlustrans loca sancta quæ quibus præferat, non discernit, sed ubique preces fundens terræ devotius se prosternit, et gaudens, velut quodam inventi solatii blandimento, flexis frequentes genibus infigit oscula pavimento. Dum autem quanta potest devotione sanctos apostolos veneratur, dum ab eis viam vitamque suam dirigi humiliter deprecatur, in secreto intelligentiæ revelationis divinæ monitis edocetur quod longe a Roma trans Alpes in Galliam graderetur, et in pago Haynonii, quæ erat pars vel provincia ejusdem regionis, in medio pravæ et perversæ et pestiferæ nationis locum inhabitans, quem incolæ nominant Ursidongum, in eo domum orationis supra dictis apostolis præpararet, ibique precationis verbo servos Dei ad vivendum regulariter congregaret. Quo percepto vir sanctus devotas grates reddidit Creatori, suorum fidelium semper fidelissimo provisori, qui ejus curam habens, locum ei voluit revelare, quo juxta ejus placitum præsentem vitam debeat terminare. Apostolorum itaque patrocinio se commendans, in quibus plurimum confidebat, et assumens duos secum socios, Lambertum et Belliricum quos præcipue diligebat, relicta Roma, iter longum et asperum est aggressus, multoque labore et tempore jam expenso Apennini juga et Alpium est trangressus, et transvadatis Rhodano et Danubio, planiorem Galliam introivit, et ea non contentus, usque Haynonium pertransivit.

CAPUT III.

Eo tempore in partibus illis Amandi confessoris

religio commendabilis habebatur, ejusque fama longe lateque laude celebri vulgabatur, cujus audito nomine optavit summopere Gislenus et faciem intueri, miscere colloquium, verbo bono, verbo ejus consolatorio refoveri. Quem a suo desiderio divina bonitas non fraudavit, sed videndi et colloquendi optatam copiam ministravit; cui viso suum iste desiderium et injunctum sibi officium declaravit, et ille declarantem responsione grata in proposito confortavit. Quo expleto, jam hilaris, quia viro sancto juxta quod optaverat, est locutus, Gislenus cœptum iter devotiore spiritu prosecutus ad quemdam locum venit qui vulgo mons Castrilocus dicebatur, qui aptus religioni et vitæ solitariæ videbatur.

769 Quem duo hinc inde fluvii discursu gratifico muniebant, inter utrumque vero, et pratorum viriditas et silvarum amœnitas ambiebant, et manendum illic invitabat ipsa loci naturæ pulchritudo, incolarum absentia, religionis amica solitudo. Quodpropter æstimans, ne forte ipse esset locus quem ei revelaverat divina promissio, quem posito adhuc Romæ esse prædixerat in Haynonio, cœpit illic diligenti studio sibi loculum præparare, disponens in eo cum his qui secum venerant habitare. Per id vero temporis Dagobertus rex, cujus sceptro Gallicanum imperium regebatur, in pago Brabantii venandi gratia versabatur, cujus canes cum sequerentur ursam quam in illis partibus invenerunt, tam illa quam illi ad montem Castrilocum fuga celeri pariter devenerunt. Ursa fugacior virum justum labori manuum videns insistere, eo fisa præsidio jam canibus ausa resistere, sub veste illius quam in ramo arboris laborandi gratia suspendere consuevit, tanquam invento munimine secura requievit. At canes novo terroris genere mox concussi, et ab instandi proposito velut vallo quodam opposito repercussi, stant hærentes spe cassata, et ira posita mitiores, et stupore attoniti, quos prope sequi noverant, exspectant venatores. Qui cum venirent suis canibus longe facti sunt graviores, et quod ille bonus est, turbato mentis oculo nequiores, dum quod vident fieri, non ut miraculum venerantur, sed tanquam incantantis maleficium exsecrantur. Qui dente canino suam malitiam exponentes, et justo viro culpam, quam non noverat, imponentes. « Quis es tu, inquiunt, qui canes regis nostri Circæis carminibus a proposito repulsasti, et ferocem belluam in ovinam mansuetudinem commutasti, ut istorum appetentia odore perdito jam torpescat, et illius rabies sub umbra tui pallii quieta delitescat? Quis impunitum ferat quod nobis tantam injuriam intulisti, quod majestati regiæ nil reverentiæ detulisti? cum scire debueris tanto regi nihil amplius displicere, quam quod non timueris canes suos a venandi efficacia prohibere? » His vel horum similibus dictis ipse etiam rex canes et famulos prosecutus, viro justo primum verbis paulo durioribus est locutus : « Quis, inquiens, vel unde veniens, hic me nescio exstirpandi fiduciam accepisti, quo signo vel carmine canes et belluam decepisti, ut obliti pariter consuetudinis et naturæ, et prope sint invicem, et non inferant invicem minarum quidpiam vel jacturæ? » At ille : « Ego, inquit, rex carminum maleficia non cognovi, non puer, non grandior hujusmodi ludibrio me devovi, sed Græcus natione, sacerdos gradu, licet humilis et abjectus, in has barbaras nationes exsulandi gratia sum projectus. Quod autem vides, ne existimes fieri humanæ figmento pravitatis, sed jussu et potentia supernæ majestatis, quia Rex ille summus qui totius auctor est creaturæ, omnium potentialiter imperat et naturæ. » Attendens rex virum sanctum sapienter et humiliter respondere, et in vultu simplici modestam religionis speciem præfulgere, ab ira quam prætenderat, mitigato spiritu, conquievit, quia flecti facile liberalis regum animus consuevit, et illius precibus se commendans, famulis ab injuria revocatis, tam illos quam se ipsum reddidit studio vanitatis, rursus quærens quid labore venatorio sequeretur, quod animo regio captum quam coctum gratius haberetur.

CAPUT IV.

Cæterum confessor Gislenus in labore proposito persistebat, quia in eodem loco manere diutius disponebat, sed divina dispositio longe aliter ordinabat, quæ montem Castrilocum ad incolendum alii reservabat, cujus nutu ursa illa quæ virum invenerat defensorem, sportellam quam Gislenus habebat cuncta supellectile chariorem, in qua secum deferebat illud venerabile vestimentum quo indutus celebrabat divinum in altario sacramentum : sportellam, inquam, ursa ore rapiens velocius cœpit ire, Deo quam viro longe in hoc promptior obedire. Quod Gislenus ægre ferens et admirans quod in brevi animum sic pervertit, quod ab ipso cum rapina, cum injuria se divertit, ipse nihil sperans melius, ad orandi refugium se convertit, in eo fidens qui solus mala injustius non impertit : « Domine, inquit, Deus, si gratum obsequium in hoc tibi exhibui vestimento, illud non deperire, non indigno permittas corrumpi detrimento, ne iratus imputes quod mandata negligens prætermisi, conforta immeritum, serva juxta placitum quod amisi. » Dum autem in oratione juxta solitum diuscule demoratur, dum Deum sollicite pro damno intolerabili deprecatur, ursa rapinam ferens non tardat longiuscule proficisci, non curans ut putatur relicti defensoris, vel ejus molestiæ reminisci. Cum vero surgens ab oratione, absentem jam belluam non videret, et quo vel qua sequeretur certus penitus non haberet, ecce adest aquila de excelso aere se dimittens, et hujus viæ ducem signis quibus poterat se promittens. Viro enim hæsitanti, volatu placido in faciem occurrebat, et statim verso vultu gradum satis temperans præcurrebat, eique non verbo, sed gestu corporis loquebatur, dans plane intelligi quod recto itinere belluam sequebatur. Quod ille percipiens, in spem solidam **770** restitu-

tus innitens baculo, ducem prævium est secutus, et longe infra, inventis pastoribus diligentissime requisivit, si forte illis videntibus talis bestia pertransivit. At illi et eam transisse paulo antea retulerunt, et ut fidem facerent, certum oneris judicium protulerunt, adjicientes quod in proximo est Ursidongum locum vel latibulum invenire, in quo suos consuevit ursa catulos enutrire. Hoc audito, aquilam majore fiducia prosecutus, et non multo post locum, cujus nomen noverat, assecutus, inter ursæ catulos quod amiserat reperit conservatum, nulla ruptum læsura, nulla turpitudine violatum. Quo viso, factus hilaris, et fide plurima confortatus, novit quod locus ille sibi erat veraciter præparatus, in quo pes suus, terso tandem pulvere requiescat, et in loco horroris et vastæ solitudinis in spe et silentio delitescat. Mox itaque jussit ursam cum suis catulis hinc abire, et relicto cunarum latibulo, aliud sibi congruum invenire : nulli deinceps in hujus loci vicinia nocituram, imo nullo modo, nullo tempore redituram. O res nova ! fera bellua nullius munere prædita rationis, audit et obaudit verba subitæ jussionis, nobis hominibus inculiens colaphum verecundiæ vel pudoris, qui nolumus obedire mandato salutifero Creatoris. Audit, inquam, et audiens hospiti novo cedit, et a jure pridem hæreditario sic recedit, ut extunc et deinceps semel depositum non resumat, et juxta viri verbum toti viciniæ inferre quidquam injurium non præsumat.

Porro vir sanctus locum pristino vacuum possessore mundat et excolit multa diligentia vel labore, incultumque et solitarium eatenus horrore naturali complanat, reddit aptum lima et opere manuali, ibique in honore apostolorum quos venerabatur affectu spiritali, cellam construit, quam vocari et cellam instituit nomine speciali. In qua districte monachorum regulæ se addixit, sibique voluntates et voluptates bonorum carnalium interdixit, macerans corpus suum jejunio, vigiliis, frigore, nuditate, impinguans autem spiritum legendi, meditandi, orandi, devota et assidua puritate, gaudens loci solitudine, et absentia tumultuantium populorum, sciens et sentiens præsentem sibi esse frequentiam ministrantium angelorum.

CAPUT V.

Verumtamen et gemma in stercore, et aurum in pulvere, et in testa lumen diu non latuit, sed ruptis eorum repagulis, splendor ille nativus emicuit; et quæ abscondi voluit intentio humilis et modesta, altitudo divini consilii reddidit manifesta. Fama enim viri et vitæ districtio regularis ad aures et notitiam turbæ transiit popularis, et plurimi ex eis religioso acti desiderio, ad eum veniebant, ejusque et doceri alloquio et informari efficacius exemplo cupiebant. At ille venientes et pro culparum negligentia durius arguebat, et ad bene vivendum promissis melioribus instruebat, vinum et oleum infundens vulneribus infirmorum, prudenter discernens quid istius, quid alterius, quid denique saluti conveniebat plurimorum. Cujus nomen, cujus bonus odor, solam adjacentem viciniam non perfudit, sed ad longe positos profectu gratifico se diffudit, nec beati potuit Auberti notitiam præterire, qui tunc temporis videbatur præsulatum Cameracensem Ecclesiam insignire. Qui, misso nuntio, satis humiliter illum admonuit ad se ut veniret, ut præsentatum sibi diligentius conveniret, visoque et audito, sanctus præsul certior redderetur, quis, unde, quo spiritu, quam viam vel ordinem sequeretur. Accepto mandato pontificis Gislenus gaudens quod tantus vir ejus dignatus est reminisci, festinavit Cameracum humilitate debita proficisci; hoc solum gemens, quod tam piger, tam negligens est inventus, ut a sancto præsule in exspectando ejus alloquio sit prævenius. Dum autem iret, ad quemdam viculum venit, quem incolæ nominant Roysinum, ubi cum et posceret lassitudo, et tempus incumberet vespertinum, quidam vir rusticanus eum ad hospitium invitavit, susceptum larga manu, sed voluntate largior procuravit. Petivit etiam ab eo et multis precibus nisus est obtinere, ut peracto negotio quod Cameraci decreverat adimplere, per eamdem villam Deo propitio repedaret, et ad ipsum rursus hospitandi gratia declinaret. Mane facto vir sanctus iter cœptum peragens, tandem pontifici se præsentem exhibuit, et ab eo plurima requisitus, per ordinem cuncta disseruit. « Græcus, inquiens, sum natione, professione monachus, sacerdos ordine, meritis peccator, et in loco quem vulgus ab antiquo nominat Ursidongum, ego autem vocari cellam institui in honore apostolorum, oratoriam ædificare domum proposui, sicut longe positum divina me revelatio instruxit, et eo quod ipsa novit, consilio de alienis partibus huc adduxit. Super quo, sancte præsul, et tuum debueram consilium, tuam gratiam requisisse; sed in hac vel mora vel desidia fateor me non mediocriter deliquisse, et quem decuerat majestatem tuam, dignis obsequiis prævenisse, tempore tentus degeneri, tardus videor advenisse. Sed forte quem Deus insignivit majoris excellentia dignitatis, donavit etiam ampliori munere sanctitatis; et quibus præesse pontificali sede vel ordine meruisti, eos digne satis tam sapientiæ quam humilitatis gratia prævenisti. » Placuit pontifici viri sancti prudens responsio, sanctum propositum, voluntas devotior, **771** assumpta professio, vultus, modestia, æqualitas morum, digna religio : et adgaudens operi quod divino instinctu percipit inchoatum, remisit hunc ad propria, benedictionis suæ gratia confortatum.

CAPUT VI.

At ille revertens devoti hospitis non oblitus, cujus erat et largo beneficio, et prece plurima lacessitus, Roysinum veniens, ad eum iterum declinavit, declinanti ut antea ille vultu hilari ministravit. Ea nocte contigit ut impletis diebus suis hospita parturiret, et præ difficultate partus fere usque

ad exitum deveniret. Quo comperto, vir ejus, ad pedes introducti hospitis se prostravit, et pro illa sollicitus multis perfusus lacrymis exoravit. « Uxor, inquit, mea mate torquetur, jacens in cubiculo paritura, in ipso partu et pro partu statim ut video moritura: occurre et succurre tam matri quam parvulo nascituro, imo etiam patri cum illis et pro illis morientibus morituro. » Et ille, utpote in quo et per quem Dei Spiritus loquebatur: « Surge, ait, uxor tua absoluta puerperio jam lætatur, puer vivit, vagit, integro membrorum numero non fraudatur, obstetricum obsequio, pastus mamma, fascia colligatur. » Ad hoc verbum pater vix a fletu adhuc prævalens cohiberi, introcurrens reperit cuncta quæ dicta fuerant, jam compleri, et refoto spiritu qui pene jam defecerat præ dolore, rursus currens ad hospitem, reddit gratias cum honore. « Matrem, inquit, ut verebar, dolor usque ad exitum non afflixit, incolumis viget puer, meus spiritus jam revixit; quia cœpi, adhuc loquar, si tamen sensero tuam mansuetudinem non gravari, volo gratiam gratia, et gaudium gaudio cumulari. (Peto enim et utinam meum petentis desiderium impleatur!) ut puer qui natus est, tuo ministerio renascatur, et qui meus filius est lege carnis, mortali genitura, tuus fiat filiolus sanctiori opere quam natura. » Libens ille annuit precibus et desiderio postulantis, et cum illuxit dies, explevit officium baptizantis: susceptumque de fonte sacro parvulum, Domino devote commendavit, et expletis rite omnibus, ad cellam unde venerat remeavit. Cujus tam exemplo quam beneficio invitante cum eo novus ille compater est profectus, et viso loco religioni congruo, devotione humili sic affectus, ut instar eorum qui vivebant districto illic proposito vel censura, et ipse decerneret æternorum intuitu, jam postponere transitura. Afflatus ergo spiritu, quidquid in Roysino tenuerat sui juris, astipulavit fratribus Deo illic in perpetuum servituris: et ne sua, non se ipsum offerre Domino videretur, laboravit summopere sanctior et Deo complacitior haberetur.

CAPUT VII.

Per id vero temporis beatus Amandus Trajecto rediens, ubi coactus fuerat per triennium episcopus demorari, audivit Gislenum et locum ejus religionis titulo commendari; et monente eum charitate, ad eum visitandi gratia declinavit, susceptusque cum honore, verbum vitæ congregatis illic fratribus ministravit; qui pasti et refecti verbo, et solatio spiritali, cum ad manum non haberent unde virum reficerent alimonia corporali, tristes satis et queruli impransum illum abire dimiserunt, et usque ad præter fluentem Haynæ fluvium deduxerunt. In cujus ripa sanctus vir dum aliquantulum moraretur, et navis quam ascensurus erat, nautarum instantia pararetur, cœpit rursus Gislenus conqueri non de sua ipsius inopia, quam æquo satis animo sufferre videbatur, sed de novi et tanti hospitis inedia pro qua plurimum gravabatur, quia et ad mensæ pau- A peris angustias eum cogere non audebat, et unde illum plenius et honestius reficeret, non habebat. Et ecce devotum pauperis desiderium Dominus exaudivit, de prædicto fluvio super terram piscis, quem vocant lucium, subito prosilivit, cujus tanta in oculis astantium apparuit magnitudo, ut ea posset refici comedentium multitudo. Eo viso, Gislenus gaudens, tum de largo munere, tum de gratia largitoris: « Revertamur, inquit, domum, confortati spei solatio melioris, quia nostrum hospitem jejunum Deus non sustinet hinc abire, digno cujus merito nostram mensam tantis voluit dapibus insignire. » Et ille: « Non meo, ait, merito debet hoc beneficium assignari, sed tuo quem noverat Deus aliquantulum contristari, quia et me non gravabat jejunium vel inedia temporalis, et te gravius perurgebat B affectus et humanitas hospitalis. » Sic inter viros sanctos honesta et modestalis discordia verborum exoritur, dum alteri ab altero hujus doni meritum dignanter ascribitur, et utrique pertinaces nullo pacto invicem sibi cedunt, invictoque litigio a pace mutua non recedunt. Relicto itaque navigio ad claustrum pariter revertuntur, et paratis epulis, mensa posita convescuntur: refecti cibo, et hilares gaudio pleniori, laudes solvunt, reddunt gratias Creatori. Dato rursus invicem osculo intermissum Amandus fluvium repetivit, et convivas benedicens oblatam naviculam introivit, cujus vehiculo ad suum, quod Helnone situm erat, monasterium est delatus, gaudens quod quiete reinventa ab episcopi erat sarcina liberatus. Beatus vero Gislenus proposito insistens oratorium construebat, et ad militandum Deo se suosque viriliter accingebat, cujus odor nominis magis magisque per totam se provinciam diffundebat, et illapsu gratiore 772 fama se omnium auribus infundebat. Qua permotus prædictus rex Dagobertus cum iter loco illi contiguum pertransiret, et ei cum textu evangelico, cereis, thuribulo sanctus ille obvius adveniret, rex salutantem resalutans satis est humiliter allocutus, et salutationem mutuam oblato munere prosecutus. Non enim verbo tantum, ut plerisque moris est, illius se precibus commendavit, sed verba rebus cumulans locum largitate regia venustavit, et tam Hornutum quam D Ursidungum, et quidquid ibidem fuerat sui juris, viro dedit et fratribus illic Deo in perpetuum serviturus. Quo peracto, ad sua rex negotia festinavit pedem et animum retorquere, et Gislenus accepto beneficio confortatus dignum Deo servitium exhibere, templumque inchoatum expensis et laboribus consummare, consummatum solemniter episcoporum manibus consecrare. Cujus consecrationi supradictus vir Amandus et Autbertus Cameracensis episcopus adfuerunt, qui populum verbo Dei cœlestique alimonia refecerunt, docendo non tam lapides quam justos quosque fieri templum Dei, qui cæteris justitiæ tam verbis quam operibus dant exemplum.

CAPUT VIII.

A quorum doctrina Malgerus comes nobilis aurem et animum non avertit, sed adjutus gratia ad diligendum Deum toto desiderio se convertit, et renuntians omnibus quæ in mundo eatenus dilexerat possidere, amator paupertatis elegit proprium nil habere. Attonsus itaque per manus Cameracensis episcopi, decrevit monachum profiteri, et in loco qui Altus mons dicitur districtioris vitæ regula coerceri, ubi et secum multos colligit temporalium contemptores ejusdem propositi et districti ordinis amatores. Cujus uxor Waldetrudis non statim sub religionis proposito se redegit, sed remanens in proprio, domus et familiæ curam egit, in hoc satisfaciens viro ut tanquam illo mortuo contineret, et in proposito viduali sic juxta Pauli consilium permaneret. Erat enim matrona nobilis genere, moribus præmatura, potens divitiis, ditior genitura, se suamque sobolem a contactu removens indignæ et illicitæ pravitatis, et promovens ad amorem justi et excellentiam honestatis. Quam divino monitu Beatus Gislenus jussus est visitare, et ad contemptum temporalium plenius invitare, ut sicut per episcopos maritus religionis acceperat documentum, sic per doctrinam Gisleni matrona melioris propositi sumeret incrementum. Qui divino mandato lætus obediens matronam nobilem aggredi festinavit, eique verbum vitæ multa cum mansuetudine prædicavit, docens et magnum esse meritum terrena amore cœlestium oblivisci, et majus longe præmium eadem cœlestia æternaliter adipisci. Cujus verbo et doctrinæ aurem matrona patulam inclinavit, amoremque præsentium, futurorum desiderio commutavit : jam non parum sollicita ubi possit locum solitarium invenire, qui voluntariæ paupertati et proposito sanctitatis, valeat convenire. Quod dum voluit et revolvit, quamdam sibi visa est ecclesiolam introire, intrantique visus est Gaugericus episcopus quem defunctum noverat obvius advenire, qui larga manu, vultu blando fragmen panis et vini calicem dans matronæ sollicitam confortavit, tam oblatis muneribus quam sermone. Ab eo, ait, quod cœpisti, prudens Christi famula non desiste, sed quod facis, fac citius et insiste, quia opus tale mihi placet, imo Deum sibi propitium promeretur, et hoc tuum principium, finis melior prosequetur. Cujusmodi visionem Gisleno suo non distulit vidua recensere, scire volens quid super hoc dignaretur vir sanctissimus respondere, nec dubitans in conspectu æterni judicis complacere, quidquid et Gislenum affirmare contigerit et episcopum in visu præmonere. Quo audito, vir sanctus digne præsagiens non potuit non lætari, intelligens in hoc visu non nisi prospera figurari, quia et pane vivo esuriens vidua saturari, et calice quam præclaro gaudebat ejus sobrietas inebriari. Blandis ergo sermonibus illam studuit confortare, terrena vituperans sola illi cœlestia commendare, ut scilicet longe facto quidquid illi temporaliter arrideret, affectu mentis integro æternis invisibilibus adhæreret. Quæ cum audiret monita, et obedire libentius se sponderet, in hoc adhuc sollicita, quia locellum congruum non haberet ; vir sanctus ei locum divina revelatione cognitum demonstravit quem vulgus ab antiquo montem Castrilocum nominavit. De quo multas ad cœlum animas in spiritu prævideral pertransire, quas ad eum processu temporis divina fecit dispositio convenire, easque Waldetrudis tam verbo quam exemplo, studuit erudire, cui multam super hoc gratiam larga Dei bonitas voluit impertire.

CAPUT IX.

Nec sufficit viro sancto quod converti fecerat Waldetrudem, si non illa ad hoc ipsum sororem suam vocaret Aldegundem, imo et duas filias quas eadem genuerat Waldetrudis, una quarum Maldeberta, altera vero dicta est Aldetrudis. Ad quas ille verbum fecit de contemptu gloriæ temporalis, de lucta, de victoria, de præmio continentiæ virginalis : et vidua virginibus opportunam importunam sedule se ingessit, et donec ad effectum duceret, quod affectaverat, ab instantia non recessit. Sic Gislenus comitante gratia quadrigam nobilem ordinavit, viduamque et virgines jugo religionis et continentiæ copulavit, quas et si non locus unus, non eadem mansio sociavit, unus tamen spiritus, eadem religio in unum fasciculum religavit. Virgo quippe Aldegondis Malbodii cellulam sibi fecit, in qua spe cœlestium, amorem a se temporalium longe fecit et juxta doctrinam Gisleni Deo non solum integritatem corporis conservavit, sed et mentem mundare ut sindonem, jejuniis, orationibus, laboravit. Deum vero et in Malbodio Aldegondis et Waldetrudis in Monte Castriloco studiose Domino deservirent et Gisleno ut patri filiæ, ut discipulæ magistro humiliter obedirent : placuit divino consilio ut tandem ejus agonem strenuum terminaret, eumque jam emeritum ad æternam palmæ gloriam transportaret. Quod cum ille revelante sancto Spiritu præsentiret, vocantique Domino, libenti servus animo consentiret : sanctos qui secum aderant monachos humilitate devota convocavit, seque hinc in proximo migraturum multo cum gaudio revelavit. At illi auditum verbum pari patientia non ferentes, sed interni dolorem animi planctu et lacrymis ostendentes : « Domine, inquiunt, Deus, quis ab incursu malignantium nos defendet, quis ignorantia caligantibus angustam religionis semitam præostendet, si virum quem suorum eatenus tenuit tanta cura, tanquam oblitus nostri morte præcipis immatura ? » Quos ille blando studuit alloquio refovere, et ut fide firma confidant in Domino diligentius commonere, asserens quia non est in homine spes ponenda, sed in eo a quo salus, in quo solo æterna requies est habenda. Instructis prout decuit fratribus, salutare sibi viaticum postulavit, et eo præmunitus urgente febris molestia inter manus astantium expiravit : suo contristans obitu inconsolabiles animos relictorum, sed non mi-

773

nus lætificans assistentes choros et frequentiam angelorum qui sanctam ejus animam multo cum tripudio deferentes, et divino conspectui mundam a vitiis, virtutibus præditam, offerentes : in sinu Abraham in vivorum collocavit regione, ubi malorum nescia præsentis Dei beata fruitur visione.

Corpus autem ejus curaverunt sancti qui remanserant monachi sepelire, dignamque exsequiis ejus diligentiam impertire, in ecclesia Petri et Pauli apostolorum, quam ædificaverat, tumulantes, ipsumque tumulum more fidelium debito venerantes. Ubi extunc et deinceps magna erga eum Dei benevolentia demonstratur, quæ illum non tam mori quam A vivere et virtutibus et miraculis attestatur : Deum, qui viro supplicant et devoti ejus auxilium deprecantur, a molestiis absoluti, impetrato beneficio, gratulantur. Multi enim ægrotantes recepta corporis sanitate, multi vitiis fatigati, sanata quod longe est amplius, voluntate : Gislenum sibi propitium, sibi sentiunt adjutorem, præsentem suis precibus, devotis mentibus gratiorem. Et nos ergo tantum virum una vobiscum sancti fratres monachi postulamus, ut cui sedule deservitis beneficium pariter sentiamus, ejusque interventu mereamur fieri consortes angelorum, inter quos ille vivit nunc et semper in sæcula sæculorum. Amen.

VITA B. LANDELINI CONFESSORIS.

PROLOGUS.

Sicut bonæ conversationis viros qui præsentialiter intuetur, affectu compuncto ad vivendum plerumque promovetur; sic eorum transacta conversatio cum verbo veridico recensetur, devotus auditor quadam velut suavi musica demulcetur. Quodpropter in Ecclesia jam pridem mos non parum utilis inolevit, quem ad usque nos veniens necdum posteritas abolevit, ut videlicet sanctorum mores et opera scripto memori commendentur, ut in auribus devotorum exempli gratia recitentur. Unde vestris pulsatus precibus quibus non satis audeo contraire, cum Dei, et eorum qui sunt Dei, decreverim justis voluntatibus deservire, aggredior utcunque describere confessoris; virtutes ejus promere in laudem et gloriam Creatoris, ut devotus lector vel auditor tantum virum diligat venerari, eumque venerabilem dignis operibus studeat imitari. In quo et mihi fructum aliquem æstimo non deesse, quem videtis, etsi negotio imparem, tamen vestris petitionibus præsto esse, cujus et præsumptam audaciam sincera charitas excusabit, et assumptum laborem vestra, imo et vestri confessoris devota oratio munerabit.

774 CAPUT PRIMUM.

Cum hujus aeris amplitudo sole jam occiduo non clarescit, imo cum nocte jam præsente, universa rerum facies tenebrescit, habet non parum gratiæ ortus hesperi vespertinus, nocte latens media Saturnus, Lucifer matutinus. Sic quippe divina providentia voluit ordinare, sic diversis noctis temporibus multa et varia stellarum lumina ministrare, ut quia nocturnis avibus nulla datur copia solem conspicuum intueri, stellis sublucentibus, possit gravius eorum infirmitas refoveri. Eo igitur tempore quo plaga septentrionalis Dagoberti regis imperante potentia regebatur, et Autberto præsule, Cameraci florens Ecclesia lætabatur, in ejusdem Cameraci provincia, novam quasi stellam Deus voluit apparere, quæ in nocte hujus vitæ, locum non mediocrem meruit B obtinere. Villa enim quæ Vallis nomine censebatur, quæ nullius nominis, nullius etiam esse meriti videbatur, ortu satis prospero sidus protulit matutinum, dum supernæ respectu gratiæ, genuit Landelinum. Parentes cujus cum venustaret generis claritudo, et insignes redderet sæcularis potentiæ celsitudo, voluerunt ut infantem Autbertus præsul de fonte sacro suscipiens benedictionis ei primitias largiretur, ut sicut nati, sic renati excellentia servaretur. Adultum vero puerum eidem episcopo remiserunt, ejusque sanctitati gratam sobolem commiserunt, ut ætate parvulum sanctus præsul litteris erudiret, et cura diligenti, bonis eum moribus insigniret. Quem antistes suscipiens affectu paterno, tanquam filium educavit, erudivit litteris, moribus C informavit, gaudens summopere quod in illo probitatis non modicæ specimen eluceret, dum se et magistris docibilem, et cunctis amabilem exhiberet. Puer enim aurem promptam majorum monitis inclinavit, grandescens, et factus adolescens nondum a præstenso tramite declinavit, sed juxta modum imo supra modum ætatis, habens agilem intellectum, labore et studio festinavit diligentius ad perfectum. Cum autem præsul hilarior attenderet eum honestius profecisse, et annos pubertatis moribus et scientia transcendisse, habens illius modicam spem salutis, quem ætatis jam adduxerat usque ad vestibulum juventutis, voluit bonæ indolis tyronem majoris gratia culminis insignire, judicans districtius propositum ætati ejus et profectui convenire. Decrevit enim illum remotum a gradu et ordine laicali, illustrare tonsura et habitu clericali, ut professus clericum, in monasterio versaretur, et sæcularibus renuntians negotiis; psalmis, hymnis, spiritualibus canticis deditus haberetur. Videbatur enim sancto præsuli, quia si Landelinus in eo quod cœperat permaneret, si manens in monasterio indeflexum studium, excolendis moribus adhiberet, fructuosus sibi, gratus Deo, Ecclesiæ necessarius haberetur, et ex illo, et per illum multa multis

utilitas conferretur. Sed enim antiquus ille hostis qui bonorum nescit profectibus adgaudere, hoc ipsum videns, et invidens, non potuit non dolere, et artifex subdolus in tironem animosum non terrores, non minas intonuit, sed astuta malitia in illum suasionis mortiferæ virus evomuit. Cui nonnullos illius cognatos et propinquos ad hoc satis idoneos adinvenit, per quos ætatem illius teneram circumvenit, quos deceptos et collectos misit ad illum specie consulendi, cum mittentis et missorum tota esset intentio seducendi. « Frater, inquiunt, et nos tibi volumus providere, et tu nostris debes aurem concilliis adhibere, de te quidem incumbit maxima nobis cura, nostra etiam reputatur tua tam utilitas quam jactura. Vide ergo, dilecte, ne ab aliquo seducaris, ne seductus ad tantam forte dementiam inducaris, ut velis in monasterio diutius demorari, marcere desidia, cum clericis mussitantibus otiari. » Isti enim, nihil strenuum, nihil asperum operantur, somno dati et epulis, falsa vel inutilia verbosantur, manus tenent implicitas, nec exercent forti negotio; brutis animalibus comparandi, transeuntes vitam silentio. Tibi autem inest ætatis florida pulchritudo, tibi virilis animus, tibi digna pro tempore fortitudo, tuisque parentibus gratus et perutilis esse potes: favere consiliis primus eorum negotiis interesse. Nobilitatem tuam decet virtus et strenuitas militaris, non otium, non desidia clericalis: manus tuas occupet scutum, lancea, gladius, arma belli, non tabellæ, non graphium, non libelli. Tua proba juventus exercitio dedita fortiori, erit quidem gloriæ nobis omnibus et honori: tu parentum gloriam, tu totius generis ornamentum, relinques dignum posteris probitatis ingenitæ monumentum. His vel horum similibus rudem Landelini animum concusserunt, et fallaci blandimento, gravem ei colaphum incusserunt, obtinentes ut a monasterio et a convictu recederet clericorum, totumque se exponeret vitæ et moribus perditorum. Quorum voluntatibus, eo quod ipse novit, consilio Deus cessit, et tamen ab electo suo, cura ejus penitus non recessit, sed ad tempus siluit et velut sustinuit patienter, quidquid vel illi consulere, vel iste voluit agere negligenter. Et forte ad hoc divina gratia aliquanto tempore se subtraxit, illumque deviantem statim a principio non retraxit, ut post graves culpas devotius et humilius pœniteret 775, et expertum mali contagium cautius et perfectius abhorreret. Denique David post peccatum Uriæ ampliori lavacro postulat se lavari, et post trinam negationem, Petrus amarius legitur lacrymari, et uterque devotior et robustior redditur post ruinam, expertum malum exsecrans, tenet avidius et multo firmius disciplinam. Sic et noster athleta paulisper desertus a gratia, jam delinquit, jam cor ejus seducitur, jam virtus eum pristina derelinquit, relictoque pontifice, audit et sequitur domesticos generis ut amicos, nondum satis intelligens eos esse veraciter inimicos. Quod intuens S. præsul inconsolabiliter contristatur et mœrore pressus gravi, super illo perdito lamentatur; nullum aliud afferens vel afferri debere asserens lenimentum dolori, quam pro illo indefessas preces, fletus, hostias, offerre Creatori. De cujus bonitate quia idem pontifex non desperat; orat, luget et indeficiens perseverat, decernens et statuens quam ab hujusmodi proposito non cessabit, donec alumnum suum divina ei bonitas resignabit.

CAPUT II.

Interea Landelinum seductores sui per devia morum præcipitant, eumque tam verbis quam exemplis ad peccandum instanter sollicitant; et quem juxta promissum, debuerant divitiis et honoribus insignire, festinant secum rapinis et latrociniis irretire. Gaudent vero quod tam strenuum, quod præcipuum comitem invenerunt, quem, etsi in hac militia tempore prævenerunt, sperant tamen eum prioribus imparem non futurum, sed agilitate et profectu nefario, cæteros præventurum. Ad quorum spem confirmandam nomen suum voluit immutari, et sopito Landelino, se Maurosum statuit appellari ut cum novus prædo, novo nomine censeretur, unde advenerit, vel quis antea fuerit, nesciretur, eoque liberius novis operibus incubaret, quo eum nec antiqui nominis mentio revocaret. Præceps igitur Maurosus ad quævis facinora manus liberas exercebat, et in explendis illis, non modum, non periculum attendebat, nec jam sodales suos instar novitii sequebatur, sed tanquam discipulis ipse doctor, ipse ductor antesignanus habebatur. Qui cum nocte quadam unius divitis disponeret domum irrumpere, et uberes illius copias violenta manu diripere; divina eum dispositio ab hujusmodi proposito revocavit, et diviti, quæ sua sunt, relinquens, nequam raptoris consilium immutavit. Hac enim ipsa nocte quemdam de sociis suis morte celeri præventum et solutum a corpore, peccatorum institis irretiunt, vinctumque, maligni spiritus, quibus eotenus servierat, læti suscipiunt; et reddentes quod meruit, in profundum inferni projiciunt. Cujus morte cognita, Maurosus dolore contabescit, gemit et ejulat, et in tantum dolor subitus ingravescit, ut cum eum non oblivio, non consolatio valeat delinire, ille oculis aggravatis, præ tristitia cogatur obdormire. Cui dormienti astare visus est vir vultum præferens gratiosum, venerandam cæsariem, habitum pretiosum, qui mentis oculos interiores revelavit, et socium ejus, qui locus excipiat, qui fructus malitiæ, demonstravit. « Vide, inquit, tuus iste socius quo pervenit, quos tortores, quem locum, quod præmium jam invenit, et quia tuam malitiam est, dum ad modicum licuit, exsecutus; ad quantam sit miseriam æternaliter devolutus. Ad hanc quoque sine dubio noveris te venturum, et pro vita simili pœnam similem excepturum, si non cito reliqueris vitam et consortium iniquorum, et reversus fueris ad sanctorum ordinem clericorum. Illic Autbertus præsul sua solius salute vel merito non contentus, tuum lugens periculum, gravi cura inconsolabiliter est detentus, et cum te somnolenta

mors detinet, ille plorat, ille pro te, vigiliis, precibus et suspiriis elaborat. Ad hunc ergo necesse est ut quantocius revertaris, et relictis operibus tenebrarum, ejus monitis salutaribus obsequaris. Quo facto, ad hoc tui socii barathrum non traheris, sed in cœlestibus, nostrorum angelorum consortio perfrueris. » Hoc audito, monitor velut expleto negotio conticescit, et Maurosus evigilans mirabiliter expavescit, et hoc non inane, non esse mendax somnium arbitratur, sed inspirante Dei gratia ut divinum oraculum veneratur.

Mox igitur amore peccandi et animi furore deposito, non differt renuntiare nequam proposito, et relictis sociis per quos ad mortis pericula trahebatur, episcopo se præsentat, ut ei deinceps obsequatur. Clamat, luget, miserabiliter lamentatur, orans ut indigno venia, si tamen potest fieri, concedatur; sic verba et lacrymis animi demonstrans detrimentum, ut etiam auditores provocet ad lamentum. Attendens præsul quanto affectu juvenis lacrymatur, ipse quoque suffunditur lacrymis et lætatur, et cum multo gaudio manus benevolas porrigit revertenti, in spem illum revocat, spondet indulgentiam pœnitenti. Quem in laicali habitu per aliquod tempus fecit in monasterio conversari, instare precibus, devotioni et jejunio immorari, donec quidquid contraxerat vitæ lenocinio sæcularis, dilueret lima et lavacro pœnitentiæ salutaris. Quem præsul cum attenderet satisfactione congrua permundatum, et ad suscipienda majoris gratiæ munera jam paratum, conditioni pristinæ renuntiantem novo eum ordini dedicavit, et corona et habitu insignitum, **776** benedictione debita clericavit. Factus vero clericus et adeptus tantæ gratiam dignitatis, pondus rei digne considerans, æstuavit majori desiderio sanctitatis, et ut mereretur ad supremam clericorum gloriam pervenire, decrevit peregrinandi gratia, Romam ire. Illic enim, ut audierat, sancti apostoli requiescunt qui felici martyrio cunctis fidelibus innotescunt qui duces et principes clericorum suis præsto esse vicariis non desistunt, qui tamen eis devotione humili assident vel assistunt. Accepta igitur a beato episcopo licentia, Romam ivit; et labore multo fessus, apostolorum ecclesias introivit; ducens pro nihilo quidquid laboris in via visus est pertulisse, cui tandem concessum est ad id quod optaverat pervenisse. Qui devotus pavimento cum planctu et lacrymis se prostravit, et beatos apostolos votis magis quam vocibus postulavit, ut clericum suum ab incursu dæmonico tuerentur, et humili vicario intercessionis suæ beneficium largirentur. Quod enim se impleturum suis viribus non sperabat, hoc ad unguem posse dari illorum precibus æstimabat, in quibus et elucet solemniter dignitas clericalis, et viget perfectius ejusdem sanctitas spiritalis. Expleta autem oratione et obsequio debiti famulatus, quo sanctorum pignora satis humiliter fuerat veneratus, consummatis omnibus, prout fervens ejus desiderium postulavit, valefacto apostolis, eo inde venerat remeavit. Qui reversus beati episcopi magisterio se addixit, et ad verbum illius, vitæ hujus sibi delicias interdixit, nihil avidius, nihil inexplebilius appetens quam labores, precum instantiam, jejunia, vigilias et algores. Cujus videns sanctus præsul digne proficere sanctitatem ut eo familiarius Deo et devotius deserviret, diaconum eum ordinavit quo ejus devotioni dignitas vel officium conveniret.

CAPUT III.

Factus diaconus, decrevit Roma proficisci, ut perfectius mereretur apostolorum benevolentiam adipisci, ut cum ad prædicandum verbum Evangelii diaconio fungeretur, ad explendum, quod cœperat, illorum patrociniis juvaretur. Secundo visa Roma, Cameracum, ut antea, remeavit, suamque parvitatem sancto pontifici humilitate debita præsentavit, cui adgaudens præsul, post aliquot eum dies, ad culmen amplius invitavit, et liquore sacro ungens eum in presbyterum ordinavit. Qui cum tanto sublimis culmine sacerdotio fungeretur, ne quasi fidentior et ingratus tanti beneficii haberetur, rursus decrevit sanctos Romæ apostolos visitare, et visitatione tertia intercessiones eorum perfectius impetrare quia et Trinitatem Deum prædicat fides et scientia clericorum, et impare numero Deus gaudet, juxta sententiam ethnicorum. Et cum ethnici et Catholici discordent in pluribus ab invicem et contendant, in hoc tamen consentiunt quod ternarium attollunt plurimum et commendant. Tertio igitur Romam petens, apostolorum se patrociniis commendavit, quo expleto, ad Autbertum rursus episcopum repedavit, et quo major solito excellentia dignitatis, eo fit fervention amore et desiderio sanctitatis. Unde cum præteritorum non immemor ad anteriora sollicitus æstuaret, et intuitu futurorum præsentem sufferentiam nullius meriti reputaret; visum est ei quod claustralis conversatio quamvis plurimis recte perfecta videretur, ei tamen qui plus deliquerat, non satis sufficiens videretur. Sicut enim peccator mediocris, contentus esse potest lavacro leviori; sic amplius aggravatus, purgatorio indiget ampliori; et ob hoc ipse qui tanta vel tot se perpetrasse recolit inconcessa, asperiora expetit, mediocriter pœnitentibus inaccessa. Proinde consulto episcopo qui ejus desiderio benignus adgaudebat, qui profectum discipuli sui suum esse veraciter asserebat, cum duobus sociis Andelino et Domitiano, quos affectantes paria, non abjecit, relinquens civitatem, multitudini valefecit. Quem in pagum Hainau juxta fluvium Sambram divina voluit providentia devenire, ubi quidam rivulus qui dicebatur Laubicus in eumdem invenitur fluvium introire, quem acceptans locum in eo Landelinus monasteriales sibi cellulas præparavit, quas, vel quem locum a prædicto rivulo Laubias appellavit.

CAPUT IV.

Ubi cum adductis secum Adelino et Domitiano arctiori se custodiæ mancipavit, servituti corpus subjiciens, jejunio et abstinentia maceravit, panem

aretum, aquam brevem, juxta minas prophéticas tandem offerens postulanti, non vino, non deliciis satisfaciens murmuranti. Qui, etsi forte voluit, tamen diu non potuit latitare et accessum tanti luminis non prævaluit modius occultare, sed eo procul facto, ardens stella vibrantes radios longe fudit, et per totam viciniam bona ejus opinio se diffudit. Qua diffusa, illuc plurimi convenerunt, gaudentes quod in humili thesaurum incomparabilem invenerunt; quo multi se ipsos eidem præposito contulerunt, alii larga manu temporales substantias obtulerunt. Sic in brevi tam in spiritualibus quam in temporalibus locus ille profecit, crevit religio, religiosis alimonia non defecit, multis confluentibus, et multa conferentibus 777 donativa, quæ ad usus inhabitantium lege maneant possessiva. Videns autem Landelinus locum supra quam speraverat profecisse, multos e diversis partibus ad vivendum religiosius convenisse, alios vero terras, villas, familias et cætera hujusmodi contulisse, benedicens fratribus in eodem monasterio congregatis, transivit Sambram fluvium, amore et desiderio paupertatis. Et veniens in locum, qui Alna dictus est, illic quoque sibi habitaculum præparavit, gaudens quod solitudine Deo cum paucis devoto satis obsequio militavit : licet fessus jam corpore, tamen tenorem vivendi rigidum non deponens, sed de die graviora gravibus supponens. Cui loco nonnulli quoque plurima contulerunt, et illo præsidente, ibidem monasterium construxerunt, ne labor viri quasi vanus et inutilis videretur, si tamen sibi ipsi et non etiam cæteris fructuosior haberetur. Ut autem Alneum monasterium labore et diligentia consummavit, illudque familiis a possessionibus ampliavit, recedens inde, aliud in Templurensi pago similiter inchoavit, inchoatum parvo non tempore fidelium munificentia dilatavit. Quia vero beatum Petrum Romæ tertio visitarat, et ei se primo et præcipuo clericorum pauper vicarius commendarat, eidem tria hæc monasteria voluit dedicare, et suum tam peregrinandi, quam ædificandi trinum laborem apostolis assignare. Verumtamen in nullo horum sacerdos Christi fuerat quieturus, nec hujus vitæ optatum terminum accepturus, cui divina dispositio locum alium designavit, ad quem eum expletis, quæ prædiximus, destinavit.

CAPUT V.

Qui assumptis prædictis comitibus Adelino et Domitiano supra fluvium Hon veniens illic voluit residere, ubi silva, quæ Ambligis dicta est, eidem fluvio videtur adjacere, quem locum ei commendabilem non fertilis camporum planities, non vinearum fecit florida pulchritudo, sed profunda silvarum opacitas et horrori dedita solitudo. Attendentes vero illi silvarum magnitudine omnem circumstantiam occupari, parum vel nihil vacuum ubi nova possent eorum tuguria collocari, ad complanandum locum assumunt pariter ferramenta, et gratia laborandi expeditius deponunt vestimenta. Quibus laborantibus patremfamilias contigit advenire, et velut invasores eos durius convenire, pro eo quod silvam, quam jure sibi consueverat hæreditario vindicare, se inconsulto isti nunc præsumerent exstirpare. Et ne gratis sufferre videretur hæreditatis propriæ detrimenta, in ultionem facti eorum arripuit vestimenta, ut hoc damno concussi, et de præterito pœnitierent, et in tali proposito ultra procedere non auderent. Quem assumptis vestibus recedentem divina est ultio prosecuta, eumque non tam verbo quam verbere durius allocuta, inferens ei tantam sui corporis læsionem, ut subito jacens humi stupidus solam superesse mortis crederet passionem. Qui tanta pressus angaria, se feriri divinitus intellexit, et virum sanctum jam sic admonitus non despexit, sed virtute qua potuit ei cœpit humiliter supplicare, ut Deum dignaretur pro ejusdem excessibus exorare. Quorum veniam si vir sanctus indigno miserans impetraret, per manus ejus Deo, iste hujus silvæ medium resignaret, vir sanctus posset deinceps juxta libitum operari et nullo refragante, Deo quiete debita famulari : videns sacerdos benignus illum pene mortuum, viribus destitutis, et ejusdem non tam muneris oblati cupidus, quam salutis, devotus pro eo preces fudit supernæ pietati, fusa prece languidum pristinæ restituit sanitati. Quo divinæ misericordiæ grato solatio confortatus, et ad sufferendum laborem inchoatum spiritu roboratus, illic in honore beati Martini parvum oratorium præparavit, in quo cum prædictis discipulis humiles Deo pœnitentiæ hostias immolavit.

CAPUT VI.

Verum ad usus fratrum etsi gavisus est aquam fluvii non deesse, tamen loco illi novit et doluit fontem vividum non adesse, sciens quia etsi aqua fluminis necessitati succurrere non negatur, tamen gratius ex ipso fonte bibuntur aquæ, sicut ab ethnicis prædicatur. Currens igitur ad solitum orationis præsidium et humili fiducia præmunitus, intellecto quod a Deo esset affectus ejus devotior exauditus, solo ictu baculi terræ superficiem interrupit; et re digna miraculi, vivus subito fons erupit. Cujus aquas perspicuas vir sanctus considerans ab imo abundantius ebullire, crispantem superficiem undis tremulis scaturire, ipsum lapsum rivuli grato susurro murmurare, tanta sui gratia ad morandum quoslibet invitare, alludens speciei quam crispam, et tremulam hilaris annotavit, ipsum in quo resederat locum statim Crispinum nominavit. His et pluribus forte aliis postquam Dei erga se benevolentiam experitur, et locum ad quem venerat, novi gratia nominis insignitur, effuso unguento bonæ famæ, odor vel opinio longe fertur, medicamine propalato, salus concurrentium non differtur. Nimirum æstuante latendi affectu sed effectu penitus annullato, lumine velit nolit supra montem vel candelabrum 778 exaltato, multi currunt et requirunt fontem vivum et perspicuum veritatis, ut sanentur sive poti sive loti tantæ irriguo puritatis; non tam morituris corporibus quærentes remedium transito-

riæ sanitatis, quam victuris animabus mansuræ gratiam sanctitatis. Quos ferventes spiritu vir a suo consortio non abjecit, nec austero repulsu a fonte boni lucido longe fecit, sed collectos pariter vivendi studuit regulam edocere, se formam auditoribus vivendo districtius exhibere. Videns autem illos sub præscripta jam digne regula cohiberi, promptos et agiles de bono in melius promoveri, ab eorum contubernio paulisper voluit semoveri, ut soli vacans Deo, in proposito posset liberius exerceri, ubi et in honore Petri apostoli parvum sibi fecit oratorium fabricari, eligens in eo solitarius conversari, ut quod est reliquum temporis, in curis aliquantum turbidis non expendat, sed quæ fratrum sunt, recte dispositis, ad interiora et sereniora libere se extendat. Et ne in hoc videretur sibi tantummodo providere, et eumdem profectum Adelino et Domitiano primis suis comitibus invidere, ipsos quoque a conventu fecit et ab invicem separari, et singulos in singulis habitaculis demorari, ut quos provexerat in exemplum mutuum convictus socialis, consummaret solitudo, silentii perpetuitas, contemplatio spiritalis. Qui studio sic in suo domicilio seipsum mancipavit, relegatis quæ foris sunt, sic se solis interioribus occupavit, ut oblitus corporis, contemplandi gratia choris angelicis interesset, et divinæ faciei suspenso desiderio præsto esset. Hoc camino continua eum examinatio sic exussit, et quidquid ei videbatur inesse paleæ, sic excussit, ut ad purum excoctus obrizo auro gratior redderetur, et hostia defæcata cœlo quam terra dignior haberetur.

CAPUT VII.

Hujus tandem superna gratia volens claudere senectutem, attritam durius in exhibendo devotam et diutinam servitutem, æstu febris fessum illius corpusculum aggravavit, quæ præsens peroptanti mortem proximam nuntiavit. Sentiens ille pulsante fecula se gravari, et de hujus carnis ergastulo sperans in proximo liberari, fratres suos fecit ante se convocari, suum illis obitum gaudens lugentibus nuntiari. Quo audito, concurrentes, eum, dum annueret alloquuntur, et de futura ejus absentia graviter conqueruntur, cujus vitæ supra quam dici valeat adgaudebant, defuncto autem, ut aiunt, supervivere jam nolebant. « Cur, inquiunt, Pater, Pater bone, præceptor optime nos relinquis? licet tibi consulas, nos miseros cur derelinquis, nobis remanentibus hinc recedere cur præsumis, vel saltem recedens cur nos tecum pariter non assumis? Nescis quia in destituta a pastore ovilia mors irrumpit, collectam infirmorum multitudinem lupus irruens interrumpit, infirmata unitate perit ordo, religio dissipatur, victus gemit, triumphans adversarius gratulatur? Cur nos ex diversis colligere partibus voluisti, sed nos relinquere tam immaturo tempore decrevisti, si nos adhuc de salute, de præmio non securi, tuam sumus, præsentiam tuum patrocinium amissuri? » At ille: « Charissimi, ait, vestra me non amittit fraternitas, sed præmittit, et ei ad quem tendo mea, si qua est devotio, vos committit, ut vos servet, vos provehat aliquanto adhuc tempore certaturos, cum ei visum fuerit, eo quo me præmittitis, secuturos. Non ergo vos mea turbet absentia, nec contristet, quibus adesse et præesse superna gratia non desistet, cui volo et postulo ut me vestris precibus commendetis, et quod minus valeo, votis supplicantibus emendetis. His vel hujusmodi aliis postquam sunt invicem allocuti, et sermone vicario quod videbatur congruum, prosecuti; sancti illius anima inter manus astantium a corporis nexibus est dimissa, et angelis deferentibus, in illud Domini sui gaudium intromissa, ubi cum eisdem angelis revelata facie Deo fruitur lætabunda, primam stolam accipiens nihil dubitans de secunda.

Cujus corpus in cinere et cilicio derelictum discipuli devotius amplectentes, et ei obsequium more dignum fidelium exhibentes; in suo cœnobio, in quo ad extremum Deo studuit deservire, honorifice studuerunt cum luctu et lacrymis, psalmis et precibus sepelire. Ubi extunc et deinceps ab astantibus sibi et famulantibus suum præsidium non absentat, sed eorum votis et meritis largo beneficio se præsentat; ei in quem desiderat prospicere vultui divino sic assistens, ut tamen præsto esse devotis suorum petitionibus non desistens. Quem Dei asseclam opto et mihi propitium subvenire, meæ petitioni aurem benevolam impertire, qui ut ei placeam, in scribendo præsens opusculum utcunque laboravi, et ei pro posse servitutis meæ laborem et obsequium præsentavi. Nec dubito quamvis jam id quod amplius expetiit apprehendat, quin tamen Philippo suo adsit qui ejus patrocinio se commendat, commendatumque sibi, et ipse commendet ei cui astat regum regi et Domino dominorum, cui virtus, honor et gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

VITA BEATÆ ODÆ VIRGINIS

PROLOGUS

779 Si poetas ineptarum atque anilium conjectores fabularum, qui veritatem nube mendacii obducentes, vitium pro virtute colere statuerunt, cæcus error gentilium magnis studuit laudibus commendare, et eorum nomina clarioribus titulis dilatare, multo magis nostros philosophos, assertores veri, justitiæ et virtutis amantes decet præcipuis efferre præconiis, qui quidquid usquam vel in sententiis doctorum prædicabile, vel in gestis illustrium virorum clarum enituit, scripti vinculo diligentius consignarunt, et ad posterorum notitiam legendum et non negligendum celebri memoria derivarunt. Quorum quidem usque ad nos per successionem labentium sæculorum prudens invigilavit intentio, ut non solum virorum, sed etiam feminarum quæ supra sexum virtute mirabiles claruerunt, dignus memoria catalogus texeretur, quatenus si quem tanti rumoris salubris aura perflaverit, ad similiter vivendum pro studio provocetur ; et si in hujus mundi nocte deciduis temporibus quorsumlibet lampas hujusmodi accensa splenduerit sub modio non celetur, sed ad lucendum omnibus qui in domo Dei sunt, super candelabrum elevetur. Sicut autem non minimam vituperii notam incurrit, qui vel scientia inflatus, vel corruptus invidia seu ignavia pressus quod didicit, sibi soli scire eligit, quam ad aures extendere plurimorum, sic laudabilem se constituit et gratiam addit capiti suo, qui dignos laude viros in ecclesiis attollit et prædicat in capite omnium compitorum. Quod primus apostolorum facere curavit, cum prohibentibus se scribis et Pharisæis ne in nomine Jesu loqueretur, hujusmodi responso eleganter obviavit. « Non possumus, inquit, quæ audivimus et vidimus non loqui (*Act.* IV). » Nam, ut quidam ait, « quodammodo societatem laudis affectat : qui aliena, bene vel dicta vel gesta primus enuntiat » Nullius enim boni sine socio jucunda possessio est. Eapropter licet ingenii mei grossitiem lima doctrinæ litteralis minus exspolierit, licet sophisticam Socratis conclusionem vel enthymema Demosthenis, aut opulentiam facundiæ Tullianæ nullatenus attigerim, devotione tamen fretus, quam scientia vitam cujusdam virginis quæ nostris in diebus, nostris sub oculis, virtute insignis claruit, pedestri sermone aggrediar utcunque balbutire, commendans me meritis ipsius, ut in laudem sui os meum dignetur aperire, quatenus debile principium fortuna melior subsequatur, nec verebor æmuli venenum lectoris, nec garrulum judicem pertimescam, dum in velamento orationum ipsius securus ab hujusmodi turbine et pluvia delitescam.

INCIPIT VITA.

Sicut nocte media interlucentibus astris grata polus varietate depingitur, et umbrarum vellus horridum lucis beneficio sensim ab orbe detergitur; sic in hujus peregrinationis profunda cæcitate, sanctorum congregatio diverso meritorum fulgore mirifice investitur, quæ, dum multiplices per mundum exerit virtutum radios, super omnem stellarum pulchritudinem clarior invenitur.

Hujus diversitatis gratia varietas pascit oculum intuentis, quoniam confusum nil novit, dissonum in se nil recipit, sed semper recurrit in idipsum, sicut in illa supernæ civitatis habitatione, cujus est participatio in idipsum, multæ sunt mansiones, distincti ordines, diversa claritudo : unus tamen Deus omnibus est omnia, lux inexstinguibilis, vita non moriens, pax indeficiens, immarcescibilis pulchritudo. In hoc ordine sedium æternarum quidam clarioribus titulis cæteros antecellunt, donati munere beatitudinis potiore, qui videlicet in hujus pressura torcularis pro testamento Dei sua corpora contriverunt, vel qui se sibi abnegantes, carnem et spiritum in tentationum frixorio confrixerunt multis insudantes jejuniis, vigiliis et labore. His omnibus castitas virginalis altiore gradu, et quadam dignitatis prærogativa merito principatur, Regem gloriæ, Agnum sine macula quanto consimilius, tanto propinquius comitatur. Hanc vitæ celsitudinem Oda virgo venerabilis aggredi concupivit, in qua ipse auctor et consecrator ejusdem virginitatis, votis ejus benigne aspirans usque ad gloriosum vitæ finem intemeratam custodivit.

780 Tempore siquidem quo universalis Ecclesiæ currum papa Innocentius aurigabat, Lotharius Romanum imperium in occiduis partibus ministrabat, Ludovicus Philippi apud Francos jus regium obtinebat, vir venerabilis Remaldus Rhemensem metropolim, Liethardus vero Cameracensem diœcesim providebat, et Balduinus Hiolendis principatum

Hàynau possidebat, in prædicto pago villa quæ vulgo Allodium dicitur, hæc virgo claris processit natalibus; patre Wiberto, matre nomine Thescelina, qui tam pietate divini cultus, quam nobilitate splenduerunt genuina. Virgo itaque sapiens nobilem utroque parente carnis trahens originem, noluit vita degeneri nativam obscurare claritudinem; sed carnis pruritum, qui mollitiem femineam potenter enervat, in ipso velut germine resecans seductibilem mundi blanditiem, affectusque illicitos a se penitus relegavit et in scholam virtutis se totam conferens, primam ætatem suam castitatis flore et pudicitiæ titulo decenter venustavit. Sentiebat quippe, secundum quemdam ethnicum, quod sine causa, parentum titulis niteretur, nisi propriis juvaretur. Unde et Boetius : « Splendidum te, inquit, si tuam non habes; aliena non efficit claritudo. » Proposuit igitur in animo suo ac devovit virginitatis suæ privilegium sponso illi cœlesti adhuc adolescentula dedicare, et meditabatur quotidie ut columba, quomodo locis palustribus voluptatis terrenæ derelictis, in montem vitæ sanctioris, aptius ac liberius valeret enatare, et in humilis petræ caverna suum nidulum collocare. Jamque votis omnibus aspirabat ad illud Cantici canticorum : « Ibo mihi, inquiens, ad montem myrrhæ, et ad colles Libani (*Cant.* 4). » Videbat namque multos in planitie vitæ sæcularis libertate noxia per morum declivia licentiæ effrenari, et sciens nisi ad regulam prava non corrigi, ad montem myrrhæ, id est ad arduam regularis formulæ disciplinam optabat elevari. Et quia lilium castitatis inter dumeta transitoriæ vanitatis, et vallis lutulentæ proluvio plerumque cogitur absorberi ad colles Libani, id est ad religiosarum conventicula feminarum, quæ totius sanctitatis candore gratissimo reflorebant, cupiebat transportari.

Enimvero post factum votum suum sub custodia parentum, usque ad annos pubertatis delituit et feriato a mundi rebus animo, quod primum compositæ mentis argumentum est, in se recedere, secumque commorari, instituit. Et ne innocentiæ suæ fama invida aliquo modo novercaretur, conventicula, colloquia puellarum quibus luxus et desidia cordi erat velut viperas declinavit : solas ad se sabinas admittens, quibus de honestate et amiticia sermo erat, quarum publicum testimonium privata actio non obumbravit. Cujus licet exteriorem vultus speciem color genuinus mirifice investiret, et virgineo moderamine mellita ore pocula secum loquentibus impartiret, omnis tamen decor ejus et gloria ab intus erat, quia dilectus ejus inter duo ubera sua delectabiliter morabatur, cum quo in secreto conscientiæ velut in thalamo nuptiali jugiter loquebatur. Proinde juvenum lascivos affatus et aspectus verebatur, vel potius contemnebat, quorum oculus nuntiat impudica, et os loquitur vanitatem, qui supino pectore incedentes super se inaniter extolluntur et in omnem præcipites rotantur libidinis voluptatem. Dum igitur animo illius terrenum nil sederet, dum votis suis quotidie satisfacere deliberat, dum amore concepto irrefragabiliter, sed feliciter, æstuaret, quemdam cognatum suum præ cæteris sibi familiarem accersivit, et ei sanctos æstus suos licet pavida ad unguem expedivit, orans illum multisque lacrymis contestans ut secretum quod illi credideral, parentibus suis summo studio celaretur : et ad optatos effectus ipsius suffragio pervenire mereretur. Verum quia animo cupienti nihil satis festinatur, iterat preces ne præsens votum suum in crastinum differatur, sed ad dominum Odonem Bonæ Spei tunc abbatem quantocius deferatur, quatenus ab ipso et sub ipso sanctæ religionis habitum indilate consequi mereatur. Sed quia nusquam tuta fides, nec facile amicus caveri potest, si velit insidiari, dum virgo simplicitate columbina votum suum secretius exstimat procurari, ille conversus est retrorsum, nec veritus amicum pectus lædere, ire perrexit patri et matri secretum deoperire, et vice versa ordineque perverso iter quod parare debuerat studuit impedire. Cujus genitores cum de filia rem hujusmodi auribus percepissent, turbati sunt et commoti super hoc verbo graviter doluerunt, et communicato cum suis consilio, maritali compede castitatis propositum infirmare decreverunt.

Quæritur igitur virgini sponsus qui genere, moribus, divitiis et honore aptus ejus nuptiis invenitur, convocataque hinc et inde multitudine amicorum et proximorum, tractatur de confœderandis ad invicem nuptiis liberorum. Juvenis ille, Simon nomine, oblatam a patre et parentibus sponsam cum suorum pari assensu prono favore suscipit, felicemque se fore tantis nuptiis, bona licet spe, tamen propemodum gloriatur, fidemque promissis quantocius facere admonet, quod et sine dilatione cum jurisjurandi sacramento confirmatur. Dato itaque ab utraque parte fœdere, tandem celebrandæ huic copulæ dies præfixa nominatur.

Interea dum virgo sacra inter spem metumque pendula fluitaret, mentemque ejus diversa ac dubia teneret cogitatio, tristi et insperato **781** hujus rumoris terretur auspicio, dum scilicet secretum quod in aurem unius celandum deposuerat, audivit ab omnibus in publicum ventilari, et quæ viri torum in delicto nescire decreverat, suas accepit in proximo nuptias debere celebrari. Et quæ jam paraverat egredi de domo patris sui, et expedito itinere ad locum pergere propositæ sanctitatis, gravi præpeditur offendiculo novoque timore concutitur, ne perdat virgineæ sigillum castitatis. Sed qui non est tentatus, quid scit? Porro non est virtus, vel esse non videtur, quam diligens athleta in tentationum gymnasio, crebro exercitio sudare non compellit, quam vel protervus auster totis viribus non urget, vel threicius boreas flatu libero frequentius non impellit, quæ nocivo pressa torpore sagittas hostium toxicatas a se fortiter non repellit. Virtus enim ex eo vocatur, quod suis viribus nitens non superetur adversis. Virtus autem nil habens in

se contrarium, non clarescit, nec splendida sine examinatione fit. Non probata vero nec examinata nec virtus est, nec potest magnos spiritus ad certamen afferre qui nunquam suggillatus est. Eapropter Dominus virtutum qui suos pugiles sic tentari patitur, ut tamen secundo proventu possit tentatio sustineri, ancillam suam quam agone triumphali cum hoste confligere disponebat, ut haberet consuetudinem præliandi, in hac palestra diligentius voluit exerceri. Consuetudo enim perpessionem laborum faciliorem facit. Permisit, inquam, et voluit eam tentari non ut infirmitate feminea sub fasce deficiens ab hoste impulsa versaretur, sed ut mirandum cunctis spectaculum præberetur, dum puella inermis et humilis contra loricatum et sublimem illum Goliath ad certamen singulare mitteretur, et congressu virili hostem fortiter expugnando palma victoriæ digne pro merito potiretur. Sentiens itaque virgo varios tentationum turbines adversum se commoveri, hostemque totis viribus sibi bella parantem; recurrit in se suscitatque dilectum, in humili cordis sui hospitio delectabiliter decubantem, querulasque voces apud eum deponit et nuntiat hostem pro foribus insidiantem : mittique auxilium sibi desancto postulat, et accingi fortitudine lumbos suos, sciens quia fortitudine opus est contra fortiter dimicantem. Commendat etiam Christo attentius suæ privilegium castitatis, quod illi adhuc ætate parvula consignavit, et ut viam veritatis quam elegit inoffenso pede et calle impolluto possit decurrere, orat vincula disrumpi, quæ illi Satanas in ruinam et scandalum præparavit. Dum sic ad ostium amici grata importunitate insistit preces iterans, evigilat ille et ad vocem sponsæ aurem inclinat pietatis, aperitque illi, et mollem diligentis animum benigne consolatur, imprimens osculum intrariæ (*sic*) charitatis. Et ne timeat a timore nocturno vel ad quoslibet paveat occursus tentationis, pane fortitudinis illam reficit omne delectamentum habente, et omnem saporem suavitatis, seque illi fore præsidio pollicetur in die tribulationis. Hoc percepto divinitus aromate, et velut semine quodam fortissimo in agro fertili recepto, cassas virgo secludit formidines, et quæ paulo ante ad cujusvis auræ tenuem flatum poterat inclinari, jam stabilis manens ridet ætheris iras, maris sonitus, ventorum turbines. Dum circa eam hostis multiplici intendit aucupio ut inevitabile flos virgineus incurrat detrimentum : illa conceptum semel bene vivendi propositum ardentiore voto proponit adimplere, liberoque volatu enatat ad petræ solidæ munimentum. In locis itaque munitissimis fixo tentorio jam non timet millia populi se circumdantis, sed gnara præliandi si consistant adversum se castra, in hoc sperans gloriatur, provocat magis hostem quam ipsa provocatur, secura jam cum Paulo dicere : « Quod nec tribulatio, nec gladius, neque mors, neque ulla creatura poterit eam a charitate Christi deducere (*Rom.* VIII). » Instat denique nuptiarum dies, et ad aures plurimorum fama celebri divulgatur, domus cultu vario pictisque tapetibus decoratur, solito nitidior ac lætior incedit familia, ornatus multiplex ad cultum virginis summa cura, summo studio procuratur, ipsa tamen non ambulat in magnis, neque in mirabilibus super se, neque vultus ejus gravitas in diversa mutatur. Induerat quippe animum virilem præter quem, ut quidam ait : « Mirabile nihil est, cui magno magnum nihil est. » Animadvertens pater ad cupitum voluntatis suæ propositum filiam nullatenus inclinari timore nimio perurgetur, ne dum insistit totis viribus invitam desponsari, dolor nimius ejus occupet animum, et morbo incurabili cogatur infirmari vel certe fugam inire moliatur, de qua non possit facile revocari. Has opinionum quæstiones dum querulo versat in pectore, falso tandem illis occurrere proponit argumento, et incumbente vespera, quæ in diem desponsationis occumbebat, sermonem blandum virginis infert auribus, mendacii opertum velamento. « Non decet, inquit, filia, ut tuæ flos juventutis in ipso ortu suo decidat et arescat, ne color genuinus alicujus inficiatur mœstitudinis atramento, sed potius lætare in adolescentia tua, et multa possessione, multisque fruere divitiis et tristitiæ terso nubilo lætitiæ induere ornamento. Omnem, quæso, ab animo proturba gravitatem, et parentum vultu tristi noli lædere pietatem, ac ne timeas quod non est timendum, ego diem nuptialis copulæ, quem in crastinum æstimas celebrandum, quibusdam occupatus negotiis prolongavi in tempus aliud propensius exsequendum. » Audito illa verbo quod sibi pater in corde et corde loquebatur, quasi pro omine illud accipiens, falsum pro vero nesciens amplexatur, et ignorans quid superventura pareret dies, quasi primum cornu prælii confractum gloriatur.

782

Enimvero nocte transacta cum revoluto axe sol diei matutinum radiasset, adest sponsus juxta præfinitum tempus cum multo suorum comitatu, adveniunt et puellæ, parentes, multæque virgines nobiles et matronæ, multo comptæ studio pretiosoque nitentes vestium accuratu. Et quia ecclesia haud prope erat, multitudo convenarum in patris puellæ curiam adunatur, ipsa quoque venire mandatur, quæ quia noverat parentibus obediendum, mandatis parere non cunctatur, et procedit non ut nuptura in atrio, sed velut in theatro pugnatura, quantusque castitatis in ejus pectore maneret amor, non solum verbis, sed etiam operibus evidentius ostensura. Cumque sacerdos (ut moris est) sponsum Simonem trina interrogatione conveniret, utrum Odam virginem sibi legaliter copulari voluntarie consentiret, ille se ad hoc venisse respondit, et quæ lex conjugalis præcipiebat, omni studio se impleturum spopondit. At ubi ad virginem ventum est, et an vellet prædictum sponsum accipere secundum morem quæsitum est : illa vultu rubore perfuso et fronte tenera inclinata, quidquid ejus vel oculis vel auribus perstrepebat inane reputans et superbum [supervacuum?],

non respondit sacerdoti ad ullum verbum. Hoc ejus silentium cum ex circumstantibus alii arrogantiæ, alii verecundiæ assignarent et puram ejus conscientiam diversis sententiis lacerarent : una matronarum quæ lateri ejus familiarius jungebatur, pudori consulens virgineo, blande eam et leniter sic affatur. « Non verearis, o virgo generosa, ad ea quæ interrogaris licita jam responsione tuæ voluntatis assensum emutire, quia, sicut honestatis et verecundiæ fuit, ut semel et secundo submonita reticeres, sic ignorantiæ et contemptus notaberis, si ubi et quando oportuerit, os tuum vel nescieris vel nolueris aperire. *Tempus enim loquendi et tempus tacendi* (*Eccle.* III). Et licet a sapientia juveni consulatur ut etiam in causa sua vix loquatur, ne tamen nimietatis dignam incurrat reprehensionem, cum secundo interrogatus fuerit, initium habere docet illius responsionem. Ne igitur tot et tantorum vultus hominum nimium verecunda confundas, ne in coævas tibi puellas exemplum silendi, imo contemptum respondendi effundas : ad interrogationem sacerdotis ter prolatam jam, quæso, generosum os aperi, et responsionem infer gratam. »

Ad hæc virgo : « Quia, inquit, tantopere quæritis utrum animo sedeat, hunc habere sponsum quem mihi nominatis, nec ipsum, nec alium me velle accipere certissime cognoscatis : quoniam illi amore juncta sum, illi soli servo fidem, cui virgini virginitatis meæ titulum, cum adhuc essem parvula volui consignari : a cujus amplexibus nec amore alterius vel muneribus, nec minis parentum aut verberibus ullatenus potero separari. »

Ad hujus responsionis novitatem omnis quæ aderat multitudo admirans obstupescit, Simon autem se contemptum vehementer erubescit ; et quærens confusionem suam objectionis alicujus palliare supercilio, illam se nolle mendaciter jactat, quæ muta careret loquendi beneficio. Cumque pendente supercilio se avertisset, et abiret indignans, et, velut hostis a tergo insisteret, equo veloci domum cum suis repeteret : parentes virginis, et qui cum ea remanserant se ipsos non minus confusos arbitrantes, adversus eam graviter stomachantur, et verbum quod de corde puro et conscientia bona et fide non ficta prolatum fuerat sinistræ suspicionis fermento inficere conantur. Sic nimirum, sic humanus oculus dum libenter invidiæ lippitudine caligat, minus diligenter in dubiis veri sententiam investigat : et ea quæ plerumque bono fiunt animo, in partem reprobam eligit inclinare, quam sanum habendo oculum de occultis nil temere judicare. Unde cum Anna in templo Dominum fusis lacrymis precaretur et labiis summotenus palpitantibus vox ejus nulla penitus audiretur, Heli sacerdos cujus oculus jam senectute reproba caligabat, os orantis et vultum attentius, ut scriptum est, observabat ; et eam non tam loquelam effundere gemitus, quam nimiam ructare potationem senex delirus æstimabat : « Digere, inquit, paulisper vinum quo mades (*I Reg.* I). » Verum mentem firma sibi ratione cohærentem ab status sui rectitudine non est facile removeri : et pura conscientia linguis oblatrantium invidorum non potest deterreri. Unde Apostolus Corinthiis : « Mihi, inquit, pro minimo est ut a vobis judicer aut ab humano die (*I Cor.* IV). » Stat itaque virgo prudens, mente placida et sereno aspectu in medio, ut ita dixerim, Babylopis, nec potest virginitatis arcem concutere flatus vehemens aquilonis, quia filia Hierusalem valle totius sanctitatis et castimoniæ circumsepta, luxuriæ procos et oculum petulantiæ aspernatur, nec habet quid commune cum filiabus Ascalonis. Sed enim pater ejus veritus ne mendacii vel perjurii arguatur, ne nota vituperii ejus nomini inferatur : assumit secum quosdam sibi necessarios et ire pergit juvenem confusum quantocius revocare, **783** eique filiam suam, velit nolit illa, promisso conjugio copulare. « Frustra autem jacitur rete ante oculos pennatorum (*Prov.* I). »

Comperto siquidem illa quid pater adversum se moliretur, dum quæ remanserat turba super his quæ acciderant murmurans turbaretur : nacta occasione, clam recessit, domumque veniens, in matris thalamum secessit. Firmatoque ostio super se Deum in adjutorium suum orat intendere : arrepto gladio quem ad caput lectuli videt dependere, nasum suum festinat præcidere. Sed manus tremula nec docta in gladio percutere, dum nervorum superiorem duritiem ictu feminino non prævalet excutere, indignata sibi ait : « O ensis, quam retusæ es aciei, qui mordaci acumine nequis destruere meæ decorem faciei ! » Hæc dicens, erexit se contra se, ferrumque pressit durius et obliquo vulnere nares sibi detruncavit, pretiosumque rosei sanguinis rivulum in pelvim distillavit : sicque vultus sui genuinum splendorem admodum deturpavit. O mirandum virginis pectus ! Ut non esset idonea huic nequam sæculo conformari, elegit naso vivere pravo, et seductibilis formæ speciem deformari, quam adulterino fuco falsa pulchritudine depingi, et lascivos oculos in se procaciter impingi. Maluit, inquam, ancilla Christi cute sordida et humili cultu, in domo ejus abjecta manere, et inter ancillas illius David, vel ultima reputari, quam ornatu superfluo in modum vulpium caudis pulverem tergere corpusque meretriciis fovere unguentis quibus solet adulterorum nausea provocari.

Leguntur quædam sanctæ mulieres tam nuptæ quam virgines cum earum ab hominibus impudicis castitas incursaretur, aliæ gladium pectori forti vibramine injecisse, aliæ profundo aquarum se immersisse, nonnullæ ignibus seu præcipitio interisse, et illorum ausus temerarios morte ultronea prævenisse, sicque venerandum martyrii nomen gloriosæ pretio mortis emisse. Videre autem videor Odam virginem nihil minus illis martyrii pertulisse, quæ, etsi carnis suæ tunicam vel suo vel persecutoris

ictu momentaneo non exuit, etsi eam pœnalis tormentorum durities non contrivit, lavit se tamen in sanguine Agni, et candida vestimenta sua donec de medio fieret, custodivit. Quomodo vero, si necessitas ingrueret, mori subterfugeret pro Christo, quæ sic se pro amore illius defigurans præter carnem corpore vixit in isto ? Hoc enim genus martyrii majus puto, omnesque materias excedere tormentorum, si quis in carne præter carnem vivat, si tamen castraverit se propter regnum cœlorum. Denique omnibus indicitur sententia generali, ut cum ratio fidei exegerit in mortem animas suas ponant, et huic fundamento non domos, non uxores, non filios, non se ipsos anteponant : hoc autem nulla præscribitur lege vel in præceptum traditur, sed velut summum, optimumque proponitur, nec arguitur transgressionis, nisi qui se voto obligaverit vel sponte propria susceptum temeraverit. « Qui potest, inquit Dominus, capere capiat (*Matth.* XIX). » Et Apostolus : « De virginibus, inquit, præceptum non habeo, consilium autem do (*I Cor.* VII). » Beatus quoque Fulgentius in quodam sermone virginitatem commendans : « Imperari, inquit, virginitas non potest, sed optari. » Porro multos invenimus magnificos viros, multas vitiorum potentias fortiter superasse, multas adversum se munitiones impugnatione valida expugnasse, quos calor genuinus a totius virore sanctitatis postmodum exsiccavit, quos pruritus lumborum propemodum fatigavit, quos, ut infirmos et imbelles feminea sibi mollities turpiter subjugavit. Qui vero adversus hanc illuviem, adversus hostem hunc, gratia adjutus prævaluit, nec corruptelæ locum dedit in carne, vel in mente sua, dignus laude est, quoniam fecit mirabilia in vita sua. Martyr igitur et virgo Oda est, quia virginitas esse non potest sine martyrio, quæ incentivam umbilici rebellionem fortis castimoniæ repressit cinctorio, et eam quæ de se sibi displicebat pulchritudinem, ut noxiam abhorrens, gladiali faciem suam signavit cauterio : dicens non voce sed opere illud Agnetis : « Posui signum in faciem meam, ut nullum præter Christum amatorem admittam. » Sed jam ad propositum revertamur.

Cum hi qui domi tunc aderant, quidnam in conclavi puella secreti ageret, suspecti tenerentur, et modo auribus, modo oculis rem curiosius scisciterentur, vocem secum murmurantis auribus perceperunt : pulsantesque ad ostium, aperiri sibi multa prece, multa instantia quæsierunt. Cumque illa responsum nullum referret, nec vellet aperire, suspicati eam vel gladio vel dolore nimio deperire, in ostium pariter impegerunt, ipsumque in securi et ascia dejecerunt. Videntes autem quod in seipsam tam immaniter desævisset, quod eam pene exsanguem multa sanguinis effusio reddidisset; quod pallor gelidus ós ejus admodum jam tinxisset, irrugierunt clamore vehementi, et ultra quam dici possit, admiratione sunt detenti. Porro genitrix ejus videns vultum filiæ deformatum, cadit in faciem, pectus tundit, laxis senectute pellibus incurvatum : longaque trahens ab alto suspiria, graves undas effundit lacrymarum, texensque lacrymabilem tragœdiam se omnium proclamat infortunatissimam feminarum. Pervolat ad patris aures, qui tunc 784 aberat eo loci, tactusque dolore cordis intrinsecus domum regreditur equo veloci : intuitusque undam sanguinis a facie filiæ defluentem, anumque sociam canos capitis cum amaritudine fletuum evellentem, totamque domum voce lacrymabili velut mortuæ luctus officium impendentem, ferre non sustinens prorumpit ad lacrymas et inconsolabili mœstitudine prægravatur, nec virilis animi temperamento dolorem lenit vel lacrymas moderatur. Vertitur in luctum cithara et vox lætitiæ in mœrorem, joculatorius ille plausus tristes complodit manus, et gravi intercidente suspirio novum ingeminat dolorem : virginum quoque chorus festas parans ducere choreas, dulcis melodiæ cantum ponit, mœstosque modos inire cogitur; omnisque nuptiarum ille splendidus apparatus fuligine sordida tenebrescit et veste lugubri obtegitur. Et, quod amplius admirere, flentibus omnibus ipsa permanet sine fletu : velut voti compos tristes de se querimonias surda transit aure, nec concutitur ullo metu.

Hæc autem cum certa relatione præfatus Odo Bonæ Spei abbas comperisset, eumque virtus feminæ tam celebris commovisset, accersivit ad se duos de suis, religiosos viros eosque illo sub obtentu hospitandi destinavit, quibus ut eam piæ consolationis manu refoverent et quid agere intenderet convenirent, summa cum diligentia demandavit. Quos ad se venientes pater virginis liberalissime suscipiens super omnia vultus hilares impartivit, ipsa vero missos velut a cœlesti sede nuntios venerata devoto illis ministerio deservivit. Cumque illis clam sciscitantibus votum suum et propositum ad unguem expedisset, et eorum sibi in hoc auxilium præsto esse aure credula percepisset : postulavit patrem suum ut viam castitatis quam elegerat nullis (*sic*) ultra conjugalis copulæ impediret, sed sibi jam inutili et quasi jam repudiatæ, exeundi de sæculo, benigno favore licentiam impartiret. Ille petitioni huic nullatenus accedit, sed contradictoriæ negationis objectat repagulum, frivolumque reputat quod voluntariæ paupertatis et religionis arctissime quærit angustum subire latibulum, cum multarum hæres possessionum claro nomine potius debeat insigniri, et florida viridisque juventa viro pubertatis suæ lege uxoria conniri. Tunc illa : « Si, inquit, vocem deprecationis meæ non admittis, nec dimittis me ut ad locum supernæ vocationis jam pede libero valeam proficisci, si bravium pro quo in hoc stadio currere mittendo te impediente nequivero adipisci, florem, quem dicis juventæ meæ, adeo destruam et succidam, ut non solum a nobili quolibet; sed nec a plebeio debeat concupisci; sed et dolorem capiti tuo addam quem etsi volueris, non poteris oblivisci. Quid me invitam conjugari, tanta tam-

que vana sollicitudine contendis ? Quid mundo mortuam iterum mundo non posse vivere diligentius non attendis ? Revera, pater, noveris quod si votis meis spes non alia penitus arrideret ; si mihi, inquam, secundos vitæ successus nisi hæc sola conditio responderet, ut te videlicet pedibus meis in cœno quolibet substrato pontem mihi tuo corpore ministrares, si mihi ad transeundum teipsum incurvares fronte libera fateor, per te transire non tardarem ; et te contempto, imo conculcato ad locum quem elegi gratulabunda properarem. » Cum his vel his similibus verbis, pio cum patre litigio decertaret, ille autem se proficere jam penitus desperaret, turbatum est in illo vehementer cor ejus, tandemque, licet tristis, annuit votis ejus.

Accepta licentia præfatos hospites convenit et precatur, ut illorum ducatu vel patrocinio de Ægypto festinanter egredi mereatur. Qui petitioni illius aurem benevolam inclinantes, ad monasterium quam celeriter sunt regressi, et abbati rem seriatim retexere sunt aggressi. Quorum nuntio abbas lætabundus applaudit, assumptisque secum quibusdam fratribus virgini festinus occurrit, quæ videns eum, ad pedes ejus humiliter accurrit, eique propositum suum ore satis facundo decurrit. Postquam vero ad invicem pia colloquia miscuerunt, et causam pro qua convenerant, disposuerunt, valefaciens illa parentibus et sæculo, de domo et cognatione sua egressa est, et ab eodem abbate sanctæ religionis habitum suscipiens, claustrum obedientiæ sub ipso ingressa est, ac monasticæ professionis disciplinam cum devotis illic feminis viriliter aggressa est. Quæ quanto fervore sanctitatis et studio in brevi profecerit, quanta humilitatis et obedientiæ cæterarumque virtutum in illa fuerit perfectio, dicere non sufficio, sensu pauper, vita, verbis, ingenio. Ut enim bono principio finis optimus succederet, prius sumptus qui necessarii erant, sedens computavit, quam ædificandæ turri pedem supponeret, ne si forte cœpto operi sumptus forte deesset vel materia, cachinnum moveret transeuntibus, et defectum risibilem pateretur inchoata nec perfecta maceria : nec tam turris ædificio responderet jactum improvide fundamentum, quam speluncam videretur præbere latronibus, vel aptum recondendis mortuorum cadaveribus monumentum. Eapropter montis cacumen altum, bibulasque vitans arenas in profundæ humilitatis fossa primum statuit pedes suos, utque ædificationis suæ constructio in directum consurgeret, **785** cresceret in templum sanctum in Domino, ad evangelicæ institutionis lineam dirigere studuit gressus suos. Quia igitur, jugum oneris Christi leve ac suave flexa cervice sibi imposuit ; quia decantans canticum graduum ascensiones in corde suo in valle lacrymarum disposuit : immisit Dominus in os illius canticum novum quod nemo potest cantare in terra aliena, nisi illa in Apocalypsi « ducta sub numero millia virginum centena (*Apoc.* XIV). » Solarum enim virginum canticum istud est : earum duntaxat quæ quæ sequuntur Agnum quocunque ierit (*Apoc.* XXII). Porro tanta cibi et potus abstinentia carnem suam edomuit, ut motus nativæ rebellionis in arido, ut ita dixerim, ventre locum recalcitrandi non inveniret, ut mentem castam et sobriam nec mollities delicata nec distenta crassitudo ad veneream intemperantiam emolliret. Unde quidam ethnicus : « Sine Cerere, inquit, et Libero friget Venus. » Si quando autem adversus eam bellicus vitiorum tumultus increbuit, si quando ventus contrarius intumuit, impatientiæ non dedit manus, sed patientiæ fortis ariete suos ad petram parvulos allisit : et serpentis caput suo insidiantis calcaneo in terram fortiter elisit (*Gen.* III). In cujus virtutis officina quantopere studuerit insudare : subsequens indicium evidenter poterit demonstrare.

Cum enim mundialis gloriæ spreto lenocinio adhuc recens jugo obedientiæ collum flexibile subjecisset, et seposita mollitie vestium, ciborumque suavi edulio, paupertatis ac parcimoniæ velut quibusdam compedibus pedem voluntarium injecisset : asper cultus et cibi parcitas corpus tenerum et delicatum attenuaverunt, et a pristinæ valetudinis robore infirmaverunt. Illa namque viridis ac robusta membrorum compactio indigesta ciborum cruditate soluta est, et corruptis humoribus, nitidæ cutis superficies maculosis tumoribus infecta est. Attendentes igitur, sorores virgineæ speciem faciei in pallorem gelidum tam celeriter immutatam, et cutem, quæ fuerat vitro clarior, quibusdam in locis inflatione vitiosa jam rugatam : suspicatæ sunt eam lepræ contagio prægravari, cœperuntque ad invicem murmurare, quod deberet a cæterarum consortio velut de castrorum medio sequestrari. Quod cum jam palam ab omnibus ventilaretur, et a quibusdam qui sibi prudentiores in hoc videbantur, loco diligentius inspecto, leprosa reputaretur, jussa est illi in partem casula fabricari, et humano lippiente judicio, mente et corpore munda velut immunda extra cæteras commorari. At vero humilis ancilla Christi hujus despectionis opprobrium nequaquam ægre tulit : quinimo sciens virtutem in infirmitate perfici, injustam nominis sui reprobationem gratanter sustulit : et his quæ de se falsa suspicio mentiebatur supersedens aliquo modo obviare, in locum denominatum secedere non distulit. Cui dum quædam de sororibus ætatis præmaturæ in sociam eligeretur quæ juvenculam materno affectu consolaretur et necessaria studeret providere infausta mulier fronte licet rugata ; sed animo irreverenti, et infrunito mandatis renuit obedire, dicens se adeo pusillanimem, sed ut verius dixerim, vecordem, ut hujus contactum immunditiæ nullo modo posset pati, seque malle inobedientiæ offensam incurrere, quam illius ferre solamen infirmitati. Cujus rebellem contumaciam digna quidem sententia castigavit censuræ regularis : et cui suum cana infantilitas obsequium denegarat, promptum deinceps exhibuit famulatum ætas virginum puellaris. Porro ipsa inter

tot adversitatum crepitus non est mota, quin potius ex rerum difficultate animus illi crevit, et ad summæ sanctitatis apicem per passionum tolerantiam est promota factaque omnium peripsema et velut domus inutile purgamentum, illius semper formam præ oculis gestabat qui pro nobis percussus non habuit speciem vel decorem nec crucis recusavit subire tormentum. Hoc secum loquebatur, hoc sedulo retractabat, in hoc suos reflexerat cogitatus : manum illam sæpius intuens et deosculans quam tumor occupaverat reprobatus. Noverat siquidem virgo prudens, quoniam quisquis hanc militiam professus est, patientia illi necessaria est, quia, ut quidam ethnicus ait :

Levius fit patientia quidquid corrigere nefas est.
HORAT. ode 24.

Et Apostolus : « Tribulatio, inquit, patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit (*Rom.* v). » Quia, ut ait Symmachus, spes quæ rerum semper adversarum patientiam suadet, in tuto est. Tanto namque devotius quanto secretius Dominum exorabat, ut de tot periculis nave solida emergere, tempore beneplacito sibi conferret, nec magnipendebat pro illius amore, si quid grave vel asperum jam sufferret, certa quod laboris et patientiæ fructum vitam æternam referret. Sed enim postquam in hujus areæ tritura plurimum est ventilata, postquam in aspero ejus est ungula probabiliter indurata, ille qui suos tentari non patitur supra id quod possunt, castigationis suæ flagellum temperavit; et vitiosi humoris deleta sorditie sanam et incolumem in castra cum cæteris revocavit. At vero tam diligenti solertia, tam solerti diligentia, obedientiæ auditorium frequentavit, ut nulli in hac disciplina inferiorem se esse pateretur, cujus legum custodiam adeo est amplexata, ut nil asperum, nil importabile, sed gratum ac leve reputaret, si quid facere juberetur.

786 Unde non multo post conversionem suam elapso tempore, a Patre jam dicti monasterii in magistram super condiscipulas eligitur ; et quia virtutum merito socias anteibat, quasi pro speculo vel regula cæteris præfigitur. Facta autem priorissa non inani flatu superbiæ intumuit, ob sui fastigium prioratus, quin potius humiliorem ac devotiorem illam reddit injuncta cura et amplioris debitum famulatus. Quæ matrem potius quam dominam se agnoscens, tanto affectu filias suas fovit et ad tam sublimem religionis arcem promovit, ut eam timore et amore filiali unanimiter amplexarentur, et ea duce ac prævia profectu voluntario ad meliora se cogi gratularentur. Hujus vita quodammodo sermo erat, quæ matura discretione sapientibus et insipientibus adeo præsto erat, ut ubique par sibi idemque manens se tamen singulis conformaret, non ut tepor noxius vel dissoluta lentitudo tenorem rigoris propositi aliquatenus infirmaret, sed ut eas amore traheret, vinciret affectione, quo ad plenius grata impressione Christum in earum pectoribus informaret.

A Et quia ante turpe est, ut quidam ait, « aliud loqui, aliud sentire, » verbis ejus opera respondebant, et velut in unam percussa formam sibi invicem congruebant : sicque in culpas subjectarum auctoritate magistra invehebatur, et regularem exercebat disciplinam, ut abrasa radicitus putredine vitiosa, benignum malagma imponeret et apponeret sanativam inflicto vulneri medicinam. Erga infirmos et paupères ipsa propter Christum pauper et dolens tantis misericordiæ visceribus affluebat, ut non solum illis necessaria provideret, quibus materna sollicitudine præsidebat, sed et si quem circa se positum vel paupertatis vel invaletudinis alicujus nosset incommodo laborare, per quemdam hujus secreti sui fidelissimum vicarium de suo exiguo illorum utcunque stu-
B debat inopiam relevare. Dicebat enim illi pium hoc esse furtum quo infirmo misericorditer subveniret, quo Christum in nudo paupere operiret. Denique ut brevi utar compendio, tanta in vultu illius relucebat sanctitas, in moribus honestas, in consilio maturitas, in verbis utilitas, in carne et spiritu integritas, in diligendis omnibus profusa charitas, ut modum naturæ fragilis magnitudo virtutis excelleret : et normam supernæ illius conversationis in corpore mortali prætenderet. Nec mirum si imbibitum sapiebat liquorem quem pleno vase hauserat, quæ suam in cœlis esse conversationem cum Apostolo (*Philip.* III) dicere poterat. Cujus splendor gratiæ infra parietum latebras non potuit detineri,
C quin longe lateque vastis eructantibus radiis coruscaret : et fractum in domo obedientiæ optimum nominis ejus unguentum tanto circumquaque diffusum est odore, ut multos utriusque sexus ad currendum viam bonam in odore unguentorum, suorum invitaret. Nec fecit eam celebrem popularis favor, vel secundæ vulgi voces, quæ cum ipso sonitu pereunt : sed probatæ virtutes animi, quæ possessorem sui, licet in angulo positum, licet absconditum in petra, per virtutum arbitros ad æternam sæculorum notitiam deferunt.

Igitur cum complesset numerum dierum suorum, jamque reposita illi esset justitiæ corona pro merito laborum suorum : placuit ei qui eam vocavit et justificavit, viam peregrinationis suæ post cur-
D sum debitum terminare, et ex mundi naufragoso incolatu ad locum placidæ mansionis hujusmodi assumptione gloriosa transportare. Corripitur siquidem febre ultima et diutino languore fatigatur, dolorque letifer infra pectoris domicilium crebris punctionibus debacchatur : et jam exhausti longa pœnitentia corporis velut quasdam reliquias duro dente corrodens circa vitalem spiritum amplius ingravatur, humor subinde vitiosus superioris fistulam instrumenti obducens meatum respirandi frequenter intercidebat ; tumultumque diræ tyrannidis exercens, infra stomachi vastitatem, tussim importunam ejiciebat : sicque morbus suas pedententim radices inserens et extendens, per dies singulos increscebat. Sic profecto, sic decebat ut hoc conflatorio ejus scoria ad purum excoqueretur, quatenus sic pro-

bata, sic excocta, in summis regis diademate digne insculpi mereretur. Propter quod licet minus habens virium, magno tamen animo sustulit hanc pressuram, gratias agens Deo quod sibi tantum incusserit colaphum, quod eam subire voluerit hanc trituram. Orationi itaque diebus ac noctibus instantius vacabat, faciemque Domini in confessione præoccupabat : et seipsam ante se constituens, causam suam diligenti discussione sub oculis illius districti judicis dijudicabat, et quæcunque de se sibi displicebant, rigida invectione corrigens, pedes ejus cum Maria fletibus irrigabat. Cumque langnor oppressivus eam jam per annum dimidium fatigasset, totisque contractis viribus super lectum ægritudinis penitus incurvasset : dolor redivivus intima cordis pulsans mordacius, indicavit eam debere in proximo resolvi, et vas suum quod in sanctificatione et honore hactenus possederat, communi sorte mortalium involvi. Adeo namque virtus, naturalis vel appetitiva vel retentiva illam abnegaverat, ut nullum cibum jam appeteret, quin potius stomacho refragante sumptum protinus rejiceret. Inuncta proinde sacri liquore olei, jam sopitis, imo sepultis naturæ officiis sancta ejus anima in corpore semivivo tota cœlestibus intendebat, et eorum quæ retro **787** sunt oblita in anteriora se extendebat ; jugisque orationibus et lacrymis Christo se commendans, cui in vita sua perfecte studuit ancillari, exspectabat agonem suum læto exitu consummari. Cumque sanctam virginem matrem tristes admodum filiæ circumstarent, et ut earum curam gerere translata ad superos dignaretur, lacrymosis precibus postularent : ipsa morbum jactantiæ declinans turbata est hoc sermone, et erumpens in lacrymas tali illis occurrit responsione : « Quare, inquit, o filiæ, me peccatricem hujusmodi sermonibus compellatis, cur a me quæ nullius momenti sum, quæ vix alicujus boni mihi conscia sum, ea quæ apostolorum cæterorumque sanctorum sunt, postulatis? Parcite vobis, quæso, a verbis hujusmodi, et meis potius delictis veniam dari implorate, et ut migrantem me hinc sinus ille Abrahæ excipiat, orationibus finem meum, ei cui vivunt, et per quem sunt omnia, attentius commendate. »

Superveniente denique die solemni Paschæ cum peracto cursu, ultimo jam palmæ spatio propinquasset, cum vetus corporis ejus fermentum ad purum languor diutinus expurgasset ; celebratis sacrosanctis nostræ redemptionis mysteriis, illud salutare viaticum accepit : et inclinato die ad vesperum coram positis abbate, fratribus et sororibus, ejusque exitum ex more orationibus et psalmis commendantibus duodecimo Kalendas Maii, anno incarnati Verbi millesimo centesimo quinquagesimo octavo in pace requievit. Quam cum obdormisse sacræ virgines cognovissent, tanto affectu motæ sunt, tanta cordis mœstitia gravatæ sunt, ut earum vultus tristi admodum pallore obscurarentur, et desolationem suam lacrymis et suspiriis irrefragabiliter causarentur ; orationibusque et lacrymis devotas exenbias impendentes funeri sancto ejus, sanctam illius animam psalmis et hymnis deduxerunt in montem Domini, et in tabernacula sancta ejus. Ut autem dies illuxit in crastinum, corpus illud sanctum a fratribus ad abbatiam deportatum est, ibique in commemoratione ejus sacrosanctis hostiis ad Deum allegatis, a venerabili abbate Alnensi Gregorio, Philippo ipsius loci abbate, Odone jam præfato et a sacerdotibus multaque fratrum circumstantia cum multo, ut decuit, honore sepulturæ mandatum est, quod licet seminatum sit in infirmitate, credo quod resurget in virtute, seminatum in corruptione surget in incorruptione, seminatum in mortalitate surget in immortalitate, seminatum in ignobilitate surget in gloria.

Felix igitur et beata ejus anima quæ ea die exire meruit de Ægypto, qua verus ille paschalis agnus libertatem veris reddidit Israelitis, qua Christus resurrexit a mortuis non amplius gustaturus de amaro genimine hujus vitis. Felix, inquam, et beata quæ ea die in Galilæam meruit transmigrare, qua mundo primo innotuit novæ gloria resurrectionis ; quæ tunc regem Salomonem in decore suo meruit videre, quando mater sua coronavit eum in die solemnitatis et lætitiæ, in die desponsationis suæ. Felix, inquam, virgo Oda, et secundum nomen suum laude digna est, imo Oda emphatice *laus* est. Sicut Psalmista memor beneficiorum Dei, non eum misericordem, sed misericordiam per excellentiam appellat : « Deus meus, inquiens, misericordia mea (*Psal.* LVIII). » Jam profecto videt et gustat pia virgo quam suavis est Dominus (*Psal.* XXXIII), non tam per speculum et in ænigmate (*I Cor.* XIII), quæ prima abierunt ; sed ambulat in lumine vultus Dei et in nomine ejus exsultat tota die, cum illis beatorum choris qui in agone certaminis permanserunt. Dormit felici somno inter amplexus Sponsi cœlestis inebriata ab ubertate domus Dei ; nec patitur ut quis eam suscitet vel evigilare faciat, quandiu somno voluerit indulgere tam beatæ requiei. Quæ licet de sorte suæ beatitudinis sit secura, tamen pro fratribus et sororibus suis ejus semper invigilat pia cura : pro quorum pace et salute divinam clementiam interpellat, orans ut omnes adversariorum impugnationes ab eorum sensibus vel sedibus procul pellat. Unde spero quod et mihi qui illius vitam studio dilectionis ac devotionis, rogatuque sororum utcunque scribere sum aggressus, sicubi in verbo offendi, si modum scribendi licitum sum transgressus, dabit veniam et ampliorem mihi gratiam impetrabit ; et laborantem adhuc in maris magni et spatiosi fluctibus orationum suarum remigio ad optatum ducet cursu perfacili, quamvis ligno portatum fragili.

Ut igitur tandem absorpta morte in victoria, Deo placere cum illa mereamur in regione vivorum, confiteamur nomini sancto ejus, et in laudem ipsius gloriemur, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

788 VITA S. WALDETRUDIS

PROLOGUS.

Sanctorum venerabilia gesta ad excitationem viventium scripturæ tradere [tradi] debere antiquorum consuetudo declarat, qui tot nobis volumina de his reliquerunt, ut numero comprehendi vix possint. Horum igitur exemplis provocatus, et quorumdam religiosorum fratrum ac sororum charitate compulsus, hoc opus aggredi præsumpsi, prudentem quemque lectorem supplex exorans, ut parcens rusticitati scribentis, benevolus potius corrector, quam improbus cavillator existat, sciens me magis intendisse, qualiter rogantibus fratribus veritatem propositæ rei gestæ lucide panderem, quam ut grammaticorum regulas custodirem.

CAPUT PRIMUM.

Præfatio de exemplis sanctorum.

Ad illuminandam viam vitæ æternæ, omnibus fidelibus Christianis Redemptor mundi post ascensionem suam mittere dignatus est apostolos, apostolorumque sequaces electos, qui recte vivendo, adversa æquanimiter tolerando, visibilia hæc et temporalia contemnendo, invisibilia autem et æterna appetendo, prædicando, præstolando, amissa æterni gaudia nuntiarent errantibus, et, ut ita dicam, ad hæc redire volentibus, magna spiritus gratia refulgentes, inter errorum tenebras, astrorum more, viam ostenderent.

CAPUT II.

Quod ideo data sunt sanctis miracula, ut fides propagaretur in mundo.

Sed quia populus priori quidem tempore carnalis erat, sola hæc visibilia esse existimans, invisibilia autem non appetens, quia nec esse suspicabatur : sanctorum exempla, vel prædicatio sola ad fidem invisibilium sufficere minime poterat. Addita sunt ergo miracula, ut fidem daret verbis virtus ostensa. Ad hoc enim tunc visibilia illa miracula coruscabant, ut corda audientium ad fidem invisibilium pertraherent, et per hoc, quod mirum foris agebatur, hoc quod intus erat longe mirabilius sentiretur. Nunc vero, quia, operante Deo, numerositas fidelium excrevit in mundo, illa corporalia miracula magna ex parte cessaverunt, non quod desint modo in Ecclesia qui vitam virtutum habeant, dum signa corporaliter non faciunt, sed quod nostris jam temporibus necessaria non sunt. Unde Apostolus ait : « Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus (*I Cor.* XIV). » Frustra enim miraculum foris agitur, si desit quod intus operetur. Vita enim et non signa modo quærenda sunt. Vitæ autem veræ existimatio, in virtute est operum, non est in ostensione signorum. Verumtamen et hæc cum fiunt, vitæ bonæ testimonium ferunt, et ad imitationem corda provocant proximorum.

CAPUT III.

Quod multum valeant prodesse credentibus exempla sanctorum.

Unde incunctanter credimus, ac stabili fide retinemus, desiderantibus terrena negotia funditus relinquere, et lata ac spatiosa hujus mundi itinera, quæ ducunt ad perditionem, deserere volentibus : strictam quoque et angustam nostri Redemptoris viam, quæ ducit ad vitam, adire cupientibus, non mediocriter profuturum, si de vita sanctorum virorum seu feminarum, qui in hac videlicet via (duce gratia) non præcesserunt, suisque vestigiis tritam reliquerunt, exempla proferantur, ut omne quod impossibile sibi credere poterant, tanto eis ad sperandum fiat facilius, quanto per hoc transisse jam et alios vident. Sæpe etenim corda torpentia, ad amorem Dei et vitæ æternæ desiderium plus sanctorum exempla, quam prædicamenta 789 movent et excitant, quia dum sublimia eorum opera, vel miracula attendunt, ipsi in infimis turpiter jacere erubescunt. Unde et Dominus dicit : « Videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (*Matth.* V). »

CAPUT IV.

De origine carnis beatæ Waldetrudis.

Igitur, adjuvante gratia Christi, de vita et conversatione atque miraculis sanctæ ac beatissimæ Christi famulæ Waldetrudis, quæ nostris gesta sunt haud procul temporibus, juxta quod veracium testium, qui hæc ipsa videre vel audire meruerunt, relatio certa vulgavit, ad laudem Dei et ædificationem, vel profectum proximorum, aliqua, licet pauca de multis, conabimur scribendo aperire.

Igitur regnante Dagoberto Lotharii Magni filio, stellas quamplures Dei clementia in Ecclesiæ suæ ordinavit firmamento, quæ vitiorum tenebras a populis fulgore fugabant suo. Fulgebat sedes Cameracensis lumine sancti Autberti pontificis, congratulabatur Elnon sancti Amandi meritis, urbs Mettensis sancti Arnulphi fovebatur patrociniis, venerabatur Trajectensium sedes pontificem suum Remaclum, Novionensis cathedra electum amplectebatur Eligium, Agrippina metropolis pium colebat Cunibertum; sed et pagus antiquitus a fano Martis Martensis, a modernis vero a fluvio suo dictus Hainoensis, coronam gestabat vernantem quorumdam sanctorum meritis. Hic Landelinus a sancto Martino, Romanæ sedis archiepiscopo ordinatus, vomere divino colebat Crispinium, Gislenus Dei amore a patria exsul vastissimum inhabitabat eremum : nec lucerna

tantorum virorum abscondita latebat sub modio (*Matth* v) : sed et principes sæcularia tunc moderantes ardore succenderat divino. Regis præscripti namque filii, Sigibertus scilicet et Clodovæus, horum monitis aures accommodabant, eorumque actibus libenter inserviebant. Unde Sigibertus, quia privatum doluit se germine prolium, ad stirpem sobolum nunquam deficientium duodena construxit cœnobia, ubi sancti viri sancta valeant vivere norma. Uxor vero Clodovæi, nomine Balthildis, postquam ad unguem duxerat nobilem Ecclesiam Sancti Quintini martyris, monasterium Kale dictum pluribus ampliavit beneficiis. Pippinus etiam Carlemanni filius, tunc major regiæ domus, Gertrudem filiam suam annulo fidei episcopi subarrhatam, prædiis donavit multis, ipsamque gavisus est præesse sanctimonialibus non paucis. Beggam vero Ausigiso marito viduatam, castam viduitatis lætatus est servasse sanctimoniam. Cujus æmulator, benevolus princeps exstitit nobilissimus, nomine Walbertus, sanguinis generositate, et rerum amplitudine inter Galliarum principes præcipuos. Cui divina disponente providentia (quam possunt latere nulla) virgo nupsit nobilissima, regii sanguinis nobilitate, et formosi sanguinis speciositate inclyta, a parentibus Bertilia vocitata. Cujus germani fuerunt Landericus et Cundelandus, quos referunt annales nostri vexilliferos fuisse exercitus. Quorum opulentiam et nobilitatem, etsi taceat stylus noster et lingua, affirmant vel prædia, prædiorumque suorum ædificia, quæ cunctis notum est illorum fuisse, ipsorumque beneficentia ad ecclesias Dei pervenisse. Dum igitur prædicti Walbertus et Bertilia, sancti conjugii fœderarentur copula, et tamen secundum Apostolum (*I Cor.* vii) orationibus vacarent ad tempora, dum, inquam, vitæ propriæ bene excolerent plantaria, fructum referunt pretiosum, Dei propitiante munificentia. Nascitur quippe illis rosa vernantissima, et, ut postea patebit, stella clarissima, puella videlicet, quam per longa divinitus petierant suspiria. Hæc lavacro divini perfusa baptismatis, a majoribus appellata est Waldetrudis. Cujus vitæ exemplaria strictim deliberavimus describere, quia præsentibus et futuris proficua credimus esse. Nullus namque secluditur ordo in Dei Ecclesia, cui sufficere non possit ac exemplum tantæ matris vita. Hinc eremitæ augmentum capere possunt suæ prioris vitæ, audito quomodo hæc Dei famula a populis se elongavit fugiens, et mansit in solitudine, et quomodo in contemplationis divinæ se tenuit arce. Hinc conjugati continentiæ concipere possunt amorem, dum audierint, quomodo virum suum ad monasticum impulerit ordinem. Hinc virgines centesimam magis adoptabunt coronam, mentis manu percepto quomodo virginibus sacris imitationis præbuerit formam. Hinc episcopi gregis pastores, dummodo culturæ patientem accommodent aurem, possunt discere, quanta instantia suis debeant præesse. Hæc, inquam, sicut se deprecantibus adhuc offert exaudibilem, sic vi- A vens cunctis se obtulit imitabilem. Sed jam instat tempus ut narrationis subscribatur textus.

Hæc igitur temporibus Dagoberti inclyti regis Francorum, clarissimis, et valde nobilibus orta parentibus, et regali prosapia edita fuit. Erat illi et soror, virgo scilicet sacratissima, nomine Aldegundis, quæ vitam multis plenam virtutibus ducens, seque in continentiæ arce custodiens, multis **790** annis Malbodiensi præfuit monasterio. Exstat autem libellus de vita et conversatione illius editus, in quo si quis nosse desiderat quam grata Deo et angelis exstiterit, quamque chara hominibus fuerit, quantas et quales per eam virtutes Dominus ostendere dignatus sit, facile poterit reperire. Sed nos ad hoc quod proposuimus, calamum revocemus. B

CAPUT V.

Quod a parentibus viro tradita fuerit in conjugium.

Beata autem Waldetrudis adhuc adolescentula, cum in domo paterna nutriretur, et nimium a suis diligeretur, visum est parentibus ejus, ut eam secundum antiquam Dei ordinationem et patriarcharum exemplum, ad nuptias viro tradere debuissent. Erat autem pulchra facie, decoraque aspectu, sed pulchrior fide, pudicitia et castitate. Sed Domini Dei occultam dispositionem, qui eam fidei suæ annulo subarrhaverat, et sociam ac cohæredem supradictæ germanæ suæ Aldegundi virgini in æterni regni gloria fieri prædestinaverat, nec ipsa carnis copula potuit immutare. Nam omnipotens Deus hanc ab ingressu mundi, gratuito pietatis suæ munere citius retraxit, et amoris sui igne cor illius accendens, ab omnibus carnalibus illecebris, et immoderato terrenarum rerum appetitu facile temperavit. Mutato namque animo cœperunt subito vilescere quæ placebant, et quæ prius delectabant animum, postmodum fieri vehementer onerosa. Studebat autem inter hæc curas mundi paulatim postponere, et solis desideriis æternis inhiare, substantiam suam pauperibus, orphanis ac viduis cum omni hilaritate erogare, captivos redimere, hospites et peregrinos colligere, vitia quoque, non solum ab actu corporis, sed etiam a cogitatione cordis funditus exstirpare. C

CAPUT VI.

Quod ad servandum castimoniam viro suo ipsa persuaserit. D

Interea sua tantum salute minime contenta, etiam jugalem suum, nobilem scilicet virum, Madelgarium, ad amorem Dei et cœlestis patriæ desiderium, ac castimoniam conservandam blandis quotidie ac salutiferis sermonibus excitare curabat : et igne charitatis quo ipsa suaviter flagrabat, illius mentem accendere satagebat. Denique gratia carnalis affectus intentionem mentis multum deverberare, ejusque aciem obscurare solet, cœpit ipsam carnis copulam valde perhorrescere, non quod Dei munus ad propagandam sobolem hominibus concessum sperneret, sed quia scriptum esse noverat, docente Apostolo : « Mulier innupta et virgo, cogitat quæ

sunt Domini, ut sit sancta in corpore et spiritu (*I Cor.* VII). » Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Ideoque soli Deo vacare desiderans, veluti quoddam impedimentum, carnale conjugium pertimescebat, atque ut nutu Dei solveretur, et in se voluntas Domini fieret, quotidie cum gemitu et lacrymis exorabat.

CAPUT VII.

Quod vir ejus Madelgarius monasticam vitam expetierit.

Sed omnipotens Deus, qui hæc occulta dispensatione in corde ancillæ suæ misericorditer suggerebat, etiam ut fierent, potenter adjuvit. Nam prædictus vir ejus Madelgarius, divina inspiratione compunctus, et intimi amoris facibus accensus, solutis vinculis conjugalibus, manente autem charitate, ad monasterium, cujus vocabulum est Altusmons, concitus perrexit, ibique monastico habitu suscepto, in sanctis actibus temporalem hujus vitæ cursum peregit.

CAPUT VIII.

Qualiter ipsa in sæculari adhuc habitu posita, cœlesti fuerit visione roborata.

Religiosissima autem episcopi famula Waldetrudis, adhuc in sæculari habitu posita, vigorem tamen animi in nullo relaxans, propriæ domus curam gerebat. Erat namque misericordiæ actibus dedita, bonis operibus intenta, hospitalitati studens, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. Igitur omnipotens Deus, qui novit omnem palmitem afferentem fructum excolere, ut fructum plus afferat, famulam suam de acceptis muneribus fideliter ministrantem, ad majora sanctitatis luera cœlesti visione provocare dignatus est. Nam quadam nocte, cum post laborem, fessa ad refocillandum corpus paululum lectulo membra dedisset, mox sopore depressa, vidit in somnis, quasi introiret in basilicam, quæ sita est in villa, quam vulgus **791** Buxutum nominat. Et ecce apparuit ei vir sanctissimus Gaugericus episcopus, nimio decore refulgens eamque summo honore et reverentia suscepit, deditque illi per visionem etiam calicem vino plenum, quem cum libisset, sereno et hilari vultu dixit ad eam : « Age quod agis : placent enim mihi valde quæ facis. » Hac itaque visione roborata, et ut ita dicam, divinæ gratiæ vino debriata, terrena fastidire, et ad amorem cœlestis patriæ vehementius flagrare cœpit, et quasi degustatam paululum æternæ vitæ dulcedinem avidius appetere.

CAPUT IX.

De calumniis Christi famulæ diabolico instinctu illatis.

Sed antiquus hostis, unde bonos proficere dolet, inde malos ad deteriora rapere nequitiæ suæ artibus conatur. Nam omnipotentis Dei famula, cum hanc visionem quibusdam suis confamulabus humiliter retulisset, atque ab eis (ut assolet) ad aures ignobilis vulgi perlata fuisset, statim humani generis inimicus sancto proposito in ipso sui initio resistere cupiens, hujus visionis occasione, quorumdam corda reproborum invidiæ facibus accendit, atque ad inferendas illi detractiones, cavillationes, falsaque opprobria excitavit, et ut ita dicam, contra Christi famulam pugnaturus, eorum se venenosis linguis armavit. Unde scriptum est : « Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ : et lingua eorum gladius acutus (*Psal.* LVI). » Sed omnipotens Deus famulæ suæ inter diabolicas insidias titubanti, velociter succurrit.

CAPUT X.

Qualiter ab angelo cœlitus misso consolata fuerit.

Nam cum animus illius, utpote adhuc rudis, hujusmodi irrisionibus ac derogationibus fatigatus, nimium turbaretur, ipsaque gravi mœrore depressa in lectulum decidisset, subito in virili specie angelus cœlitus missus, nimio decore refulgens, apparuit. Qui cominus assistens, eamque familiariter alloquens, causas tanti mœroris inquisivit : cur, inquiens, tanto mœroris pondere gravaris? Quare hilaritatem mentis tuæ tristitiæ nubilo inordinate confundis? Qui cum illa respondisset, quantas a civibus suis derogationes, irrisiones, ac calumnias, antiquo adversario instigante, paterctur, subjunxit angelus dicens : « Confortare et esto robusta contra obloquentes et calumniantes te quoniam scriptum est : « Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit (*II Tim.* II). » Non ergo magnopere curandum est de vanis verborum favillis, quæ citius accensæ facile restinguuntur, hæc etenim patiebantur prophetæ, apostoli et martyres, qui fuerunt ante te. Unde et Dominus in Evangelio ait : « Non est discipulus super magistrum (*Matth.* X) ; » et paulo post : « Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus? » (*Ibid.*) Hinc et alibi Scriptura admonet, dicens : « Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem (*Eccli.* II). » Oportet ergo te hujusmodi tentationem, quæ ad probationem fit, fortiter tolerare, ut cum probata fueris, accipias coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se (*Prov.* I).» His igitur et hujusmodi sermocinationibus, et Scripturarum testimoniis confortata, inutilem tristati cordis mœrorem, quem diabolica fraus suggerebat, spiritali gaudio superveniente, statim repressit. O quam dilectam hanc Dominus attendit, quam nec ad modicum contristari permisit!

CAPUT XI.

Quod a Gisleno servo Dei locus illi ad ædificandum monasterium fuerit designatus.

Interea erat quidam sacerdos, Gislenus nomine, habitans in locis desertis circa fluvium, cujus vocabulum est Hayna, qui habitum monachi, quem prætendebat in specie, moribus demonstrabat, quique pro sanctitatis suæ merito, a cunctis, qui hunc nosse poterant, valde colebatur. Hic itaque, divina monitus jussione, ad prædictam Christi famulam Waldetrudem, exhortationis gratia, crebro venire consueverat, et verbi Dei pabulo illius mentem refi-

cere curabat. Quam cum vir Domini ab hujus mundi illecebris frigescere, et cœlesti desiderio accensam sanctæ conversationis habitum ardenter quærere agnovisset, montem illi quemdam, qui nunc Castriloeus dicitur, designavit; et ut, sacro velamine accepto, in eo sibi cellulam, ad omnipotenti Deo serviendum, conficeret, sollicita admonitione persuasit. Qui videlicet mons a prædicti viri Dei Gisleni cellula quatuor fere millibus, in superiori parte deserti situs erat, a sæcularium quidem habitaculis procul remotus, spinarum et veprium **792** densitate nemorosus atque incultus, sed sanctæ et religiosæ conversationi aptissimus videbatur.

CAPUT XII.

Quod Hildulfus ei domum illic primitus exstruxerit.

Beata autem Waldetrudis admonitionem viri Dei libenter gratanterque suscipiens, non distulit opere perficere, quod sibi per famulum suum omnipotens Deus dignatus est demonstrare : sed statim misit ad quemdam illustrem virum, Hildulfum nomine, qui per idem tempus valde inclytus ac nobilis, et secundum temporalem hujus sæculi dignitatem potentissimus erat, et per conjugem suam eidem Christi famulæ propinquus exstiterat. Hunc ergo sollicite postulavit, ut supradictum locum, quem sibi divina clementia per famulum suum designaverat, a suis possessoribus, dato pretio emere debuisset, illicque habitaculum sibi ad Domino serviendum præparare, non negaret. Cujus precibus mox ille libenter acquiescens, locum, quem Christi famula poposcerat, emere curavit, eique in verticem ipsius montis, arbustis et vepribus radicitus abscissis, domum ad habitandum magna solertia præparavit.

CAPUT XIII.

Qualiter ipsa domus displicuerit, et divinitus fuerit eversa, et alia rursus exstructa.

Nec silentio præterire debemus miraculum, quod omnipotens Deus, ad ostendendum quantam suæ famulæ curam gereret, in ipso sancti propositi tyrocinio exhibuit. Nam cum religiosissima Christi tyruncula ad domum sibi præparatam accessisset, hanc latam et spatiosam atque sublimem intuens, obhorruit, et ex ipsa sui magnitudine, oculis ejus valde displicuit : humili scilicet mente humile, atque remotum ab aspectibus humanis quærens erat habitaculum in terris, ut celsum atque sublime inter frequentias angelorum mereretur habere in cœlis. Mira res, et vehementer stupenda mox secuta est. Nam recedente Christi famula, eadem nocte totius domus fabrica subito turbine a fundamentis eversa est, ac divinitus longe projecta. Tunc prædictus vir Hildulfus in ejusdem montis latere, ei parvum et sanctæ religioni congruum habitaculum, simul et oratorium in honore sancti Petri apostoli dedicatum, ubi ipsa illi designaverat, restruxit.

—

CAPUT XIV.

Quod sacro velamine accepto Domini servitio se mancipaverit.

Interea dilectissima Christi famula Waldetrudis fervens spiritu, et magis magisque cœlesti desiderio anhelans, juxta viri Dei Gisleni, cujus superius mentionem fecimus, admonitionem, ad beatissimum virum Autbertum episcopum accessit, et ut sacrum velamen accipere mereretur, petiit, et hoc citius impetravit. Acceptis itaque ab eo sanctimonialibus indumentis, statim se suaque omnia omnipotenti Deo tradidit, atque in cellula sua, quam sibi construi fecerat, se reclusit, ibique eximiæ conversationis exempla circumquaque dedit. Erat enim morum gravitate, mentis sobrietate, mansuetudinis lenitate, verborum moderatione incomparabiliter prædita, charitate autem erga Deum et proximum perfecta, curis pauperum ac peregrinorum provida, vigiliis quoque et orationibus ac jejuniis dedita. Studebat inter hæc toto mentis adnisu cruciare carnem, voluntates proprias frangere, tumultusque hominum devitare, et quotidianis se lacrymis in ara cordis Domino libare.

CAPUT XV.

Quales ab hoste tentationes pertulerit et superaverit.

Quamobrem antiquus hostis, humani generis inimicus, qui ab initio bonis actibus resistere contendit, invidiæ facibus accensus, contra hanc totis viribus se in tentationem erexit. Denique gratia prius publicum bellum se doluit perdidisse, ad occulta sese certamina iterum reparavit. Concepit namque de fide et spe, quæ est in Christi Jesu, tentatione subdola, mentem illius improbe pulsare; cogitationes quoque varias et illicitas cordi ejus importune ingerere, et primo quidem immittens ei memoriam possessionum, generis nobilitatem, familiæ defensationem, amorem rerum, fluxam sæculari gloriam, escæ variam delectationem, et reliqua vitæ remissioris blandimenta, dehinc arduum virtutis finem, et maximum perveniendi laborem, **793** necnon corporis fragilitatem, ætatis spatia prolixa. His igitur et hujuscemodi tentationibus maximam ei cogitationum caliginem suscitabat, tentans si quo modo posset hanc a sancto proposito avocare. Sed valida omnipotentis Dei manus hæc pestifera diaboli molimina facile frustravit. Respectu namque divinæ gratiæ ad se ipsam citius rediit, et inter catervas Satanæ se in acie stare deprehendens, ad sua mox arma cucurrit. Nam sese protinus in lamentum dedit, cum gemitu et lacrymis Dominum exorans, ut in hujusmodi certamine, ne succumberet, sibi solatium largiri dignaretur. Cumque die noctuque crebris et prolixioribus orationibus a Domino remedium flagitaret, contigit aliquando, ut hac de causa in oratione pernoctaret. Et ecce subito idem antiquus hostis in effigie hominis quasi illi insultans, apparuit, extendensque manum suam, super pectus illius posuit. At illa cum Christi nomen celeriter invocasset, statim

hostis fugam petiit. Quem illa intrepida, angelico videlicet roborata suffragio, huc illucque fugitantem cum vituperationibus et dignis opprobriis audacter persequebatur. « Bene, inquiens, tibi contigit miser, bene tibi contigit, qui es ille, *qui dicebas in corde tuo : Super astra cœli exaltabo solium meum, similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV). Ecce propter superbiam tuam a sede cœli pulsus, et tartarea morte damnatus, ut dignum est, a femina profligaris, et locum, quem tu superbus deseruisti, Christus humilis humano generi suo sanguine redempto reparavit. » His auditis, dejectionem suam hostis erubescens, mox quasi fumus evanuit, mentemque famulæ Christi hac tentatione fatigare ulterius non præsumpsit ; et cui volens certamina intulit, virtute omnipotentis Dei compulsus est occasiones victoriæ invitus ministrare.

CAPUT XVI.

Quod libera a tentatione, facta fuerit magistra virtutum.

Recedente igitur tentatione, beata Waldetrudis spinis erutis, velut exculta terra, uberius fructum dedit. Nam cum eximiæ conversationis illius fama longe lateque crebresceret, cœperunt nonnullæ nobiliores genere feminæ ad ejus magisterium concurrere, et Domino dedicata castitate servire. Libera namque a tentatione jure facta est magistra virtutum.

CAPUT XVII.

Quod cellulam suam suadente sorore deserere noluerit.

Soror quoque ejus, virgo scilicet sanctissima Aldegundis, cujus superius mentionem fecimus, visitationis gratia ex monasterio suo certis diebus ad eam venire consuerat, ut dulcia sibi invicem vitæ verba transfunderent, et suavem cibum cœlestis patriæ, quia adhuc perfecte gaudendo non poterant, saltem suspirando gustarent. Quæ cum loci parvitatem cerneret, paucasque adhuc sanctimoniales in obsequio sororis inesse vidisset, humano pulsata affectu, quasi compatiens paupertati illius, magnis precibus suadere cœpit, ut parvitatem loci illius desereret, et ad suum monasterium properaret. Sed omnipotentis Dei famula, plus appetens laboribus pro Deo fatigari, quam transitoriis hujus vitæ honoribus perfrui, nullatenus consensit : sic quippe metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicut avari divites solent perituras divitias custodire.

CAPUT XVIII.

De miraculo coram eis divinitus ostenso.

Nec prætereundum est, quod omnipotens Deus erga famulas suas ostendere dignatus est miraculum. Quadam namque die, cum ex more ad æternæ vitæ colloquia perfruenda invicem convenissent, repente causa exstitit ob quam pro utilitate monasterii paululum, extra claustra procedere cogebantur. Euntes itaque et omnibus pro quibus ierant rite dispositis, cum subito ad monasterium rediissent, et ex more Ecclesiam intrare voluissent absente ostiaria, omnia ostia clausa et seris munita repererunt. Sed mira res mox contigit. Nam ut famulæ Christi ad aditum basilicæ pervenerunt, statim ostia divinitus concussa ita summa celeritate patuerunt, ac si orationem earum impedire valde pertimescerent.

794 CAPUT XIX.

De se et germana sua virtutem angelicam interrogat.

Dehinc venerabilis Christi famula Waldetrudis, quia relictis mundi illecebris cœlestis regis servituti non renuit humiliter subdi, denuo ad contemplationem cœlestium civium meruit sublimiter attolli. Nam rursus vidit in spiritu virum de cœlo ad se descendere. Et cum angelicam esse potestatem per spiritum agnovisset, statim tremefacta, quid de se vel germana sua in divino examine dispositum esset, percunctari studuit, et an divini respectus gratiam aliquantulum mererentur, ab eo humiliter sciscitari curavit. Quam angelus blande confortans, edocuit quod semper super eas Dominus sereno pietatis suæ intuitu respiceret, sicut ipse per prophetam ait : « Ad quem respiciam, nisi ad humilem, et quietum, et trementem sermones meos ? » (*Isa.* LXVI.) Unde et Psalmista dicit : « Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum (*Psal.* XXXIII). »

CAPUT XX.

Quod ipsa et soror ejus eamdem beatitudinem essent habituræ, cœlesti revelatione cognovit.

Post hæc fuit ei divinitus revelatum quod ipsa et germana sua, beata scilicet Aldegundis unam mansionem et eamdem beatitudinem in regno Dei pro merito laboris sui essent habituræ, ad quam videlicet beatitudinem perveniunt, sicut scriptum est : « Alii sic, alii autem sic (*I Cor.* VII). »

His divinis revelationibus omnipotentis Dei famula instructa, non inani jactantia mentem in superbiam elevat, sed sese in arce humilitatis custodiens, tanto post devotior ad referendas Creatori suo gratias exstitit, quanto erga se ejus beneficia majora cognovit. Et facta est eo instantior in bono opere, quo certior de promissione. Interea omnipotens Deus famulam suam divitius intra se ipsam latere noluit, sed quanti esset apud se meriti, signis ac miraculis dignatus est declarare, ut posita super candelabrum lucerna clarescere!, et multum omnibus, qui in domo Dei sunt, luceret (*Matth.* V). De qua pauca virtutum bona quæ ad memoriam redeunt narrabimus, ut ex his paucis valeant alia plurima, quæ fuerunt, pensari.

CAPUT XXI.

Captivos redimere disposuit.

Igitur cum die noctuque in lege Dei meditaretur, et ardenter quæreret qualiter sibi lucra pietatis augere potuisset, occurrit in animo ut aliquos captivos redimere debuisset. Vocato itaque uno puero ex ministris suis tulit pecuniam, de qua ipsos ca-

ptivos redimere cogitabat, et in stateram posuit, ut cognoscere posset, an sufficeret ad hoc quod voluntati sufficere debuisset. Sed sicut scriptum est : « Omni habenti dabitur, et abundabit (*Matth.* XIII), » ei cœpit ipsa pecunia in statera posita miro modo crescere et præponderare. Quod cum tremebundus puer aspiceret, valde admiratus est. Cui illa statim terribiliter præcepit, dicens, ut dum ipse in corpore viveret, hoc miraculum nulli indicaret, videlicet pertimescens, ne in virtute facti humano pulsata favore, inde in eo marcesceret unde foris hominibus magna appareret : exemplum etiam magistri sequens, qui ut nos ad viam humilitatis instrueret, de se ipso discipulis præcepit, dicens : Ut ea quæ vidissent, nemini dicerent, quousque Filius hominis a mortuis resurrexisset (*Matth.* XVII).

CAPUT XXII.

Qualiter calix a puella in terram fusus divinitus fuerit repletus.

Alio quoque tempore cum prædicta Christi famula Waldetrudis ad refectionem discubuisset, una ex puellis cellarium ex more ingressa, vasculum implevit potu, ut Christi famulæ prandenti deportaret ; sed cum incaute ambulans rediret, subito pes ejus lapsus est. Quæ cum ipso vasculo corruens cecidit, et potum omnem quem gerebat, in terram fudit : surgens autem tremefacta, ad cellarium redire disposuit, ut iterum vasculum repleret. Sed cum repente oculos ad vasculum revocasset, ita in manu sua plenum invenit, ac si ex eo nec gutta quidem recidisset.

795 CAPUT XXIII.

Ægrum curavit.

Post hæc quidam homo cum quadam ægritudine nimium fatigaretur, diuque jaceret afflictus, contigit ut quadam die in mentis excessu deveniret. Et ecce vidit quasi ipse a dæmonibus traheretur. Cumque nimia vociferatione beatam Aldegundem ac sororem ejus sanctam Waldetrudem inclamaret, ut earum meritis et orationibus adjuvaretur, repente de manibus ac potestate eorum ereptus, conticuit, et nullas voces insaniens emisit. Tunc his qui aderant, magnopere suggessit, ut ante præsentiam Christi famulæ Waldetrudis deportari posset. Quod cum impetrasset, atque in cathedra positus ante eam delatus fuisset, mox Christi famula, ut eum nimia macie et defectione afflictum vidit, misericordia mota, manus in oratione extendens super caput ejus posuit, et signo crucis edito, omnem languorem, quo detinebatur, protinus fugavit, ita ut sanitati pristinæ restitutus, statim de cathedra qua illic devectus est, surgeret et ambularet, cibumque solito more sumeret, qui jam triginta diebus (ut asserebant hi qui hunc deduxerant) nullum omnino cibum ore tetigerat.

CAPUT XXIV.

Ubi semivirum puerulum sanitati restituit.

Die autem dehinc quarta mulier quædam cum filio suo parvulo, gravi ægritudine oppresso, ad eam venit magnis precibus ab ea deposcens, ut ægrotantem filium manu sua tangere dignaretur. Christi autem famula, ut erat misericordissima, doloribus maternis compatiens, assensum præbuit, manusque super semivivum puerum humiliter posuit. Qui statim convaluit, cibum potumque de mensa ejus accepit, et materna ubera, more solito, suxit, cum jam transactis quatuor diebus nullum omnino cibum ore tetigisset.

CAPUT XXV.

De puero necdum baptizato ab ea curato.

Dehinc oblatus est ei alter puer parvulus etiam semivivus et necdum baptismatis unda perfusus. Pro quo genitrix obnixis precibus implorabat, ut ejus meritis et intercessionibus saltem ab baptismi gratiam vivens pervenire mereretur. Cui mox Christi famula, divino auxilio freta, manus imposuit, et cum signum crucis capiti illius impressisset, illico omne pueri corpusculum miro modo, contremuit, et vocem emisit, oculosque, quos ante clausos habebat, aperuit, et ex illa hora sanus effectus, et post hæc sacerdos ordinatus usque ad senectutem in vita perseveravit.

CAPUT XXVI.

Quod signa ad sepulcrum ejus hactenus fiant.

Sunt et alia multa virtutum opera ab ea mirabiliter gesta, quæ partim depereunte memoria, et crescente oblivione, narrare nequivimus, partim compendio brevitatis transcribere non voluimus, ne prolixa scilicet lectio fastidium gigneret, cum possint legentibus hæc pauca quæ diximus, et quæ quotidie ad sacratissimas illius reliquias fieri cernimus, ad testimonium vitæ ejus abunde sufficere. Quid enim opus est de vita illius multa narrare, cum nunc usque ad corpus ejus tot virtutum documenta? Cæcis quippe lumen reddere, claudis gressum restituere, ægros curare quoties ex fide petitur, ut vivens consueverat, hoc indesinenter facere etiam apud mortua sua ossa perseverat. Non est ergo mirum si in vita sua multa facere mirabiliter potuit, cujus ossa mortua in tot miraculis adhuc vivunt.

CAPUT XXVII.

De felici transitu illius.

Obiit autem beata Waldetrudis quinto Idus Aprilis, suscepta ab angelis, deducta in cœlestia habitacula. Vivit cum Christo, gaudet cum patriarchis et prophetis, exsultat cum apostolis, triumphat cum martyribus, æqua virginibus, socia confessoribus. Hanc ergo nos, quibus possumus, precibus ac laudibus prosequamur, orantes ut nostri memor esse dignetur, ut nobis ille tribuat indulgentiam peccatorum, qui huic omnium laborum suorum præmium largiter reddidit : cui est honor et gloria, laus et potestas cum Patre et Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

—

PASSIO S. AGNETIS MARTYRIS

796 Agnes sacra sui pennam Scriptoris inauret,
Linguam nectareo compluat imbre meam.
Ejus martyrium metricis depingere tento
Floribus, ut doceat passio scripta fidem.
Floruit urbs Romæ præmissæ virginis ortu
Et velut hoc speculo tota refulsit humus.
Orta puella novo respersit lumine Romam :
Inclyta stirpe, decens ore, decora fide.
Ut stellas sepelit stellans vibratio lunæ ;
Sic socias roseo virgo decore premit.
Fot dotes in eam naturæ gratia fudit,
Quod quasi mendicans post sua dona fuit.
Astra, ligustra, rosas, imitatur, reddit, adæquat,
Iguea, clara, rubens, lumine, fronte, genis ;
Præfulgent oculi velut astra, caput velut iris,
Frons quasi nix, facies ut rosa, dens ut ebur.
Præter tot specula dotum præfulgida, cunctis
Nobilior fidei gemma beavit eam.
Virgo quidem sexu, vir in actu, flava capillis,
Sensu cana, brevis corpore, magna fide.
Pro fidei titulo cum Romam purpurat ejus
Passio, post decimum tertius annus erat.
Quæ dum de studiis reditum parat, hæret in illam
Lumine præfecti filius, illa placet.
Illiciunt juvenem flos oris, lux oculorum,
Frontis lana, genæ purpura, dentis ebur,
Intuitum juvenis decor iste reverberat, intus
Vulnerat, inde sibi pabula sumit amor
Curarum murmur sub pectore serpit, amoris
Vulnere fuscata lux rationis hebet.
Succinctusque dolis, verbis, et munere carnis
Lilia virgineæ carpere tentat amans.
Hanc prece tangit amor, donis adit, arte fatigat,
Nil prece, nil donis, nil amor arte valet
Prædia promittit, formam jactat, genus effert,
Non habuere locum prædia, forma, genus.
Hic amat, hæc odit ; hic supplicat, illa repugnat ;
Ille dat, hæc spernit ; hic cupit, illa negat.
Omnis conspirat rabies in damna pudoris,
Sed manet absque nota floridus ille pudor.
Stat pudor immotus, fit amor delusus amantis,
Et juvenem alloquitur talibus illa sonis :
« O turbo pacis ! o dux necis ! o pudor orbis !
Supprime verba, moras rumpe, recede procul.
Quid das? quid speras? quid stulte seris? sine lucro
Munera sunt, sine re spes, sine melle labor.
Me ligat alter amans, quem præponunt tibi, stirpis
Nobilitas, formæ gratia, culmen opum.
Ex cujus digitis gemmas mihi vendico, cujus
Ex oculis lumen, cujus ab ore favum.
In thalamis ejus, in mensis ejus, in aulis
Ejus, plectra canunt, mel fluit, astra micant

A Ridet, olet, garrit, flos, thus avis ejus in hortis,
Ridet flos, redolet thus, citharizat avis.
Illic est de cujus specie lunæ rota, solis
Circulus, astrorum flamma, stupere solent.
Lunares radios et solis fulgur, et omnes
Cœli candelas cereus iste premit.
Omnia stellarum præclara monilia sumunt
Ex ejus speculo quidquid honoris habent.
Illic mea ditavit armillis brachia, pectus
Cristallis, collum torque, decore genas.
Cyclade membra, manum gemmis, sertis caput, aures]
Sapphiris, mensam nectare, flore torum.
Hic est qui cœlum stellis, qui gramine terram,
Aera ditavit alite; pisce fretum.
B Cujus odor, cujus tactus, cujus decor ægros,
Sanat, defunctos suscitat, astra premit.
Isti me voveo, sponsalia debeo, mentem
Subdo, servitium præbeo, servo fidem.
Qui nulla niveum denigrat labe pudorem,
Sed casto castum servat amore decus.
O casti Sponsi celebris dignatio, cujus
Oscula casta, sacer tactus, honestus amor !
Hunc sequor, hunc fateor, hunc nocte dieque frequento.]
Mente sequor, fateor ore, frequento prece. »
Finis erat verbis, juvenem torquet furor, angit
Cura, dolor cruciat, fraus agit, urit amor.
Cedit, abit, morbum simulat, totamque furoris
Illecebram, febris nomine velat amans.
C Febrim mentitur pectus, gena lumen, anhelum
Fit pectus, gena fit pallida, lumen hebes.
Consulto medico didicit pater omnia, nato
Blanditur, tentat viscera, spondet opem.
Surgit, abitque, preces instillans virginis auri,
Astipulans precibus aurea dona suis.
Dando, precando, nihil venantur præsidis artes,
Pondere dona carent, devehit aura preces.
Fœderis insigne quod primo debet amanti,
Candor virgineus se violare negat.
Qui sit amans, cujus Agnes colludat amori,
Præfectus famulum consulit, ille docet.
Indicat hic tanta delusam fraude puellam,
Ut se cum Christo fœdus inisse putet.
D Totus ad hanc vocem judex hilarescit, et Agnæ
Patribus insinuat hanc necis esse ream.
Nam quia famoso rutilabant nomine patres
Virginis, inferre vim sine lege timet.
Ut Christi servos Romanus puniat ensis,
Lex erat, hac judex palliat arte scelus.
Hanc igitur jussit furor offerri sibi, votum
Jussis arridet ; virgo vocatur ; adest.

Lenit, et increpat hanc, modo blanditur, modo terret,
Nunc pluit ille preces, nunc tonat ille minis.
797 Sed neque rore precum sinceras polluit aures,
Nec mentem tonitru concutit ille suo.
Judex expertus se littus arare, vidensque
Mentiri domino semina, prodit in hæc :
Si tuus ille pudor velit hunc servare tenorem,
Ut celebres Vestæ sacra, necesse tibi est
Illas Vesta petit quas candor floridus ornat,
Virgineas quærit virginis ara manus.
Exit in hæc virgo, « Lapidi non supplico, lignum
Non veneror, Vestam nescio, sperno deos.
Vestra equidem Vesta lapis est, quam nomine falso
Mentitur vobis aurea forma deam.
Non aliquo deitas insigni consecrat illam.
Nec aliquem sensum vita ministrat ei.
Huic desunt manuum tactus, linguæ sonus, auris
Auditus, frontis visio, naris odor.
Carne nec est palpans, nec fronte videns, nec odorans
Nare, nec auscultans aure, nec ore loquens. »
Judex inquit : « Adhuc ætas pro te puerilis
Supplicat, et pœnæ protrahit illa moram.
Sed sterili verbo quid tempora fallimus? Ecce,
Quæ jubeo duo sunt : Quodlibet illud age.
Aut sacra jussa feres, aut scortum facta, pudoris
Incurres maculam, tota sacrata reis. »
Illa viri mentem responso vulnerat isto :
« Falleris, et sterili vomere littus aras.
Candorem fidei neque carbo polluet aræ,
Nec carnis florem polluet ullus amans.
Christus utrumque sibi corpusque fidemque sacravit,
Servans a macula corpus, ab hoste fidem.
Vir meus iste quidem, custos meus, et meus auctor;
Vir mentis, custos corporis, auctor opum.
Christus enim spes est, lux est, medicina suorum est;]
Spes miseris, cæcis lux, medicina reis.
Hoc duce, me certe nec frangit pœna, nec ensis
Terret, nec vincit fraus, neque turbo quatit.
Hic est qui lucem phœbæa lampade ditat,
Ut lunæ speculo noctis honorat iter.
Qui croceo flore ridentes purpurat hortos,
Fronde nemus crispat, messe decorat agros.
Ut brevibus verbis hunc depingam tibi, novit
Omnia, disponit singula, cuncta potest.
In titulos ejus quam lata sit area, lingua
Volvere, mens scire, scribere penna nequit.
Cum meus hic Jesus tot dotum fulgeat auro,
Vestros nobilitat gratia nulla deos;
Dii vestri nec mente vigent, nec carne moventur,
Nec vita spirant, nec deitate nitent.
Gressu, non pedibus, sensu, non corpore, tactu,
Non manibus, verbis, non tamen ore carent. »
Fax hujus vocis in flammam suscitat iram
Præsidis, ad facinus compulit ira virum.
Agnem deludi, tradi lenonibus, uri
Verbere, nudari vestibus ira jubet.
Paretur : nudat manus impia veste puellam,
Intuitum fallit nuda puella tamen.

A Crini virgineo se gratia tanta refudit,
Ut totum corpus crinis obumbret honor.
Tam celebris novitas animum mollire furentis
Non potuit, nec eum causa pudica movet.
Sed nova præceptis addens calcaria, servos
Instimulat, cumulans post data jussa minas.
Ergo minas sequitur effectus, cœpit ad ædis
Impuræ caveam virgo pudica trahi.
Ejus ad ingressum tenebras et sordis odorem
Funditus emungit cella maligna foras.
Angelico Christus cellam fulgore serenat,
Luminis auctorem lumen adesse probat.
Angelus hic, ibi lux, odor est ibi, consecrat antrum
Angelus, irradiat lumen, adimplet odor.
Virgo preces fundit, non fallunt vota precantem
B Ut sacra membra tegat, palla refulget ibi.
Quæ sic mensuræ carnis respondet, ut ipse
Angelicam credas hic studuisse manum.
O felix Christi dignatio, quo duce tantas
Luxuriæ syrtes transnatat ille pudor.
Nullus eam delusit amans, sed lucis adorans
Vibrantes radios, quisque redibat ovans.
Jam juvenum torpebat amor, cum criminis auctor
Advolat huc juvenis ad sua vota celer.
Ingressusque locum, sociis disjungitur, antrum
Solus ivit, cinctus arte, furore, dolo.
Luminis ingressu vix uti cœperat, ejus
Verberat intuitum lucis mago sacræ.
Spernit amans tantum decus, et nullus honoris
C Impertit titulos tam speciale jubar.
Ignarusque moræ medii fulgoris abyssum
Impetit, et propius imperat ire manum.
Cumque sacram vellet manuum lascivia carnem
Tangere, mors illum sustulit ulta scelus.
De redita juvenis comitum spes fallitur, ille,
Non redit, hunc retinent compede fata suo.
Cur tantum reditus juvenilis torpeat, unus,
De sociis cellam consulit, antra subit.
Cumque vago cellam perlustrat lumine, funus,
Offendit, socios advocat, orat opem.
Adfuit hic omnis juvenum lascivia, clamor,
Exoritur, resonant murmura, corda strepunt.
Fama novi casu patris aurem sauciat, ille,
Territus advolat huc urbe sequente virum.
D Indulget lacrymis oculus, cor cura molestat,
Tingitur nubre gena, scinditur ungue coma.
Ora, locum, mentem, perrogat, concutit, urit,
Lacryma, lingua, dolor, fusa, sonora, gravis.
Exstinctum florem juvenilis corporis, Agnæ,
Fraudibus assignat vox lacrymosa patris.
Imputat huic facinus veluti si virgo fuisset,
In juvenis mortem sortibus usa suis.
Intulit hæc Agnes : « Erras si sortibus usam
Nostram credideris in tua damna manum.
De tanta segete juvenum, cur Angelus ultor,
Messuit hunc solum, congrua causa patet.
Perstrinxit mentes juvenum lux ista, sed hujus,
Mentem non tetigit luminis hujus honor.
Qui dum me graviter impura tangere dextra,

Nititur, excussit ultio digna nefas. »

798 Præses in hæc : « Natum mihi si cum luce resignes,
Sermoni pondus res dabit ista tuo.
Virgo sub hæc : « Opus hoc meritis non debeo vestris,
Discrepat a vestra gratia tanta fide.
Sed quia tempus adest ut Christi candida virtus
Prodeat in lumen, quod petis, illud habe.
Huic igitur cellæ se subtrahat illa juventus,
Ut magis in precibus sim studiosa meis. »
Dixit : ad hanc vocem subito foris evolat omnis
Flos juvenum, fundit virgo beata preces.
Arridet precibus votorum gratia, surgit
Mortuus, et dignos judicat igne Deos.
Huic sonat in lingua Jesus, huic Christus in ore
Est favus, in corde lumen, in aure melos.
Res nova templorum cultores incitat, urget
Mentes cura, timor concutit, ira cremat.
Omnes in solam conspirant, hanc nece dignam
Clamant, et magicis artibus esse ream.
Patris pertentant animum pro sospite noto
Gaudia, sedatur sæva doloris hiems.
Jam torpet rabies, jam detumet unda minarum,
Jam dare vult veniam, jam parat esse pius.
Parcere vult flori niveo, nisi lex, nisi vulgus,
Et nisi pontificum turbo repugnet ei.
Vincitur his pietas tantarum turbine rerum
Fracta, nec ad finem mens pia duxit opus.
Nubilis inde tamen abit hinc onerans et honorans
Aspasium, legum jure, suoque loco.
Ad populi nutum deflectens juris habenam,
Injuste tractat præsidis ille vices.
Quem dum vulgaris rabies de morte molestat
Virginis, ignibus hanc imperat ille dari.
Implendo sceleri sacrifex accingitur, ignem
Suscitat, astipulans arida ligna rogo.
Sulphuris auxilio jejunus pascitur ignis,
Fervet et exundat flamma cruenta nimis.
O scelus! illa caro quæ nullum noverat ignem
Illecebræ, mediis ignibus esca datur.
Nil tamen egit in hanc præsens combustio, vires
A Est oblita suas nescia flamma sui.
Non est ausa suis in virgine viribus uti,
Sed quasi compatitur et miseretur ei.
Porro viros quosdam qui flammas sulphure pascunt
Ignens involvit in sua jura globus.
Quæ stupeo duo sunt; nequam dux, et pius ignis,
Arbiter injustus, justaque flamma fuit.
Ignescit sacrifex in pœnam virginis, ignis
Frigidus est et iners, nilque caloris habens.
In flammæ medio, nimbo respersa superni
Nectaris, his Agnes vocibus usa fuit :
« Ipse tibi laudum refero præconia, vota
Persolvo, grates offero, fundo preces.
Cujus dulcedo, cujus dilectio, cujus
Gratia munit, amat, tutat ab hoste suos.
B Te duce tortoris contempsi lora, Carybdim
Luxuriæ, flammæ vim, juvenumque minas.
Inter tot Syrtes mihi factus es anchora, nullum,
Te duce, naufragium pertulit iste pudor.
Pro te, Christe, tuli tot amara, sed adde labori,
Digne respondens præmia justa meo.
Jam teneo quod speravi, video quod amavi,
Tango quod optavi, læta, quod emi, habeo.
Oris virginei vox ad Christum volat, ejus
Nares respergens thuris odore sui.
Post ejus mortem sic tota molestia flammæ
Torpuit, ut nunquam viveret ignis odor.
Ignis non ausus igitur spirare, furorem,
Deponit, perdit vim, reprimitque minas.
C Turbam conturbat nova signi gratia, signum
Vidit et invidit plebs, fremitumque dedit.
In scelus Aspasium plebs urget, ut ergo cruorem
Innocuum gladius ebibat, ille jubet.
Maturat facinus tortoris dextera, pœnam
Esuriens armat cuspis acuta manum.
Virgo cruore suo lictoris inebriat ensem,
Sanguinis effusi purpura pingit humum.
Agnetis meritum triplex insigne venustat :
Munda caro, rosea passio, certa fides.
Agnum qui mundi peccatum sustulit, istis
Virtutum titulis vindicat Agna sibi.

CARMINA VARIA.

I.

Versus de aestructione Romæ.

(Sunt Hildeberti Cenomanensis. Vide Patrologiæ t. CLXXI.)

II.

799 *Responsio urbis Romæ.*

(Vide ubi supra.)

III.

Versus de sponso adversus sponsam suam.

(Vide item in Hildeberto.)

IV.

800 *Responsio sponsæ.*

(Exstat ubi supra.)

V.

Responsio judicis.

(Vide ibid.)

VI.

D *De laudibus Samsonis.*

Tange manus calamum, Samsonis pinge triumphum,
De cujus titulis Gallica vernat humus.
Fasciculos tibi fac aliquos de floribus istis,
Ex his connecti sarcina magna potest.
Cereus Ecclesiæ, virtutum regia, juris
Linea, discordum fibula, Samson ave
Declaras opere, quod splendes nomine fortem
Vivere Samsonem sæcula nostra stupent.
Cujus honos, cujus laus, cujus fama sereno,
Terras infundunt lumine : vive precor.

VII.

801 *Epitaphium Urbani papæ.*

Hic vivens lux Urbis erat, nox morte peremptus.
Urbs stetit Urbano stante, cadente cadit.

Lege regens et pace fovens te, Roma, beavit,
Servans a vitiis intus, ab hoste foris.
Non flexit, non extulit, hunc non terruit unquam.
Dives, fama, potens, munere, laude, minis.
Eloquium linguam, sapientia pectus, honestas
Mores ornabant, exteriora decor.
Ecce per hunc Urbs sancta patet, lex nostra triumphat,
Gentes sunt victæ, crescit in orbe fides.
Sed citius rapitur rosa quæ plus vernat in horto,
Sic et florentem fata tulere virum.
Mors hominem, requies animum, cisterna cadaver,
Solvit dura, fovet grata, profunda tegit.

VIII.

Epitaphium Ivonis Carnotensis episcopi.

Reddidit affectus patrem, doctrina magistrum,
Regula canonicum; pontificemque gradus.
Formosum probitas, humilem natura, verendum
Vita serena, senem longa, pudica sacrum.
Præsule defuncto sua tollere mos erat olim,
Principis, hunc morem principis emit Ivo.
Hujus opem læsus, plebs dogmata, frena tyrannus,
Sensit, egenus opes, pro grege vota Deus.

IX.

Epitaphium Senonensis episcopi.

(Est Hildeberti. Vide Patrologiæ t. CLXXI.)

X.

Epitaphium Anselmi Cantuariensis episcopi.

(Vide ibid.)

XI.

Epitaphium Senecæ.

Cura, labor, meritum, sumpti pro munere honores,
Ite, alias post hanc sollicitate animas.
Me procul a vobis Deus evocat, licet actis
Rebus terrenis hospita terra vale.
Corpus avara tamen solemnibus accipe saxis,
Namque animam cœlo reddimus, ossa tibi.

XII.

Epitaphium magistri Guillelmi.

Gallia suspirat radio privata sereno,
Clarius irradians sidera sidus habet.
Nox abit in questum, sequiturque dies sine sole.
Fit sine Guillelmo, fit sine sole dies.
Flevit Apollonium sua Græcia, Roma Maronem,
Gallia Guillelmum luget utrique patrem.
Ejus præclaret natu Normantia, victu
Gallia, Parisius corpore, mente polus.

XIII.

Epitaphium magistri Petri.

Lucifer occubuit, stellæ radiate minores,
Cujus vos radius hebetabat ut inferiores.
Illius occasu tandem venistis ad ortum,
Naufragioque tulit vestrum ratis anchora portum.
Maturus, docilis, pius, egit, prætulit, emit,
Cursum, jus, cœlum, tempore, lege, fide.

XIV.

802 *Epitaphium magistri Lamfraci.*

Vixisti, venerande Pater, sapienter et æque,
Vixisti vivens, mors quoque vita tibi.

A Inter divitias pauper, Lamfrance, fuisti,
Divitiis manans, pauperum amator eras.
Per te florentes artes valuere Latinæ,
Gratia de vobis ecce triumphat ovans.
Tu latios ortu, gallosque docendo levasti,
Te sibi primatem cardo Britannus habet.
In terra degens cœlestia mente petebas;
Exemptus terra sidera liber adis.
Sol Geminos denis obsederat igne diebus,
Prompsit luna dies, nocte solutus abis.

XV.

Epitaphium regum Jerusalem.

(Vide in Hildeberto, ubi supra.)

XVI.

Epitaphium Henrici regis.

B Anglia nunc humilis, terrarum gloria quondam,
Fluctuat, et merso remige mersa jacet.
Quæ laudum titulis toto radiabat in orbe,
Eclypsim patitur sole relicta suo.
Quo pereunte perit, quo sospite sospes agebat
Otia, quo stabat stante, cadente cadit.
Legibus ille dolos, armis compescuit hostes,
Placatis placidus, indomitosque domans.
Felix imperio satis est feliciter usus,
Pacis amans, clarus munere, marte potens.
Illius interitu decus interit, intereuntque
Otia, pax, legum sanctio, jura, fides.
Jam freta navigio, fora mercibus, arva colonis
Plebs patrocinio, clerus honore caret.
C Jam reparat judex perjuria, bella tyrannus,
Fur sicam, prædo tela, celixque ratem.
Ergo viri tanti casum gemit Anglia, cujus
Præcipiti casu præcipitata cadit.

XVII.

Epitaphium decani Aurelianensis.

Corruit Ecclesiæ sponsus, defensor honesti,
Mente Cato, lingua Tullius, arte Numa.
Pax moritur moriente viro, discordia vivit,
Regnat nequities, optima quæque ruunt.
Mors furit, arma sonant, rerum convertitur ordo,
Quodque prius fuerat, fit modo posterius.
Servit libertas, cessat dare, sordet honestum,
Torpent virtutes, vis perit, ordo jacet.
Fraus superat, viget ambitio, dominatur Erynnis,
D Fit fremitus, crescunt scandala, bella fremunt.
Magnanimos jactare pares et gesta tuorum,
Et numerare tuas desine Roma tribus.
Subdiderat Fabios animis, gravitate Camillum,
Aulum consiliis, unicus ille sibi.
Hic dum jura colit, libertatemque tuetur,
Transigit innocuum dextra cruenta latus.
O Mala mens, scelerata manus, consensio prava,
Ictus atrox, audax impetus, horrida mens.
Mors patriæ, mors illa fuit quæ sustulit illum,
In cujus casu patria tota cadit.

XVIII.

Epitaphium abbatis Claræ-Vallis.

(Vide in Hildeberto ubi supra.)

XIX.

Comparatio ac Incarnatione Domini.

Sol crystallus, aquæ, dant qualemcunque figuram
Virginei partus, erudiuntque fidem.
Si tingatur aquis et soli subjiciatur,
Scintillas profert integer ille lapis.
Flamine sic abluta sacro, subjectaque soli,
Justitiæ peperit integra virgo Deum.

XX.

Versus de muneribus magorum.

Dat magus aurum, thus, myrrham. Rex suscipit aurum,
Thura Deus, myrrham qui moriturus erat.
Thus orando damus, aurum sapiendo superna,
Myrrham cum carnis mortificatur opus.

XXI.

803 *Ejusdem argumenti.*

(Vide in Hildeberto, Patrologiæ t. CLXXI.)

XXII.

De triplici domo justorum.

(Vide ibid.)

XXIII.

De triplici domo hominum.

Trina domus nobis, lar, tumba polusque paratur.
Ligna larem, ligo sarcophagum, devotio cœlum
Præparat, occasus comes in lare; vermis in urna,
Angelus in cœlo, Lar pœnæ, tumba sopori.
Cœlum lætitiæ, diversa sorte dicantur,
Culpa priora duo, dat gratia sola supernum.

XXIV.

Versus de rota Fortunæ.

(Est Hildeberti. Vide ibid.)

XXV.

Quod parum valent artes sine pecunia.

(Vide ibid.)

XXVI.

804 *Versus de mala femina.*

(Vide ibid.)

XXVII.

De divite cupiente et paupere avaro.

Quis dives? Qui nil cupit. Et quis pauper? Avarus.
Quid sapientis opus? Non velle et posse nocere.
Quid stulti proprium? Non posse et velle nocere.
Quæ dos matronæ pulcherrima? Vita pudica.

XXVIII.

De ore, visu et mente.

Tres sibi convivas quærit, tria fercula præsens
Mensa parat, sola nomine, trina datis.
Os, visum, mentem, pascit, juvat, instruit escis,
Pictis exemplis, singula quemque docent.
Os sibi vult escas, lactatur imagine rerum
Visus, in exemplis fercula mentis habe.
Ægris prima, secunda pigris, sed tertia doctis
Mensa placet, vires, otia, dogma parans.

XXIX.

Logogryphi et ænigmata.

Me variando nimis commendat syllaba trina,
Primam deme mihi, pro conjuge pugno Latina.

A Si media careas, non indigeo medicina,
Si rapias finem, non est in ventre ruina.

Quam resecare solet ex arbore sæva securis,
Syllaba bina manet, ex quinque notata figuris.

Vir fiet, si tu finem de nomine pellis,
A mutetur in O, vix est in mille puellis.

Montes excelsi : tollatur montibus L. Si
Vivunt, mellificant, qui possunt dicere, dicant.

Corda puellarum lascivis urgeo morbis,
Verte retro nomen, totus mihi serviet orbis.

Debeo tormenta peccantibus ad mala pronis,
B rapta careas; dicar res apta colonis.

Cuidam præbet avi fuscum natura colorem;
Illi subtrahe cor, albedine vincet olorem.

Ars fundum murum pariter tectum mihi jungit,
B Do mutetur in ha, piscem cuspis mea pungit.

Vita mihi ridet, juvenili gaudeo flore,
E cadat in nihilum, nimium fervesco calore.

Dat mihi rima viam, diversa curro caverna,
Littera prima cadat, tenebras expello lucerna.

Dum volo, littera fit, volitans sum proxima Phœbo,
Si caput abscindas, tibi rustica turba placebo.

Non sine gramma tamen scriptorum servio pennis,
Verbo Romano nomen mihi pene bipennis

Sum scintilla mali, quæ bellis incito corda,
L mihi jungatur, jam dulci persono corda.

B vice R posita, si littera D rapiatur,
Piscis ero, per quem vivens homo sæpe voratur.

Reges exornat ex piscis tincta cruore,
L mutetur in R natat in pede, garrit in ore.

C Displiceo paci, lethales quæro ruinas,
S vertatur in E nautarum mergo carinas.

805 In silvis orior, depellor in æquora flatu.
N. mihi deme, meo sulcabitur aura volatu

Ad me promendum mater gallina laborat,
Um mutetur in Is, me candida lana decorat.

Sum cortex grani quem defert undique ventus,
P careas, de me ludet lasciva juventus.

Me pede bis bino summus jubet ire Creator,
Syllaba bina cadat sine me fit nemo viator.

In speciem pasco visum, nares in odorem,
A. de me tuleris facies de flore liquorem.

Stercora semper amo nequeo spectare seorsum,
Persto quod ante fui quamvis sim versa retrorsum.
D

Sex rostis et ter septem circumdor ocellis,
M vice T posita, pellor feriorque procellis.

Vinum potanti nascens de vite ministro,
V formetur in E, sum nomine plena siniistro.

Sum fluvius Troiæ regio me Troica potat,
X pellatur ab S, me Christus in æthere dotat.

In quemdam me Pythagoras divisit hiatum,
Ara me duplicem ritus parat iste meatum.

Amplector corpus vestes astringo fluentes,
Zo vertatur in M, succendo cupidine mentes.

Teste sono duplex sum simplex teste figura,
Primam conjugo partem cum parte futura.

De lignis texor, me fur aperire laborat,
M conjunge mihi, me dives avarus adorat.

Terne terna sonat in eadem littera parte,
Tertia sextæ, quinta secundæ, primaque quartæ.

In lauro residens bis sex volitare columbas,
Aspiciens dedit hunc forte columba sonum.

Si numerus duplici bis cresceret ordine vester,
Essetis centum me volitante simul.

Ut te non lateat volitantis summa cohortis,
Ex triginta tribus constitit illa cohors.

Bis sex convivis bis senos divide panes,
Cleris, agricolis militibusque simul

A Liba duo clerum, libi pars quarta colonum,
Dimidius panis militis ora cibet.

Ut tot sint homines quam panes, sint tibi quinque
Cleri, ruricoliter, duo, solus æques.

Ædificat centum graduum collectio scalam,
In primo residet sola columba gradu.

Post binæ volucres, tres postea, quatnor inde:
Centenos numerus ordinat iste gradus.

Consului summam cum quinquaginta columbis,
Quinque columbarum millia summa tenet.

INDEX RERUM ANALYTICUS.

A

Aaron typus episcoporum, 386. Idem est qui idolum fabricavit, 680. Aaron usus est femualibus lineis, 421.
Abias rex reprobatus, 367.
Abigail in flectendo David prudentia 301.
Abrahæ ac Saræ castitas, 318.
Absalon fuit figura generis humani, 325. Absalon commisit incestum, 616.
Acham filii Carmi punitio, 532.
Activa vita, 522.
Adam scienter ac voluntarie peccavit, 373. Idem se excusavit de peccato commisso, 670. Quomodo scierit bonum et malum, 490. Adam sibi et nobis vere nocuit, 254. Adam pœnitentiam egit et salvatus est, 358 *et seqq.*, 498. Adam eo modo fuerit seductus, 346, 352.
Adolescentia libidinibus obnoxiat, 469.
Adolescentularum qualia sint ingenia, 119.
Adoratio qua B. Joannes adorare voluit Angelum, 193.
Adulatio perniciosum est et damnosum venenum, 536, 537, 598.
Ægyptios recte spoliarunt Israelitæ, 531, 532.
Ætatum singularum generis humani consideratio, 340, 490. Ætates hominis sunt sex, 490.
Ager regalium sepulcrorum quis fuerit, 377.
Aldegondi virgini velamen impositum, 719. Aldegondis præest Malbodiensi monasterio, 790.
Aldetrudis et Maldebertha filiæ S. Waldetrudis, 772.
Alnensis monasterii constructio, 776.
Aloes virtus ac proprietas, 229.
Amandi vita, 709.
Amantium in loquendo eclipses, 191.
Amare Deum omnes curemus, 259.
Amasias rex malus, 367.
Amatorum lascivientium astutiæ, 566.
Amazones feminalia habuerunt, 423.
Ambitione nil agendum sed electione, 390.
Amicitia utilitati præferenda, 550.
Amico benefaciendum. 624.
Amor quorumdam non ordinatus, 166. Amoris divini virtus, 168. Amor naturalis non est prohibitus, 256.
Anachoretæ monachi, 459. Anachoretæ meliores cœnobitis, 460.
Anaglypha quid sint, 297.
Ananiæ et Saphiræ mors quare, 184, 190.
Angelorum bonorum scientia qualis, 413. Angelis cadentibus homines succedent, 165, 185. Angeli simul totum sciunt, 173. Angeli dati custodes hominibus, 189. Angeli mysteria gratiæ non sciunt vi suæ naturæ sed solius gratiæ, 238. Angelorum locutio, 543. Angelus cur Tobiæ ductor, curque dixerit se esse Ananiam Azariæ magni filium, 300. Angelorum non omnium casus, 251, 655.
Angustiæ significantur per tenebras, 674.
Anima mulieri comparatur, 672. Anima appellatur cœlum, 690. Anima loquax assimilatur avi discolori, 557. Animæ sanctorum vident Deum, 137.
Antichristi facinora, 477.
Apis signum virginitatis et fecunditatis, 719.
Apogryphum quid importet, 745.
Apostata quis dicendus, 479.
Apostoli dicuntur adolescentulæ, 188. Apostoli custodes murorum Hierusalem, 559. Apostolorum constantia, 562. Apostoli usi sunt soleis, 552. Apostolorum gaudium in tribulationibus, 668. Apostolorum potestas, 440, 534. Apostoli idiotæ assumpti, 403. Apostoli de ignorantia scripturarum reprehensi, 464. Apostolis nihil habentibus nil deerat, 418. Apostoli vixere cœlibes, 429, 430. Apostolis convenientia præcepta, 429. Apostolorum fuga in adversis, 630.
Aquila duas Scripturarum sacrarum translationes fecit, 378.
Arca fuit figura corporis Christi, 386
Artium liberalium laus, 411.
Athenarum laus ex philosophia, 587.
Atlas fuit astrologus magnus, 586.
Augustinus quadraginta annis exercitatus in sacris libris, 371. Doctor egregius, 372. Augustini vita tota ac mores ejus, 691 *et seq.*
Augusti Cæsaris in Cinnam clementia, 614.

B

Baculus pastoralis quid significet, 61.
Babylon typus inferni, 634.
Balnea vitanda monacho, 455.
Baltildis uxoris Clodovæi regis liberalitas, 789.
Baptismus Joannis diversus a baptismo Christi, 440.
Baptizandorum unctio, 153. Baptizans cur in fontem insufflet, 578.
Barisiacum donatum B. Amando. 727.
Bavo (S.) in monasterio vivit, 717.
Beatitudo nulli tribuitur in hac vita, 177, 260. Beatitudo datur solis bene viventibus, 302.
Beatorum mortes diversæ, 72.
Benedictus (S.) non legitur fuisse presbyter, 449.
Benefaciendum ingratis, 611.
Bernardus (S.) charus summo pontifici, 44.
Blandinii monasterii constructio, 717.
Bona Spes gaudet patrocinio B. Mariæ, 132. Bona spiritualia communicata non minuuntur, 400. Boni malis sunt ad salutem utiles, 200. Bonorum memineris in consolationem malorum, 142.

C

Cadmus litterarum deportator, 586.
Calix significat passionem, 79.
Campanarum usus, 582.
Canis lingua, verba Sapientis, 558.
Cantica canticorum multi exposuerunt, 101. Cantica canticorum habent Spiritum sanctum pro auctore primario, 288. Pro secundario autem Salomonem, 104, 187, 564.
Capreæ instinctus naturalis, 171.
Captivus Israel, 630.
Caro Christi quotidie immolatur in altari, 302, 307.
Carne et sanguine Christi saturamur, 308.
Carnales affectus virtuti contrarii, 660.
Cedar quis fuerit, 327.
Ceræ usus non fuit in tabernaculo vetere, 572.
Cervorum connatantium mirus instinctus, 171.
Charitatis vis ac efficacia, 280.
Charitas præcellentior fide et spe, 149. Charitas est virtutum claritas, 65. Charitate omnia fiunt communia, 83 Charitas est radix omnis meriti, 314. Charitas dicitur calculus ignitus, 595. Charitas est finis præcepti, 544. Charitas obedientiæ juncta, 486.
Christianus quis censendus sit, 476.
Christus vox est Dei et hominis, 117. Christus ut con

ceptus ex Spiritu sancto, 21. Christus quomodo passiones nostras assumpsit, 21, 22, 23, etc. 254. Christus conceptus ex vero semine B. Virginis, 28. Christus sine peccato originali. 165. Et quidem solus sine peccato originali, 167. Christus in quo minor angelis, 165. Christus dicitur maledictus, 351. Christus non est meritus unionem hypostaticam, 362. Christus incarnatus in sexta mundi ætate, 688. Christus feria sexta mortuus, 688. Christus qua ratione appellatur lapis, 689. Christus appellatur Agnus, 601. Christus dictus est rex, 504. Christus et Maria virgines, 428.

Cisterciensis ordo evigilat, 466, 483.

Civitas Judæ est anima, 563.

Clarævallensis monasterii laus, 483.

Clementia Dei perseverat mundus, 297. Clementia Augusti Cæsaris, 614.

Clericalis ordinis prærogativæ, 464. Clericalis professio deseritur ob causas duas, 479, 480.

Clericus quis, 475. Clerici cur dicti sint sæculares, 485. Clericorum auctoritas, 86. Clericorum ordo ante ordinem monachorum, 386, 458. Clerici a levitis figurati, 387. Clerici debent esse sancti, 387. Clerici patres monachorum, 439. Clerici cum monacho disputatio, 466. Clerico licet ad monachatum transire, 481. Clerici sunt ecclesiæ domestici, 401. Clerico ignorantia culpabilis, 405, 406. Clerici claustrales abstineant ab exterioribus negotiis, 406. Clericis quædam præcepta propria, 413. Clerici cæteris perfectiores, 414. Clericorum justitia in quo, 415. Clericorum status periculosior statu monachorum. 458, 467.

Cœnobitæ monachi, 439.

Columbæ virtutes ac proprietates, 262.

Concupiscentia superatur, sed non mortificatur, 14

Confessione justificatus David, 521.

Conjugium quibusdam penitus interdicit ecclesia, 301.

Consilium Dei immutabile, 200. Consilia pro tractatione rerum variarum varia, 712.

Consuetudo altera natura, 665.

Contemplantium mentes quales esse debeant, 256.

Continens debet esse minister altaris, 428.

Cor lapideum et carneum quibus conveniat, 676.

Corripiendi superiores cum reverentia debita, 111. Corripiendus proximus, 686.

Creata simul omnia quomodo, 4, etc.

Creatura intellectualis cur dicatur cœlum, 2. Creatura rationalis dicitur sapientia, 3. Creatura omnis homini utilis, 845, 688. Creatura omnis debet Deo obedientiam, 486.

Curiosus circa aliena solet esse negligens circa sua, 332.

D

Dæmones non cognoscunt gratiam ac mysterium adventus Domini, 174. Dæmonum scientia qualis, 417.

Dagobertus successit Lothario in regno Galliarum, 717. Dagobertus uxorem suam abjicit pellice assumpta, 720. Dagoberti liberalitas erga S. Ghiflenum, 732. Dagobertus reprehenditur a S. Amando, 720. Dagobertus S. Amandum a regno ejectum revocat, et filios suos ab ipso baptizari curat, 720, 721.

Damnationis vox varie sumitur in Scriptura, 530.

Damonis et Pythiæ amicitia, 595.

David graviter peccavit, 321. David justificatus est, 321 David persecutionem passus a subditis sibi, 616. David figura Christi fuit, 324. David in justitia fuit tandem consummatus, 367.

Debitoribus dimittendum, 616.

Decalogi indispensabilitas, 535.

Denarii numeri perfectio, 569.

Desideria bona nonnunquam differuntur, 140.

Desperantis mulieris miræ actiones, 740.

Detractio familiare vitium etiam religiosis, 744.

Deus consilium non mutat, 200. Deus non videtur a mortalibus, 260. Deus omnia cognoscit, 284, 607. A Deo et per Deum operamur, 280. Deus quo sensu nemini parcat, 630. Dei taciturnitas ac dissimulatio, 505. Deus verbis materialibus usus, 546.

Diaboli invidia et fraus, 138. Diaboli invidia mors venit in mundum, 256.

Diaconi officium, 469.

Dignitas quæ cui utilis, cui inutilis, 59, 89. Dignitas quibusdam est causa ruinæ, 398.

Diligentes Deum nominantur adolescentulæ, 119. Diligendus Deus super omnia, 520. Diligit nos Deus antequam eum diligamus, 195.

Dina figura animæ, 542.

Disciplinæ rigor significatur gladio, 686.

Discretio ad omnia est necessaria, 243.

Dispensare licet ex causa, 535.

Docere alios quibus conveniat, 402.

Dotto comes, est judex Tornacensis a rege Gallia um constitutus, 718.

E

Eboris virtus, 303. Eboris frigiditas, 299.

Ecclesia dicitur cœlum, 690. Ecclesia vetat quosdam matrimonio jungi, 301. Ecclesiæ altitudo et latitudo, 301. Extra ecclesiam positus nemo salvatur, 293. Ecclesia continet quosdam peccatores, 337. Ecclesia est una, 689. Ecclesia appellatur paradisus, 568. Ecclesiæ primitivæ perfectio, 442. Ecclesiæ adversatur dæmon, 445. Ecclesiæ unio quando dissoluta, 445. Ecclesia Christi, merito virgo nominatur, 428. Ecclesiastæ libri scopus, 564.

Ælgius aliquando aulicus Lotharii regis, 714.

Efficiens ponitur in Scriptura aliquando pro ipso effectu, 253.

Eglon oppressor Israelis, 684.

Electione omnia agenda sunt, 590 *et seqq.*

Electorum suspiria ad cœlestia, 690.

Elephantis frigiditas mira, 301.

Eliphaz superbia, 662.

Elizabeth prophetissa, 949.

Elizabethæ sanctæ trimestri servivit S. Virgo, 150.

Episcopi dignitas supra simplicem sacerdotem et abbatem, 59. Episcopum reddit conspicuum ipsa sanctitas vitæ, 59. Episcopi in Aaron repræsentati, 586.

Equitare licet etiam monachis, 472.

Esdras Scripturarum sacrarum reparator, 388. Inventor litterarum Hebraicarum, 385.

Essentiam Dei nemo mortalis videt, 177.

Eucharistiæ confectio, 469.

Eucratitæ aiunt primum hominem esse damnatum, 590.

Eugenia facta instar monachi, ac tandem abbas effecta, 449.

Eva innocens quomodo concupisset et peperisset, 11.

Exsultare et lætari differunt, 123.

Ezechiæ lacrymæ, 642.

F

Faciei decoræ ac venustæ laus, 186.

Fama pudoris lubrica, 437.

Faro (B.) Meldensis episcopus, 715.

Feminalia linea Aaroni imposita, 421. An feminalibus usi sint Israelitæ, 421 *et seqq.* Feminalia gestant Benedictini foras missi, 421. Feminalibus non usi Scoti tempore auctoris, 421.

Femur dextrum et sinistrum quid sit, 686.

Ficus natura, 182.

Fides Centurionis, 495. Fides bona ac utilis etiam peccatori, 364. Fides dicitur esse domus, 205. Sine fide nemo justus esse potest, 165. Fides et spes sine charitate non prosunt, 295.

Filius Dei et non Pater nec Spiritus sanctus redemit mundum, 559.

Finis bonæ vitæ, melior quam initium, 366.

Fortitudo nocet sine prudentia, 506. Fortitudo comparatur juveni, 500.

Fortunæ vox auribus Christianis ingrata, 15.

G

Gandenses aliquando idololatræ, 717.

Gandenses ædificant monasterium S. Petri, 717.

Gastrimargiæ incommoda, 456.

Gelbie montis maledictio cujus rei figura, 598,

Gertrudis Niveallensis monasterii mater, 725.

Gladius rigorosæ disciplinæ symbolum, 686.

Gloriatio bonorum et de bonis non mala, 142.

Græci sine uxoribus non ordinantur, 435

Gratia quædam præcedens, 3, 116, 120. Gratiæ tractus suavitas adumbratur, 121. Gratia dat efficaciam operandi bonum, 122, 158. Gratia facit dona Dei appellari et esse hominum, 182, 191. Gratia est meriti radix, 197. Gratia Christi est manus efficax Sponsi, 242. Gratiæ omne bonum ascribendum, 524. Gratia cur sic appellata, 510. Gratia appellatur sibilus, 577.

Gratitudinis exempla enarrantur, 597.

H

Hastile virgæ pastoralis quid significet, 62.

Henoch primus omnium scriptor, 585.

Hieronymus (B.) fidelis translator, 377.

Hilarius (B.) est auctor librorum de Trinitate, 25.

Hirundinis ædificantis solertia, 489.

Holocausti offerendi ritus, 426. Holocaustum quid significaverit, 426. Holocaustum unicum sacrificium sacerdotum, 426.

Homicidium quibus casibus licitum, 533.

Homo vetus et novus, 670. Hominis creatio quo die

fecta, 6, 7. Homines tot sa vano quot angeli ceciderunt, 163. Homo cur fuerit creatus, 492.
Hornutum a Dagoberto donatum S. Ghisleno, 732.
Hugo abbas Elnonensis, 738.
Humilitas custos virtutum fidelis, 229. Humilitas quædam mala, 619. Humilitas promovet ingenium, 549. Humilitas utilis ei qui vult aliis esse utilis, 686. Humilitas dignitati jungenda, 397.

I

Ignorantia quædam inexcusabilis, 402.
Imperfectio non est in operibus Dei, 8.
Impii perversitas, 550.
Imprudentia noxia, 507.
Incarnatus solus Filius Dei, 253.
Incarnationem Filii, Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt operati, 253.
Incestuosorum apud barbaros punitio, 616.
Ingratis benefaciendum, 611.
Ingratitudo punitur, 615.
Insulæ descriptio, 602.
Intelligentia rerum a Deo est, 10, 11.
Intelligere oportet Dei voluntatem eamque facere, 238.
Intentio est operum caput, 270.
Invidia diaboli mors venit in mundum, 236.
Invidiæ malum, 503.
Invidorum mores, 133.
Ira Dei quandoque salutaris, estque misericors, 680.
Isaias cur ambulavit nudus, 422.
Isis litterarum in Ægypto inventrix, 585. Isidis simulacrum, 585.
Itta Pipini uxor velamen suscipit, 724.

J

Jericho muri corruunt, 581.
Jesus filius Sirac auctor libri Ecclesiastici, 581.
Joannes Baptista non baptizavit baptismo Christi, 441. Joannes Baptista dicitur arundo, 341, 539. Joanne Baptista nullus major, 441. Joannes Evangelista descendit in tumulum instar dormientis, 68. Joannes Evangelista relicta sindone nudus fugit, 68, 70. Joannes Evangelista recubuit supra pectus Domini, 465.
Jonas cur Niniven ire detrectarit, 636.
Joseph objurgat suos fratres, 608.
Jovinianus monachus pessimus, 434.
Jubilæum apud Hebræos, 582.
Judæi verba Christi pervertunt, 443. Judæi nobis utiles, 275.
Judas Machabæus qualem habuerit militem, 499.
Judas Iscariotes avarus, 188. Judas Iscarioth aliquando amavit Jesum, 374.
Judicia Dei mirabilia, 365, 366.
Judicum Israel numerus, 688.
Judith virtus ac fortitudo, 679.
Jugum unde dictum, 497.
Justitia scientiæ conjungenda, 409.
Justus aliquando cadit a justitia in injustitiam, 374. Justorum persecutiones, 609. Justi sunt sæculi contemptores, 542. Justus remunerator est Deus, 194.

L

Labor quando utilis clericis, 408.
Lacrymæ Ezechiæ regis, 642.
Laicorum vita per lac designata, 452.
Latinæ linguæ laus, 85.
Laubiensis monasterii fundatio, 776.
Lazari solutio, 440.
Lector sit prudens, 23.
Legi justæ obediendum, 486. Lex Moysi fuit dura, 113. Lex vetus intelligitur per novam, 182. Legis veteris et novæ discrimen, 413.
Levi decimatio quid significaverit, 12.
Levitæ figuraverunt clericos, 587.
Liber de libro vitæ deleri quid sit, 200.
Liberum est arbitrium, 3. Liberum arbitrium est in dæmonibus, 345.
Lilii figura, 160. Lilium quid significet, 160.
Linguarum gratia apostolis data, 554.
Litterarum salvatio per columnam, 584. Littera Pythagoræ, 587. Litteræ cur dictæ liberales, 84. Litteræ unde dicantur, 582. Litteræ ponuntur aliquando pro verbis, 582.
Liviæ Augustæ sanum consilium, 613.
Locutio fit verbis vel signis, 345. Locutionis circumstantiæ, 539.
Lotharius Galliarum rex, 714.
Lumborum nomine vitæ præsentis afflictio intelligitur, 125.
Lux prosperitatem significat, 674.
Luxuriæ obnoxii juvenes, 433.

M

Maceriæ descriptio, 185.
Macula peccati quid, 218.
Magorum adoratio, 561.
Maldeberta filia S. Waldetrudis, 732.
Malitia hominum Deus bene utitur, 567.
Mammarum et uberum discrimen, 224.
Mandatorum tria genera, 531.
Mandragoræ species, 275.
Maria quomodo Christi Dei mater, 21, 22, 23, 123. Maria virgo fuit martyr, 69. Maria vovit virginitatem prima, 107, 147. Apostolus docuit mysterium Verbi incarnati, 120, 128. Mariæ caro penitus ab onere peccati levigata, 121, 203. Maria mulierum pulcherrima, 139. Virgo permansit, 304. Multos retro annos a morte Christi vixit, 151. Maria solo Christo inferior, 177, 263. Maria mortalis non vidit divinam essentiam, 195, 260. Maria quibus benevolentiam exhibeat, 216. Maria nullam percepit voluptatem carnis in Christi conceptione, 234. Maria fuit sine peccato, 245. B. Mariæ corpus est in cœlis, 285. Maria per gratiam est electa Dei mater, 262. Mariæ laudes quantæ, 263.
Marina effecta monachus, 449.
Materiæ informis nomina varia, et quare, 5.
Maurontus (B.) tonsuratur a B. Amando, 719.
Mel in sacrificio, 573.
Menstruata immunda secundum legem, 488.
Meretricis fraus, 505, 506.
Merita prima dantur gratis, 251.
Militis in captivam virginem charitas, 594. Milites quo animo ad bella procedant, 500.
Miraculorum faciendorum tempus a Deo notum et ordinatum, 737.
Misericordia quædam quid sit, 113. Misericordia erga seipsum præcipua, 428.
Monachatus non est clericatu perfectior, 431.
Monachorum fons et origo, 444. Monachi cur sic appellati, 445. Monachi fugiant dignitates, 446. Monachorum habitus incultus, 446. Monachorum multiplicatio, 446. Monachi pauci olim ad sacerdotium promoti, et cur, 447, 448. Monachus baptizet in necessitate, 458. Monachorum tria genera in Ægypto, 459. Monachus cur dicatur clericus, 471. Monachus suo officio male functus, 475.
Monilia unde dicta, 268.
Monogamia necessaria ei qui vult ordinari, 434.
Mors invidia diaboli intravit in mundum, 236.
Mortales sumus omnes, 639.
Mortes sunt variæ, 70.
Moyses in Æthiopiam profectus belli gratia, 422.
Mundi pueritia, 493.
Murænula quid sit, etc., 148, 149.
Myrrhæ vis et amaritudo, 152, 203, 229.

N

Nabuchodonosor jubet erigi statuam, 548.
Nardus quid, 150, 228.
Naturæ inconfusæ in Christo, 256.
Nemrod tyrannus, 555.
Neomenia quid, 682.
Nicostrata decem et septem litteras Latinis tradidit, 588.
Ninivitarum salutaris conversio, 637.
Noe solus cum suis liberatus a diluvio, 493. Noe primus vineæ plantator, 493.
Numeri octonarii mysterium, 261. Numeri senarii descriptio, 688. Numeri septenarii perfectio, 581. Numeri sexagenarii perfectio, 261.
Nuptiis cur interfuerit Christus, 430.

O

De littera O dicuntur multa, 288.
Obediendum legibus justis, 486. Obediens sit fortis et prudens, 504. Obedire parentibus non semper bonum, 78. Obedientia Abrahæ, 487. Obedientiam exhorrescit dæmon, 499. Obedientia respectu durorum, 499. Obedientia quorumdam est nodosa et scrupulosa, 139. Obedientia perfectorum quæ, 558. Obedientia charitati adjungatur, 486. Obedientia Deo præstanda qualis, 486. Obedientiæ præmium, 487.
Obitus sanctorum est natalis eorum, 289.
Obstetrices Ægypti benedictæ, 543.
Oculi esuriem suam habent et nutrimentum, 192.
Olei natura, 305. Olei proprietates, 573.
Opera sex primorum dierum recensentur, 6. Opera bona non tam nostra quam Dei, 27.

Orandum pro superioribus potestatibus, 83.
Orationes sanctorum, 337. Orationis effectus per peccatum impeditur, 627 Orationis vis, 680. Orationi habetur Scripturarum notitia, 407. Orationes bonorum prosunt malis, 200.
Ordinem non maculat personæ vitium, 455. Ordines aliquando sibi invicem invidentes, 46. Ordo in re servandus, 451. Ordo sacer nec fugiendus nec ambiendus, 395. Ordines qui non sacri, 409.
Orieus pro justitia, 547.
Origenes se castravit, 456.
Originale peccatum cur sit appellatum, 12, 21.
Osee non peccavit ducendo mulierem fornicariam, 361, 532.
Osculum signum amicitiæ, 576.
Othoniel salvavit Israel, 681.
Otium spirituale decet superiores in Ecclesia, 170.
Oziæ punitio, 459.

P

Pacis fructus inter clericum et monachum, 482.
Palamedes trium litterarum repertor, 586.
Panis est typus divinæ Scripturæ, 549.
Parabolarum auctor est Salomon, et operis illius quis scopus, 364.
Parisiensis universitatis laus, 17.
Passiones assumpsit Christus non ex defectu et necessitate, sed potestate, 254.
Pater ingenitus genitum dedit naturaliter Deum esse, 118.
Patientiæ laus, 77. Patientia Dei, 600. Patientia Tobiæ, 678. Pax non est impio, 661.
Paulus facit multos sequi Christum, 73. B. Pauli continentia, 454. B. Pauli Epistolæ quomodo legendæ, 457.
Paupertas quædam beata, 13. Paupertate emitur Dei regnum, 237. Paupertatis voluntariæ merces, 416. Paupertas nullis in Veteri Testamento injuncta, 417. Paupertas aliquando studiis inimica, 405.
Peccata fuerunt causa diluvii, 492. Peccati servitus, 685. Peccati gradus, 658, 662. Peccati Deus auctor non est, 74. Peccatum dicitur talentum, 614. Peccatum mors est animæ, 664. Peccatum originale in omni homine, 254. Peccatum originale quomodo contrahatur, 331, 332. Peccator inverecundus, 664. Peccatores quidam sunt in Ecclesia, 337.
Perseverantia Job, 674. Perseverantia in bono non est a natura, sed a gratia, 368. Perseverantia est omnino necessaria, 687. Perseverantia est columna virtutum, 370.
Petrus apostolus reliquis major, 222.
Phœnices litterarum inventores, 586.
Pharaonis induratio, 332.
Platonis amor erga scientias, 18.
Pœna peccati varia est, 71. Pœna peccati est valde bona, 75.
Polygamia in veteri lege licita, in nova autem prohibita, 450, 451.
Potitationis absurditas 457.
Præcepta Dei diversa, non autem adversa, 413. Præceptum rei parvæ factum Adæ, 491.
Præcipiens sit obedire paratus, 501.
Prædicationis verba bona, vita mala offuscat, 60.
Prædicator in tuba figuratus, 562.
Prælati vacent otio spirituali, 170. Prælatis malis imputantur subditorum peccata, 60. Prælatorum vigilantia, 180, 221. Prælatorum aliqui male vivunt, 125. Prælatos diabolus impugnat, 397. Prælati mali sunt perniciosissimi, 398. Prælatorum vitia celanda, 398.
Præmonstratensis ordinis præclara initia, 485. Præmonstratensium color cur albus, 484.
Præsentibus non satiatur animus, 194.
Princeps subditis sit melior, 555.
Promethei scientia, 586.
Prophetæ omnes Christum sunt prælocuti verbo vel facto, 106. Prophetarum filii, amantes eremi, 458. Prophetæ dicti sunt *videntes*, 570. Prophetarum unus spiritus, 649.
Prosperitas quibusdam noxia, 680.
Proximus ut diligendus, 595.
Prudentiæ laus, 505.
Publicani qui, 574.
Purpura quomodo conficiatur, 270.
Pyladis et Orestis amicitia, 595.
Pythagoras primus appellatur philosophus, 587.

R

Rachelis lamentatio, 690.
Radegundis regina monacha dicta, 474.
Ratio quid, 545. Ratio est in dæmonibus, 545.
Redimendi generis humani modus paucis ante notus, 105.
Reges a vitiis alieni, 671.
Regnum cœlorum laborantibus datur, 560.
Regulæ monasticæ subsit prælatorum voluntas, 535.
Religiosi de ordine in ordinem non migrent, 44, 515.
Reliquiæ sanctorum valent mortalibus, 737.
Rictrudis (B.) cum B. Eusebia Martianis, 716.
Roma, illustris scientia litterarum, 588.

S

Sacerdotum manus chrismate sacro unctæ ut corpus Christi et sanguinem consecrent, 58. Sacerdos dicitur angelus Dei, 65. Sacerdotum veteris legis nulli polygami, 455. Sacerdotes ducibus et principibus digniores, 459.
Sal infatuatum quid, 580.
Salomon ante scripsit libros sacros, quam sequeretur Deos alienos, 579. Salomon composuit Ecclesiasten, parabolas et cantica, 564. Salomon putatus fuit Messias, 575. Salomon auctor libri Canticorum, 187, 288. Salomon non in omnibus est figura Christi, 561. Salomon multa mala ac bona fecit, 565. Salomonis incontinentia, 577. Salomonis damnatio ac reprobatio, 561 *et seqq.*
Samsonis mors, 534.
Samuelis charitas, 497.
Sancti sunt honorandi, 535. Sanctorum orationes ac suffragia, 537. Sanctorum virtus semper imitanda, non actus, 715. Sanctorum reliquiæ honorandæ, 737. Sanctorum Novi Testamenti cum aliis collatio, 443. Sancti qui, 444. Sanctorum conversatio utilis, 461.
Sapientiæ et Ecclesiastæ libros edidit Salomon, 104. Sapientium Græciæ septem, nomina, 587. Sapientia quædam vera quædam insipiens, 412.
Sarabaitæ monachi, 458.
Satanas solvetur aliquando, 190.
Saul non occidentis Agag peccatum, 533. Saul persequitur Davidem, 609. Saulis infidelitas, 622. Saulis in Abimelec sævitia, 624.
Scala Jacob figura duorum Testamentorum, 292.
Schola cui rei comparanda, 88.
Schoti non usi feminalibus, 421.
Scit Deus omnia, 284.
Scripta gentilium ut a nobis legenda, 590. Scripta sunt limanda, 492. Scriptorum nomina aliquando tacita, 585. Scriptorum potentia in sermone, 589. Scripturæ sine gratia non intelliguntur, 411, 531. Scripturæ sunt diversæ non autem adversæ, 1. Scripturæ sacræ varii sunt intellectus, 2, 294, 412, 427. Scripturarum studioso tria necessaria: studium, ingenium, humilitas, 10. Scripturarum scientia clericis propria, 401, 404. Scripturarum lector qualis esse debeat, 407. Scripturarum obscuritas lectorem non terreat, 407.
Sedecias exæcatus, 650.
Septenarius numerus, 581.
Si conjunctio est aliquando affirmativa, 142, 274, 354.
Sibylla Cumæa prophetissa, 576. Sibyllarum decem nomina, 587.
Sigeberius. A Sigeberto duodecim monasteria structa, 789.
Silentium prudens a bonis, 625. Silentium culpabile, 633. Silentium pœnale, 646. Silentium a malis, 658. Silentium a tristibus, 675.
Simonides trium litterarum inventor, 586.
Sion cœlestem curiam significat, 655.
Sodomitarum peccatum punitum, 639.
Solitarium oderunt gregales et vagabundi, 171.
Solitudo aliquando amanda, 673. Solitudo nonnu quam periculosa, 460.
Somnus in bonum et malum, 666.
Spiritus Dei quomodo unus et multiplex, 688. Spiritus sanctus auctor libri Canticorum, 288. Spiritus sancti effectus complures, 252. Spiritus sanctus mittitur a Filio, 252.
Statum suum quisque sciat, 451.
Stephanus. Sancti Stephani laus, 258.
Studiorum varii fines, 410.
Substantiæ vox quid aliquando significet, 281.
Superbia difficulter evitatur a sanctis, 141.
Superiores sint circumspecti in vita, verbo et factis, 94. Superiores cum reverentia reprehendantur, 111.

T

Tabernaculum est figura Ecclesiæ, 586, 401.
Temeritas punitur, 459.
Temporalibus intentus damnum spiritualium patitur, 57.
Tenacitatis vituperium, 597.
Tentationes ac tentatoris fraudes, 187, 189.
Testamentum Vetus novo consummatur, 255.
Tharbis uxor Moysis, 422.

Tobiæ patientia, 678.
Topazius lapis qualis, 333.
Tornacum subjectum aliquando regi Galliarum, 718,
Tribulationes justorum, 609, 678, 890.
Tributis non sunt gravandi ullatenus clerici, 609.
Trinitatis sanctissimæ opera inseparabilia, 150.
Tristitiæ effectus, 186
Tubæ usus in bello, 578.
Turris Babel ædificatio, 547
Turturis cantus seu gemitus et natura, 181.

U

Ubera sponsi quæ sint, 112, 113. Ubera duo sponsæ, dilectio duplex, 155. Uberum et mammarum discrimen 224.
Uncus baculi pastoralis quid significet, 65.
Unguenta tria data generi humano, 115.
Unione hypostatica non sunt confusæ naturæ in Christo, 256.
Usque varie ponitur, 339.

V

Vectigalia non solverunt sacerdotes Ægyptii, 420.
Verbum Dei annuntiandum etiam non crediturus, 643.
Veritas quædam quid sit, 113.
Vestæ servierunt solæ virgines, 454.
Vestalis stupro consentientis pœna, 434.
Vestimentum clericorum duplex, 599.
Vestis Aaronicæ allegoria, 599. Vestis non facit religiosum, 38, 453. Vestis sit statui conveniens, 197, 479. Vestes molles contemptui sunt habendæ, 455.
Vidua cujus ætatis esse debeat, 435, 509.
Vini poti effectus, 493. Vinum cur secunda mundi ætate propinatum, 493.
Virginis captivæ mira liberatio, 594.
Virginitatem suam plangit Jephthe filia, 564.
Virtus certamine gaudet, 781.
Visio utilis et noxia, 541.
Vita activa, 522. Vita præsens dicitur esse paries, 166, 177. Vitæ præsentis dona dicuntur esse a læva Sponsi, 169. Vita sæcularis laxior clericali, 414. Vita debet esse sermone conformis, 415. Vitæ solitariæ periculum, 460.
Vitulus lasciviens, 684.
Vocatio in Scripturis est multiplex, 347. Vocatio quædam inefficax, 347. Vocatio quædam propria electorum, 350.
Voluntas libera ad bonum et malum, 3.
Vovit B. V. virginitatem, 107.
Vulpis famelicæ versutia, 188.

W

Walbertus et Bertilia parentes divæ Waldetrudis, 789.
Waldetrudis vita, 732.

Z

Zachariæ propheta lapidatus, 537. Zachariæ patris S. Joannis Baptistæ taciturnitas, 648.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

PHILIPPUS AB HARVENG BONÆ SPEI ABBAS.

EPISTOLÆ.

Epist. I. Philippi ad Webericum. — Quærit de operibus sex dierum, an simul aut successive ea Deus patraverit, et de tempore creationis angelorum atque lapsus primorum parentum. 1

Epist. II. Philippi ad Hervardum. — Docet tria necessaria esse legenti Scripturas sacras; quærit et solvit quomodo Christus contraxerit originale peccatum ab Adamo, et tamen in eo fuerit contentus secundum carnem. 16

Epist. III. Philippi ad Heroaldum. — Reprehendit nomen Fortunæ. Docet Christianos non debere immorari in ethnicorum libris, sed ad sacras Scripturas festinare. Laus Parisiensis academiæ. 26

Epist. IV. Philippi ad Engelbertum. — Studium litterarum ad interioris hominis spiritualem perfectionem esse referendum. 32

Epist. V. Philippi ad Joannem. — Defendit libros B. Hilarii de Trinitate et exponit duas difficiles sententias illius : 1. Mariam non dedisse originem corpori Christi. 2. Corpus Christi fuisse impassibile; quorum dictorum catholicum ostendit intellectum. 34

Epist. VI. Philippi ad Joannem. — Ejusdem argumenti. 46

Epist. VII. Philippi ad Joannem. — Ejusdem argumenti. 57

Epist. VIII. Philippi ad Gregorium. — Non debere religiosum aliis religiosorum ordinibus detrahere. 74

Epist. IX. Philippi ad Bartholomæum. — De persecutione sibi injuste illata. 78

Epist. X. Philippi ad Bernardum. — Conqueritur de Præmonstratensi a Cisterciensibus contra voluntatem Præmonstratensium recepto. 85

Epist. XI. Philippi ad Bernardum. — Miratur, crescentibus novis reformationibus religiosorum, non crescere mutuam inter eos charitatem. 93

Epist. XII. Philippi ad Eugenium III papam. — Petit a pontifice subsidium contra persecutores suos. 96

Epist. XIII. Philippi ad ***. — Disputat pulchre de virtutibus prælatorum. 102

Epist. XIV. Philippi ad Radulphum. — Præclare de multiplici morte et martyrio philosophatur. 127

Epist. XV. Philippi ad Adamum. — Expostulatoria. 142

Epist. XVI. Philippi ad Philippum. — Commendat virtutes nobilibus viris dignas. 147

Epist. XVII. Philippi ad Henricum. — Ejusdem argumenti. 151

Epist. XVIII. Philippi ad Richerum. — Studia litterarum ecclesiasticis viris esse necessaria. 157

Epist. XIX. Philippi ad Raynaldum. — Nobilem doctumque virum et pium ad prælaturam ecclesiasticam sublimatum esse gratulatur. 160

Epist. XX. Philippi ad Richerum. — Studium litterarum commendat. 175

Epist. XXI. Philippi ad Willelmum. — Commendatoria. 176

Epist. XXII. Joannis ad Philippum. — De dictis B. Hilarii in libro de Trinitate. 178

Epist. XXIII. Joannis ad Philippum. — Ejusdem argumenti. 178

Epist. XXIV. Joannis ad Philippum. — Ejusdem argumenti. 180

Epist. XXV. Hunaldi ad præpositum. — Ejusdem argumenti. 182

Epist. XXVI. Philippi ad Alexandrum III papam. — Gratulatur Alexandro quod ad summam dignitatem fuerit evectus; atque ut ad ejus partes alliceret reges Angliæ et Franciæ convenisse significat. 188

COMMENTARIUS IN CANTICA. 189
MORALITATES IN CANTICA 489
DE SOMNIO NABUCHODONOSOR. 585
DE SALUTE PRIMI HOMINIS. 593
DE DAMNATIONE SALOMONIS 621
DE INSTITUTIONE CLERICORUM TRACTATUS VI.

I. — De dignitate clericorum. 663
II. — De scientia clericorum. 693
III. — De justitia clericorum. 707
IV. — De continentia clericorum. 727
V. — De obedientia clericorum. 839

VI. — de silentio clericorum. 945
VITA S. AUGUSTINI. 1205
VITA S. AMANDI 1233
Epistola dedicatoria. — Ad abbatem Hugonem. 1235
Epistola ejusdem. — Ad Joannem abbatem. 1237
Incipit vita. 1239
Prologus miraculorum S. Amandi 1277
Capitula. 1277
Miracula quæ facta sunt per Gallias. 1277
Miracula quæ facta sunt per Brabantum. 1287
Sermo de elevatione corporis S. Amandi. 1295
Epistola domni Philippi abbatis de eleemosyna ad abbatem Joannem ecclesiæ S. Amandi de passione sanctorum Cyrici et Julitæ. 1299
Prologus. 1301
PASSIO SS. MARTYRUM CYRICI ET JULITÆ matris ejus, cum sociis eorum. 1305
PASSIO S. SALVII MARTYRIS.
Prologus. 1311
Incipit passio. 1313
VITA S. FOILLANI MARTYRIS. 1325
VITA B. GISLENI CONFESSORIS. 1337
VITA B. LANDELINI CONFESSORIS. 1349
VITA B. ODÆ VIRGINIS 1359
VITA S. WALDETRUDIS. 1375
PASSIO S. AGNETIS MARTYRIS 1389
CARMINA VARIA. 1391
INDEX RERUM ANALYTICUS. 1397

FINIS TOMI DUCENTESIMI TERTII.



Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.